p.11.refert.n.700.& cap.12. ref.n.700.
cap.14. ref. n.708. & n.747.& cap.15.
f. n.1334.& cap.16. ref. n.743.& num.
334.& cap.17. refert.n.1743.& n.1752.
cap.20. ref. n.433.& n.485.& n.1385.
n.1385.& n.1462. & cap.21. ref.num.
27. & n.147... cap 22. ref. n.1447.&
...num.433.
...o Arbitrio, cap.1
...ref.n.17. & n.20.
...7.& n.811.& cap.
...n.811.& n.1500.
...ap.7. ref.n.342.&
...11. ref.n.1153.&
...que ad n.1385.&
...p.15. ...n.867.&
...n.369. & n.474.&
...n.617.& n.744 & cap.18. refert.
n.1509. ...cap.19. ref. n.1422. & cap.20.
ref.n.807. cap.21. ref.n... 4.& cap.23.
refert.n.14... & cap... refert.num.28.
libro de Co...ptione, & Gratia, cap.1. re-
fert.n.709.& ...p.2. ref.n.277.& n.329.&
n.365.& n.4... & n.1153.& cap.3. refert.
n.496.& n.13... 5.& cap.4. refert.n.659.&
n.1326.& cap. ... refert.n.496.& n.659.&
n.715.& n.132... & cap.6. refert.n.715.&
cap.7. refert.n.463. & n.663. & n.797.&
...n.1538.& n.1640.& cap.8. ref.
n.664.& n.700.& n.831.& n.956.& num.
1734.& n.1757.& cap.10. refer.n.645.&
cap.11. refert.n.223.& n.248.& n.250.&
n.435.& n.482.& n.49... & n.617.& n.645.
& n.708.& n.798.& n.828. & n.103...&
n.1078. & n.1153. & n.1253. & n.1288.
& num. 1356. cap.11.& 12. exponuntur à
n.419. vsque ad n.430.& à n.1189. vsque
ad n.1219. cap.12. ref.n.223.& n.224.&
num.278. & n.477. & n.482. & n.608.&
n.617. & n.957. & n.1035. & n.1078. &
n.1142.& n.1286.& n.1288.& n.1307.&
n.1356.& cap.14. refer.n.207.& n.605.&
num.626. & n.631. & n.919. & n.983. &
n.986.& n.1423.& n.1678.& cap.15. re-

cap.2. refert.n.32.& n.35.& n.36.& n.95.
& n.225.& n.249.& n.253.& n.772.
In libro de perfectione iustitiæ contra Cœlestium, resp.16. refertur num.1339.
In libro de Gestis Pelagij, cap.1. ref.n.487.& n.1420. & cap.3. ref.n.329. & n.1092.& n.1118.& n.1146.& n.1151. & n.1152.
...ref.n.515.& cap.18. refert.num.
... & n.917.& n.1184.
...Cresconium, lib.1. cap.1. re-
...n.1599.
In Psalmos: in septimum refertur in n.729. & n.1340. In Psal.54. ref.n.1598. In Psal.61. ref.n.744. In Psal.91. refer.n.1340. In Psal. 102. refer.n.534. In Psal.118. concione 4. refert.n.12... concion.5. ref.n.1294. concion.10. ref.n.1267. concion.11. ref.num. 1267. concion.17. ref.n.1294. In Psal.120. refert. n.500. In Psal.144. refert. n.27.
In S. Ioannem, tract. ... circa medium, refert. num.222. Tract.4. col.4. ref.n.789. Tract. 26. refert.n.718. & n.1159.& n.1164. & n.1273. Tract.53. refert.num.27.& n.185. & n.443.& n.1063. Tract.72. ref.n.380.
In libris Meditationum, lib.2. cap.14. refert. num.342.
In Homilijs, Homilia 12. refert.n.1340. Homilia 29. ref.n.1228. Hom.53. ref.n.772.
In Sermonibus de Tempore, Sermon.88. refert. num.696. & n.1453. Sermon. 119. refert.n.147. Serm.124. refert.n.1296.
In Sermonibus de Verbis Domini, Serm.14. refert. n.1216. Serm.15. refert. num.749. Serm.27. refert.341. Serm.43. refert.num. 1113.& num.1151.& num.1152.
In Sermonibus de verbis Apostoli, Serm.2. cap.10. refert. n.548. & n.606.& cap.14. n.700.& Serm.3. ref.n.1118.& n.1119.& n.1120.& n.1297.& Serm.11. ref.n.266. & n.267.& n.1267.& Serm.12. ref.n.386. & Serm.13. ref.n.384.& n.443.& n.769. & n.1123. & n.1146. & n.1153. & num. 1273.& n. 1295.& n.1420. Serm. 14. ref. n.1364. Serm.20. refert. num.739.

Litt.

CVRSVS PHILOSOPHICVS DICTATVS,

LIMÆ A P. IOSEPHO DE AGVILAR Societatis IESV, tunc liberalium Artium Professore, dein in Platensi Academia Primario, nunc in Maximo D. Pauli Collegio Vespertino Moderatore, Platensis Archiepiscopatus Examinatore Synodali, nec non Sanctæ Inquisitiones Qualificatore.

TOMVS PRIMVS

QVEM DICAVIT O. S.

ILLVSTRISSIMO DOMINO DOCTORI

D. EMMANVELI FERDINANDO DE SANCTA-CRVZ,

EPISCOPO ANGELO-POLITANO, Regiæ Maiestatis Consiliario, &c. Adhuc viventi.

Hispali. Ex Offic. IOANNIS FRANCISCI DE BLAS, eiusdem Civit. Typ. Mai.

Litt.

CVRSVS PHILOSOPHICVS DICTATVS,

LIMÆ A P. IOSEPHO DE AGVILAR Societatis IESV, tunc liberalium Artium Professore, dein in Platensi Academia Primario, nunc in Maximo D. Pauli Collegio Vespertino Moderatore, Platensis Archiepiscopatus Examinatore Synodali, nec non Sanctæ Inquisitiones Qualificatore.

TOMVS PRIMVS

QVEM DICAVIT O. S.

ILLVSTRISSIMO DOMINO DOCTORI

D. EMMANVELI FERDINANDO DE SANCTA-CRVZ,

EPISCOPO ANGELO-POLITANO, Regiæ Maiestatis Consiliario, &c. Adhuc viventi.

Hispali. Ex Offic. IOANNIS FRANCISCI DE BLAS, eiusdem Civit. Typ. Mai.

ILLVSTRISSIMO
A C
REVERENDISSIMO
DOMINO DOCTORI
D. EMMANVELI
FERDINANDO DE
SANCTA-CRVZ,
EPISCOPO ANGELO-POLITANO,
Catholicæ Maiestatis Consiliario.

CVM *Logica Caligo* sit, & sciētiæ, (quæ lumēn est in deficiens) obscuritas inimica, ad quem se pro luce emēdicāda, Logica nostra recipiet nisi ad luminum Primipilum, Sapientiæ iuratum Numen qui vsque adeo eleemosynas deperit, quod, quia emendicanti, lucem affatim caligini conferet, & offundet, cuius fulgore occiduæ Plagæ tenebras nesciunt, dum sparsa luce, meliori coma, sedulo recreantur *Aram Domino Iacob in itinere consecravit*, (Ita eloqueris Illustrissime Princeps, vt à Te verba, accipiam, & munimen) *tulit lapidem, quem supposuerat Cruz in capiti suo; & erexit in titulum* Aræ Patronus Tutelaris est factus, sed illico

Sanctâ c. 6. Lev. n. 22.

obligationem, qua tenebatur cognovit, oleum super lapidem abundanter tulit. Oleum super lapidem fundens, munus Patroni obijt, & adimplevit Iacob ille Scholasticus: *Qui habitabat in Tabernaculis:* seu in Scholis. Quare oleum? Vt tenebras quibus nocte circumfusus, capiti supponebatur, [Gen. 25. v. 27.] abigeret, tantique iubaris patrocinio suffultus luceret ipse, factus certè lapis adiutorij, dum illo feliciter fungeretur.

Lapidem hunc Illustrissimè Domine, difficultatum duritie compactum, rudi manu scalptum capiti tuo suppono. Logicam, seu caliginem hanc, tuis pedibus sterno. Nec novum: nam *Caligo sub pedibus eius*, quasi fastigiatum Supremi Numinis solium. Oleum funde, vt lucem secure fo- [Ps. 17 v. 10] veat. Fauorem explica, vt eo perculsus nycticorax Zoilus absistat. Munimen præfer, quo quasi in procinctu radijs catafracta in publicam arenam exiliat, tuisque perenniter auspicijs præmunita, Nomini tuo litetur.

Licet Nobilitas vera sit, atque vnica virtus Te id ipsum eruditè attestante: *Veram nobilitatem non Originem ducere, à stirpis sanguine, sed ab heroicis actionibus censuere prudentes.* De Lysandro, inquit Plutarchus, *quod Græciæ* [in cap. 26.] *principatum non generis nobilitate, sed virtute comparaverat.* Sic Seneca de [Lev. 12. 18] Mario septies Consule. *Inter tot Consulatus Marius, nil clarius, quam se authorem.* Faventibus tamen fatis, primaria fumosaque inter Hispanos nobilitate frueris, vt cognomen ipsum præsefert, nec sanguis Te magnũ redderet, si opera Te maximum non facerent, nam illum ab alijs accepisti, hæc à te. Sanguis in Hispaniæ aurifodinis retroactis temporibus coalitus, è purioribus Moiorum venis, ad tuas vsque protractus Salmāticæ Te inter maioris Collegij Conchensis Alumnos, vbi nil, nisi *aurum purgatum septuplum*, cooptavit.

Quoties amomi flosculus, aut messis Casia (pulchre Ennodius) *per deprædationem lascivi pollicis radice viduantur, & ad dotem manuum humanarum, nobile* [Ennod. in] *germen adiungitur, meritum cæspitis odore significat, & natura genium, prima visi-* [vita Epiph.] *one testatur. Occultari se non patitur fœtura sublimis, decus clari sanguinis non tenetur absconditum.* Ibi iam Collegij Maioris Maior inter Collegas, ita Sapientiæ Candidatus, Te totum litterarum studio medullitus addixisti, vt brevi, omnigena Sapientia, & eruditione apprimè imbutus, veluti inter viburna Cupressus emineres; auspicantibus iam inde cunctis ex laudum segete, dignitatum fructus in dies nascituros.

Qua Ætate periculorum grauida, haud Te cupiditatum lenocinijs, voluptatumve illecebris, quibus delicata iuventus deliniri solet, mulceri passus, nec ambitionis vento intumuisti ad naufregium, nec in delitiarum mollitudinem virtutis exitium prolapsus es; sed obstetricè Religione, tales scientiarum, modestiæ, prudentiæ, omniumque virtutum fructus edidisti, vt in te decus, in alijs admirationem pariant. Hos genitos adolescentiæ fructus, non luxuriantis ad vitiorum copiam, sed se se vegeta virtute ad gloriæ messem effundentis, quibus inconditam plerumque iuventam, stipendijs senectutis ornabas demiratus, dicerem cum Bernardo: *Senem in-* [Apud ipsũ] *duit cũ adolescens esset, relinquens quod erat, assumens quod non erat.* Et cum Enno- [S. Cruz. in] dio: *Cana consilia in annis puerilibus meditatur.* Te cumque ipso concluderem: [c. 8. N. 3.] *Cani non tam oculis corporis, sed iudicio agnoscuntur rationis.*

Cum

Cum igitur, Salmantica ipsa buccinante, Tuæ mirabilis Sapientiæ [In vita] fama percrebesceret, Hispaniæ Cathedrales omnes, Te inter suos Cano- [Epiph. ibi.] nicos pro coronide adoptandum gestiebant; sed Segoviensis evicit, in qua omnium suffragijs in Canonicum Magistralem inaugurasis, Sed cum (vt Tu scribis) *Nullus, nisi labore comparet gloriam; Ipsomet Xpto triplici tenta-* [Num. 33.] *tione, seu examine sibi gloriam præfigente;* Vtrumque examen pro vtroque sug- [n. 1.] gestu, ita mirabiliter egisti, vt maior fieret encomiorum seges, quam mercedis emolumentum. Maiora canamus, *Sed quale erit eloquentiæ flumen,* [Ennod. in] *quod, non dicam, per cæteras tuas laudes excurrat, sed quod aliquam illorum pertin-* [vit. Epiph.] *gere queat?* Quid afferre possum, aut ornatus ad eloquentiam, aut vbertatis ad copiam, aut ponderis ad rerum momenta, aut grauitatis ad dignitatem, quin multo maiora optimi Principis, & laudes poscant, & materiæ amplitudo mereatur. In Te vno spes omnes reponam, vt à quo materiam laudis pro debito, laudes ipsas pro solutione recipiam, ita, licet non lineamentis aut penicillo, ipsius tamen coloribus aliquantula dignitate ipse depingetur Apelles.

Cum nihil præclarius homini putares fore, quam in meditatione legis Diuinæ, [Sanct. Cruz] *scientiaque Sacræ, vitæ transigere curriculum; post Scholastica studia Theologiæ, quo* [in ep. dedi-] *occulto quodam impetu ferebaris, toto pectore in Sacræ Scripturæ vigilijs Te incum-* [catoria ad] *bendum decreuisti.* Incubuisti, & radio Solis pro calamo primum Antilogia- [Cand. Ara-] rum Genesis & Exodi, volumen luci, dein secundum Levitici, Numero- [gon.] rum, & Deutoronomij admirationi donasti. In quibus nescio an linguarum peritiam, eruditionis profunditatem, intelligentiæ acumen, antiquitatum notitiam, eloquentiæ raritatem; disponendi solertiam, dicendi grauitatem, arguendi vim, persuadendi energiam, conuicendi efficaciam, prius mirer; an discursuum soliditatem, conceptuum viuacitatem, varietatem rerum: fluit stylus sententiose facilis, ethicè politicus graphicè severus. Orationes numeris absolutæ, erotundatæ, grato leporis pipere sparsæ.

Sensum litteralem exponis copiosa & diuite breuitate, aurea, & docta felicitate, nec parcè, nec prodigè. Vbi explicas, lucem præfers; vbi interpretaris, veritatem infers; vbi arguis, victoriam reportas; vbi irasceris, terrorem incutis; vbi componis, discordiam sedas; vbi instruis, mentem illustras; vbi respondes, argumenta ruunt. Nullus est paragraphus, qui integram non spiret bibliotecam; nil est grande, ponderosum, reconditum, nil copiosum, eruditum, nil floridum, hilare, & fæcundum, nil retroactis sæculis excogitatum, quod ad hos Commentarios pulchre ornandos non advoces.

Quot in tuis libris capita, tot genij & ingenij mirabilis ostenta, quot paginæ, tot eruditissimæ mentis signa, quot clausulæ, tot sententiæ, quot verba, tot vniones, quot apices, tot apicibus documenta plena; Nil non ad Cleantis lucernam evigilatum, nil non ad amussim compositum; Hic, hic, Concionator suadæ nectar hauries, hic discursus plenos, digestosque comperies hic mentem acue, hos libros comede, hiantique ore devora, & pro omni euentu repleberis. Vis ad pænitentiam inducere? Sancta Crucium aperi, & in primo paragrapho; quod instrumenta peccati debet homo con- [In Lev. c. 1.] vertere in pænitentiæ instrumenta mirabiliter scriptum inuenies. Vis [num. 1.]

scandala

scandala tollere: Lege secundum, & ibi, scandala Deum maxime offendere, [In c.2. Lev. num.1.] crudite per tractatum hauries; vis in prauos mores invehi? paginam verte, & adulationem compesces. Vis virtutum penetralia ingredi? copiose [Ibi. n.8.] de amore inimicorum agit. Vis in Dei amorem, Auditorum animos impellere? [Ibi. n.16.] Ibi Cor Deo offerendum pro gratissimo Sacrificio reperies. Apud Principes audiris? [In c.3. Lev. num.1.] pro Principibus pulchre & affabre, doctrinam præbet. Politicas quæris? ibi regendis populis documenta. Terrorem incutis? [in c.4. à n.1] ibi mortis memoriam, Iudicij diem, inferni tormenta, ob oculos exprimit. [Ib, n.27.] Tentationes vitandas cupis? tentationes mirabili efficacia abigit. [Ibi. n.36.] Denique quidquid agis, hic actum, quidquid cogitas, hic præcogitatum, quidquid quæris, hic inuentum, quidquid ambigis, hic obvium, facile, acutum, auctoratum, dispositum inuenies. Reliquis libris valedic. Hunc vnicum, evolue, huic te totum trade, hunc lege, huic stude, hunc ad manum habe, hunc semper apertum teneas, & pro integra bibliotheca vnus ipse sat erit.

Fateor equidem, Illustrissime Princeps, omni lenocinio seposito, cui merito irasceris, secundum Pentateuchi volumen, dum primo ad has oras peruenit, [In c.2. Lev. §.3.] mihi forte, inter alios libros è nunddinis allatum, in quem cum incidi, & tuo nomine subscriptum vidi, veneratione suscepi, legere incipio, miror; paginas voluo, ibi perlego, amplius ibi miror; & de thesauro invento gratulatus, non recondo, sed amicos, & vicinos convocans, plausus repeto. Legunt omnes (Doctoribus quibus maxime præstat Limanum hoc D. Pauli Collegium) mutuor, vnoque ore, celebritate donant, talique pretio cæpit haberi, vt quinquaginta Carolei, vulgo, *Patacones*, non semel mihi pro eo appendantur: Quos despexi: [Sap. n.9. v.10.] *Quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* [v.11.] *Nam huius aurei voluminis doctrinam. Proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius;* [v.21.] *venerunt autem omnia bona pariter. cum illa. Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista Sapientia,* [v.13.] *quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.* [1.14.] *Infinitus enim thesaurus est hominibus.* De tertio Antilogiarum volumine typis excusso, laureatæ epistolæ recenter nobis allatæ sunt, sed cum non dum ad manus nostras preuenerit, æquali desiderio, habendum spectamus, gaudio, quo habitum possidemus.

Hæc maximo Orbis Christiani profectui meditabaris, dum Supremus Monarcha, ex Indiarum Senatus consulto Tibi iam Chiapensis Ecclesiæ Infulas meditabatur. Et cum iudicares: ambientem Episcopatum, eo ipso illius fieri indignum; ideoque Ioannem Christi ocellum, in Pontificem non fuisse adlectum, quia primam sedem, & petijt, & ambijt. Dignitas Tibi nec in mentem venit, dum meritissime venit in caput. A Te pro Te verba iunioris Plinij recipio. [Plin. in Paneg. Trajani.] *Eras Imperator, sed esse Te nesciebas; vt vero ad Te fortuna tua nuntius venit, nolebas quidem hoc esse quod fuerat, sed non erat liberum. Alij consulatum antequam acciperent, Tu, & dum accipis, meruisti.* Ideo cum accipiendo primum Episcopatum, merueris alium, alium accipis; Guadalaxarensem nempe, a quo non multo post in Maximi Angelo-Politani infulas proueheris.

In

In suprema dignitate constitutus, quas mente conceperas, calamo tradideras Principum, & Episcoporum regulas, manu, & opere perficis: *Vt futurum mentis claritatem* (sic Ennodius de suo Epiphanio) *præcedens fulgor litterarum ostenderet, secuturumque splendorem in moribus, iam tunc typica luce signaret.* [Invit. Epip.] Signasti certe ex tunc præsaga mente quod nunc mirabili manu exequeris. Vtriusque Atheniensis Artificis, primi, pulchro verborum lineamento machinam quamdã depingentis, secundi dicentis. *Ego opere adimplebo, quod iste tot verbis amplificatus est.* [In c.4 Lev. num.13.] Munus idem ipse exples à Te eruditionem accipio. Nam quæ pro Episcopis, pro Principibus instruendis mirabiliter amplificaris, Tu ipse dum Princeps, dum Episcopus mirabilius adimples. Nunc Ovvenus.

Qui scribenda facit, scribitque legenda, beatus
Ille, beatiores Tu, quod vtrumque facis. [Ovven. lib. 2. Ep. 28.]
Digna legi scribis, facis & dignissima scribi:
Scripta probant doctum Te tua: Facta Probum.

Scripsisti, Principis nomen amittere, qui munera non offert, qui manus non habet faciles ad donandum [Sup. c.7. Num. §.3.] Scripsisti ex Vrbano Papa: *Ecclesiasticos strictiori vinculo subveniendi egenis adstringi.* [Sup. c.15.] Scripsisti. Principes suis manibus debere beneficia conferre: [Deut. n.15.] Scripsisti. Principum esse, in abiectos, & pauperes, oculos intendere. [Sup. c.4. Lev.] Quid ergo aliud exequeris? *Interea per propositum sibi callem vitæ cursu præpeti Sacerdos venerabilis incedebat, eleemosynæ sine retractatione operam dans* (aureo Ennodij stylo prosequor) [Sup. c.12. Num.] *quod munus accipientibus vultu, & animo blandissimo commendabat, ita vt cuicumque sermonis solius gratiam præstitisset, nequaquam se indonatum putaret abscedere, erat enim summum præmium talem saltem vidisse Pontificem.* [Invit. Epip.] Ipsi loquantur populi, se divites in paupertate gloriari, dum Te pauperem in divitijs demirantur, alium Thomam in Indijs (quem Tibi in Patronum, & adoptasse fateris, & vestigijs insistis) ore pleno depredicantes.

Proh Deus? Quæ Tibi deficiunt!, quæ alijs de penu Tuo suppetunt! Manus habet plenas alijs, vacuas Tibi, tornatiles omnibus. Sortes pauperum in manibus tuis, ideo facile, & plene remedia sortiuntur, & salutem. Miræ suavitatis aspectu egenos mulces, afflictos consolaris. Nullus vnquam fuit, qui vultum tuum suauissimum, sedem pudoris, simulacrum modestiæ, effigiem humanitatis, aut indecoris aspersum notis, aut minus compositum, aut indecoris aspersum notis, aut minus compositum, aut iræ nubecula offuscatum viderit; sed serenum, placidum, humilem, rubore suffusum in laudibus, æqualitate compositum, in adversis, moderamine temperatum in prosperis, eundem semper in omnibus.

Scripsisti defectus subditorum, cum reprehenduntur esse tegendos, [Sup. c.12. Num. n.1.] vt bonæ famæ consulatur odori. Sic Christus Lazari nomen silentio donat dicens, *vbi posuistis illum,* dum fœtorem eius luci donandum præscit. *Quatriduanus est iam fœtet.* Sic & Tu in pravos mores inveheris, cæsim, punctimque vitia percutis, sed ita percussorum decori prospicis, vt sanguis vulnerum Tuæ charitatis industria rubeat in purpuram, Sic Pharmacum confi-

fi-

ficis, vt videatur, non ægris pro salute, sed sanis pro levamine applicari. Sic pallio: *Occulens subditorum defectus illos reparas collabentes, & cum Benigni Principis sit non tam delicta velle punire* (disertissime eloquitur Cassiodorus) Sup. c. 20. Num. n. 13. *quam tollere, ne, aut acriter vindicando, æstimetur nimius, aut leviter agendo putetur improuidus.* Delicta non tam refricas ad clamorem, quam mederis ad sanitatem.

Cas. lib. 1. num. 30. Scripsisti. Prælatos gregi debere esse præsentes, illumque frequenter invisere; ex Proverb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera;* sic totum replet Iupiter, vt supremi Pastoris munus repleat.

Iupiter est quodcumque vides, quodcumque moveris; hoc & agis omnia invisens, per te, per alios, verbis, Epistolis, exhortationibus, exemplis; ò quoties cana nivibus iuga montium, transituris minantur exitium, & per ea pro leuandis ovibus, arcendis lupis, solidando pecore, lætus verus Pastor irrumpis? Nam: *Mortiferum frigus, & concretas algore glebas* (ita Ennodius) In v. Epiph. *fidei ardor exuperat. Nunquam in gelu labitur, cuius fundamentum petra solidavit.* O quoties ardenti canicula, æstuante sabulo, exustâ tellure, vel aer ipse feruet, & spiritus flante vento, lenocinante aura, placidos pro invisendo grege, hinc, inde protraheris! O quoties lucos penetrans, flumina tranans, dumeta terens, per prærupta, per invia, pericula devoras, Ennod. ibib. & eludis! O quoties! Sed *ad hæc enarranda, lingua non sufficit. Iuuat enim certa quæque decerpere, vbi sunt omnia admiranda, quæ referas.*

Quid iam denique dicam de zelo, quo Ministros, & Parochos pro munere idoneos rigido examine probatos, attenta meditatione quæsitos, & electos designas? Quid de conatu in extruendis, innovandis, exornandis tuæ Diœcesis Templis, & Altaribus. Quid de Ecclesiasticorum exemplo. Monialium religione, apicum observantia, quibus incessanter intendis? Quid de illa in negotijs per agendis dexteritate, in Proregibus pertractandis comitate, & industria; quid de illa indolis gratitudine, qua in nostrum Hispaniæ apicem divinctus, eius in omnibus obsequia augenda curas? Cui attendens, & ipse te in supremum Regni Mexicani Caput, proregemque sua regali schedula adlegit. Sed mirabile dictu! Hoc, supra quam credi facile potest, maximo munere exosculato, schedula supra caput posita, honorem sub pedibus collocasti, vt eo prò vasi tuæ celsitudinis immortale simulachrum, erigatur. Nam, *videaris licet* (ita Plinius) *quod est amplissimum consequutus inter homines, felicius tamen erat, quod reliquisti.*

Plin. in pa. neg. tratani Sciebas Illustrissime Princeps: Parum esse dignitatem pôssidere, maximum meruisse, & possessione abiecta, meritum duplicasti, vt vno merearis quod sis electus, & altero quod despicias ad quam fuisti electus, dignitatem. Ps. 22. v. 24. Tunc maior effectus, dum maior effici noluisti: *Virga tua, & Baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Vtraque nempe potestas, & temporalis quæ â Virga, & spiritualis quæ à Baculo secum implicita & coadunata solatio est Dauidi; & alijs solatio est, Tibi vero despectui. Nam virgæ motus, & potestatem, vel impedire, vel adminus suspendere baculi motum, & vsum autumans, pro baculo virgam proiecisti, non convertendam in colubrum, quem fugeres, sed in coronam, qua temporibus redimitus, perenni laude triumphares. Hanc diuinam mentem in Epistola tuo venerabili nomine subscripta ad Excellentissimum Dominum D. Melchiorem de Portocarrero, Comitem de la Monclova, Peruvij Proregem, tibi sicut, & moribus, amicitia coniunctissimum, perlegimus, & miramur, cum Theodorico dicentes: Ennod. in vita Epiph. *Ecce hominem, cuius totum Occidens similem non habet, quem vidisse præminum est, cum quo habitare securitas.*

Sup. c. 20. Num. 9. Nunc Princeps, maximum decus nostrum viue, & supra Nestoreos dextera tua computet annos. Si ergo per Te: *Memoria mortis prodest ad vitæ durationem; dum Pontifex fieres, memoriam mortis calamus inhærebat.* De mortalitatis spolijs Pontificales effecisti vestes, & in cadauere illo (Illustrissimi Ibl. nempe Domini D. Hieronymi de Mascareñas, segoviensis Ecclesiæ Præsulis, tunc è viuis expuncti) speculo fidelissimo felicitatis mundialis exitum didicisti contemplari. Ab illis Pontificijs cineribus, concalente, & calamo & mente, mortis meditatione, in dignitatis lucem emercisti. Vbi alij cadunt, inde insurgis, vt totum repleas orbem; vbi fuerit corpus, ibi congre- Dan. c. 2. garis vt Aquila, Iob. 29. inde volatum arripiens, ad sidera vsque peruenias. In nidulo illo moreris, vt sicut Palma, Phænix ve, dies tuos multiplices, & in æternum perennes. Phænix ergo viues de singularitate famosus, dum Phænicis primordia tenes. Viuas tuorum saluti, mihique, & meæ logicæ, seu caligini lux & tutamen: *Cedat iam mortalis obscuritas, divino splendori, iubaris lampadi non sufficit humilium scintilla sermonum. Hæc me conditio signat imparem lux testata est obsequentem.* Diutissime vive, & fortunatissime vale.

Illustrissime Princeps.

Dominationis tuæ addictissimus Seruus.

Iosephus de Aguilar.

FACVLTAS RELIGIONIS.

FErdinandus Caſtellano Præpoſitus Provincialis Societatis IESV in Provincia Bœtica, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo Adm. P. N. Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali Societatis IESV facultatem concedo, vt opus, cui titulus eſt: *Curſus Philoſophicus dictatus Limæ, &c.* à Patre Ioſepho de Aguilar Societatis noſtræ compoſitum, & in tres tomos diviſum, & eiuſdem Societatis gravium doctorumque virorum iudicio examinatum, & approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo officij noſtri munitas, ac teſtimonio Secretarij noſtri firmatas dedimus in Collegio Societatis noſtræ Vtrerenſi die 22. Octobris anni milleſimi ſeptingenteſimi.

Ferdinandus Caſtellano.

Sebaſtianus Gonzales.
Secret.

CENSVRA R. P. DIDACI DE FLORINdas è Societate Iesu in Hispalensi Divi Hermenegildi Collegio Sacræ Theologiæ Professoris.

EX præscripto Dñi Antonij Ferdinandi Maria de Milan Catholicæ Maiestatis in Regio Hispalensi Senatu à Consilijs, atque eiusdem Civitatis, ac Regni in Typographos, & Bibliopolas Regius delegatus Iudex mihi delatus fuit Cursus Philosophicus in tres Tomos distributus, Authore R.P. Iosepho de Aguilar è Societate Iesu in Platensi olim Vniversitate Primario, nunc in Limano Divi Pauli Maximo Collegio Vespertino Moderatore, Sanctæ Iuquisitionis Qualificatore, & Platensis Archiepiscopatus Examinatore Synodali. Triplicem tomum solerti, qua potui, indagine vidi, & voluptate non modica evolui, & inter tot complacentiæ, & allicientiæ incitamenta id vnum ab ea moleste deturbat, mei scilicet cum Authore ex Religione affinitas, quæ ex rigidis modestiæ præceptis ad eius pro meritam commendationem voces opprimeret, linguam obseraret, calamumque arctissimè contineret. Erigit nihilominus operis ita planum, ac omnibus patefactum meritum, vt affectus præveniat calumniam. Perpolitè ad rem de Nysseno in non dissimili plaudebat Phocius: *Sic vnus hic liber de omnibus triumphat, si non satis ego sim, qui de huiusmodi opere iudicium feram, ne mihi amor imposturam faciat.*

Quam ob rem nullus, qui merita, ac debita opus hoc perlegerit attentione affinitatis vitio, sed ingenuitatis virtuti, ingentique veritatis ponderi vertendum putabit, si ditiorem huiusque ex Americis oris thesaurum in Europam delatum prædicaverim, & quidem ex fæcundiori, ac profundiori ingenij, ac aurea viuacitatis vena, vt non ignobiliores alij eiusdem fætus per vulgarunt, aliosque nobilissimos pevulgandos anxie expectamus. Et licet Philosophicr materies ex frequentissima tractatione frequentior facta sit, quo frequentior tamen, eo rarius authoris irradiat ingenium, vbi & Magistri novam copiosissimam magisterio segetem, & Discipuli novum facillimum inveniunt emolumentum, & vtrisque doctrinæ locupletissimum extat ærarium. Miro equidem acuminis artificio intertextas demiramur cum claritate profunditatē, cum varietate methodum, cum novitate soliditatē, cum brevitate copiā, cum ingeniositate denique omnimodā Sapientiæ firmitatē dilucidè copulatas. Quæ omnia ita se se clarissimè objiciunt, vt otiosam cum Symacho vlteriorem iudicem commendationem: *Supervananei laboris est commendare conspicuos, vt si in sole positis facem præferas.* lib. 3. cap. 48. Ideoque nihil in hoc opere post sedulam exquisitionem deprehendi acutè non pertractatum, scitè non discussum, scholis non vtile, bonis moribus non affine, nostræ ortodoxæ fidei non conforme, ac tandem publica luce non dignum. Ita ex animo sentio. Hispali die 28. Aprilis anni 1701.

Didacus de Florindas.

LICEN-

LICENCIA DEL JUEZ.

EL Licenciado Don Antonio Fernando Maria de Milan, del Consejo de su Mageſtad, ſu Alcalde del Crimen en la Real Audiencia de eſta Ciudad, Iuez Superintendente de las Imprentas, y librerias de eſta Ciudad, y ſu partido: Por lo que toca à mi comiſsion, doy licencia à Iuan Franciſco de Blas, Impreſſor mayor de eſta Ciudad, para que pueda imprimir la materia de vn Curſo de Filoſofia en quarto, ſin Principios, ni tablas, ſu Autor el R. P. Ioſeph de Aguilar de la Compañia de IESVS, Cathedratico de la Vniverſidad de la Ciudad de la Plata, en los Reynos de las Indias. Atento à no contener coſa alguna, que ſe oponga à las verdades de nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres, ſobre que por comiſsion mia diò ſu Cenſura el R. P. M. Diego de Florindas de la miſma Compañia en ſu Colegio de S. Hermenegildo de eſta Ciudad; y con calidad de que para la concluſion de dicha impreſsion, ſe ha de traer licencia en forma del Real Conſejo de Caſtilla, como eſtà prevenido por mi auto de eſte dia: Dada en Sevilla en ſiete de Noviembre de mil y ſetecientos, y vn años.

Lic. D. Antonio Fernando Maria de Milan.

Por ſu mandado.

Iuan Franciſco Carrera,
Eſcrivano.

Cen-

CENSVRA A R. P. Fr. IOANNIS DE CASTRO

Lectoris Iubilati Ordinimis B. P. Franciſci. Provinciæ Bethicæ de Obſervantia Ex-Cuſtodis, & Patris perpetui totius Ordinis Ex-Secretarij Generalis, Archiepiſcopatus Hiſpalenſis Examinatoris Synonalis, & Collegij Seraphici Doctoris D. Bonaventuræ Studiorum Regentis.

CVrſum integrum philoſophicum in triplicem partem diviſum à R. A. P. Joſepho de Aguilar Florentiſsimæ Societatis Ieſu Theologo, & in Platenſi Academia Primario profeſſore concinnatum diligenti Examine vidi, nihil que in eo, non Orthodoxæ fidei conſonum, aut Chriſtianis moribus difforme, inveni; quin potius Aucthor ſtudioſus veritatis ſcrutator iuxta cognominis etymon Aquilina ſuffultus vi, & acie rationalis philoſophiæ abdita pennis penetrare conatur, & glorioſo labore conſequitur. Opus vtique, tum ingenio, tum claritate commendabile, non ſolum tyronibus aptum, verum etiam doctioribvs proficuum, vbi ſelectam Aucthoris ſententiam validiſsimis fulcitam rationibus, debellatis adverſariorum telis ſubtili argumentatione, comperient, quod prælo dignum vtilitati publicæ conſulens, cenſeo. In hoc Seraphici Doct. D. Bonaventuræ Hiſpalenſi Collegio die 1. Novembris 1701

Fr. Ioannes de Caſtro.

II.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

Nos Don Ioseph Bayas, Provisor, y Vicario General desta Ciudad de Sevilla, y su Arçobispado, por el Ilustrissimo, y Reverendissimo señor D. Iayme de Palafox y Cardona, por la Gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Arçobispo desta dicha Ciudad, y su Arçobispado, del Consejo de su Magestad, &c. mi señor: Por el tenor de la presente, y por lo que toca à la Iurisdicion Ordinaria, que exercemos, damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima vn Curso de Filosofia en tres tomos de à quartilla, compuesto por el M. R. P. M. Ioseph de Aguilar, de la Compañia de IESVS, Autor de la obra. Atento à no contener cosa alguna, que se oponga à las verdades de nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres, sobre que ha dado su Censura, y parecer el M. R. P. Lector Iubilado Fr. Iuan de Castro, del Orden Serafica de N. P. S. Francisco, Regente de los Estudios en su Colegio de S. Buenaventura, y Examinador Synodal de este Arçobispado, à quien cometimos la vista, y examen deste Curso de Filosofia; y con tal, que esta nuestra licencia, y dicha Censura, y parecer se imprima al principio de cada libro: Dada en Sevilla à veinte y seis de Noviembre de mil y setecientos y vn años.

Bayas.

Por mandado del señor Provisor.

Iuan Francisco de Alvarado.
Notar. may.

RA-

RATIO OPERIS.

CVM per triennium Limæ in Maximo D. Pauli Collegio, Peruanæ Prouinciæ capite, & coronide floridissimæ inuẽtuti, vt de more est, Cursum Philosophicum, non tam blandientium vocum, quam discipulorum vtilitatis cupidus dictitaverim; quo sidere nescio; qua felicitate miror! Ita codices nostri excipiuntur, vt emanibus discipulorum erepti, in tyronum manibus cœperint diuagari; abeisque, vel summo labore transcribi, vel maximo pretio emi, præcipue á nostris, Regalis D. Martini alumnis; vbi hercle, Peruuica secularis scientia viget, Mineruæ delubrum extat, fulcrumque occiduæ Sapientiæ surgit. Nõ laudi verto, sed vel claritati, quã curo, methodo, quã affecto, breuitati, qua teneor, vel deniq; felicitati rupe guttatim quã exosculor. Sæpe enim plus arridet exilis riuulus è deserta rupe guttatim scaturiens, quam magna extra ripas erumpentia flumina, prægrandibus retibus, quam hamulis puerorum aptiora. Ibi pisciculi innatant, & illabuntur, hic ipsis aquarum vortivus protrahuntur involuti.

Vt ergo huic Soholasticorum voto annuam, pagellas nostras typis committendas trado, nil addens, adimens ve ex eis, quæ è Cathedra Discipulorum calami exceperunt, vbi scholaris anni circulo circumscriptus, crebra disputatione præcaptus, assiduæ explicationi præfixus, per alienos cãpos diuagari non sinor, eos tamen, vbi necessum est, veles percurro, aliquando vero nec alimine salutans, vsque ad penetralia me confero. Non invehor frequenter in contrarias opiniones gladio palam impugnationum stricto; ne armorum strepitu noui milites perterrefacti, armis insueti terga uertant; sed intra quæstionum texturam, intra Palladionis vterum, diuina Palladis arte, arma immitto, quibus suo tempore inimicam Troiam euertant. Exteros Doctores perlegi, Nostros euolui, Nostrates manuscribentes introspexi, *Cedrique Libani medullam fere*, ab omnibus haustam, á me digestam: *Nonus annus ad scribendum relaxatur, authoribus* (Cassiodorus loquitur) *mihi nec horarum momenta præstantur.* Iam ad pulpita, iam ad Cathedras aliaque per octingentas leucas itinerum distractus: *Verum hoc magis tibi ad suffragium laudis proficere, si inter tanta, & talia valueris legenda proferre.* Sibi objicit per ilustris Senator. Non valeo, sed cogor. *Cassiod. in Prol. var.*

Fusiori calamo rem agere meditabar Scholarum exercitio valere iusso, iterum ad limam vocatis opinionibus, iterum ad trutinam sententijs dum baltheo militari se posito, altiori indagini otium faceret assidua dissertatio. Sed: *Patitur hoc improuida mortalium conditio* (disertissimus Cassiodorus loquitur) *vt cum lædere putatur consulat, & cum consulere videtur affligat; sed illud magis est eligendum, quod prodesse cognoscitur, nam venena ipsa, si iu-* *Cassiod. L. 7 var. 47.*

¶¶¶ *vare*

vere probantur; accepta sunt, è contra refugienda est suavitas mellis, quæ inferre dignoscitur lesiones. Finis ergo Sapientis est amare, quod expedit, sic igitur nec votum
Id. L. 7. *respicit, qui prodesse contendit.* Pro me hæc verba accipite; *Ne ergo cum opinioni*
var. 41. *præstare volumus, vtilitatem publicam lædere videamur*, alibi ipse: Adactus
sum à præcõcepto mẽtem amoliri, spes omnes maioris emolumẽti collocãs
in materijs Theologicis, quas in quatuor tomis digestas, vita comite, pro-
mitto.

Communis vtilitatis Candidatus, trita & vulgari via incedo; senti-
1. Petr. 2. cosas novitates pertæsus, *rationabile lac concupiscere* fideles hortatur Petrus.
v. 2. Nonne altior vel Semiramidis horto satus, vel Hesperidum [illegible] avul-
sus cibus Apostolo suppetit propinandus? lac, facilis, communis vulgaris
cibus, qui etiam & potus, Quare hæc, & non alio inuitat cibo? ideo, quia
facilis, & vulgaris. Non Magistris aut Sapientibus cibos condit Aposto-
lus, sed parvulis, & insipientibus; Notate. *Quasi modo geniti Infantes ratio-
nabile sine dolo lac concupiscite*; Hisque cibus, quo communior, vtilior, quo fa-
cilior, aptior, his etiam validus, quia cibus, facilis, quia potus: Ideo *lac*; sed
sine *dolo*, non fucatos cibos, pomave exterius fucorum lineamentis deco-
ra, interius cinerea vanitate fæda, propino; sed veritate compactos, omni-
que fraude alienos. Difficultates, tricasque, quibus haustus solet præpediri,
delinire satago, vt citra sudorem, & anhelantis ingenij molestias in substan
Marc. 10. tiam abeant; vos ergo Sapientes abite ad fontes; & *Sinite Parvulos venire ad*
v. 14. *me* quibus frusta diuidam, pocula instillabo.

Totum opus faciliori studentium vsui in tria volumina dissecabo; in
quorum primo, Summulas, Logicam, & prædicamenta exponam, in secun-
do Philosophiam, Cælos, & Metheora aperiam. In tertio libros de genera-
tione, & corruptione, animam, & Methaphysicam explanabo. Materias in
tractatus, tractatus in sectiones, hasque aliquando in subsectiones diui-
dam. In omnibus denique huius Provinciæ methodum sequar. O vtinam
Cassiod. in & consequar: *Nunc ignoscite legentes, & si qua est incauta præsumptio, suadenti-*
Prol. var. *bus potius imputate, quia mea iudicia cum illo videntur facere, qui me decreverit,*
accusare. Cum laudato Casiodoro loquor. Valete.

ER-

ERRATAS.

Pag.	Col.	lin.	errata.	Correcta
2.	2.	8.	acexvus.	acervus.
4.	1.	44.	suppofium.	suppositum.
5.	2.	10.	replicabilis.	replicabis.
6.	1.	2.	obiectiuns.	obiectivos.
6.	1.	45.	impossizile.	impossibile.
7.	1.	13.	ipem.	idem.
10.	1.	40.	definitione.	definitioni
12.	1.	2.	probabilem.	probabilem sententiam.
17.	1.	4.	ignoquiatius.	ignotius.
17.	2.	12.	constituun.	constituitur.
18.	2.	27.	srgo.	ergo.
20.	1.	1.	talas.	talis.
20.	1.	36.	arbol.	arbor.
23.	1.	5.	*est verbum.*	*est est verbum*
23.	2.	8.	collatione.	collocatione
25.	2.	35.	ex quod.	eo quod.
29.	2.	14.	infertn.	infertur.
30.	1.	25.	ni.	in.
33.	1.	25.	tepræsentari.	repræsentari.
33.	2.	24.	ab intellecto.	intellectu.
33.	2.	31.	to.	tot.
34.	1.	10.	assensus.	ascensus.
37.	2.	1.	paæcato.	prædicato.
38.	2.	vlt.	prædicat.	prædicatũ.
40.	1.	1.	caufen.	causam.
4.	1.	2.	Potrut enrrit.	Petrus currit.
41.	2.	10.	vtraque.	vtique.
42.	1.	2.	e econtra.	& è contra,
43.	2.	14.	Hurto.	Hurtado.
44.	1.	29.	Naza.	Maza.
45.	1.	7.	respicet.	respuit.
46.	1.	6.	homo.	homo currit: hic.
46.	2.	14.	omni.	omnis.
49.	1.	44.	non.	nam.
49.	2.	2.	Retrus.	Petrus.
49.	2.	3.	*partes.*	*paries.*
49.	2.	24.	&.	sed.
49.	2.	28.	*quis.*	*aliquis.*
50.	2.	8.	supponnn.	supponunt.
52.	2.	5.	contradictorias.	contradictoriæ.
53.	2.	26.	litiganter.	litigantes.
54.	1.	15.	comosito.	composito.
54.	1.	27.	*incorruptibilis.*	*corruptibilis.*
54.	1.	29.	*inorruptilis,*	*corruptibilis.*
55.	1.	20.	*Petrus.*	*Petrus est.*
57.	1.	41.	*non currit.*	*non non currit.*
58.	1.	28.	conversæ.	conversa.
59.	2.	22.	Petranmcurrere.	Petrũ currere.
59.	2.	41.	su	sic.
60.	1.	43.	omnem.	omnem hominem.
61.	1.	1.	caligne.	caligine.
61.	1.	29.	negativè.	negativæ.
61.	2.	2.	intendunt.	non intendunt.
61.	2.	36.	si.	sit.
62.	2.	6.	*Palus.*	*Paulus.*
64.	1.	18.	est.	es.
64.	2.	40.	hinist	his.
54.	2.	44.	sũi.	sunt.
56.	2.	45.	regala.	regulas.
57.	1.	33.	aliquam.	ad aliquam.
74.	2.	20.	ego.	ergo.
78.	2.	5.	directus.	directos.
79.	2.	45.	definio.	definitio.
79.	2.	vlt.	gica.	Logica.
82.	1.	3.	Oæc.	Hæc.
82.	2.	21.	sem.	seu.
84.	2.	27.	epinionem.	opinionẽ.
89.	1.	5.	principi.	principia.
89.	2.	30.	definitio.	divisio.
90.	2.	3.	omnia.	omnem.
90.	2.	22.	sa.	se.
92.	2.	34.	Ioannes,	Ioannem.
95.	1.	15.	logue.	Logicà.

97

ERRATAS.

Pag.	Col.	lin.	errata.	Correcta.
97.	2.	38.	ſpeculato.	ſpeculatio.
110.	1.	23.	*tribut.*	*tribus.*
110.	2.	42.	dirigüuntur.	diſtinguntur.
111.	6.	34.	minor.	miror
111.	2.	44.	eximanere.	examinare.
117.	1.	6.	nullam.	vllam.
118.	2.	16.	quivoco.	æquivoco.
118.	1.	21.	ſumant.	ſumatur.
119.	2.	6.	tegulis.	regulis.
120,	1.	12.	rationalibus.	irrationalibus.
120.	1.	14.	vtintur.	vtitur.
121.	1.	40.	mixto.	mixtum-
121.	2.	40.	conquens.	conſequens.
123.	2.	30.	relantem.	revelantem,
126.	2.	11.	ſecututi.	ſecuturi.
129.	1.	11.	ignarus.	gnarus.
129.	2,	16.	*rationalt.*	*rationale.*
131.	1.	1.	particularius.	particularis.
131.	1.	33.	*frio.*	*ferio.*
134.	1.	13.	locos.	logicos.
137.	1.	40.	non.	nos.
145.	1.	35,	termitet.	terminet.
146.	2.	21.	conſtitui,	conſtitutivi.
155.	1.	39.	faliſsimum.	falſiſsimum.
157.	1.	7.	artafaciter.	artefactum.
164.	1,	9.	ideque,	ideoque.
165.	2.	28.	exultat.	exulat,
178.	1.	46.	omnia.	omnino.
184.	2.	46.	auræ.	aureæ.
185.	1.	15.	reliqui.	reliquæ.
192.	2.	13.	quæ.	que.
194.	1.	15.	ſimile.	ſi mille.
197.	2.	15.	ſecanda.	ſecunda.
199.	1.	37.	tenendi.	tendendi.
200.	1.	13.	donominnatis.	denominantis.
202.	2.	20.	flereticus.	hæreticus.
207.	1.	32.	ſed.	vel.
207.	2.	32.	per.	per, vel.

Pag.	Col.	lin.	errata.	Correcta.
223.	2.	5.	aſtingentur.	attingentem.
225.	2.	27.	efficiens.	efficit ens.
226.	1.	35.	vt.	&.
231.	2.	16.	viſibilis.	riſibilis.
233.	1.	26.	inutrunt ſuris.	in vrunt cenſuris. censurijs.
249.	2.	27.	oppoſitio.	oppoſito.
253.	1.	25.	opoco.	opaco.
264.	1.	27.	ſimil.	ſimul.
265,	1.	22.	cognitionæ.	cognitione
277.	2.	35.	propriens.	propriò ens.
278.	2.	9.	entis.	ſentit.
281.	1.	26.	eo modo ſunt.	Eo modo, quo ſunt.
282,	1.	30.	pariè.	parte.
284.	1.	35.	Domine.	Dominicanus
288.	1.	8.	ſubſectio.	ſubſectione.
289.	2.	35.	implicit.	implicitè.
292.	1.	29.	non ex.	non eſt.
295.	2.	24.	ſupernaturaliter.	ſuper naturalitatem.
296.	2.	19.	ſcilicet.	ſilicet.
296.	2.	39.	illes actionas.	illas actiones.
302.	1.	5.	repræſetatem.	repræſentatum.
307.	2.	12.	Xauregur.	Xauregui.
307.	2.	30.	intellectu cognoſcere.	intellectus cognoſcit.
315.	1.	18.	obij.	obij. ſi.
316.	1.	20.	matem.	autem.
330.	2.	9.	exptælsiſſe.	expreſsiſſe.
330.	2.	13.	ec.	nec.
348.	1.	18.	divinis.	in divinis.
348.	1.	2.	eſt.	&.
361.	1.	29.	definire.	definiri.
362.	1.	28.	podem.	eodem.
362.	2.	22.	aliqum ita dicendum.	aliquem ita dicentem
366.	1.	36.	ve.	vt.
368.	1.	40.	concedo.	conceſſo.
371.	2.	8.	eſt.	&.

ERRATAS.

Pag.	Col.	lin.	errato.	Correcta.
371.	2.	vlt.	eſt.	&.
374.	2.	5.	ſpecis.	ſpecies.
374.	2.	26.	ſuq.	ſub.
389.	1.	12.	ſecuridum.	ſecundum.
369.	1.	36.	riſionis.	viſionis.
402.	2.	5.	non.	nos.
406.	1.	35.	præſindia.	præſcindi.
409.	1.	36.	identitas.	identitatis.
418.	2.	33.	ſubſtantir.	ſubſtantia.
423.	2.	6.	graduata.	prædicata.
525.	1.	33.	aieſtatem.	aſeitatem.
430.	1,	19.	aon.	à non.
437.	2.	37.	præſdentis.	præcindentis
445.	1.	39.	genes.	genus.
448.	1.	13.	ſachro.	ſacharo.
449.	2.	15.	generie.	generis.
450.	2.	18.	dico.	dicto.
453.	2.	17.	concluſio.	conditio.
459.	2.	34.	opulendum.	oculendum.
459.	2.	4.	metaphyſice.	metaphoricè.
465.	2.	31.	aniam.	anima.

Pag.	Col.	lin.	errata.	Correcta.
474.	2.	27.	da.	ad.
487.	2.	2.	non.	nam.
491.	2.	20.	hæc, & ſimilis.	hæc & ſimiles.
494.	1.	5.	diſtinctis.	diſtinctus.
495.	1.	14.	inctione.	in actione.
495	2.	25.	georationis.	generationis.
496.	1.	21.	ei.	&.
496.	1.	24.	Scarõ.	Icaro.
499.	1.	43.	Etiam.	Eximium.
510.	2.	5.	inſerto.	infertur.
516.	1.	24.	quid.	quod.
518.	2.	39.	eit.	eſt.
520.	2.	14.	quia.	qua.
524.	2.	23.	requiris.	requiſitis.
534.	1.	12.	cretis.	certis.
542.	2.	43.	mutuari.	mutari.
558.	2.	10.	aſſentien.	aſſentiendi.
561.	1.	21.	reliqua.	relicta.
563.	1.	29.	diciendam.	eliciendã
565.	1.	42.	&c.	ex.
565.	1.	43.	Barlara.	Barbara.
566.	1.	24.	onione.	opinione.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

SVdabat iam aurea hæc Dialetica sub prælis, cum sciuimus Hispali, exijsse iam e viuis Illustrissimum Præsulem, cui suus eam Author dedicauit; aberat ille, vbi ob interiectum latissime pelagus, non breui mensium spatio consuli poterat, de alio substituendo, si vellet, loco demortui Mecœnate, cum alius de Typographo illius mentis ignaro, non esset liberum, Patronum alium in commissi operis tutelam adscire; quare operæ pretium duxi, eandem, quæ primò missa fuerat laudatoriam Epistolam operis fronti præfigere, tum, ne tanti Principis cineres tam pulchro elogio fraudarem, tum, quia apud me statuitan Religiosi Panegyristæ eum fuisse animum, qui vellet non tantum viuenti palpum obtrudere, sed etiam æstimatissimi sibi Scriptoris memoriæ, si illius sciret obitum, parentare. Et sane, si in sacrandis primario alicui Heroi libris id maximè quæritur, vt sua illos vmbra à quouis inuidi Theonis ausu defendat, quis ad tutamen aptior, quam ille, quem vitæ illius innocentiæ nixi piè credimus iam cælites inter triumphali Beatitatis adorea laureatum?

Hoc temontium volui, Lector amice, ne, si ad annum aduertas, quo opus hoc exit in lucem, & ad eum pariter, quo viuere desijt Angelopolitanu Antistes, putes Authorem cum Manibus voluisse commerciu: quamquam si vera Virgilius cecinisset, nempe Heroas ad Elysium ob egrigia facinora translatos ijs præsertim ibi esse rebus intentos, quarum maxime amore, dum apud mortales agerent, tenebantur: *Quæ gratia currùm, Armorum que fuit viuis. quæ cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos,* censerent omnes, nullum potuisse Authorem Illustrissimo Sancta-Crucio iam vita functo gratius, & opportunius misisse donum, quam librum, quem certè, vel inter melioris Elysij, *locos lætos, & amæna vireta Fortunatorum nemorum, sedes ques beatas,* non posset iucundè non euoluere, quippe qui totum studiosæ vitæ decursum non alij muneri procliuius impendit, quam vel legendis, vel concinnandis ad communem vtilitatem libris, quos Logicæ Author tam copiose dilaudat, & per Sapientum Theatra celebri sophorum plausu circumferuntur, valeas ergo, namque hæc monuisse sat esto.

Æneid. lib. 6.

PROOEMIUM.

NON semel in mente habui, nunc, vel omnino omittere Summulas, vel eas paucis perstringere, ne ad Logicę portas spectra, quę vos terreant, objicerem, seu gladium versatilem, & flammeum, qui ab huius paradisi rationalis ingressu vos abigeret, sed ne è primò calami ductu â communi Doctorum vsu exorbitem, qui in eorum vestigijs insistendum totus incumbo, eas vobis ministrare decrevi; sed Summulas eas offeram, hoc est, brevitate gaudentes, vt ipsum pręsefert Summularum nomen, & vt ab ipso Summularum proæmio Summulas, seu brevitatem ostendam, proæmij satis. Pro prævia tamen notitia, & divisione summularum, scias, quod.

Cum intellectus sit quędam vis, potentia, seu facultas quá apprehendimus, iudicamus, & discurrimus, in illo datur triplex operatio. Prima est simplex apprehensio, & est cognitio rei sine affirmatione, vel negatione, quæ si sit vnius solum modo termini, dicitur in complexa, verbi gratia *Petrus* si sit duplicis termini, dicitur complexa, verbi gratia *Petrus albus*. Secuda est iudicium, & est cognitio rei cum affirmatione, v. g. *Petrus est homo*. Tertia est discursus, & est cognitio, vnum ex alio inferens, quæ sæpe particulá illativá *ergo* vel, *igitur* consignatur, v.g. *Petrus est homo*; ergo *est animal*. Iuxta has tres operationes intellectus, in tres tractatus Summulas dividam.

TRACTATVS PRIMVS DE PRIMA MENTIS OPERATIONE NEMPE TERMINO.

SECTIO I.

QVID SIT SVBIECTVM, PRÆDICATVM, ET VNIO?

1 IN iudicio, quod *propositio* ex hinc appellabitur, datur triplex pars, seu formalitas, subiectũ, prædicatum, & vnio: sicut enim in homine datur materia, forma, & vnio, ratione cuius forma communicatur materię, & resultat vnum compositum physicum, ita in propositione datur subiectum, quod se habet vt materia, & est id, de quo aliquid dicitur, prædicatum, quod se habet, vt forma, & est id, quod dicitur de alio, & vnio id ratione, cuius annectitur subiecto, ex quibus resultat

resultat totum logicale;v.g. *Petrus est homo.* Vbi ly *Petrus* est subiectum, quia de illo dicitur esse hominem, ly *homo* est prædicatum quia dicitur de *Petro*, & ly *est* est vnio qui est id, ratione cuius homo annectitur Petro, & licèt aliquæ propositiones sine tali verbo *est* proferantur; v.g. *Petrus scribit: Ioannes legit in eis* latitat; idem namque est dicere, *Petrus currit*, ac *Petrus est currens*;& sic de alijs.

SECTIO II.

AN IN PROPOSITIONE NEGAtivá detur vnio formalis logicalis?

2. PRima, & communior sententia negat, in propositione negativa dari vnionem formalem logicalem; hanc sententiã videtur innuere P. Hurt. disp.2. sect. 2. quem omnes ferè manu scribentes sequuntur.

3 Secunda sentẽtia affirmat, ita ex proelo datis P.Compt.disp. 2. Summularum sect.2 n.4.& ingeniosissimi Moderni ex nostris secuti Sapientiss. P. Nicol. de Olea d.5.sum.n.2.

4. Nota, hanc quæstionem esse magna ex parte de nomine, omnes enim affirmant, seu conveniunt in tali propositione negativa; v.g. *Petrus non est homo* dari prędicatum & subiectum, sicut in affirmativa etiam,& in obiecto talis propositionis, non dari vnionem, sed potius vnionis carentiam. Insuper ly *non est* repræsentare ipsam carentiam vnionis obiecti; v.g. Dico, repręsentare. Nam licet iudicem cum Arri.& ipso P. Olea d.6. ly *Est*, vel *non est* propositionis nil repręsentare, sed solũ denotare modũ tendendi propositionum, nihil hominus hic pro dificultate questionis præsentis, admittẽdum est; repræsentare.

5. Dico. In propositione formali negativa datur vnio formalis logicalis. Probatur primò conclusio. Propositio negativa est vna propositio; ergo habet aliquam vnionem. Probatur antecedens. In propositione negativa datur artificiũ logicale, ratione cuius terminus *Petrus*, & terminus *lapis* nõ se habent disparate, sed cum aliqua conexione, & subordinatione inter se; ergo est vna propositio, nõ vna per agregationem, sicut ac exvus lapidum, v.g. ergo per aliquam vnionem.

6. Cõfirmatur. Vnio formalis Logicę nõ est in genere physico informationis, aut cõtinuationis partium, sed in genere intentionali logico, præstando scilicet ne termini disparate se habeant, sed cõstituant vnam propositionem, vt videre est in propositione affirmativa; sed totum hoc præstat illa enuntiatio negativa, seu ly *non est*: ergo illa enuntiatio negativa, seu ly *non est*, est vnio formalis logicalis. Probatur minor Deum intellectus cõcipit *Petrum* & *lapidem* cõcomitanter, termini Petrus, & lapis disparate se habent; ast si cõcipiat, *non est*, iam non se habent dispparate; sed cõstituunt vnam propositionem; ergo.

7. Probatur secundò everrendo fundamentum cõtrarię opinionis. Vnio formalis logicalis nõ sumitur ab obiecto; ergo licèt in obiecto propositionis negativę nõ detur vnio, non inde infertur in propositione negativa nõ dari vnionem logicalem. Probatur antecedens primò vniversaliter: plura relucent in propositione formaliter, quæ in eius obiecto nõ relucent obiectivè; sic prohibitio divina, quæ in se exercite est bona reddit obiectum prohibitum malum. Cõceptus differentię significat diversitatem, & exercet murus cõvenientiæ. Actus in se formaliter vitalis representat mortem: ergo similiter in propositione negativa, ly *non est*, erit vnio exercitè, seu exercebit munus vnionis in propositione, licet in obiecto signet, & repręsentet divisionem, aut carentiam vnionis.

8 Cõfirmatur, sicut vnio in sua rigorosa significatione sonat identitatem, & vnionem, ita prædicatum sonat id, quod dicitur de subiecto, & subiectum id, de quo dicitur prædicatum, sed licet in propositione negativa, v.g. *Petrus non est lapis*, prædicatum *lapis* non dicatur de subiecto, *Petrus*, sed potius removeatur, nihilominus tamen *Petrus* est subiectum, & *lapis* est prædicatum, quia sufficit quod *lapis* negativè enuntietur de Petro, ita sufficiet, quod ly *non est* enunciet, & refferat negative, vt sit vnio formalis logicalis, licet sonet vnionis carentiam.

9. Objic. primò. Unio logicalis vnit prædicatum cum subiecto, vt ex ipsa vocis significatione constat; sed in propositione negativa: *Petrus non est lapis*: ly *non est*, non vnit, sed potius removet lapidem á Petro; ergo non est vnio.

10. Resp. Distinguo maiorem. Vnio vnit prædicatum obiectum cum subiecto obiectivo, necessario nego: prædicatum formalem cum subiecto formali, concedo. Similiter distinguo minorem, *non est* non vnit lapidem cum Petro obiectivè affirmativè; concedo, formaliter, negativè, nego. Certum est in propositione negativá ly *non est* removere, seu dividere, prędicatum obiectivum á subiecto obiectivo; at vero ipsamet remotio signata est vnio formalis exercita comparatione actus, quatenus ratione illius prædicatum, & subiectum non se habent disparatè, sed potius connectuntur, vt vnam propositionem negativam constituant.

11. Objic. secundò. Propositio negativa non est vnum compositum logicale, sed potius est vnũ diuisũ, & ly *nõ est* non est compositio, sed potius diuisio; ergo nec est vnio: probatur antecedens ex Angelico Præceptore libro primo Perihyermeniarum lectione primá; vbi proæmium afferens Phylosophum, hæc habet: *Sicut dicit* Phylosophus *in tertio de anima: duplex est operatio intellectus, vna quidem, quæ dicitur indivisibilium intelligentia, alia est operatio intellectus componentis, vel dividentis*; vbi per operationem *intellectus componentis*, intelligitur propositio affirmativa, & per operationem *intellectus dividentis* propositio negativa; ergo propositio negativa est divisum, & ly *non est* est divisiò, & non vnio.

12. Resp. Ly *non est* in propositione negativa simul esse, & compositionem, & diuisionem; esse compositionem exercitè, & respectu terminorum formalium, quos negatiuè, vnit reffert, & annectit; esse tamen diuisionem signatè respectu obiectivorum, quos quasi active diuidit removens prædicatum obiectivum à subiecto obiectiuo. Ratio est, quia ly *non est* solum est diuisio respectu terminorum, quos negat, sed non negat terminos formales, sed obiectivos; ergo non est diuisio respectu terminorum formalium, sed obiectivorum tantum. Hoc patet in hac praposition[e] vocali: *Petrus non est lapis*. Vbi vox *Petrus*, & vox *lapis* sunt termini vocales, ipsius, sed vna vox nõ negatur de alia, sicut nec in affirmativa propositione vna vox affirmatur de alia, sed tantum negatur lapis obiectivus de Petro obiectivo; ergo cum ly *non est* non neget terminos formales, sed solum obiectivos nõ erit diuisio formalis, sed diuisio obiectorum, neque propositio negatiua dicetur vnum diuisum logicale, sed vnum diuidens.

13. Vnde Angelicus Præceptor propositionem negatiuam non dicit, esse diuisionem, aut diuisum exercitè, & formaliter, sed diuidentem signate; & active, sicut actus, quo aliquis dicere: *Hominis alia pars est materia, & alia forma* esset diuisio actiue, & signate respectu obiecti, & exercite esset vna propositio.

14. Objic tertiò. Negatio est malignantis naturæ, & quidquid post se invenit destruit, sed ly *non est* negatio, & post se invenit vnionem; ergo illam destruit.

15. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem quó ad secundam par-

partem:post se invenit vnionem affirmativam;concedo;negatiuam;nego. Unde affirmativam vnionem destruit, quia supra illam cadit,non verò negativam,supra quam non cadit ; cum eam constituat.

16. Objic.quarto. Ens negativum non est simpliciter ens;ergo vnio negatiua,non est simpliciter vnio.Confirmatur. Ens negativum non convenit cum positiuo in ratione entis;ergo neque pro positio negatiua erit simpliciter propositio,quod est contra ipsos adversarios.

17. Resp.directè. Distinguo antecedens ens negativum oppositum positivo,concedo;ens negativum oppositum affirmativo.nego. Sic tenebræ, cæcitas, &c.opposite entibus positivis,nempè luci,& visui,entia simpliciter non sunt; At verò vnio negatiua opposita vnioni affirmatiuæ est proprie nexus, & enuntiatio,sicut affirmatiua ac proinde cum ea convenit in ratione nexus. Ad confirmationem eodem modo respondetur ; ens negativum oppositum positiuo non cōvenire cum ente positivo,ens vero negativum oppositivum affirmatiuo quale est propositio negatiua , convenire cum ente positiuo,cum sit ens positivum.

18. Retorquetur argumentum.Ens negativum non est simpliciter ens, item ens negativum non convenit cum positivo in ratione entis; ergo neque propositio affirmatiua erit simpliciter propositio , nec conveniet cum propositione negatiua in ratione propositionis, quod est contra ipsos Adversarios.

19. Objic.quinto.Unio logica dicitur ad similitudinem vnionis physicę, sed negatio vnionis physicę non est vnio physica,ergo neque negatio vnionis logicæ erit vnio logica.

20. Resp.Concedo maiorem,& minorem;sed nego supposium consequentis,quod ly *non est* in propositione negatiua sit negatio vnionis logicæ , cum sit ipsamet vnio logica. Ly *non est*, tantum est negatio vnionis obiectiuæ , & sic non est vnio obiectiua. Hinc Advertas per hanc vocem *vnio negativa* non significari non esse vnionis formalis , seu negationem vnionis formalis,sed tantum significari vnionem formalem exercitam, seu exercite nectentem prædicatum formale cum subiecto formali in ordine ad vnam propositionem constituendam repræsentantem carentiam vnionis obiectivæ,seu divisionem obiectiuam.

21. Objic.sexto.Cognitio,qua plura,vt plura cognoscimus , non dat vnitatem obiecto,sed solum ea confusa cognitio,qua plura per modum vnius cognoscimus;ergo neque cognitio diuidens prædicatum à subiecto , ea que,vt plura cognoscens coniunget prædicatum cum subiecto.

22. Resp.Transeat antecedens , & nego suppositum consequentis ; scilicèt propositionem negativam dividere subiectum , & prædicatum formale, de quibus solum quæstio est ; ex argumento enim tantum infertur, vnionem negativam non conferre vnitatem prædicato, & subiecto obiectiuis, sed potius ea dividere quod non renuo.

23. Objic.septimò. Subiectum , & prædicatum formale desumuntur á repræsentatione subiecti , & prędicati obiectiui , hisque deficientibus deficiunt etiam subiectum, & prędicatum formalia;ergo similiter vnio formalis desumitur á repræsentatione vnionis obiectivę,eaque deficiente deficiet vnio formalis.

24. Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiam;vnio enim non denominatur vnio formalis ab aliquo obiectiuo,sicut nec denominatur prædicatio,sed re ipsa formaliter est vnio,nexus, & prædicatio;quia enuntiat prędicatum de subiecto , & ea nectit ad constituendam vnam propositionem.,Ratio disparitatis inter vnionem formalem , & subiectum, & prædicatum formale , quare scili-

scilicet subiectum , & prædicatum formale desumātur á repræsentatione vnionis obiectivę,est,quia prędicatū , & subiectum formale iuxta communem definitionem non habent aliud munus , quā reprę sentationem subiecti, & prædicati obiectiui;subiectum , namque formale definitur id quod reprę sentat obiectum, de quo aliquid dicitur, prędicatum formale id quod repræsntat obiectū, quod de alio dicitur; vnde nil mirum , quod prædicatum , & subiectum formale sumantur â repræsentatione subiecti , & prędicati obiectivi;& quod his deficientibus illa vtique deficiatit. Ast verò vnio formalis logicalis , cum sit nexus extremorum,seu enuntiatio vnius de alio , & id,ratione cuius fit vna propositio per similitudinem cum vnione physica, quę est id,ratione cuius fit vnum compositū, quod totum salvatur independentēr ab obiecto; inde est , quod ipsa ab vnione obiectiva non sumatur, & quod hac deficiente illa non deficiat.

25. Hinc colliges ly *non est* in propositione negativa(idem dic de ly *est* in propositione afirmativa) habere duplex munus,& vnionis , & repræsentationis. Deficiente vnione obiectiuá , deficit illi primum munus representandi vnionē, ast retinet secundum munus vnionis,seu nexus formalis. Primúm munus ab obiecto dependet , ideoque ex variatione obiecti,ipsum quoque variatur. Secundum munus ab obiecto non dependet, vnde ex variatione ipsius ipsum variari nequit.Hinc si per possibile , vel impossibile deficeret obiectum , & remaneret propositio,ly *non est* non esset repræsentatio,esset tamen nexus.

26. Quod in subiecto, & prædicato cōfirmari potest,nam subictum , & prędicatum duplex etiam munus habet , & munus termini logici , & munus prędicati,& subiecti formalis.Primū ab obiecto dependet.Sic ablato subiecto obiectivo (idem dic de prædicato) auferretur subiectum formale. Secundum,se tenet ex parte actus, & ab obiecto nō dependet.Undè hoc ablato si maneret propositio,maneret subiectum in ratione termini,extremi aut partis propositionis, non tamen in ratione subiecti formalis.Similiter in vnione formali discurrendum est,comparanda que , non cum subiecto formali,sed cum termino formali.

27. Replicabilis. Ideò in hac propositione affirmativa *Petrus est homo* ly *est* vnio formalis,quia representat identitatem obiectivam inter Petrum, & hominem ; ergo ècōtrario in hac propositione negativa *Petrus non est lapis* ly *non est* non erit vnio formalis , cum non repræsentet identitatem,sed potius carentiam ipsius.

28. Resp. Nego antecedens,sed quia est nexus,vi cuius extrema ita se habent inter se, vt vnam propositionem constituant,sed licet ly *non est* in propositione negativa reprę sentet carentiam identitatis obiectivæ ita se habet,vt vi ipsius vna propositio negatiua constituatur. ergo.In super , quam falsa sit causalis antecedentis constat,nam hæc á prehensio *identitas* repræsentat identitatem obiectiuam,& tamen non est vnio formalis.

29. Objic.Octavo.Unio hęc negatiua(quæ deservit , ne termini repugnantiæ,qui remouentur per propositionem negatiuam disparatè se habeāt, sed vnus ad alium enuntiativè refferatur) solum dicit,conexionem , & relationem repugnantiæ inter prędicatum , & subiectum , sed hæc relatio inter terminos repugnantes non sufficit ad rationem vnionis, ergo probatur minor ad rationem vnionis physicę non sufficit relatio repugnantiæ inter terminos se mutuo re moventes,alias vnirentur calor,& frigus gratia,& peccatum,quę sunt termini ree pugnantes non disparatè,sed relativé se habentes ergo.

30. Ita arguit.Ingeniosus Modernus

ſed malê arguit; tranſit enim á terminis formalibus ad obiectiuos, eos que confundit. Reſpondetur: Diſtinguo maiorem, vnio hæc negativa, & ſolum dicit relationem repugnantiæ inter prædicatum, & ſubiectum obiectivum; concedo; inter prædicatum, & ſubiectum formale; negò, & diſtinguo minorem; ſed hæc relatio inter terminos repugnantes non ſufficit ad rationem vnionis inter ipſos terminos repugnantes; nempè obiectivos; côcedo; inter terminos non repugnâtes, nempè formales; nego. Termini repugnantes, & relati relatione repugnantiæ ſunt termini obiectivi, prædicatum ſcilicèt, & ſubiectum obiectivum, qui per negatiuam vnionem non vniuntur, ſed potius remouentur, nec ex eis vnum compoſitum reſultat, ſicut non reſultat ex gratiá, & peccato, calore, & frigore. At verò termini formales, prædicatum nempè, & ſubiectum formale non ſunt termini repugnantes, nec vi illius vnionis negatiuæ refferuntur relatione repugnantiæ, ſed potius relatione connexionis in ordine ad conſtituendam vnâ propoſitionem formalem, quæ ex eis, & tali vnione reſultat. Vnde termini formales comparandi non ſunt cum calore, & frigore, &c. Sed tantum termini obiectiui, & hoc patet â poſteriori. Nam illa relatio repugnantiæ inventa inter calorem, & frigus non facit vt ex vtroque reſultet aliquod compoſitum phyſicum, ergo ſignum eſt, quod talis relatio non eſt vnio phyſica, neque nexus illorum extremorum. Aſt eſt prædicato, & ſubiecto formalibus, vi illius *non eſt* reſultat aliquod totum logicum, propoſitio ſcilicêt negatiua: ergo ſignum eſt, quod illud *non eſt* eſt vnio, cum ſit extremorum nexus ſimilitudine deſumpta ab vnione phyſica.

31. Objic. Nono ex eodem. Impoſſibile eſt, quod eadem forma præſtet effectum ſibi oppoſitum, ad cuius deſtructionem ordinatur, v.g. Quod calor reddit ſubiectum frigidum, frigus calidum, viſus cæcum, cęcitas videntem; ſed negatio vnionis opponitur effectui *vniti*, & ordinatur ad vnionem deſtruendam, tanquam formam ſibi oppoſitam, ergo impoſsibile eſt, quod præſtet effectum formalem *vniti*: ergo ly *non eſt* non reddit, vnitum prædicatum, & ſubiectum: ergo neque eſt vnio.

32. Simili argumento iam reſpondimus n.20. Vndè ſimili modo reſpôdetur. Concedo mayorem, minorem, & côſequentiam, ſed nego ſuppoſitum, quod ly *non eſt* in propoſitione negativa ſit negatia vnionis formalis, neque oppoſitum vnioni formali, cum ſit ipſamet vnio formalis. Solum eſt, ly *non eſt*, negatio vnionis obiectiuæ, ideo que ipſa nô eſt vnio obiectiua, nec tribuit denominationem *vniti* prædicato, & ſubiecto obiectiuo, ſed potius denominationem contrariam *diviſi*.

33. Pro calce quæſtionis. Nota, me in præſenti non deffendere, ſed ſupponere, vt detur locus quęſtioni, per ly *eſt* in propoſitione affirmatiua repreſentari vnionem obiectiuam, & per ly *non eſt* in propoſitione negatiua repreſentari carentiam vnionis obiectiuæ. De hoc enim in tractatu de Enterationis meam mentem aperiam.

SECTIO. III.

ALIQVA CIRCA SVBIECTVM, & prædicatum.

34. Scias primò, dari ſubiectum, & prędicatum obiectivum: ſubiectum, & prędicatum vocale; & ſubiectum, & prędicatum formale. Subiectum obiectivum eſt, *id, de quo aliquid dicitur*. Prędicatum obiectivum *eſt id, quod dicitur de aliquo*. Subiectum formale: *Eſt actus repræſentans ſubiectum obiectivum*. Prædicatum formale *eſt actus repræſentans prædicatum obiectivum*. Subiectum vocale eſt, *vox illa, qua ſubiectum obiectivum ſignificatur, & qua ſubiectum formale actum ſcilicêt mentis declaramus*. Prędicatum vocale eſt *vox illa, qua prædicatum obiectivum ſignificatur, & qua prædicatum formale declaramus*; v.g. in hac propoſitione *Petrus eſt homo* ſubiectû obiectivû eſt *Petrus* revera exiſtens. Subiectum formale eſt actus mentis, reprę́ſentans ipſum Petrum. Subiectum vocale eſt illa vox *Petrus*, ipem dic de Prędicato.

35. Hinc inferens, prędicatum, & ſubiectum formale ſolum eſſe reprę́ſentationes quaſdam ſubiecti, & prædicati obiectiui, ac proinde eſſe impoprię́ ſubiectum, & prædicatum, & quaſi ex penuria vocum, potius enim prędicatum formale deberet dici prędicans, quam prædicatum. Prędicatum, & ſubiectum obiectivum ſunt propriè ſubiectum, & prædicatum. Quia id eſt ſimpliciter, & propriè prædicatum, quod propriê, & ſimpliciter prædicatur, ſed ſolum prędicatum obiectivum, & non prędicatum formale, neque vocale prædicatur propriê, & ſimpliciter, ergo. Hoc patet in propoſitione *Petrus* eſt *homo* vbi neque vox, neque conceptus homo dicitur de voce, aut conceptu *Petrus*, cum neque voces, neque conceptus ſint idem. Aliàs ſi voces, aut conceptus prædicarentur falſa eſſet illa propoſitio.

36. Confirmatur. Quod eſt repræſentativè tale, non eſt ſimpliciter tale. Sic Statua Alexandri, neque imago Cæſaris ſunt Alexander, aut Cæſar, quia ſolum ſunt repræſentative tales, ſed ſubiectum, & prædicatum formale ſolum ſunt repræſentative ſubiectum, & prædicatum: ergo.

§

SECTIO IV.

AN IN PROPOSITIONIBVS detur ratio, vt prædicata potius ſint prædicata, quam Subiecta, vel ê contra?

37. Scias, dari duplicem propoſitionem. Vnam ſubſtantivam, ſignificatam per Uerbum ſubſtantivum *ſum, es, fui*; v.g. *Petrus eſt homo*. Aliam adiectiuam, ſignificatâ per alia verba, v.g. *Petrus currit: Ioannes ſcribit*, Pater Iſquierdo, diſp. 2. phari, q. 4. n. 216. & 217. aliter de propoſitionibus ſubſtantivis, ac de adiectiuis diſcurrit. Aſſerit; propoſitiones ſubſtantiuas, in quibus datur *eſt*, repræſentare identitatem obiectiuam prædicati cum ſubiecto. Propoſitiones vero adiectiuas (in quibus ſolum ſignificatur, actionem importatam per verbum convenire ſubiecto per modum exercitij, ſeu actionis ab eo producte) non repræſentare talem identitatem; ſed ſolum, vel vnionem, vel modum, quo talis actio convenit ſubiecto: v.g. *Petrus currit*, tantum repræſentare eam vnionem accidentalem, quę datur inter Petrum, vt cauſam, & inter curſum, vt effectum.

38. Scias ſecundò; dari aliquas propoſitiones de prædicato vniverſali, v.g. *Petrus eſt homo, Homo eſt animal*, in quibus licet quo ad rem prædicatam, & extenſiuè tantum prædicetur hæc humanitas identificata cum Petro, quo ad modum prædicandi, & intenſiue totum vniverſale prædicatur. Dari etiam alias, in quibus tam quo ad rem prædicatam, quam quo ad modum prędicandi, prædicatur vna tantum humanitas: v. g. *Petrus eſt hic homo*, quid quid ſit de propoſitionibus adiectivis, & de prædicato vniverſali, de quibus poſtea.

39. Inquirit prę́ſens quæſtio, vtrû in hac propoſitione ſingulari *Petrus eſt hic homo* detur ratio, vt ly *Petrus*; potius ſit

sit subiectum, quam prædic. tum, & ly *hic homo* sit potius prædicatum, quam subiectum?

40. Ratio dubitandi imò, & ratio partis negativæ, quam acriter tenet scientissimus P. Nicol. de Miraval, mira certè ingenij viua citate, qua gaudet. Cum Caram in sua Logica, alijsque Anonimis apud Lince, & Patrem Quiros, qui licet oppositum affirmet, omnia contrariæ sententiæ fundamenta expressis terminis sibi opponit, tract. 2. de proemial. Logicæ disp. 10. sect. 5. á n. 35. Ratio (inquam) dubitandi est.

41. Quia cum subiectum sit id, de quo aliquid dicitur, & prædicatum id, quod dicitur de alio, in hac propositione *Petrus est hic homo*, eodem modo dicitur de Petro esse hominem, quam de homine esse Petrum. Nam dicere; Petrum esse hunc hominem, nil aliud est, quam cognoscere, & repræsentare hominem identificatum cum Petro, sed eo ipso, quod cognoscatur, hominem esse identificatum cum Petro, cognoscitur, Petrum esse identificatum cum hoc homine, ergo in illa propositione, tam dicitur de Petro esse hunc hominem, quam de hoc homine esse Petrum. Cur ergo Petrus erit subiectum, & non *hic homo*? & cur *Hic homo* erit prædicatum, & non *Petrus*?

42. Confirmatur per actum, qui repræsentat vnionem, quæ mediat inter punctum A, & punctum B. tam cognosco, punctum A vniri puncto B, quam punctum B. vniri puncto A: ergo per actum repręsentantem identitatem inter Petrum, & hunc hominem, tam cognosco hunc hominem identificari cum Petro, quam Petrum identificari cum hoc homine, ergo vnum potius, quam aliud nequit esse prædicatum, aut subiectum.

43. Hinc inferunt, etiam in proposi tione formali, non esse, cur potius *Petrus* sit subiectum formale, quam *hic homo*, & è contra. Nam cum subiectum formale sit solum repręsentatio subiecti obiectivi, & non detur ratio, cur potius Petrus sit subiectum obiectivum, quam hic homo, similiter non erit ratio, cur potius repræsentatio Petri sit subiectum formale, quam repręsentatio huius hominis, & è contra.

44. Ut ego meum sensum aperiam. Suppono, denominationes *subiecti*, & *prædicati* non esse intrinsecas obiecto, sed extrinsecas, illi á prędicatione intellectus provenientes, sicut denominationes *cogniti, amati, &c.* Datur enim *prædicabile, prædicans, & prædicatum. Subijcibile, subijciens, & subiectum.* Sicut datur *cognoscibile, cognoscens, & cognitum.* Petrus enim, & hic homo (idem de omnibus alijs entibus) à parte rei independenter aquacumque prædicatione intellectus sunt *prædicabiles, & subijcibiles.* Hoc est, vt omnem, æquivocationem auferam, sunt capaces, vt sint, vel subiectum, vel prædicatum; sicut divitiæ independenter aquocumqul actu sunt ex se capaces, vt amentur, ve, odio habeantur. Intellectus est *prædicans & subijciens*, & media prædicatione, seu repręsentatione obiectorum, iam vnum subijcit alteri, & sic illud constituit in esse subiecti. Iam aliud prædicat de altero, & illud constituit in esse *prædicati.* Sicut voluntas est *amans*, vel *odio habens*, & medio amore obiectum denominat *amatum*, & medio odio obiectum denominat *odio habitum.*

45. Ipsa obiecta dicuntur *prædicata, & subiecta*, sed extrinsecè á prædicatione intellectus, tamquam á formá, sicut dicuntur *amata*, & *cognita* extrinsecè á cognitione, & amore. Vnde ex se, & independenter à prædicatione intellectus, neque sunt *prædicata*, neque *subiecta*, sed *prædicabilia, & subijcibilia*, hoc est, habentia capacitatem, vt si subijciantur, sint *subiecta*, & si prædicentur, sint prædicata.

46. Dico primò. Non datur ratio, cur potius sit *Petrus* subiectum, quam prędicatum, & *hic homo* potius prędicatum, quam subiectum, independenter ab operatione intellectus, & primò intentionaliter. Probatur ex dictis. Quia primo intentionaliter tam *Petrus*, quam *hic homo* habent capacitatem, vt sint prædicatum, & subiectum, nam cum vterque sit identificatus, vterque potest ad invicem prædicari, & subijci. Si dicatur *Petrus est hic homo. Petrus* est subiectum, & *hic homo*, prædicatum; si verò dicatur *hic homo est Petrus*, iam *Petrus* est prædicatum, & *hic homo* subiectum.

47. Dico secundó. Datur ratio, cur potius in hac propositione *Petrus est hic homo*; *Petrus*. Sit subiectum, quam prędicatum, & contra. Probatur etiam ex dictis, nam cum rationes subiecti, & prædicati sint denominationes extrinsecę pro venientes á modo concipiendi intellectus, qui quidem modus concipiendi est forma denominans, & determinans obiectum, nunc ad esse *subiectum*, nunc ad esse *prædicatum* in casu posito talis propositionis. *Petrus est hic homo*, intellectus repræsentabit *Petrum* subijciendo illum homini, & *hominem* prædicando illum de *Petro*, & hæc est ratio cur *Petrus* sit potius subiectum, quam *hic homo*; & *hic homo* potius prędicatum, quam *Petrus.*

48. Si roges, vnde habeat intellectus, quod vnum subijciat, & alterum prædicet? Respondeam. Hoc habere ex proprio modo tendendi ipsius. Sicut enim intellectus iuxta Angelicum Pręceptorem nunc tendit per modum componentis, nunc verò tendit per modum dividentis in idem obiectum. Hoc est nunc affirmat, nunc negat idem prædicatum de eodem subiecto, ita similiter, nunc tendit subijciendo vnum alteri, nunc vero prædicando vnum de altero, & indifferentia, seu capacitas, quæ datur in obiecto, vt subijciatur, vel vt prædicetur, determinatur in actu secundò per actum intellectus, vel prædicantem, vel subijcientem.

49. Si tamen vlterius roges, quid sit, intellectum ex modo tendendi vnum alteri subijcere, aut vnum de altero prędicare? Respondeam cum Patre Quiros vbi supra, esse, intellectum concipere subiectum per modum per se stantis, & prioris, & prædicatum per modum alteri adiacentis, & posterioris. Subiectum per modum materiæ, & prædicatum per modum formæ. Compositum enim logicum ad instar compositi physici concipiendum est. Ergo sicut sufficit, vt materia dicatur subiectum physicum, quod sit prior forma, & id cui ad iacet forma, ita tum sufficiet, quod *Petrus* sit subiectum, quod concipiatur, vt quid prius, cui adiacet ly *hic homo* Nam, licet ita non sint, tamen ita concipiuntur, & quod intellectus ita conceperit, colligitur ex ipsa propositione vocali conceptus mentis manifestativâ, in quâ subiectum, & prædicatum ita se habent. Quod ex ipsa communi nominum intelligentiâ dignoscitur. Nam cum ego audio aliquem dicentem *Homo* ad huc vitalis termini illum indifferentem concipio ad hoc, vel illud prædicatum, si tamen audiam, illum postea dicentem *est animal* iam determinatum concipio, sicut dum cognosco materiam solitariè, illam indifferentem concipio ad hanc, vel illam formam, si vero illam concipiam informatam formá equiná, v.g iam illam concipio determinatam: ergo cum subiectū, & prædicatum reflexe cognita in propositione vacali ab hominibus concipiantur adinstar materię, & formæ prioris, & posterioris, cum directè attinguntur ab intellectu, subiectum, & prędicatum obiectivum ad instar huiuscemodi rerum attinguntur.

50. Dices. Hoc esse omnino voluntarie dictum. Eadem enim facilitate, quá á me dicitur; intellectum concipere subiectum per modum per se stantis, prioris, aut recipientis, & prædicatum per modum alteri adiacentis, posterioris, aut recepti ad simi itudinem materiæ, & formæ. Posse negari ab adversarijs.

51. Sed contra primò. Qui omnium fere Doctorum authoritate munitus in modo loquendi procedit, nulla tenus loquitur voluntarie. Omnes enim, vel ita expressè loquuntur, vel ita loquerentur, si rogaretur ab ipsis. Cur potius sit prædicatum, quam subiectum ly *hic homo* in tali propositione, cum omnes illud appellent prædicatum, quia dicitur de subiecto, imò ita expræsse loquitur Angelicus Præceptor primò. Perhyer. lect. 5. Vbi explicans definitionem ibi traditam ab Aristotele ait. *Verbum adiectivum non includit subiectum, sed prædicatum, quia* (ad vertas rogo) *quia prædicatum, vt adiacens, subiectum vero per se aprehenditur.* Quid clarius?

52. Contra secundò. Et simul probatur nostra conclusio ab inconvenienti ex contraria, sequuto. Ex tali modo discurrendi destruitur totavis syllogistica, omnes regulę conversionum, omnia enim fundantur in varia dispositione prædicatorum, & subiectorum. Præcipuè cum tota convertentia proposit onum stet in eo, quod prædicatum vnius propositionis transeat in subiectum alterius; si ergo non datur ratio cur potius prædicatum sit prędicatum, quam subiectum, neque dabitur subiectum, & prædicatum, corruet modus loquendi scholarum omnium. Rogo, quis magis voluntarie procedet? qui cum fere omnibus Doctoribus, duce Angelico Præceptore pro defensanda scholarum loqutione loquitur, an qui cum vno Caram. Paucisque Anonimis loquitur?

Respondebit ingeniosus Recens, se non negare subiectum, & prædicatum, sed dicere; stando definitione traditę de subiecto, & prædicato, scilicèt subiectū esse de *quo aliquid dicitur*, & prędicatum, *quod dicitur de alio*, non dari rationem, cur potius sit prędicatum *hic homo*, quam *Petrus*.

53. Optimè quidem. Destruere rem, & concedere nomen. Huc vsque res significata per nomen subiecti est ea, de quá dicitur aliquid, & per nomen prædicati, ea, quę de alio dicitur, si definitiones destruis, nomina sine fundamento relinquis, & quoad rem regulas syllogisticas, & ad convertentiam assignatas evertis. Vel assigna alias definitiones subiecti, & prædicati, quibus componatur hæc difficultas, & maiorem forte pariet.

54. Ad rationem fundamentalem contrariorum positam n. 41. respondetur. Quod licèt per intellectum efformantem illam propositionem: *Petrus est homo*, cognoscatur identitas inter Petrum & hunc hominem, & inter hunc hominem, & Petrum, non tamen eodem modo tendendi. Nam in *Petrum* tendit intellectus per modum subijcientis, & in *hunc hominem* per modum prædicantis. Vnde *Petrum* constituit subiectum, & *hunc hominem* prędicatum. Hinc quęcumque propositio hoc modo distinguēda est. *Eo ipso, quod cognoscatur, Petrum esse identificatum cum hoc homine, cognoscitur, hunc hominem identificatum esse cum Petro*: distinguo. Eodem modo tendendi actus, nego: diverso modo; concedo; & hic diversus modus tendendi sufficit, vt in hac propositione Petrus *est hic homo*; *Petrus* sit subiectum, & *hic homo prædicatum*. Et in ali: *hic homo est Petrus*; *hic homo* sit subiectum, & *Petrus* sit prędicatum.

55. Ad confirmationem positam num. 42. respondetur, quod qui cognosceret vnionem mediantem inter punctum A, & punctum B. eodem modo cognosceret ea puncta, cum ea ad invicem non prędicaret. At vero si primò diceret, punctum A est idem cum puncto B, & postea punctum, B. Est idem cum puncto A, licet eadem entitas affirmaretur in vtraque propositione, affirmaretur tamen distincto modo.

56. Objic. primò. Subiectum est de quo aliquid dicitur, vt de habente se, per modum per se stantis, & prædicatum, quod dicitur de alio per modum alteri adiacentis. Definiantur ergo ita, & clariori modo procedemus.

57. Respondetur, quod licet ita verum sit, non est necesse, quod in definitione exprimatur; implicite enim in ea contentum est, & satis indic tur hic modus per se stantis in subiecto, cum dicitur; esse id, de quo aliquid dicitur. *Cum esse id dequo* sonet aliquam quasi prioritatem, & maioritatem. Item modus alteri adiacentis in prædicato, satis denotatur, cum dicitur; prędicatum esse quod *dicitur de alio.* Dici enim de alio sonat inferioritatem, & adiacentiam.

58. Objic. secundò. Potest aliquis elicere hunc actum Petrus *est hic homo*, habens in mente hoc iudicium verum. Ex conceptibus identificatis non recipitur vnus in alio, nec vnus se habet per modum recipientis, & alius per modum alteri, adiacentis. Atqui tunc non concipio Petrum per modum recipientis, neque hunc hominem per modum alteri adiacentis, cum potius contrarium vi talis iudicij teneam; ergo saltem tunc nō erit ratio, cur potius *Petrus*, quam hic homo sit subiectum.

59. Respondetur, quod in casu iam propositio, licet intellectus contrarium affirmet signate, exercitè tamen concipit modo á nobis explicato. Dicunt enim, & non faciunt quam plurimi. Sicut qui superbè gloriaretur dicens: *Ego sum humilis*, &c. & qui vanè dicere, *ego vanitatem non habeo* sic in casu argumenti, parum inter est, quod ita iudicet, cum exercitè contrarium faciat intellectus. Et sicut per eundem actum, quo aliquis signatè diceret: *Animal, & rationale sunt omnino idem*, exercitè *Animal*, & *Rationale*, vt duplicem distinctam formalitatem attingeret, ita etiam si aliquis iudicet ex conceptibus identificatis, &c. cum aliundè dicat *Petrus est hic homo* exercitê in *Petrum* tendit concipiendo illum ad instar *recipientis*, & in *hunc hominem* adinstar *adiacentis*. Ex quo inferes, quod licèt illud iudicium. *Ex conceptibus identificatis non recipitur vnus in alio*; verum sit, attamen quod additur, nec vnus se habet per modum recipientis nec alius per modum adiacentis, falsum est.

60. Objic. tertiò. Cum prædicatur de *Petro*, quod sit *hic homo*, prędicatur de *hoc homine*, quod sit *Petrus*. Ergo non datur ratio, cur potius *Petrus*, quam *hic homo* sit subiectum. Probatur antecedens. Prædicari vnum de alio, nil aliud est, quam cognoscere vnum identificatum cum alio. Sed cum prædicatur *hic homo* de *Petro*, cognoscitur *Petrus* identificatus cum *hoc homine*; ergo prędicatur de *hoc homine*, quod sit *Petrus*.

61. Resp. Nego antecedens. Ad eius probationem distinguo maiorem. Prædicari vnum de alio, nil aliud est, quam cognoscere vnum identificatum cum alio vt cumque, nego, vnum identificatum cum alio cōcipiendo ly *vnum* per modum alteri adiacentis, & posterioris concedo. Qualiter in hac propositione non se habet *Petrus* respectu ly *hic homo*, sed è contra. Aliâs si prædicari vnum de alio esset tantum concipere vnum identificatum cum alio in hac appræhensione *Animal rationale* daretur prædicatio, cum concipitur animal identificatum cum rationali, & in propositione negativa *Petrus non est lapis*, non daretur prædicatio, cum non concipiatur vnum identificatum cum alio, sed potius divisum ab alio.

62. Objic. quartò. Vnio copulativa propositionis hipoteticę; v.g. *Petrus currit, & Ioannes de ambulat*, vtramque vnit propositionem, sicut vnio enunciativa; v.g. *Petrus est hic homo*, vnit vtrumque extremum, sed vnio copulativa nullam denominationem tribuit vtrique propositioni, quia idem est dicere *Ioannes de ambulat, & Petrus currit*, ac *Petrus currit, & Ioannes de ambulat*, ergo nec vnio enuntiativa conferet specialem denominationem extremis, cum idem sit dicere *Petrus*

trus est hic homo, & hic homo est Petrus.

63. Respondeo iuxta probabilem Propositionem copulativam: *Petrus currit, & Ioannes deambulat*, non esse vnam propositionem, neque habere vnionem logicalem, sed duplicem propositionem cum aliqua connexione significata per particulam *Et*. Quid ergo mirum, quod nullam denominationem accipiat vtraque propositio. Cum inter vtramque nulla detur prædicatio? Aliter vnio enuntiativa est vera vnio logicalis, vi illius vnum dicitur de alio, & vnum cōcipit intellectus ad instar recipientis, aliud ad instar adiacentis. Quid ergo mirum, quod vni extremo tribuat denominationem subiecti, alteri vero denominationem prædicati? Vnde distinguenda est illa propositio, *ideo vnio copulativa non tribuit vllam denominationem, quia idem est dicere* Petrus *currit, & Ioannes deambulat, ac è contra, Ioannes deambulat, & Petrus currit*, distinguo, quia idem, & eodem modo, concedo, idem, & distincto modo formaliter tali, nego: idem enim attingit intellectus ex parte obti, sive propositio sit *Petrus est hic homo*, sive sit, *hic homo est Petrus*, sed non eodem modo tendendi ipsius intellectus, vt constat ex dictis. Attamen in propositione copulativa, sive hoc, vel illo modo disponatur idem, & eodem modo tendendi intellectus, attingitur ex parte obiecti.

64. Si tamen probabiliter teneas, propositionem copulativam esse vnam propositionem, ita, vt idem sit dicere *Petrus currit, & Ioannes de ambulat*, ac dicere, *incursu* Petri, *& Ioannis deambulatione datur simultas*, idē respondeas, quia idem, & eodem modo attingitur ex parte obiecti simultas cursus, & deambulationis, sive dicatur propositio primo, sive secundò modo.

65 Objic. quintò. *Carolus Rex* eodē modo aprehenditur, ac *Rex Carolus*, solum enim potest esse discrimen in prioritate temporis, quę nulla est in mente. Ergo *Carolus est Rex* eodem modo attingitur, quo è converso *Rex est Carolus*. Probatur consequentia primò, quia *Carolus Rex* virtualiter est idem, ac *Carolus est Rex*, ergo idem de vtroque dicendum. Probatur secundò, quia in ly *Carolus Rex* ly *Rex* appellat supra *Carolum*: qua propter ly *Rex* se habet per modum adiacentis, & ly *Carolus* per modum per se stantis. Quod probatur, quia si ponatur terminus connotativus, qui semper apellat supra materiale subiecti; v.g. *Carolus magnus est Rex*, talis terminus non cadit supra *Regem*, sed supra *Carolum*: ergo signum est, quod *Carolus* illic se habet per modum subiecti, aut materiæ, & ly *Rex* per modum prædicati, aut formæ: ergo si hoc non obstante idem est dicere, *Carolus Rex, ac Rex Carolus* idem erit dicere *Carolus est Rex, ac Rex est Carolus.*

66. Respondetur. Transeat antecedens, & nego consequentiam, nam *Carolus Rex* apprehenditur disparate ab intellectu, & sine vlla connexione, prædicatione, aut vnione, quin appareat, an *Rex*, & *Carolus* sint vnum suppositum, vel duo, ac proinde, idem, & eodem modo attinget intellectus, sive aprehendat, *Carolus* Rex, ac Rex *Carolus*. Non ita in nostro casu, vt ex dictis patet.

67. Ad primam, & secundam probationem conclusionis, dico; quod si *Carolus* Rex. Est idem virtualiter ac *Carolus est* Rex, non erit virtualiter idem *Carolus* Rex, ac Rex *Carolus*, & si ly Rex est forma metaphysica, & prędicatum, & ly *Carolus* est materia, aut subiectum, eodē modo, ac in nostro casu discurrendum est. Vtrum autem, ita sint postea (Deo dante) videbimus.

68. Objic. 6. Si iudicium sit qualitas simplex, vt tenet communis sententia, hęc propositio: *Petrus est hic homo*, est vnicus actus indivisibilis in vnico instanti repræsentans identitatem inter Petrum, & hunc hominem, ergo *Petrus* nequit concipi, vt prior, & *hic homo*, vt posterior, quia iam insumerent duo instantia temporis.

69. Respondetur. Concedo antecedens, & nego consequentiam. In vnico namque instanti temporis potest vnum concipi, vt prius, & alterum, vt posterius, sic cum principio per vnicum actum indivisibilem, vnicoque instanti reali indivisibili, *hominem esse risibilem*, concipio *essentiam hominis*, vt quid prius, & prædicatum, *risibilem*, vt quid posterius, quin in hoc, duo instantia temporis insumantur.

SECTIO. V.

TERMINI LOGICI DEFINITIO.

70. Scias. Hanc vocem *terminus* multipliciter sumi. Primò sumitur pro fine alicuius rei, sic gloria dicitur iustorum terminus, vt pote finis, quem eorum merita collimant. Secundò sumitur pro effectu alicuius causæ, vel obiecto alicuius actus, sic creatura dicitur terminus Omnipotentiæ. Res amata, terminus amoris, & paries visus terminus visionis. Tertiò sumitur pro quávis dictione, vel voce simplici, aut cocceptu illi correspondente, medio quo res cognoscimus. Quarto sumitur pro fine, & principio alicuius rei. Sic primum, & vltimū punctum lineæ dicitur terminus illius.

71. Relictis aliis termini vsurpationibus, quas longum esset recencere ex prædictis oritur summa definitionum termini varietas, licet fere omnes in pluribus conveniant omnesque facili negotio ęquè impugnari, ac defendi queant. Aliquas referam, vt ex earum impugnatione faciliús nostra percipiatur.

72. Prima est Hortiz lib. 1. cap. 2. n. 10. *Signum Catheogoricæ propositionis*: displicet, quia non convenit omni definito, terminis nimirum hypoteticę propositionis.

Secunda Soti: *Vox significativa*; displicet: tum quia terminus mentalis non est vox; tum quia videtur inventa tantum ad excludendas voces non significativas á ratione termini, potius, quam ad eius naturam explicandam.

73. Tertia. *Quod potest esse subiectum, vel prædicatum*; displicet, quia potius est divisio, quam definitio, sicut hæc. *Animal est*, quod potest esse *homo*, vel *brutum*.

74. Ita eam modificatam. *Terminus est extremum ponibile in propositione tamquam subiectum, & prædicatum*: tenet quidam ingeniosissimus Neotericus mihi ob ingenij acumen magna veneratione habitus qui in Platensi Vniversitate publicus Philosophiæ professor extitit.

75. Sed certè plusquam definitio displicet modificatio. Adverte, particulam *Et* esse copulativam, ad cuius verificationem non sufficere, quod vnum, vel alterum verificetur, sed vterque terminus copulatus verificari debet; v.g. vt hæc propositio sit vera *Petrus, & Paulus currit*, non sufficit, quod currat Petrus tantum vel Paulus tantum, sed requiritur, quod vterque currat, ad distinctionem particulę disiunctivæ *vel* ad cuius verificationem sufficit, vnius termini verificatio; v. g. vt sit vera hæc propositio, *Petrus*, vel *Paulus currit*, sufficit, quod Petrus tantum, vel Paulus tantum currat, quod supposito sic præsens modificatio impugnatur.

76. Omnis differentia, per quam definitur aliquis, cōceptus, talis debet esse, vt eo modo, quo ponitur indefinitione verificetur de quolibet definitio, seu individuo contento sub tali conceptu. Sic rationale, per quod definitur homo verificatur de Petro, Paulo, &c. eodem modo, ac ponitur indefinitione hominis. At qui ly *tamquam in subiectum, & prædicatum* positum vt differentia in vestra modificatione non verificatur de quolibet definitio eo modo ac ponitur indefinitione; ergo.

77. Quarta est Patris Comploni: *Extremum in quod resolvitur propositio tam*

quam in subiectum, & prædicatum, quæ displicet ob eamdem rationem. Tum etiam, quia tradit definitionem per disolutionem, cum potius per compositionem deberet eam tradere, & quia illa vox *resolutio* nimis dubia, & obscura est in sua significatione. Plures dicunt mentalem disolutionem propositionis significare. Plures etiam sistentiam, & compositionem.

78. Quinta sit cuiusdam ingeniosi Moderni. *Constitutivum inadæquatum totius logicalis.* Displicet, quia termini est non solum constituere, sed terminare, & finire: ergo satis non explicat naturam termini, sicut si aliquis rogaretur de termino lineæ non satisfaceret dicens *Est par constitutiva lineæ*, nisi adderet *extrema.* Si tamen respondeat; se non definire terminum, vt convertitur cum extremo, sed vt convertitur cum Constitutivo. Contra erit: ergo terminum non definit iuxta mentem, & acceptionem Phylosophi, qui primò methaphisicæ sic terminum explicat, & definit. *Terminus est cuius libet vltimum, extra quod nihil est accipere primi, & intra quod omnia primi*: cum enim hæc vox *Terminus* tam multipliciter vsurpetur in illa; vsurpatione eum accipere debemus, in qua lumen, & Dux noster Aristoteles eam accipit, non in ea, quę nobis prolibito placuerit. Vnde terminus debet definiri, non prout convertitur cum constitutivo, sed prout convertitur cum extremo.

79. Sexta sit Patris Iosephi de Olzina, qui num. 2316. scientię rationalis ita definit terminum logicum communē apprehensionibus saltem complexis (vt ait ille) & propositionibus. *Pars compositi Dialectici, vt talis* postea verò num. 2327. terminum propositionis ita *Pars principalis enuntiationis, vt talis.*

80. Displicet primò, quia iuxta ipsum, vt ex numero 2317. constat propositio non est qualitas composita, sed simplex, non est compositum, sed vna realitas: ergo subiectum erit terminus propositionis, & non erit terminus logicus. Patet cōsequētia: nā erit pars principalis enuntiationis, quę est definitio termini propositionis, sed non est pars compositi logicalis, quæ est definitio termini logici ergo: Probatur minor. Propositio per vos non est compositum logicale, ergo nec subiectum erit pars compositi logicalis.

81. Displicet secundò, quia ly *Principalis* positum indefinitione termini propositionis est omnino otiosum. Nil namque est, quod vi illius posit in propositione excludi á ratione termini logicalis. Nam in propositione est subiectum, prędicatum, vnio, & in aliquibus propositionibus adverbium, & casus obliquus, sed vi illius particulæ *principalis* non excluditur â ratione termini subiectum, & prædicatum vt ex se constat, neque vnio adverbium, aut casus obliquus, nam iuxta ipsum vnio constituit rationem prædicati, vt ex num. 2326. constat, ac proinde est pars principalis, & terminus. Item adverbia, & casus obliqui vt ex num. 2326. constat etiam, participant rationem communem *termini* cum etiam constituant prędicatum, vt tale. *Quid* ergo per ly *principalis*, quod minus principale sit excluditur á ratione termini?

82. Dices cum eo numero 2336. ly *Principalis* poni ad excludendam vnionem vocalem, seu scriptam á ratione termini in propositione vocali, aut scripta. Singularis modus discurrendi primò. Rogo cur ly *est* constituit prædicatum mentale in propositione mentali, & non prædicatum vocale in propositione vocali? Si dicas, quia ly *est* mentale repræsentat identitatem obiectivam, quæ est id, quod prædicatur. Contra: ergo cum ly *est* vocale etiam significet eamdem identitatem obiectivam, cōstituet etiam prædicatum vocale. Si dicas; quia identitas representata per ly *est* prędicatur de subiecto. Contra, sed similiter identitas significat per ly *est* voc le prædicatur de subiecto: ergo. Si dicas demum, quia ly *est* mentale prędicatur de Petro, falsum dices, quia repręsentatio identitatis obiectivæ non prædicatur de repręsentatione Petri, aliás falsa esset propositio. Denique omisis alijs impugnationibus summè displicet, cum dicat; se deffinire terminum etiam aprehensionis complexę, & deffiniat illum per partem compositi logicalis Aprehesio enim complexa, cum nullam dicat vnionem, nec compositionem non est compositum, vt de se pate. Ergo neque terminus illius erit pars compositi.

83. Nostra definitio sit. Terminus logicus est *extremum totius logicalis*; cuius rectitudine sic probo. Illa est recta definitio, quæ constat ratione communi proxima conveniendi, & vltima differendi. Quæ convenit omni, & soli definito, & quæ est clarior suo definito. Sed hæc nostra definitio ita se habet: ergo. Probatur minor ly *extremum* est ratio conveniendi (nota me non dicere esse genus, ne indifficultates per difficiles, ab hoc loco. quam á tyronibus alienas, incidam, non enim opponitur rectę definitioni tradi per aliquam rationem communem analogam) ly inquam *extremum* est ratio conveniendi omni termino physico, scilicet materię, & formę, quæ sunt extrema compositi naturalis, mathematicas, scilicèt punctis constitutivis lineæ, ex quibus mathematicę demonstrationis resultant, & sunt ipsius lineæ extrema, & logicis, quæ sunt extrema syllogismi & c ly *totius logicalis*, est differentia vltima per quam terminus logicus distinguitur à terminis physcicis, mathematicis, &c. quę non sunt totius logicalis extrema, etiam convenit *omni, & soli definito, omni*, quia omnis terminus logicus, est extremum alicuius totius logicalis. *Soli*, quia nullus alius terminus á termino logico est extremum totius logicalis. Est clarior suo definito, vt constat: ergo.

84. Nota, me dixisse *extremum totius logicalis*, & non *extremum propositionis*, vt tenet communis Dictorum definitio Arriagę, Toleti, Foncesæ, Spinulæ, Ioannis, Complutentium, & aliorum, quia syllogismus, discursus, & demonstratio pertinet ad logicam, & non sunt propositio, sed complexum plurium propositionum, quę habent proprios terminos. Unde debent comprehendi indefinitione termini logici, non tamen comprehenderetur, si definiretur terminus per extremum propositionis. Quod syllogismus, & demonstratio habeat proprios terminos probatur. Nam iuxta mentem Aristotelis ideo propositio habet proprios terminos; quia intra subiectum, & prædicatum est tota proposito, & nihil extra eā, sed totus syllogismus est intra maiorem, & consequentiam, & nihil extra: ergo syllogismus habet proprios terminos.

85. Confirmatur. Plures ex adversarijs reijciunt hanc definitionem modi sciendi. Modus sciendi *Est oratio manifestativa ignoti*, quia syllogismus, vt talis est modus sciendi, & tamen non est oratio, sed aggregatum orationum: ergo similiter reijcienda est pręfata definitio termini, quia syllogismus, vt talis non est propositio, sed aggregatum propositionum. Vndè termini eius, non sunt termini propositionis.

86. Et hoc etiam modo reijciendę sunt omnes illæ definitiones, in quibus apponitur hęc vox *propositio*, nempè, *pars constitutiva propositionis. Pars extrema propositionis. Causa intrinseca constituens propositionem.* Et aliæ huiusce farinæ.

87. Nota etiam, me indefinitione non addidisse vocem *constitutivi*, vel *constituentis*, vt comprehenderet terminos extrinsecos, aprehensiones scilicèt præcedentes ad iudicium, & nullo modo illud constituentes. Nam sicut fluvij ripæ, intra quas fluvius continetur, & maris littora, quæ non transgrediuntur, termi-

termini appellantur, iuxta illud Gregorij. *Non transgreditur antiquam termini descriptionem*: ita prævia aprehensiones, intra quas continetur sine transgretione, iudicium, *termini* debent appellari, quibus, si adderetur vox *constitutivum*, aut *constituens*, nullomodo conveniret definitio.

SVBSECT. VNICA.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

88. OBjic.primò. Aristotelem definivisse terminum logicum per id, *in quod resolvitur propositio, tamquam in subiectum, & prædicatum*; ergo nostra definitio Aristoteli opponitur.

89. Hoc argumentum militat contra omnes, qui per vocem *resolutionis* terminum logicum non definiunt: ergo pro me respondeo, vel Aristotelem loquutum fuisse non de termino logico, vt sic, sed de vna particulari specie, quæ convertitur cum prædicato, & subiecto, vel solum loquutum fuisse de terminis propositionis, non determino in communi.

90. Objic.secundò. Nostra definitio tradditur per voces synonimas, *terminum* namque, & *extremum* synonima sunt. ergo.

Resp. Distinguo antecedens, ita vt clariori modo per extremum, quam per terminum significetur. Concedo; aliter, nego. Sic potētia libera ab omnibus Theologis per synonima definitur; quia ita clariori modo definitur, scilecêt *Potentia libera est, qua positis omnibus requisitis potest operari, vel non operari*. Uel si placuerit, dic, illas voces non esse synonimas, cum vox *extremum* sit clarior.

92. Objic.tertiò. Differentia debet tradi per nomem adiectivum, sicut traditur indefinitione hominis per *rationale* non per nomen substantivum, vt in nostra *termini* definitione: ergo.

93. Respondeo, nego assumptum. Sic anima definitur ab Aristotele: *Actus primus corporis*. Sic ab eodem definitur terminus, id, in *quod resolvitur propositio, tamquam in subiectum, & prædicatum*, vnde si bona grammatica conferat voces, appone definitionibus pro differentia, nomen adiectivum. Si verò commode non conferat, ne cures de hoc.

94. Objic.quartò. Differentia debet identificari cum definito, & prędicari de eo, sicut identificatur, & prædicatur genus, sed ly *totius logicalis* positum in nostra definitione pro differentia termini, neque prædicatur determino, neque idētificatur cum termino, sicut prædicatur, & identificatur *extremum*, quod se habet vt genus; ergo ly *totius logicalis* non est recta differentia.

95. Respondetur. Differentiam implicitam, & subintellectam debere identificari cum definito, non verò differentiam explicitā. Differentia enim termini logici non est *totum logicale*, quod sonat explicitè ly *totius logicalis*, ita vt prædicari posit determino; esse totūm logicale. Est autem differentia ipsius, ordo, & respectus ad tale totum, qui quidem ordo illic implicitè continetur, cum termino identificatur, & prædicatur de illo. Sic Omnipotentia, & omnis causa definitur in ordine ad suos effetus, rugibile in ordine ad rugitus, quin per effectus, aut rugitus constituantur. Item in definitione *anima* iam posita ly *corporis* se habet vt differentia, & tamen, nec prædicatur nec identificatur cum anima.

96. Objic.quintò. Definitio termini est definitio partis: ergo in ea non potest ingredi totum, nec poni ly *totius logici*, vt differentia.

97. Respondetur. Distinguo consequens. Non potest ingredi totum in recto, ita, vt prædicetur de termino: Concedo: non potest ingredi totum in obliquo nego: sic indefinitione causæ ingreditur effectus in obliquo, quia per ordinem ad effectum definitur causa.

98 Objic.sextò. Hic ignotum, per ignotius definitur. Totum enim logicale in ordine ad quod terminus definitur, ignoquiatius est, quam terminus. Probatur, quia dificilior est notitia totius, quam notitia partis: ergo si pars definitur per ordinem ad naturam *totius*, ignotum per ignotius definitur.

99. Resp. Nego assumptum: ad cuius probationem dico. Certum esse notitiam claram totius difficiliorem esse, notitia clara partis, sed ad definitionem non requiritur notitia clara rei, per cuius ordinem fit definitio, sed sufficit aliqua notitia confusa in confuso clarior, quam notitia particularis termini definiti. Sic creatura definitur in ordine ad Deum, cuius clara notitia sine vlla comparatione difficilior est, quam notitia clara creaturę, eo scil cêt quod in confusso clarius nobis innotescat Deus, quam creatura.

100. Objic.Septimò Extremum, vt tale est respectu medij, sed inter terminos intrinsecos constituentes propositionem, nil datur medium: ergo tales termini non sunt extrema. Declaratur in hac propositione *Petrus est homo* ly *Petrus*, & ly *homo* sunt extrema. Rogo respectu cuius sunt extrema? Non respectu vnionis, tum quia vnio non mediat, si quidem immediationē non tollit; tum, quia vnio identificatur cum prędiccato. Non respectu sui ipsius, neque ad invicem, ita vt subiectum sit extremum prædicati, & prædicatum, & extremum subiecti; ergo non sunt extrema, sed sunt termini; ergo terminus non bene definitur per extremum.

101. En argumentum, cui multum fidit ingeniosus Neotericus, vt nostram reijciat definitionem, sed cum ipse fateatur, terminum formalem non esse proprie terminum, neque totum logicale in ordine ad quod terminum definit, esse proprie totum, cum proprijs partibus careat, non est cur tot improprietatibus plenus ita proprios terminos requirat, vt ad terminum improprium definiendum non sufficiat extremum improprium.

102. Resp. Distinguo maiorem: Extremum, vt tale est respectu medij, extremum constitutivum, nego; extremum pure terminativum, concedo, ad declarationem dico, in illa propositione, *Petrus est homo*, & *Petrum*, & *hominem* esse extrema respectu propositionis ex vtroque resultantis, sicut materia, & forma sunt extrema compositi physici, quod mediá vnione constituun, quin detur aliquid distinctum ab eis, quod se habeat, vt medium, vnio enim physica inter vtramque, immediationem non tollit. Ex quo ad summum sequeretur terminum logicum intrinsecum non esse propriè extremum quod certè fateor, nam eo modo est extremum, quo est terminus, sed est impropriè terminus, vt postea videbimus; ergo, & improprie extremum.

103. Neque vi huius argumenti convincitur termini logici improprietas in ratione termini, vt patet in ipsorum adversariorum principijs, in quibus materia, & forma sine vllo medio immediationem auferente sunt proprij termini physicici respectu compositi, quod intrinsece constituunt, & á quo distingun, tur distinctione includentis ab incluso quod sufficit, vt non sint extrema respectu sui, sicut sufficit in communiori sententia; vt sint proprię causæ compositi.

104. Replicabis. Extremum ex ipsi nominis ethimologia est, quod est extramedium: ergo vt detur extremum debet asignari aliquod medium, extra quod sit, sed in hac propositione, *Petrus est homo*, non datur aliquod medium extra quod sit *Petrus*, & *homo*: ergo non sunt extrema.

105. Retorquetur argumentum in extremis compositi physcici, vt supra. Respondetur, quod licet extremum iuxta nominis ethimologiam sit, quod est extra medium, etiam significat id intra

quod est totum,& extra quod nil est totius iuxta mentem Aristotelis , sed intra subiectum, & prædicatum est tota propositio,& extra illa nil est propositionis: ergo sunt extrema.

SECTIO VI.

VTRVM TERMINI LOGICI SINT proprie termini.

106. IN hac quæstione,quæ certè de nomine est,cum pluribus est loquendum. Scias primò. Ad rationem proprij termini intrinseci duo requiri. Primo: distinctionem simpliciter à contermino;est enim propriè pars; & ad rationem propriæ partis,vt talis, requiritur propria distinctio â comparte ; pars namque,vt talis,est essentialiter compositiva, & correlativa alterius. Insuper vbi non datur vnum,& aliud,non datur vna,& alia pars.Et ideo inDeo non dantur partes , neque compositio propria, quia in Deo nulla datur propria distinctio.Secundo : requiri vnionem propriê talem ad rationem proprij termini,tales enim sunt partes , & termini, quale est totum,respectu cuius sunt partes, & termini;vbi enim non datur propria vnio, nec datur propriê totũ, vt ex mẽte Aristotelis 5.Methaphis.cap.26.probat optimê Pater Fonseca eum interpretatus. Ex quibus inferes.Quod vbi non est vera distinctio , & rigorosa vnio non sunt proprij termini. Hoc ex communi fere omnium Doctorum supposito clare cognoscitur.

107. Primò,in propositione mentali,si sit simplex qualitas,non reperiri proprios terminos intrinsecos,ita Arriaga in sua aucta phylosophia disp. 1. num.10. Comptonus , Oviedus Lynze , & alij, cum Olea.d.8.sum. n. 2. quod ex dictis probatur.Vbi non datur propria dinctinctio,proprij termini non reperiuntur, si quidem non reperiuntur propriæ partes componentes , sed si propositio sit simplex qualitas,inter subiectum , & prædicatum non datur propria distinctio , sed solum,methaphysica , & per rationem, ergo ne proprij termini.

108. Secundò cognoscitur: in propositione mentali , etiam si sit qualitas composita , non dari proprios terminos intrinsecos Ita Fonseca 5. methaph.cap. 17.P.Ildefonsus de Peñafiel,& alij.Probatur. Ubi non datur vnio propriê , & simpliciter talis non dantur termini , & partes proprie tales,cum non detur compositum proprie tale , cuius sint partes, sed etiam si propositio sit qualitas composita ex tribus actibus realiter distinctis,subiectum,& prędicatum non vniuntur propria vnione,sed solum vnione intentionali,quæ vt optime probat acutissimus Doctor 1.parte,disp.223.n.2.non vnit prædicatum & subiectum,neque vt partes compositi physici, vt materiam,& formam , neque vt partes continui, aut intensionis,vt partes compositi physicis sed solum enuntiative per quamdam scilicèt referentiam prędicati ad subiectum;srgo etiam si sit propositio qualitas composita,non gaudet proprijs terminis intrinsecis.

109. Tertiò cognoscitur;in propositione vocali , & scripta non dari proprios terminos intrinsecos , quia licet voces realiter distinguantur , realiter non vniuntur , in ordine ad aliquod compositum componendum , quod sit proprie, & simpliciter tale.

110. Objic.quartò. Contra primum & eius illationem. Sufficit distinctio methaphysica,& per rationem,vt dentur propriè partes methaphysicæ,sed in propositione , etiam si sit simplex qualitas, datur methaphysica distinctio per rationem inter prædicatum, & subiectum,ergo & propriæ partes,& termini. Probatur maior.Pars,vt pars non constituitur per distinctionem realem ab alia comparte,sed solum per hoc, quod est componere aliquod totum cum alia comparte,ideoque dicitur complexum methaphysicum,hominem scilicèt gaudere proprijs partibus,animali, nempè , & rationali,quę solum methaphysicę, & per rationem distinguuntur,ergo.

111. Ita objicit quidam meus in Theologia Sapientissimus Magister. Respondetur. Concedo maiorem , sed nego suppositum ipsius, scilicèt , quod proprię partes methaphysicę sint proprie partes , sicut licet homo pictus sit proprie homo pictus,non tamen est proprie homo. Ad rationem enim proprij termini requiritur esse propriam partem absolutè , & non sufficit esse propriam partem cum addito diminuente metaphysice,quæ quidem pars propria absolute sine reali distinctione non datur. Ad maioris probationem dico,ex ea met colligi , partem constitui per distinctionem realem,quia si nequit concipi pars sine comparte,& relatione ad compositionẽ; consequenter nequit concipi sine reali distinctione;quia propria compositio, & relatio distinctionem realem includit. Exemplum allatum hominis nil probat; idem enim dico in homine , scilicet nec proprie componi ex animali, & rationali,nec animal,& rationale esse proprias partes ipsius.

112. Et licet dicas conceptum partis non constitui per distintionem , negari nequit,illam supponere, vt necessarium requisitum , quod ad intentum idem facit , nam sicut etiam si amor per cognitionem non constituatur , quia illam necessario supponit , vbi non datur propria cognitio , proprius amor non reperitur, ita licet pars vt talis non constituatur per distintionem, sed solum illam supponat, vbi non datur propria distintio, neque dabitur propria pars.

113 Objic.secundò.Intellectus Divinus proprie se habet vt actus primus respectu intellectionis essentialis sine reali distinctione : ergo similiter in hac propositione *Petrus est homo* ly Petrus se habebit,vt terminus sine distinctione reali;quia sicut terminus est correlativus contermini,ita actus primus est correlativus actus secundi.

114. Respondeo.Transeat antecedens,quod á gravissimis Theologis negatur;sed illo admisso cum Arriaga , & alijs,nego paritatem , quia actus primus ex se iuxta hos Doctores nullam dicit distinctionem realem ab actu secundô, sed solum capacitatem , quamdam respectu ipsius,per quam intellectus reddatur intelligens.Conceptus vero termini essentialiter dicit esse partem , & pars, vt pars,vel includit,vel supponit distintionem realem.

115. Objic.tertiò. Terminus vocalis,& scriptus est impropriè terminus:ergo per analogiam ad aliquem, qui sit propriè terminus. Sed non datur alius nisi terminus mentalis: ergo hic est propriè terminus.

Resp.Concedo antecedens, & consequentiam, sed nego minorem subsumptam,quia terminus physicus est propriè terminus,& ad eius similitudinem , & analogiam dicetur terminus , terminus vocalis,& scriptus.

116. Objic.quartò.In propositione datur subiectum,& prædicatum; ergo & proprij termini. Probatur consequentia: Sicut terminus est pars , & re ativus ad conterminum,subiectum etiam est pars, & relativum ad prędicatum,ergo.

117. Respondeo ex argumento nil inferri.Nam adhuc admisso , quod subiectum esset pars, & correlativum prædicati,iã vidimus in propositione mentali non dari propriè prædicatum, & subiectum , sed solum impropriè , & vt quo. Præterea subiectum, & prædicatum, neque sunt partes, neque dicunt propriam relationem , & distintionem. Sed solum esse representationes prædicati ; & subiecti obiectivi , si ergo subiectum , & prædicatum obiectivum, quę propriè talis

lis

las sunt, non solum non distinguntur, verum realiter identificantur, quanto minus prædicatum, & subiectum formale.

118. Objic. quinto Propositio mentalis est propria propositio, ergo costabit proprijs terminis.

119. Respondeo. Distinguo conseconsequens, proprijs teminis absolute nego, proprijs terminis logicis: Concedo, quod sufficit, vt propria propositio sit. Vt autem constaret proprijs terminis, deberet esse propriè totum, & compositum. Cum ergo non sit, neque proprijs terminis constat.

120 Si roges quomodo sit proprius terminus logicus, subiectum propositionis, quin sit proprius terminus absolutè? Respondeo etiam rogans Quomodo homo pictus, quin sit propriè homo, est proprie homo pictus? & subiectum, & prædicatum formale, quin sit propriè subiectum, & prædicatum absolutè, sint propriè subiectum, & prædicatum formale? Hoc eodem modo loquendi voca proprios terminos logicos, prędicatum, & subiectum, quin t sint proprié termini absolutè, quia in sua improprietate proprietatem habent.

121. Objic. sextò. Argumentum, quod etiam facit in nostram termini definitionem, quod, vt melius percipiatur consultò in hunc locum distuli. Per nos terminus logicus est impropriè extremū: ergo nostra definitio irrectè procedit. Probatur consequentia. Ideo hæc definitio hominis. *Homo est arbol rationalis*; esset irrecta, quia ly *arbor* positum, vt genus impropriè convenit homini, sed ly *extremum* positum, vt genus in nostra definitione impropriè convenit termino logicali: ergo.

122. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo maiorem. Ideo hæc definitio. *Homo est arbor rationalis* esset irrecta hominis definitio, quia impropriè convenit homini, & quia ratio hominis, secundum quam intenditur homo definiri, illi convenit propriè, concedo; illi convenit impropriè, nego: Explico solutionem. Subiectum formale in hac propositione mentali. *Petrus est homo* habet esse actum vitalem; v. g. repręsentativum obiecti, & etiam esse terminum logicalem. Esse actum vitalem representativum, illi convenit propriè. Esse terminum, illi improprie convenit: Si sumatur definiendus in esse actus representativi, quod illi propriè convenit malè definitur per conceptum impropriè illi cōvenientē. Si verò sumatur, vt nunc sumitur definiendus, reduplicativê in ratione termini, quæ illi impropriè convenit, optimè per rationem impropriè etiam, illi convenientem definitur, imò ita debet definiri, & si aliter deffiniretur malè definiretur. Patet hoc exemplo. Si aliquis definiret hominem pictum sub ratione, & reduplicatione hominis, illum deberet definire per *Animal rationale coleribus figuratum*; vbi animal rationale impropriè convenit homini picto, nulla alia ratione, nisi quia ratio hominis, in qua definitur. illi convenit improprie. Si vero ita definiretur est quædam *imago animalis rationalis penicillo efformata*: pessimè definiretur homo pictus sub ratione hominis, nulla alia ratione, nisi quia talis conceptus illi convenit propriè secundum quod est pictura hominis, & sub hac reduplicatione, non intenditur definiri, sed sub alia, quæ impropriè illi convenit. Ratio à priori est, quia eo modo, quo alicui convenit esse definitum, debet illi convenire definitio, sed subiecto, & prędicato convenit impropriè esse terminum, qui est definitum huius definitionis, ergo & illis impropriè competet esse *extremum*, quod cum termino con... vertitur.

SECT.

SECTIO. VII.

QVIBVS CONVENIAT DEFINItio termini?

123. Rogas primò. An conveniat adverbijs, & casibus obliquis! Negant Hurtadus, & Arriaga. In hac quæstione de nomine affirmo cum Oviedo, Linze. lib. 3. tract. 1. n. 10. & P. Olea, d. 2. n. 10. Probatur. Adverbia, & casus obliqui sunt extrema totius logicalis, non materialitèr, & vt sonant, sed formalitèr, & vt significant. probatur. Distinctum prędicatum, & subiectum habet hęc propositio. *Rex Hispania gubernat prudenter*, ac habet hæc: *Rex Galliæ gubernat imprudenter*, sed tota diversitas subiectorum stat in casibus obliquis *Hispaniæ*, & *Galliæ*, & tota diversitas prędicatorum in adverbijs *prudenter*, & *imprudenter*, si quidem ablatis, eadem propositio maneret, nempè *Rex gubernat*, ergo casus obliqui, & adverbia, vt significant, constituunt prædicatum, & subiectum, ac proinde sunt termini.

124. Confirmatur. Nomina adiectiva constituunt prædicatum, & subiectum; v. g. *Rex Hispanus, Guvernator prudens*, sed casus obliqui, & adverbia licet aliter sonent, modo adiectivo significāt; idem enim est dicere *Rex Hispaniæ*, ac *Rex Hispanus: gubernat prudenter*, ac *est gubernator prudens*, ergo.

125. Objic. primò. Adverbia sunt affectiones seu proprietates termini: ergo non sunt termini.

126. Resp. Distinguo antecedens, quoad sonum verborum transeat; quo ad significatum nego: solutio constat ex dictis.

127. Objic. secundó, Ablatis casibus obliquis, & adverbijs in hac propositione v. g. *Rex Hispaniæ gubernat prudenter*, manet integra propositio; v. g. *Rex gubernat*: ergo non sunt constitutiva propositionis: aliás ablatis constitutivis maneret constitutum.

128. Retorqueo. Ablato nomine adiectivo ab hac propositione, *Petrus est homo fortis*, imo ablato substantivo, manet propositio; v. g. *Petrus est homo*, vel *Petrus est fortis*: ergo nomen adiectivum, imò & substantivum non constituent propositionem, nec erunt termini. Respondeo. Distinguo antecedens, manet propositio, eadem, quæ antea, nego; alia distincta concedo. Vnde cum non maneat eadem: distinctissimum namque est *Rex gubernat*, ac *Rex Hispanus est gubernator prudens*, signum est, talem propositionem ex adverbijs, & obliquis constitui.

129. Objic. tertiò. Prædicatum obiectivum identificatur cum subiecto obiectivo; sed prædicatum obliquum, & adverbiale non identificatur cum subiecto obiectivo: ergo.

130. Resp. Distinguo maiorem. Identificatur cum subiecto obiectivo, quo ad rectum vtriusque. Concedo; quo ad obliquum nego: & similiter. Distinguo minorem: Non identificatur cum subiecto, quo ad rectum ipsius, nego, quod ad obliquum, cōcedo. Certum est, quod prudentia, & cursus non identificatur cum Petro, & Rege, at rectum prędicati complexi *currit velociter: gubernat prudenter*: non est prudētia, & cursus, sed *subiectum prudens*, & *currens* dicens in obliquo cursum, & prudentiam: nam idem est dicere *Petrus currit velociter*, ac *est currens velox. Rex gubernat prudenter*, ac *Rex est gubernator prudens*, in ly autem *Currens velox*, velocitas dicitur in obliquo, & in ly *gubernator prudens*, prudentia item in obliquo dicitur.

131. Objic. quartò. In hac propositione: *Ego video parietem*: paries non prædicatur de me; ergo ly *parietem* non est prædicatum neque terminus.

132. Resp. Distinguo antecedens. Non prædicatur de me, vt quid me cum iden-

identificatum;concedo;vt terminus meæ visionis;nego : Ex pariete tamquam termino,& ex visione resultat prædicatum, nempè videns parietem , idem enim est, ac dicere:*Petrus est videns parietem.*

133. Objic.quintò. Huic propositioni *Homo est contingenter Deus* , quam admittunt Docti Theologi,non ęquivalet hęc:*Homo est Deus contingens*;ergo nō semper adverbium æquivalet subiecto, & prædicato.

134. Respondetur, in his propositionibus modalibus, vbi ponitur *contingenter*,& *necessario* , clauditur propositio cōplexa,in qua ipse modus æquivalet prædicato nomine adiectivo significato,idē namque est dicere *homo est contingenter Dus*,ac dicere,*Hominem esse Deum,est contingens*.Ergo semper adverbium nomini recto ęquivalet.

SVBSECT. I.

QVID DE INTEGRA PROPOSItione dicendum?

135. Rogabis secundò.Vtrum integra propositio posit esset terminus?Negat Hortiz. Affirmò cum Arriaga,& Hurtado, & Olea, d.3.n.3. Probatur.Integra propositio potest esse subiectum , & extremum totius logicalis:ergo potest esse terminus : Probatur antecedens in hac propositione hypotetica. *Petrus est homo est propositio.* Vbi de tota integra propositione dicitur, esse propositionem:ergo est subiectum, ergo & terminus.

136. Objic.primò.Integra propositio non est pars,sed totum , ergo non est terminus, sed terminatum.

137. Resp. Distinguo antecedens. Non est pars;sed totum , habendo se,vt formaliter propositio,concedo;vt materialitèr propositio,& formalitèr subiectum,nego,ita enim se habet, vbi exercèt munus subiecti.

Objic. secundò. Et Replic. hæc propositio. *Petrus est homo est formalitèr propositio* est vera ; ergo ly *Petrus est homo* non se habet vt materialiter , sed vt formaliter propositio,aliás esset falsa.

138. Argumentum æquivoco labo. rat:ideo distinguo antecedens:est vera si appellet ly *formalitèr* supra propositionem,vt propositio est; concedo , vt subiectum est,nego:hoc est,si sensus sit, *Petrus est homo* est in se formalis propositio. concedo;si sensus sit hic , & nunc se habet vt propositio formalis exercitè , nego.

139. Scias primò.Eodem modo totum syllogismum materialitèr sumptū, & formalitèr vt subiectum posse esse terminum,patet in hoc actu.*Omnis homo est animal sed Petrus est homo , ergo Petrus est animal.Est syllogismus in Darii.*

140. Scias secundò. Aliquando etiam particulas constituere subiectum, & prædicatum,esse que terminos inadęquate.Aliquando verò non.Si particulæ ponantur intra eamdem propositionem, subiectum , & prædicatum constituunt: v.g.si dicatur *Petrus* , & *Paulus currunt*, vbi ly. *Et* coniūgit partiale subiectum partiali subiecto.Ex Petro enim, & Paulo subiectum adæquatum talis propositionis resultat.Si dicatur etiam *Petrus est doctus , & sanctus* ly *Et* coniungit partiale prędicatum partiali prędicato,ex ly namque *doctus*, & *Sanctus* resultat prædicatum totale talis propositionis. Secūdò ; possunt poni particulæ , vt tantum coniungant duas propositiones; v. g. *Petrus currit* , & *Paulus legit*. Et tunc non se habent vt termini,si quidem non constituunt subiectum , aut prædicatum. Si illa sit non vna , sed duplex propositio, ex quibus vna quęque suum habet subiectum , & prædicatum.

§

QVID

SUBSET. II.

QVID DICENDVM DE VNIONE.

141. Rogas tertiò. Vtrum vnio, vt vnio est (non materialitèr sumpta , vt cum dicimus *est Verbum.* Sic namquē idem quod de tota propositione,dicendum est , esse scilicèt terminum , & subiectum) sit propriè terminus?

142. Nota,quod si vnio constituat prædicatum , vt tenent cum Isquierdo communitèr Recentes,quod probabilissimum iudico.Certum est, vnionem esse terminum partialem,& non datur locus quæstioni.Si verò vnio non constituat, prædicatum , quod conformius est nostris principijs,quęstioni datur locus.

143. Affirmant,esse terminum,Cōptonus. Isquierdus , Lynze,lib.3.Summularum cap.1. Negant melius Caramuel,Hurtadus,Arriaga , Pontius , & alij.Probatur primò.In quæstionibus de nomine cum pluribus debemus loqui. Ex communi enim modo loquendi prędicatum tantum,& subiectum,non verò vnio,dicuntur termini. Primū constat ex Aristotele,qui in prædicatum, & subiectum,non verò in vnionem,divisit rationem termini dicens. *Terminus est,in quem resolvitur propositio, tanquam in subiectum,& prædicatum.* Secundum constat ex eo,quod omnes Philosophi affirment, syllogismum rectum triplici tantum termino constare;v.g. *Omnis homo est animal;sed Petrus est homo,ergo Petrus est animal.*Ubi solum apellantur termini *Homo Petrus,& Animal*;ergo signum est,quod vnio seu ly *Est* reijcitur á ratione termini:aliás diceretur , talem syllogismum qua duplici termino constare.

144. Probatur secundò.In composito physico , vnio inter materiam , & formam non dicitur terminus , sed medium, ratione cuius termini vniuntur; ergo in composito logico vnio non debet dici extremum , sed medium ratione cuius extrema vniuntur.

145. Objic. primò in hac propositione *Petrus est homo*, ly *est* est extremum;ergo & terminus.

146. Resp.Distinguo antecedens: grammaticalitèr , & in collatione accidentali, cōcedo:logicè,nego. Sivè enim primò vel vltimo loco collocetur ly *Est*, cum vbique exerceat officium vnionis semper se habet vt medium , numquam se habet vt terminus.

147. Objic.secundò.Suppositio est proprietas termini;sed Uerbo *est* convenit suppositio:ergo.

148.Respondeo. Distinguo antecedens:est proprietas termini, ita vt non conveniat alteri,nego:ita vt alijs conveniat;concedo: Suppositio convenit termino, sed non soli , cúm omnibus vocibus conveniat.

149. Objic.tertiò. Compositio est forma compositi qua talis,sed forma est terminus cōpositi,sic anima est terminus hominis:ergo vnio logicalis,seu compositio erit terminus compositi logicalis.

150. Respondetur:Concedo maiorem,& minorem, sed distinguo consequens;ergo vnio erit terminus compositi,qua vniti reduplicativè,concedo:compositi specificativè:nego.Sic capilli sunt forma hominis , qua capillati reduplicativè,& tamen quis dicet, absolutè esse hominis formam?

151. Objic.quartò. Hę propositiones *Homo est albus* , *Homo existit albus* habent idem prædicatum,idemque subiectum,& tamen sunt diversę:ergo tota diversitas illis provenit ab vnione , ergo vnio diversificat propositiones,& sic erit terminus.

152. Respondeo. Nego maiorem quo ad primam partem , nam prædicatum secundæ propositionis est diversum â primæ propositionis prædicato , idem enim est dicere *Homo existit albus* ac dicere:*Homo est existens albus.*

153. Objic.quintò. Medium syllogismi

gismi

gnum est terminus, ergo medium propositionis etiam erit terminus.

154. Retorqueo argumentum æquivocum lynzei in ipsum. Per te medium syllogismi est strictissime terminus, ergo medium propositionis erit terminus, non solum strictus, sed strictissimus, quod ipse negat. Respondetur, medium syllogismi esse proprie subiectum, aut prædicatum vt *quod*, quid ergo mirum si sit terminus; non vero *vnio*, quæ neque est subiectum, neque prædicatum, vt *quod*?

155. Objic. sexto Punctum Continuativum, teste Damasceno, cap. 33. Logicę, est terminus: ergo vnio, qua propositio veluti continuatur, erit terminus.

156. Resp. distinguo antecedens. Punctum contnuativum, quod media vnione continvativa vnitur alteri, concedo, quod est ipsa vnio continvativa, nego.

157. Objic. septimo. In his propositionibus de verbo adiectivo *Petrus currit, Ioannes legit*, verbum *est* prædicatum, & extremum: ergo, & terminus.

158. Resp. In his propositionibus verbum exercere officium vnionis, & officium prædicati, cum vtrumque quo ad sensum includatur in verbo; idem enim est dicere, *Petrus currit*, ac *Petrus est currens*; vt exercet officium verbi, & vnionis non est terminus: vt exercet officium prædicati rationem termini participat.

SECT. VIII.

VTRVM DETVR terminus intrinsecus extra propositionem.

159. NOto primò. Hanc quæstionem solùm exagitari in propositione vocali, & scripta, vel in propositione mentali, supposito, quod sit qualitas composita extribus aprehensionibus realiter distinctis, præcedentibusque in intellectu.

160. Noto secundo, quod in intellectu iudicium præcedit hęc appræhēsio: v.g. *Petrus* hæc apprehensio *homo*, & hæc appræhensio *est*, ex quibus postea componitur hęc integra propositio *Petrus est homo*, inquirit ergo præsens quæstio. Vtrum ly *Petrus*, & ly *Homo* ante quam propositionem actualiter componant, solùm quia possunt eam proximè componere, debeant dici termini intrinseci illius, nec ne?

161. Noto tertiò. Hanc quæstionē esse purè denomine. Certum est, dari apud omnes voces, sivè prolatas, sivè scriptas, & apprehensiones; itē extra propositionem non esse terminos intrinsecos in actu secundò, cum actualitèr non terminent. Certum etiam est, esse terminos in actu primo, hoc est, potentes terminare.

162. Certum item est, dari aliquas res, quarum essentia consistit in actu, sivè in actuali exercitio; v.g. has denominationes *cognitum, amatum, album*, & similia. Amatum enim est, non quod potest terminare amorem, sed quod actu amorem terminat. Dari etiam alias res, quæ salvantur in *posse*, & non in actu necessariò; v.g. Causa, quæ definitur: *principium influens*, & tamen non requiritur, quod actu influat, sed sufficit, quod possit influere. Forma substantialis, quæ definitur. *Actus primus substantialis materiæ* & non requiritur, quod actu informet, sed sufficit, quod possit informare, vt actu dicatur forma.

163. Cùm autem hæc omnia ita se habeant. Nunc quæritur, an terminus sit entitas, seu denominatio primi, vel secundi generis? An scilicet, vt Petrus dicatur terminus intrinsecus, sufficiat, quod possit terminare, an requiratur, quod actualiter terminet? Pro vtráque parte graves stant Doctores. Pro vna scilicet, sufficere posse, & non requiri actu

termi

terminare Patres Arriaga Hurtadus, Alphonsus, Comptonus, & alij. Pro alia scilicet, non sufficere posse, sed requiri actu terminare Patres Conimbricenses, Rubius, Toletus, Olzina in scientiá rationali num. 2337. & Olea, disp. 19. num. 2.

164. Neque satisfacit quidam Ingeniosus Modernus dicens, extra propositionem dari terminos intrinsecos compositivos, non verò terminos intrinsecos componentes. Hoc enim pręter quam quod á nemine dubitatur, non est ad quæsitum respondere. Nam quod quæritur est. An sufficiat ratio cōpositivi ad denominationem termini, an vlterius requiratur ratio componentis? Vtraque propositio posset facile componi, sed ne omnibus inimicus fiam, dum omnes defendere coner.

165. Dico. Extra propositionem non dantur termini intrinseci, sivè hæc sit propositio vocalis, mentalis, aut scripta. Probatur. Extra propositionem non datur subiectum, & prędicatum: ergo nec termini logici intrinseci. Probatur antecedens. Esse subiectum, & prædicatum provenit ab actuali enuntiatione vnius de alio, sed extra propositionem non datur talis: ergo. Probatur maior subiectum est, & de quo aliquid dicitur. Prędicatum, quod dicitur de alio, non verò est subiectum id, dequo aliquid potest dici. Hoc enim esset subijcibile, non subiectum: neque prędicatum est id, quod potest prædicari. Hoc enim esset prædicabile non prędicatum, sicut cognitum, & amatum non sunt, quæ possunt amari, & cognosci, sed quę in actu secundo amantur, & cognoscuntur. Sed hoc provenit ab actuali enuntiatione, & prædicatione, ergo extra enuntiationem, & prædicationem, non dantur subiectum, & prędicatum, ergo nec termini intrinseci. Idem intelligi de maiori, & consequentia, quæ sunt termini intrinseci syllogismi, & extra ipsum non dantur. Denominatio namque maioris, minoris, & consequentiæ provenit ab illo ordine, & alligatione actuali propositionum inter se.

166. Probatur secundò. Enti determinato, cui non competit aliqua ratio specifica, non competit ratio generica; v.g. individuum, quod non fuerit homo, vel brutum, neque animal erit, sed conceptus, vox prolata, aut scripta est ens determinatum, cui ratio prædicati, vel subiecti non competit extra propositionem, vt iam manet probatum; ergo illi non competet ratio generica termini intrinseci.

167. Vlterius declaratur: conceptus seu vox *Homo* extra propositionem, non est determinatè subiectum, cum possit esse prædicatum in hac propositione *Petrus est homo*, neque est determinatè prædicatum, cum possit esse subiectum in hac prnpositione; v.g. *Homo est vivens sensibile*, neque vtrumque; aliás esset induplici opposita specie: ergo extra propositionem nullam determinatam speciem participat, ergo neque rationem genericam.

168. Ex instituto omitto aliqua exempla, quę afferuntur ab aliquibus (Petri scilicet respectu numeri ternarij, cuius non dicitur pars, vsque dum actu illud componat. Et subsistentię Patris Æterni, quæ non dicitur terminus naturæ humanæ, ex quod illam actu non terminet, etiam si eam possit terminare) omitto, inquam, quia ab eis facili negotio se expediunt Adversarij, dicentes, ideo nec Petrum dici partem ternarij, vsque dum illum componat, nec subsistentiam Patris terminum naturę, vsque dum illam terminet, quia nec Petrus dicit ordinem ad ternarium componendum, nec subsistentia Patris ad terminandam naturam, sed meram non rèpugnantiam. Aliter vero se habere appręhensiones ante propositionem, & hoc sit primum argumentum.

169. Objic. primò: conceptus, &

vo-

voces ante propositionem, non solum habent non repugnantiam, sed ordinem ad eam constituendam, ergo extra propositionem debent dici partes, & termini intrinseci ipsius. Probatur antecedens. Extra propositionem conceptus, & voces habēt quoddam artificium partiale, generis, & differentiæ: v. g. ergo dicunt ordinem ad artificium totale, popositionem scilicet Probatur consequentia: brachium ab homine avulsum est pars hominis, & lapis in coronidem perpolitus pars est domus, etiam extra compositionem nulla, aliá ratione, nisi, quia brachium retinet organizationem, quæ antea habeat, & lapis habet dispositionem ad domum construendam: ergo similiter.

170 Respondetur: Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad eius probationem, concedo iterū antecedens, & consequentiam Ad cuius probationem transeat antecedens, sed nego consequentiam, & paritatem. Non recuso concedere; conceptus extra propositionem dicere ordinem ad eam, habere que aliquod artificium generis scilicèt, & differentiæ, sed hoc artificium solum constituit eos in esse subijcibilium, & prędicabilium, non vero in esse subiectorum, aut prædicatorum, cum hoc ab actuali prædicatione proveniat, vt iam manet probatum. Hinc disparitas. Brachium enim, materia, & forma dicuntur partes hominis ante compositionem, lapis perpolitus, pars domus ante eius cōstitutionem; quia ante compositum habent easdem organizationes, & artificium, ob quas intra compositionem apellantur partes. Ast vero extra compositionem, & enuntiationem conceptus, & voces non habent id, ratione cuius dicuntur termini intrinseci ipsius, scilicêt enūtiationem actualem, vi cuius constituuntur in esse prędicatorum, & subiectorum.

171. Dixi transeat antecedens. Quia iudico, neque brachium ab homine avulsum esse partem hominis, neque lapidem dolatum esse partem domus, vsque dum illam actualiter componat, nam vt optimè noster Olzina, vbi supra, lapides, & ligna in ratione partium artificij, quæ est denominatio contingens, involvunt artificium, aliás calx huius Domus, nexus, aut pars esset omnium ędificiorum. Dicuntur tamen partes per communionem, sive anticipationem eius prædicati, quod paulo ante habebat brachium, dum erat vnitum corpori, & quod paulò post habebit lapis dum vniatur domui. Pro hac loqutione Patronū habes Phylosophum, lib. 2. de Republica, c. 2. Sic: *Nam si homo qui totum quidem est, non est interra, neque pes, neque manus erit, nisi ex communione hominis non rationis quem ad modum siquis manum lapid eam manum esse dicat*: ergo si manus avulsa non est propriê manus, sed impropriè, eo modo, quo manus lapidea dicitur manus, neque erit propriè pars, sed erit in se iam totum quod dam iuxta illud axioma, *Separatio dat totalitatem*.

172. Objic. secundò. *Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem*, iuxta vulgare Phylosophorum axioma. Sic de homine verificatur esse animal rationale, quia actualiter ratiocinetur, aut sentiat, ergo quanvis illa vox *homo* actualiter non prędicetur, nec dicatur, dum modo possit dici, erit prædicatum, & terminus intrinsecus.

173. Resp. Nego maiorem, ita absolutè prolatam, quæ falsificatur Primò in modis qui non salvantur in aptitudine, sed in actu. Secundo, in concretis denominativis *cognitum, amatum, &c.* Proloquium est in duplici sensu. Primò quia definitio non exigit actualem existentiam definiti, sic ante existentiam vnionis potest definiri *Vnio est nexus extremorum*, non verò potest esse vnio, nisi actualiter vniat extrema. Secundó quia cum res aliqua definitur in ordine ad aliquas operationes, non exigit, quod actu dentur operationes. Sic homo definitur in ordine ad ratiocinationes, & sensationes, quin requiratur actualis existentia earum operationum.

174. Objic. tertiò. Terminus logicus in communi est propriè terminus logicus, sed terminus logicus in communi actu non terminat propositionem: ergo essentia termini salvatur sine actu. Probatur minor. Actu terminare est esse positive subiectum, vel prædicatum, sed terminus logicus in communi pręscindit à subiecto, & prædicato, quæ sunt differentiæ, à quibus abstrahitur, ergo actu non terminat.

175. Respondetur. Distinguo maiorem. Est proprie terminus logicus, signate; concedo: exercite, nego: & retorqueo argumentum. Actio, vt sic est propria actio, & vnio vt sic est propria vnio, sed actio vt sic nil vnit actu, aliás essent vnio, & actio partiales, aquibus præscindunt, ergo neque actio consistit in actu agere neque vnio in actu vnire, quod est, contra ipsos adversarios. Terminus ergo vt sic est solum signate terminus, hoc est, signate terminus partialis, exercite tamen ante propositionem non est terminus potest tamen esse terminus, quia de illo potest aliquid actu prędicari; v. g. *Terminus vt sic est ratio prǽscissa ab omni termino*, & tunc se habebit exercitè, vt terminus partialis.

176. Objic. 4. Omnis actus supponit potentiam, quiá ab actu ad potentiam valet cōsequentia, ergo in termino actus terminandi supponit posse terminare: ergo in hoc posse consistet essentia termini. Probatur hęc consequentia, quiá essentia rei est primarius eius conceptus, sed primarius conceptus est posse, cum supponatur ad actum: ergo in posse, & non ita in actu consistet essentia termini.

177. Respondetur. Distinguo antecedens: supponit potentiam, quæ sit necessario conceptus primarius, nego, quæ sit, vel conceptus primarius, vel non repugnantia, capacitas, seu aptitudo ipsius actus, concedo. Non omnis potentia distinguitur ab actu, neque actus á potentia. Sic essentia Dei non est posse, sed actu existere, essentia actionis non est posse, sed actu producere, nec in illis potētia ab actu distinguitur. Tūc enim solum potentia distinguitur ab actu, quando potentia est indifferens ad illum, & extra illum est completa potentiæ constitutio, sicut intellectus potentia intellectiva indifferens ad intelligendum, & non intelligendum, causa physcica indifferens ad agendum, & non agendum. Potentia vero completa termini logici intrinseci non est in differens ad actum, sed ipsemet actus.

178. Objic. quintò Plures voces extra propositionem vocantur termini syllogistici, primò terminus complexus, & incomplexus, secundò Pręviæ apprehensiones præcedentes ad iudicium, tertiò vt postea dicemus, tota definitio salvatur in apprehensione complexa Animal rationale; v. g. Ergo habebit proprios terminos logicales.

179. Respondetur, voces illas extra propositionem appellari terminos logicos, prout terminus coincidit cum voce, qua aliqua facultas vtitur ad significanda sua obiecta, sic ideo, qui congruis vocibus ad suos conceptus exprimendos vtitur, hispane dicitur. *Tiene buenos terminos.* Ad secundum respondetur, me non negare absolutè terminos extra propositionem, sed terminos intrinsecos, de quibus loquitur quæstio: Illę enim pręvię apprehenstiones, quę nō componerent propositionem, sed illam cingerent, sicut ripæ fluvium, essent termini logici extra propositionem, sed non essent intrinseci, sed extrinseci. Adverte tamen, quod sicut ad terminum logicum intrinsecum requiritur actualis enuntiatio,

tio,& extra illam nó datur,ita ad terminum logicum extrinsecum requiritur actualis terminatio, & extra illam non datur. Ad tertium respondeo. Definitionem,si consistat in apprehensione complexa,non habere terminos intrinsecos propositionis,cum non sit propositio,habere tamen terminos intrinsecos definitionis,de quibus eodem modo discurrere,ac determinis intrinsecis propositionis. Hoc est,extra definitionem non dari intrinsecos terminos definitionis.

180. Replicabis. Definitio est totum logicale,ergo eius termini intrinseci sunt termini intrinseci logicales, sed sunt extra propositionem,cum definitio propositio non sit, ergo dantur termini intrinseci logicales extra propositionem.

181. Respondetur; transeat primũ enthimema, & distinguo minorem subsumptam. Sed sunt extra propositionem, quam non constituunt concedo, quam constituunt,nego. Imò nego suppositum, quod si definito consistat in apprehensione complexa,sit plures termini, cum sit vnus terminus complexus, sicut *homo albus*;v.g.respectu tamen propositionis, quam talis terminus complexus,qui fuerit definitio,potest componere; v.g. *homo est animal rationale* non est terminus intrinsecus extra illius constitutionem.

182. Objic.sextò. Ad manifestationem huius propositionis internæ; v. g. *Petrus est homo* prius profero in instanti *A* vocem *Petrus*, sed in eo instanti est terminus, & in eo instanti non existit propositio,quia hæc,vt potè vocalis,profertur succesivè, ergo extra propositionem datur terminus. Probatur minor quo ad primam partem : illa vox *Petrus* habet artificium logicale subiecti vocalis, vt sit electa ad denotandum subiectum mentale,ergo.

183. Resp.Concedo maiorem, & nego minorem quo ad primám partem, ad probationem,nego suppositum antecedentis,quod solúm electio ad significandum subiectum mentale sit sufficiens artificium ad denominationem subiecti. Hoc namquè tantum provenit ab actuali prędicatione, quæ non datur, vsque dum succesivè profertur tota propositio integra,& dicitur *Petrus est homo.*

184. Replicabis. Vox *Petrus* non est subiectum in instanti *A*,quo profertur,quia nondum existit tota propositio, sed cum profertur vox *Homo*, iam non existit tota propositio, nam ly *Petrus est*, vt potè transiens iam evanuit, ergo neque vox *Homo* erit prædicatum, vel vtrumque dabitur extra propositionem.

185. Ex replica infertur,nullo modo dari terminos intrinsecos in propositione vocali, imò neque propositionem, cum propositio sit quoddã complexum subiecti, prædicati, & vnionis, quæ omnia nequeunt coexistere physcice, nam cum profertur *Petrus* nondum existit *est homo*, dum profertur *homo* iam evanuit *Petrus est*, ergo. Etiam infertur, neque extra propositionem esse terminos vocales, si sint pollysilabi : v. g. *Animal*, cuius syllabæ,cum tres sint, tribus saltem instantibus sunt proferendæ, & cum vna existit scilicet *A*, altera aut non est, aut prętęrita est. Cum enim dico *mal* iam *Ani* præteritum est, quælibet autem earum syllabarum non est terminus, tum quiá in illa voce essent tres termini, quod dissonat, tum quiá terminus vocalis debet repræsentare terminum obiectum, & quælibet syllaba seorsim illud non repræsentat.

186. Respondetur. Certum est, physice nullo modo coexistere prædicatum,& subiectum vocale,nam voces nil aliud sunt, quam soni ore animalium prolati, qui soni dicunt pro materiali aerem, & pro formali talem verbalem aeris fractionem, ex collisione duorum corporum. Undè prolata voce *Aer* quod est subiectum talis, vel talis fractionis, cum maximè labile,& fluidum sit statim fluit,& evanescunt voces, sed si moraliter loquamur, dum profertur prædicatum,iam censetur permanere tota propositio,ita vt existimatione prudentum sufficienter existit. *Petrus* vt subiectum. *Est* vt vnio, & *homo* vt prędicatum. At verò cum profertur subiectum scilicèt *Petrus* ad huc in existimatione morali non existit propositio,qua propter tunc ratione solúm electionis talis vocis non dicitur subiectum,vt iam diximus.

187. Objic. septimo. Etiam si extra propositionem non dentur subiectum, & prædicatum absolute, dantur tamen extra illam termini logici intrinseci. Probatur assumptum. Divisio termini logici in subiectum, & prædicatum non est essentialis, sed accidentalis, ergo denominatio subiecti, & prædicati logici in subiectum, & prædicatum actuale est accidentalis termino logico. Ergo stat essentia termini logici absque illis: ergo etiam si extra propositionem non dentur illæ denominationes, poterunt dari extera illam termini logici initrinseci essentialitèr, seu quo ad essentiam subijcibilis,& prædicabilis.

188. Assumptum argumenti titulo, & honore specialis conclusionis insignitur aquodam ingeniosissimo Moderno, & miror equidem. Quis enim ex affirmantibus, dari terminos logicos intrinsecos extra propositionem, vsquam probare tentat,dari extra propositionem subiectum,& prædicatum in actu secundò? Imò quod probant,est, non requiri ad rationem termini intrinseci esse subiectum,& prædicatum in actu secundo, sed sufficere,esse subiectum, & prædicatum in actu primo,quod est idem, ac dicere,non requiri esse subiectum, & prædicatum,sed subijcibile, & prędicabile, in quo,iuxta Modernum hunc, essentia termini logici intrinseci consistit : alijs enim vocibus subiectum in actu primo est subijcibile, & prædicatum in actu primo est prædicabile, quia omnes defendunt,quod etiã si extra propositionẽ non detur subiectum,& prædicatum, dantur termini logici intrinseci, quia extra propositionem sunt subijcibiles,& prædicabiles.

189. Sed admissa novitate, videas probationem, quam ad verbum retuli, vt cognoscatur eius terminorum mutatio. Respondetur. Nego assumptum,ad eius probationem concedo antecedens, & primam,& secũdam consequentiam, nego tamen tertiam,quę ex antecedentibus non infertu,in hac enim consequentia additur terminus intrinsecus,qui non apponitur in alijs. Non dubito,divisionem termini logici absolutè esse subiecti in accidentia; denominationes que subiecti,& prędicati esse termino logico accidentales,posseque reperiri totam essentiam termini logici absque eo, quod sit subiectum, & prædicatum in apprehensionibus pręvijs ad iudicium, & consequentia respectu syllogismi. Ex quo tantum infertur hęc consequentia: *Ergo dantur termini logici extra propositionem*, quam libenter concedo; non verò infertur illa, *Ergo dantur termini logicì intrincesi extra propositionem.*

190. Ut enim hæc consequentia inferretur,ita debebat apponi argumentũ. *Divisio termini logici intrinseci in subiectũ, & prædicatum est divisio accidentalis, ergo denominatio subiecti, & prædicati actualis est accidentalis termino logico intrinseco,ergo stat essentia termini logici intrinseci absque illis* : & si ita ponatur, nego antecedens, & vtramque consequentiam : divisio namque termini logici intrinseci in subiectum, & prædicatum est divisio generis in species, nec denominationes subiecti, & prædicati sunt accidentales termino logico intrinseco, sed essentiales. Neque essentia termini logici intrinseci propositionis vnquam potest salvari absque eo, quod sit subiectum, vel prędicatum; vndè si roges, quæ nam definitio

nitiò termini logici intrinſeci? Dicam. *Terminus logicus intriſecus eſt extremum conſtituens totum logicale.*

191, Ex huc vſque dictis inferes primò. Me non negare terminos logicos extra propoſitionem cum concedam, prevíás apprehenſiones eſſe terminos logicos, & hæ abſque dubio ſint extra propoſitionem, cuius non ſunt termini intrinſeci, ſed extrinſeci. Inferes ſecundò. Me etiam non negare, terminos logicos intrinſecos abſolutè extra propo poſitionem, túm quia admitto, in definitione dari terminos intrinſecos logicos, cum aliundè teneam, non eſſe propoſitionem. Tum quia in ſyllogiſmo, maiori, & conſequentia ſunt termini logici intrinſeci, & ſyllogiſmus non eſt propoſitio, ſed complexus propoſitionum. Quod teneo eſt. *Extra propoſitionem non dari terminos intrinſecos propoſitionis.* Et cum per vocem *termini intrinſeci logici* intelligant Adverſarij terminum intrinſecum propoſitionis, ideo eorum propoſitiones abſolutè aliquando negavi, ni ſenſu quæſtionis loquutus.

SECTIO. IX.

DIVIDVNTVR TERMINI.

192. TErminus primò dividitur in mentalem, vocalem, & ſcriptum; v. g. *Petrus, mente* apprehenſus eſt terminus mentalis. *Ore* prolatus, eſt terminus vocalis, *calamo* efformatus eſt terminus ſctiprus.

193. Terminus mentalis, dividitur primò. In *vltimatum*, & *non vltimatum.* Non *vltimatus* eſt cognitio ſigni, non rei ſignificatæ. Vltimatus eſt cognitio ſigni, & rei ſignificatæ; v.g. Chriſtus Dominus in Cruce pendens clamavi *Eloy, Eloy.* Cognitio Chriſti fuit vltimata, quia ſciebat vocem, & eius ſignificatum. Cognitio veró judæorũ nõ vltimamata, quia ſciebant vocem, & eius ſignificatum ignorabant, dicebant enim: *Eliam vocat.*

194. Secundò dividitur in intuitivum, & abſtractivum. Intuitivus eſt cognitio rei præſentis in ſe ipſa. Abſtractivus eſt cognitio rei in alio. Utrumque explicuit Divus Paulus ad Corinth. 13. Videmus nunc (ſcilicèt Deum) *per ſpeculum in enigmate,* en cognitio abſtractiva) *tunc autem facie ad faciem*, en cognitio intuitiva.

195. Tertiò dividitur in directum, & reflexum. Directus eſt cognitio rei á ſe diſtinctæ. Reflexus eſt cognitio cognitionis, vel diſtinctę, vel indiſtinctæ; v.g. Cognitio, qua Deum cognoſco, eſt directa, & cognitio, qua cognoſco, me cognoſcere Deum; eſt reflexa.

196. Terminus vocalis primò dividitur in communem, & ſingularem. Terminus communis, vel eſt communis cõmunitate phyſica, & materiali, quæ abſque ſui pluritate pluribus communicatur. Vt Deitas tribus Divinis Perſonis: vel eſt communis communitate logica, quæ in illis, quibus communicatur, multiplicabilis eſt vt homo reſpectu Petri, & Pauli.

197. Inferes primò. Terminum *Deus* non eſſe, communem logice tribus Divinis Perſonis contta Patrem Zuñiga. Rationem vero Perſonę eſſe communem logicè, cum multiplicetur in tribus perſonis. Si tamen ſumatur analogice pro iudice, aut Principe iuxta illud Pſal. *Ego dixi Dii eſtis,* communis erit, idem dic de hoc nomine Petrus, ſi ſumatur pro eo, qui natus eſt die Sancti Petri, *commune eſt*; ſi verò pro individuo completo, *particulare.*

198. Inferes ſecundò cum Patre Arriaga contra Patrem Hurtadum, hos terminos *Civitas, omnis homo, Petrus, & Paulus, & alios Collectivos,* non eſſe terminos communes, quia non poteſt affirmari de inferioribus, quæ ſubſe continent;

eſſe

eſſe civitatem, omnes homines, Petrum, & Paulum ſimul At verò civitas reſpectu Civitatũ. Petrus, vel Paulus diſiunctivè ſunt termini communes, quia de vna quaque Civitate eſſe Civitatem, & de vno quoque homine eſſe vel Petrũ, vel Paulum verificatur. Nec ex eo, quod terminus *Omnis* conſtituat propoſitionem vniverſalem infertur, eſſe terminum communem, nam ad terminum communem materialitèr ſe habet vniverſalitas, & formalitèr, quod ſit terminus participabilis ab inferioribus. Sic terminus *Aliquis homo* non eſt vniverſalis, & eſt communis.

199 Inferes tertiò. Terminum *hic homo* eſſe communem, cum ſit ab inferioribus participabilem, & multiplicabilem in ipſis. Scias, ad terminum communem non requiri actualem exiſtentiam pluriũ ſub ea ratione, ſic ſol eſt terminus communis ad ſolem exiſtentem, & ſoles poſsibiles.

200 Terminus communis logicè eſt ſextuplex, Primus *tranſcendens*, qui inbibitur in omni conceptu, cuiuſmodi ſũt contenti in illa voce *R. E. V. B. A. V.* quodcumque enim eſt *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum.* Secundus non *tranſcendens,* quę communis eſt pluribus, non tamen inbibitur in omnibus, vt *Homo.* Tertius. *ſupratranſcendens*, qui communis eſt enti reali, & ficto, vt *cognoſcibile.*

201 Quartus *vnivocus, cuius nomen eſt commune, ratio verô ſignificata per nomẽ omninô eadem* in inferiobus, vt homo, qui idem in omnibus inferioribus ſignificat. Quintus *analogus: cuius nomen eſt commune, ratio verô ſignificata per nomen partim eadẽ, & partim diverſa,* vt *leo,* qui ſignificat brutum, & hominem fortem, qui differunt in in natura bruti, & hominis, & conveniũt in fortitudine per illam vocem etiam ſignificatam. Sextus *æquivocus, cuius nomen eſt commune, ratio verô ſignificata per nomen eſt diverſa.* Equivocus vnus dicitur â caſu, vt *Gallus* nomen eſt idem, ratio vero ſignificata diverſa ſcilicèt. *El Gallo, y el Francês,* alius â conſilio, vt *Riſus* reſpectu hominis, & prati: ſignificat hilaritatem in homine, & viriditatem in prato. Hic coincidit cum analogo.

202. Terminus ſingularis oppoſitus communi eſt duplex. Primus determinatus, qui rem determinatam ſignificat, vt Petrus. Secundus indeterminatus, qui rem indeterminatam ſignificat. vt *Quidam homo.* Scias cum Arriaga, & Hurtado, hanc indeterminationem ſe tenere ex parte intellectus, ex parte verò obiecti ens ſingulare, & determinatum eſt.

203 Secundò dividitur in *Cathegorematicum,* & eſt, qui ſe ipſo perfectè ſignificat, vt nomen ſubſtantivum, v. g. *Petrus,* & Sincathegorematicum, & eſt, qui ſe ipſo abſque iuvamine alterius non ſignificat, vt omne nomen adiectivum, quod abſque conſortio nominis ſubſtantivi perfecte non ſignificat.

204 Etiam dividitur in terminum mixtum, qui participat aliquid de vtroq; de Cathegoremático, non indigere nomine ſubſtantivo, de ſincathegorematico, non ſignificare ſe ſolo, ſed vt adiacens verbis, ita ſe habent adverbia, v.g. *Petrus currit velocitêr.* Nec in hac propoſitione *Deus eſt vbique,* ly *vbique* prædicatur abſolutê, ſed vt adiacet verbo, idem enim eſt *Deus eſt exiſtens vbique.*

205 Tertiò dividitur in terminum *primæ intentionis,* qui rem, vt eſt in ſe, ſignificat, v. g. *Ioannes*, & in terminum *ſecundæ intentionis,* qui rem ſignificat ſecundum eſſe, quod habet ab intellectu, v. g. *Genus, ſpecies,* &c.

206 Quartò. Terminus *poſitivus* rẽ poſitivam ſignificat, vt *ſenſibile.* Terminus *negotivus* rem negativam, vt *inſenſibile. Privativus* privationem, vt *tenebræ.* Scias, quod ſi ſubiectum ſit capax habẽdi formam poſitivã, terminus dicitur privativus, ſeu privatio, vt *carentia viſus in homine cæco*; ſi non ſit capax. Dicitur *termi-*

mi-

minus negativus; seu negatio, vt *carentia visus in lapide.*

207. Quintò. Terminus *complexus* est, cuius partes separatæ significant; v.g. *Animal rationale*. Terminus *incomplexus*, cuius partes separatæ non significant; v.g. *Petrus*, vel non servant eamdem significationem vt *Dominus*.

208. Sextò. Terminus *rectus* est casus nominativus, vt *Petrus*, *obliquus* est casus genitivus, vel alius à nominativo distinctus, vt *Petro*.

209. Septimò. Terminus *reduplicativus* est, cui anteponitur vna ex his particulis *quatenus*: *inquantum*; vt: *specificus*, cui tales particulæ non præferuntur.

210 Octavo. Terminus *concretus*, qui composito modo significat, vt *homo albus*. *Abstractus*, qui est subiectum denominationis vt *Homo*.

211. Nono. Termini *impertinentes* sunt, qui nullo modo sè inferunt vt *Rex, musicus*. Termini *pertinentes*, *sequela* sunt illi, qui se inferunt, vt *Homo*, & *animal rationale*, valet enim *est homo*; ergo *animal rationale*. Ex his alij se mutuo inferunt vt est *homo, ergo Animal rationale*. Est *animal rationale*; *ergo homo*, hi dicuntur *convertibiles*. Alij verò non se mutuo inferunt, & dicuntur *inconvertibiles*, vt *est homo* valet, ergo, *& animal*; non vero, *est animal, ergo & homo*.

212. Termini *pertinentes repugnantia* sunt, qui se invicem excludunt. Quintuplicitèr opponuntur. Primò disparatè, vt *homo, & lapis*. Secundò relativê, vt *Pater, & Filius*. Tertiò contrariè, vt *album, & nigrum*. Quartò privativê, vt *lux, & tenebræ* Quintò contradictoriè, vt *homo*, & *non homo*.

213. Decimo. Terminus *finitans* significat rem determinatê, vt *homo*. Terminus *infinitans*, qui omnia alia, pręter id, quod determinatê neg[illegible]t, significat indeterminatè, vt *non leo*; nam homo, plantę, flores, & quævis alia præter Leonem sunt *non leo*, sed negatio præferenda est nomini, aliâs si verbo præferretur, non esset terminus infinitans, sed propositio negativa. Aliud enim est, *non est leo*, ac *est non leo*.

214. Scias primò. Terminum transcendentem posse infinitari, quia negato eo potest affirmari aliquid distinctum ab eo indeterminatè; v. g. *non ens*, determinatè negat *Ens*, indeterminatè affirmat impossibilia, Entia rationis, &c. Scias secundò. Terminum supra transcendentem infinitari non posse; quia negato supra transcendenti, scilicèt non *cognoscibili*, non datur aliquid, quod affirmari possit. Scias tertio; terminos *Omnis, & aliquis* posse infinitari, vel simul cum alijs; v.g. *Non omnis homo currit*, quod idem est, ac dicere *currere* aliquid *quod non est tota hominum collectio*. Etiam: *non aliquis homo currit*, quod est idem ac *nullus homo currit*, vel solitarie, quia *Non omne currit*, idem est, ac *tota collectio hominum non currit*, & præter totam collectionem negatam datur aliquod, nempè particulare individuum, quod currat Si vero *omne* supra transcendentér sumatur, non potest infinitari, vt iam dixi.

SECTIO X.

TERMINI PROPRIETATES.

215. PRincipalior termini proprietas solet apponi *suppositio*, in cuius definitione maximè inter se discrepant Doctores. Vnusquisque enim pro suo nutu, vel eam effingit, vel innovat. Videatur Pater Arriaga disp. 1. de terminis, sect. 6 subsect. 1. Alij enim, vt dicant, voces non supponere vel supponi (idem enim apud Sumulistas activè, ac passive significat Verbum *suppono*) pro conceptibus, sed pro rebus, ita suppositionem definiunt cum Toleto. *Est positio vocis loco sui significati*: alij vero, vt etiā dicant conceptus, & voces pro rebus supponere, ita eam definiunt. *Est positio termini pro suo significato*. Ego autem in re de nomine, Grammaticæ, & vsui vocis magis conformem iudico hanc apud nostrates communem definitionem. *Suppositio est positio vnius loco alterius ad præstandum munus illius*, sic Prorex Peruvij supponit pro Rege Hispaniæ, ad præstandum in Peruvio idem, quod si Rex assisteret, præstaret. Vndè ex definitione communi suppositionis, sic suppositionem logicam definio. *Est positio cuiusque signi loco conceptus ad manifestandum illius obiectum*.

216 Hinc infer primò. Conceptus mentis non supponere pro rebus, licèt illas significent. Non enim est idem supponere, ac significare. Tubarū clangor (vt optimè Oviedus) pugnam significat. Symbali sonus Sacrum celebrādum. Quis enim dicet: Clangorem supponere pro bello, & sonum symbali pro sacro? Ergo non est idem significare, ac supponere. Probatur conclusio: munus obiecti est repræsentari, mittere speciem impressam sui, & prædicari, vt *quod*. Munus vero actus est repræsentare, prædicari *vt quo*, & exprimere obiectum. Hęc distincta munera sunt, ergo conceptus non præstant idem munus, quod res, & obiecta: ergo nec supponunt pro ipsis, idem dic de vocibus, scilicêt nō supponere pro rebus.

217 Infer. 2. Voces solum supponere pro conceptibus, quia cum intellectus nequeat corpore impeditus ipsos suos conceptus alijs manifestare (vt inter Angelos fit) vocibus ad hoc vtitur, ergo voces idem munus, ac conceptus mentis exerceret, si se ipsos patefierent, exercent; ergo pro eis supponunt.

218 Infer tertiò. Suppositionem non esse proprietatē termini logici. Túm quia terminis mentalibus non convenit. Tûm quia etiam convenit vnioni vocali, quę per nos terminus non est, vt supponit pro conceptu mentis.

219 Infer quartò. Suppositionem non esse proprietatem, sed essentiam termini vocalis, quia vox provt significat ad placitum, est locutio humana essentialitér significativa, & expressiva conceptuum mentis in ordine ad manifestanda obiecta; ergo non est proprietas, sed essentia termini logici vocalis, pro mentali supponere.

220 Suppositio hæc dividitur in *materialem*, *& formalem*. Materialis est, cum vox se ipsam reflexe significat, vt *Blictiri est vox*. De hac suppositione, & ratione termini in vocibus non significativis in libris de Peryhermenijs agam. Formalis, & directa suppositio; est cum vox supponitur pro conceptu ad significandam rem à se distinctam, vt *leo* ad significandam naturam leoninam. Suppositio personalis significat rem secundum quod ex se habet, vt *homo est animal rationale*. Suppositio simplex significat rē secundum quod habet, non ex se, sed ab intellecto, vt *homo est species, animal est genus*.

221 Suppositio propria significat rem propriam, vt *Leo naturam leoninam*. Suppositio impropria significat rem impropriam, vt *leo hominem fortem*. Suppositio essentialis rem essentialem significat, vt *homo est animal*. Demúm totsunt suppositionum species, quot terminorum.

222 Suppositio copulativa, seu collectiva significat rem communem toti collectioni. Hæc de singulis nequit verificari. v. g. *Omnes Apostoli sunt duodecim*, nequit enim de singulis Apostolis dici: *Ergo Ioannes est duodecim, &c.* nisi ita: ergo *Ioannes est vnus de duodecim*. Suppositio distributiva alia est completa, & absoluta pro omnibus inferioribus, seu pro singulis generum. v. g: *Homo est animal*, & tunc licet inferri. Ergo *hic*, & *hic*, & sic de singulis est *animal*. Alia incompleta, & accommoda, vt *omnes in Adam peccaverunt*, quę non verificatur

d. Christo Domino, & Uirgine MARIA. Item illa; quæ supponit, pro generibus singulorum, vt *omne animal fuit in Arca Noë*, id est ex omni genere animalium aliqua fuerunt in Arca Noë.

SECTIO XI.

DE ALIJS TERMINI PROprietatibus.

223 PRima ergo proprietas termini est assensus, quæ est progressio ab inferioribus ad superiús: v. g. *hic homo, & ille, & ille, &c. est animal* valet. Ergo *omnis homo est animal*. Si verò omnia inferiora non enumerentur non vincit ascensus; v. g. *Petrus, & Ioannes Apostoli prædestinati fuerunt*. ergo: *Omnes Apostoli prædestinati fuerunt*, est falsus ascensus, quia Iudas fuit Apostolus, & prædestinatus non fuit,

224 Secundò. *Descensus* est progressio á superiori ad inferiús, *vt omnis homo est animal*, valet; ergo hic, & hic, & ille est animal, &c.

225 *Status* est acceptio termini pro termini pro tempore copulæ principalis: v. g. *Petrus, qui fuit dives, est pauper*: status huius propositionis est de præsenti quia copula principalis, nempè ly *est* hoc denotat. Status est præsens, præteritus, & futurus.

226 Quarta ampliatio. Est extentio termini ad alia tempora præter importatum per copulam principalem; v. g. *In principio erat Verbum*: hoc est, quod fuit, quod est, & quod venturum est.

227 Quinta *Distractio* est acceptio termini pro tempore distincto ab eo, quod per copulam importatur, vt *Iustus peccat*, id est, qui erat, aut fuit iustus: nūc peccat.

228 Sexta *Restrictio* est limitatio termini á maiori ad minorem significationem, *vt homo doctus præmiatur*, vbi ly *homo*, per ly *doctus* restringitur ad tales homines.

229 Septima. *Diminutio*. Est trāslatio termini à significatione absoluta ratione alicuius additi ad significationē secundum quid, vt Ætiops *est albus secūdum dentes*, per ly *secundum dentes* minuitur albus.

230 Octava. *Alienatio* est translatio vocis á propria ad impropriam significationem ratione alicuius additi, vt *homo pictus*, ratione, ly *pictus* alienatur à propria significatione ly *homo*.

Nona. *Appellatio* est applicatio significationis vnius suprá significatum alterius. Hæc est duplex materialis, & formalis: materialis appellatio est cum significatum termini denominantis cadit supra materiale, hoc est, supra subiectum materiale alterius termini denominantis. Formalis appellatio est cum significatum termini denominantis cadit supra formale significatum alterius terminini denominantis. Exemplo res clarescat in hac propositione, *Aristoteles fuit magnus Philosophus*, materiale, seu subiectum est *Aristoteles*. Formale, seu *forma* est ly *Phylosophus*. Vndê si ly *magnus* cadat supra Aristotelem, & non supra Phylosophum erit appellatio materialis, & sensus erit *Aristoteles, qui magnus est, est Phylosophus*. Si verò ly *magnus* cadat supra Phylosopbum, & non supra Aristotelem immediatè, erit appellatio formalis, & eius sensus hic *Aristoteles fuit Phylosophus magnus*.

231. Scias, á termino alienato non valere consequentiam ad absolutam, vt *est homo pictus* non valet, ergo *homo*: neque â termino restricto valet affirmativè ad absolutum; v.g. *Omnis Scholasticus piger dignus est pœna*: non valet, ergo *Omnis Scholasticus dignus est pœna*, valet tamen negativè, vt *Scholasticus piger non studet. Ergo non omnis Scholasticus studet.*

232. A termino diminuto communitèr non valet ad absolutum, vt *Ethiops est albus secundum dentes*, non valet, *ergo absolutè est albus*, non quia non posset in toto rigore albus dici, & denominari (vt optimè Sapientissimus Pater noster Leonardus de Peñafiel) licet sit á minima parte corporis, sicut homo dicitur absolutè crispus á capillis. Nasutus á Naso, minimis certè corporis partibus. Totum ergo hoc de denominationibus ad communem vsum, & modum loquendi reduci debet, iuxta illud Aristotelis. *Loquendum cum pluribus, sentiendum cum paucis*: ideo quæ dixi á termino diminuto communitèr non valere ad absolutum, sicut non valet in Æthiope, qui absolutè appellatur niger, & non albus.

233. Hic ab aliquibus aliæ quæstiones excogitari solent, præcipuè cum Arriaga circa multiplicationem concretorum, sed ne á summularum nomine exorbitem alio remitto. Vide interim, si placeat, Arriagam, disp. 1. sect. 1.

TRACT. II.

DE SECVNDA MENTIS OPERAtione nempê indicio.

1. ALiqua de Grammaticæ campo pro plena propositionum intelligentia desumenda sunt; sit ergo brevitèr.

SECTIO I.

DE NOMINE, VERBO, & oratione.

2. OMissa Aristotelica Nominis definitiones impugnata ab Hurtado, defensata á Linze, sic cum Arriaga ex Nebrisensi Antonio nomen defininio *Est vox significativa ad placitum per casum declinabilis*. Per ly *significativa ad placitum*, voces non significativæ excluduntur á ratione nominum. Verbum, interiectiones. Adverbia, particulæ, per ly *declinabilis per casus* excluduntur.

3. Objic. Frugi, Pondo, Sponte, &c. sunt nomina iuxta ipsum Nebrisensem, sed non sunt declinabilia per casus, sed potius indeclinabilia: ergo.

4. Resp. primò. Ex Arriaga: nomina hæc habere integros casus, sed eodem modo desinentes, sicut apud Hispanos nomina in singulari haberent omnes casus similes, & similes etiam in plurali, nec ideo sunt indeclinabilia; vel dic facilius, non esse nomina proprie, sed improprie. Idem dic de *Veru, Genu*, &c. in numero singulari, licet in his Hurtadus ex authoritate Sanctæ Augustini determinate dicat, esse declinabiles.

5. Replicabis. Ergo pariter Verbum dicetur declinari per casus eodem desinentes, vt *Amo est Verbum* in nominativo. *Amo non repugnat significatio*, in Dativo, & similiter.

6. Respondetur; in his propositionibus esse supplendam vocem aliquam, idem enim valet: *Amo est Verbum*; ac *Hæc dictio amo est Verbum*: & *Amo non repugnat significatio*. ac *huic dictioni amo non repugnat significatio*. Vnde Amo semper indeclinatum manet.

7. Uerbum ex eodem Antonio sic definitio: *Vox coniungata per tempus determinatum* convenit omni Uerbo, & omni tempori præsenti, præterito, & futuro, ergo estrecta.

8. Objic. Aliqua nomina significant tempus; v.g. *Annus, Hora, Mensis, meridies*, ergo.

9. Resp. primò. Ea nomina significare tẽpus, sed nõ declinari per tẽpus. Respondetur secũdò. Ea nomina significare tempus, sed non determinatum, nam nec affirmatur, nec negatur, an sonuerit hora, vel non, an mensis existat, vel extitisset. Idem dic de participijs verborum, quæ verba non sunt, cum determinentur per Verbum *Sum es fui*. Amatus fuerit, &c.

10. Oratio est *complexio dictionum cum copula congruentium* convenit orationi mentali, quæ sine vllo fundamento ab Alphonso, lib. 1. Sumul. c. 2. Excluditur á ratione Orationis, convenit etiam Orationi vocali, quę etiam voluntariè ab Orationis nomine privatur á Patre Idelphonso de Peñafiel, disp. 9. Logicæ quęst. 3. n. 13. ponitur cum copula, & non cum Verbo, quia forte propositiones ęternę veritatis Uerbo carent, vt aliqui apud Conimbricenses affirmant, & tamen sunt Orationes. Excluditur terminus complexus, scilicet *Petrus iustus*, qui oratio non est, cum careat copula. Dicitur *congruentium*, quia dictiones incongruæ, vt *Ego legebatis* orationem non constituunt.

11. Duplex est oratio, alia imperfecta, quæ sensum imperfectum habet, relinquit que suspensum audientem, vt *si Petrus legat. Cum ego veniam*. Alia perfecta, quæ sensum perfectum habet, vt *Petrus audit*: hęc, vel est imperativa, vt *Fac hoc*, vel interrogativa, vt *Unde venis*? vel, optativa, vt *vtinam legas*! vel deprecativa, *vt venias rogo*, vel denique enuntiativa, vt *Petrus est homo. Ioannes currit*.

Circa quam totum nobis negotium erit.

(6)

SECTIO II.

DE PROPOSITIONE.

12. REiectis varijs definitionibus. apud Patrem Linze, lib. 4. tract. 1. & etiam propria ipsius Linze á Patre á Arriaga, sect. 2. n. 12. Physicæ auct, vbi num. 16. antiqui cursus definitionem emendat, & corrigit. Sic cum Damasceno, Oviedo, & Compotono, disp. 5. sect. 6. propositionem definio: *Est oratio aliquid de aliquo statuens*. Ly *Oratio* est genus ad omnes Orationes, de quibus numero antecedenti. Reliquæ particulæ sunt differentiæ. Si roges, quid sit statuere? Respondeo, esse enuntiare prędicatum de subiecto, vel affirmare, vel negare. Ponitur *aliquid de aliquo*, & non vnius de alio; quia cum subiectum, & prædicatum obiectivum identificentur inter se, non datur inter ea alietas, quę distinctionem requirit.

13. Quatuor in propositione reperiuntur. Materia, forma, quantitas, & qualitas; quæ pars appellanda est materia, quæ vero forma in propositione? Res est pure de voce non parum fatigans Patrem Linze tract. 3. cap. 1. Tu dic, has voces varie posse sumi; si loquamur de materia, & forma partiali propositionis ad instar compositi physici, subiectum erit materia, & prędicatum erit forma, quæ media vnione subiectum afficit. Si loquamur de materia totali, hęc est triplex. Prima est materia inqua, & est intellectus; in eo enim subiectatur propositio. Secunda est materia ex qua, & est prędicatum, & subiectum, quę sunt qua si partes formales intellectus. Tertia est materia circa quam, quę re ipsa propriè dicitur materia propositionum, & est connexio prædicati, & subiectivi.

14. Hæc etiam materia est triplex

Pri.

Prima est necessaria cum prędicatum convenit subiecto, vel essentialitèr, vt *homo est rationalis*, vel naturalitèr, vt *homo est risibilis*, & in hac materia propositio affirmativa semper est vera, negativa semper est falsa. Secunda est impossibilis, quę etiam remota dicitur, cum prędicatum repugnat subiecto, vt *homo est equus*, & in hac materia propositio affirmativa semper est falsa, negativa semper est vera. Tertia est contingens; v.g. *Petrus est iustus*, & in hac materia, tam affirmativa, quam negativa propositio potest esse falsa, & etiam potest esse vera. Forma denique totalis propositionis est vnio, per quam constituitur formalitèr in ratione statuentis. Vnio namque est formalis enuntiatio.

15. Quantitas propositionis methaphoricè desumpta á quantitate physica est extensio significationis ad plura vel pauciora; sicut quantitas mollis est extensio corporis ad locum: est quatruplex. Prima, vniversalis, quando subiectum afficitur termino vniversali *Omnis, Nullus vniversus, &c.* Secunda partialis, quando subiectum afficitur signo partiali *Aliquis, Quidam*, vt *Aliquis homo currit*. Tertia singularis, cum subiectum est terminus singularis, vt *Petrus, Ioannes* &c. vel afficitur aliquo termino singulari *Hic, Hæc, Hoc, Iste, Ista, Istud, &c.*

16. Quarta indefinita, cum subiectum est commune, & nullo signo afficitur, vt *homo est animal*: hæc indefinita propositio in materia necessaria affirmativè ęquivalet vniversali, vt *homo est animal*, idem est ac *Omnis homo est animal*: in materia impossibili negativè, etiam æquivalet vniversali, *vt homo non est lapis*: idem est ac *Nullus homo est lapis*. In materia contingenti æquivalet particulari, vt *Homo currit*, idem est, ac *Aliquis homo currit*, etiam negativè, vt *homo non est albus*, idem est ac *Aliquis homo non est albus*. Hic scias, quantitatem propositionum desumendam esse á subiecto, non á prædicato. Unde hæc *omnis persona Divina est. Vnus Deus* est vniversalis, licet prędicatum sit particulare, & hæc *Deus est omnis Persona Divina* est particularis, licet prędicatum sit vniversale.

17. Qualitas propositionis est veritas, vel falsitas, quę radicatur in substantia propositionis, affirmatione scilicet, vel negatione. Vnde hæc propositio *Petrus est homo*, ideo vera est, quia affirmat de Petro prædicatum illi conveniens.

18. Propositio primò dividitur in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, quæ enunciat identitatem prędicati, & subiecti obiectivi, vt *Petrus est homo*. Negativa, quæ removet identitatem hanc vt *Petrus non est lapis*. hæc divitio est contra Caramuél. Qui num. 1253. & 1288. iudicat; nullam esse propositionem negativam sed omnes esse affirmativas, saltem infinitanter, nam idem est *Petrus non est Leo*, ac *Petrus est non Leo*. En affirmativa propositio, sed novitate hac denomine destruit Phylosophorum vsum, Omnes enim ex Aristotele primò Prior. cap. 1. dividunt propositionem in affirmativam, & negativam. Pręterea ex eo etiam liceret alicui affirmare; nullam esse propositionem affirmativam, cum etiam omnis affirmativa post negativæ æquivalere: v.g. *Petrus est homo*, idem est, ac *Petrus non est quid distinctum ab homine* en propositio negativa: ergo non est dicendum, ex æquivalentia mutua affirmativarum, & negativarum propositionum, non esse aliquas affirmativas, & aliquas negativas.

19. Propositio secundò dividitur in modalem, quæ sub aliquo modo statuit prædicatum de subiecto, vt *Petrus currit velociter*, & in propositionem *de in esse* quæ absolute enuntiat, *vt Petrus est currens*. Tertio Propositio de secundo adiacente est, quę predicat tantum verbum *est* vt *Petrus est*. Propositio de tertio adiacente addit verbo *est* aliquod

K præ

prædicatum expræssum vt *Petrus est homo.* Quartò propositio formalis est, in qua saltem quoad expressum distinguitur prædicatum á subiecto, vt *Homo est animal.* Propositio identica, in qua idem etiam quoad expressum prædicatur, vt *Petrus est Petrus.*

20. Quintò Propositio reduplicativa est, in qua per particulas *Prout, inquantum, vt,* exprimitur ex parte subiecti aliquid ratione cuius illi convenit prædicatum, vt *comestio carnis vt prohibita est mala* prositio specifica est, quæ caret talibus particulis, vt *Ioannes est homo.* Propositio exponibilis est, quæ ad intelligentiam eget expositione. Exponēs est illa, per quam exponitur.

21. Septimò. Propositio exceptiva est, quæ á subiecto communi excipit aliquid, aliqua ex his particulis *Præter, Nisi, Extra,* vt *omnis homo præter Petrum currit.* Hæc propositio exceptiva semper est mista ex affirmatione, & negatione. Affirmat de vniversali, negat de particulari. Idem enim est, ac *omnis homo distinctus á Petro currit, & Petrus non currit.* Propositio exclusiva est, quæ per aliqua ex his signis *Tantum, Dumtaxat, Merè, solum,* excludit aliquid, vel ex parte subiecti, vt *Petrus tantum currit*, quod est idem, ac *Petrus currit, & nullus alius distinctus á Petro currit,* vel ex parte prædicati, vt *Petrus est tantum doctus*, quod idem est ac *Petrus est doctus, & nihil aliud.* Differt ab exceptiva, nam prædicatum, quod excluditur non est contentum in aliquo termino superiori, sicut prędicatuum, quod excipitur.

SECTIO III.

DE PROPOSITIONE COMPLEXA, & incomplexa.

22. PRopositio incomplexa, quæ & communitèr Cathegorica appellatur, quidquid contendat Hurtadus, disp. 4. §. 7. est simplex propositio, vt *Homo est animal.* Propositio complexa duplici propositione modo aliquo vnita constat, quæ etiam communitèr hypotetica appellatur, licet hoc nomen rigorose solum causali, & conditionali cōveniat.

23. Hæc est multiplex prima. *Copulativa,* quę his particulis *Et, Ac, Atque,* duas vnit propositiones, vt *Petrus currit, & Ioannes legit.* secunda est disiunctiva, quę his particulis, *vel, sive. Aut.* duas anecti propositiones, vt *Petrus currit, vel Ioannes ridet.* Tertia relativa ab aliquo relativo denominata, vt *Ioannes, qui legit, scit.* quarta causalis, quæ ratione alicuius particulæ ex his. *Quia, Ergo. Igitur* denotat obiectum vnius propositionis esse causam obiecti alterius, vt *Quia Petrus currit, fatigatur,* hoc est; *causa fatigationis Petri est eius cursus.* Quinta conditionalis, quę propriè hypothetica appellatur, continet que aliquam conditionem, per particulam *si* importatam.

24. Hæc conditionalis est quadruplex. Prima cū conditio necessario ponit subiectum, vt *si sol adsit, dies erit.* Secunda cum conditio ponit subiectum contingenter, *vt si petam á Petro, mihi dabit.* Tertia cum conditio est imposib lis: sed illa posita potest esse, vel contingenter connexa. Vt *si Petrus esset aquila, nuno volaret,* vel necessario connexa, *vt si aquila esset homo, discurreret.* Quarta cum conditio est omnino disparata cum subiecto, vt *si Turca dormit, Cælum tonabit.*

25. Ex explicatione harum propositionum constabit, eas non esse aggregatum quoddam ex propositionibus Cathegoricis, vt aliqui contendunt sed vnicam propositionem simpliciter talem, constantem vnica vnione, vnico prædicato, vnico que subiecto, licet alias sit materialitèr multiplex.

26. Propositio copulativa *Petrus currit, & Ioannss legit*, idem intellige de hac; *Petrus currit, & movetur*; & similibus, respicit vt prędicat, tum si multa-
tem

tem cursus Petri; & lectionis Ioannis, ipsum Petrum, & Ioannem, vt vnicum, subiectum de quo vnica vnione prędicat simultatē: ita *Incursu Petri, & Lectione Ioannis datur simulas,* vnde potest evenire, quod propositioues categoricæ sint veræ, saltem pro diverso tempore, & copulativa semper necesario falsa, vt patet in his propositionibus: *Petrus legit, & non legit*: est necessariò falsa, & tamen *Petrus legit* potest esse vera, & etiā, *Petrus non legit.* Si legat Petrus hac hora; & in sequenti, non legat.

27. Vnde materia propositionis copulativæ est omnino distincta á materia propositionū simplicium: materia propositionum simplicium est conexio cursus cum Petro, & lectionis cum Ioanne: materia vero copulatvę est conexio cursus Petri, & lectionis Ioannis inter se. Hinc inferes; ad veritatem propositionis copulativæ, requiri vtriusque propositionis verificationem, & quod Petrus currat, & quod Ioannes legat, ita vt Petro nō currente, & si Ioannes legeret; vel Ioanne non legente, & si Petrus curreret propositio esset falsa.

28. Disiunctiva respicit disiunctionem, vt materiam: hoc est indeterminatam, & vagam existiā alterius vtrius Cathegoricæ, sed vt propositionem disiunctivam bene percipias. Scias, in duplici sensu posse accipi: in sensu exclusivo, vel in sensu præscisivo. Propositio disiunctiva exclusiva vnum tantum ex obiectis indeterminatè affirmat, excludens simultatem vtriusque ita vt si vtrumque poneretur esset falsa propositio, & in hoc sensu protulit illam disiunctivam S. Dionisius Areopagita. *Aut Deus naturæ patitur, aut tota mundi machina dissolvitur.* Excludens simultatem passionis Dei, & dissolutionis mundi, affirmansque vnum è duobus, sed indeterminatè.

29. In propositione disiuntiva præscisivè disiunctio *vel*, idem valet, ac *saltem*, vel, *adminus*, quæ licet solum affirmet vnum indeterminatè, & ad suam veritatem hoc sufficiat, tamen non excludit simultatem: ita vt etiam si vtrumque ponatur, ad huc propositio manet vera: sic se habet illud Dei præceptum. *Qui maledixerit Patri, vel matri morte morietur.* Ex hoc non infertur, quod qui maledixerit vtrique, non sit moriturus: Et etiam illud Christi servatoris, Mat. 18. vers. 20. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sunt in medio eorum.* Sensus illius, *vel* est *saltem.* Quando verò propositio sit exclusiva, quando verò præscisiva cognoscetur, vel ex prędicato propositionis, vel ex animo proferentis. Hinc inferes, propositionem disiunctivam esse particularem propositionem, non vero duplicem Cathegoricam, si quidem, & distinctum obiectum respicit, vnum scilicet ê duobus disiunctivê, & hęc propositio complexa *Petrus est* vel *non est* Necessariò est vera & ablata disiunctione, vna ex duplici Cathegorica necessario est falsa.

30. Propositio relativa; v.g. *Ioannes, qui legit, scit,* (si forte sit propositio complexa, potius enim videtur propositio simplex de subiecto complexo, idem namque videtur *Petrus, qui* albus est, legit ac Petrus albus legit) respicit, vt prædicatum actionem per Uerbum præcipuum significatam, & pro subiecto totam primam propositionem: de Petro enim legente affirmatur scientia. Vnde simul affirmatur, Petrum legere, & scire, & ad minus, supponitur, Petrum legere, & affirmatur scire. Ergo distincta est á propositionibus cathegoricis. Etiā potest esse vera propositio relativa, & cathegoricę falsæ, vt patet in hac *Ens á se, quod est multiplex Deus, est impossibile*: Aufer relationem, & manebit duplex propositio cathegorica falsa, nempe *Ens á se est multiplex Deus. Ens á se est impossibile*; ergo per relationem in alia specie constituitur illa propositio.

31 Propositio causalis affirmat, vnū
esse

esse causem alterius, v. g, in illa. *Quia Petrus currit fatigatur*, affirmat, cursum esse causam fatigationis Petri; vndè cathegoricæ possunt esse veræ, & causalis falsa, vt patet in hac: *Quia Petrus est homo exilit*, quæ omninò falsa est, licèt sint veræ cathegoricæ, nempè: *Petrus est homo, & Petrus exilit.* ergo alia species est propositionis.

32 Propositio conditionalis respicit: vt materiam propriam connexionem seu dependentiam vnius obiecti ab alio, v. g, *si Sol adsit dies est*, vbi respicit dependentiam diei á sole, tamquam á causa. Hinc potest esse vtraque cathegorica vera, & ex defectu dependentię hypotetica falsa, vt in hac *si est á se, homo est rationalis.* Hinc inferes hypoteticas disparatas, vt *si Turca dormit, Cœllum tonabit.* Semper esse falsas, solum ex defectu dependentiæ vnius ab alia; ergo etiam est distincta species propositionis.

33 Hinc nota, vt Oviedi argumento respondeas, has propositiones appellari compositas vulgaritèr, quia scilicet attingunt obiectum duplicis propositionis incomplexæ, sicut apprehensio duorum terminorum, v. g. *Homo iustus* appellatur complexa, non quia componatur ex duplici apprehensione incomplexa, sed quia attingit obiecta, quę possũt esse duplicis apprehensionis incomplexæ.

SECTIO IV.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT propositionum oppositio.

34 Relictis pluribus definitionibus, sic cum Recentibus communitér ex Aristotele primò Perhyer. cap. 4. oppositionem definio. *Est pugna propositionum ex vi formæ, & modi tendẽdi secundum qualitatem, orta ex affirmatione, vel negatione eiusdem de eodem, omnibus servatis.* ly *pugna* est ratio communis ad oppositionem etiam physicam. Dicitur *secundum qualitatem*, quia qualitas est communis ad veritatem, vel falsitatem, & sic omnes oppositiones compręhẽdo. Dicitur *orta ex affirmatione, & negatione*, quia si aliundè oriatur, non erit logica oppositio, vt patet in propositionibus *Petrus est iustus, Petrus est iniustus*, quæ licèt nequeant esse simul veræ, vel falsæ & pugnent physicè, cum tamen earum pugna non oriatur ex affirmatione, vel negatione, logicè non pugnant. Non additur *secundum quantitatem* cum Patre Oviedo, punct. 1. num. 1. quia inter propositiones singulares datur vera oppositio, & tamen in quantitate non opponuntur. Ly *Eiusdem de eodem* requirit quod in vtraque opposita propositione detur idem subiectum, idemque prædicatum.

35 Ly *omnibus servatis* denotat in vtrisque etiam debere servari eumdem *modum, locum, tempus, appellationem, suppositionem, conditionem, & causalitatem*, si enim aliquid eorum varietur, oppositio non datur: patet in his propositionibus quæ non opponuntur *Petrus currit Petrus non currit velocitèr*; ex defectu modi. *In Platea sedet Petrus. In Eremo non sedet Petrus.* Ex defectu loci. *Ioanes scribit mane. Ioannes non scribit vespere.* Ex defectu temporis. *Alexander est magnus logicus. Alexander magnus est logicus.* Ex defectu appellationis. *Canis latrat. Canis non latrat.* Ex defectu suppositionis. Prima namque supponit pro terrestri. Secunda pro Cœlesti. *Si Ioannes sedet, quiescit. Si Ioannes ambulat, non quiescit*, ex defectu conditionis. *Quia sol lucet, dies est.* Quia *sol occidit, dies non est*; ex defectu causalitatis.

36. Objic. Qualitas est accidentalis, ergo per illam non est definienda oppositio. Respondetur, me non definire oppositionem per qualitatem; sed per ordinem ad qualitatem sicut substantia de-

finitur per ordinem ad accidentia. Pręterea, oppositio propositionum est propositionum proprietas, quid mirum quod per aliquid accidentale definiatur!

37. Quadruplex est oppositio. Prima contradictoria. Secunda contraria. Tertia sub contraria. Quarta subalterna. De quibus singilatim.

38. Oppositio contradictoria est *Pugna ex vi formæ, & modi tendendi secundum vtramque qualitatem ex affirmatione, & negatione.* Communiter dicitur versari hanc oppositionem inter propositiones singulares; v. g. *Petrus est homo. Petrus non est homo*, vel inter vnam propotionem vniversalem, & aliam particularem; v. g. *Omnis homo currit, Aliquis homo non currit.* Dicitur hæc oppositio secundum vtramque qualitatem, quia propositiones, in quibus, datur nec simul verę, nec simul falsæ esse queunt, sed necessariò vna est vera, & altera falsa: fundatur enim in illo principio lumine naturæ nato, *Quodlibet est, vel non est.* Dicitur oppositio immediata, quia inter *Petrum, & Petrum non*, inter *omnem*, & *aliquem non* nullum medium vtriusque falsificativũ reperitur. Dicitur omnium maxima oppositio, quia pugna secundum vtramque qualitatem, quod non habent reliquæ oppositiones. Adverte, hoc esse intẽsive: nam extensive saltem quo ad expressum, maior est oppositio contraria, vt optimè Arriaga. Ad plura enim se extendunt *omnis*, & *nullus*, quam *omnis*, & *aliquis*.

39. Oppositio contraria est pugna *propositionum ex vi formæ secundum veritatem*; versatur inter propositiones vniversales, v. g. *Omnis homo currit*, & inter vniversalem, & singularem, v. g. *Omnis homo currit; Petrus non currit*: dicitur oppositio mediata, quia inter subiectum vtriusque propositionis potest dari aliud, ratione cuius vtraque propositio falsificetur, v. g inter has *Omnis homo currit. Nullus homo currit.* Hæc particularis intercedit, *Aliquis homo tantum currit*, ratione cuius vtraque propositio vniversalis falsificatur. Prima, quia affirmat, omnem hominem currere, & non currit *omnis*, sed *aliquis* tantum: secunda, quia negat; omnem hominem currere, & datur aliquis homo, qui currat.

40. Dicitur, pugnare secundum veritatem, quia nequit vtraque esse simul vera: nam si vera esset vniversalis affirmativa *Omnis homo currit*, vera vtraque esset, particularis affirmativa. *Aliquis homo currit*; nam *aliquis* continetur in *omni*. Si tamen esset vera vniversalis negativa *Nullus homo currit*, essent simul veræ duę contradictoriæ, scilicet *Aliquis homo currit. Nullus homo currit*, quod implicat. Utrumque etiam conspicitur inter alias contrarias *Omnis homo currit. Petrus nõ currit*, inter quas datur hæc singularis *Ioannes tantum non currit*, vi cuius vtraque falsificatur. Prima, quia affirmat de *omni*, & *vnus tantum* currit. Secunda, quia affirmat de Petro, & Ioannes tantum non currit. Vtraque tamen nequit esse vera, quia si vera est propositio singularis *Petrus non currit*, falsum necesse est, *Omnem hominem currere.* Et si verum est, *omnem hominem currere.* Falsum necesse est, *Petrum non currere.*

41 Objic. primò contra proximè dicta; hę propositiones *Omnis homo est animal. Nullus homo est animal* sunt contrariæ, sed nequeunt esse simul falsæ, vt per se patet, ergo.

41 Respondetur. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Nequeunt esse simul falsæ ex vi materiæ, concedo, ex vi formæ, nego, certum est, propositiones vniversales in materia necessaria non posse falsificari simul, sed hoc oritur á materia, non verò á forma vniversalitatis: ideòque in definitione apposui illas particulas *ex vi formæ. & modi tendendi*, quod autem hoc non oriatur á forma, sed á materia patet, nam manente eàdem formá, si materia necessaria in contingentem mutetur possunt es-

esse simul falsę, *ut omnis homo currit: nullus homo currit*. E è contra ablata forma manente eadem materia adhuc illę propositiones simul falsificari nequeunt, vt *omnis homo est animal. Omnis homo habet repugnantiam cum animali*, ergo quod nõ falsificentur non provenit á forma, sed á materia.

43 Replicabis: hæ propositiones; *Omne animal est homo, Nullum animal est homo* sunt contrarię, & in materia necessaria, sed simul falsificari queunt, ergo quod illæ non falsificentur nõ prouenit á materia, sed á forma.

44 Respondetur: nego maiorem quoad secundam partem: eo modo, quo fiunt illæ prędicationes, scilicet methaphysicè, non sunt in materia necessaria, sed contingenti. Nám sicut Petro physicè est contingens currere, quia potest non currere, cum sedet, ita animali est contingens metaphysicè esse hominem, si iungatur cum bruto.

45. Objci. 2. Ideo propositiones contraditorię *Omnis homo currit, Aliquis homo non currit* nequeunt esse simul falsæ, quia vniversalis descendit ad idem subiectum, de quo particularis negat, sed in his contrarijs *omnis homo currit, Petrus non currit*, vniversalis descendit ad Petrum, de quo singularis negat, ergo.

46. Hoc argumentum etiam videtur probare; eas propositiones non esse contrarias, sed cõtradictorias, quod defendit Caramuel, art. 34. n. 629. logicæ vocalis, sed nihil probat. Respondetur. Nego maiorem; non ideo præscisse illæ propositiones contradictorię nequeunt esse simul falsæ; quia descendunt ad idem subiectum; sed quia vniversalis non descendit ad aliquod subiectum, de quo non possit particularis verificari. Vnde nunquam possunt esse simul falsę, quia *Si omnis homo currit* falsificatur per Petrum currentem, de ipso Petro verificatur particularis *Aliquis homo non currit*. At vero hæc vniversalis *Omnis homo currit* descendit ad Ioannem non currentem, de quo illa propositio singularis *Petrus non currit*, verificari nequit, cum determinata sit tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ, ideo que per Ioannem tantum non currentem vtraque illa vniversalis, & singularis propositio falsificatur.

47. Objic. tertiò. Inter *omne*, & *nullum* non est aliquid non inclusum, cum vterque terminus vniversalis sit, ergo inter *omne*, & *nullũ* non datur medium.

48. Resp. Distinguo consequens: non datur medium; vt subiectum affirmationis, vel negationis; concedo; vt subiectum verificationis, vel falsificationis, nego. Cum enim dicimus, oppositionem conttariam esse mediatam, non est, eo quod detur aliquid non inclusum in propositionibus; sed quia stando tali formæ, potest dari aliquid vtramque propositionem falsificans.

49. Objic. quartò. Sicut inter *omne*, & *Petrum* mediat *Ioannes*, sic inter *omne*, & *aliquis* mediat *Petrus*, ergo etiam contradictoria non erit immediata oppositio:

50. Resp. Nego sicuitatem, solùm enim mediat propositio, quæ vera esse potest inter duas propositiones falsas, ideo que Ioannes mediat inter *omnes currere*, & *Petrum currere*. At vero *Petrus currit* nequit esse vera, falsis *Omnis homo currit*, & *aliquis homo non currit*, ideo que nequit mediare.

51. Hic advertas, varietatem descensus, & suppositionis illarum propositionum *Omnis homo currit. Aliquis homo currit Aliquis homo non currit*. Non officere contradictioni. Pro quo nota primò, nemini dubium esse, descensum propositionis vniversalis esse copulativum; v.g. *Omnis homo est animal*, ita descendit *Ergo hic, & ille est animal* Descensum verò particularis esse disiunctivum; v.g. hæc propositio *Aliquis homo non est animal*, ita descendit *ergo vel ille, vel ille, &c. non est ani-*

animal. Nota. 2. Vtramque propositionem non habere determinatè idem subiectum, nam vniversalis habet omnem hominem pro subiecto determinato tam ex parte actus, quam ex parte obiecti. Particularis vero non habet omnem hominem pro subiecto determinato, sed confusê, & ex parte actus. Ex parte tamen obiecti determinatè solum de illo verificatur. Nota 3. Vniversalem, & particularem pugnare ratione illius subiecti singularis, ad quod vtraque propositio descendit, & in quo tandem tota contradictio prædicatorum excercetur. Nota 4. Propositionem particularem non negare de adequato subiecto vniversalis: nam vniversalis affirmat de omni homine, & particularis negat de aliquo.

52. Hoc apud omnes certum est. Vnde his tantum fundamentis, & non alijs, noviter excogitatis, negare inter propositiones vniversales, & particulares dari contradictionem, & oppositionem immediatam; asserere que, non esse contradictorias, esset solum nomen invertere, seccumbere que difficultati. Nemine que certé de singularitate famosum efficere. E decem ab hinc annis Neothericum ingeniosum ita canentem audivi.

53. Tu vero plus fumosam antiquitatem, quam famosam novitatem secutus dic; illas propositiones: *Omnis homo currit. Aliquis homo nõ currit*, & similes esse immediate cõtradictorias, nec diversũ descensũ earum copulativũ scilicet, & disiunctivum contradictioni officere. Nam cum tandem vniversalis affirmet, illum currere, de quo particularis currere, negat, illi tota exercebitur pugna.

54. Nec ex hoc licet inferre, vtramque propositionem posse falsificari, sicut falsificantur cõtrariæ, *Omnis homo currit. Petrus non currit*, currẽte tantum Ioanne; quia licet idem Petrus ex parte obiecti sit verificativus illius propositionis particularis *Aliquis homo non currit*, attamen modus tendendi confusus ex parte mentis, & forma, qua disposita est talis propositio, sufficit, vt hæc medium falsificativum non admittat, nam *Aliquis homo currit*, quocumque homine currente, verificatur, si sit vnus tantum, qui currat, ipse est Aliquis. Si sint duo currentes, vel plus, hoc non officit veritati; nam si duo currunt; ergo verum est, *aliquẽ currere*. Quod in illa propositione *Petrus non currit*, nequit evenire, cum sit singularis, & ex forma, qua disponitur solum Ioanne currente, & ipsa vniversalis *omnis homo currit* falsificatur simul.

55. Hinc constanter scias cum Hurto, §. 25. & Arriaga disp. 2. sect. 3. n. 47. Omnem veram oppositionem, contradictoriam, contrariam, sub contrariam, si rigorose opponatur, tandem de venire ad aliquod subiectum singulare, in quo conttradictio prædicatorum exercetur: & in hoc oppositio logica emulatur oppositionem physicam, quæ semper exercetur in singularibus: vnde, vt habeant veram oppositionem ad contraditorias singulares debent reduci. De hoc fortè clarius postea.

56. Infer, has propositiones opponi contrariè *Petrus, & Paulus currunt, Petrus, & Paulus non currunt*, quia Petro tantum non currente erit vtraque falsa.

57 Oppositio subalterna est tantum secundum quantitatem, & versatur inter vniversalem, & particularem contentam sub illa, v. g. *omnis homo currit. Aliquis homo currit*. Vndè excepto vno lynce, omnes dicunt, nullam dari oppositionem inter eas. Omnis namque oppositio debet esse secundum qualitatem, & hæc non datur, cum vtraque propositio subalterna possit esse simul vera, vel simul falsa. Etiam debet fundari in affirmatione, & negatione, & vtraque est simul affirmativa, vel negativa. Universalis dicitur *subalternans*. Particularis *subalternata*. In materia necessaria vtra que affirmativa est falsa, vtraque negativa est vera in materia contingenti vni-

ver-

versalis poterit esse falsa, & particularis vera, non verò è contra particularis falsa, & vniversalis vera.

SECTIO V.

DE SVBCONTRARIJS.

58 Oppositio sub contraria exercetur inter duas propositiones particulares, quarum vna sit affirmativa, vt *Aliquis homo currit*, & altera negativa, vt *Aliquis homo non currit*. Vtraque potest esse simul vera. Prima de Petro currente. Secunda de Paulo non currente. Ast nequit vtraque esse simul falsa; quia si esset falsa hęc subalternata. *Aliquis homo currit*, eius subalternans scilicèt *Omnis homo currit* esset etiam falsa. Ergo & duplex contradictoria *Omnis homo currit. Aliquis homo nō currit*. Essent falsæ. Et in negativa idē argumentum efforma. Vtrum tamen inter has propositiones detur vera, & rigorosa oppositio, sicut supponimus dari in contradictorijs, & contrarijs? Certè difficillimum est.

59 Prima sententia affirmat. Ita Hurtadus. Franciscus Alphonsus, Oviedus, Lynze, lib. 4. Dialecticeę, tract. 4. cap. 4. & ex Neothericis nonnulli cum P. Naza dis. 6. §. 2.

60 Secunda sententia negat ita ex Aristotele 2. Prior. cap. 15. Fonseca, Cōnimb. Compton. Sancta Cruz, Arriaga, Cernal, & ex Neothericis aliqui cum Olea. dis. 21. num. 2.

61 Dico. Supposito, quod opositio contraria sit rigorosa oppositio, etiam oppositio subcontraria est oppositio rigorosa. Probatur primò. Oppositio cōtradictoria, & contraria sunt rigorosæ oppositiones; ergo & subcontraria. Probatur consequentia. Triplex datur pugna logicą in propositionibus, vel secundum vtramque qualitatem in contradictorijs, vel secundum veritatem in contrarijs, vel secundum falsitatem in subcontrarijs. Cur ergo prima, & secunda pugna inter contradictorias, & contrarias nomem rigorosæ pugnæ sortietur, & tertia inter subcontrarias á rigorosa pugnâ relegabitur?

62. Probatur secundò. Sicut ex positione duplicis contrariæ simul veræ duplex prædicatum contradictorium simul verum infertur, vt vidimus supra. Sic ex positione duplicis subcontrarię simul falsæ duplex prædicatum contradictorium simul falsum infertur, vt vidimus, num. 58. ergo si contraria est rigorosa oppositio, & subcontraria vtique.

63. Probatur tertiò á priori. Oppositioni subcontrariæ competit definitio rigorosę oppositionis, ergo est rigorosa oppositio. Probatur antecedens. Oppositio subcontraria est pugna propositionum ex vi formæ orta ex affirmatione, & negatione eiusdem de eodem, ergo. Probatur antecedens, scilicet quod sint eiusdem de eodem, inquo stat tota difficultas. Ideo propositiones contrarię sunt eiusdem de eodem ex vi formę, quia attingunt omnes homines copulativè, & determinatè, licet re ipsa ex parte obiecti per distincta subiecta falsificētur hæc v.g. *Omnis homo currit*, per Petrum non currentem, & hęc. *Nullus homo currit*, per Ioannem currentem, sed etiam vtraque subcontraria ex modo tendendi, & ex vi formæ attingit omnes hominines, disiunctive, & indeterminatè, licet vtraque re ipsa, & ex parte obiecti per distincta subiecta verificetur, hęc; v.g. *Aliquis homo currit*. per Petrum currentem, & hæc *Aliquis homo non currit*. per Ioannem nō currentem, ergo. Probatur minor. Obiectum termini particularis *Aliquis homo* ex vi formæ, & modi tendendi ipsius prout distincti á termino singulari *Petrus* sunt omnes homines disiunctivè, & indeterminatè. Ergo. Con-

64. Confirmatur ad hominem. Per vos hæ propositiones *Omnis homo currit*, *Aliquis homo non currit*. Contradictoriè opponuntur, ac proinde rigorosè: ergo vtraq; debet habere idē subiectā, scilicet *omnes homines*. Tunc sic. Sed secunda propositio particularis non respicet omnes homines determinatè, sed solum disiunctivè, & vagè ex vi formę, ergo vt duæ propositiones dicantur habere idem obiectum, idemque subiectum sufficienter ad hoc, vt inter eas detur rigorosa oppositio sufficit, quod vna ex eis illud respiciat vagè, & confusè ex vi formæ, & modi tendendi, sed ita respiciunt omnes homines propositiones illę subcontrarię, ergo habent idem subiectum sufficienter, vt veré oppositæ dicantur.

65. Sed dices, & objicies primò. Ideo illas propositiones *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit* opponi, quia tandem vniversalis venit ad illud subiectum singulare, de quo propositio particularis affirmat; non currere, & in eo exercetur tota oppositio, quod nequit evenire in subcontrarijs, quę nunquam veniunt ad idem singulare subiectum. Prima namque verificatur de Petro currente, & secunda de Paulo non currente.

66. Ex responsione clarescet questio. Admito, quod ad veritatem, in qua non pugnant, non habeant idem subiectum, nec deveniant ad aliquod singulare, in quo exerceatur oppositio, attamen quo ad falsitatem, inqua est tota oppositio ad idem singulare subiectum deveniunt; de eodem que vna affirmat, & alia negat cursum. Vnde nequeunt esse simul falsæ, quia impossibile est: idem currere, & non currere

67. Sed statim insurgis, ergo etiam nequibunt esse simul veræ, quia idem nequit currere, & non currere. Vnde iam non erunt sub contrariæ, sed contradictoriæ, cum idem sit dicere. *Aliquis homo currit. Aliquis homo non currit*: ac *Hic homo currit*: *Hic homo non currit*, quæ contradictoriæ sunt.

68 Gratulor tibi de instantia, vt clarè mentem meam percipias, sic simul respondeo, & ad hominem arguo. Per vos, vt iam num. 55. notavi ex Hurtado, & Arriaga, omnis oppositio contraria, sicut & contradictoria, inter vniversalē, & particularem tandem debet devenire ad aliquod subiectum singulare, in quo exerceatur oppositio ad imitationem oppositionis physicæ, quæ in singularibus exercetur. Ideò que illę propositiones vniversales. *Omnis homo currit. Nullus homo currit*, vt pugnent, tandem deveniūt ad Petrum v. g. de quo vna affirmat currere, & alia negat, in eo que rixantur vt nequeant esse simul veræ, quia tamē iuxta formam vniversalitatis, & modum tendendi talium propositionum etiam ad alia subiecta se extendunt, possunt absolutè falsificari ambæ. Vna in Petro non currente, alia verò in Paulo currente.

69 Idem in subcontrarijs evenit; vtraque ad eumdem Petrum, v. g. non currentem venit, illicque pugnat, cum vtraque nec verificari, nec falsificari possit, & vna manet vera, scilicet *Aliquis homo non currit*, cum tamen ex vi formæ & modi tendendi affirmativa possit amplius se extendere, extenditur vsquedū, in Paulum currentem incidit, & sic etiā verificatur. Vnde ex verificatione primæ non falsificatur secunda neque ex verificatione secundę falsificatur prima sicut in contrarijs. Ex eo quod prima, vniversalis scilicet *Omnis homo currit* falsificetur per Petrum non currentem, nō ideò secunda *Nullus homo currit* manet vera, sed vlterius incidit in Paulum currentem per quem falsificatur & ipsa. Alitêr evenit in contradictorijs, nám cū iuxta vtramque qualitatem pugnent, ex falsitate vnius veritas alterius, & ex veritate alterius falsitas vnius deducitur, ex quo solum infertur; contradictoriam esse oppositionem omnium maximam, nō verò sub contrariam non esse rigorosam

oppositionem secundum falsitatem, sicut & contrariam secundum veritatem.

70 Neque ex hoc infertur, esse cōtradictorias: nam licet re ipsa, & ex parte obiecti idem esset dicere *Aliquis homo non currit, aliquis homo currit* ac dicere *Hic homo homo non currit*, tamen ratione illius diversi modi significandi, & diversæ formę diversum genus oppositionis constituunt; sicut hæ propositiones. *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit.* Contradictoriè opponuntur, & hæ *omnis homo currit. Petrus non currit.* Solum contrarie, licet re ipsa ly *Aliquis* verificetur ex parte obiecti de Petro, & idem sit dicere *Aliquis homo non currit*, ac *Petrus nō currit*. Sufficit que diversus modus significandi idem obiectum ad diversum genus oppositionis constituendum, & hoc à priori patet. Quia ideo hic diversus modus significandi per terminum particularem, vel singularem ad hoc sufficit, quia terminus singularis admittit medium falsificativum vtriusque propositionis. Terminus vero particularis illud non admittit ex vi formæ, sic terminus singularis harum propositionum *Hic homo currit. Hic homo non currit* non se extendit ad alia, ideoque verificata vna propositione, alia falsificatur. Ast vero terminus particularis aliarum scilicet *aliquis homo currit, Aliquis homo non currit* se ad alia extendit. Vnde vna propositione verificata, alia eo pręscissè non falsificatur, sed quærit aliud subiectum, aquo etiam ipsa verificatur.

71. Objic. secundò. Subcontrariæ quo adveritatem non habent idem subiectum, cum vtraque posit esse vera. Quo ad falsitatem idem subiectum non habent, quia iam essent contradictorię, ergo non sunt eiusdem de eodem, ideo que nec oppositæ.

72. Respondeo primò. Concedo antecedens, quo ad primam partem, & nego illud quo ad secundam, etiam nego sequellam, vt proximè dictum est.

73. Resp. secundò. Distinguo antecedens quo ad primam partem, non habent idem subiectum determinatè verificativū ex parte rei significatę, concedo; indeterminatè ex vi formæ, & modi tendendi, nego nam vt sæpe dixi, terminus *aliquis*, ad omnes homines disiunctivè se extendit; aliud enim est, vt optimè Pater Franciscus Alphonsus, subiectum verificativum, & falsificativum propositionis, & aliud subiectum affirmationis, & negationis ex vi formæ, & modi tendendi. Sic subiectum determinatè falsificativum propositionis vniversalis *Omni homo currit* est Petrus non currens, & subiectum affirmationis sunt omnes homines copulativê. Sic subiectum verificationis huius propositionis particularis *Aliquis homo currit* determinatè re ipsa, & ex parte obiecti est Petrus currens, ast subiectū affirmationis eius, & ex vi formæ, sunt omnes homines disiunctiuê, subiectum item negationis alterius *Aliquis homo non currit* sunt omnes homines disiunctivé, ergo & idem subiectum vtriusque propositionis.

74. Objic. tertiò. & replicabis. Vt sint falsæ hæ propositiones singulares: *Petrus currit: Paulus non currit* necessario debeant esse falsæ hæ vniversales *Omnis homo currit. Nullus homo currit.* Sed ex hoc non infertur, illas singulares habere omnes homines pro obiecto, opponi que inter se, ergo neque ex eo quod, vt sint falsæ propositiones singulares, *Aliquis homo currit. Aliquis homo non currit*, requiratur, esse falsas vniversales *omnis homo currit. Nullus homo currit*, bene infertur; particulares habere omnes homines pro obiecto, opponi que inter se.

75. Resp. Concedo totum. Non infero, eas propositiones habere idem obiectum ex nobis apposita illatione, sed ex eo, quod terminus particularis *Aliquis* ex vi formæ, & sub speciali modo tendendi respicit omnes homines disiunctivè, vt patet, nam hę sunt contradictoriæ

rię *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit*, & tamen si ly *Aliquis* convertatur in terminum singularem, dicaturque *Petrus non currit*, iam solum sunt contrariæ, quia prima ex vi formæ habet idem subiectum ac vniversalis, non verò secunda.

76 Objic. 4. Qui intendens Romā pervenire per multas Civitates vagaretur, nullo modo diceretur habere pro obiecto eas Civitates, sed solum Romā, ad quā tandem pervenit, ergo etiam si illa propositio particularis *Aliquis homo currit* per omnes homines vagaretur, non debet dici habere pro obiecto omnes homines, sed illum tantum, de quo re ipsa verificatur. Sed hoc distinctum est ab eo, de quo verificatur alia *Aliquis homo non currit*, ergo non habent idem obiectum.

77. Resp. primò. Quod si loquamur quo ad veritatem, in qua non opponuntur, verū est ex tali vagatione non habere idem subiectum, & exemplum optimè probat. Si vero loquamur quo ad falsitatem, in qua opponuntur, non solûm habent idem obiectum, quia vagantur, sed quia tandem perveniunt ad aliquod determinatum subiectum, in quo pugnant: Et hæc est securior, & facilior solutio. Respondetur secundò. Distinguo consequens: non sequitur, habere pro obiecto omnes homines, pro obiecto verificationis re ipsa & ex parte obiecti; concedo: pro obiecto affirmationis, vel negationis ex vi formæ, & modi tendendi; nego: solutio manet iam explicata.

78. Objic. 5. Nulla datur paritas inter contrarias, & subcontrarias, ergo licet contrarię rigorosè opponantur, non licet inferri, etiam subcontrarias opponi rigorosè. Probatur antecedens. Contrarię habent idem subiectum, non solúm quoad veritatem, inqua opponuntur, sed etiam quo ad falsitatem, in qua non opponuntur: nam de eodem homine, de quo affirmat vniversalis currere, & per quem falsificatur, quia non currit, nēgat alia vniversalis currere, licet per illum non falsificetur, sed per alium. Ast de eodem homine, de quo affirmat particularis currere, & per quem verificatur, quia currit, non negat alia particularis currere, aliás esset falsa.

79. Resp. primò. Admittendo hanc disparitatem, sed dico; omnino materialitêr se habere ad rationem oppositionis in vno genere, habere, vel non habere idem subiectum in alio genere, dum modo in illo, inquo opponuntur, idem subiectum habeant termini oppositi; ergo licet quo ad veritatem, in qua non opponuntur subcontrariæ, non habeant idem subiectum, dum modo quo ad falsitatem, inqua opponūtur, idem habeant subiectum, nil contra nos. Paritas ergo contrariarum ad subcontrarias, sic efformatur, & non alitêr. Sicut contrariæ verè opponuntur quo ad veritatem, etiam si per distincta subiecta falsificentur, ita subcontrarię verè opponuntur, quo ad falsitatem, licet de distinctis subiectis verificentur.

80 Respondetur secundo. Subcontrarias adhuc quo ad veritatem, sicut & contrarias, idem habere subiectum, licet non eodem modo, nam etiam illa *Aliquis homo currit*, quæ verificatur in Petro currente, vagatur per Paulum non currentem, de quo verificatur alia *Aliquis homo non currit*, & *é contra*.

81 Instas: ergo illa propositio esset simul vera, & falsa. Vera quia affirmat cursum de Petro currente, & falsa, quia illum affirmat de Paulo non currente.

82 Respondetur: distinguo consequens: Esset simul vera, & falsa, si affirmaret eodem modo cursum de Petro, & Paulo. concedo; si non affirmaret, sicut de facto non affirmat; nego: de Petro enim affirmat cursum, vt de subiecto verificationis determinato ex parte obiecti,

iecti;de Paulo vero,vt de subiecto affirmationis, indeterminatè ex vi formæ. Vnde Paulus non currens illam non falsificat. Sicut enim hæc propositio *Vel Petrus, vel Paulus currit.* Si Petrus tantum currat, habet pro subiecto, vtrumque, & verificatur tantum á Petro currente, quin à Paulo non currente falsificetur; quia est propositio disiunctiva, ita terminus particularis *aliquis* est disiunctivus,& etiã si attingat vtrumq; Petrũ scilicet,& Paulũ,vt subiectũ,ab vno verificatur, & non falsificatur ab alio.

83 Objic 6 ex Arriaga. Veritas non opponitur veritati; sed subcontrariç sũt sunt simul veræ; ergo non opponuntur.

84 Respondeo. Concedo maiorem; & distinguo consequens: ergo non opponuntur quoad veritatem; concedo; quoad falsitatem;nego:solum opponuntur,ne sint simul falsæ, sicut contrariç opponuntur,ne sint simul veræ,etiam si falsum non opponatur falso.


85. Objic. septimò. Subcontrariæ non sunt dicta absolutè opposita; nam tu me coram dicente *Aliquis homo currit*, si statim diceres *Aliquis homo non currit*; non censereris mihi oppositus in tuo dicto,quia homines in dictis non opponuntur,quando amborum dicta sunt simul vera,ergo.

86. Respondetur Distinguo antecedens.Non sunt dicta absolutè opposita, quo ad veritatem,& ex parte rei significatæ;concedo: quoad falsitatem, & ex parte modi significandi. Negõ; ad probationem etiam distiguo;non censereris mihi oppositus;vulgariter,& ex parte rei significatæ(vulgariter namque censentur homines loqui de singularibus distinctis)concedo;Summulistice,& ex parte modi significandi;Nego.

87. Objic.octavo.Subcontrariæ non se expellunt ab eodem intellectu; vtraque enim subcontraria in eodem intellectu simul dari potest;ergo non sunt oppositæ,sicut qualitates,quæ existere possunt in eodem subiecto non opponuntur.

88. Respondetur. Distinguo antecedens;non se expellunt physice circa idẽ subiectum physicum concedo; logicè circa idem subiectum logicum; Nego: Oppositio propositionum non est secundum coexistentiam physicam earum, sed quoad simultaneam existentiam logicam secundum veritatem, vel falsitatem: vnde cum subcontrariæ nequeant esse simul falsæ, dicuntur se expellere logicè non vero physice; cum in eodem intellectu coexistant simul.

89. Nota;quod si diceres,neque cõtrarias,neque subcontrarias opponi, nisi vt redactas adcontradictorias, solum diceres de novo voces,quas indicendo in sumeres;nam in re,vbi iam supra notavi num.55. communissimum est, imò & expressè dictum á quodam meo Sapientissimo Magistro.His iã suppositis,vt facilius percipias propositionũ oppositiones, accipe tabellã,in qua eas oculis cõspicias.



SECT.

SECTIO VI.

SIT NE POSSIBILIS DVPLEX CONtradictoria simul vera?

90 AFfirmant Ocamus apud Comptonum disp. 24. Logicæ, Sect. 4. num. 1. BoneSpei disp. 2. Logicç resolut. 9. num. 250. Sotus Opusc. de indissolub. sect. 2.num.8. Omnes alij Philosophi cum eorum Principe Aristotele negant ratione ductrice; nam impossibile est, aliquid simul esse, & nõ esse; ergo impossibile est verum duplex contradictorium, ex quo vnum affirmat rem esse, aliud verò, rem non esse. Aliquas propositiones, quæ vel obscuritate, vel æquivoco laborant,s vobis proponam, vt ex eis quid in alijs similibus, vobis oporteat agere discatis.

91 Primò. Hæ propositiones *Petrus, & Paulus currit. Petrus, & Paulus non currit* non sunt contradictoriæ; quia copulativa non opponitur contradictoriè copulativæ; poterat enim vtraque falsificari, Petro tantum nõ currẽte,eius cõtradictoria est disiunctiva, scilicet vel *Petrus, vel Paulus nõ currit.*

92 Secundò. *Indico venisse Petrum, indico non venisse Petrum* possunt esse simul falsæ, si dormiam. Eius contradictoria est hæc. *Non indico venisse Petrum*, quia negatio debet cadere supra verbum præcipuum orationis, & ita se habet ly *indico.*

93 Tertiò. *Cuiuslibet hominis omnis equus est albus. Cuiuslibet hominis aliquis equus non est albus* non sunt contradictoriæ, quia simul falsificarentur ratione alicuius hominis habentis omnes equos nigros: Eius contradictoria, *Alicuius hominis aliquis equus est nõ albus*:nõ terminus *cuiuslibet* est vniversalis, & supponit copulativê, & in contradictoria debet distribui disiunctivè.

94 Quartò. *Petrus gubernat prudenter. Petrus prudentèr non gubernat*,& hæ. *paries essentialiter est albus: partes essentialitèr non est albus.* non sunt contradictoriæ. In propositionibus modalibus negatio debet cadere supra modum: earum contradictoriæ ita se habent: *Petrus gubernat non prudenter: paries non est essentialiter albus.*

95 Sexto *Nullus equus requiritur ad equitandum.aliquis equus requiritur ad equitãdum* æquivocæ sunt potest in eis mutari suppositio; si supponant determinatè, vera est vniversalis;si indeterminatè supponant, vera est particularis, & sic contradictoriç.

96 Sexto. *Omnis homo servans, omne mandatum Dei salvatur: Aliquis homo servans aliquod mandatum Dei non salvatur.* Sunt simul veræ. Vndè nec contradictoriç, eius contradictoria: *Aliquis homo servans omne mandatum Dei non salvatur*, quia ly *omne mandatum* cum nõ pertineat ad præcipuam orationem, & ad minus principalem; non debet distribui in contradictoria.

97 Septimò. *Omnis homo est aliquod animal quis homo non est aliquod animal.* Æquivocæ sunt. Videntur certæ, quia certum est, omnem hominem esse aliquod animal, scilicet quod est in *Bruto*. Dico in alio sensu esse contradictorias & particularis falsa, quia falsitas particularis falsitatem omnium singularium dicit: idem enim est, dicere: *non est aliquod animal*, ac dicere: *neque hoc, neque illud, &c.*

98 Octavo. *Animal est rationale: animal non est rationale* non sunt contradictoriæ, sed subcontrariç; nam terminus indefinitus in materia contingenti, vel physicè, vel methaphysicè, vt supra dixi, æquivalet particulari. Vnde illa propositio *Animal est rationale* est idem ac dicere. *Aliquod animal est rationale: & animal non est rationale, ac aliquod animal non est rationale*, quç sunt contra-

N

trariæ ſunt, eius contradictoria eſt hæc: *Omne animal eſt rationale.*

99. Nonò. *Ego ſemper mentior: Ergo non ſemper mentior.* Quæ propoſitiones ſe falſificantes appellantur. Videntur ſimul veræ, & etiam ſimul falſæ. Nam rogo; illa prima propoſitio ſupra ſe reflectens ſic: *Ego mentior*, vel eſt vera, vel eſt falſa? Si eſt falſa? Ergo etiam vera: nã conformatur cum obiecto dicens, ſe mentiri. Si eſt vera? Ergo etiam falſa, nam dicens, ſe mentiri, difformatur obiecto; cum re ipſa ſit vera. Propter hoc argumentum, & alia, quę videri poſſunt apud Arriagam diſp. 2. Summularum ſect. 5. ſubſect. 4. n. 62. Ex inſtituto, ne confundam vos, á me prętermiſſa, dic; tales propoſitiones eſſe implicatorias, & eas nullatenus admittas. Ita vero: *Ego ſemper mentior* non reflectens ſupra ſe, ſed de alijs actibus locuta poteſt eſſe vera propoſitio, & tunc alia: *Ego non ſemper mentior* vera etiam erit, ideoque non oppoſita alteri, quia habet diſtinctum ſubiectum, nam ſubiectum primæ propoſitionis ſunt reliqui actus præter ipſum. Subiectum vero ſecundę ſunt reliqui actus, & ipſemet actus dicens: *Ego non ſemper mentior.* Unde prima habet hũc ſenſum: *Ego præter hanc ocaſionem, in omnibus alijs mentior.*

SECTIO VII.

AN INTER PROPOSITIONES DE numero plurali detur contradictoria oppoſitio.

101 INquirit pręſẽs quęſtio; an ſicut in numero ſingulari cõtradictorié opponuntur propoſitiones vniverſales, & particulares, v.g. *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit*; ita cõtradictòriè opponãtur in numero plurali; v.g. *Omnes homines currunt. Aliqui homines non currunt.*

101. Affirmant Sancta Cruz, Alphonſus. Comptonus, Oviedus, controv. 6. punct. 6 n. 1. Item Doct. Maza d. 6. ſect. 7. & Olea d. 24. n. 2. Negant Conimbricenſes, Linze, Ioannis, Arriaga, & alij.

102. Plures ex affirmantibus ſupponunt aliqua, ex quibus ferè evidenter ſuam inferunt concluſionem, quæ prius probare debebant. Vnde hæc quæſtio purê de nomine mihi videtur. Primò ſupponunt, in propoſitionibus de numero plurali non fieri deſcenſum immediatum ad ſingularia diſtributivè, ſed ad plura, & dualitates collectivè. Ita vt deſcenſus huius propoſitionis *omnes homines ſunt albi* nõ ſit, *ergo & iſte, & ille, & hic, eſt albus*: ſed *ergo, & iſti duo & illi, & hi ſunt albi*, & deſcẽſus particularis. *Aliqui homines non ſunt albi*, non ſit. *Ergo neque hic, neque iſte, neque ille eſt albus*; ſed: *Ergo neque iſti, neque illi, neque hi ſunt albi.* Hoc ſolũm probant, eo quod numerus pluralis prout à ſingulari diſtinctus habet plures perſonas agentes, iuxta communem ſenſum Grammaticorum, & iuxta Logicos plura obiecta: loquitur que depluribus non diviſivé dicens: *Hic*, & *ille*, &c; nam etiam hoc habet terminus *Omnis* in ſingulari; ſed collectivè, ſcilicet *Hi*, & *illi*, &c. Ita expræſſê recentes cum Comptono.

103. Hoc ſupponunt affirmantes; hoc etiam eàdem facilitate renuunt cõcedere negantes; aſſerunt que, deſcenſum termini vniverſalis eodem modo fieri in ſingulari, ac in plurali: ille enim Grammanticalis numerus omnino materialiter ſe habet, cum ęque reſpiciat plura terminus *omnes* in plurali, & æquè falſificetur vtraque propoſitio *Omnis homo currit, omnes homines currunt* per aliquod individuum ſingulare non currẽs. Neque argumentũ deſumptum á Grammatica valet; quia nec ſemper numerus pluralis depluribus loquitur vt *Athenæ, Syracuſæ*, quæ ſunt in plurali, & non ſignificant plura, ſed particulares civitates; nec è contra numerus ſingularis ſemper loquitur de vno, vt patet in his terminis. *Omnis, vniverſus, vterque*, in quo autẽ pluralis numerus á ſingulari diſtinguatur, eſt diſſertatio ad Eraſmum, Alvarez, & Didacum Lopez pertinens.

104. Secundò ſupponunt, deſcenſum copulativum illius propoſitionis. *Omnes homines currunt* v.g. ad hos *Ergo iſti & illi currunt*, non ſignificare vt cumque, dari duos homines currentes, ſed ſignificare ſimultatem in curſu, ita vt ſenſus huius propoſitionis *Aliqui homines non currunt* ſit: nõ datur ſimultas in vtroque curſu, vel, vt ipſi loquuntur. *Hoc binarium hominum non currit.* Hinc inferunt quod caſu, quo omnes homines currerent, vno tantum non currente, falſa eſſet propoſitio vniverſalis, quia quęlibet propoſitio de numero plurali affirmans prędicatum conveniens vni tantum individuo, ſemper eſt falſa, quia bonum ex integra cauſa, & affirmatio de omnibus debet convenire ſingulis, nemine dempto; tunc vera eſſet propoſitio negativa particularis ſcilicet. *Aliqui homines non currunt.* Nam malum ex quocumque defectu, & cum negatur de aliqua collectione, aut binasio, non fit deſcenſus ſupra ſingulos diſiunctivè, ſed ſupra collectionem, & inſuper verum eſt, illos duos homines, ſeu illam hominum dualitatem non currere, etiam ſi vnus ex contentis in tali dualitate currat, iuxta illud Chriſti Salvatoris ad Apoſtolos *Mundi eſtis, ſed non omnes.* Ratione ſcilicet vnius Iudæ; ergo verum erit dicere: *Collectio duodecim Apoſtolorum non eſt munda*: etiam ſi vndecim mundi ſint, non tamen poterit dici: *Collectio duodecim Apoſtolorum munda eſt*, quia prædicatum affirmatum debet de ſingulis verificari, negatum vero de collectione.

105. Hinc inferunt, in his propoſitionibus. *Omnes matres ſunt corruptæ. Aliquæ matres non ſunt corruptæ. Omnes Cœli ſunt mobiles. Aliqui Cœli non ſunt mobiles. Omnes homines ſunt geniti. Aliqui homines non ſunt geniti*; loquendo de Beata Uirgine illibata, & incorrupta, & de alijs matribus: De Cœlo Impireo immobili, & de alijs, de Adamo ingenito, & alijs hominibus, vniverſales affirmativas eſſe falſas. Particulares negativas eſſe veras; quia verum eſt dicere, loquendo de Beata Virgine, & Sancta Monica v. g. *Hoc complexum, ſeu hæc dualitas, aut binarium Matrũ, non eſt corruptum.*

106. Hoc etiam omnino voluntarium videtur alijs: nam adhuc admiſſo, quod deſcenſus vniverſalis de numero plurali fiat ad duos, plures ve, & non ad ſingularia diviſuie, aſſtruunt; ſenſus illarum propoſitionum particularium non eſſè, quem aſsignant, ſed longe diuerſum, ſcilicet, idem valere *Aliqui homines non current*: ac *dantur plures homines non currentes: Plures Matres non corruptæ*, quod vno tantum honine currente, vna tantum Matre non corrupta falſa eſt.

107. Confirmatur. Nam ſi ſenſus illarum propoſitionum eſſet, vt affirmatur ab his Doctoribus, ideoque vno tantum homine non currente, verum eſſet dicere: *Aliqui homines non currunt.* Vere proferri poſſent hæ propoſitiones. *Aliqui Apoſtoli non ſunt ſalvati. Aliquæ Perſonæ Divinæ non ſunt productæ; Aliquæ matres non ſunt corruptæ*; quæ hiſpane ita ſonant: *Algunos Apeſtoles no ſe ſalvaron: Algunas perſonas Divinas no ſe producen: Algunas madres no perdieron la Virginidad.* Atqui iſtæ propoſitiones ab omnibus ſtatim falſitatis convincuntur, neque aliquis ſanæ mentis audebit illas proferrè; quia videretur hęreticè ſentire, in Apoſtolorũ Collegio alium pręter Iudam non eſſe Salvatum. Ex Perſonis Divinis aliam, præter Patrem, non fuiſſe productam, & aliam, præter Deiparam, illibato Virginitatis flore, filium peperiſſe; ergo illę propoſitiones particulares non habent ſenſũ ab his Authoribus fictum; ſed aliũ ſenſum cõmunitèr admiſſũ, ſcilicet, *duo, vel plu-*

plures Apostoli nō sunt salvati. His prȩiactis

108 Dico primò. Si propositiones de numero plurali habent sensum ad singularia divisivè, & non ad plura collectivè, illæ propositiones *Omnes matres sunt corruptæ. Aliquæ matres non sunt corruptæ,* idem dic de alijs, non sunt contradictoriȩ sed contrariæ. Nám ambæ sunt falsȩ; vniversalis, quia Beata Uirgo est mater, & non est corrupta. Particularis quia prȩter Deiparam, non datur alia mater non corrupta, & numerus pluralis supponit pro pluribus: tunc enim non darentur duȩ matres, de quibus posset prȩdicari, & ad quas posset fieri hic descensus. *Aliquæ matres non sunt corruptæ. ergo & hæc, & illa mater non est corrupta.*

109 Dico secundò. Etiam si descēsus fit ad plura collectivè, illæ propositiones non sunt contradictoriæ, sed contrariȩ, quia vniversalis affirmativa est falsa, vt supponitur. Particularis negativa etiam est falsa, quia non dantur plures Uirgines, & matres, ac proindè nec plures matres incorruptæ, & descensus ad plura copulativè ita se habet, vt iam probatum manet, ergo.

110 Dico tertiò. Si sensus illarum propositionum: *Omnes matres sunt corruptæ: Aliquæ matres non sunt corruptæ,* sit ita: *Omnis collectio, vel omne binarium matrum est corruptum: Aliquod binarium matrum non est corruptum,* sunt contradictoriȩ: ita expressè P. Sancta Cruz, qui nu. 361. ait eas propositiones: *Omnes homines currunt. Aliqui homines non currunt:* non esse contradictorias, & num. 362. advertit; quod si hi termini *Omnes, aliqui* significant collectionem, ita vt sensus sit vt proximè explicatus est, prædictæ propositiones sunt contradictoriæ. sed nota, tales propositiones iam non esse contradictorias de numero plurali, sed de numero singulari, nam *Omnis collectio, & aliqua collectio* sunt termini numeri singularis, licet plura respiciant. Sicut termini *Omnis, nullus, vniversus, &c.*

111 Unde verum est dicere, in nullo sensu dari contradictorias de numero plurali, ni velis dicere, quod etiam si vt contradictoriæ sint, debeant reduci ad numerum singularem, tamen absolutè ex diversa forma debent dici contradictorias de numero plurali, sicut dicimus, quod etiam si subcontrarias, vt verè opponantur debeant ad contradictorias reduci, nihilominus tamen ex diversa forma possunt ad diversum genus oppositionis pertinere; sed ne vocibus hæreamus in conclusiones dictas prȩsens pūctum divisi.

112 Has propositiones esse contradictorias probatur. Illæ sunt contradictoriȩ, inter quas nullum potest medium reperiri falsificativum earum; sed inter has: *Omnis collectio matrum est corrupta; Aliqua collectio Matrum non est corrupta;* nullum datur medium falsificativum: ergo. Confirmatur: Inter propositionem vniversalem, & particularem, v. g. *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit,* relucet rigorosa oppositio; sed ita se habent eæ propositiones; ergo.

113 Objic. 1. contra secundam cōclusionem ex Patre Ovido, iuxta regulā Aristotelis 2. Peryher. *Non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem praeponere*: ergo contradictoria huius proportionis *Aliqui homines nō currunt,* est hæc *Non aliqui homines non currunt,* ergo etiam hæc: *Omnes homines currunt* erit eius contradictoria. Probatur hæc vltima consequentia: iuxta regulas æquipollentiæ proximè scribendas, hæc propositio: *Non aliqui homines non currūt,* æquivalet huic, *omnes homines current,* sicut & hæc numeri singularis: *Non aliquis homo non currit* ȩquivalet huic. *Omnis homo currit;* ergo si hæ opponuntur contradictoriè: *Ailqui homines non currunt. Nō aliqui homines non currunt,* & etiam eius æquipollentes; *Aliqui homines non currūt: Omnes homines currunt,* nam æquipollentium eadem est conditio.

114 Respondetur. Concedo antecedens, & primam consequentiam, & nego secundam: ad eius probationem dic; regulas æquipollentiæ tradendas solum esse pro propositionibus de numero singulari, non verò de numero plurali. Undè illa propositio singularis. *Non aliquis homo non currit,* ȩquivalet huic. *Omnis homo currit,* quia hȩc dicit; *falsum esse, quod sit aliquis homo, qui non currat,* quod idem est, ac dicere: *Omnem hominem currere.* At vero hæc propositio: *Non aliqui homines non currunt,* falsum esse, quod dentur plures homines non currentes, hȩc autem non est idem ac dicere, *Omnes homines currere,* ergo illa non ȩquivalet huic, cum hæc, vtpote vniversalis, vno tantum homine non currente falsificatur, cum affirmet de omnibus, illa verò non, quia adhuc vno tantum non currente verum est dicere, *falsum est quod dētur plures homines non currentes.*

115 Objic. 2. Contra tertiam conclusionem: ideò per nos nequit absolutè dici: *Aliqui homines non currunt,* vno tātum non currente; quia possent absolutè proferri illæ propositiones *Aliqui Apostoli non sunt salvati, &c.* quod quidem malè sonat pijs auribus; sed hoc inconveniēs per nostram conclusionem non vitatur; ergo tenenda non est. Probatur minor: ex ea sequitur, posse absolutè dici. *Aliquod binarium Apostolorum non fuit salvatum. Aliquod binarium Personarum Divinarum non fuit productum, & aliquod binarium Matrum non fuit corruptum,* quod non minus videtur absonare pijs auribus; ergo.

116 Respondeo. Negò minorem, ad probationem dico; has propositiones ita dispositas hȩresim non sonare, neque scandalum parere, sicut alias. Ad summum enim, eis auditis, ex non vsu vulgari, & aliquo modo obscuro illius vocis: *Aliquod binarium;* explicationem earum peterent auditores, & cum hȩc ita sit. *Aliquis Apostolorum non fuit salvatus, nempè Judas*: Aliqua Persona Divina non fuit producta, nempè *Pater, Aliqua Mater non fuit corrupta, nempe Deipara,* Catholicam, piamque, & de fide explicationem audirent, & licet eamdem explicationem ab adversaris reciperent, attamen talibus propositionibus auditis, vt ab eis proferuntur. *Aliqui Apostoli non sunt salvati: Algunos Apostoles no se salvaron, &c.* Cum ita clarè proferantur, explicationem non expectarent, & scandalum paterentur.

117 Dices. Has propositiones malè sonare inter indoctos, non verò inter Doctos, qui sensum propositionum callent.

118 Contra. Triplex hominum genus hic considerandum. Vnum eorum, qui inter eas propositiones veram contradictionem ponunt. Secundum, eorū, qui eam negant. Tertium, eorum, qui nec negant, nec affirmant; nám cum logicæ non studuerint de hac quæstione nil ad eos. Ponamus, vt certum est, ex his vltimis plures optimè percallere vim, & significationem vocum tám Latini, quā Hispani idiomatis. Primum, & secundū hominum genus, vtpotè litiganter, & partes consulendi non sunt. Atqui si cōsulatur tertium hominum genus, quos indoctos appellant adversarij, de sensu illarum propositionum statim dicent, esse *Iudam, & alium Apostolum ad minus non esse salvatum,* & ita de alijs propositionibus; ergo sensus earum propositionum ita se habent, neque est cur ab hoc iudicio ipsi laici, etsi aliàs logicȩ inscij excludantur cum hic non consulantur de directione Logicæ, de ente rationis, aut de vniversalibus, sed de sensu propositionis in lingua, vel Latina, vel Hispana, quā optimè supponimus scire.

119 Objic. 3. Si de illo complexo prædicaretur, non esse corruptum, etiam predicaretur esse incorruptum; nam non corruptum, & incorruptum sunt termini æquivalentes, & æquivalentium eadē est veritas, vel falsitas.

120 Respondetur. Nego sequelam

nam prædicatum affirmativè dictum de aliquo complexo, licet prædicatum sit negativum, non æquivalet prædicato negativè dicto de illo. Ratio est, quia prædicatum affirmativè dictum de collectione ex hominum vsurpatione debet de singulis eam componentibus verificari: prædicatum verò negatum non ita, vnde licet prędicata illa æquivaleant inter se, non vero vnum affirmativè dictum, æquivalet alteri negativè dictum.

121. Objic. 4. Et instabis: Quoties alicui composito ratione vnius partis competit aliquod prædicatum, non potest de toto comosito tale prædicatum negari, v.g. non potest negari de homine esse corruptibile, quia illi convenit tale prædicatum respectu vnionis; ergo de collectione Matrum, cuius pars essentialis est Beata Virgo, cui prædicatum incorruptæ competit, non potest negari prædicatum incorrupti.

122. Resp. Disparitatem esse sumendam ex hominum vsurpatione qui prædicatum affirmatum de composito non intelligunt affirmari distributivé de singulis partibus v.g. *Homo est incorruptibilis*: ex qua non infertur; ergo *Anima est incorruptibilis*. At vero prædicatum affirmatum de collectione intelligunt affirmari de singulis collectionem componentibus, ideo que potest dici: *Homo est corruptibilis* ab vnione corruptibili; nequit tamen dici de complexo Matrum esse in corraptum á Beata Virgine in corrupta.

123. Objic. 5. De aceruo lapidum non dicitur esse lapidem, nec de exercitu hominum esse hominem, nec de complexo ex equo, & homine esse hominem, rationale, aut irrationale, quia sunt totum per accidens etherogeneum, & quod de vna parte prædicatur, nequit prædicari de toto per accidens, & de todo etherogeneo: Sed binarium duplicis matris est totum per accidens, totum que etherogeneum resultans ex illis duabus matribus, quarum vni convenit prędicatum Virginitatis, & incorruptionis, & alteri prędicatum corruptæ, ergo de illo nequit prædicari prædicatum Uirginis, seu incorruptę.

124. Instas. Si ab vna matre non corrupta totum denominatur non corruptum; ergo ab alia Matre corrupta totum denominabitur corruptum.

125. In hoc argumento plurae xtra rem, nec bene intellecta invenies, & ex eo tantum sequitur; non posse de illo complexo affirmative prædicari, esse corruptum, aut incorruptum: sicut de complexo hominis, & bruti, nequit affirmativè prędicari esse hominem, aut brutum, rationale, aut irrationale; non tamen infertur; non posse negativè prædicari, *non esse corruptum*. Ratio disparitatis est, quia prædicatum affirmativè dictum de aliquo complexo, non vt complexo reduplicative, sed specificativè, debet omnibus partibus convenire; quia bonum ex integra causa, ideoque de complexo ex equo, & homine, non dicitur esse rationale, vel irrationale, quia falsum est dicere: *Ergo hic est rationalis, & hic est rationalis*; at vero vt negetur de aliquo complexo aliquod prędicatum, non est necesse, quod negetur etiam de partibus divisivè, sic de illo complexo hominis, & equi dicitur negativè non esse rationale, nec irrationale, de illo complexo lapidum non esse lapidem, & de exercitu hominum non esse hominem. Vnde licet ab vna Matre nō corrupta de tali complexo dicatur negativè, *non esse corruptum*, nō bene infertur, ab alia corrupta posse dici affirmativè *corruptum*. Sicut ab vna non Virgine dicitur negativè *non Virgineum*, non tamen ab alia Virgine *Virgineum* affirmativè dicitur.

(o)

SEC-

SECTIO VIII.

SIT NE POSSIBILIS PROPOSITIO carens contradictoria.

126. NEgant omnes Philosophi contra Patrem Hemelmam apud Isquierdum disp. 3. q. 4. n. 7. & alios apud Patrem Santa Cruz. Prob. primò, quia nulla est propositio, de qua reflexè non possit dici, esse falsam; ergo & obiectum eius alitèr se habere ac per illam enuntiatur; hoc enim est illi contradicere. Præterea; propositio, si est affirmativa, per negativam, si negativa, per affirmativam contradicetur, nequit esse simul affirmativa, & negativa, esset namque in duplici specie opposita; ergo nequit propositiò contradictoria carere.

127. Sed objicies vnicum adversæ opinionis fundamentum. Huic propositioni. *Petrus, & non est*, & similibus v.g. *Petrus currit, & non currit* nequit assignari contradictoria. Primò, quia inter esse, & non esse non datur aliquod medium, quod vtrique possit opponi. Secundo, quia illa propositio est simul affirmativa, & negativa; ergo non est alia illi opposita.

128. Resp. primò. Talem propositionem esse impossibilem in intellectu; quia nequit assentiri duplici contradictorio.

129. Resp. secundò. Ex mente Aristotelis; hanc esse eius contradictoriam: *Non Petrus est, & non est*. Ad primam probationem dic; quod licet inter esse, & non esse non detur medium, tamen inter esse, & non esse simul datur medium: illa propositio affirmat de Petro simultatem essendi, & non essendi. Hęc *non Petrus est & non est*, negat talem simultatem, nam est idem ac dicere. Non est verum *Petrum esse, & non esse simul*, quę quidem propositio destruit illam dicentem: *Petrus est, & non est*.

130. Ad secundam probationem dico, talem propositionem non esse simul affirmativam, & negativam, sed solum affirmativam simultatis essendi, & non essendi. Eius contradictoria est negativa talis simultatis; nam licet habeat duplicem negationem, non ideo est affirmativa; duplex enim negatio solum affirmat, quando vtraque supra idem cadit. vt *Non nullus, non nemo*, &c. At vero illic primum *Non* cadit supra copulam Orationis, & *secundum* supra partiale prędicatum essendi,

131. Poterat non improbabiliter defendi, dari aliquā, immò aliquas propositiones, non mentales, sed vocales, quibus non sit assignabilis contradictoria v.g. hæ *Amo est vox. Blictiri est sonus*. Si admittatur reflexio illarum vocum supra se ipsas, vel si non admittatur, hæ, *Hæc dictio Amo est vox. Hæc dictio Blictiri est sonus*, & aliæ similes. Probatur. Si aliqua contradictoria esset assignabilis illi v. g. *Amo est vox* essèt hæc *Amo non est vox*, sed hæc illius contradictoria non est; ergo: Probatur minor: hęc secūda propositio *Amo non est vox*, non habet idem subiectum, ac alia *Amo est vox*, ergo neque est eius cōtradictoria, cum non sit eiusdem de eodē. Probatur antecedens. Subiectum illius primę propositionis est illa vox disyllaba primo prolata *Amo*, sed illa vox *Amo* secundę propositionis non est eadem, cum voces, vtpotè fluidæ, statim ac pronuntiantur, evanescant, ergo.

132. Respondebis fortè, illam secundam vocem esse omnino similem, solumque individualiter distinctam á prima, & in illa prima voce *Amo* tamquam in imagine repræsentatur secunda vox *Amo*, & in hac secunda illa prima, indeque censetur idem vtriusque propositionis subiectum.

133. Contra, quia etiam filius est similis Patri, procedit namque in similitudi-

tudinem naturę, est solum individualitèr distinctus á Patre, est imago, & speculum Patris,& ad plures effectus vnam moralem personam constituunt, & tamen hę propositiones *Petrus dormit*, si loquatur de Patre: *Petrus non dormit*, si loquatur de filio, qui eodem nomine nuncupatur, non essent cōtradictoriæ; quia non haberent idem subiectum, ergo hęc similitudo non sufficit ad contradictionem inter propositiones.

134 Si tamen respondeas secundò, posse contradictoriam per copulativam efformari ita, *Amo est vox, & non vox*. Contra: quia illa est vnica propositio, & non complexum propositionum, vt supra manet probatum, & sensus illius ita se habet: *Simultas essendi vocis, & non essendi, datur in Amo*, ergo in tali propositione duplex cōtradictoria non datur.

135 Si respondeas tertiò. Ut Sapientissimum Magistrum, quem consului, respondentem audivi; illam propositionem *Amo est vox* esse vniversalem, & idem ac *omnis Amo est vox*, eiusque contradictoria, *Amo non est vox* esse particularem, ac idem ac *Aliquod amo non est vox*. Contra. Si prima propositio affirmativa est vniversalis, cur secunda negativa vniversalis etiam non erit, cum eodē modo vtraque proferatur? Ergo iam non erunt contradictoriæ, sed contrariæ: vel dicat, cur secunda erit particularis, & prima vniversalis, non verò è contra?

136 Sed ne in re parui momenti communi sensui videar dissentiri. Dico, tali propositioni esse assignabilem contradictoriam hoc modo. Proferatur ab aliquo: *Amo est vox*. Statim absque particula *Et*, quæ constituat propositionem copulativā, si dicam *Non est vox*. Hæc idem subiectum habet, ac prima, & de eodem negat. Scias, hoc argumentum solum militare in propositione vocali, quia in mentali non est dubium, quin de eadem numero voce *Amo* cognita per hunc actum, possum dicere est *vox*, & de eadem cognita per alium actū *Non est vox*. Cum enim tota rigorosa contradictio sit pęnes intellectum, non est plurimum de voce curandum.

137 Hic duplex consilium tibi offerā. Primum. Si dubius hæseris in assignanda alitèr alicui propositioni sua contradictoria, antepone toti propositioni particulam *Non* negativè sumptam, non verò infinitèr. Hoc optimi amici Aristotelis consilio á pluribus angustijs te expedies; nam cum negatio sit malignantis naturę, quidquid post se invenit, destruit, & totam propositionem, supra quam cadit, negat. Et hic modus contradicendi facilior, & melior est iuxta Aristotelem dicentem: *Non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem præponere.*

138 Secundum est consilium, non ignobilis Doctoris. Quoties propter obscuritatem, vel ambiguitatem ignoras, in quo sensu propositiones, quæ tibi probantur contradictoriè oppositæ, accipiendæ sint, concede gratis sensum, in quo arguens eas simul veras, aut simul falsas probare contendit, & in eo cognosces contradictorias non esse, quia cum nunquam probare possit; idem secundum idem, simul esse, & nō esse, semper in decursu propositionis recurret ad aliquam diversitatem temporis loci, vel circunstantiæ, ratione cuius eas simul veras, aut falsas ostendere possit, & suum ipsius argumentum illi pro solutione præbe. Ideò si cum tibi opponantur duæ propositiones tamquam contradictoriæ, dubitas, an sint, vel non contradictoriæ, sic distingue. *Hæ sunt contradictoriæ, si sint eiusdem de eodem omnibus servatis*; cōcedo; alitèr nega, & sic argumento aditū intercludes.

SECTIO IX.

DE ÆQVIPOLLENTIA *Propositionum simplicium.*

139 SEcunda propositionum proprietas est æquipollentia duplicis propositionis inter se ablata, vel adiuncta particula *Non*. Tota

hęc æquipollentia in hoc carmine continetur.

Præ contradic. Post contra. Præpostque subalter.

140 *Præ contradic.* Significat, quod ad hoc, vt vna propositio contradictoria alteri ęquivaleat præferenda est subiecto particula *Non*: v. g. hæ sunt contradictorię. *Omnis homo est animal. Aliquis homo non est animal.* Si verò præferas *Non* subiecto primæ propositionis ita *Non omnis homo est animal*, est idem ac sua contradictoria *Aliquis homo non est animal.* Si verò è contra præferas *Nō* subiecto secundæ propositionis, ita: *Nō aliquis homo non est animal.* Est idem ac *Omnis homo est animal.*

141 *Post contra* significat, quod ad hoc, vt vna contraria ęquivaleat alteri, postponenda est particula *Non* subiecto: v.g. hę sunt contrariæ: *Omnis homo currit, nullus homo currit.* Si huic secundæ post subiectum addatur *Non*, ita: *Nullus homo non currit*, ęquivalet suæ contrariæ *Omnis homo currit*; Si verò huic addatur idem *Non* ita: *Omnis homo non currit*: ęquivalet alteri, scilicet: *Nullus homo currit.*

142 *Præ postque subalter.* Significat, quod propositiones subalternæ ęquivalent inter se, si anteponas, & postponas subiecto particulam *Non*, v. g. hæ sunt subalternæ. *Omnis homo currit, Aliquis homo currit.* Si huic addas *non* ita: *Nō aliquis homo nō currit*, ęquivalet suę subalternanti, scilicet *Omnis homo currit*, si verò huic addas *Non* ita: *Non omnis homo non currit*, ęquivalet huic: *Aliquis homo currit*, quæ illius subalternata est. *Non nullus homo non currit*, æquivalet suæ subalternatę. *Aliquis homo non currit*; & iuxta regulas, vt hęc equivaleat suę subalternanti, ita proferenda est. *Non aliquis homo non currit*, quod nugatorium videtur; ideòque deme particulam *Non* positam post subiectum, & præfer illam subiecto, & sic ęquivalentem facies, idē enim est, *Non aliquis homo currit*, ac *nullus homo currit.*

143 Pro æquivalentia subcontrariarū non assignantur regulæ; quia ablata particula *Non* á negativa, manet eadem, en iam versus, vbi totum hoc continetur.

Non omnis, quidam non; omnis non quasi nullus.
Non nullus, quidam; sed nullus non valet omnis:
Non aliquis; nullus: non quidam non valet omnis.

SECTIO X.

DE CONVERTENTIA PROPOSItionum inter se.

144 TErtia propositionum proprietas dicitur conversio, & est mutatio vnius propositionis in aliam ex mutatione subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, servata eadem forma, qualitate, & reliquis, ita vt á conversa valeat consequentia ad cōvertentem. Conversa est propositio, quæ mutatur; convertens est ea, in quam mutatur: est triplex. Prima dicitur cōversio simplicitèr, & est, quando servata eadem quantitate mutatur prędicatū vnius propositionis in subiectum alterius, & subiectum alterius in prædicatum vnius. Secunda dicitur conversio per accidens, & est, quando non servatur eadem quantitas in convertente. Tertia dicitur per contrapositionem, & est, quā do retenta eadem quantitate termini finiti conversæ infinitantur, & infiniti finitantur in convertente. Audias totam doctrinam in his versibus contentam.

Simplicitèr *Feci*, convertitur *Eva* per acci
Asto per contra, sic fit conversio *tota*,
Ut hos explicem, audias alios.
Asserit *A*, negat *E*, sed vniversalitèr ambo

Asserit *I*, negat *O*, sed particulariter ambo. Litera *A* significat propositionem vniversalem affirmativam Litera *E* vniversalem negativam. Litera *I* particularem affirmativam. Litera *O* particularem negativam. Hoc supposito.

145. In primis versibus reperiuntur tres voces *Feci Eva, Asto*: dictio *Feci* denotat, conversionem simpliciter fieri in vniversali negativa expressa per illud *E* ita *Nullus homo est lapis*; converte: Ergo *nullus lapis est homo*. Et in particulari affirmativa significata per illud *I*, ita *Aliquis homo est animal*. Converte. Ergo *aliquod animal est homo*.

146. Dictio *Eva* denotat, conversionem per accidens fieri in vniversali negativa iuxta illud *E*, ita: *Nullus homo est lapis*: converte. Ergo *aliquis lapis non est homo*. Et in vniversali affirmativa iuxta illud *A* ita *omnis homo est animal*, converte: *Ergo aliquod animal est homo*.

147. Dictio *Asto* denotat, conversionem per contrapositionem fieri in vniversali affirmativa iuxta illud *A* ita, *omnis homo est animal*. Converte. Ergo *omne non animal est non homo* En termini *Homo*, & *Animal* finiti inconversę, infinitantur in convertente, & in particulari negativa iuxta illud *O* ita *Aliquis homo non est lapis*, converte: Ergo *aliquis non lapis est non homo*. Arriaga iudicat, in conversione vniuersalis affirmativæ non requiri, quod infinitetur predicatum, sed sufficere, quod particula *Non* ponatur ante copulam ita: Ergo *Omne non animal non est homo*, sed licet idem significet quoad rem, non verò quo ad regulas conversionis, cum non servetur eadem forma in conversa, & convertente, nam conversa est affirmativa, v.g. *Omnis homo est animal*, & convertens est negatiua *Omne non animal non est homo*, ideoque etiam prædicatum infinitandum est.

148. Scias primò. In singularibus fieri conversionem simpliciter, si vterque terminus sit singularis: ita *Petrus est hic homo* converte. Ergo *hic homo est Petrus*. Etiam in negativis ita: *Petrus non est hic homo*. Converte: *Ergo hic homo non est Petrus*. Si tamen prædicatum sit vniversale in affirmativa fit conversio per accidens ita *Petrus est homo*: converte. *Ergo aliquis homo est Petrus*, in negativa etiam fit conversio per accidens tam per terminum vniversalem, quam per terminum particularem ita *Petrus non est leo*: converte: Ergo *aliquis leo non est Petrus* vel ita, Ergo *nullus leo est Petrus*.

149. Scias secundo, & advertenter nota. In conversione servandam esse eamdem ampliationem, suppositionem, & materiam; nam aliquo ex his mutato non valet consequentia; in his variatur ampliatio *Cæci vident*, *ergo videntes sunt cæci*. *Iustus peccat*, *ergo pecans est iustus*. *Senex fuit iuvenis*. Ergo *iuvenis fuit senex*: in his variatur materia necessaria in contingentem. *omnis actus peccaminosus est liber*. Ergo *omnis actus liber est peccaminosus*: *omnis musicus est homo*: Ergo *aliquis homo est Musicus*. Ex his disces, ad alias similes consequentias respondere, quod si bene percaleas ab æquivocis passim obvijs facilè te expedies. Vide si placeat Linzeum tract.4. & Isquierdum disp. 19. quæst. 6. de hoc latissimè agentes.

SECTIO XI.

DE OPPOSITIONE, ET CONVERsione Modalium.

150. PRopositio Modalis, de qua hic agitur est *Oratio de infinitivo enuntiativa modi, quo prædicatum convenit subiecto*. Vnde tam affirmat, aut negat rem, quam modum talis rei. Hic modus est quadruplex *Necesse, impossibile, possibile, & contingens*. Nota ly *contingens* hic non sumi pro eo, quod potest esse vel non esse, sed provt converti-

tùr

tur cum possibili. Vnde verum est dicere: *Deus existere, est contingens*, id est. Est possibile.

151. Propositio modalis habet dictum, & modum. Dictum est oratio de infinitivo, quæ se habet, vt subiectum propositionis: modus est, qui determinat propositionem de infinitivo, & est prędicatum totius propositionis. Materia totalis est, quæ datur inter dictum, & modum. Esse affirmativam, vel negativam propositionem desumitur non a dicto, sed á modo. Vnde hæc est affirmativa. *Petrum non esse lapidem est necesse*. Licet dictum negetur, quia modus affirmatur, & hęc est negativa. *Petrum esse hominem, non est contingens*. Licet affirmetur dictum, quia negatur modus. Ratio est, quia tota affirmatio, vel negatio debet desumi ab eo Verbo, & copula, quæ vnit, & dividit prædicatum à subiecto. Cum ergo prædicatum sit modus, & subiectum tota propositio de infinitivo, á copula nectente, vel dividente modum, debet dici propositio affirmativa, vel negativa.

152. Quantitatem etiam sumendam esse à solo modo, dicitur communiter. Unde illa dicetur propositio vniversalis, quæ modo vniversali constat, quidquid sit de dicto, vt hęc *Petrum currere, est necesse*, quę licet dictum sit de singulari, quia modus est vniversalis, vniversalis vtique dicitur. Arriaga docet etiam attendendum dictum, propositionem que ex dicto sigulari, & modo vniversali appellandam esse mistam: dic, quod tibi placuerit. Qualitatem sumendam esse á modo, id est ab eo, quod modus conveniat, vel disconveniat subiecto, nemo dubitat. Ratio est, quia modus est prædicatum, & dictum est subiectum, & ab eo, quod prædicatum conveniat, vel non conveniat subiecto, propositio dicitur vera, vel falsa. Vnde hæc propositio est vera. *Deum mentiri, est impossibile* quia modus, nempe impossibilitas convenit dicto.

153. *Necesse*, & *impossibile* sunt modi formalitér vniversales, quæ constituunt propositiones contrarias, sic *Necesse est, Petrum currere. Petrum currere, est impossibile*, modi æqualiter vniversales sunt *Non possibile, non contingens*, modi formaliter particulares sunt *contingens, & possibile*, æqualiter tales sunt *Non necesse, non non impossibile*. Ex his quasi funiculis fere inexplicabilis Gordij Modalium oppositionis nodus resultat, sed hęc tabella pro Alexandri Gladio.

154 Hic adverte, tres propositiones ad vnamquamque classem pertinentes, inter se æquivalere, idemque significare.


155 Quatuor regulas pro hac oppositione scias, & in tabella executioni mādatas cognosces. Prima, vt assignes contradictoriam alicui propositioni modali, muta modum, ne invertas dictum, v.g. vt huic propositioni *Petrum currere, est necesse*. Suam contradictoriam assignes, dictum scilicet: *Petrum currere*, ita: desine modum, scilicet *est necesse*, immuta per negationem, & dic *Petrum currere nō est necesse*.

156 Secunda, vt assignes propositioni modali suam contrariam, muta dictū, nè invertas modum, v.g. vt assignes huic: *Petrum currere non est possibile* suā contrariam, dictum, scilicet *Petrum currere* immuta sic. *Petrum non currere*, desine modum, & dic ita: *Petrum currere nō est possibile*.

157 Tertia, vt assignes subcontrariam affirma, vel nega dictum, né invertas modum, v. g. vt assignes huic *Petrū non currere non est necesse*, suam subcontrariam, affirma dictum, & desine modum su *Petrum currere non est necesse*.

158. Quarta, vt assignes subalternanti sua subalternata, vel è contra, affirma negatum, & nega affirmatum alterius, sive sit dictum, sive sit modus, v. g. vt assignes huic subalternanti, *Petrum non*

curre



currere est necesse sua subalternata, affirma dictum quod negatur, & nega modum, quiaffirmatur sic: *Petrum currere non est necesse.* His regulis á labyrinto hoc, velut Ariadneo filo securo tramite egrediemini.

159. Conversio harum propositionum omnes regulas simplicium observa, v.g. hanc propositionem *Omnem esse animal est necesse*, quæ est vniversalis affirmativa, & solum per accidens convertitur, sic verte. *Ergo aliquo animal esse hominem, est necesse*, & sic de alijs. In modo non datur conversio, vt per se patet, sed solũ in dicto.

160. Æquivalentia si sit in dicto, hic nil habet speciale, si sit in modo, vt optimè Isquierdus, potius est connexio veritatis vnius propositionis cum alia, quam æquipollentia. Iam supradixi, tres propositiones ad quamcumque classem pertinentes sibi invicem æquivalere, v.g *Petrum currere, est necesse. Ergo Petrum non currere, non est possibile. Ergo Petrum non currere, non est contingens. Ergo Petrum non currere, est impossibile*, & sic de alijs illas

voculas caligne involutas. *Illiace, Purpurea, Edentuli, Amabimus*, á Petro Hispano inventas, mittite in tenebras exteriores, & interiores, despectus nempè; & oblivionis.

SECTIO XII.

DE PROPOSITIONIBVS EXPONIBILIBUS.

161. Propositiones exponibiles iá vulgo appellantur propositiones exclusivæ, exceptivæ, & reduplicativæ, vt asignentur contradictoriè his propositionibus, sensus earum investigandus est.

162. Propositio exclusiva, quæ signis exclusiuis, *Tantum, Dumtaxat, solummodo*, & alijs significatur, potest esse de prædicato excluso, cum signum exclusionis cadit supra prædicatum sic, *Petrus est tantum musicus*, id est *Præter musicam, nil aliud scit*, vel de subiecto excluso, quando signum exclusionis cadit supra subiectum, v.g. *Tantum Petrus currit*, de contradictoria huius hic inquiritur.

163. Patres Hurtadus, Linze, & Arriaga dicunt, propositiones exclusivas exponendas esse per copulativas, vnde sensus illius, v.g. *Petrus tantum currit*, est hic, *Petrus currit; & nullus alius á Petro currit*, & sensus negativè, v.g. *Petrus tantum non legit*: est hic, *Petrus non legit, & omnis alius distinctus á Petro legit.* Probant authoritate Angelici Preceptoris 1.p.q. 31.art.3.ad 2. vbi ait. *Possumus enim dicere; tantum sortes currit, id est, nullus alius.* Et etiam ex illo Christi Domini Ioannis 8. vers. 16. *Solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater*, vbi priorem propositionem exclusivam per copulativam exposuit.

164. Contra Pater Oviedus, Sancta Cruz, num. 397. & communitèr dicunt; propositiones exclusivas esse de subiecto non supponente, vnumque supponere, & aliud affirmare. Pono exemplum in his. *Tantum Deus est mendax. Tantum Petrus currit*, intendunt affirmare, *Deum esse mendacem, & Petrum currere*, sed eo supposito, de quo non curant, solum curant de tanteitate, & vna affirmat. *Nullum alium distinctum á Deo esse mendacem*, & alia, *Nullum alium á Petro distinctum currere.*

165. Dico. Vtroque modo posse tales propositiones exponi, vterque enim sensus est illi conformis, & illas optimè explicat, & declarat. Si verò explicetur per copulativam ita; vt *Tantum Deus est mendax* sit idem, ac: *Deus est mendax; & nemo alius á Deo est mendax.* & negativa. *Non tantum Deus est mendax* sit idem ac *Deus est mendax, & aliud etiam distinctum á Deo est mendax*, nullo modo opponuntur contradictoriè illæ propositiones exclusivæ, sed solum contrariè, & ratio est, quia propositiones copulativæ, vt sæpè diximus, contradictoriè non opponuntur, sed contrariè, possunt enim falsificari simul, vt defacto falsificantur eo quod *Deus non sit mendax.*

166. Ita intellectá tali propositione *Tantum Deus est mendax*, duplici modo potest illi contradictoria asignari. Primò per disiunctionem ita, *Vel Deus non est mendax*, vel *aliud distinctum á Deo est mendax.* Secundo ita. *Non tantum Deus est mendax*, iuxta regulam Aristotelis sumpto ly *Non* neganter, & sensus illius erit. *Falsum est, quod Deus tantum, si mendax*, quæ quidem propositio absque dubio alteri contradicit, destruit que simultatem mendacij in Deo, & carentiæ mendacij in alio.

167. Si vero explicentur vt propositiones de subiecto non supponente, dico, has propositiones. *Tantum Deus est mendax: Non tantum Deus est mendax* esse contradictorias, sicut, & has. *Chimæra distat á me: Chimæra non distat á me: Equus rationalis discurrit. Equus rationalis non discurrit*, quia habent hunc sensum. *Supposito, quod Deus sit mendax: nil distinctum á Deo est*

est mendax. Hę propositiones contradictoriè opponuntur inter se, ergo & illæ propositiones *Chimæra distat à me, chimæra non distat à me*, ita se habent. *Supposita vbicatione chimæra eā habet distantem. Supposita vbicatione chimæra eam non habet distantem*, quæ absquedubio cōtradictoriè opponuntur inter se, ita de similibus propositionibus discurrere.

168 Dices, illas propositiones: *Tantum Deus est mendax, non tantum Deus est mendax* esse hæreticas, & blasphemas, ergo & falsas, ergo non contradictorias.

169 Respondetur in sensu exclusivo, vt hic loquimur, nullam esse hæreticam, & blasphemam; quia in nulla affirmatur Deum esse mendacem, sed id in vtraque, licet falso, & hęreticè, supponitur.

170 Contra primum modum explicandi hanc contradictoriam, objicit quidam Ingeniosus Modernus intendens absolutè probare propositioni copulativæ non contradicere immediatè, sed solum mediatè propositionem disiunctivā. In oppositis propositionibus debet esse idem prędicatum, sed prædicatum affirmatum per copulativam propositionem v. g. *Petrus, & Paulus currunt*, est simultas cursus Petri, & Pauli, ergo eadem simultas debet negari per oppositam propositionem, sed per disiunctivam non negatur simultas, cum hęc non sit illius obiectum, ergo.

171 Confirmatur. Huic propositioni *datur compositum* non contradicit immediatè, sed tantum mediatè hæc Vel non datur materia prima, vel non datur forma; non contradicit immediatè; quia vi illius non destruitur, & negatur totum subiectum. Contradicit mediotè, quia destruitur vna pars, & per consequentiam, deficiente vna parte, & totum deficere, necesse est. Ergo similitèr hæc propositio vel *Petrus*, vel *Paulus non currit*, non contradicet immediatè, sed solum mediatè huic, *Petrus, & Paulus currunt*: cum non destruat immediatè simultatem, sed per consequentiā, quia cursu vnius negato pręcisse simultas vtriusque negatur: vnde huic propositioni, *Petrus, & Paulus currunt*, hæc solū opponitur, *Non Petrus, & Palus currūt*.

172 Retorquetur argumentum sic: Per vos hę propositiones: *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit*. Contradictoriè opponuntur: sed hęc secunda non destruit immediatè totum obiectū primæ, cum prima omnes copulativè respiciat, ita, *Ergo & hic, & ille homo currit, &c.* Secunda verò disiunctivè. Ita: ergo, vel *hic*, vel *ille non currit, &c.* Ita secunda propositio non destruit simultatem immediatè, sed solum per consequentiam, quatenus scilicet vnius hominis cursum negans, & omnis hominis cursum negans, simultas negatur; ergo vel sine immediata oppositione, quo ad totum datur immediata contradictio vel inter propositionē disiunctivā, & copulativā immediata contradictio relucet.

173 Ex hoc respondetur. Distinguo maiorem. Debet esse idem prædicatum, vel copulativè, vel disiunctivé, concedo: solum copulativè; nego; & distinguo consequens. Ergo eadem simultas debet negari per propositionem oppositam, vel disiunctivè, vel copulativè; cōcedo. Copulativè necessariò nego. Sæpe diximus ex communi omnium Doctorum sententia, descensum copulativū, & disiunctivum contradictoriè opponi, hanc que mutationem suppositionis nō officere immediatè propositionum vniversalium, & particularium contradictioni, ergo propositio copulativa: *Petrus & Paulus non currunt*, & disiunctiva, *vel Petrus, vel Paulus non currunt*, immediatè contradictoriè opponuntur.

174 Ad confirmationem dico; hanc propositionem, vel *hic non datur materia*, vel *non datur forma*, vel *non datur vnio*, immediatè contradictoriè opponi, ob eamdem rationem, huic *Hic datur compositum ex materia, forma, & vnione*.

175 Hic nota, quod si sensus huius propositionis, *Petrus, & Paulus non currunt* sit: *Non datur simultas cursus in vtroque*. Contradictoriè opponitur alteri, *Petrus, & Paulus currunt*, sed quia communitèr ita accipi non solet, sed hoc mōdo *nec Petrus, nec Paulus currit*, in quo sensu est tantum contraria: ideò illi pro contradictoria assignamus disiunctivam.

176 Secunda propositio exponibilis dicitur exceptiva, quę significatur terminis exceptivis. *Nisi, præter*, v.g. *Omnis homo præter Petrum currit*. Hęc exponenda est per copulativam ex affirmativa, & negativa ita: *Omnis homo distinctus à Petro currit*, & *Petrus non currit*. Vnde eius contradictoria est duplex, vel disiūctiva ita: *Vel aliquis homo distinctus à Petro non currit, vel Petrus currit*, aut facilius ita: *Non omnis homo præter Petrum currit*.

177 Tertia propositio exponibilis est reduplicativa, quæ significatur his terminis: *Prout, In quantum, Quatenus*, v. g. *Petrus in quantum homo discurrit*, hæc reduplicatio vel potest esse supra rationem formalem, vt in supradicta, vel supra condiionem, vt in hac *Ignis prout applicatus comburit*. Attendas reduplicationi, & expone etiam per propositionem copulativam ita. *Petrus discurrit, & ratio formalis, vt illi conveniat discurrere, est rationalitas*, si fiat reduplicatio supra conditionem, sic expone, *Ignis comburit, & conditio necessaria, vt comburat, est approximatio*, his contradictorias assigna similitêr, vel per disiunctivam, vel per *non* antepositum toti propositioni.

TRACTAT. III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE nempe discursu.

SECTIO I.

DE SYLLOGISMO, QVOAD suum esse, materiam, & formam.

1 ARgumentatio *est modus sciendi, in quo vnum ex alio notantèr infertur*: notæ illationis sunt, *ergo*, & *igitur*. Vnde requiritur, quod vna propositio ex alijs inferatur, v. g. *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal*; nā si non inferretur, etiam si veræ essent propositiones, non esset argumentatio, vt patet in hoc actu, *omnis homo est vivens sensibile sed omnis equus est hinnibilis: ergo omnis Leo rugit*, quę quidē argumentatio non esset ex defectu illationis.

2 Sectionem efformo de syllogismo, quia etiam si argumentatio dividatur in sex species, tamen vt optimè Pater Hurtadus, omnes vt perfectè concludant, reducendæ sunt ad sylogismum qui est perfectissima argumentatio. Species hæ sunt: *Syllogismus, Enthymema, Dilemma, Inductio, Sorites, Exemplum*.

3 *Enthymema* syllogismus truncatus oppellatur; quia in eo deficit aliqua propositio; est argumentatio, in qua ex vna tantum præmissa infertur conclusio v. g. *Petrus est homo, ergo est animal*.

4. Inductio *est argumentatio, in qua omnibus singularibus numeratis, infertur illatio*: v. g. *Ioannes est animal, Petrus est animal. Franciscus est animal.* Et sic de omnibus hominibus; Ergo *omnis homo est animal.*

5. *Exemplum* est argumentum á simili, cum scilicet ex vno pari, aliud infertur. Vt *Deus misertus fuit Petri pœnitentiam agentis, Ergo & mei miserebitur, si pœnitentiam egero.*

6. Dilemma est argumentatio *cornuta*, quę duas continet partes, quarum si vnam neges in alteram incidas, necesse est, frequenter solet constare duplici propositione disiunctiva, & inde duplici conditionali, vt *vel credis, te esse moriturum, vel non? Si non credis? Est hæreticus; si credis, & male vivis, stultus.* Vel aliter disiunctio solet apponi in consequētia sic. *Hic est animal,* Ergo *vel rationale,* vel *irrationale.* Ex quo rursus concluditur *Non rationale; ergo & irrationale,* & ita dispositum fortissimé concludit argumentum.

7. *Sorites* est argumentatio, inqua ex continuata serie propositionum inter se connexarum, deducitur illatio de primo ad vltimum, qualis est illa sępè decantata *Europa dominatur Orbi, Europæ Grecia, Greciæ Athenæ, Athenis Temistocles, Themistocli Vxor, Vxori filius; ergo filius Orbi.*

8. Syllogismus ab Aristotele primo Topicorum. cap. 1. ita de finitur. *Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quidpiam sequi necesse est.* Clarius ablatis auferendis, syllogismus est. *Modus sciendi, in quo ex duobus propositionibus tertia alia infertur.* Unde tribus propositionibus constat. Prima dicitur maior. Secunda minor. Tertia consequentia. Tres illæ propositiones ex tribus tantum terminis constare debent. E quibus vnus debet in vtraque præmissa repeti, & non ingredi conclusionem. Hic appellatur medium. E duobus reliquis vnus ponitur, vt prædicatum in maiori, & appellatur *maior extremitas* alter ponitur vt subiectum in minori, & appellatur *Minor extremitas.* Ex his consequentia componitur.

9. Exemplo res clarescet in hoc syllogismo *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo,* ergo *Petrus est animal.* Tres repe,riuntur propositiones. Prima scilicet *Omnis homo est animal* Appellatur maior. Secunda scilicet *sed Petrus est homo* appellatur minor. Tertia scilicet. *Ergo Petrus est animal* consequentia appellatur. Triplex terminus in eo tantum relucet, scilicet *Homo, Animal, Petrus.* Ly *homo* est *mediū,* ideo in duplici præmissa repetitur. Ly *Animal* est maior *Extremitas*, ideo ponitur, vt prædicatum maioris. Ly *Petrus est minor extremitas,* ideo ponitur vt subiectum minoris, & denique consequentiam non ingreditur *Homo*, sed alij duo tantum termini.

10. Materia remota syllogismi sunt termini, è quibus præmissæ componuntur. Materia proxima sunt propositiones ex quibus syllogismus resultat. Forma est recta dispositio terminorum in ordine ad conclusionem recte inferendam. *Forma* componitur ex *modo*, & *figura*. *Figura* est dispositio, & ordinatio extremitatum cum medio in ordine ad subiectationem, vel prædicationem. *Modus* est dispositio circa affirmationem, vel negationem, vniversalitatem, vel particularitatem propositionum; & quia medium potest tripliciter disponi, communiter triplex tantum assignatur figura, hoc carmine contenta.

Sub Præ prima, bis Præ secunda. Tertia bis sub. Vel clarius hinis.
Prima prius subijcit medium, dein prædicat ipsum.
Altera bis dicit: bis tertia subijcit ipsum,

11. Prima figura medium ponit, vt subiectum maioris, & prædicatum minoris, & hoc denotat ly *sub Præ prima.* Secunda figura in maiori, & minori ponit medium vt prædicatum iuxta illud *Bis Præ secunda.* Tertia figura ponit medium, vt subiectū tam in maiori, quam in minori iuxta illud *Tertia bis sub.*

12. Huius triplicis figuræ modi communiter annumerantur his versibus contenti.

1. Barbara, Celarēt, *Darij*, Ferio, Baralipton
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
2. Cęsare, Camestres, Festino, Baroco 3. *Darapti*
Fielapton, Disamis, Datici, Bocardo, Ferizon.

13. Nota, omnes has voces triplici syllabá constare (si demas Baralipton, & Frisesomorum, quibus metri causa additur vna) denotante quantitatem propositionis. *A* denotat vniversalem affirmativam *E* vniversalem negativam. *I* particularem, & etiam singularem affirmativam. *O* particularem, vel singularem negativam. Ad primam figuram novem primi modi pertinent á *Barbara* scilicet vsque ad *Frises*. Ad secundam pertinent quatuor sequuti, á *Cesare* scilicet vsque ad *Baroco* Ad tertiam, alij sex.

14. Omnes modi primæ figuræ sunt perfecti, perfectissimi tamen quatuor primi modi, quia scilicet concludunt directe, id est, in illis statim apparet bonitas illationis; quia servatur ordo præmissarum, & maior extremitas, quę est prędicatum maioris, est prædicatum conclusionis; minor vero extremitas, quæ est subiectum minoris, est etiam subiectum conclusionis, vt patet in hoc syllogismo in Barbara *Omne vivens sensibile est animal,* sed *omnis homo est vivens sensibile,* ergo *Omnis homo est animal,* En animal prædicatum conclusionis est prędicatum maioris, & *homo* subiectum conclusionis est subiectum minoris.

15. Adverte, quod licet pertineant ad eamdem figuram *Celarem*, & *Celantes*. *Darij*, & *Dabitis*, & etiam eisdem propositionibus constent, tamen distinguntur in modo concludendi, directè vel indirectê. Pono exemplum. Hic est syllogismus in *Darij* directê concludens: *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo,* ergo *Petrus est animal*; quia prædicatum maioris est prædicatum conclusionis, & subiectum minoris, subiectum conclusionis: Si vero loco illius consequentiæ inferas hanc Ergo *aliquod animal est Petrus*, erit syllogismus in *Dabitis* indirectè concludens, quia prædicatum maioris fuit subiectum conclusionis, & subiectum minoris etiam conclusionis prędicatum.

SECTIO II.

ALIQVIBVS DVBIJS RESPONDENS.

16. Rogas primò. Cur vna propositio prę alia dicenda sit maior, aut minor?

17. Pater Linze, hoc, quod solum ad nomina pertinet, magnifacit varijs argumentis, & excogitationibus. Vide illas impugnatas apud Arriagam in sua aucta Philosophia. Tu vero cum ipso Arriaga dic: illam propositionem dici maiorem, quę primò profertur: illam vero minorem, quę postea profertur: hoc constat ex communi vsu loquendi omnium Scholasticorum, cui in vocibus, & loquutionibus debemus stare. Per quadraginta, & octo annos innumeris interfuisse disputationibus, asserit Arriaga, & tamen nunquam se audivisse respondere ad primam propositionem; concedo *minorem*; & ad secundam nego *maiorem*; sed statim ac sustentans audit, & repetit primam propositionem, negat, vel concedit *maiorem*, et postea, ad secundam concedit, vel negat *minorem*.

18. Sed obijcit Linze. Syllogismus mentalis habet maiorem, et mino-

rem, sed in mente nulla præmissa alteri antecedit, sed vtraque coexistit, quando infertur conclusio, er go ratio *maioris*, vel *minoris* non consistit in hac præcedentia.

19 Respondetur cum Arriaga, nego maiorem; nam in mente non datur maior, aut minor ob ratioeem argumenti. Respondeo secundò, quod licet vtraque præmissa simul existat, quando infertur conclusio, tamen aliqua earum primò producta fuit ab intellectu, & hęc erit maior. Alia verò minor.

20 Instabis. Si negatur in intellectu maior, & minor, etiam syllogismus negari poterit. Respondetur, essentiam syllogismi independentem esse á denominatione *maioris*, & *minoris*; solumque consistere in eo, quod dentur in intellec tu tres propositiones, in quarum vna inferatur identitas extremorum inter se, ex eo quod hæc in alijs duabus fuerint identificata cum tertio alio, quod dicitur medium.

21 Rogas secundò. Sit né alia quarta figura præpter tres assignatas? Affirmant cum Galeno omnes Medici asserẽtes, formam syllogisticam sine quarta figura non minus ægrotare, quam corpus humanum sine quarto humore. Hos sequuntur Peñafiel, Isquierdo, & alij; quia si prima figura est, cuius medium est subiectum in maiori, & prædicatum in minori. Cur quando ponitur medium vt prædicatum in maiori, & vt subiectũ in minori non constituetur alia nova figura?

22 Negant, hanc esse novam figurã Communiter Doctores; quia vt optimè Arriaga; cum esse maiorem, vel minorẽ propositionem, solum consistat in ordine prolationis, primo, vel secundo loco Sicut filius natu prior dicitur maior, & posterior dicitur minor, & hoc totum reluceat in vocibus, non verò in intellectu, vbi pręmissę, & conclusio coexistunt simul; non est, cur ex hac accidentali variatione maioris in minorem, & minoris in maiorem figuræ mentales multiplicandæ sint contra mentem Aristotelis. Vndè hanc ad primam figurã reduc, & exclude à numero modorum illos, in quibus solum datur inversio hæc accidentalis maioris in minorem, & é contra. Vt sunt in prima figura. *Ferio* & *Frizon*: in secunda *Cesare*, & *Camestres*. In tertia *Disamis*, & *Datisi*.

23 Vel si vis in Medicorum honorem iuxta illud: *Honora Medicum propter sanitatem* ad scribe hanc in numero figurarum, & multiplica alios novem modos immutando datos pro prima Aristotelis figura, ita vt littera, quæ in illis assignat maiorem, in his assignet minorẽ, & è contra vt pro *Celarent*, dic *Calerent*, *&c.*

24 Rogas tertiò. An propter assignatos modos figurarum possint alij assignari? Respondetur affirmativè. Primò: si modi concludendi indirectè in prima figura, directé concludant. Secũdo: si conclusiones vniversales in particulares mutentur, & loco *Barbara* dicatur: *Barbari*: *Celarem*, *Celarim*, & sic de alijs.

25 Præter assignatos datur syllogismus expositorius, ita dicitur, quia rem ad oculos clarissimé exponit, habet pro medio terminum singularem, constatq; tribus propositionibus singularibus, vt *Carolus est Rex Hispanus*: *sed hic homo est Carolus, ergo hic homo est Rex Hispanus.*

26 Rogas quartò. Quid sit consequens, quidve consequentia? Respondetur consequens esse ipsam propositionem secundum se. Consequentiam esse ipsam propositionem, vt deductam ex præmissis. Consequens potest esse verũ, & consequentia falsa, & tunc neganda est consequentia, & concedendum consequens. Numquam destinguenda est consequentia, sed consequens. Hinc datur duplex argumentatio, formalis, in qua consequens & consequentia sunt veræ, materialis, in qua consequens est verum, & consequentia falsa, hoc est, nõ deducta ex vi formæ, licet aliás vera ex vi materiæ, vt patet in hoc syllogismo *Aliquis homo est rationalis*; *sed Petrus est aliquis homo*; ergo *Petrus est rationalis*, vbi consequens est verum ex vi materiæ, & consequentia falsa ex vi formæ, quia vt postea videbimus ex purè particularibus nil infertur ex vi formę.

SECTIO III.
CVI PRINCIPIO NITATVR VIS syllogistica.

27. DUuplex datur principium, quod variè á Doctoribus pro fundamento formæ syllogisticæ assignatur. Primum est *Dici de omni*, pro omni affirmatione, & *dici de nullo* pro omni negatione. *Dici de omni* significat, quod quid quid dicitur de aliqua *ratione superiori*, debeat dici de *omni inferiori*, contento sub illa. Secundum cõtra, quod quidquid negatur de aliquo *superiori* debeat quoque de *omni inferiori* negari; vt de homine dicitur esse rationalem, & de Petro contento sub homine idem debet affirmari, de homine negatur esse irrationalẽ, idem de Ioanne sub homine contento negari debet.

28. Secundum principium est. *Quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se*: pro affirmatione, vt *Quia Petrus, & animal sunt idem cum homine, Petrus, & animal sunt idem inter se. Et quoties vnum extremum identificatur cum tertio, á quo aliud extremum distinguitur, talia extrema distinguntur inter se, vt quia Petrus identificatur cum homine, & lapis ab homine distinguitur, Petrus, & lapis distinguntur inter se.*

29. Prima sententia asserit, vim syllogisticam fundari in illis principijs *Dici de omni*, quoad conclusiones affirmativas, & *dici de nullo* quoad negativas, ita Patres Molina, Alarcon. Granados. Linze, Isquierdus, Albertinus tom. 1. Septimo principio disp. 2. Sancta Cruz. Spinula, & alij.

30. Secunda tenet, fundari in alijs principijs, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. ita Patres Arriaga. Hurtadus, Oviedus, Comptonus, Alphonsus, & alij apud P. Oleam tract. 1. Summ. disp. 36. n. 2. Hanc secundam sententiam teneo.

31. Probatur primò. Syllogismus, si sit affirmativus, debet constare triplici propositione, quarum duplex prima duo extrema coniungat cum aliquo medio, vt alia tertia propositio coniungat alia extrema inter se, habendo pro motivo, & ratione coniungendi illa (hoc enim denotat illud *Ergo*, quod est idem ac *Hinc deducitur*, vel *ab hoc infertur*) illam identitatem extremorum cum tertio; ergo quia tota vis, totum que esse syllogismi affirmativi tali principio, (*Quæ sunt eadem vni tertio*) fundatur. In syllogismo autem, cuius conclusio evadit negativa, vna expremissis debet vnire vnũ extremum cum tertio, alia vero aliud extremum ab eodem tertio distinguere; vt postea conclusio habendo pro motivo talem separationem vnius extremi á tertio, & identitatem alterius extremi cum tertio, ea extrema distinguat inter se; ergo tota vis syllogismi negativi fundatur in illo principio. *Quoties vnum identificatur*, *&c.*

32. Confirmatur. Quoties præmissæ repræsentant identitatem extremorum cum tertio, & conclusio identitatem extremorum inter se, concludit syllogismus, & si ita non repręsentet, non concludit; ergo tota vis syllogistica in illo principio cõsistit. Insuper obiectum pręmissarum est identitas extremorum cum tertio, obiectumque conclusionis identitas extremorum inter se, sed tota vis, & infallibilitas syllogismi stat in conexionne obiecti conclusionis cum obiecto pręmissarum, hoc est, in eo quod non possit non esse obiectũ con-

conclusionis, quoties est obiectum præmissarum: Ergo tota vis syllogismi stat in eo, quod non possint non identificari extrema inter se, quoties identificatur cum tertiò.

33 Probatur secundò á remotione alterius principij. Hoc principium *Dici de omni*, si cum pluribus ita explicetur. *Quod dicitur de ratione superiori, debet de inferioribus contentis sub illa dici*, non est vniversale ad omnes syllogismos: nã in syllogismo expositorio, cum constet tribus propositionibus singularibus, non datur ratio superior; & in syllogismo in *Barbara*, cum constet tribus vniversalibus, non datur ratio inferior; ergo tota vis syllogistica non fundatur tali principio. Insuper etiam in illis syllogismis in quibus locum habere videtur tale principium ratione alicuius termini vniversalis, qui distribuitur ad aliquod singulare, vt in *Darij*, tale principium vltimò eget, vt fundamine, alio principio: *Quæ sunt eadem vnitertio*; ergo in hoc denique totum fundatur. Probatur antecedens. Ex eo, quod *Omnis homo sit vivens*: non infertur, nec convincitur immediatè Petrum contentum sub homine esse viventem, nisi priùs identificem Petrum cum homine, quo cum antea rationem viventis identificatam repræsentavi, dicamque, sed *Petrus est homo*, ideòque enthymema syllogismus truncatus (hoc est, cui aliquid deficit, vt convincat,) appellatur; ergo illud principium, *dici de omni* tandem eget alio. *Quæ sunt eadem vnitertiô, &c.*

34 Si verò tale principium *Dici de omni* explicetur cum aliquibus. *Quod dicitur de termino perfectè distributo, sive singulari, sive universali, debet dici de omnibus sub illo contentis*, idem valet, ac nostrum principium *Quæ sunt eadem vnitertio. &c.* Sed obscuriùs. Probatur. Hoc principium ita explicatum præcipit, vt identificentur inter se, quæ continentur sub aliquo tertio perfectè distributo: Sed contineri sub aliquo tertio perfectè distributo, est identificari cum illo; ergo præcipit, quod sint idem inter se, quæ identificantur cum tertio; ergo idem ac nostrũ principium.

35 Objic. 1. *Petrus, & Paulus identificantur cum homine, Homo, & Brutum cum animali*, & tamen nec Petrus, & Paulus, nec homo, & brutum identificantur inter se, ideoque hæc argumenta non valent *Petrus est homo. Paulus est homo, ergo Petrus est Paulus: Homo est animal brutum est animal*, ergo *homo est brutum*; ergo tale principium est falsum.

36 Varijs vocibus idem tamen ad hoc, & similia argumenta respondent Doctores, sic principium explicantes. *Quæ sunt eadem vnitertio rectè distributo, vel vnitertio incommunicabili sunt idem inter se*; non verò *quæ sunt eadem vnitertio non rectè distributo, vel solum inadequatè vel vnitertiò communicabili*; vnde hæc argumenta non valent. Quia *homo*, qui est *tertium* respectu *Petri*, & *Pauli*, idem dic de *animali* respectu *hominis*, & bruti, non rectè distribuitur respectu *Petri*, & *Pauli*, quia *Petrus*, & *Paulus* non sunt idẽ cum omnibus, qui sub *homine* continentur. Seu *homo*, qui est tertium, non est idem adæquatè cum vnoquoque extremo: seu non est terminus incommunicabilis, sed communicabilis pluribus; vnde licet *Petrus*, & *Paulus* identificentur cum *homine*, non tamen identificantur cum omnibus humanitatibus contentis sub *homine*, sed vnusquisque cum sua peculiari humanitate distincta, & ideò inter se non identificantur. Ille enim syllogismus: *Petrus est homo*: *Paulus est homo*, ergo *Petrus est Paulus*, habet quatuor terminos; ideòque non est in forma. *Petrũ* nempè, *Paulum*, & *vnam humanitatem Petri*, & *aliam humanitatem Pauli*.

37 Objic. 2. Hoc principium non valet in Divinis, nam in Divinis hæc sũt falsa argumenta. *Pater est Deus. Filius est Deus.* Ergo *Pater est filius. Natura Divina est filiatio: natura Divina est Paternitas*; ergo *Paternitas est filiatio*, & tamen extrema identificantur cum tertio; Ergo.

38. Pater Ruiz tenet, formam syllogisticam in Divinis non fundari tali principio. Patres Arriaga, Isquierdus, & alij ad distinctionem rigorosam virtualem se recipiunt; ego stando eorum sententiæ, dico: Terminum *Deus*, & *natura Divina*, quæ se habent, vt medium illorum syllogismorum esse physicè communem, & communicabilem pluribus, nec bene distribui in vtraque præmissa; nam in maiori ponitur Ly *Deus*, secundum quod est idem cum *Patre*, & in minori secundum quod est idem cum *Filio*, cum autem secundum quod est idem cum Filio, non sit idem cum Patre, & secundum quod est idem cum Patre, non sit idem cum Filio, inde est, quod medium non rectè distribuatur in præmissis, ac proinde talis syllogismus non valeat; sicut non valet ille, de quo numero antecedenti fuimus locuti eo, quod terminus *homo* illi positus, vt medium sit pluribus logicè communicabilis, & in maiori sumatur prout est idem cum Petro, & in minori pro vt est idem cum Paulo; ac proinde non rectè distribuatur. De hoc forte postea latius.

SECTIO IV.

REGVLÆ SYLLOGISMORUM.

39. PRima: quod medium non ingrediatur consequentiam. Secunda, quod nullus terminus adsit consequentiæ, quin adfuerit præmissis. Tertia, quod terminos habeat bis repetitos. Quarta, quod medium distribuatur in aliqua præmissarum; tunc autem distribuitur, cum ponitur pro omnibus, & singulis sub se contentis, vt *Omnis homo est animal* (en *homo* distribuitur; ponitur namquẽ prò omnibus hominibus) Sed *Petrus est homo*, ergò *est animal*. Defectu huius distributionis diximus falsum esse illum syllogismum *Petrus est homo*, sed *Paulus est homo*, ergò *Petrus est Paulus*, & ratio est, quia extrema, vt sint idem inter se, debent esse idem secundum idem cum medio; & si medium in vna præmissa supponat pro vno, v.g. *Petrus est homo*, & in alia supponat pro alio v.g. *Paulus est homo*, non sunt idem cum medio secundum idem, sed secundum distincta.

40. Quinta: ex purè particularibus nil sequitur ex vi formæ, v. g. *Aliquis homo currit, sed aliquis homo est Petrũ*, ergo *Petrus currit*, mala consequentia ex prava medij distributione; nam in vna præmissa ly *aliquis* potest supponere pro *Paulo*, & in alia supponit pro *Petro*. Si tamen vi alicuius signi pro eodem supponat in vtraque præmissa, iam erit syllogismus expositorius, & præmissæ non erunt pure particulares, vt videre est in hoc: *Aliquis homo ex rex, sed hic aliquis homo est Carolus*, ergo *Carolus est Rex*.

41. Sexta ex pure negativis nulla infertur recta conclusio, neque affirmativa, neque negativa. Non affirmativa; quia vt affirmetur identitas extremorum inter se, debet supponi affirmata identias eorum cum medio in præmissis. Non negativa, quia vt negetur vnum extremum de alio, debet supponi in aliqua ex præmissis vnum eorum affirmatum de medio, iuxta illud principium *Cum vnum identificatur cum tertio*, inquo diximus syllogismos negativos fundari.

42. Sed objic. In hoc syllogismo. *Omne, quod non est vivens, non est homo*, sed *lapis non est vivens*, ergo *non est homo*. Concclusio negativa ex pure negativis infertur; ergo. Respondetur, maiorem esse affirmativam, tum quia duplex illa negatio affirmat; tum quia ly *Omne, quod non*

non est vivens sumitur infinitè, vnde æquivalet huic propositioni *Omnis homo est vivens*.

43. Septima: *Conclusio sequitur debiliorem partem, ac proinde ex affirmativa, & negativa sequitur conclusio negativa. Ex vniversali, & particulari sequitur particularis.* Regula hęc exceptionem patitur apud Theologos affirmantes, ex vna pręmissa naturali, & alia de fide deduci conclusionem de fide, & non naturalem.

44. Octava. *Ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis, vt est homo, ergo animal*; valet ita *non est animal*; ergo *non est homo*: non valet ex opposito antecedētis ad oppositū consequentis, vt *Non est homo*, ergo *neque animal* valebit tamen, si consequens fuerit æquale antecedenti, vt *est homo*, ergo *risibilis*; valet *Non est risibilis*, ergo *neque homo*: etiam valet, *Non est homo*, ergo *nec risibilis*.

45. Objic. Licet valeat *Est evidenter impossibile*, ergo *est evidenter incredibile*, non tamen valet ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, ita. *Est evidenter credibile*, ergo *est evidenter possibile*; quia Mysterium Trinitatis est evidenter credibile, & non est evidenter posibile, ergo.

46. Respondetur, me solum dixisse *Ex contradictorio consequentis valere ad oppositum antecedentis*, ideoque valet: *Non est evidenter incredibile*, ergo *non est evidenter impossibile*: non vero ex contrario quale est illud. Nam evidenter incredibile, & evidenter credibile non contradictoriè, sed contrariè tantum opponuntur.

47. Nota ex vero nunquam sequitur falsum, neque ex falso verum; quia si verè in præmisis extrema vniantur tertio, verè etiam vniuntur inter se, & si vniuntur falsò in præmisis, falsò etiam in conclusione vniuntur. Vnde in hoc syllogismo: *Omnis lapis est homo*; *Petrus est lapis*; ergo *& homo*. Consequentia est falsa, quia assentitur obiecto ob falsam identitatem. Ita *Petrus est homo*, *quia omnis lapis est homo*, *& Petrus est lapis*, quod falsum est; licet illa propositio, vt consequens, sit vera, quia in consequenti solùm attenditur ad enuntiationem, quę hic absolutè est vera, cum enuntiet prædicatum conveniens subiecto.

SECTIO V.

DE REDVCTIONE SYLLOGISMORUM.

48. **R**Es prorsus otiosa, sed ne aliquid desideretur, illam aggredior. Iam diximus in prima figura quatuor reperiri modos directè concludentes. Ad hos enim reducendi sunt omnes alij modi indirectè concludētes, tam ipsius primę, quam secundæ, & tertiæ figuræ, dupliciter. Primo per *ostentionem*, secundo per *impossibile*. Aliquid de reductione per ostentionem, vtpotè minus difficilem dicam. Pro quo nota, quatuor modos perfectos habere consonantes initiales *B. Barbara. C. Celarem*, *D. Darij. F. Ferio*, quibus reliqui alij modi imperfecti etiā initiantur. Quilibet ergo modus imperfectus debet reduci ad perfectum incipientem ab eadem consona, qua ipse reductus incipit v.g. *Baralipton ad Barbara. Cesare ad celarem*. & sic de reliquis.

49. Advertas secundo, intra quamlibet voculam modum denotantem reperiri aliquam, vel aliquas ex his consonis *S. P. M. C.* modus autem reductionis ita se habet. Propositionem denotatam per syllabam, quę fuerit ante *S*. converte *simpliciter*, iuxta regula cōversionis supra traditas. Propositionem denotatam per syllabam, quæ fuerit ante *P*. converte secundum *quid*. Propositionem, quę fuerit ante *M*. muta si fuerit minor in maiorem, si fuerit maior in minorem. Propositio, quæ fuerit ante *C*. nequit converti per ostentionem, sed solum per impossibile, ita *Bocardo. Baroco*. Vnum pro omnibus exemplum apponam, vt aliquantulum res clarescat. Ecce syllogismus in Cesare. *Nullus lapis est animal*, *sed omnis homo est animal*, *ergo nullus homo est lapis*. Hic syllogismus convertendus est in *Celarem*, hoc denotat litera *C* initialis. *Litera S*, quæ est in *Cesare*, post primam propositionem vniversalem negativam denotat, eam esse convertendam *simpliciter* per mutationem subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum. Verte igitur ita, & en syllogismus in Celarem. *Nullum animal est lapis*, sed *omnis homo est animal*, ergo *nullus homo est lapis*.

50. Ab alia reductione per impossibile ex instituto abstineo: non enim, vt confundam vos hęc scribo, si vultis, caput vobis tot propositionum conversionibus inverti, vt ait Arriaga, ipsum adite, disp. 3. Summularum sect. 6. n. 36.

TRACTAT. IV.

DE MODO SCIENDI.

1. **E**X professo in hunc locum distuli præsentem tractatum, quem extra ordinem trium mentis operationum appono, quia non pertinet aliquam particularem, sed omnes in se continet sub nomine, & consideratione ad logicam pertinente, de finitionis scilicet, divisionis, & argumentationis.

SECTIO I.

DE MODO SCIENDI IN COMMUNI.

2. **N**On dubitatur, quamcumque cognitionem esse modum sciendi, cum sit manifestativa sui obiecti, immò ex mente Caramuelis in Methalog. num. 21. Etiam apprehensiones rationem modi sciendi participant, cum etiam obiectum, licet imperfectè, manifestent. Vnde tot sunt modi sciendi, quot obiecta manifestanda. Sed hic tota hac vniversalitate non loquimur, sed supposito, quod modus sciendi prout ad logicam attinet, dividatur adæquatè in definitionem, *Divisionem*, & argumentationem. Quærimus ergo aliquam definitionem modi sciendi conprehendentem eas solùm species.

3. Definitio communis Patris Arriagę, scilicet *oratio ignoti manifestativa*, vel vt alij *Cognitio manifestativa obiecti*, rejicitur, quia syllogismus non est cognitio, neque oratio, sed plures cognitiones, & orationes. Item definitio non est oratio, sed apprehensio complexa, & tamen tam syllogismus, quam definitio sunt modus sciendi.

4. Sic modum sciendi definio. *Est logicalis manifestatio perfecta.* Iy *logicalis manifestatio* est ratio communis ad quoscumque modos sciendi latos, vel strictos. Ly *Perfecta* est ratio differentialis, per quam excluduntur apprehensiones incomplexę, & aliæ cognitiones, quæ non declarant perfectè obiectum.

5. Non relegatur ab intellectu Divino modus sciendi, vt aliqui asserunt. Cur enim cum Deus cognoscit *Hominem esse animal rationale*: dividi in materiam, formam, & vnionem: esse verum hunc discursum, *Omnis homo est animal*, *sed*

sed Petrus est homo, ergo *Petrus est animal*, tales cognitiones non dicentur modi sciẽdi. Quidquid sit; an in intellectu Divino detur, nec ne proprius, & formalis discursus, aut solum virtualis? De quo cõsulantur Theologi præcipué Arriaga tom. 1. in primam partem disp. 10. Sect. 3. num. 44. admittens in Deo discursum formalem. Nec obstat, quod tales modi sciendi non manifestent in actu secũdo aliquid Deo ignotum; quia ad rationem modi sciendi sufficit, quod sit manifestativus rei, quæ si alias ignoraretur, illam vtique manifestaret.

6. Objic. Argumentatio non est declaratio obiecti, sed plures declarationes cum constituatur pluribus propositionibus: ergo. Respondetur. Nego antecedẽs Syllogismus enim solum est vna declaratio illativa, constans tribus propositionibus; quia obiectum conclusionis, cuius est manifestatio, non manifestatur per singulas præmissas, sed per totum syllogismum.

7 Dubitas. An syllogismus probabilis sit modus sciendi? Negant Spinula, & Sancta Cruz, num. 435. Affirmant communitèr cum Fonseca, lib. 1. cap. 3. Recentes. Res est pure de nomine. Si intelligas per modum sciendi manifestationem obiecti pefecto prorsus modo, non erit modus sciendi. Si intelligas manifestationem obiecti per prædicata intrinseca, sive probabilia, vt familiarissimam, aptamque, vt instrumentum disserendi in alijs scientijs, modus sciendi erit. Hoc vltimum iudico, quia communitèr modus sciendi appellatur, quælibet definitio essentialis, & divisio indiscriminatim, sive probabilis, sive evidens sit.

8 Modus sciendi prout hic intelligitur, dividitur adæquatè in definitionẽ, divisionem, & argumentationem. Hi enim tantum reperiunrur perfecti modi manifestandi obiectum; quia, vel ignoratur essentia rei, & hanc manifestat definitio, vel eius partes, & hę per divisionem manifestantur, vel prædicatorum identitas, & hæc per identitatem cum tertio in argumentatione cognoscitur.

SECTIO II.

DE DEFINITIONE.

9 SIc definitionem definio. *Est modus sciendi explicans essentiam rei per rationem proximé communem, & vltimó differentialem.* Dicó per *rationem cõmunem*, & non per *genus*, non est necessarium quod ratio communis in definitione posita sit vnivoca, ac proinde genus proximum, sed sufficit, quod sit analoga.

10 Definitio alia est propria, & essentialis, & hæc, vel est methaphysica, si essentiam per prædicata methaphysica explicet, vt *Homo est animal rationale*, vel physica, si essentiam per prædicata physico explicet, vt *Homo constat anima, & corpore.* Alia impropria, quæ dicitrr descriptiva, & explicat rem per proprietates, effecta, & adiuncta, vt Rhetorici audistis. Sic est illa celebris Platonici hominis definitio; *Homo est animal bipes implume*, quam Diogenes audiens gallum plumis exutum in scholam iniecit dicens *En homo Platonis.* Sic est illa Iob. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, qui quasi flos egreditur, & conteritur.*

11 Ferè omnes leges definitionis sub lite sunt. Prima, quod ratio communis sit proxima, & immediata, & ratio differentialis sit vltima, quia si ratio communis non esset proxima, & ratio differentialis vltima, definitio alij à definito posset convenire, v. g. si homo provit distinctus á bruto definiretur: *Substãtia intellectiva*, hæc definitio conveniret Angelo, quia nec ly *substantia* fuit ratio communis proxima, nec ly *intellectiva* ratio differentialis vltima, sed huic regulę

regulę opponuntur Spinula, & Quiroz.

12. Secunda, quod sit clarior suo definito aliás non esset eius explicatio: huic opponitur Cardinalis Palavisinus, & etiam Caramuel in logica vocali, num. 538.

13. Tertia, quod convertatur cum suo definito, ita *Homo est animal rationale, Animal rationale est homo.*

14. Quarta, ne exprimantur in definitione omnia genera remota, & omnes differentiæ non vltimæ v. g. *Homo est ens substantiale corporeum, vivens, vegetativum, sensibile, & rationale*, quia definitio debet esse dilucida, & brebiter comprehensa. Sed Pater Fonseca in genere definitionis hanc vocat perfectissimam.

15. Quinta, quod in ea nihil deficiat, aut redundet. Sexta, ne tradatur per voces synonomas, vt *gladius est ensis.* Septima, ne ambulet in circulo, v. g. *Pater est, qui habet Filium, Filius est, qui habet Patrem.* Octava quod omni, & soli definito conveniat. Nona, ne in definitionem ingrediatur definitum, sed saltem, quoad expressum distinguatur. Decima, ne tradatur per disiunctionem.

16. Adverte, quod si omnes hę regulæ practicè observandæ sunt in qualibet definitione, vt recta sit, fere vnicam in syllabo definitionum rectam invenies, nempè definitionem hominis per *animal rationale*, immò, & eam, si cum Patre Herize, & alijs defendatur; gradum volitivi esse de essentia methaphysica hominis, non perfectè sanam, sed ægram iudicabis, cum talem gradum volitivi non exprimat.

17. Dices, ad definitionem requiri rationem vnivocam, & non sufficere analogam. Probatur. Conceptus analogus non est vnus simpliciter, sed plures in se involvens diversitatem, v. g. Leo, vt conceptus analogus significat fortitudinem, & naturam leoninam; ergo conceptus analogus nequit poni in definitione, quia nequit cum definito converti. Insuper conceptus analogus vel est constitutivus definitionis, quatenus communis, vel non? Si secundum? Ergo definitio non constat ratione communi proximá conveniendi. Si primum? Ergo talis conceptus vt analogus prędicatur de definito, seu vt involvens duplex esse diversum. Tum sic; sed duplex esse diversum nequit prędicari de definito, quia cum illo non identificatur, ergo.

18. Respondeo, quod quando aliquis conceptus communis analogus ingreditur aliquam definitionem, non ingreditur reduplicativè vt analogus, sed specificativè, id est, conveniens principali analogato propriè, impropriè tamen minús principali. Ratio enim analoga respicit aliquam sicuitatem obiectivam, seu vnitatem, ratione cuius vnum definitum est sicut aliud, licet re ipsa simpliciter non conveniant, ratione autem huius sicuitatis, seu vnitatis, in qua conveniunt, ratio communis analoga prædicatur, & identificatur cum suo definito. Sic definitur iuxta aliquos. *Ens per id, quod non repugnat existere.* Vbi ly *Id* est ratio communis, ratione huius sicuitatis ad ens reale, & rationis, sic in esse obiecti intellectus vtrumque ens definitur *Id quod potest terminare cognitionem;* sic etiam homo pictus, & verus definiutur per *id, quod præsefert humanitatem.*

19. Inferes, æquivoca á consilio, vt *risus* respectu hominis, & viriditatis prati ratione aliqualis sicuitatis posse vnica definitione definiri. Entia per accidens, vt plura sunt, non definiuntur, attamen vt conveniunt, possunt definiri. Sic definiuntur Exercitus, Res publica, &c.

20. Rogas, An hęc definitio se ipsam definiat? Qui reflexionem cognitionum supra se ipsas imposibilem iudicant, Negativè respondebunt, dicentque per aliam similem definiri. Qui talem

lem reflexionem posſibilem iudicant; Affirmativê reſpondeant. De hoc in libris de anima.

21. Rogas ſecundò. Quænam poſſint definiri? Reſpondeo. Omnes fere res poſſe definiri, cum fere omnes ſint partibiles formaliter in duos conceptus. Vnum, per quem conveniat cum alijs,& alium,per quem differat ab alijs; ſi tamen deveniat ad aliquod genus,ſeu conceptum communem per ſe notum; vel ad aliquod principium, ſeu res per ſe notas,definiri non poſſunt, tum quia iam daretur proceſſus in infinitum; tum quia definitio ex ſe debet eſſe manifeſtativa ignoti,licet, vt iam dixi,hic, & nunc in intellectu Divino ex ſumma perfectione illius nil manifeſtet,ſed per ſe notum non eſt ignotum,ergo nequit dari conceptus manifeſtativus, ſeu definitivus rei per ſe notæ.

22. *D*eus etiam poteſt definiri,quia licet phyſicê ſit ſimplex, methaphyſicè tamen in plures conceptus partibilis eſt abſque vlla imperfectione. Nec definitio dicitur á finiendo,vt aliqui male intelligunt,ſed ab eo,quod habeat definitum,ſeu determinatum obiectum, vt aſſerit Hurtadus.Et licet dicatur á finiendo,non autem á finiendo phyſcicè, ſed logicè. Hoc eſt á continendo eſſentiam obiecti, & licet ſint infinitæ perfectiones Divinæ vnica definitione contineri & claudi poſſunt.

23. Rogas tertiò. An tota definitio ſalvetur apprehenſione complexa? Affirmrnt Conimbriſenſes. Fonſeca, Oviedus, Alphonſus. Negant Hurtadus,& Comptonus.Poſſe vel inſola apprehenſione,vel in integrâ propoſitione conſiſtere, tenet Arriaga. Dico. Tota eſſentia definitionis ſalvatur in apprehenſione complexa. Probatur.Ita verificantur regulę pro definitione aſsignatæ: *Definitio convertitur cum ſuo definito.* Sed ſolùm prædicatum huius propoſitionis *Homo eſt animal rationale* convertitur cum definito,nempe homine,& non tota propoſitio,quia homo non convertitur ſecum ipſo,á quo, nec quoad expreſſum diſtinguitur, ergo. Inſuper ly *homo* eſt definitum; ergo non eſt definitio,quia definitum non debet ingredi definitionem. Inſuper definitio prædicatur de definito primo modo dicendi per ſe, ſed in prædicta propoſitione ſolùm animal rationale prædicatur, non vero tota propoſito; ergo ſolum in illa apprehenſione complexá tota eſſentia definitionis ſalvatur.

24. Objic.1.Ariſtotelem, qui definitionem orationem appellat; ergo nō ſalvatur in apprehenſione complexá, quæ oratio non eſt. Reſpondeo. Ariſtotelem, cum hoc dixit, plus Rethorem quam logicum egiſſe, vel loquutum fuiſſe vulgariter,cum ſemper eſſentiam definitionis vel coniungitur cum oratione formali, vel á virtuali nunquam ſeparetur.

25. Objic. 2. *D*efinitio debet eſſe perfecta manifeſtatio eſſentiæ, cum ſit modus ſciendi, ſed ſolûm integra propoſitio eſt perfecta manifeſtatio eſſentię,ergo.

26. Reſpondeo. Nego minorem. Etiam terminus complexus eſt perfecta manifeſtatio eſſentię; nam poſita in intellectu *animal rationale* clarius mihi repræſentatur *homo* abſque vlla affirmatione actuali; falſum enim eſt,abſque affirmatione actuali non poſſe eſſe clariorem propoſitionem obiecti, vt patet in ſenſuum cognitione, vbi ſine vlla affirmatione fit magis, vel minus clara propoſitio obiecti ignoti manifeſtativa. Præterea ſemper illa apprehenſio eſt quædam implicita, & virtualis affirmatio,intellectum que ad actualem affirmationem inclinat; ergo ſignum eſt, quod obiectum clarius cognoſcitur apprehenſa definitione,quam ſi ſolum apprehenderetur *Homo*; ergo talis apprehenſio eſt modus ſciendi, manifeſtatio que obiecti.

Obi-

27. Objic. 3. Si alicui Ruſtico diceretur. *Quære vnum animal rationale congregativum viſus.* Omnino ſuſpenſus,& abſque vlla intelligentia hæreret; ſi tamen illi diceretur: *Quære vnum hominem nigrum*,ſtatim dicta caperet, & tamen primum dictum eſt *definitio*, & ſecundum *definitum*;ergo ſolum prædicatum non eſt clarius definito;ergo vt definitio dicatur clarior debet conſtare etiam ex ipſo definito.

28. En vltima conſequentia deſtruens vnam ex præcipuis regulis definitionis, ſcilicet quod definitum non debet ingredi definitionē,hoc etiam argumento vtitur Caramuel in logica vocali art.37.n. 538. vt probet, definitionem non debere eſſe clariorem ſuo definito, & hoc tantum probat argumentum, quo certè prima fundamina rerum deſtruit:nam cùm definitio ſit explicatio,quę explicatio erit, ſi non ſit clarior termino explicato?quæ declaratio ſi ea plus non claret re declarata?Et qui modus ſciendi, quo tam ignotum manet obiectum, immò minus notum redditur,vt probat argumentum?Reſpō deo,ſemper ex ſe clarius proponi obiectum per *animal rationale congregativum viſus*,quam per *hominem nigrum*; quod tamen Ruſticus melius percipiat obiectum per vocem *hominis nigri*, quam per vocem *animalis rationalis congregativi viſus*,provenit ex ignorantia,& ruſticitate ipſius;ſicut per voces barbaras proprio genio accomodatas facilius percipitur á Ruſticis,quam per voces naturales, & proprias, & tamen ex hoc non infertur illas eſſe abſoluté clariores his.

29. Objic.4. Si in ſola apprehenſione *animalis rationalis* conſiſteret tota eſſentia definitionis,qui haberet hoc iuditium *Homo non eſt animal rationale*,definiret hominem,ſed hoc abſonat;ergo. Probatur Sequela. Per nos definire hominem nil aliud eſt,quam repræſentare per apprehenſionem genus immediatum,& vltimam diferentiam; ſed qui tale iudicium haberet, hoc repræſentaret;ergo.

30. Reſpondeo. Diſtinguo maiorem. Definiret hominem,hoc eſt, totam hominis definitionem eliceret; concedo,id eſt,eam definitionem homini applicaret;nego. Tota definitio ſalvatur in apprehenſione generis,& differentiæ; attamen vt talis definitio actualiter explicetur, quod videtur ſignificare Verbum *Definitio*,requiritur affirmatio vel formalis, vel adminus virtualis, quod quidem non datur in intellectu, quando habet hunc actum *Homo non eſt animal rationale*,cum potius ſeparet definitionem á definito, & qui talem apprehenſionem habet, non eſt cum inclinatione ad affirmandum, *hominem eſſe animal rationale*,ſed potius ad contrarium. Vnde nec virtualem affirmationem habet.

SETCIO III.

DE DIVISIONE.

31. DIviſio eſt *modus ſciendi totum in partes diſtribuens.* Rès diviſa dicitur diviſum,partes, in quas dividitur, dicuntur membra dividentia,alia eſt diviſio nominis, quæ nomen in ſua ſignificata dividit, vt *Canis*,alius eſt marinus, alius eſt terreſtris. Alia eſt diviſio rei,quæ rem in ſuas partes dividit. Hæc diviſio rei eſt duplex, actualis,& potentialis. Actualis dividit totum actuale in ſuas partes,ſi hę fuerint phyſicæ *phyſica* appellatur diviſio, vt *Hominis* alia pars eſt *Corpus*,alia *Anima.* Si fuerint methaphyſicæ,diviſio *methaphyſica* appellatur,vt *Hominis* alia pars eſt *Animal*; alia *rationale.* Diviſio actualis phyſica ſi dividat totum in partes eſſentiales eſt *eſſentialis* vt *homo conſtat anima & corpore.*Si in partes integrales,*integra-*

lis

dir dicitur, vt *hominis* alia pars *caput*, alia *pedes*.

32. Divisio potentialis, quę etiam *potestativa* dicitur, est divisio superioris in inferiora, quæ sub sua potestate continet. Si divisum sit essentiale membris dividentibus, vt est *homo* respectu *Petri*, & *Pauli*, est *essentialis* divisio, si non sit essentiale, accidentalis vocatur; hæc est triplex: prima: subiecti in accidentia, vt *Homo*, alius *albus*, alius *niger*. Secunda accidentis in substantiam, vt album, aliud *nix*, aliud *lac*. Tertia accidentis in accidentia, vt Albũ, aliud *dulce*, aliud *amarũ*.

33. Leges divisionis sunt. Prima, quod fiat in principaliora membra, ne multitudo confusionem pariat, vt *Animal*, aliud *homo*, aliud *brutum*; non vero aliud *Petrus*, aliud *Paulus*, alius *Leo*, &c. Secunda, quod fiat per positivas differentias, vt *intellectivum*, aliud *Angelicum*, aliud *humanum*. Aliquando ex penuria vocum negativè potest sonare differentia, *vt Animal*, aliud *rationale*, aliud *irrationale*. Tertia, quod membrum dividens non æquet latitudinem divisi, & quod divisum ad plus se extendat, quam quod libet dividens; nam totum debet esse maius sua parte; & ideo hæc esset mala divisio. *Homo*, aliud *homo*, aliud *Petrus*. Quarta, ne vnum membrum dividens aliud includat, vt *Animal*, *aliud homo*, aliud *rationale*.

34. Dices, contra hanc vltimam regulam. Bonum dividitur in *vtile*, *honestum* & *delectabile*, & *virtuosum*. Sed hoc vltimum includit alia membra; ergo hæc non se debent excludere. Respondetur, bonum dividi in *vtile* tantum, *delectabile* tantum, *honestum* tantũ, & mixtum ex omnibus, quod est *bonum virtuosum*, excludens membra dividentia; si quidem nequit esse *vtile* tantum, *delectabile* tantum, &c. Sic evenit in ratione *viventis* divisa in *vegetativum* purè, *sensitivum pure*, *intellectivum pure*, & *mixtum ex omnibus*, quale est *homo*.

35. Rogas primò. Vtrum divisio actualis sit definitio? Affirmant Arriaga, Hurtadus, Sancta Cruz, & Linze; quia idem est dicere *Hominis alia pars est animal, alia rationalis* ac *Homo est animal rationale*. Negant probabilius Conimbricenses, Alphonsus, Spinula: quia ex diverso modo tendendi in idem obiectum distinguntur *apprehensio, iudicium, & discursus*. Sed definitio, & divisio diverso modo tendunt, tum quia definitio tendit *apprehensivé*, & divisio *iudicativé*. Tum, quia definitio dividit solum *exercitè* formalitates, non verò *signatè*, Divisio ergo etiam signatè dividit, ergo.

36. Rogas secundò. An ratio superior dividatur in differentias, vel per differentias? Zerna, & Hurtadus asserunt; genus solum dividi per differentias, non verò in differentias, quia ab illis non participatur. Dividi tamen in species v.g. *Animal in hominem, & brutum*. Quia participatur ab illis. Arriaga tenet, etiam genus dividi in differentias v.g. *Animal in rationale, & irrationale*. Dic, quod volueris, sed primus modus loquendi frequentior est. De Argumentatione sufficienter diximus tractatu antecedenti.

37. Et iam Summularum, modi que sciendi satis, cum non sine felici omnine sub veriæternique modi sciendi, Spiritus namque veritatis, qui docet hominẽ scientiam, Paschale per vigilium, hucvsque pervenerimus, vt superno lumine perficiat, quod ignorantia nostra ipsius iuvamine incepit. *Ego dixi, ille doceat.* & vt Verbis Christi Domini vtar. *Spiritus, quẽ mittet Pater, docebit vos omnia, quæcumque dixero vobis. Spiritus, quem mittet Pater. Ille vobis, erit instructer* (sic noster Cornelius incaput 14. Ioannis, vers. 26.) *qui hæc omnia, quæ ego dixi vobis in memoriam reducat, & explicet, vt ab eo illustrati omnia facile intelligatis*: Ideoque nõ immeritò supra Discipulorum capita ignitus insedit, vt in triplicis mentis operationis Cathedra, Doctor illiuscescat. ò Vtinam!

DIS-

DISPVTATIONES

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS Dialecticam.

LOGICÆ vtilitatẽ Longe, latèque commendat Sanctus Hieronymui suprà Ezechi. & Divus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 31. & 37. & communiter Doctores pręlo dati: eos vide, dum ego brevitatis gratia quam totis viribus amplecti cogor sine procemio, Atheniensium more, eam in varios tractatus divisam ob oculos exponere incipio.

TRACTAT. *I.*

PROEMIALIS.

TRiplicem disputationem tractatus hic continebit: Prima erit de natura Logicę secundum se; secunda de eius obiecto; tertia de eius influxu, & necessitate tam ad proprios, quam ad alienos actus.

DISPVTATIO I.

De natura Logica secundum se.

SECT. I.

De existentia, natura, & inventione Logicæ.

2. LOgicam existere contra Epicureos aliquos negantes, certissimum est, ipsa experientia magistra. Cum certissimum sit, dari aliquod complexum actuum, & habituum iuvans intellectum aliqua notitia regularum definitionis, divitionis, & argumentationis ad eas efformandas, hoc ergo complexum *Logicam* appellamus.

3. Hæc primò infusa fuit á Deo, sicut & aliæ scientiæ, prim Parenti nostro Adamo; ab hoc ad filios vsque ad Noemum, & ab hoc ad Posteros Hebræos, Grecos, Chaldęos, & Ægiptios pervenit. Sed temporum incuria, & hominum inertia oblibioni penes tradita fuit, & Aristoteles Primò *definitionem*, secundò *divitionem*, tertiò *argumentationem* invenit. Sed quia vel totum in ordine posuit, vel à pluribus erroribus expurgavit Aristoteles discipulus supra suos Magistros meritò Princeps nuncupatur, Plura de eius laude alijs

V que

que circa methodum, ordinemque logicæ videas apud Comptonũ diſp. 1. ſect. 1. & Conimbricenſes. quæſt. 1.

4. *Logica* dicitur á nomine Græco *logos*, quod Latinè idem eſt ac *ſermo*: Vnde *logica*, ſermoſinales nuncupatur. Dicitur etiam *Dialectica* á Verbo etiam Græco *Dialogemo*, quod Latinè idē eſt, ac *diſcurrere*, ſeu *diſputare*. Ideoq́ logica *diſputatrix*, *& ars differendi* appellatur.

5. Subiectum huius facultatis eſt intellectus, qui ſua nativa vi plures definitiones, diviſiones, & argumentationes efformans, & ſupra ipſas reflectens, quærens, invenienſque rectitudinis earum tationes á priori, efformavit aliquas regulas vniverſales pro actibus ſimilibus efficiendis.

6. Poteſt dubitari: an detur Logica in intellectu Divino? Et videtur affirmativê reſpondendum; quia in Deo poteſt dari cognitio regulans modum ſciendi conficiendum á creatura, inquo certè nulla relucet imperfectio: cur ergo talis cognitio *Logica* non dicetur? Hoc præcipuè locum habet in ſententia aliquorum Theologorum apud Patrem Alderete ponentium in Deo, & Angelis, licet corpore careant, propriã virtutem temperantię, Charitatis, abſtinentiæ per reſpectum ad homines, in quibus eas virtutes deſiderant, ad eas que ſervandas exhortantur.

7. Item in Angelis poteſt poni propria Logica, & modus ſciendi, non ſolum reſpectu actuum aliorum; ſed etiam reſpectu ſuorum actuum, etiam ſi modus ſciendi ſit ignoti manifeſtativus; quia Angeli poſſunt quam plurima ignorare; pręcipué circa Secreta cordium: ego circa illa poterunt habere modos ſciendi.

8. *Logica* dividitur in *naturalem*, *& artificialem*; *Logica naturalis* eſt ipſemet intellectus, qui ſua nativa vi poteſt definire, dividere, & argumentare. Ita Patres Linze, & Compton. diſp. 1. ſect. 2. n. 8. Sed Pater Quiroz, tract. 2. Logicæ. diſp. 7. ſect. 1. n. 2. Logicam naturalem appellat actus intellectus naturaliter directivos definitionis, diviſionis, & argumentationis, qui nondum regularum certitudinem attingunt; Ideoque nullam habent infallibilitatem. Sic licet intellectus poſsit ſua vi actus phyſicos, & aliarum ſcientiarum, & ſimiliter voluntas actus miſericordiæ, iuſtitiæ, &c. elicere nec intellectus dicitur *phyloſophia naturalis*, nec voluntas *miſericordia*, *& iuſtitia Naturalis*, *&c.* Ego ſimiliter: hoc probabile iudico; ſed primum probabilius; tum quia poteſt intellectus ſua nativa vi prorumpere in aliquem ſyllogiſmum, antequam præcedat vllus actus intellectus, qui poſsit eum ſyllogiſmum dirigere; tunc enim talis ſyllogiſmus eſſet effectus Logicæ naturalis: ego hęc non conſiſtit in actibus directivis, tunc nullatenus exiſtentibus; tum quia cum totum hoc ſit denomine, primûm tenendum eſt; quia communius.

9. Nec argumentum á paritate in denominationibus valet; vnde licet nec intellectus dicatur *phyloſophia*, nec voluntas *miſericordia*, aut *iuſtitia*, intellectus tamen dicetur *Logica naturalis*; quia ſic apluribus, & graviſsimis Doctoribus appellatur. Inſuper cum vox *Logica* idem ſit, ac *Sermo*, ſeu *ratio*, & intellectus naturalis *ratio*, & *ſermo* cognominetur, videtur *Logicam* aliquomodo cum intellectu confundi, quod non evenit in *phylaſophia*.

10. Nec cum alijs afferas, *Logicam naturalem* eſſe illam, quę proprijs actibus adquiritur; & *artificialem* illam, quæ à Magiſtris Edöcetur; tum quia primi inventores, quin edocerentur á Magiſtris, Logicam artificialem habuerunt, tum quia ſi aliquis ex aſsidua repetitione actuum, & ex continua, attenta que ſupra ipſos reflexione ſibi regulas ſtatueret, haberet logicam artificialem á nemine traditam; ſed ab ipſo adquiſitam.

Logi-

11. *Logica* ergo *artificialis* eſt illud complexum regularum, docens rectum modum definiendi, dividendi, & arguēdi, quod nunc vos intenditis diſcere, & quod ego edocere procuro.

12. Logica artificialis dividitur in *actualem*, *& habitualem*: *actualis eſt*. Complexum regularum dirigens modos ſciendi; *habitualis* eſt quædam qualitas, ſeu facilitas, quæ gignitur in intellectu ex repetitione talium regularum.

13. Hęc tota Logica in tres partes communiter dividitur, *Analiticam*, *topicam*, & *ſophyſticam*; *Analitica* agit de ſyllogiſmis demonſtravis; *topica* de opinativis; *Sophyſtica* de fallacibus, vt evitentur, vel etiam vt efformentur ad detegendas fraudes: habitus per iſtos actus adquiſiti denominantur ab ipſis actibus *Analiticus*, *topicus*, & *Sophyſticus*.

SECTIO II.

CELEBRIS DIVISIO LOGICÆ indocentem, & vtentem.

14. IN vſu fuerunt apud antiquos Dialecticos hę voces *Logica docens*. *Logica vtens*. Cum ergo nũc temporis tantum valoris ſibi voces acceperint ab innovatorum genijs, magnam celebritatem adquirunt, ſed in re negotium eſt parvi momenti, vt cum noſtro loquar Arriaga. Tria poſſunt hic dubitari; primum, quid nomine Logicę *Docentis*, & *vtentis* intelligatur? Secundum, cui applicanda ſit hæc vox Logica *vtens*? Tertium, an logica ſit *vtens* quoad omnes ſuas partes?

15. Vt primæ dubitationi faciam ſatis, ſuppono primò, in qualibet arte practica dari *Doctrinam*, & *vſum* talis doctrinæ. *Doctrina* ſunt illę regulæ, quæ docent, quomodo ſit opus faciendum; *Vſus* doctriuæ eſt ipſum opus factum v.g. in arte ſaltandi, doctrina ſunt illæ regulæ, quę dictant modum, quo pedes huc, & illuc, iuxta inſtrumenti ſonum, movendi ſint; ipſi verò ſaltus ſunt vſus talis doctrinæ.

16. Suppono ſecundò, regulas dupliciter poſſe conſiderari, vel in actu primo, quatenus ſcilicet docent; vel in actu ſecundò, quatenus ſcilicet, actualiter dirigunt; v.g. Si aliquis regulas artis pictoriæ optimè percaleret quomodo ſcilicet colores ſint miſcendi, diſponendum linteum, ad movendum peniſilum, & tales regulæ, antequam hic homo de pingeret, ſunt in actu primo. Cũ vero talium regularum memor, eas exercet, pingendo aliquam imaginem, ſunt in actu ſecundò.

17. Suppono tertiò. Hoc complexum, ſeu hanc dictionem complexam *Logica vtens* poſſe tripliciter intelligi: primo. Si ly *Logica* ſumatur in *Nominativo*, ita vt ſenſus ſit *Logica*, quę *vtitur*, *ſeu logica*, *qua habet vſum*; ſicut ſenſus huius complexi, *Petrus amans eſt Petrus*, *qui amat*, ſeu *Petrus*, *qui habet amorem*. Secundò. Sy ly *Logica* ſumatur in *Ablativo*, ita vt ſenſus ſit, id quod vtitur Logica, vel quod habet *vſum Logica*; ſicut de Citharedo dicimus, *Cithara vtens*, hoc eſt, qui vtitur cithara. Tertiò. Si ly *vtens* ſumatur paſsivè, ita vt ſenſus ſit, *Logica vſa*, ſępê enim vtimur voce activa pro paſsiva, ſicut cum dicimus, voces ſupponere pro conceptibus, hoc eſt, ſupponuntur pro conceptibus. Triplicem tantum hunc ſenſum poteſt habere complexio illa *Logica vtens*: his ſuppoſitis.

18. Dico primò. Logica docens ſunt regulæ, ſeu dictamina logicalia docentia modum, quo efformandę ſint definitiones, diviſiones, & argumentationes: in hoc omnes Doctores conveniunt, & ex ipſis vocibus conſtat; *Docens* enim adocendo dicitur.

19 Dico ſecundò. Hęc complexio, *Logica vtens*, ſi ſumantur in primo ſenſu, hoc eſt, in *Nominativo* pro eodem, ac

Logica

Logica, quæ *vtitur*, solum sunt illi actus proprij Logicæ, in quorum productione vtitur intellectus aliqua ex regulis Logicæ, v.g. *hic: diuisio est modus sciendi totum in partes distribuens*. Vbi vtitur regulis definitionis, & simul docet modum diuidendi: Probatur, hi & similes actus sunt *Logica*, cum sint in materia propriá ipsius Logicæ, aliunde vtuntur regulis Logicæ. Ergo sunt *Logica vtens*, sicut Petrus, qui legit, est Petrus legens. Item de hoc, & similibus actibus verificatur illa complexio, *Logica vtens* in *ablatiuo*, pro eodem acid, quod vtitur Logica. Probatur: hic actus est definitio: ergo vtitur regulis definitionis: sed regulæ definitionis sunt Logica: ergo talis actus vtitur Logica; sicut faber vtitur cerra.

20. Insuper; si *logica vtens* sumatur in tertio sensu pro eodem, ac *logica vsitata*, talis actus non est logica *vtens*. Probatur: Logica vsitata in illo actu est logica definitiua; sed talis actus non est logica definitiua; sed diuisiua: ergo talis actus non est logica vsitata. Et ratio est; quia aliud est, quod exerceatur in aliquo actu aliqua regula, & aliud, quod talis actus sit illa regula exercita, v.g. in scamno exentur regulæ artis fabrilis, scamnum verò non est ipsæ regulæ exercitæ artis fabrilis; ita in illo actu exercentur regulę definitionis, ipse verò non est regulę definitionis exercitæ. & vsitatæ: ergo neque *logica vtens* in tertio sensu.

21. Hanc conclusionem, licet non ita expressè, defendunt Arriaga disp.3. Logicæ sect.1.n.2. Vbi sic ait: *censeo, diuisionem hanc esse Solius Logicæ, vnde solùm appellarem* Logicam *vtentem ipsam Logicam, dum in actu exercito vtitur definitione, diuisione, &c.* & nouiter Pater Peinadus tract.1. Proœmialium disp.1. sect. 1. n.5. Pater Olzina n.358. Citat pro ea quemdam diligentem Schotistam, in manuscriptis.

22. Dico tertiò. Contra comunem modum discurrendi: Regulæ Logicales, cum actualiter dirigunt, non sunt Logica vtens in Recto, seu in primo sensu. (Loquor de Regulis in quibus nõ exercetur aliqua regula logicalis) Probatur. Licet tales actus sint logica, non sunt vtens: ergo non sunt logica *vtens*. Probatur antecedens; si essent *vtens* vel essent *vtens* alijs regulis, vel essent vtens se ipsis: Sed neque alijs regulis, vt supponitur; neque se ipsis; tum quia nõ sunt reflexi; tum quia implicat, aliquid se ipso vti; ergo tales regulæ non sunt *logica vtens*: Nec in secundo sensu, posita scilicet ly *logica in Ablatiuo* sunt logica vtens Regulæ dirigentes in actu secundo, cum in se ipsis nulla alia regula vtatur. In tertio sensu, cum scilicet *vtens* sumitur passiuè pro eodem, ac vsitata, regulę dirigentes in actu secundo sunt logica vtens: probatur; quia intellectus in efformandis definitione, diuisione, & argumentatione, eis regulis vtitur: ergo illæ vsitatæ sunt: ergo & *logica vtens*, si sumatur ly *vtens* in hac acceptione; hæc locutio admitti debet; quia habet plures Patronos, præcipuè ingeniosos Recentes.

23. Stet ergo, logicam vtentem actiuè solum dari in materia propria logicæ: Vnde logica *vtens* in recto actiuè non est logica docens in actu secundo, seu regulæ actualiter dirigentes vt cumque, sed logica docens in actu secundo, seu regulæ actualiter dirigentes, in quibus aliqua ex regulis logicę exercetur, logicam vero vtentem passiuè esse regulas in actu secundo dirigentes. Ex quo.

24. Inferes primò, Regulas in actu 2. dirigentes esse logicam docentem in actu secundo, solumque distingui á logica docente in actu primo, sicut distinguitur causa in actu secundo â causa in actu primo. Vbi in recto nulla datur distinctio, sed solùm in obliquo; quatenus sci-

scilicet actus secundus supperaddit applicationem, sicut virtus ignis productiua in actu primo eadem est, ac producens in actu secundo. Sed huic supperadditur approximatio, & hæc est distinctio, quæ relucet inter logicam docentem, & vtentem passiuè.

25. Objicies: Hic actus *diuisio est modus sciendi totum in partes distribuens*, est effectus logicæ docentis; ergo non est logica *docens*.

26. Resp. Distinguo antecedens; est effectus logicæ docentis definitiuæ, concedo: diuisiuę; nego. Non repugnat, idem esse causam, & effectum simul respectu diuersorum: Vnde talis actus est effectus logicæ definitiuę, seu regularum definitionis, & simul est causa diuisionum, & regula, dirigens eas, est ergo logica; sed *vtens* respectu regularum definitionis, quas in se exercet; docens respectu diuisionum, quas dirigit.

27. Replicas. Talis actus est vsus seu effectus regularum definitionis: ergo non est *vtens* actiue talibus regulis.

28. Resp. In hac materia vsum passiuum cum vtente actiuè equiuocari. Nam cum re ipsa solùm intellectus sit docens, & vtens actiue, hæ denominationes solùm per applicationem actibus communicantur, illumque dicimus *vtentem*, in quo datur exercitium alicuius regulæ vi intellectus exercentis; cum ergo in illo actu intellectus exerceat regulas definitionis, ipsemet actus dicitur *vtens* eis regulis, & simul abeis regulis productus, & directus.

29. Inferes secundò, logicam docentem ex suo conceptu, nec distingui realiter, nec identificari realiter cum logica vtente actiuè, sed aliquando identificatur realiter, vt patet in illo actu *diuiso est modus sciendi totum in partes distribuens*, & similibus, qui simul sunt logica *vtens* actiuê, & logica *docens* vt iam probatum manet; aliquando verò realiter distinguitur, vt patet in omnibus regulis, in quibus alia regula non exercetur, v. g. in prima regula docente modum efformandi definitionem, quam nullo modo præcessit logica, vt pote primum dictamen sine logica adquisitum, & in alijs fere omnibus hoc v.g. *si vis diuidere, totum in suas partes disseca*: In quo cum, non tradatur, per modum definitionis, diuisionis, aut argumentationis, nulla regula logicæ exercetur; ergo solum est logica docens; ergo realiter distinguitur ab vtente actiuè; quia quæ realiter separantur, realiter distinguntur.

30. Inferes tertio habitus ortos ex actibus, qui simul sunt logica *vtens actiuè*, & docens, esse habitus logicæ *vtentis, & docentis*; nam ille habitus est propriè logicę *vtentis*, *& docentis*, qui generatur ex actibus, qui simul sunt logica *vtens*, *& docens*: sed ita se habet talis habitus ergo.

31. Inferes quartò, habitus adquisitos ex actibus, qui solum sunt logica *docens*, & ad summum logica *vtens* passiue, esse habitus logicæ *docentis*, ob eandem rationem.

SVBSECT. I.

AN RELIQVÆ SCIENTIÆ SINT Logica vtens in Recto.

32. AFfirmant Acutissimus Doctor 1. part. disp. 8. cap. 5. Patres Hurtadus, Sancta Cruz, & Oviedo.

33. Negant omnes fere alij Doctores: Primi mouentur ad talem denominationem statuendam, aparitate aliarum similium denominationum, quę communiter admittuntur: Sic enim arguunt: Actus externus humilitatis est humilitas, quia dirigitur ab actu inter-

no, qui humilitas eſt; item actus directus á prudentia dicitur prudentia in recto. Denique voluntas dicitur ratio, quia dirigitur per rationem: ergo cum actus aliarum ſcientiarum a logica dirigantur, logica *vtens* poterunt apellari. Moventur ſecundi ad tamen denominationem negandum etiam aparitate aliarum denominationum, quæ communiter non accipiuntur; ſic enim arguunt: Spes,& charitas diriguntur á fide,& neque charitas, nec ſpes dicuntur fides; item diſcipulus á Magiſtro dirigitur,& non dicitur Magiſter: Ergo etiam ſi actus aliarum ſcientiarum dirigantur á logica, non ideo vocandi ſunt logica. His ergo pro vtraque ſententia exemplis inventis ad invicem decertatur, & certè mihi Authores legenti riſum movet modus reſpondendi eorum.

34. Nam qui affirmativam ſententiam tuentur,dum illis obijcitur, quod actus charitatis, & ſpei diriguntur á fide, & non dicuntur *fides*: ergo etiam ſi actus aliarum ſcientiarum dirigantur á logica non dicentur logica. Reſpondent ab vna denominatione non valere argumentum ad alia. Qui vero negativam tenent,dum illis objicitur, quod actus directi á prudentia, & humilitate dicuntur *prudentia*, & *humilitas* in recto; ergo & actus directi á logica *logica* dicentur in recto. Similiter reſpondent ab vna denominatione non valere argumentum ad aliam: en in alios tela emittunt,quæ in ipſos contorta examinare tenentur.

35. Stet ergo ab vna denominatione ad aliam,argumentum,nec paritatem valere;ſic lapis dicitur á lædendo Pede, & non omne quod lædit pedem, lapis dicitur. Denominationes ergo á communi vſum Doctorum deſumendæ ſunt. Cum autem inpræſenti denominatione logicę *vtentis* ad alias ſcientias applicata dentur pro parte affirmativa, & negativa graves *Doctores*, vtraque poterit admitti, maximè cum Patres Vaſquez, & Oviedus non affirment, ali s ſcientias eſſe logicas,ſed ſolum per logicam vtentem volunt ſignificare,actus aliarum ſcientiarum eſſe directus á logica.

36. Sed ego meliûs loquor cum negantibus;ideoque dico;reliquas ſcientias ſolùm eſſe logica vtentes, ly *logica* in Ablativo,non vero logicam vtentem in recto. Probatur ex Arriaga: Omnia membra dividentia debent participare rationem diviſi;ſic, quia animal dividitur in *hominem*, & *brutum*; tam *homo*, quam *brutum* participant rationem animalis,ita vt verum ſit dicere, *homo eſt animal*: *brutum eſt animal*: Sed logica dividitur in *docentem*,& *vtentem*:ergo quæ fuerit *logica vtens* debet eſſe logica; ſed Reliquę ſcientiæ non ſunt logica: ergo nec logica vtens.

37. Confirmatur. Malè divideret aliquis animal hoc modo,animal, *aliud leo, aliud equus, aliud qui vtitur equo*,ergo male dividitur logica in *Docentem, vtentem*,& in *ſcientias*, quæ *logica* vtuntur: Sed iuxta Vaſquez, & Oviedum ly *logica vtens*,quod reliquis ſcientijs applicatur, ſolùm ſignificat hoc, quod eſt vti præceptis logicę: ergo male dividitur logica in logica vtentem ita.

38. Item non minus diriguntur reliquæ ſcientiæ á logica vtente, quam á logica docente,cum iuxta plures ex Adverſarijs logica *docens*, & *vtens* realiter identificentur;ſed non dicuntur logicæ docente, cur ergo logicæ vtentes dicentur?Et directio ſufficiens ad ſecundam denominationem logicæ *vtentis*,ad primam *logicæ docentis* ſufficiens non erit?

39. Ad exempla, & denominationes,quibus moventur Adverſarij, reſpōdetur primo, actus externos humilitatis,& prudentiæ,non dici *humilitatem*,& *prudentiam* ſubſtantive, ſed ſolum adiective,

iectiue,hoc eſt,actus *humiles*, & *prudentiales*. Item ſolùm eſſe *humilitatem*, & *prudentiam* obiective,hoc eſt, obiectum humilitatis, & prudentiæ formalium. Vel eſſe *humilitatem*, & *prudentiam* in obliquo,hoc eſt exercitium *humilitatis*, & *prudentiæ*. Ita ſimiliter actus aliarum ſcientiarum poterunt adiective logicales appellari,vel obiective, vel in obliquo *logicæ*. Hoc eſt,eſſe actus directos â logica, obiectum ipſius ſaltem quoad formam,& exercitium ſuæ virtutis, & directionis.

40. Reſpondeo ſecundo, ideo actus externos humilitatis *humilitatem* appellari, quia licet, fiat á potentia executiva, totus quantus eſt provenit ab humilitate interna. Idem dico de prudentia:at vero actus aliarum ſcientiarum,toti quanti ſunt non proveniunt á logica,ſed principaliſsimè á proprijs ſcientijs, in quarum materia efformantur;vnde præcipua p rs, cuius eſt materia,illos denominat,non verò logica.

41. Reſp. tertio facilius, admittendo denominationes poſitas, & negando hanc; quia argumentum denominationum nullum eſt; ideoque ab illo in noſtris probationibus abſtinui.

42. Obj. primò Sanctum Auguſtinum,Chriſtum Dominum, & Divum Paulum dialecticos appellare; quia vſi fuerunt dialectica: ergo & ſcientiæ, quæ logica vtuntur, logica dicentur.

43. Reſp. Chriſtum Dominum,& Apoſtolum non vocari á Divo Auguſtino *logicam* aut *Dialecticam* in recto,& ſubſtantive, ſed *logicos*, & *dialecticos* adiective, & in obliquo, hoc eſt, vtentes logica. Ita ergo actus aliarum ſcientiarum *logice* adiectivè, & in obliquo, hoc eſt *vtentes logica*, apellari poterunt.

44. Obj. 2. ex repititione Syllogiſmorum in quacumque facultate intenditur habitus logicalis: Sed habitus logicalis non intenditur niſi per proprios actus logicales: Ergo Syllogiſmi, ſeu actus cuiuſcumque facultatis erunt actus logici, ſeu logica actualis.

45. Reſp. concedo maiorem, minorem, & nego conſequentiam quoad ſecundam partem; & diſtinguo conſequens, quoad primam: Ergo ſyllogiſmi, ſeu actus cuiuſque facultatis erunt logici, quoad formam, concedo: Quoad materiam, nego. Scias, in logica dari regulas actuales dirigentes, & actus directos á talibus regulis, v. g. definitiones, diviſiones, & argumentationes,vnde datur duplex habitus, vnus ex repetitione regularum genitus, & alius ex repetitione actuum regulatorum: Primus habitus dicitur *logica habitualis*; ſecundus habitus dicitur *habitus logicalis*, primus ſolùm dicitur *logica*, quia ex logica actuali, regulis nempe gignitur. Secundus dicitur *logica* tantum denominative, qui non gignitur á logica, ſed ab effectu logicæ, definitione nempe, diviſione, & argumentatione, & hoc etiam in materia propria logicæ evenit: Hinc

46. Certum eſt. Ex repetitione ſyllogiſmorum in quacumq; materia vtrumque habitum intendi, & logicam habitualem, & habitum logicalem. Intenditur logica habitualis; quia cum, vt fiat ſyllogiſmus in quacumque materia, debent concurrere regulę dirigentes formæ ſyllogiſticæ, ex repetitione talium regularum habitus ille intenditur; etiam intenditur habitus logicalis, non ratione materiæ,quæ ad alias facultates pertinet, ſed ratione formæ, quę ad *logicam* attinet: Vnde tales actus logici poſſunt appellari ex vi formę, ſed non ideo appellari poterunt *logica habitualis*, aut *actualis*, ſicut actus intellectus dicuntur *intellectuales* non verò *intellectus actualis*.

47. Obj. tertio ideo definio, diviſio in materia propria logicæ ſunt logica *vtens* in recto; quia vtuntur regulis logi-

logicæ: Sed etiam actus aliarum scientiarum vtuntur regulis logicę;ergo.

48. Resp. Nego maiorem,tales enim actus dicuntur *vtens*,quia vtuntur regulis logicæ,& in hoc cum alijs scientiarum actibus, qui etiam vtuntur eisdem regulis,conveniunt , sed non dicuntur *logica*, quia vtuntur regulis , sed quia aliàs ipsi actus regulæ sunt logicæ,quod non habent actus aliarum scientiarum; ideoque licet dicantur *vtentes logica* in Ablativo,non tamen *logica vtens* in Nominativo.

SVBSEC. II.

AN LOGICA SIT VTENS *secundum omnes suas partes?*

49. A Nemine dubitatur, logicam esse docentem secundum omnes suas partes, Analiticam,Topicam,& Sophisticam , circa logicam vtentem est tota controversia. Negant comuniter Thomistæ Complutenses disp. 1. procœmial. quæst. 4. n. 38. Item Patres Fonseca , Telles, Conimbricenses,Linze tract. 2. cap. 1. n. 6. asserentes,solùm in parte topica dari logicam vtentem. Affirmant Melius communiter *Doctores* Ponc. & ex Thomistis Ioannes à Sancto Thoma quæst. 1. logicę art. 1.

50. Probatur primo de loga vtente passivè. Ideo in parte Topica vtitatur logica, seu datur logica vtens; quia syllogismus in materia probabili est iuxta regulas logicæ: Sed quicumque syllogismus in materia evidenti, & in ordinead vitanda sophismata etiam est iuxta regulas logicæ; quia orta controversia in bonitate illationis, statim fit recursus ad regulas logicæ: ergo etiam in parte Analitica,& Sophistica erit logica vtens.

51. Probatur secundò de logica vtente active. Regulæ,quas logica præbet ad efformandas demonstrationes, & evitanda sophismata, possunt cum artificio logicali,hoc est , exercendo in eis aliquam ex Regulis logicę , disponi:ergo illæ erunt logica vtens active. Probatur antecedens:hic actus est in materia demonstrativa , & simul Regula divisionis. *Divisio est modus sciendi totum in partes distribuens* ; hęc etiam est regula pro evitando Sophismate: *Omnis syllogismus fallax vitandus est , sed syllogismus constans propositionibus æquivocis est fallax, ergo vitandus est*: Sed tales Regulę cum artificio logicali dispositæ sunt; prima namque est definitio ; & secunda argumentatio:ergo.

52. Objic. 1. Angelicum Præcept. 5. metaphysicę dicentem, in parte logica, quæ dicitur demonstrativa,solùm doctrina pertinet ad logicam , vsus verò ad Philosophiam , & ad alias scientias in particulari , quæ sunt de rebus naturę: ergo in parte analitica solùm datur logica docens,non verò vtens.

53 Respondetur. Angelicum Doctorem pro nobis stare opusc. 70. quæst. 6. art. 1. teste Ioanne á Sancto Thoma : in loco allegato Angelicus Doctor tantum tenet , doctrinam, seu hoc quod est esse logicam docentem, solùm pertinere ad logicam , non verò Ad alias scientias,ad quas solùm attinet vsus,seu effectus talis doctrinæ ; Nullatenus tamen loquitur de logica vtente.

54. Objic. 2. Vsus logicæ in parte Analitica , vel esset in propria , vel in aliena materia;sed nec impropria,nec in aliena materia esse potest ; ergo nequit dari vsus logicæ,seu logica *vtens* passive in parte Analitica. Probatur minor quoad primam partem;quia si demonstratio esset in propria materia, vsus non distingueretur à regula , quę etiam est demonstratio. Probatur secundo , quia logica exercens demonstrationem in ma-

materia propria,non diceretur concreta rebus : ergo nec *vtens*. Probatur prima minor quoad secundam partem primò. Si logica efficeret demonstrationem aliarum scientiarum , sola logica esset scientia , quod absonat. Probatur secundo. Omnis scientia per se ipsam elicit demonstrationem in materia propria:ergo non per logicam.

55. Retorq. Ergo neque logica efficiet syllogismos probabiles aliarum scientiarum ; aliás neque illę scientiæ suos syllogismos probabiles efficient, nec cum in materia propria illos elicit, dicitur *vtens* , cum non sit concreta rebus,hoc est , actibus aliarum scientiarum.

56. Respondetur, tam in propria, quam in aliena materia logicam demōstrationes dirigire,& efformare:vnde nego minorem quoad primam , & secundam partem ; ad primam primæ partis probationem dic,quod etiam si regula sit demonstratio, non inde sequitur,nō distingui á demonstratione directa , & regulata , sicut licet Petrus cum Paulo in ratione hominis conveniat , Petrus Pauli filius ab eo producitur , & distinguitur. Ad tertiam respondetur , quod cum regulæ logicales exercentur in aliquo actu,sive proprio,sive alieno,concretæ rebus dicuntur, hoc est,actualiter dirigentes.

97. Ad primam secundæ partis probationem respondetur;reliquas sciētias ministrare scientificè materiam,logicam verò dirigere scientificè artificium,vnde tam logica , quam reliquę scientię, scientię possunt appellari. Ad secundam respondetur , scientias per se ipsas suas demonstrationes elicere , sed adiutas logicæ directione;Nam licet eas possint sine logica elicere , difficillimê tamen,vt postea videbimus.

58. Objic. 3. Ille syllogismus: *Omnis syllogismus fallax* , *&c.* potius in nostra probatione pro parte Sophistica est demonstratio : ergo non pertinet ad partem Sophisticam,sed analiticam.

59. Resp. Concedo antecedēs , & nego consequentiam:scias,quod logica, dum agit de syllogismo probabili , & fallaci,demonstrativè procedit: Vnde nō dicitur topica , & sophistica,ex modo tendendi,aut quia in aliquibus probabiliter , in alijs verò sophisticè segerat sed ex obiecto,& materia , circa quam, actus scilicet probabiles, & sophismata, quæ detegit , aliás logica quoad omnes suas partes scientia non esset si probabiliter , & sophisticê procederet. Sicut enim supra rem falsam cadit discursus verus, supra ens rationis cognitio realis , ita supra materiam probabilem , & fallacem demonstrationes evidentes logicæ cadunt. Præterea ex argumento infertur , nec in parte topica esse logicam vtentem;quia etiam in ea parte demonstrativè procedit.

60. Objic. 4. Logica in parte sophisticá non habet vsum:ergo nec in parte sophistica est vtens;probatur antecedēs: vsus partis sophisticæ est fallacia , sed hanc non habet logica,vtpotè scientia: ergo.

61. Resp. Nego antecedens:ad probationem,distinguo antecedens; est fallacia detecta,vt fugiatur,vel imitata , vt detegatur alia similis;concedo : exercita vt amplectatur;nego. Solutio patet ex dictis;ex hoc etiam infertur,logicam in in parte sophistica , non habere doctrinam,quia si vsus partis sophisticæ , est fallacia exercita, aut fallacias exercere, ita doctrina eius erit fallacias docere; nam id exercetur, quod docetur hoc repugnat scientiæ: ergo & illud.

(o)

SECT. III.

VTRVM LOGICA SIT ARS?

62. HÆc quæstio purè denomine dependet á significatione huius vocis *ars*. Artem in communi, præscindētem á mœcanica,& liberali,definiunt Aristoteles, & Sanctus Thomas sic: *Est habitus cum ratione operativus*: est duplex *actualis*, quę est actus cum ratione operativus,& *habitualis*,quæ est ea, quam definijt Sanctus Thomas. Vtraque tam actualis, quam habitualis dividitur in mœcanicam, & liberalem. Ars mecanica est,quæ comparatur lucri gratia, cuius præcipuæ species hoc carmine continentur.

Rus,nemus,Arma, Rates, vulnera, lana,faber
Ideſt,agricultura, Venatio, ars militaris,Nautica,
Medicina,seu Chirurgia, Textoria, &fabrilis.

63. Ars liberalis, seu ingenua est, quæ ad animę Ornatum,levamentumque adquiritur,non lucri gratia: si tamen ad lucrum ab aliquibus applicetur,hoc erit accidentaliter; eius species notiores audi:

Lingua,Tropus,Ratio,Numerus,Tonus,Angulus,Astra,
Ideſt,Grammatica,Rethorica,Logica,Aritmethica,
Musica,Geometrica, & Astrologia.

64. Etiam dividitur *ars* in *activam* & *effectivam*; Activa seu immanenter operans est, quæ versatur circa actus internos intellectus,& voluntatis,etiam extenditur ad actus potentiæ elocutivæ externæ,etiam si non sint operationes immanentes, hæc semper est ars liberalis *effectiva*,seu transeunter operativa est, quæ versatur circa materiam externam,vt fabrilis,& ferraria, & hęc sæpé Mæcanica dicitur.

65. Primá sententia negat,logicam esse artem,ita Patres Ualencia.Tanner. & alij.

66. Secunda sententia affirmat. Ita fere omnes Doctores: Vide plures apud Patrem Olzina n. 391.

67. Probatur primo affirmativa sententia, authoritate Sancti Thomæ, qui opusc. 70. quęst. 5. art. 1. ad tertiam, *logicam rationalem artem* appellat, & 4. posteri lib. 1. *artem artium*; item non parum authoritatis habet, quod ponatur logica inter artes liberales in carmine illo, in quo hę continentur. In super iuxta Aristotelem ars sumitur pro omni habitu practico, sed logica, saltim partialiter, est habitus practicus: ergo, & ars. Denique ars ab omnibus fere definitur habitus, cum ratione operativus: sed logica est habitus cum ratione operativus,saltim partialiter:ergo & ars.

68. Dixi partialiter;quia vt postea videbimus:Habitus logicalis,seu logica non est adequatè practica;vnde & consequenter non erit adæquatè ars, quod notare licet ex hinc, ne illic in consequentiæ aguamur.

69. Objic.1.Sanctum Thomam,& Aristotelem definivisse sic; *est habitus operativus in materia externa permanenti*:Sed materia logicæ neque est externa,neque permanens, cum sit actus intellectus:ergo.

70. Respondetur loco citato locutū fuisse Divum Thomam, & Aristotelem,de arte macanica nobis notiori, applicantesque vocem genericam artis speciei minus nobili, sicut communiter, vox generica, *animalis* speciei minus nobili,nempe *bruto* tribuitur, non verò *homine*.Insuper si ad rationem artis requireretur hæc permanentia in materia, certum esset, logicam non esse artem,cum eius materia sit actus internus transiens; sed ex hoc etiam inferretur, nec musicam,nec grammaticam esse artes;quia earum materia,licet sit externa, voces scilicet,non tamen est permanens, &in hoc sensu tantum Negat Pater Arriaga logicam esse artem.

71. Objic.2. Aristotelem sæpè dixisse non dari artem, nisi de his quæ nequeunt naturaliter fieri: sed actus logicales naturaliter fiunt:ergo logica circa eos non est ars.

72. Respondetur,Aristotelem tantum intendisse,non dari artem circa ea, quæ naturaliter eodem modo fiunt, ac fierent,si daretur ars:v.g. de visu,auditu,olphactu, &c. aliás nulla esset ars; nulla enim tam necessaria est ad opus, vt sine illa nequeat opus naturaliter fieri.

73. Objic.3. Prudentia non est ars licet sit recta ratio agendorum: ergo licet logica sit etiam recta ratio agendorum,non erit ars.

74. Respondentur, prudentiam nullum artificium conferre operibus virtuosis; sed dirigit tantum actus, vt rectæ rationi, & methodo conformentur,vnde moralitatem accipiant. Logica vero opus artificiosum dirigit, vnde artis nomen accipit.

SECTIO. IV.

VTRVM LOGICA SIT scientia?

75. SCias primò. Scientiam latissimè accipi, pro quacumque cognitione, sic Philosophus primo metaph.cap.1. ait:*Omnes homines naturaliter scire desiderant*, hoc est,*cognoscere*. Secundo pro cognitione certa,etiā si sit de fide obscura. Sic Sanctus Iob dicebat:*Scio quod Redemptor meus vivit*; hoc est,*cognosco ex fide*. Tertio strictissimè,pro cognitione solùm *speculativa*,& sic intelligendus est Philosophus, cum excludit omnem artem á ratione scientia.Quartò pro quacumque cognitione evidenti: Sic cognitio Divina dicitur scientia.Quintò pro cognitione adquisita per demonstrationem, quæ sit certa,vera,& evidens. Vnde licet fides sit certa,& vera,non est scientia; quia non est evidens;opinio licet re ipsa esset vera,non est scientia; quia non est certa de scientia ergo in hac vltima acceptatione loquimur.

76. Hæc, si sit habitualis, est habitus adquisitus per demonstrationem, constant ex Aristotele 1. Poster. cap. 2. Si verò sit actualis(quæ proprié sciētia est, nam habitualis,cum non sit cognitio,tantum dicitur scientia causativè; quatenus gignitur á scientiá, & eam producit) est cognitio evidens per demonstrationem adquisita.

77. Hoc supposito, prima sentētia negat, logicam esse scientiam; ita Sarabela disp. 27. sect. 5. lib. 1. Spinula disp. 1. logicæ sect. 6. n.88. Dandin. Pereyra,& Smiglesius disp. 2. logicæ sect.5.

78. Secunda sententia affirmat: Ita Thomisth cum Sancto Thoma, Schotistæ, cum Schoto; & omnes ferè Iesuitæ cum eximio Doctore disp. 1. metaphic. sect. 4. Patres Hurtado Sancta Cruz, Arriaga, Lince, Oviedo, Quiros, Peynad. tract. 1. proemial. disp. 1. sect. 2. n. 22.Item Olsita scientia rationali n. 308. P.Maur. Suar. Lusi,& P. Olea. d.51. n. 10.

79. Dico: Logica est absolutè scientia quoad omnes suas partes, Analiticam, Topicam,& Sophisticam.Probatur primo vniversaliter. Ea facultas est scientia, quæ habet notitias certas circa

circa suum obiectum per demonstrationes adquisitas: Sed ita se habet logica quoad omnes suas partes: Ergo quoad omnes suas partes est absolutè scientia, maior est definitio scientiæ, minor probatur; nam in parte Analitica probat evidenter demonstrationem generare scientiam.. In parte Topica ex probabilibus benè dispositis generari opinionem: In parte Sophistica ex Argumentatione Sophistica propositionibus equivocis const nti generari errorem: Ergo ita se habet logica quoad omnes suas partes, vt habeat notitias certas per demonstrationem adquisitas.

80. Probatur prima minor in particulari de parte Analitica. Hę sunt notitiæ, quæ ad partem Analiticam pertinent: *Definitio est clarior suo definitio: omnis divisio latiùs patet quolibet membro dividente, & aquè omnibus*, adquisitæ fuerunt per demonstrationes; prima per hanc. *Omnis explicatio est clarior termino explicato: Sed omnis definitio est explicatio definiti*: Ergo *omnis definitio est clarior termino definito*. Secunda per hanc: *omne totum est maius*, seu *latiùs patet sua parte, & aquale seu æquê omnibus simul sumptis; sed omne divisum est totum, & membra dividentia sunt partes*: Ergo *omne divisum latiùs patet quolibet membro dividente, & aquê omnibus*: Ergo logica in parte analitica habet notitias certas, & evidentes circa sua obiecta adquisitas per demonstrationem.

81. Probatur eadem minor de parte topica, & simul de Sophistica: Cognitio respiciens errores, & opiniones, si eas respiciat modo scientifico, & demonstrativo, nec est error, nec opinio, sed scientia: Ergo licet logica topica, & sophistica opiniones, & errores respiciat, erit scientia, si circa illos demonstrativè procedat: Sed demonstrativè procedit: Ergo est scientia. Maior patet pluribus exemplis: Primo: cognitiones Divinę terminatę ad opiniones, & errores creatos sunt scientiæ. Secundo: hæc cognitio: *Logica est scientia*: *Est* probabilis, & hęc: *Probabile est logicā esse scientiam*: est certa, licet verificetur circa rem probabilem. Tertio: hęc propositio: *Non est Deus*: Quam dixit insipiens in corde suo, est error blasphemus, & hæc supra ipsam reflectens: *Blasphemum est dicere; non esse Deum*; est certa, & Catholica propositio. Et ratio apriori est; quia non omne, quod relucet in obiecto, refunditur in actum; sic cognitio obiecti materialis non est materialis. Visio hominis mortui non est mortua; nec auditio musicę est musica; quia hęc habent actus ex sua peculiari tendentia: Ergo nec cognitio opinionis, & erroris, erit necessariò opinio, & error. cùm ex modo tendendi scientificè procedat. Quod autem ita procedat logica manet iam probatum: Et

82. Vlterius declaratur: Hæc est demonstratio logicæ Topicæ: *Conclusio deducta ex præmissis merè probabilibus opinionem solummodò generat in intellectu; sed conclusio topica deducitur ex præmissis merè probalibus*: Ergo *generat opinionem*. Hæc est demonstratio logicæ sophisticæ. *Omnis syllogismus constans quatuor terminis, & si videatur habere tres tantùm, est sophisticus: sed syllogismus constans termino aliquo æquivoco, constat quatuor terminis, licet videatur constare tribus tantùm: Ergo est sophisticus*. En demonstrationes, ex quibus logica topica, & sophistica inferunt sua principia, scilicet ex probabilibus solùm sequi probabile, & ex erroneis errorem: Ergo logica vtraque modo demonstrativo procedit circa piniones, & errores.

83. Probatur minor prima in particulari de Sophistica: in eodem principio fundatur veritas alicuius actus, falsitas oppositi, & simul veritas actus reflectentis supra falsitatem, asserentisque falsitatem esse; v. g. in eadem existentia Dei fundatur veritas huius actus: *Deus est*:

falsitas oppositi: *Deus non est* & veritas actus reflectentis supra secundam propositionem, dicendo falsum est dicere, *Deum non esse*: ergo in eodem principio, in quo fundatur logica Analitica, logica sophistica fundatur. Nam Analica prosequitur directive veritatem, & sophistica demonstrat, quod quidquid opponitur veritati, est falsum; v.g. Analitica docet, syllogismum tribus tantum terminis rectè dispositis constantem esse rectum; quia fundatur in illo principio, quę sunt *eadem vni tertio, sunt idem inter se*: sophistica verò docet, syllogismum non constantem tribus tantum terminis, sed pluribus, non esse rectum; quia scilicet non fundatur in illo principio, *quæ sunt eadem vni tertio, &c.* ergo logica quoad omnes suas partes scientiæ nomen adipiscitur.

SVBSECTIO UNICA.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

84. OBjic. 1. Aristotelem secundo metaphysicę cap. 3. dicentem, *absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi*: sed logica est modus sciendi: ergo non est scientia. Etiam primo Rethor. cap 4. ait: *Logica est facultas, non scientia*; item in eodem loco asserit, *Rethoricam esse partem logicæ*: sed Rethorica non est scientia: ergo neque logica.

85. Respondetur ad primam Philosophi Authoritatem cum Ex. Doctore disp. 1. metaphys. sect. 2. n. 29. Aristotelem solùm dixisse, absurdum esse velle logicam discere simul cum alijs sciētijs, sed priùs lagicam discendam esse, postea verò reliquas scientias. Nam cum plura simul intenduntur, nil sæpe consequitur. Ad secundam Authoritatem dic, locutum fuisse, de scientia strictissimè provt convertitur cum speculatione, non verò de scientia pręscidente á practica, & speculativa. Ad tertiam respondetur; rethoricam esse partem logicæ impropriè, quatenus scilicet attingit idem obiectum, nempe loca Topica, sed diverso modo, ornando scilicet; logica verò demonstrando.

86. Obj. 2. modus loquendi non est locutio, nec modus canendi est cantus: Ergo nec modus sciendi erit scientia.

87. Respondetur. Transeat antecedens, & nego consequentiam; nam si modus loquendi non est locutio, nec modus canendi est cantus, erit, quia nec modo loquendi competit *esse sonum ore animalis prolatum*, quæ est locutionis definitio; nec modus canendi est *consonantia, & melodia artificialis*, quæ est definitio cantus: Ast modus sciendi est *habitus adquisitus per demonstrationem*, quæ est definitio scientię, ac proinde est scientia.

88. Obj'c. 3. Omnis scientia debet habere propria principia, quibus probet suas conclusiones; sed principia, quibus logica eas probat ad metaphysicam, & non ad logicam pertinent, scilicet quodlibet est vel non est. Totum est maius sua parte, &c ergo.

89. Resp. primò. Logicam habere propria, & peculiaria principia, vt videre est in nostris probationibus.

90. Resp. secundò, illa principia nō esse metaphysicæ, sed communia ad omnes facultates, & cum logicę deserviunt fiunt propria ipsius logicę.

91. Resp. tertiò. Ex argumento solúm inferri, logicam esse scientiam subalternatam metaphysicæ; non verò non esse scientiam, sicut etiam si Reliquæ scientiæ logica indigeant, scientiæ tamen nomen sibi retinent.

92. Objic. 4. Logica est instrumentum

mentum ad alias ſcientias; ergo non eſt ſcientia; quia inſtrumentum non eſt eiuſdem denominationis, & rationis cum re, cuius eſt inſtrumentum.

93. Reſp. primò. Inſtrumentum poſſe eſſe eiuſdem denominationis, & rationis cum re, cuius eſt inſtrumentum; ſic ferrum ferro; & Maleus Maleo conficitur, clavus clavo truditur, & Adamas Adamante politur.

94. Reſp. ſecundò. Logicam non eſſe eiuſdem nominis, & rationis cum alijs ſcientijs, niſi ſolum genericè; hoc eſt, eſt ſcientia, ſicut illæ, non vero eſt phyſica, Metaphyſica, & ſic accidens eſt inſtrumentum ſubſtantię, & cum illa convenit in ratione entis, productivi, &c.

95. Reſp. tertiò. Logicam propriè loquendo non eſſe inſtrumentum ſciẽtiarum, ſed ſolius intellectus, cum quo nec in nomine convenit.

96. Objic. 5. Nulla ſcientia agit de ſingularibus, quia impoſsibile eſt habere notitiam evidentem de ſigularibus; ſed logica agit de ſingularibus, cum ſit practica, & ſolum ſingularia poſſunt eſſe praxis: Ergo logica non eſt ſcientia.

97. Maior argumenti eſt abſoluté falſa; nam Teſte Sancto Thoma 3.p. quęſt. 9. & Arriaga. Sciẽtia infuſa Chriſti Domini fuit de ſingularibus; Theologia eſt ſcientia de Deo ſingulari; cognitio, qua Deus ſe, & omnes creaturas cognoſcit, eſt ſcientia de ſingularibus: Syllogiſmuſq; expoſitorius eſt ſcientia de ſingulari. Sed ea admiſſa; diſtinguo minorem, logica agit de ſingularibus, reduplicativè; nego: Specificativè, concedo: hoc eſt, non reſpicit ſingularia vt talia; ſi quidem non confert regulas ſpeciales pro hac, vel illa ſingulari definitione, & diviſiones, &c. Sed reſpicit ea ſpecificativè, vt conveniunt in ratione definitionis, diviſionis, & argumentationis, pro quo regulas tribuit.

98. Oppones ſextò. Regula logicalis non eſt per demonſtrationem adquiſita; ergo non eſt ſcientia: probatur antecedens: Regula eſt prima demonſtratio; cum ſit prima regula demonſtrationum: ergo ante ipſam alia demonſtratio, per quam ipſa adquiratur, non præceſsit; alias non eſſet prima.

99. Reſp. Nego antecedens; ad probationem dic, regulam non eſſe primam demonſtrationem, licet ſit prima regula demonſtrationum artificialium; nam ante ipſam primam regulam demonſtrationes naturales plures præceſſere, ex quibus diutina experientia recognitis prima regula, & demonſtratio deducta fuit ad omnes demonſtrationes artificiales dirigendas.

100. Objic. 7. Obiectum ſcientiæ debet eſſe determinatum: Sed obiectum logicæ non eſt determinatum, cum ſit omne ens definibile, diviſibile, & argumentabile: ergo.

101. Reſp. Diſtinguo maiorem; obiectum materiale neceſſario; nego maiorem: obiectum formale; concedo maiorem: Obiectum formale logicæ, á quo ipſa ſcientia ſpecificatur, eſt determinatum, nempè dirigibilitas, vel ſpeculabilitas in modum ſciendi, quidquid ſit de obiecto materiale.

102. Objic. 8. Ratio artis, & ratio practici non compatiuntur cum ratione ſcientię in eadem facultate, ſed logica eſt ars, & practica: ergo non eſt ſcientia: probatur maior quoad primam partem Ariſtoteles 6. Ethicorum cap. 2. habitum ſcientiæ diviſit in ſcientiam Sapientiam, prudentiam, & Artem: tunc ſic: Vnum membrum dividens non includitur in alio: Sed *ars* & ſcientia ſunt membra dividentia reſpectu habitus: ergo *ars* non includit *ſcientiam*.

103. Probatur quoad ſecundam partem; ſcientia vt ſcientia reſpicit cognoſcibile vt cognoſcibile; ſed ratio praxis non reſpicit cognoſcibile vt cognoſcibile, ſed operabile: ergo non eſt ſcientia. Probatur ſecundò, aliás nulla eſſet ratio, cur Iuriſprudentia, Medicina, Grammatica, & omnes Artes Mecanicæ non eſſent ſciencia.

104. Reſp. Nego maiorem quoad vtramque partem: ad probationem primæ partis reſpondetur, rationem artis ex ſe neque dicere, neque excludere rationem ſcientię. Vnde diviſio illa Ariſtotelis iuxta interpretationem Angelici Doct. 1. 2. quæſt. 57. art. 2. ad primum; eſt ſicut diviſio vitę in vegetativum, ſenſitivum, & rationale; vnde ſicut eadem vita in homine eſt ſimul *vegetativa* & rationalis; quia illi conceptus ex ſe non opponuntur, nec excluduntur, ita idem habitus erit ſimul *ars*, & *ſcientia*, cum ex ſe non opponuntur; idem enim habitus (ait Sanctus Thomas) poſſet habere duas rationes formales ſpecificas, vt patet in metaphyſica, quæ eſt ſimul ſcientia, & ſapientia; habitus enim animæ ita bene dividitur in artem tantum, & ſapientiam tantum, quę differentiæ ratione tanteitatis excluduntur.

105. Ad primam probationem. Secundæ partis diſtinguo maiorem; ſcientia reſpicit cognoſcibile, ſcientia ſpeculativa; concedo: ſcientia practica; nego: vtraque ſcientia ſub ratione ſcientię reſpicit evidenter cognoſcibile, ſed ſpeculativa vt cognoſcibile ſiſtendo in eius contemplatione; practica, vt operabile, ad eius directionem progrediens.

106. Ad ſecundam probationem dic, quod ſi illæ facultates nitantur principijs certis, & evidentibus, ſicut logica, erunt ſcientia, cum illis definitio ſcientiæ conveniat. Ita Arriaga, & Sãcta Cruz n. 1223. Sed falſum eſt talibus principijs niti; nam Iuriſprudentia nititur authoritati, & voluntati Legiſlatorum: Medicina doctrinæ Galeni & Medicorum. Reliquæ artes Magiſtrorum dictis & experientijs; quin in eis dentur aliquæ demonſtrationes per ſe ſuorum obiectorum, & licet aliquę reperiantur, hę non pertinent ad facultates illas, ſed ad vim intellectivam, quę in quacumque materia diſcurrere ſolet.

107. Objic. Nonò: obiectum ſcientię debet eſſe neceſſarium, æternum, & indefectibile, aliás ſcientia non eſſet Æterna, neceſſaria, & indefectibilis: Sed obiectum logicę nullo ex his prędicatis gaudet, cum ſint actus intellectus, contingentes, et defectibiles: ergo.

108. Confirmatur authoritate Ariſtotelis primo Poſter. cap. 7. dicentis; ſcientiam debere eſſe de rebus neceſſarijs, et æternis; ſic Spinula.

109. Retorqueo in eum; Ergo nec in logica datur vlla demonſtratio, quod patet: Per vos demonſtratio, ſicut ſcientia eſt infallibilis: Ergo requirit obiectum æternum, & infallibile, quod per te non datur in logica: Ergo nec vlla demonſtratio; quod te evidenter convincit.

110. Reſp. 1. Nego maiorem; nam in Deo datur ſcientia viſionis de creaturis vt exiſtentibus, quæ vt tales contingentes ſunt; & ratio eſt; quia id, de quo datur demonſtratio, datur ſcientia. Sed de contingenti vt tali, ſcilicet de xiſtente creato datur demonſtratio; demonſtratur namque de illo non eſſe ab eterno, eſſe contingens, dependens, & c. Ergo.

111. Item ex argumento ſequitur, ſolum dari ſcientiam de Deo, de quo ſolûm verificantur illæ conditiones, vel adminus, metaphyſicam tantum eſſe ſcientiam, vt pote quæ ſola agit de eſſentijs rerum ſecundum eſſe quidditativum, in quo ſolum dicuntur indefectibiles, æternæ, & c.

112. Reſpondet. 2. Diſtinguo maiorem, debet eſſe neceſſarium, in eſſendo; concedo: In exiſtendo; nego. In obiecto logicæ duplex reſpectus poteſt conſiderari, exiſtentia, ſeu productio actualis, & eſſentia, ſeu conexio prædicatorum eſſentialium; exiſtentia, & c. pro-

productio est contingens, defectibilis, &c. Connexio prędicatorum essentialium est æterna, indefectibilis, &c. Vnde sive existat, sive non existat, producatur, vel non, definitio semper explicat essentiam rei, & verificat illam regulam logicalem. Definitio explicat essentiam rei, quæ non requirit actualem productionem definitionis, sed solúm, quod si producatur aliqua, ita debeat esse, vt essentiā rei explicet, & hæc solum æternitas, & indefectibilitas requiritur in obiecto scientiæ indefectibilis.

113. Replicas primo. Obiectum logicæ, definitio v.g. potest bene vel male fieri: Ergo quoad rectitudinem, & quoad esse est contingens.

114. Respondeo, nego antecedens; obiectum enim logicæ non est quęvis definitio, sed illa quæ regulis logicę fuerit conformis, quæ quidem incapax est erroris; intellectus ergo bene potest, vel male procedere in suis actibus, eliciens scilicet definitionem irrectam, quę eo ipso, neque est obiectum logicæ, neque definitio; vel definitionem rectam, quæ definitio verè esset obiectum logicæ; logica enim requiritur, ne intellectus, loco definitionis rectæ, irrectam eliciat.

115. Replicas secundò. Actus intellectus, definitio v.g. adhuc certè & infallibiliter regulatus est defectibilis, cum adhuc ita regulatus; sit ens creatū: ergo numquam poterit esse obiectum scienriæ indefectibilis.

116. Respondeo, distinguo antecedens, est defectibilis, id est contingens in existendo, concedo: id est falibilis; nego: nam si actus intellectus regulatus, & conformis sit regulis definitionis, infallibiliter erit definitio, erit explicatio essentiæ rei, erit clarior definito, &c.

117. Objic. 10. In logica dantur plures actus meré opinativi, v.g. *Logica est adæquaté practica; respicit voces pro obiecto, &c.* Ergo non erit adęquatè scientia, vel saltim sicut ab alijs dicetur scientia, ab alijs poterit opinativa appellari.

118. Aliqui admittunt plures actus opinativos in logica, & vlteriús dicunt, solúm denomiuari scientiam à scientificis, non verò opinativam ab opinativis; quia logica non debet esse magis scientia, quam reliquę scientiæ, in quibus omnibus similes actus dantur, quin denominationi scientiæ officiant, in quo recurrunt ad communem authoritatem, quę in materia de denominationibus est vnicū argumentum: Ego verò vt aliquas replicas P. Quiroz desumptas á conclusione deducta ex duplici pręmissa, vna scientifica, & alia probabili, quæ dicitur probabilis, & non scientifica, vitem, licet abeis facili negotio me expedirem. Respondeo. Nego antecedens, illi namque actus non sunt logica formaliter, sed solum reductivè, neque ad logicam, sed ad logicum spectant; logica enim solúm sunt regulę dirigentes in modum sciendi fundatæ in demonstrationibus evidentibus, qualiter non sunt tales actus.

119. Obj. 11. Logica fuit experientia comperta: Ergo non est scientia. Probo consequentiam; est fallibilis, iuxta illud Hypocrat. Aphorismorum 1. lib. 1. *Ars longa, vita brevis, occasio præceps, experimentum fallax, iudiciū difficile*: Ergo cúm logica experientia nitatur, nititur motivo, & fundamento fallibili, vnde nec erit infallibilis, nec scientia.

120. Hoc argumentum destruit omnem scientiam adquisitam, cum omnis experientia fuerit adquisita. Ego solúm defendo, logicam esse scientiam, sicut sunt reliquæ aliæ, Physica, Metaphysica, &c. Hoc pro solutione sufficeret.

121. Respondeo. Logicam, eiusque regulas non fundari, & niti experientia, rientia, vt in motivo assentiendi proprijs obiectis, sed tantum se habere experientiam respectu logicæ, vt occasionem inveniendi motiva assensus, quæ quidem sunt prima principi, lumine naturæ nota: pro quo scias; primos logicæ inventores aliquas definitiones v.g. elicuisse rectas, alias verò irrectas, cum ergo reflexè quærerent rationem rectitudinis illarum, & irrectitudinis istarum, ex diutina indagatione invenerunt, hoc provenire ex eo, quod illæ essentiam rei explicabant, erantque clariores suo definito; istæ que neutiquam. Ex tunc ergo statuerunt, *Omnem definitionem debere essentiam rei explicare. Esse clariorem suo definito*, sed tunc tales regulæ adhuc scientia non erant; quia solúm experientia ducti illas statuerant. Cum autem ita viderint homines acri, & vivaci ingenio pollentes, & frequenter rogarentur á discipulis, quos illas regulas edocebant, cur definitio, vt sit recta debeat explicare essentiam rei? Esse clariorem suo definito? Hoc motivum tamquam vltimum fundamentum invenerunt, quia lumine naturæ certum, & notum est, omnem rectam explicationem alicuius termini debere manifestare essentiam rei, explicare, & esse clariorem re explicata, & sic similiter de alijs regulis.

122. En motivum, & fundamentum est principium infallibile, non vero experientia, licet hæc fuerit occasio inveniendi tale motivum; non enim officit occasio, & applicatio fallibilis infallibilitati motivi applicati, & actus assentientis: sic propositio Ecclesiæ, vel Parochi, & miracula, quæ fallibilia sunt, applicantque occasionaliter authoritatem Divinam revelantem, quę est motivum intrinsecum actus fidei, neutiquam officiunt nec infallibilitati authoritatis Divinæ applicatæ, nec actus assentientis ob talem authoritatem Divinam applicatam.

123. Nec vsu huius exempli ad præsentem materiam explicandam propinatur (vt ita dicam) gravissima difficultas motivi fidei; nam hæc difficultas motivi non stat in eo, quod propositio Ecclesię, & reliqua motiva credibilitatis sint quasi applicatio motivi intrinseci actus fidei, quin á tali actu attingantur; inquo solum vtimur hoc exemplo, ad hoc vt licet experientia sit applicatio occasionalis principiorum, hæc, & non experientia ipsa, sit motivum regularum logicalium. Sed tota difficultas stat in eo, quod Authoritas Divina non clarè proposita, nec evidenter cognita, sed solúm proposita ab Authoritate Ecclesię, vel Parochi metaphysicê fallibili, sit motivum actus fidei certi, & infallibilis. Quod quidem non evenit in logica; nam propositis per experientiam motivis, scilicet principij, cum hæc sint evidentia, & per se nota, cessat intellectus, & rapitur necessario ad assensum firmum.

124. Si vis, vtere exemplo impulsus; obiectum impulsivum non est motivum actus, sed extrinsecè impellit intellectum, qui ob propria motiva in suum obiectum tendit; similiter experientia extrinsecè impellit ad elicientiam illius actus: v. g. *Definitio latiús patet quolibet membro dividente*; quia totum est maius sua parte.

125. Replicas primo deficiente experientia; logica deficeret: Ergo tota, quanta est, nititur experientiæ.

126. Respondeo, deficiente experientia, logicam deficere, non immediatè; & formaliter, sed mediatè, & occasionaliter; quia scilicet deficiente experientia, deficeret occasio inveniendi motiva regularum logicalium; sicut deficiente propositione Ecclesiæ applicante authoritatem Divinam revelantem, regulariter deficeret fides, non ex defectu motivi, sed ex defectu applicationis; & deficiente impulsu deficeret;

actus, ad quem impellitur voluntas.

127. Replicabis ſecundò, & quidem difficulter: Licet combuſtio ignis dependeat á virtute cõbuſtiva infallibili quia tamẽ etiã ab approximatione fallibili dependet, combuſtio abſolutè fallibilis, & defectibilis eſt: Ergo etiam ſi veritas regularum dependeat á primis principijs, quę infallibilia ſunt: Cum etiam ab experientia dependeat, quæ fallibilis eſt, etiam ipſa veritas illarum erit fallibilis.

128. Retorque in actu fidei, qui dependet vt á conditione applicante à propoſitione Eccleſiæ, &c. Abſolutè fallibili;ergo eſt illo fallibilis erit.

129. Reſpondeo aſsignando diſparitatem inter combuſtionem, & veritatem regularum; combuſtio, vt ſit, dependet ab approximatione; nam ignis ſolùm vt applicatus comburit; at veritas, & infallibillitas regulæ, vt ſit non dependet ab experientia licet ab ea dependeat, vt cognoſcatur: Vnde quoad *cognoſci*, vel non *cognoſci*, erit contingens, & dependens ab experientia veritas regulæ, non verò quoad *eſſe*; nam etiam ſi non cognoſcatur reflexè veritas infallibilis illius regulæ: *Diviſio latiùs patet, &c.* Eſſe tam infallibilis.

130. Obj. 12. & ſimul replicabis: adhuc circa illa principia, quę à nobis vt motivum regularum apponuntur, poteſt dari in intellectu aliqua ſuſpitio, & dubitatio circa eorum veritatem, & infallibilitatem; nam licet poſt diutinum vſum, & experientiam ſemper Doctoribus viſa ſint evidentia, poteſt aliquid latere, quo falſificentur; quod enim principium plus authoritatis ſibi adquiſivit, quam illud, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe*, & tamen defacto vel falſificatum fuit in Divinis, vel ſaltem immutatum, ita vt de eius veritate diſputetur; quod enim vni evenit, cur alijs evenire non poterit? Hoc argumentum ſufficit, vt intellectus ſemper dubius prudenter ſegerat: Ergo vt logica non ſit ſcientia; quia ſcientia omnia Dubitationem, & ſuſpitionem debet excludere.

131. Sæpe dixi, me non intendere, logicam pretioſiorem, nec ſcientiorem facere reliquis ſcientijs ita â Doctoribus compellatis; cum autem in omniũ ſcientiarum principijs, hæc ſuſpitio, & formido poſsit reperiri, & tamen abſolutè compellentur ſcientiæ á Doctoribus, dicendum cenſeo; non eſſe de ratione ſcientię huius formidinis excluſionem, ſaltem ortæ vi alicuius actus reflexi, qui ſimilem ſcrupulum circa veritatem priorum principiorum menti incutiat: Nam ſi excluſionem totius formidinis, adhuc remotę ad rationem ſcientię requiras, nulla facultas erit ſcientia, ac proinde nec logica.

132. Præterea aliqua principia, ita ſa habent, vt nec levis ſuſpitio videatur rationalis circa ipſa: Quis enim ſuſpectam habebit veritatem horum principiorum: *quodlibet eſt, vel non eſt: totum eſt maius ſua parte, &c.* illud principiũ; *quæ ſunt eadem vni tertio*: iam vidimus in Summulis, non eſſe falſificatum: non requiri certitudinem metaphyſicam, ſed ſufficere certitudinem phyſicam tenet Bonæſpei diſ. 2. logicæ diviſione 1. n. 65

133. Objic. 13. Contra ſecundam partem cõcluſionis. Obiectum ſcientiæ debet eſſe infallibile: ſed obiectum logicæ topicæ non eſt infallibile, cum ſit materia probabilis: ergo non eſt obiectum ſcientię: ergo nec logica topica erit ſcientia.

134. Confirmatur. Scientia nequit eſſe directiva erroris: ergo nec opinionis. Probatur conſequentia; quia ſcientię, vtpotè certæ, & evidenti non minus opponitur incertitudo opinionis, quam falſitas erroris: ergo pars topica, quæ directiva eſt opinionis, non erit ſcientia.

135. Reſpondeo ad argumentum. Diſtinguo maiorem: obiectum ſcientię

debet eſſe infallibile, id eſt, infallibiliter cognitum á ſcientia; concedo: id eſt, debet eſſe infallibile ſecundum ſe; nego; iam in noſtris probationibus diximus, fallibilitatem obiecti non refundere fallibilitatẽ in actus: ſic Deus infallibili cognitione attingit opiniones, & errores hominum fallibiles.

136. Ad confirmationem, diſtinguo antecedens; nequit eſſe directiva erroris vitandi; nego antecedens: efficiẽdi; concedo antecedens. De hoc etiam iam ſupra: Et nego conſequentiam; quia cûm munus ſcientię practicæ ſit docere intellectum in ordine ad actus, qui intellectum doctrinaliter perficiant, & actus opinativi illum ita perficiant, non tamen errores, poterit logica intellectum dirigere ad actus opinativos efformandos, non verò ad errores. Nec quando opinio re ipſa falſa eſt, inficit intellectum; quia ſicut moraliter opinio non inficit conſcientiam, quia qui probabiliter operatur, prudenter operatur, ita nec inficit doctrinaliter intellectum, quia qui probabiliter diſcurrit, ſecundum rectam rationem diſcurrit.

137. Ad implicitam probationem, quæ certé tranſit á ſenſu formali ad obiectivum, & vtrumque confundit, dico, ad ſummum oppinionẽ opponi conſtitutive ſcientiæ, non verò obiectivê; ſicut lapis opponitur cõſtitutivè, nõ vero obiectivè cognitioni hoc eſt lapis nequit idẽtificari cũ cognitione, vtpote naturæ oppoſitæ, at poteſt eſſe obiectũ ipſius; ita opinio opponetur cõſtitutivè ſcientiæ; hoc eſt, nõ poterit identificari cum ſcientia; quia hæc eſt certa, & illa incerta, non verò obiectivè; hoc eſt, opinio poterit eſſe obiectum ſcientiæ, circa illã ſcientifico modo diſcurrentis; quin hoc rationi ſcientiæ officiat, vt iam vidimus.

138. Objic. 14. Aliquæ regulæ, ſeu principia logicæ falſificantur: ergo ſaltem quoad ea, non erit ſcientia: Probo antecedens: hoc principium; *Ex evidentibus, & neceſſarijs generatur ſcientia*, falſificatur in duplici ſyllogiſmo iam aſſignando: primo in *Barbara*; omne *ſecundum* immediatè ſequitur poſt *primum*: ſed omne *tertium* immediatè ſequitur poſt *ſecundum* ergo omne *tertium* immediatè ſequitur poſt *primum*. En vbi ex præmiſsis certis, & evidentibus bené diſpoſitis non oritur ſcientia, ſed error. Secundus ſyllogiſmus apponitur á Caramuel in *Darapti*: Omnis Aritmehticus ſcit numerare: ſed omnis Aritmethicus eſt homo: ergo aliquis homo ſcit numerare. En ex præmiſsis neceſſarijs, & evidentibus non oritur *neceſſarium*, ſed *contingens*; nõ *ſcientia*, ſed *opinio*; nã cõtingẽs eſt quod aliquis homo ſciat numerare.

139. Reſp. Nego antecedens; ad primum ſyllogiſmum ſatis difficilem, & involuntum, Reſpondetur, non eſſe in forma; habet enim quatuor terminos: in eius expoſitione hoc clareſcẽt; ita exponitur: omnis numerus *ſecundus* eſt numerus immediatus poſt *primum*; ſed omnis numerus *tertius* eſt numerus immediatus poſt *ſecundum*; ergo omnis numerus *tertius* eſt numerus immediatus poſt *primum*: en quatuor terminos: *Omnis numerus ſecundus* eſt primus; *numerus immediatus poſt primum* eſt ſecundus; omnis *numerus tertius* eſt tertius; *numerus immediatus poſt ſecundum*; eſt quartus: Quid ergo mirum, quod non inferatur conſequens; in ſuper in eo mutatur medium: Nam cum ſit in prima figura, medium deberet eſſe ſubiectum in maiori, & prædicatum in minori, ſubiectum ergo maioris eſt ly *omnis numerus, ſecundus*, prędicatum ergo minoris eſt, *numerus immediatus poſt ſecundum*: Eſtne idem *numerus ſecundus, & numerus immediatus poſt ſecundum*? Neutiquam: Ergo non ſervatur idem medium; ita enim deberet diſponi vt eſſet in forma: *Omnis numerus ſecundus eſt numerus immediatus poſt primum: Sed omnis numerus*

tertius est numerus secundus: ergo omnis numerus tertius est numerus immediatus post primum. Et sic minor est evidenter falsa.

140. Totum enim equivocum stat in eo, quod in maiori illa, *omne secundum* immediatè sequitur *post primum*: *Ly secundum* ponitur in recto: In minori vero illa: *Sed omne tertium immediate sequitur post secundum, ly secundum* ponitur in obliquo. Vnde variatur sensus, & æquivalet syllogismo illi à me posito; non enim servatur forma apponendo vt cumque medium in minori, sed apponendo illud vt identificatum cum subiecto minoris, vt patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Sed Petrus est homo*: Ergo *Petrus est animal*, vbi ly *homo*, quod est medium in minori, ponitur, vt identificatus cum *Petro*, qui est subiectum illius, at in syllogismo nobis opposito: *Omne secundum immediatè sequitur post primum*: Sed *omne tertium immediatè sequitur post secundum*: Ergo ly *secundum*, quod est medium, in minori, non apponitur, vt quid identificatum cum *tertio*, quod est subiectum, sed solum ponitur, vt quid suppositum ad tertium.

41. Ad secundum syllogismum Respondetur. Medium illius variare suppositionem, & appellationem; nam medium in maiori supponit pro subiecto formali; id namque, quod se habet de formali, vt homo sciat numerare, & vt illi sit necessarium tale prædicatum, nō est tā *ratio hominis*, quā *ratio Aritmethici* & sensus illius propositionis maioris est: *homini in quantum Arithmethico convenit necessario hoc, quod est, scire numerare*; in minori verò appellat supramateriale, quia Arithmeticus non ratione Aritmethici est *homo*, & id, quod principaliter se habet, vt homini Aritmethico conveniat prædicatum hominis, non est ratio Aritmethici, illud ergo principiū *Ex necessarijs sequitur necessarium*, debet intelligi, si servetur eadem suppositio, & appellatio; sensus maioris est reduplicativus, sic: *Omnis Arithmethicus, qua Arithmethicus, scit numerare*; quia subiecta sunt qualia indicantur á prædicatis. Vnde vt in minori eadem appellatio servaretur, deberet fieri reduplicatio sic: *Sed omnis Arithmeticus, qua Arithmeticus est homo*, & ita, falsa esset; nam licet omnis Arithmeticus sit *homo*, attamen non qua Arithmeticus est *homo*, hoc est, homo non constituitur in esse hominis per hoc, quod est, esse Arithmeticum.

142. Objic. Duos etiam syllogismos contra Partem topicam ad falsificandum, scilicet illud principium, in quo fundatur, scilicet. *Ex probabilibus sequitur probabile*. Primus sit: Si *daretur infinitum in actu, iste, quem colimus, non esset Deus: Sed datur infinitum in actu*: ergo iste, *quem colimus non est Deus*, en duplex, præmissa probabilis: *maiorem* tenent, qui defendunt; repugnare infinitum in actu; *minorem*, qui contrarium tuentur, & consequentia improbabilis. Secundus in Camestres. *omne animal habet sanguinem informatum anima: nullus homo habet sanguinem informatum animal: ergo nullus homo est animal.* Maiorem tenent, qui probabiliter defendunt, sanguinem vivere, minorem, qui probabiliter tenent, *non vivere*: consequentia est improbabilis: huiusce farinæ syllogismos vide apud Patrem Ioannes de Cardenas in Caramuel lib. 1. tract. 1. disp. 7. cap. 2.

143. Respondeo cum Caramuel, imo re ipsa cum ipso Cardenas, Principium ita debere intellegi: Ex *probabilibus, & comprobabilibus sequitur probabile*, non verò ex probabilibus in comprobabilibus, qualiter se habent duplicis syllogismi propositi præmissę. Quid autem sit, propositioones esse comprobabiles, optimè ipse Cardenas num. 7. Propositiones comprobabiles sunt, quæ ita probabiles sunt absolutè, vt sint inter se composibiles, sive sint incompossibiles

possibiles ratione sui, sive ratione alterius veritatis evidentis, aut certę. Quare si non asseras cum Caramuel, omnes propositiones assertas á Theologis esse modales de modo scilicet probabile, sed teneas, esse absolutas, vt fere omnes dicunt, poterit substineri explicatio comprobabilitatis assignata ab ipso Caramuel; illas scilicet propositiones dici comprab biles, & composibiles, quę ab vno, eodemque *Doctore* defendi possunt.

144. Vnde ad vtrumque syllogismum propositum respondetur, præmissas illas esse absolute probabiles, sed non comprobabiles; quia inter se non sunt composibiles, neque ab eodem *Doctore* simul defensabiles: Qui asserunt, posibile esse infinitum in actu, negant maiorem primi syllogismi; qui illud reijciunt, negant minorem, & similiter hoc modo responde alteri, & alijs syllogismis, qui eodem modo efformari possunt.

145. Replicas primo. Ex consortio alicuius propositionis non aufertur probabilitas alterius; nam probabilitas est prædicatum intrinsecum, & essentiale, & ex aduentu alterius non immutatur; ergo si illę propositiones vtriusque syllogismi absolutè sunt probabiles, etiam in consortio erunt probabiles: ergo & comprobabiles.

146. Resp. Certum esse, quod propositiones, quæ semel probabiles sunt, pręscisse ex consortio, & adventu alterius non redduntur improbabiles eo modo, quo semel probabiles fuerunt, scilicet absolutè. Vnde simul sunt probabiles absolutè in illo syllogismo, simultaneitate so tenente ex parte probabilitatis; hoc tamen non facit, illas propositiones esse comprobabiles, seu composibiles; quia numquam comprobabiles, & composibiles. *E*xemplo res clarescet: Potest aliquis dicere ex varia Doctorum opinione, probabile esse decem argenteos esse materiam parvam furti, & etiam probabile esse, non esse materiam parvam furti: en simul probabiles duæ propositiones oppositæ, simultate probabilitates, quin ex hoc inferatur comprobabilitas vtriusque propositionis, nec posse aliquem ita proferre; probabile est, hęc duo componi posse, decem argenteos esse materiam parvam, & non esse materiam parvam furti, quod quidem repugnat; quia in hac propositione asseritur comprobabilitas, & composibilitas vtriusque, & non solùm asseritur esse simul probabiles absolutê, sed etiam esse comprobabiles, & composibiles: hoc est, ex vtraque propositione nequit componi vnum antecedens, quod sit motivum vnius conclusionis probabilis.

147. Resplicas secundo: Ex comprobabilibus sequitur conclusio improbabilis: Ergo nulla est solutio: Probatur antecedens hoc syllogismo á Patre Cardenas allato, disp. 8. n. 6. cap. 3. Nulla lex ecclesiastica obligat Pueros etiam rationis capaces ante septennium (hanc tenent Ioannes Sanchez Diana. Castro Palao tom. 1. tract. 3. disp. 1. puncto 24. n. 3.) sed hęc lex, quod nemo non ieiunus accipiat Eucharistiam, est lex Ecclesiast ca: Ergo hæc lex, quod nemo non ieiunus accipiat Eucharistiam, non obligat Puerum ante septenium etiam rationis capacem: Ergo poterit accedere non ieiunus ad Eucharistiam: Quod absurdum ex probabilibus comprobalibus infertur ergo.

148. Respondeo: Maiorem syllogismi (idem dic de alijs, ex quibus aliquis error infertur) ita vniversaliter prolatam esse omnino falsam, cum in se hanc falsitatem contineat. Authores ergo illam vt probabilem defensantes non loquuntur, nec loqui queunt, illa tota vniversalitate; vnde ita illam distingue; nulla lex Ecclesiastica obligat

Puerum, si ipse nil efficiat, ratione cuius maneat obligatus; concedo: Si efficiat aliquid, ratione cuius maneat obligatus; nego: Puer ante septenium non tenetur communicare, sed si vult communicare per ipsam actionem communicandi obligatur, vt ieiunus accedat; quia per talem actionem se subijcit iugo Ecclesiæ, sicut nemo tenetur Prælato Religioso obedire absolute; tenetur tamen si vota Religionis emittat; quia vi illorum votorum se obedientiæ submittit. Similiter nemo tenetur absolutè alium hæredem instituere, tenetur tamen, si illum adoptaverit in filium. Et ratio à priori est; quia intentio efficax finis boni est electio mediorum, sine quibus finis est malus. Vnde si media sunt sub præcepto, qui liberè efficaciter intendit finem bonum, tenetur eligere ex præcepto medium, sine quo finis est malus: Sed medium vt acceptio Eucharistiæ sit bona, est accedere *ieiunus* ad eam, hoc que medium cadit sub præcepto Ecclesiæ: Ergo qui se libere determinat ad accipiendam Eucharistiam, sub præcepto tenetur accedere *ieiunus*.

149. Rogas: quid dicendum sit de logica reduplicativê vt docente, & vtente? Pater Quiros, & alij Recentes negant de vtraque, esse scientiam adhuc facta reduplicatione supra rationes specificas logicæ *docentis* vt *logica docens est* & vtentis, vt *logica vtens* est: Sic tract. 2. part. 2. sect. 2. num. 15. & 16. Murcia, & Valius negant de *docente*, & affirmant *de vtente*. Pater Arriaga affirmat de docente, & negat de vtente: ita etiam Mag. Linz. 2. p. q. 1. art. 8. n. 7. & 7.

150. Ego vero cum distinctione loquar. Dico: *Logicam* vt *docentem* & *vtentem* non esse scientiam, si reduplicatio fiat supra *docens* vt *docens*, & *supra vtens* vt *vtens* præscindendo á modo docendi, & vtendi logicè; quia plures artes mecanicæ docent, & vtuntur, & non sunt scientiæ; potentiæ etiam suis instrumentis vtuntur, & scientiæ non sunt: ergo salvatur tota ratio *docens*, & *vtentis* sine conceptu scientiæ.

151. Confirmatur. Ideo homo, in quantum animal, facta reduplicatione supra rationem animalis præscisivam á rationali, non est homo; quia reperitur tota ratio animalis in bruto, quod homo non est: Sed conceptus *docentis*, & *vtentis* reperiuntur in facultatibus, quæ scientiæ non sunt: ergo logica vt *docens*, & *vt vtens* reduplicativè, facta reduplicatione supra *docens*, & *vtens*, non *erit* scientia.

152. At si specificativè sumatur, vel fiat reduplicatio supra logicam etiam, ita logica docens *vt logica docens* est. Logica *vtens* vt *logica vtens est*. Tam vt *docens*, quam vt *vtens* est scientia; quia logica *docens* scientificè procedit in directione intellectus, vt efformet divisionem, definitionem, & argumentationem; & logica vtens per nos, sunt actus proprij logicales, in quibus exercetur aliqua regula ipsius logicæ, v.g. *divisio est modus sciendi totum in partes distribuens*, &c. atqui similes actus sunt scientia: ergo logica vtens, vt logica vtens est, erit scientia.

153. Objic. 1. Ex Patre Quiroz: Logica pro vt est docens dirigit, pro vt est scientia, discurrit, & docet, syllogismum cognoscere, reddens rationem suæ bonitatis; Item cognoscere essentiam definitionis, dicens *definitio est clarior definito*; quia est modus sciendi; provt est docens, non reddit rationem, sed solum dirigit, dicens: *Definitio clarior est suo definito*: insuper pro vt est *scientia* est cognitio illativa, hoc est, per demonstrationem adquisita; sed provt illativa non dirigit, sed solum attingit speculativè præmissas: ergo provt docens non est scientia.

154. Argumentum potius probat rationem, & latius postea.

155. Respondeo ad primum; logicam provt docentem reduplicativè solûm dirigere; quia *docere vt docere* præscindit á *discurrere* reddendo rationem, vel non *discurrere*; at vero specificativè, vel facta reduplicatione supra taliter docere logicæ, & dirigit, & discurrit demonstrativè, & cognoscit essentiam, & dirigit intellectum ad eius effectionem; Ad secundum eodem modo dico, logicam vt illativam absolutè non dirigere, dirigere tamen provt logicaliter vel taliter illativam.

156. Obj. 2. *docere, & vti logicé* adhuc non est *docere*, & *vti scientifice*, cum dentur in logica plures actus probabiles, qui docent & vtuntur logicè, & non sunt scientifici.

157. Respondeo; iam supra me dixisse tales actus non ad logicam, sed ad logicos pertinere vnde nec docent, nec vtuntur logicè.

SECT. V.

DE NATURA PRACTICA VEL speculativa.

158. IN hac materia tot quæstiones invenies, quot voces, omnesque purè de nomine, de his sigillatim agemus.

SVBSECT. I.

QVID SIT PRAXIS, ET QVIBUS operibus conveniat.

159. PRaxis est idem, ac operatio; deducitur enim á verbo Græco *Prato*, cui correspondet Latino idiomate verbum *ago, agis*. Vnde definitur: *Opus factum vel factibilis ex directione cognitionis practicæ*. Ita communiter Doctores. Hoc súpposito, inquiritur quibus actibus possit applicari hæc vox *praxis*?

160. Prima sententia asserit, hanc vocem adaptari non posse actibus intellectus: Ita Scotus, & cum eo omnes Scotistæ, & plures Thomistæ, complutenses, Philipus á Sanctissima Trinitate, & Ioannes á Sancto Thoma quæst. 1. logicæ art. 4. accedit Imiglesius.

161. Secunda sententia ex opposito asserit, talem vocem non posse applicari, nisi actibus intellectus: Ita Durandus, quæst. 6. prolegom. n. 5. Bachonius quæst. 4. art. 2. & 3.

162. Tertia sententia defendit, hanc vocem convenire tam actibus intellectus, quam voluntatis: Ita omnes nostri apud Linceum 6. metaphys. tract 5. cap. 3. & Peinadum tract. 1 procemialium disp. 1. sect. 3. n. 41. quibus accedit Caramuel n. 206. & P. Nic. de Olea d. 53. n. 2.

163. Dico primo ratio praxis potest adaptari actibus intellectus. Probatur primo ex eodem Scoto 6. metaph. quæst. 1. vbi ad primum argumentum: *De logica dici potest quod logica sit practica, quia non est tantum propter scire proprium, sed propter scire directum in aliquo actu; quia intellectus in actu secundo discursivus potest errare, indigetque actu directivo*. Tum sic: logica à parte rei potest dici practica respectu actus intellectus, quem, quia potest errare, dirigit ad actus: Ergo tales actus erunt *praxis*.

164. Probatur secundo ex Angelico Præceptore, qui 1. 2. quæst. 17. art. 6. expressè tenet actum intellectus reflexè imperatum, seu quod idem est, directum ab alio actu eiusdem intellectus esse *praxim*.

163. Probatur tertio ratione: Actus intellectus potest fieri ex directione alte-

alterius actus: Ergo potest esse *praxis*. Prob. antecedens: Defintio hominis est actus intellectus, sed potest fieri, immò de facto fit, ex directione huius regulæ logicalis: Definitio debet constare ratione comuni, & differentiali: Ergo.

166. Confirmatur primo. Talis regula non sistit in mera contemplatione actus regulati, cum vlteriùs ad eius effectionem dirigat: Ergo non est speculativa: Ergo est practica: Ergo talis actus directus est *praxis*.

167. Confirmatur secundo: Prudentia versatur circa actus intullectus, & voluntatis, non minus enim dirigit hos, quam illos: Sed actus voluntatis sunt praxis respectu prudentiæ dirigentis: Ergo & actus intellectus erunt *praxis*.

108. Confirmatur tertio: Ideo actus alterius potentiæ ab intellectu est praxis; quia est dirigibilis ab actu intellectus (sic contra Baconium arguunt Scotistæ) sed etiam actus intellectus sunt dirigibiles ab alijs actibus intellectus: Ergo.

169. Respondent Scotistę, non ideo tantum actus alterius potentiæ esse praxim, quia sunt dirigibiles, sed quia sunt dirigibiles, & alterius potentiæ ab intellectu.

170. Pulchra petitio principij: cõtendit argumentum, actus intellectus esse praxim, sicut actum voluntatis, cum vtrique definitio praxis conveniat, & respondent, actum intellectus non esse praxim, sicut actum voluntatis, quia ille est actus intellectus, et hic est actus voluntatis: Idem respondebit ad Schotistarum argumenta Bachonius: scilicet actum voluntatis non esse praxim; quia est actus voluntatis. Constet ergo, hoc omninò voluntariè responderi.

171. Objic. 1. Aristotelicum proloquium, scilicet *Intellectus extensione fit practicus*: ergo debet extendi intellectus ad actus alterius potentiæ, vt sit practicus; ergo solúm actus alterius potentię, ad quam se extendit, erunt *praxis*.

172. Patres Connimbric. Rubius, Hurtadus, & alij asserunt, tale proloquium non esse Aristotelicum, nec in eius operibus inveniri; eo tamem admisso, respondetur; intellectum extensione ad operationem, hoc est, non sistendo in mera contemplatione actus, sed vlterius dirigentem ad eius effectionem, fieri practicum, sed potest intra suos limites, et proprios actus ita dirigere: ergo poterit respectu suorum actuum esse Practicus.

173. Objic. 2. Omnis actus intellectus est speculatio, cum sit imago, seu speculum obiecti: ergo non est praxis; quia praxis, & speculatio opponuntur.

174. Retorqueo: ergo nec respectu actus alterius potentiæ erit intellectus practicus, cum omnis actus intellectus sit speculatio, seu speculum obiecti, & speculatio, & ratio praxis opponuntur.

175. Respondeo; omnem actum intellectus esse speculationem, hoc est, repræsentationem sui obiecti; sed speculatio sumpta pro repræsentatione est indifferens ad actus speculativos, & practicos; nam est quædam lata speculatio; nec sumitur pro sistentia purá in obiecto, quin vlterius dirigat intellectum ad eius operationem. Noto, argumentum confundere speculationem cum obiecto speculabili, seu obiecto actus speculativi: eademmet cognitio potest esse speculatio respectu sui obiecti, & praxis respectu actus eam dirigentis, vt patet in hac definitione hominis, *animal Rationale*, quæ est speculatio essentiæ hominis, & praxis respectu regulæ logicalis eam dirigentis; ergo etiam si omnis cognitio esset speculatio, posset alicui adaptari ratio praxis.

176. Objic. 3. Omnis actus, qui sistit in contemplatione est speculativus: Sed omnis actus, qui dirigit operationem mentis, sistit in contemplatione; ergo est speculativus. Probatur minor. Talis actus sistit in operatione mentis, cum extra suum obiectum nequeat divagari; sed omnis operatio mentis est contemplatio sui obiecti; ergo sistit in contemplatione.

177. Æquivocum argumentum; illud sic retorque: ergo cognitiones de Deo, & Astrologia non sunt speculativæ: patet consequentia: *Deus*, & *Astra* non sunt speculatio, cum non sint actus intellectus, ergo cognitiones terminatæ ad Deum, & ad Astra non sunt speculativæ, cum non sistant in contemplatione.

178. Resp. Distinguo maiorem; omnis actus qui sistit in contemplatione, hoc est, qui tendit modo purè contemplativo, concedo; hoc est, qui habet pro obiecto actum intellectus, qui alias est contemplatio; nego. Aliud est sistere in contemplatione obiectivá, hoc est habere, pro obiecto contemplationem, & aliud sistere in contemplatione ex parte modi tendendi actus, hoc est, non dirigendo; primum enim optimè compatitur cum actu practico directivo talis contemplationis, seu cognitionis, & ita se habet logica respectu actuum intellectus. Secundum verò est quod constituit actum in esse contemplationis, & speculativi. Advertas, quod cum dicimus, actum speculativum sistere in contemplatione obiecti, non intendimus significare, talem actum cognoscere contemplationem vt obiectum; nam hęc contemplatio est modus tendendi ipsius actus speculativi, quod ab eo reflexè non cognoscitur; sed solúm talem actum ita tendere, vt vlteriùs nõ progrediatur ad opus.

179. Dico secundò; actibus aliarum potentiarum ab intellectu hæc vox *praxis* adaptari potest. Probatur primò. Ideo actibus intellectus adaptatur, quia sunt dirigibiles, & operabiles: Sed actus voluntatis aliarumque potentiarum sunt similiter dirigibiles, vt patet in actibus moralibus, qui â prudentia diriguntur, & etiam in actibus aliarum potentiarum, qui diriguntur ab artibus; ergo. Probatur 2. Hæc voluntaria opinio destruit rationem artis mecanicæ, quæ est essentialiter operativa, ac proinde practica; ergo & eius obiectum erit praxis: sed obiectum artis mecanicæ sunt opera externa; ergo & his convenit Ratio praxis.

180. Objic. 1. Praxis debet produci effectivè ab habitu scientifico: sed solúm actus intellectus, non vero voluntatis, & aliarum potentiarum, effectivè producuntur ab habitu scientifico; ergo.

181. Resp. Nego maiorem; nam licet omnis effectivus concursus esset practicus, etiam directivus practicus est, quem quidem concursum directivum habent regulæ respectu actuum regulatorum, cognitionesque respectu actuum voluntatis, & aliarum potentiarum; ideoque artes mecanicæ practicæ dicuntur respectu actuum externorum. Nota primo, quod cum habitus non sint cognoscitivi, nec practici, nec speculativi possunt apellari propriè, sed solum denominativè ab actibus, á quibus producũtur, & quos producunt. Noto secundò, habitum definitionis v.g. non concurrere effectivè ad definitiones particulares, sed solum ad regulam dirigentem tales definitiones.

182. Objic. 2. Praxis, & speculatio sunt correlativa: Sed speculatio est tantum actus intellectus: ergo & praxis.

183. Resp Nego maiorem: speculatio namque est correlativa actus practici, & vtraque denominatio ad intellectum tantummodo pertinet: Correlativum ergo praxis est speculabile, quæ denominationes ad obiecta actuum intellectus pertinent: ergo & ad actus alia-

aliarum potentiarum ab intellectu.

SVBSECTIO II.

ALIQVIBVS DVBIjs CIRCA praxim satisfaciens.

184. DVbium primum : Vtrum ad rationem praxis requiratur libertas? Thomistę,& Scotistæ requirunt communiter ad praxim libertatem moralem:aliter omnes Nostri iudicant, quos secutus.

185. *D*ico primò. Ad praxim non requiritur libertas : aliud est opus esse rectum moraliter in ordine ad meritum, & aliud esse artificialiter rectum ex conformitate cum regulis artis:vtraque rectitudo omnino impertinenter se habet:vnde potest esse actus rectus artificialiter,&moraliter irrectus,& ècòtra. v. g. potest quis ex fine pravo aliquam imaginem pingere , conformandose regulis artis; item potest alius ex fine honesto aliam imaginem efformare nullatenus iuxta regulis artis: Prima operatio esset recta artificiosè , & irrecta moraliter. Secunda esset recta moraliter, & irrecte artificiose: Ergo vtraque rectitudo omnino impertinenter se habet; libertas ergo ad rectitudinem moralem requiritur, non vero ad artificialem: Sed ad hoc , vt aliquid sit praxis sufficit, quod sit opus ex regulis directum: Ergo vt sit praxis, non requiritur libertas. Insuper in dormientibus , & amentibus non datur libertas moralis: Sed negari nequit, eos posse plura opera artificiosè elicere, syllogismos v. g. iuxta Regulas logicę, Carmina iuxta Poeseos , vt de quodam dormiente se audivisse,meminit sapientissimus Pater Eusebius Nerember. lib. 2. Philosophiæ naturalis, quibus operibus negare denominationem praxis, omnino voluntarium esset: Ergo sine libertate morali dari potest tota ratio *praxis*.

186. *D*ico secundo. Ad rationem praxis non requiritur libertas contradictionis, hoc est, quod possit poni , vel non poni. Probatur.Iuxta plurium sententiam, visio beata est practica respectu amoris bartifici, & hic est praxis, saltem respectu actus proponentis modum,quo amandus est Deus : sed talis amor non est liber libertate contradictionis,est enim ita necessarius, vt omitti non possit:ergo.Insuper:si Deus(vt falsò tenuit Aristoteles)necessario conderet vniversum, cognitio dirigens *D*eum ad eius effectionem esset practica, & talis effectio omitti nequiret. Item opera pręcepta Christo Domino , mors præcipué,non poterat á Christo *D*omino omitti , & tamen erant praxis respectu cognitionum , ea dirigentium. Denique productio Verbi Divini respectu Patris,& productio Spiritus Sācti respectu Patris,& Filij,iuxta gravissimos *D*octores,Arriaga , Alarcon, Peñafiel,& alios,rationem praxis participant,& tamen omitti nequeunt. Ratio à priori est;quia licet obiectum necessario fiat,vel producatur, potest circa ipsum dari aliqua cognitio dictans modum ,quo producendum sit : ergo tale obiectum erit praxis respectu illius, & talis cognitio practica.

187. Dico tertiò.Nec libertas contrarietatis ad rationem praxis requiritur,hoc est,non requiritur, quod detur in agente indifferentia,vt bene, vel male, Rectè, vel irrectè , operetur ; eisdem rationibus,& exemplis probatur,quibus conclusio antecedens probata fuit.Insuper hoc evidenter concipitur in dictamine prudentiæ Christi *D*omini eius opera dirigente , & in scientia *D*ei in productione creaturarum, quod quidē dictamen,& scientia practicè se habent respectu operum, & productionis creaturarum , & tamen nec opera Christi *D*o-

mini,neque productio creaturarum, possunt bene vel male fieri,vt per se patet:ergo.

188. Ad summum enim ad praxim requiritur aliqua contingentia in agente,non vt operetur , vel non operetur neque vt operetur bene,vel male , supposita scientia practica,sed vt operetur; hoc,vel illo modo,vel vt tollat aliquā contingentiam absolutam bene , vel male operandi , quæ daretur , si talis scientia non præcederet ; nam si opus nullam haberet contingentiam , etiam quoad modum , vel quoad absolutam potentiam errandi sine tali scientia ,ad nihil deserviret regula , quę cum sit directiva,ad aliquid dirigit. Sed nec hanc contingentiam requirunt ad rationem praxis Patres Alarcon,& Arriaga tom. 1.in 1. p.disp. 18. sect. 1.n.14. defendentes,cognitionem,qua Pater Verbum producit,esse practicam , etiamsi Pater, non solùm quoad substantiam, sed etiā quoadmodum,ex natura sua, sit determinatus ad eius productionem, & ratio est;quia talis cognitio non sistit incontemplatione obiecti : ergo non est speculativa;ergo est practica. Totum hoc est puré de nomine;dic, quod volueris.

189. Obijc.1.Contra primam conclusionem:aves in nidulis efficiendis,& in cantibus,non operantur practicè:sed ideo est , quia libere non operantur: ergo.

190. Respondeo , nego minorem: sed quia ea opera ratione non diriguntur ; praxis enim, iuxta omnes philosophos,est opus per rationem dirigibile.

191. Obj.2.Cognitio , quam de nutritione habemus , non est practica; quia nutritio caret libertate : ergo hæc requiritur.

192. Omnes medici negabunt, cognitiones applicantes cibos delicatos,non sanguineos , siccos , calidos,vel frigidos , vt iuxta subiecti complexionem commodius fiat nutritio , non esse practicas: ego medicis in hoc subscribo. Sed si cognitio circa nutritionem, practica non esset, hoc non proveniret ex defectu libertatis;sed quia sisteret in cognoscenda nutritionis natura; sicut se habet cognitio animastica , quæ inquirit, quid sit nutritio?Et an per nutritionem propriè vivatur?

193. Obj.3. Contra tertiam conclusionem.Scientia practica inventa est ad pręcavendos errores: ergo obiectum scientiæ practicæ debet esse indifferens vt bene,vel male fiat:ergo ratio praxis hoc requirit.

194. Respondeo. Distinguo antecedens,ad præcavendos errores,hoc est, de essentia scientiæ practicæ est errores præcavere necessario;nego ; hoc est,inter homines ita communiter evenire solet;concedo;licet enim scientię humanę practicæ ad errores præcavendos,vitādos que discantur,& applicentur, at ex hoc non infertur,esse de essentia cuiuslibet cognitionis , & scientiæ practicæ respicere obiectum erroris capax,recipique in subiecto erroris capaci ; vt patet in prudentia, & dictamine Chisti Domini,& scientia directiva Dei.

195. Nota, quod adhuc si concedatur , scientia practicas ex se errores præcavere,non requiritur in praxi hæc libertas contraaietatis,vt bene vel male fiat,posita tali scientia;stat bene,quod sine aliqua cognitione subiectum possit errare , & quod ea posita nulla sit contingentia errandi; ideoque numero 188.dixi , ad summum scientiam practicam tollere potentiam errandi , quę daretur casu, quo ipsa non præcederet: patet in creaturarum productione, in qua si non pręcederet cognitio Divina regulans ipsum Deum , posset errare; item si Deus sine scientia media præcedente prædefiniret actum liberum voluntatis creatæ,vel eliceret decretum de conferenda gloria per media libera, communiter dicitur,imprudenter,falli-

bili-

biliterque operaturum,& tamen præcedente scientia ad productionem creaturarum, & scientia media ad prædefinitionem actus liberi, decretumque gloriæ,nulla daretur indifferentia, periculum ve errandi in Do,quod quidem sufficeret,vt scientia Divina esset practica, regulans,& dirigens Deum, adhuc admisso quod scientia practica, vt practica est, debeat absolutè errores præcavere.

196. Dubium secundum. Vtrum ad praxim requiratur, vt sit opus naturaliter operabile? Negant Salas, Alphõsus, & Arriaga: affirmant Hurtadus, Comptonus disp. 10. Logicæ sect.3. num.3.

197. Dicò: Supposita elevatione (nam si hęc non supponatur, cognitio dirigens esset imprudens) cognitio directiva operis solúm obedientialiter possibilis, esset practica, & opus esset praxis Probatur: talis cognitio non sisteret in contemplatione obiecti,sed ad eius effectionem dirigeret: ergo esset practica.

198. Confirmatur: Cognitio dirigens Sacerdotem ad producendũ Corpus Christi in Eucharistia est practica, & ipsa productio Corporis est praxis: Sed est naturaliter impossibilis, & solum obedientialiter possibilis:ergo.

199. Obj.Ergo cognitio Petri,quæ respectu Rosæ v.g.nunc est speculativa,redderetur practica, si Deus illum ad producendam rosam elevet.

200. Pater Comptonus concedit consequentiam n.6 asseritque rationem practicę tali cognitioni accidentaliter convenire: ego vero nego consequentiam; iudico enim rationem practicę esse intrinsecam actibus,vnde actus,qui semel practicus non fuit, numquam erit practicus;vnde illa cognitio Rosę, dirigens Petrum ad eius effectionem, supposita elevatione, non erit eadem, quę antea erat in Petro, sed distincta, similis tamen: sicut in sententia Patris Hurtadi defendentis; veritatem esse adæquatè intrinsecam actibus; hic actus *Petrus currit* est essentialiter distinctus,Petro currente, ab hoc *Petrus currit*,Petro non currente,licet vterque simillimus,& quoad voces idem.

201. Tertium dubium: An praxis debeat esse operabilis ab eadem persona habente cognitionem practicam, an sufficiat, quod sit operabilis ab alia ex directione habentis cognitionem?Communiter requirunt,quod praxis sit operabilis ab eodem habente cognitionem. Ita Arriaga,Comptonus,& alij.Contrarium defendunt Gregorius Ariminensis, Mairon, Patres Mirasius, Santa Cruz n.1222.Fonseca,Gilius, Quiroz Securi Sanctum Thomam in 3.dist. 14.quæst. 1.Ex instituto Doctores pro hac sententia retuli; nam cum vtraque sit denomine, supposita huius opinionis sufficienti authoritate.

202. Probatur primò. De ratione notitiæ practicæ solûm est docere, dirigere,regulare, non sistere in mera contemplatione obiecti, sed vlterius progredi ad opus:sed totum hoc datur sine physico influxu, solum cum influxu morali, & totus hic moralis influxus datur respectu operis alterius personæ ab ea,inqua est notitia practica: ergo. Minor probatur:cognitio,qua Magister discipulos docet; cognitiones quibus Angeli Custodes dirigunt homines ad operationes honestas, & externas,quibus possent aliquem docere modum saltendi,citharizandi, aliasque facultates;docent, dirigunt,regulant, non sistunt in mera obiecti contemplatione, sed vlterius progrediuntur ad opus;sed nec cognitio Magistri, neque Angeli influent physicè, sed solûm moraliter in opera discipuli, & hominum:ergo ad rationem notitię practicæ non requiritur,quod obiectum sit physicé operabile ab habente cognitionem.

Con-

203. Confirmatur primò.Prudentia dictans omissionem actus peccaminosi est practica respectu illius; sed omissio non est physicê, sed tantum moraliter operabilis, vt per se patet; cum nullum esse physicum habeat, vtpotè nihil:ergo solum cum morali operabilitate salvatur tota ratio praxis.

204. Confirmatur secundò. Ex Sancto Thoma, & Divo Bonaventura citatis á Patre Rubio disp.10. de scientia sect.6.num.9.asserentibus,scientiam Christi Domini de creandis possibilibus esse practicam, quia licet ea physicê creare non possit,sufficit,quod sit causa moralis meritoria creationis;ergo.

205. Obj.1.Plura inconvenientia, quæ sequuntur ex nostra sententia:primum,omnes scientias (vna excepta de Deo)esse practicas, cum omnes respiciant res absolutè factibiles.Secundum: cognitionem, qua quis haberet de productione Verbi, & Spiritus Sancti,esse practicam.Tertium,homo haberet notitiam practicam de Creatione Angelorum,& vnus Angelus de creatione aliorum.Quartum: Deus haberet scientiam practicam de peccato formalitêr, cum cognoscit modum, quo homines illud committunt: ergo si hæc omnia dici nequeunt,signum est, quod ad rationem praxis, & notitiæ practicæ non sufficit cognoscere rem absolutè factibilem,& modum,quo fieri potest, si factibilis nõ sit ab eodem habente cognitionem.

206. Non desunt aliqui DD, qui hæc aglomerata inconvenientia devorent,asserantque,quod quoties homines repræsentant modum, quo sua obiecta fiunt,licet fiant ab alijs, notitias practicas habent de illis;ideoque dicunt,cognitiones assignatas in argumento esse practicas, in quo,re explicata,nullum est absurdum; ego tamen, ne videar oneri,quod nulius ponderis est,secumbere.

207. Respondeo,ex dictis non inferri omnes scientias, etiam speculativas,esse practicas; nam licet respiciant obiecta re ipsa factibilia, illa solummodo contemplantur, non vero dirigunt ad eorum productionem; vnde non quævis cognitio rei factibilis est practica;sed quæ fuerit suasiva, illuminativa, aut directiva operantis in ordine ad opus,& illa,quæ fuerit sufficiens,vt cognoscens dicatur causa moralis; sicut Petrus suadens Ioanni actum peccaminosum, aut occisionem Didaci, dicitur causa moralis talis peccati, & occisionis, & vti Angelus superior inferiores dirigit,Angelique Custodes hominis.

208. Hinc cognitio homines de productione Verbi, & Spiritus Sancti, cognitio de productione Angelorum, & sic aliæ,practicæ non sunt, qui neque dirigunt,neque suadent,nec docent modum, quo producendi sunt Verbũ, & Spiritus Sanctus, & creandi sunt Angeli:similiter Deus non haberet notitiam practicam intentivam peccati, cum ad illud,nec dirigit,nec possit illud persuadere;si tamen vis dicere, cognitionem Divinam de peccato practicam esse permissivè, doctos habebis Patronos Patres Ualentia, & Ruiz apud Arriagam 1.part.disp.18.n.21.

Obj.2.Cognitio practica iuxta Aristotelem est,quę ordinatur ad opus, & est principium operis: Sed si res non sit factibilis á cognoscente, eius cognitio non ordinatur ad opus, neque est principium operis,alias ordinaretur ad impossibile sibi;ergo non est practica.

210. Respondeo, cognitionem practicam ordinari ad opus, sed non necessario faciendum ab eo, in quo est cognitio,sed vel faciendum ab eo, vel ab alio, & hoc sufficit,vt talis cognitio dicatur principium morale operis illius sufficienter,vt practica dicatur,hoc est, non sistens in contemplatione talis operis,sed vlterius suadens, & dirigens ad eius effectionem,quo sensu non est im-

pos-

sibile sibi tale opus; licet sit imposibile vt physicè producendum.

211. Obj. 3. Cognitio practica directiva illuminat, & dirigit ad opus faciendum; ergo solum erga opus faciendum à subiecto, inquo est, dici poterit cognitio practica; Probatur consequentia: cognitio solum illuminare, & dirigere potest subiectum, quod reddit intelligens; sed solum subiectum, inquo est, reddit intelligens: ergo solum subiectum, inquo est, dirigit, & illuminat: ergo.

212. Respondeo, distinguo antecedens: illuminat, & dirigit necessario se ipsam exhibendo per modum formæ; nego; vel se ipsam ita exhibendo, vel excitando ex se, ex suo fine intrinseco cognitionem in alio, qui illum formaliter dirigat ad opus; concedo: quod sufficit, vt talis cognitio non sistat incomtemplatione obiecti, & ita vt sit practica.

213: Replicab: ergo talis cognitio erit causa mediata operis. Probatur cõsequentia: illa dicitur causa mediata, inter quam, & effectum alia mediat; sed inter illam cognitionem Petri v.g. & opus faciendum á Paulo mediat cognitio Pauli: ergo est mediata: tum sic; ergo & impropria causa, sicut causa physicè mediata est impropria causa physica, Avus v.g. respectu nepotis; tum vltra: ergo & impropriè practica, cum illi ratio practici conveniat, quia convenit ratio causæ.

214. Respondeo, talem cognitionem Petri, licet excitet cognitionem Pauli, quæ Paulum illuminat, & dirigit ad opus, esse tamen propriè causam moralem operis, quin cognitio excitata officiat immediationi ipsius; quia ipsum opus, ad quod movet, attingit, & repræsentat, vt proprium, & immediatum obiectum, quod non habet causa mediata physica respectu effectus mediati, Avus v.g. respectu nepotis, quem nullo modo attingit per illam actionem, qua filium producit. Vnde advertas, talem cognitionem esse cognitionem immediatam respectu effectus, cum illum vt proprium obiectum repræsentet modo directivo; licet aliás aliquomodo dicatur causa mediata illius. Nota etiam, cognitionem mediatam operis practicam non esse, immo nec cognitionem illius; Requiritur ergo, vt aliqua cognitio dicatur practica respectu alicuius obiecti, quod sit cognitio immediata ipsius, quia cognitio practica est cognitio obiecti non sistens in eius contemplatione, & qua cognoscimus illud in ordine ad eius operationem.

215. Et licet influxus physicus productivus obiecti, non oriatur immediatè ab ipsa cognitione, neque ab habente illam, sed ab alio exsequente, attamen cum ad causam moralem omnino materialiter se habeat hic influxus physicus, tam enim est propria causa moralis peccati, qui illud suadet, immò qui suadet alteri, vt illud suadeat, quam qui illud physicè exsequitur, ille actus excitans in alterius mente cognitionem immediatè illuminativam ex fine, vt definitonem v.g. producat, dicetur propria causa moralis illius, quin illa cognitio, intermedia officiat proprietati moralis causationis, ac proinde denominationis practicæ. Quod confirmari potest exemplo artis citharizandi v.g. quæ dicitur practica respectu citharizationis, quin dirigat immediatè potentiam executivam, quæ incapax est directionis, & illuminationis, solum quia dirigit intellectum, sicut enim hæc potentiarum, directę, & exequentis diversitas non officit, quominus illa cognitio artis citharizandi, dicatur propriè practica, ita hæc diversitas personarum cognoscentis nempè, & ex sequentis non officiet, quominus illa cognitio sit practica.

SVB-

SVBSECT. III.

ALIQVIBVS DVBIjs CIRCA notitiam practicam, & speculativam sit satis.

216. PRimum dubium: an scientia speculativa procedat modo resolutorio, hoc est, reducendo conclusiones in sua principia; practica vero modo compositorio, hoc est, componendo materiam cum forma? Affirmant Thomistæ. Negant Reliqui Doctores. & meritò, primo, quia Thomistarum assertum est contra Angelicum *Doctorem* 1. part. q. 19. art. 22. in Corpore, vbi *practica scientia* ratiozinatur de operabilibus, sicut speculativa de speculabilibus: ergo iuxta Angelicũ Doctorem vtraque scientia tam practica, quam speculativa ratiozinando, seu Resolutorie ad prima principia probat suas conclusione. Secundo, quia vtraque scientia practica, & speculativa convenit in Ratione scientiæ: ergo vtraque est propriè scientia: ergo vtraque est habitus adquisitus per demonstrationem, seu demonstrativè procedit in suis actibus; cum hęc sit definitio scientiæ; sed demonstrativê *procedere* est reducere suas conclusiones ad prima principia, inquibus fundantur: ergo vtraque resolutorio modo procedit.

217. Insuper, scientiam practicam tendere modo compositorio, vel est re ipsa componere materiam cum forma, & hoc nõ; aliás nec artes mecanicæ essent practicæ; quia ita non componunt. Vel est repręsentare compositionem materię cum forma, & hoc etiam neutiquam; quia scientia simplicis intelligẽtiæ in productione Angeli est practica, & talem compositionem non respicit; & è contra phylosophia, & Astrologia respiciunt compositionem, & sunt speculativæ: ergo fictitius est talis modus compositorius, etsi aliquando Angelicus *Doctor* dixit, scientiam practicam componere, talis compositio intelligenda est pro operatione, seu effectione; idem namque sonat sępé *componere*, ac *efficere*.

218. Hinc inferes; sententiam Patris Ildephonsi de Penafiel disp. 1. logicæ, sect. 3. n. 106. asserentis, scientiam speculativam vltimo cõstitui per evidentiam obiecti, esse omnino falsam; tum quia cum vtraque scientia practica, & speculativa sit propriè scientia, vtraque debet esse evidens; tum quia potest dari aliquis actus speculativus qui non sit scientificus, sed probabilis; tum etiam, quia actus fidei Divinæ est speculativus, hoc est sistens in obiecti contemplatione, & non est scientia: ergo.

219. Nec valet dicere; actum fidei esse æquivalenter, immò & eminenter evidentem propter maximam securitatem, & infallibilitatem ei ex authoritate Divina provenientem; tum quia ex hoc solùm sequeretur, talem actum esse æquivalenter, non verò formaliter, speculativum; tum quia ex hoc solùm sequeretur, illum æquivalere actui evidenti, non qua evidens, sed qua certum; nam securitas, quam præstat, non provenit ab evidentia, sed à certitudine. Tum denique, quia excessus in perfectione non constituit rem in illa specie, quæ exceditur; cum illi non conferat prædicata constitutiva talis speciei: ergo excessus incertitudine actus fidei respectu actus evidentis non constituit illum evidentem, cum illi non conferat claritatem, quæ est constitutivum evidentiæ.

220. Dubium secundum: an cum potentia impedita per accidens ad opus detur notitia practica circa illud? Respondeo affirmativè; quia impedimen-

mentum illud per accidens non tollit potentiam absolutam: ergo nec notitiã practicam: sic claudus potest habere notitiam practicam saltationis, Mancus Cytharizationis, Cęcus lectionis, &c.

221. Dubium tertium: an differentiæ practici, & speculativi sint intrinsecæ, & essentiales actibus? Respondeo affirmativè cum P. Suarez, Arriaga, Linze, & alijs; primo; quia Aristoteles divisit actum intellectus *in intuitivum, quidditativum, abstractivum, practicum, & specculativum*: Sed reliquæ differetiæ sunt essentiales actibus: ergo & differentię practici, & speculativi. Secundo; quia practicum & speculativum sunt modi tendendi cognitionum; sed modus tendendi essentalis est cognitionibus, vt per se patet; ergo. Tertio, quia scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis sunt diversæ ex diverso modo tendendi in obiectum: sed illa tendit practicè, hęc vero speculative: ergo modus tendendi practicus, & speculativus est intrinsecus, & essentialis actibus.

222. Hinc inferes contra Patres Vasquez, Alarcon, & Erice, scientias esse practicas, vel speculativas ex fine intrinseco ipsarum, non vero ex ordinatione extrinseca cognoscentis; alias artes mecanicę essent speculativę, si aliquis eas addisceret, non vt exerceat, sed vt delectetur in operibus iam factis; item Theologia, & Astrologia essent practicæ si è contra eas addisceret ad pecuniam, vel munera obtinenda. His omnibus suppositis.

223. Notitia practica est *Cognitio intellectualis, quæ respicit obiectum operabile sub ratione operabilis*: hoc est, dictans & proponens modum, quo tale obiectum operari poterit in ordine ad hoc, vt operetur. *Praxis* vero *est opus directum per rationem*. Notitia speculativa est *cognitio intellectualis ex se sistens in mera contemplatione obiecti*, quæ quidem licet per negationem *practici* explicetur, hoc est, cognitio non progrediens ad obiecti operationem, nec proponens modum, quo debeat operari, non est negativa, sed positiva, sicut irrationale est vox negativa, & entitatem positivam significat.

224. Hæc explicatio notitię practicæ, & praxis est iuxta mentem Philosophi pluribus in Locis præcipuè 2. metaphysicæ cap. 1. vbi ait: *Speculativæ finis est veritas, practicæ autem opus*, eius commentator ita hunc locum explicat: per *speculativam* scimus, vt sciamus, per practicam scimus, vt *operemur*. Est etiam confo mis ipsi vocum ethimologię: nam practicum dicitur á Verbo Gręco *Prato* Lanine *Ago*, speculativum vero á Verbo *Scopeo*, id est, *contemplor*, est denique omnium fere Phylosophorum modo loquendi conformis.

225. Hinc inferes primo contra Patrem Hemelmam; actum practicum non esse necessario actum imperij, quo quis v.g sibi ipsi dicat, *fac hoc*, fac syllygismum in *Darij*, &c. tum quia hoc imperium est actus voluntatis iuxta Sanctum Thomam 1. part. quæst. 15. art. 4. Tum quia etiam si ad intellectum pertineat, non est actus iudicij; quia nil affirmat, nec negat, ac proinde non est actus practicus scientiæ iudicativæ. Tum denique quia non est necessarium tale imperium, vt dirigatur intellectus; sufficienter enim dirigitur per hunc actum, *divisio totum in partes distribuit*, sine tali imperio.

226. Inferes secundo contra Patrem Arriagam hic n. 67. non quamcumque cognitionem repræsentantem possibile esse practicam, quia si repræsentet illud secundum suam essentiam, quin ad eius operationem ordinetur, erit speculativa: vnde illud debet respicere, vt operabile: sic iuxta Patres Suarez lib. 3. de attributis positiv. Valencia, Granado, Herice, immò iuxta ipsum Arriagam disp. 18. n. 20. Secutos Sanctum Thomam 1. p. q. 14. art. 16. scientia simplicis intelligentiæ respectu possibilium; si solum attingit essentiam, & proprietates eorum, esse speculativam; si vero ea vt producibilia repræsentet, dirigendo Omnipotentiam, vt ea producat, est practica: ergo respicere obiectum possibile præscissè, non arguit notitiam practicam.

225. Inferes tertiò. Neque cognitionem repręsentantem obiectum operabile esse practicam, si illud vt operabile, seu directivo modo non respiciat. Vnde circa rem operabilem potest dari notitia speculativa, dummodo speculabilitas se habeat vt obiectum materiale, non vero vt ratio formalis; patet hoc in exemplo posito scientiæ simplicis intelligentiæ. Liceat hoc probare Verbis Eximij Doctoris vbi supra n. 42. Sic se habentibus: quod si scientia peculativa versetur interdum circa rem operabilem, differt tamen á scientia practica; quia hæc versatur circa rem operabilem modo operabili; qui modus redundat in obiectum formale, & ideo dicitur, practicam scientiam esse de re operabili, vt operabilis est; speculativam vero de re *vt speculabili*, hoc est, notitia speculativa potest terminari ad operabile, habendo se operabilitas vt obiectum materiale, non vero vt ratio formalis, quia attingit operabile vt cognoscibile, scientia vero practica terminatur ad operabile habendo se operabilitas vt ratio formalis, quia tangit operabile vt operabile.

226. Hoc optimè explicatur exemplo amoris stricti, & desiderij; vterque namque potest terminari ad bonum absens; sed diverso modo; amor strictus terminatur ad bonum absens, habendose absentia, vt obiectum materiale, non vero vt ratio formalis, quia amor strictus non attingit bonum absens, vt absens; sed attingit bonum absens, vt bonum, præscindendo scilicet ab absentia, vt ratione formali; amor desiderij item terminatur ad idem bonum absens, habendose absentia, vt ratio formalis; quia attingit bonum absens, vt absens. Hoc modo se haberent duæ cognitiones, vna speculativa, & altera practica, quæ quidem obiectum operabile respicerent; respectu primæ operabilitas se haberet, vt purè obiectum materiale, respectu secundę, vt obiectum formale.

SUBSECTIO IV.

AN LOGICA SIT PRACTICA, vel speculativa.

129. PRima sententia tenet; logicam esse adæquatè speculativam; ita Scotistæ omnes cum Scoto, & Poncio. Thomistæ communitèr, & ex nostris Toletus q. 4. proæmiali, Fasolus 1. p. q. 1. art. 5. dub. 1.

230. Secundá sententia asserit, esse adęquatè practicam; ita Connimbricenses, Fonseca, Murcia, Arriaga, Oviedo controversia 2. punt. 5. Linceus lib. 3. cap. 5. Spinula, Caramuel, Bonespei tract. 11. d. vltima, dub. 3. & communitèr Recentes cũ P. Olea tract. 2. Procem. disp. 58. sect. 1. n. 4.

231. Tertia sententia tenet, nec esse practicam, nec speculativam; Sed facultatem organicam, & instrumentalem scientijs practicis, & speculativis deserviẽtem: ita Petrus Niger, Zarabela, Patres Pereira Valencia, & Smiglesius apud Oviedum n. 4.

232. Quarta sententia tenet, esse partim practicam, & partim speculativam: Sed ex Doctoribus, hoc adstruentibus, aliqui dicunt, esse simpliciter speculativam, & secundum quid practicam: ita Ex. Doctor disp. 44. metaphysicæ. sect. 13. n. 64. quem sequitur Pater Ildephon-

Ee

phonsus de Peñafiel. Alij è contra, tuentur, esse simpliciter practicam, & secundum quid speculativam: ita Franciscus Alphonsus & Quiroz disp. 13. sect. 8 n. 60. Locutus de logica partiali; locutus vero de logica totali n. 68. asserit, esse practicam Pater. Peinadus disp. 1. prœmial. sect. 3. n. 49. Alij denique tenent, esse simpliciter practicam, simpliciterque speculativam: ita acutissimus Doctor. 1. part. disp. 4. n. 2. Rubius, Hurtadus, Compton, Santa Cruz á n. 122. Ioannis, & alij.

233. Dico. Logica est scientia partim practica, & partim speculativa. Probatur primo conclusio; Sanctus Thomas opusc. 70. in Boetium de trinitate, in responsione ad secundum, & Aristoteles sæpé asserunt; logicam esse instrumentum, & adminiculum scientiarum, quatenus eas iuvat, & dirigit ad actus artificiosè eliciendos; ergo iuxta communes Magistros logica est practica; ipsemet Aristoteles, & Divus Thomas 1. 2. q. 47. art. 2. ad tertium, quibus adde Sanctum Augustinum lib. 8. de civitate Dei. cap. 4. vocant logicam speculativam, & partem Philosophiæ speculativæ: ergo iuxta ipsos etiam est speculativa: ergo ne dicamus, *Divum* Thomam, & Philosophum sibi contrariari, debemus dicere, ipsos iudicasse, logicam habere plures actus practicos, ratione quorum possit dici practica, & plures speculativos, vi quorum etiam speculativa dicatur.

234. Probatur secundò. Illa scientia est partim practica, & partim speculativa, quę habet plures actus practicos, & plures speculativos; sed logica ita se habet: ergo logica est partim practica, partimq́ speculativa; probatur minor quoad primam partē: logica habet plures actus qui non sistunt in mera obiecti contemplatione, sed vltra dirigunt intellectum ad eius effectionem, proponendo modum, quo possunt effici; sed actus ita se habentes sunt practici: ergo logica habet plures actus practicos. Probatur maior: hi sunt actus logici: definio debet constare ratione cōmuni, & differentiali: divisio est modus sciendi totum in partes distribuens. Syllogismus componitur tribus propositionibus. Sed hi actus non sistunt in mera contemplatione suorum obiectorum, sed vlterius dirigunt intellectum ad eorum effectionem proponendo modum, quo effici possunt, vt per se patet: ergo.

235. Probatur prima minor quoad secundam partem: logica habet plures actus sistentes in contemplatione obiecti, cognoscendo eius existentiam, proprietates, & essentiam, quin dirigant intellectum, neque proponant modum, quo effici possunt: sed hi actus sunt speculativi: ergo logica habet plures actus speculativos. Probatur maior hi sunt actus logici: *Definitio explicat essentiam rei*: divisio tollit confusionem: demonstratio generat scientiam: sed hi actus sistunt in mera contemplatione suorum obiectorum, cum nec ostendant, nec proponant intellectui modum, quo effici possunt: ergo.

236. Confirmatur: hi actus: intellectio consistit in qualitate. Species impressa est semen obiecti, sunt speculativi; quia licet terminentur ad obiecta operabilia, non respiciunt ea, vt operabilia, sed explicant præscisse essentiam suorum obiectorum; sed ita se habent illi actus logici respectu definitionis, divisionis, & argumentationis: ergo.

237. Probatur tertiò conclusio: actus, qui versantur circa modum sciendi iam factum, ad logicam pertinent, nam ad nullam aliam facultatem commodius pertinere possunt, vt ex solutione argumentorum constabit; v. g. hi syllogismus est in *Darij*: *hæc divisio est recta*: sed hi actus sistunt in mera obiecti contemplatione, nec respiciunt aliquid factibile, aut operabile, sed factum iam, & operantum: ergo.

238. Sed Respondebis cum pluribus ex adversarijs, pręcipuè Arriaga, Oviedo, & Connimbricensibus, tales actus esse speculativos, sed nullo modo pertinere ad logicam, sed illi positi in prima probatione ad Animasticam; hi proximè positi in tertia probatione ad experientiam: probant hoc, quia totale obiectum logicæ à Sapientibus præfixum est modus sciendi tantum vt regulabilis, non vt contemplabilis; nam cum logica inventa sit ad præcavendos errores in adminiculum aliarum scientiarum, ad quod solum actus regulativi, & directivi deservire possunt, ad logicam solum attinent actus practici, seu respicientes modum sciendi vt operabilem.

239. Ante responsionem ad hanc Doctrinam, quæ certè probabilem reddit sententiam contrariam, facilèque defensabilem, suppono primò, à nemine dubitari posse; dari actus speculativos circa definitiones, divisiones, & argumentationes. Nam obiectum potest terminare omnem cognitionem, cuius habet rationem formalem, sed modus sciendi habet rationem formalem cognitionis speculativæ, nempè cognoscibilitatem speculabilem; ergo circa modum sciendi possunt dari plures actus speculativi. Hæc doctrina confirmari potest ex Angelico Doctore 1. 2. q. 4. art. 3. ad 3. asserente, omnes artes liberales esse speculativas, quia earum artificiosa obiecta contemplari possunt. Quis enim dubitet, modum conficiendi calceos, claves, Scamna, &c. esse contemplabiles; vnde iam supra dixi, idem obiectum operabile posse terminare actum speculativum.

240. Suppono secundo. Quòd licet actus esse practicos, non proveniat ab eo, quod obiectum sit operabile, vel non, scientiam tamen esse adæquatê practicā, ab hoc non provenit, sed á Sapientum ordinatione, qui ad componendam vnam scientiam, actus, & habitus practicos cumularunt, & speculativos ad aliā reiecerunt tū ob methodi cōgruitatem, tum ob vtilitatem discentium. Unde circa idem obiectum actus practici possunt ad vnam scientiam pertinere, & speculativi ad aliam. Sic actus speculativos circa nutritionem ad Physicam; actus practicos ad Medicinā, actus speculativos honestatis moralis ad Theologiam, actus practicos circa ipsam ad Prudentiam: actus speculativos motus ad Physicam, actus practicos ad varias facultates, saltatricem, sutoriam, &c. distributive accommodarunt; his suppositis, & indubitatis.

241. Dicunt Adversarij; tales actus speculativos ad modum sciendi terminatos relegandos esse á logica. Ego logicos esse vocandos, adstruo. Disidiū est denomine. Sed in re de nomine congruentius loquor. Et quidem durissimū est, exulare á logica hos actus: *Demonstratio generat scientiam*, & reliquos. Nam si ad scientiam, quæ tota est in docenda effectione modi sciendi, non pertinent actus explicantes essentiam, proprietates ipsius modi sciendi, ad quam scientiā pertinebunt? Prætereà, illi actus docentur, & explicantur ab omnibus Phylosophis in logica, nullique frequentius, quam illi versantur in ea, cur ergo ab illa excludendi erunt?

242. Insuper, si vt aliquis defenderet, logicam esse adæquatè speculativam, cum illi opponeres, hos actus esse practicos. *Definitio debet constare genere, & differentia. Divisio debet totum in partes distribuere*: responderet affirmando, tales actus esse practicos; non verò esse logicos; quia ad logicam attinet tantum modus sciendi vt speculabilis, non vero vt dirigibilis. Non ne vocem extollerent adversarij cōtra illum dicentes; tales actus omnino voluntarie á logica relegari, cum ab omnibus Phylosophis tales actus in logica tradantur, &c?

Certè

Certè extollerent. Pariter ergo nos cõtra eos vocem extollamus dicentes,ipsos omnino voluntarie tales actus à nobis asignatos á logica reijcere.

243. Præterea. Si plures scientiæ admittuntur, quarum adæquatus finis sit speculari suum obiectum, vt Phylosophia, Astrologia,&c. Cur admitti nõ poterit,quæ etiamsi habeat pro principaliori fine docere alicuius rei effectionem,simul speculativè talis rei naturam contempletur? Sic modo de facto ita se habere omnes scientias practicas, cum ad illas pertineat etiam contemplari opera iam facta, tenent Plures Doctores.Hoc ergo semel posibili;logicam ita se habere, probabilius mihi videtur,cum permixtim inveniantur in ea actus docentes effectionẽ modi sciendi, & simul contemplantes eius naturam.

244. Roga. Cur actus illi speculativi non sunt logici?Si dicas, quia nõ respiciunt modum sciendi, vt dirigibilem? Principium petis. Hoc enim est, quod inquiro.Cur actus, qui respiciunt modum sciendi,non vt dirigibilem,sed vt contemplationem, non sunt logici? Si dicas; quia Doctores ab e à tales actus reijciunt? Falsò respondes. Maior enim pars Doctorum, & vnus pro mille Eximius Suarez, eos à logica non reijcit.Si Aristotelem, & Sanctum Thomã appelles?Aristotelem,& Sanctum Thomam in mea probatione appellavi. Si denique dicas, quia logica inventa est ad præcavendos errores ad dirigendum intellectum in omnibus facultatibus,vt instrumentum, & adminiculum scientiarum:

245. Ex eo ad summum inferes. Logicam ex fine extrinseco ordinari adęquatè ad opus,non verò non habere aliquos actus,qui ex fine intrinseco, & particulari ipsorum sistant inmerá contemplatione obiecti,ac proinde sint speculativi,sufficientesque, vt logicam partim speculativam denominemus. Vide,si placuerit de hoc puncto, Patrem Quiroz,disp.13.sect.8.n. 68.asserentem logicam talem,vt est vna scientia, esse extrinsecè adæquatè practicam.

SVBSEC. U.

SOLVVNTVR ARGVMENTA contra logicam speculativam.

246. OBijc.1.Actus illi: *Demonstratio generat scientiam,* &c.qui á nobis, vt speculativi ponuntur, sunt practici; ergo. Probatur antecedens.Hi actus, & omnes alij, qui ad logicam pertenent iuvare possunt ad sui obiecti effectionem, & eis potest intellectus gubernari ad vitandos errores;ergo.Probatur antecedens. Omne obiectum logicæ est *definitio;divisio,& argumentatio*; Sed ad hæc omnia efficienda illis principijs iuvari potest intellectus, cum hęc omnia ex directione logicæ fiant;ergo.

247. Confirmatur.Tales actus,licet non sonent directionem, nec per modum imperij proferantur, voce scilicet imperativa, *fac hoc* re tamen ipsa implicitè dirigunt, & æquivalent actibus directivis, quibus diceretur: *Si vis elicere definitionem, essentiam rei explica*; ergo.

248: Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: Hi actus possunt iuvare intellectum per se dirigendo eum ad talem effectionem,vel vt causa physica, aut moralis; nego,per accidens,quatenus ex eis possunt aliæ cognitiones excitari, quæ per se dirigant; concedo. Ad probationem eodem modo distinguo.Non nego;posse tales cognitiones iuvare remotè intellectum ad effectionem definitionis, demostrationis,&c.quatenus reflectendo supra ipsos possunt excitari in intel- lec-

lectu aliæ cognitiones dirigentes; sed hoc non sufficit, vt dicantur practici. Patet in his principijs metaphysicis. *Dici de omni,Dici de nullo. Quæ sunt eadem vni tertio,sunt idem inter se. Imposibile est simul esse, & non esse*, quæ sunt speculativa,& tamen eis iuvatur intellectus ad plures, immò ad omnes conclusiones eliciendas, & stabiliendas. Sic Medicus iuvatur principijs physicis iuxta illud *vbi desinit physicus,incipit Medicus* in suis operationibus, & principia physica manent speculativa. Sic cognitione bonitatis Dei, & malitię peccati iuvatur voluntas ad detestationem peccati,& dilectionem Dei, & tamen tam cognitio bonitatis *Dei*, quam malitię peccati est speculativa.

249. Requiritur ergo ad notitiam practicam, quod per se dirigat ad opus, & proponat intellectui modum, quo proprium obiectum effici posit,sed illi actus: *Demonstratio generat scientiam. Definitio explicat essentiam rei*: nullo modo proponunt intellectui modum, quo demostratio,& definitio effici possunt: Ad huc enim illis positis in intellectu, ignoramus modum, quo facienda sit demonstratio,& definitio,& illis ablatis,si maneãt aliæ cognitiones, quæ á me practicæ nominantur, possum elicere definitionem, demonstrationem, &c.ergo illæ cognitiones ad effectionem talium actuum omnino materialiter se habent; & si fortè adsunt, cum efformo definitionem,& demostrationem, concomitanter solúm se habebunt, non verò pro priori, vt requiritur ad cognitionem practicam.

250. Non dubito, definitionem, diuisionem,&c. *Esse* effectus logicę,sed logicæ partialis, non vero totalis cum hæc actibus speculativis etiam resultet,qui etiam si respiciant res operabiles,non sunt practici;quia illos non respiciunt modo operabili, sicut scientia visionis respicit creaturas operabiles, & iuxta nostræ societatis Scolam contra Thomisticam, est speculativa. De hoc iam supra.

251. Ad confirmationem respondetur, Me non excludere, sicut Pater Quiroz,illos actus á ratione practicorum,quia non sonant imperium, vt iam supradiximus; sed quia nullo modo docent intellectum modum,quo efficere posit definitionem, demonstrationem,&c.Unde etiamsi explicentur modo imperativo *si vis elicere definitionem, explica essentiam rei*, speculativi manent.

252. Replicas primo. Sed sufficit hæc mediata directio illorum actuum, hoc est, quod ex eis posint inferri actus immediatè dirigentes hoc modo: *definitio explicat essentiam rei*; ergo *debet constare genere,& differentia*, vt tales actus dicatur practici;ergo: Probatur antecedens duplici exemplo; primum sit Philosophiæ moralis, quæ est practica respectu virtutum. Secundum sit Medicinæ,quæ practica est respectu sanitatis,& tamen nec Philosophia morali, nec medicina causant immediatè virtutes,& sanitatem,sed philosophia medijs dictaminibus prudentię, & Medicina media applicatione medicaminum.

253. Confirmatur. Per nos cognitio, quam Petrus habet, potest esse practica respectu definitionis faciendæ à Paulo;sed cognitio Petri non dirigit immediatè ad definitionem Pauli, sed media alia cognitione in ipsius Pauli mente existente: ergo sufficit mediata directio ad practicam cognitionem.

254. Iam supra dixi, cognitionem practicam debere esse cognitionem immediatam effectus proponentem modum,quo talis effectus posit effici;quid quid sit;an influat mediatè physicè, & moraliter immediatè quod quidem sufficit, vt cognitio dicatur propria causa moralis;sicut qui suadet ad peccatum dicitur propriè peccans, sed cognitio- nes

nes illę,ex quibus solum per consequẽtiam inferrentur aliæ cognitiones immediatè directivæ,non respiciunt opus vt operabile,vt obiectum immediatum, sed vt obiectum mediatum, quod re ipsa non est obiectum, licet ex eis inferantur aliæ cognitiones respicientes illud, vt operabile ; ergo non sunt practicę, sed speculativæ ; sicut hi actus *Deus est summé bonus. Peccatum est summé malum,* non sunt practici,sed speculativi, licet ex eis possent inferri hi : *Ergo Deus est summé amandus*; ergo *peccatum est summé odiendum*,quæ sunt regulæ practicę dirigentes ad amorem Dei,& odium Peccati.Et hęc est confirmationis solutio. Ideo enim cognitio Petri est practica respectu definitionis á Paulo faciendæ, quia illam respicit,vt obiectum immediatum non sistens in mera ipsius contemplatione,sed vt causa moralis illius Paulum dirigens in eius effectione.

255. Ad primum exemplum Phylosophiæ moralis respondetur. Hanc concurrere immediatè ad virtutem simul cum prudentia , sed Phylosophia moralis, vt causa vniversalis dirigens omnia opera honesta; Prudentia tamen vt causa particularis illi subordinata dirigens hic , & nunc ad tale, vel tale opus virtutis, sicut Deus , & creatura concurrunt ad effectus creatos,Deus vt causa vniversalis,creatura vt causa particularis illi subordinata. Ad secundum exemplum Medicinæ Dic, quod quamvis sanitas nequit operari nisi medijs medicaminibus vt instrumentis, medicus tamen illam immediatè respicit, dictamina que Medicinæ illam immediatè attingunt, sic *Hic morbus repellendus est,& sanitas adquirenda his medicaminibus taliter applicatis.* Aliter se habent illi actus nobis obiecti,qui opus immediatè non respiciunt.

256. Replicas secundò. Ex dictis solum infertur,posito hoc actu, *demonstratio generat scientiam* v.g.non posse intellectum elicere demonstrationem, egere que alijs , vt eam eliciat , sed ex hoc solum infertur;non esse causam totalem demonstrationis , non verò non esse causam partialem illius: ergo non infertur , talem actum non esse practicum.Confirmatur. Posito hoc actu *Definitio constat genere,& differentia* , adhuc intellectus sine aliorum actuum iuvamine nequit definitionem elicere,& tamen est practicus ; quia est causa partialis.Ergo.

257. Resp.Certum esse, dari causas partiales directivas , quæ omnes debent concurrere ad productionem effectus , & aliqua ex eis deficiente,effectus difficile poni;sic ad syllogismum in *Darij* v. g. concurrunt plures regulæ, aliquæ vniversales, & aliæ particulares, sed omnes aliquo modo docent , & proponunt modum , quo syllogismus efficiendus sit;ideoque ille actus *syllogismus constat tribus propositionibus* est practicus,cum doceat intellectum tres propositiones assumere,vt syllogismum efformet,est tamen partialis causa , ideoque,illo solum posito in intellectu,hic syllogismum non efficeret.Ast vero actus illi speculativi nec partialiter docent intellectum modum efficiendi demonstrationem,& definitionem,ac proinde nec causæ partiales dicendi sunt.

258, Replicas tertio. Hic actus,*vt adquiratur definitio , faciendus est actus explicans essentiam rei.Vt adquiratur scientia,faciendus est syllogismus demonstrativus* sunt practici;cum doceant , quo modo definitio facienda sit,& adquiri debeat scientia: ergo & hi,*Definitio explicat essentiam rei.Demonstratio generat scientiam* erunt etiam practici. Probatur consequentia : Hi actus non diriguntur ab illis in re significata,sed solum in modo significandi quasi imperativo; sed per nos in hoc modo significandi non consistit ratio directivi,& practici;ergo.

259. Resp. Nego antecedens,ad implicitam probationem, distinguo:tales actus docent,id est , sonant directionem;Concedo. Re ipsa dirigunt,& docent nego.Vnde re ipsa non sunt practici,quomodocumque eliciantur. Cum nullo modo proponant intellectui modum aliquem , quo talis explicatio rei possit fieri , & sive existant , sive non existant,dum modo aliæ regulæ directivæ illuminent intellectum eodem modo producenda erit definitio , aut demonstratio. Dicendum est , tales actus æquivalere his.*Si existat definitio,dabitur explicatio essentiæ. Si existat demonstratio, dabitur scientia* , qui directivi non sunt, sicut & hi. *Si existat homo,erit animal rationale.Si existat pictura,erit imago obiecti.* Vnde dico,tales actus quomodocumque proferantur,esse speculativos.Sed si vis. Dic. Transeat antecedens. Iudicant enim Pater Quiroz, & alij , eos actus primo modo dispositos esse practicos, non vero secundo modo dispositos, nam licet respiciant idem obiectum,respiciunt tamen illud diverso modo , ac proinde essentialiter differunt , & primi appellantur practici , secundi vero speculativi.

260. Nota , quod si hi actus primo vel vtroque modo dispositi tibi videantur directivi , ideoque difficultatem ingerant , nec perfectè capias,quomodo sunt purè speculativi , & non aliquo modo practici,sicut alij à nobis vt practici admissi , recurre vt teneas presentem conclusionem,ad actus reflectentes tantum,& ita eos dispone. *Hac definitio explicat essentiam rei : hic syllogismus demonstrativus generat scientiam. Hac divisio tollit confusionem* , qui actus cum tantum respiciant definitionem, divisionẽ, & demõstrationem iam factas, nec alias demonstrationes factibiles respiciant, cum sunt cognitiones particulares, nullatenus dirigunt, nec dirigere possunt, licet concederemus aliter efformatos

v.g. *Definitio explicat essentiam rei* , *& dirigere*,sicut cognitio simplicis intelligentię,qua Deus creaturas possibiles cognoscit,est practica, & scientia visionis,qua eas,vt existentes cognoscit , est speculativa.

262. Objic.2. Ille actus,qui terminatur ad syllogismum iam factum v.g. vel ad logicam spectare non debet, sed scientiam experimentalem , vel si ad logicam spectat,non officiet,vt sit adęquatè practica.Alias nulla esset scientia adæquatè practica,cum nulla sit scientia,quę hos actus reflexos habere non possit.

262. Respondeo,talem actum ad logicam spectare ob rationes iam supra allegatas; vel respondeant Adversarij; quare ad logicam non spectet? Quia nõ est practicum?Principium petunt.Cur enim ad eamdem facultatem ad quam pertinet operis effectio , & operis examen,iudicium rectitudinis,& approbatio bonitatis non pertinebit ? Pręcipuè cum tale examen non nisi ille, qui optimê regulas logicę percaluisset, posset efficere,& maximam habet cum logica conexionem;ergo ad illam pertinebit.

163. Ait nescio , quomodo non possit officere,vt sit adæquatè practica habere aliquos actus speculativos, cum idem sit habere aliquem actum speculativum aliquam facultatem,ac eam nõ esse adæquatè practicam. Vnde minor, Modernum quendam satis literatum hoc dixisse. Inconveniens autem argumenti nullum est. Quia nullum est pontificium decretum (verba sunt ingeniosi Moderni)nec sacræ paginæ locus , qui nos compellant adstruere aliquam scientiam esse adæquatè practicam.Admitto enim nullam esse practicam adæquatè,quia omnes debent actus suos eximanare.Quid inde?

164. Objic.3.Actus terminatus ad syllogismum iam factum essentialiter

est

est operativus,& solum accidentaliter non operatur suum obiectum eo scilicet, quod iam sit factum. Inde infero; tale obiectum accidentaliter est factum, ergo actus ad illud terminatus accidentaliter est non factivus, ergo ex se practicus erit.

265. Respondeo, quod licet obiectum actus reflexi v.g. definitio *A* accidentaliter sit facta, cum potuerit absolutè non fieri, at actus reflectens supra ipsam, dicensque; *hæc definitio facta est iuxta regulas logicæ*, non est accidentaliter, sed essentialiter non operativus, cum respiciat illam essentialiter, & ex sua intrinseca tendentia, vt iam factam, quin talis actus aliter possit eam respicere, cum essentialiter ab ea iam facta, vt á proprio obiecto specificetur.

266. Obj. 4. Ille actus reflexus supra defininitionem iam factam potest intellectum dirigere ad faciendam aliam definitionem illi similem; ergo erit directivus, ac proinde practicus.

267. Respondeo, dupliciter posse aliquem actum respicere definitionem iam factam, vel habendo illam pro obiecto adæquato, vel pro obiecto in adęquato, ita vt talis cognitio respiciat definitionem iam factam vt exemplar obiectivum, in ordine ad aliam faciẽdam. Vnde ex definitione iam facta, & ex factibili resultet obiectum adæquatum illius. Sicut dupliciter potest pictor imaginem aliquam Cæsaris v. g. respicere, vel sistendo in illius contemplatione, & examine, vel illam respiciendo, vt exemplar ad aliam similem depingendam. Si primo modo se habeat actus reflexus, est adæquatè speculativus, cum non habeat pro obiecto praxim vt talem respectu sui ipsius. Si secundo modo, erit practicus, cum non respiciat illam definitionem factam sistendo in illius contemplatione, sed habendo pro fine ad alium dirigere. Actus enim á fine debet dici practicus, vel speculativus. Sic Colonus practicè contemplatur terram, vt aret. Faber lignum, vt ianuas efformet. Pictor linteum, vt pingat. Scriptor papyrum, vt literas ducat. Vtroque modo potest actus reflexus supra definitionem iam factam ad logicam pertinere, vt iam probatum manet: ergo erit partim speculativa ea parte, qua primo modo dispositi ad eam pertineant. Nec ex eo, quod intellectus possit eo actu purè reflexo iuvari ad aliam definitionem similem efformandam, sequitur, eum actum esse practicum, cum hoc non intendat ex se, respiciendo illam aliam definitionem similem, vt obiectum immediatum. Sic ex visione Beata sequitur amor necessarius Dei, & tamen illa non est practica; quia non respicit ipsum amorem vt obiectum.

268. Instas. Ergo saltem hic actus terminatus ad definitionem iam factam *Hæc definitio constat genere, & differentia, quæ est essentialis*, erit practicus. Probatur Sequela. Ille actus æquivalet propositioni vniversali, sic se habenti Omnis definitio essentialis constat genere, & differentia; sed hic actus est directivus, ac proinde practicus, ergo & ille.

269. Respondeo, quod si talis actus æquivalenter dirigit, quia æquivalet alteri actui, qui ex illo infertur solum erit æquivalenter practicus, & formaliter speculativus, cum non respiciat pro obiecto alias definitiones factibiles, sed solum illam iam factam. Item etiam si hic actus esset practicus, alij, qui solummodò contemplarentur obiectum factũ vt tale, speculativi erunt, quo salvatur probatio nostra.

270. Objic. 5. Ille actus *Hæc definitio constat genere, & differentia*, est examinativus rectitudinis, & correctivus irrectitudinis definitionis; ergo dirigit intellectum ad conservandam eam, si fuerit recta, vel ad emendandam, vel saltem ad cessandum ab ea, & eliciendam aliam, si fuerit irrecta illa iam elicita; ergo talis actus erit practicus.

271. Argumentum plenum est falsitatibus, & pravis terminorum intelligentijs. In primis nego, talem actum esse examinativum; nam actus examinativus est quędam apprehensio dubitativa; sicut illa, quæ in fronte quæstionum apponi solet v g. in pręsenti: *An logica sit adæquatè practica, nec nè?* Quæ non est cognitio scientifica, nec iudicativa. Iam vides quantum distet ab ea, qua absolutè asseritur bonitas definitionis absque dubitationis signo, quę potius est approbativa. Si verò per actum examinativum intelligas, illum quo cognoscitur bonitas, & conformitas obiecti cum regulis, sicut ille, quo *Deus vidit cuncta, quæ facerat, & erant valde bona*: dic, talem actum esse examinativum, sed ne dicas, esse practicum.

272. Ad illud, quod talis actus sit correctivus irrectitudinis, non percipio, quomodo possit actus repræsentans rectitudinem sui obiecti corrigere irrectitudinem. Nam, vel illa irrectitudo est in suo obiecto? Et hoc non; cum illud rectum supponat; vel est in alijs definitionibus, quæ cum non sint obiecta talis actus, nec ab eo respiciantur, quomodo possunt ab eo corrigi? Unde talis actus, neque dirigit intellectus ad cessandum ab aliqua definitione; nam illa, quam respicit, vtpotè iam elicita incapax est cessationis, vel vt cessetur in eius effectione. Neque dirigit ad eliciendam aliquam, cum aliam non respiciat, & actus solum dirigit, quod respicit. Minus dirigit an emmendandam aliquam definitionem quæ vox *emmendo*, nequit actibus intellectus, neque actibus transeuntibus applicari. Nam cum statim, ac fiunt, transeant, emmendari nequeunt, licet possint fieri aliæ rectę actiones, quæ non sunt primæ emmendatæ, sed aliæ rectè elicitæ. Aliter evenit in rebus materialibus permanentibus v.g. Scamno, quod si irrectum fiat, emmendatur, vel auferendo, vel addendo aliquid.

173. Objic. 6. Regula dictans, quomodo syllogismus factus in *Baralipton* reducendus sit ad *Barbara*, respicit syllogismum factum vt factum, nam solum vt factus reducendus est, sed talis regula est practica: ergo actus respiciens syllogismum iam factum erit practicus.

274. Resp. Nego maiorem, talis enim regula est conditionata hoc modo *si sillogismus* factus fuerit in *Baralipton* reducendus est ad *Barbara* tali, vel tali modo, & actus conditionatus non respicit existentem, & purificatam conditionem. Patet, nam Deus per scientiam mediam cognovit, quod si Divo Petro conferretur tale auxilium, non esset responsurus, ac proinde damnandus esset, & tamen nec collationem auxilij, nec carentiam conversionis respexit existentem, cum de facto non extiterit, & ratio est, quia scientia conditionata conditionem non purificat, nec illam respicit vt existentem; sed vt possibilem; sed clarius. & in forma Respondeo, Regulam illam non respicere syllogismum factum; vt factum sistendo in eius contemplatione, sed syllogismum factum vt reducibilem, & factibilem in *Barbara*, & ad hoc dirigit, hoc que docet, quid ergo mirum, quod talis actus sit practicus, & quod illi actus respicientes syllogismum factum, vt factum sint speculativi.

275. Objic. 7. Logica respicit adæquatè praxim; ergo est adæquatè practica. Probatur antecedens. Respicit adæquatè actus intellectus, sed omnes actus intellectus sunt praxis, ergo. Confirmatur. Scientia simplicis intelligẽtiæ est adæquatè practica, quia est idæa producibilium, Item prudentia est adæquatè practica, quia dirigit modum rectè operandi per voluntatem, sed logica est idæa modi sciendi, & dirigit modum rectè operandi per intellectum, ergo.

276. Retorquetur. Hi actus animastici *intellectio consistit in qualitate; est tendentia intentionalis in obiectum*, &c. respiciunt adęquatè praxim, cùm respiciant adæquatè actus intellectus; ergo erunt adæquatè practici, quod est contra ipsos Adversarios, qui tenentur respondere, tales actus respicere praxim materialiter, non vero formaliter vt praxim, hoc est respicere actus intellectus, qui praxis sunt, vel respectu ipsius intellectus producentis eos, vel respectu aliarum facultatum, â quibus possunt dirigi, non tamen, vt dirigibiles ab ipsis actibus, sed vt speculabiles, ita ego de actibus speculativis logicæ sæpè respondi, nunc, & semper respondebo.

277. Ad confirmationem respondetur, â Doctoribus iam citatis, scientiam simplicis intelligentię etiam appellari speculativam, ea parte, qua essentiam; & proprietates possibilium attingit, sicut logica essentiam, & proprietates modi sciendi; illi vero, qui eam adæquatè practicam appellant, moventur ex eo, quod iudicant omnia sua obiecta respicere vt producibilia formaliter, non ita logica respicit omnia sua obiecta vt praxim, & producibilia formaliter. Idem dic de prudentia. Esse scilicet adæquatè practicam, quia solum dirigit modum virtuosum operandi voluntatis, qui in illum, eiusque proprietates contemplentur. Vnde vt optimè advertit Pater Quiroz hic, n.82. logica nō est comparanda prudentiæ, sed Phylosophiæ morali, quæ est partim speculativa, quatenus scilicet contemplatur naturas, & proprietates virtutum, & vitiorium. Si vero etiam ad prudentiam pertineat actus reflexus, quo dicitur *bonum & decens fuit, elicuiße talem actum sub illis circunstantiis*, sicut pertinet ad logicam actus reflexus, quo dicitur: *hæc definitio est iuxta regulas logicæ*. Dic; prudentiam esse partim speculativam, & eodem modo, ac de logica discurre.

278. Objic. 8. Logica definitur à Phylosophis: *Ars disserendi*, sed omnis ars vt talis, est operativa, ac proinde practica; ergo.

279. Resp. Logicam absolutè posse denominari artem disserendi, á maiori ipsius parte, non vero esse artem adæquatè vt iam sæpè notavi. Habet enim regulas, quæ disserere docent, & simul actus, qui contemplentur.

280. Objic. 9. Ergo logica non est vna scientia, cum habeat plures actus, è quibus aliqui respiciunt obiectum sub dirigibilitate in modum sciendi: alij vero sub speculabilitate, quę diversitas in ratione formali, vnitati sciētiæ officit.

281. Resp. *Distinguo* consequens, non est vna scientia vnitate proprie, & simpliciter tali, concedo, vnitate per aggregationem, qualiter solum ad vnam scientiam componendam requiritur; nego. Scientia non dicitur vna, eo quod vnam solum habeat rationem formalem sub *qua*, sed eo quod expluribus actibus iuxta sapientum placitum resultet aliquod aggregatum, ea vnitate, qua agregatum plurium hominum armatorum vnus exercitus dicitur. Et sicut cōtra Thomistas nostri dicunt. Vnam scientiam, non esse vnicum habitum, sed plures habitus per aggregationem, ex quibus iudicio prudentum vna scientia resultat, eo quod tales habitus, vel inter se, vel ratione obiectorum aliquam habent proportionem, ita nunc diximus de ratione formali, quæ debet esse vna per aggregatum, hoc est, plures rationes aliquo modo connexæ, quis enim dubitet, plurimam proportionem habere inter se dirigibilitatem in modum sciendi, & speculabilitatem ipsius modi sciendi.

282. Objic. 10. Omnes actus scientiæ debent ordinari ad finem prefixum ab Authore; Sed finis præfixus ab Auttore logicæ, Aristotele nempè, est opus: ergo omnes logicæ actus debent ad opus ordinari; ergo nullus debet esse speculativus. Probatur maior ex Aristotole 1. Topic. cap. 9. & pluribus alijs in locis, vbi asserit. Logicam esse instrumentum scientiarum, adminiculum intellectus ad scientificè discurrendum, ad hoc que á se inventam esse testatur. Aristoteli annuit Angelicus Præceptor opusc. 72. in Boetium, q. 17. ad secundum, vbi ait. *Ad secundum dicendum, quod scientiæ speculativæ sunt de illis, quorum cognitio quæritur propter se ipsam, res autem, de quibus est logica non quæruntur ad cognoscendas propter se ipsas, sed vt adminiculum ad alias scientias*, ergo omnes actus logicæ ad opus, & praxim vt talem ordinantur.

283. Resp. *Distinguo* antecedens, omnes actus scientiæ debent ordinari ad finem præfixum ab Auctore, ad finem inquam, extrinsecè, vel intrinsecè; concedo; intrinsecè necessario, Nego. Cum ergo, quod actus sint practici, vel speculativi, non dependeat ab extrinseca ordinatione, sed á tendentia intrinseca, & essentiali, potest actus intrinsecè, & essentialiter speculativus extrinsecè ordinari ad opus, sicut actus scientifici sæpè ab hominibus ordināt ad dignitates, & munera obtinenda, quin tales actus ea munera ex se attingant. Et sicut non omnes actus scientiæ ordinantur intrinsecè ad obiectum attributionis, & hoc non officit, quo minus extrinsecè ad illud ordinentur. Ordinatio intrinseca actuum á nemine dependet, ordinatio verò extrinseca dependet ab alio, ita in actibus logicæ discurrendum est cum Patre Quiroz, disp. 13. sect. 8. n. 68. qui his authoritatibus convictus asserit; logicam totalem vt est vna scientia, esse extrinsecè adæquatè practicam. Hoc est etiamsi habeat plures actus intrinsecè speculativos, vt constat ex nostris probationibus, omnes tamen extrinsecé ab Aristotele ad opus ordinari. Hoc confirmari potest ex Sancto Thoma 1. p. q. 1. art. 4. vbi asserit; Theologiam supernaturalem esse practicam, & speculativam, cum habeat plures actus practicos, & plures etiam speculatitos, at dici absolutè speculativam, quia actus circa virtutes extrinsecè ordinat ad cognitionem speculativam de Deo. Ita logica dicetur extrinsecè adęquatè practica, quia etsi habeat plures actus practicos, pluresque speculativos, omnes ex institutione authoris ordinat ad opus, vt constat in authoritatibus in argumento allatis.

284. Objic. 11. Nullus actus speculativus requiritur ad opus; ergo ad finem logicæ ab Aristotele præfixum nullus actus speculativus requiritur. Confirmatur primo finis logicę præfixus est directio passiva actuum, sed ad directionem passivam nullus actus speculativus requiritur: ergo confirmatur. Finis logicę præfixus est praxis, sed ad praxim solum requiritur actus practicus, & omnino superfluus est speculativus; ergo in logica actus speculativus admitti nequit.

285. Resp. Distinguo antecedens. Nullus actus speculativus requiritur ad opus vt absolutè exequatur, concedo: vt melius, & perfectius exequatur, nego. Ex eo, quod ad opus absolutè exequēdum, vt dirigantur passivè actus, & ad praxim vt talem non requirantur simpliciter actus speculativi, non inde infertur; non esse aliquo modo vtiles. Sicut licet vt actus producantur, non sunt simpliciter necessarij habitus, vt actus aliarum scientiarum fiant, non sit necessaria simpliciter logica, attamen non infertur, habitus non esse vtiles, & logicam esse otiosam, cum plurimum deserviant in actuum productione. Ita actus speculativi circa naturam, & existentiam definitionis v.g. non sunt necessarij, nec requiruntur necessario, vt fiat, & dirigatur definitio, sunt tamen maximè

mè vtiles; nam scientificè contemplata natura,& proprietatibus definitionis facilius intellectus alijs proprijs regulis directus,eam eliciet. Imò & tales actus speculativi possunt excitare actus practicos,quę quidem exitatio, licet non sufficiat ad eos extrahendos á linea speculativorum,sufficit,vt dicamus, maximè conducere ad finem logicæ pręfixum, scilecit opus praxim,& directionem actuum,ac proinde debere in logica annumerari.Quo fit satis duabus confirmationibus.

286. Objic.12.Inde inferimus,actus practicos circa nutritionem pertinere ad Medicinam,& actus speculativos ad physicam,quia ex arbitrio, & fine Sapientum illi ad vnam, isti ad aliam facultatem segregantur. Et hanc segregationem ex fine á Sapientibus illis facultatibus præfixo colligimus. Nam finis præfixus Phylosophiæ est contemplari:finis vero Medicinę operari;ergo si per nos finis extrinsecus logicæ præfixus est dirigere, actus, qui tendunt directivè in modum scien di ad logicam,actus vero,qui tendunt speculative ad Phylosophiam animasticam pertinebunt.

287. Confirmatur.Logica,& Phylosophia animastica ęque terminantur ad actus intellectus,& solum diversificantur per rationem formalem respiciendi; Sed ratio formalis animasticæ est speculabilitas actuum intellectus; ergo & ratio formalis logicæ erit ipsorum dirigibilitas.

288. Respondeo, quod licet finis extrinsecus logicę ab Aristotele pręfixus sit opus, tamen excludi ab ea nequeunt actus speculativi,cum in ea collocentur ab ipso Aristotele,Div.Thom. Augustino,Suarez, Uasquez,& maioris notę Doctoribus, vt videre est in probationibus, quod non evenit in Medicina,vt actus speculativi admittantur.

289. Ad confirmationem dico, Phylosophiam animasticam tendere in actus intellectus sub speculabilitate in esse vitalium,vel tendentium in obiectum,logicá vero specualtivam sub peculiari speculabilitate in modum sciendi, vnde rationes formales, sub quibus tendunt logica, & animastica, sunt diversæ,

SVBSECTIO VI.

ARGVMENTA CONTRA logicam practicam.

290. Objic.1.Sanctum Thomam 1.p.q.14.art.3. vbi docet; Artem domifactoriam,& scientiam Divinam non esse practicam, sed speculativam, vsque dum Artifex actualiter regulas applicet, & Deus de facto creaturas producat;vnde respectu earum, quas nunquam facturus est, scientia Dei nunquam erit practica.

291. Respondeo,AngelicumDoctorem solum loquutum fuisse de notitia practica in actu secundo, non vero in actu primo, quod patet ex contextu. Ad primum argumentum sic respondet *Scientia Dei est causa quorumdam quidem actu scilicet eorum, quæ secundum aliquod opus fiunt,quorundam verò virtute, scilicet eorum,quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt*:ergo si scientia Dei est causa virtute, seu in actu primo eorum, quę nunquam fiant, eodem modo respectu eorum erit practica. Non tamen erit practica in actu secundo, quia actualiter non operatur,sicut nec Ars domificatoria, vsquedum domum actualiter construat.

292. Objic.2.Et simul instas. Vsque dum regulæ actualiter dirigant,nō procedunt modo compositorio,hoc est, non componunt cum ipsó effectu, & opere directo, sed solum modo resolutorio,hoc est,solum repræsentant modum,

dum,quo fieri possit opus, quod repræsentatur, sed notitia practica procedit modo compositorio,& speculativa modo resolutorio ergo.

293. Hoc argumentum apposui, non quia nullam difficultatem habeat, sed vt vobis Thomisticæ voces innotescant.Iam supra notavi distinctionem inter notitiam practicam, & speculativam non consistere in hoc modo resolutorie aut compositoriè procedendi;nunc autem noto, notitiam practicam compositorio modo necessario nō procedere,si per procedere compositorio modo intelligant actualiter dirigere,& operari; Ad rationem enim practici,sufficit ratio operativi. Sicut ad rationem intellectus non requiritur actualiter intelligere, nec ad conceptum Omnipotentiæ actualiter producere,sic Deus Omnipotens est etiam respectu eorum,quę non producuntur, nec producentur,dum modo producibilia sint, vt videre est in authoritate Divi Thomę ad responsionem primi argumenti allegata.

294. Objic.3. Scientię practicæ finis est opus,& speculativæ veritas iuxta Aristotelem 2.metaph.cap.2. Sed finis logicæ est veritas,ergo:Probatur minor:obiectum,& finis logicæ sunt actus aliarum scientiarum, & etiam proprij: sed tam hic,quam illi sunt veritas,cum sint actus intellectus;ergo.

295. Confirmatur. Logica requiritur propter ipsum scire;quæritur enim ob errores vitandos,& ob adquirendam notitiam evidentem obiecti; ergo non est practica;nam notitia practica, non quæritur propter scire,sed propter operari.

296. Respondeo. Finem scientiæ speculativæ non esse veritatem vt cumque, sed veritatem propter veritatem, sistendo in ipsa. Unde licet finis scientiæ practicæ sit etiam veritas, cum non fit propter veritatem sistendo in ipsa, sed vlterius ad illam veritatem dirigendam ordinetur, non confunditur cum scientia speculativa. Hinc invenies;duplicem dari finem intrinsecum in logica,& veritatem propter ipsam, quę est finis logicæ speculativę,& veritatem vt dirigibilem, quæ est finis logicæ practicæ. Sed nota: actus intellectus esse veritates respectu suorum obiectorum,quibus conformantur,esse tamen dirigibiles respectu actuum, à quibus diriguntur, & speculabiles respectu actuum á quibus contemplantur. Logica non respicit actus intellectus, vt sunt repræsentativi,& veritates respectu obiectorum,sed vt sunt,vel dirigibiles,vel contemplabiles ab actibus. Unde illa regula logicalis.*Definitio constat genere & differentia* non respicit hanc definitionem hominis *animal rationale,* vt repræsentativa principij sensationis, & ratiocinationis,sed solum vt dirigibilis est,intendens,quod tales actus, quibus constat,potius quam alij producantur.

297. Ad confirmationem dico, scire esse finem communem omnibus scientijs,& similiter vitare errores; si scientia sit practica,non erit scire,& vitare errores illud,& illos meré contemplando,sed vlterius dirigendo;& ita secundum maiorem partem se habet logica,quæ & cognoscit,& dirigit,non vt sciamus tantum veritatem actuum intellectus,sed vt sciamus, & illos operemur.

298. Objic. 4. Logica non est practica, neque vt docens, neque vt vtens.Probatur. Vt docens non est operativa,vt vtens, non est cognoscitiva, ergo neque vt docens, neque vt vtens est practica;ergo nec partim.

299. Respondeo, quod si reduplicatio fiat supra *docens,& vtens*,nec practica,nec speculativa,nec scientia, immò nec logica est. Si vero reduplicatio fiat supra *docens,& vtens* in volvendo ipsam logicam,tam vt *docens*, quam vt *vtens* pote-

poterit esse practica; quia vt *docens* diriget modum, quo fieri possit modus sciendi; & similiter vt *vtens* cognoscit ipsum modum sciendi, quem operatur.

300. Objic. 3. Modus sciendi vt sic, non est operabilis, quia nihil in cōmuni, sed in singulari operatur; sed logica respicit pro obiecto modum sciēdi vt sic, agit enim de definitione, divisione, & argumentatione in communi, quin ad particulares definitiones, & divisiones descendat.

301. Respondeo. Concedo maiorem, & nego minorem, ad cuius implicitam probationem dico ly *Definitionem, Divisionem*, &c. incommuni quivoco laborare. Si sumatur pro aliqua ratione definitionis abstracta ab omni definitione, certum est, non esse operabilem, sed hāc non respiciunt regulæ definitionis. Si sumatur pro aliqua ratione definitionis confusa, quæ involvat omnem definitionem aliqua quasi vniversalitate excludente singularia expressè, & in particulari; ita operabilis est, & ita respicitur á logica, quod sufficit, vt sit practica, alias nulla esset ars, aut notitia practica, nec practica esset Philosophia moralis, cum omnes hæ facultates non respiciant suos effectus in particulari, sed omnes effectus, prout conveniunt in aliqua ratione, quæ operabilis sit in omnibus.

302. Objic. 6. Saltem, quoad partem sophisticam, nullum actum practicum habet logica, nam cum actus practicus sit operativus, si pars sophistica esset practica, esset operativa sui obiecti; Sed obiectum partis sophisticę sunt errores, & sophismata; ergo esset operativa errorum, & sophismatum, quod, cum logica sit scientia, & ad errores vitandos inventa, certè repugnat.

303. Respondeo Logicam habere plures actus practicos etiam in parte sophistica, quia licet non dirigant ad sophismata efficienda, illa practicè, cognoscit, cum non sistat in eorum contemplatione, sed procedatur ad dirigendum actum rectum, inquo sophismata evitentur. Regula enim in parte sophistica dictat *Syllogismum constantem quatuor terminis esse fallacem, quia tribus tantum debet constare*: en cognoscendo fallacias dirigit ad actum rectum, inquo vitentur. Unde licet logica Analytica, & Topica, cum dirigunt actus rectos, non sint necessario sophisticæ, logica vero sophistica cum practice procedit circa sophismata est necessario analitica, vel topica. Si tamen actus partis sophisticæ sistat in merá contemplatione sophisticum v. g. actus, qui reflectens supra aliquod sophisma diceret *Hic syllogismus est sophisticus, constat enim quatuor terminis* ea parte erit speculativa.

304. Rogas. Vtrum in logica dentur regulæ purè negativæ? Et an hæ practicæ sunt, vel speculativæ?

305. Dico, in sententia admittente, possibilem esse puram omissionem liberam, possibilem consequenter esse aliquam regulam purè negativam, quæ directiva sit. Nam in hac sententia omissio licet sit phisicè nihil, ac proinde phisicè non fiat, est tamen virtualiter, & interpretativè aliquid, ac proinde virtualiter, & interpretativé fit; ergo virtualiter, & interpretativé poterit dirigi. Non enim minus videtur repugnare, quod id, quod nihil est, sit liberum, cadat sub preceptum, & consilium; quam quod sit praxis, & cadat sub regulam. Sed in sentententia admittente, possibilem esse puram ominissionem, hæc est libera, cadit sub præceptum, & consilium, ergo.

306. Si vero negetur, possibilem esse puram omissionem liberam, nō erit possibilis regula purè negativa, cum nō sit possibili obiectum talis regulæ. Ipsa enim cum semper sit actus positivus, purè negativa á pura negatione obiectiva, dicenda erat, ergo cum non sit possibilis pura negatio obiectiva, non erit possibilis regula purè negativa.

307. Respondeo tamen quæsito, in logica non dari regulas expressè negativas, non quia hę practicæ non essent, sed quia logica esset infinita in præceptis negativis tradendis, cum enim infiniti sint modi aberrandi á rectitudine definitionis v. g. infinitæ regulę negativæ deberent excudi, quibus potius cōfunderetur, quā instrueretur intellectus. Regula ergo præcipiens syllogismū rectum v. g. indirectè prohibet omnem irrectitudinem oppositam. Sicut actus præcipiens, te nunc scribere, prohibet indirectè; te nunc dormire, legere, de ambulare, & omnia, quæ cum actione scribendi opponuntur.

308. Nota pro scrupulo, quod statim pungit. Præcepta partis sophisticæ non esse negativa. Non enim purè docet, quod non sit faciendum, sed quid faciendum sit, vt evitetur fallacia, & quomodo hæc fiat.

SVBSECT. VII.

Aliquæ speciales conclusiones, quæ ex dictis facilé defendi queunt.

309. PRima conclusio. Logica docens est adæquatè practica. Logica verò vtens partim practica, & partim speculativa. Probatur quoad primam partem: Docere, semper est dirigere, & regulare; sed dirigere, & regulare semper est practicè procedere; ergo logica docens semper, & adæquatè practicè procedit. Maior est certa, minor item certissima est; & patet; nam dirigere, & regulare non est sistere in contemplatione obiecti, sed progredi ad ipsius effectionem, cum ad hoc reguler; sed non sistere in obiecti contemplatione, & vlterius progredi ad opus est practicè procedere: Ergo.

310. Probatur quoad secundam partem. Logica vtens per nos sunt actus in materia propria logicę, in quibus aliquæ ex regulis logicę exercentur. Sed possunt dari actus in materia propria logicæ, in quibus aliqua regula exerceatur, ex quibus aliqui sistant in mera obiecti contemplatione, & alij ad eius effectionem dirigant; ergo logica vtens erit partim practica, & partim speculativa. Maior manet iam probata sect. 2. n. 51. Probatur minor quoad primam partem, hi sunt actus in materia propria logicæ: *Syllogismus alius concludit directè, alius indirectè: Omnis demonstratio generat scientiam, sed syllogismus Darij est demonstratio; ergo generat scientiam.* In quorum primo exercentur regulæ divisionis, & in secundo regulę argumentationis, sed sistunt in mera contemplatione suorum obiectorum. Non enim dirigunt, neque docent quomodo faciendus sit syllogismus concludens directè, vel indirectè, neque quomodo efformandus syllogismus in *Darij*, ergo.

311. Probatur quoad secundam partem: Hi actus sunt in materia propria logicæ: *Definitio est modus sciendi explicans essentiam rei per genus immediatum, & vltimam differentiam. Divisio quæ rectè totum in partes distribuit est iuste recta, sed divisio, quæ totum in partes immediatas, & non in remotas rectè totum in partes destribuit, ergo est iustè recta.* In quorum primo regulę definitionis, & in secundo regulæ argumentationis exercentur, sed non sistunt in mera contemplatione obiectorum, cum primus doceat, quomodo facienda est definitio, & secundus quomodo efformandá divisio, ergo.

312. Secunda conclusio. Logica, vt docens facta reduplicatione supra docens est necessariò practica. Logica verò

verò vtens facta reduplicatione supra vtens non est necessariò practica. Probatur quoad primam partem; docere, vt docere semper est dirigere, non sistere in mera contemplatione obiecti, & respicere dirigibile, vt dirigibile (quid quid sit, an respiciat scientificè nec ne?) sed actus, qui ita se habent sunt necessariò practici, ergo. Probatur quo ad secundam partem, vti vt vti non includit cognitionem necessario, sic de animalibus rationalibus sæpe, & propriè dicimus esse vtentia. De Leone, quod vtitur vnguibus, *De* Aquila, quod vtitnralis. Potentias materiales etiam vtentes compellamus, Diximus namque eas vti spiciebus. Manus que vti instrumentis malleo, serra & ad opera conficienda, sed actio, quæ ex se non est cognitio, ex se non est practica, cum ratio practici per cognitionem ab omnibus Phylosophis definiatur; ergo logica *vtens*, vt *vtens* practica necessario non est.

313. Tertia conclusio Logica habitualis, licet sit operativa, non est simpliciter practica, nec speculativa simpliciter. Probatur. Logica habitualis nil aliud est nisi quædam facilitas, quæ genita in intellectu ex repetitione actuū, & regularum logicalium ad similes producendos effectivè concurrit, sed facilitas, licet sit operativa, nequit esse practica, aut speculativa simpliciter, ergo. Patet minor ex dictis: facilitas non est cognitio, sed omnis notitia, vel practica vel speculativa debet esse cognitio; ergo.

314. Ex prima conclusione inferes, logicam quo ad illos actus speculativos non esse docentem, neque esse necessariò vtentem, vt patet in actibus reflectentibus supra modum sciendi iam factum v. g. (hic syllogismus est in forma) qui nec docet, nec in eo alia ex regulis logicæ exercetur.

315. Ex tertia conclusione inferes; logicam habitualem solúm dici practicam, vel speculativam denominativè ab actibus practicis, vel speculativis, quos producit: vnde etiam si logica habitualis orta ex actibus speculativis eos physicè producat, dicitur speculativa, non verò practica.

SVBSECTIO VIII.

ADSTRVITVR MODVS, QVO aliquibus suppositis posset defendi, logicam esse adæquatè practicam, & simul adæquatè speculativam.

316. HÆc conclusio, quæ implicatoria videtur, suppositis aliquibus contrariorum principijs facilè defenditur, vnde potius vt inconveniens ab eis illatum, quā absolutè defenditur.

317. Primo enim supponitur cum pluribus, actus intellectus solum esse practicos respectu actuum, qui fieri possunt ab eodem cognoscente. Secundo supponitur actus intellectus consistere in actione, passione, & termino, ac proinde nec obedientialiter posse actus intellectus ab alio produci. Tertiò supponitur, omnes actus speculativos assignatos à me, vel alios, qui assignari possunt ad logicam non pertinere, sed ad alias facultates, primi ad Animasticam, & secundi ad experientiam, quæ quidem omnia acriter tenent plures ex Adversarijs. His ergo suppositis.

318. Probatur conclusio. Illa sciētia est adæquatè practica, & adæquatè speculativa, cuius omnes actus sunt practici, & speculativi, sed ita se habent omnes actus logicæ, si supponantur, quæ numero antecedenti diximus, ergo: Probatur minor hic actus, v. g. *Definitio constat genere, & differentia* existens in Petro respicit definitiones tam factibiles á Petro, vbi est, quam factibiles à Paulo, vbi non est; sed respectu definitionum factibilium á Petro, vbi est, est practica, & respectu definitionum factibilium á Paulo, vbi non est, est speculativa; nam licet respiciat ipsas definitiones à Paulo factibiles, cum stando suppositis, eas ipse Petrus efficere nequeat, talis cognitio respectu illarum est speculativa, sicut in plurium sententia, cognitio *Dei* de enterationis ab homine factibile, & cognitio hominis de Angelo creabili á *Deo*, sunt speculatiuæ, quia neque ens rationis potest effici â Deo, neque Angelus ab homine produci.

319. Hinc infero, non repugnare eumdem met actum esse practicum, & speculativum respectu distinctorum obiectorum, quorum vnum respiciat contemplativè, aliud verò directivè, licet repugnet respectu eiusdem obiecti, quia sisteret, & non sisteret in eius contemplatione, & è contra dirigeret, & non dirigeret ad eius effectionem.

320. Obijc. 1. Si idem posset simul esse practicus, & speculativus, esset in duplici opposita specie; nam practicum, & speculativum sunt species, in quas cognitio dividitur; sed repugnat eamdem entitatem in duplici specie opposita collocari, ergo.

321. Respondetur. Nego sequelam, & eius probationem; esset enim in aliqua specie mixta, ex vtroque practico scilicet, & speculativo, sicut homo est species mixta ex vegetativo, sensitivo, & rationali. Species ergo oppositæ, in quas cognitio dividitur sunt practicum tantum, & speculativum tantum, & mixto ex vtroque, sicut species, in quas dividitur vivens, sunt vegetativum tantum sensitivum tantum, & mixtum ex vtroque: ille actus non esset practicus tantum, & speculativus tantum; vnde non esset in duplici opposita specie.

322. Objic. 2. Sicut actus est vnus, ita & ratio formalis, subquatendit, debet esse vna; sed si idem actus sit simul practicus, & speculativus nequit esse vna ratio formalis; ergo neque vnus actus.

323. Resp. Nego maiorem; nam dummodo duplex ratio formalis sit intra spheram alicuius potentiæ, potest idem actus duo obiecta sub illa duplici ratione formali respicere. Sicut enim nō officit vnitati actus pluralitas obiectorum materialium, ita nec pluralitas formalium. Et sicut ex duplici motivo idem actus potest elici, ita sub duplici ratione formali poterit idem actus tendere in distincta obiecta.

324. Objic. 3. Progredi ad opus, & non progredi ad opus; esse prius prioritate naturæ, & non esse prius prioritate naturæ, & non esse prius, sed posterius, prioritate naturæ sunt prędicata contradictoria, sed hæc sequerentur, si idem actus esset simul practicus, & speculativus; nam qua practicus esset prior suo obiecto, & qua speculativus esset posterior, ergo. Respondetur. Distinguo maiorem respectu eiusdem obiecti. Concedo respectu diversorum, sicut se habent actus á nobis positi, nego. Respectu namque diversorum obiectorum, non repugnat; eumdem actum esse simul priorem, & posteriorem.

325. Objic. 4. Ergo similiter dari poterunt, assensus, & dissensus respectu eiusdem obiecti in eodem intellectu ex diversis motivis. Probatur sequela, quia non est, cur multiplitas obiectorum materialium tollat oppositionem illam contradictoriam, & eam similiter non tollat multiplicitas motivorum.

326. Respondeo. Distinguo consequens. Si alias non repugnet assensus, & dissensus, sicut nō repugnat, eumdē actum esse simul practicum, & speculativum, vt â me probatum manet; concedo: Si aliunde repugnet, nego. Si tamen ad hanc distinctionem tibi objiciat aliqui hāc propositionē: Sed aliunde nō re-

repugnat, vel: Sed si non repugnat idem actus simul practicus, & speculativus etiam non repugnat assensus, & dissensus: Responde, transeat minor, & eo ipso exemplo tuam conclusionem confirma. Maximè hanc responsionem nota ad has, & similes obiectiones á paritate, præcipuè, illas, quæ cum ad varias quæstiones pertineant, earum resolutio tibi vsque nunc ignoratur. Vnde si assensus, & dissensus non repugnet, vt aliqui non repugnare defendunt, potius favet argumenti paritas. Si vero repugnet quid mirum, nullam habere paritatem cum actu practico, & speculativo, in quo nulla datur repugnantia: Quod vero repugnet, vel non repugnet ad te logicum practicum, non vero animasticum, non attinet.

327. Objic. 5. Ergo è contra poterit dari simul in eodem intellectu duplex cognitio, vna practica, & alia speculativa respectu eiusdem obiecti.

328. Pater Hurtadus, disp. 11. de anima §. 16. negat consequentiam; Eam concedit Arriaga. Huic assentior. Nullam namque in hoc repugnantiam invenio, & de facto in intellectu Divino datur scientia simplicis intelligentiæ practica, & scientia visionis speculativa de eodem obiecto. Tale enim obiectum esset producibile ab intellectu vi vnius cognitionis, & non esset producibile vi alterius, & licet vtraque cognitio obiectum operabile respiceret, vna respiceret illud sub dirigibilitate, alia vero sub speculabilitate.

DISPVTATIO SECVNDA de obiecto logicæ.

SECTIO I.

QVID, ET QVOTVPLEX sit obiectum?

329. OBiectum deducitur á verbo *obijcio*, vnde quod obijcitur potentię, vel quod attingitur á potentia, v.g. *color* est obiectum potentię visivæ. Antiqui subiectum, & obiectum confundebant. Nam subiectum est id, de quo aliquid dicitur, vnde latius patet, quam obiectum. Pater Molina, quem sequitur Linceus, lib. 1. Metaph. cap. 1. Extendunt rationem obiecti ad terminos cuiuscumque potentiæ etiam non vitalis. Vnde creaturę possibiles obiectum Omnipotentiæ ab eis appellantur. Communis modus loquendi solum insignit nomine obiecti terminos potentiarum vitalium. In re de voce hoc sequere, quia communius.

330. Obiectum dividitur in *materiale*, & *formale*. Ex vtroque totale actus obiectum consurgit, sicut compositum ex materia, & forma; obiectum *materiale* se habet sicut materia, indifferenter ad plura formalia. Obiectum *formale* sicut forma determinans obiectum *materiale* ad hanc potius potentiam quam ad aliam: Sic ens est obiectum materiale, per intelligibilitatem determinatur ad esse obiectum materiale intellectus, per amabilitatem ad esse obiectum materiale voluntatis. Unde *intelligibilitas* est obiectum formale intellectus, & *amabilitas* obiectum formale voluntatis.

331. Obiectum materiale, aliud est per se, & est, quod propriè attingitur á potentia, vt *color* á potentia visiua: aliud est *per accidens*, & est, quod nullo modo attingitur à potentia, vulgò tamen obiectum appellatur. Sic substantia parietis est obiectum per *accidens* potentię visiuæ, á qua dicitur videri paries, non quia eius substantia videatur, sed quia videtur albedo illi inhærens. Hinc fit, quod destructa substantia panis per cōsecrationem v.g. eodem modo videtur hostia, quia manet idem accidens, nempè albedo, quod propriè terminabat potentiam.

332. Obiectum materiale, aliud est primarium, seu proximum, & aliud secundarium, seu remotum. Obiectum primarium est, quod immediatè attingitur à potentia. Sicut Deus est obiectum primarium visionis Beatę. Secundarium est, quod licet per se non tamen immediate, & ratione sui, sed ratione alterius attingitur. Sicut creaturę possibiles sunt obiectum secundarium visionis Beatæ ratione conexionis, quam habet cum Omnipotentia, quę est obiectum primarium talis visionis.

333. Obiectum *per se*, aliud est adæquatum, quod scilicet per omnes actus potentiæ attingitur, vt lucidum, coloratum, respectu potētiæ visiuæ. Aliud verò inadęquatum, quod solum per aliquos actus, non verò per omnes attingitur. Sic color ceruleus respectu potentię visiuæ, qui per actus terminatos ad colorem album nigrum, &c. non attingitur.

334. Obiectum inadæquatum, aliud est attributum, & est id, quod ordinatur ad aliud, sive sit per ordinationem intrinsecam, sive per ordinationem extrinsecam, de quo postea. Obiectum attributionis est id, ad quod omnia obiecta atributa ordinantur. Sic Deus est obiectum attributionis Theologiæ, quia omnia, quæ tractantur in Theologia, ordinantur ad Deum.

335. Obiectum formale est triplex. Motivum, seu propter *quod*, sic sanitas est motivum accipiendi Medinam, scissionem venæ, &c. Hoc, vel, est intrinsecum, & attingitur ab actu ipso illud vt motivum habente, vel extrinsecum, seu impulsivum, quod non attingitur ab ipso, sed ab alio actu imperante. Sic actus Fidei, quo credo mysterium Trinitatis v.g. habet pro motivo intrinseco authoritatem Divinam revelantem, propter quod illi credo, & pro motivo extrinseco impulsivo, miracula, Martyria, consensum communem hominum, &c. Quæ non attinguntur ab eodem actu Fidei, sed ab alio impellante, quæ pia affectio nominatur. Nota; habere obiecta formalia motiva esse proprium potentiæ cognoscitivæ, & volitivæ. Potentiæ namque sensitivæ sine talibus motivis, sua obiecta attingunt. Nota etiam, aliquando obiecta formalia distingui ab obiectis meterialibus, vt cum credo Mysterio Incarnationis propter authoritatem *Diviuam* relantem, aliquando verò nou distingui, vt cum credo authoritati ipsi propter ipsam, seu amo Deum propter ipsum.

336. Aliud est obiectum formale terminativum, quod etiam appellatur formalissimum, seu obiectum formale sub *quo*, & est capacitas intrinseca obiecti materialis ad terminandum potiùs hunc actum, quam alium. Sic cognoscibilitas est obiectum formale terminativum intellectus, amabilitas obiectum formale terminativum voluntatis. Hæc capacitas est duplex: Una intrinseca quæ est adæquatè identificata cum ipso obiecto, altera extrinseca, quę est quasi denominatio extrinseca ab actu possibili illi proveniens, nam sicut obiectum denominatur extrinsecè cognitum cog-

cognitione actuali, ita denominatur extrinsecè cognoscibile á cognitione possibili. Nota, has rationes formales non attingi â potentijs signatè, sed solum exercitè. Sic licet potentia visiva tendat in obiectum sub visibilitate non dicimus videre visibilitatem. Ipsum obiectum materiale solet ab aliquibus obiectum formale terminativum *quod* appelari á distinctione rationis formalis, quam obiectum formale terminativum *quo* vocant. Ita Arriaga Linze, Ripalda, Oviedus, & alij.

337. Aliud denique est obiectum formale finale, & est, quod intenditur ab aliqua scientia, vel facultate. Hoc est proprium facultatum practicarum. Sic rectitudo actus intellectus dicitur obiectum formale logicæ. His prælibatis.

SECT. II.

AN VOCES SINT OBIECTVM materiale per se logicæ?

338. CVm eadem res pôssit esse obiectum materiale plurium facultatum iuxta varias, & diversas rationes formales consideratum, voces præcipue hac dignitate gaudent, ita ergo vt ens ad methaphyscicam, vt sonus ore animalis prolatús ad Animasticam, & armonicę ad Musicam; & mensurabiles ad Poæsim, vt congruê significantes ad grammaticam, vt ordinatè ad Rhetoricam, spectant. Vtrum autem, vt definitiones, divisiones, & argumentationes, seu vt supponentes pro definitionibus, divisionibus, & argumentationibus mentalibus, easque exprimentibus pertineant, vt obiectum ad logicam, in præsenti disputatur.

339. Prima sententia asserit; obiectum adæquatum logicę essę voces. Ita Nominalis. Gabriel, Ocamus, & alij. Licet eos explicare conetur noster Hurtadus.

340. Secunda sententia ex opposito asserit; voces nullomodo esse obiectum materiale logicæ. Ita Eximius Doctor, disp. 1. Meth. sect. 4. n. 72. Amicus, Uallius, Rubius, Alphonsus, Serna, Ponçe disp. 2. q. 4. Hurtadus, Oviedus, Comptonus, Arriaga disp. 2. sect. 3. Suarez, Lusitanus, tract. 1. Procemialium disp. 2. §. 2. Pein. tract. 1. Procœmialium disp. 2. sect. 2. Olcina num. 249. & 272. N. Olea, d. 46. n. 2.

341. Tertia sententia asserit, voces esse obiectum materiale, non totale, sed partiale logicæ. Ita Patres Fonseca 2. Meth. cap. 3. Linze, Quiroz, disp. 9. de obiecto sect. 3. á num. 24. Caram. per totam suam logicam vocalem, Sancta Cruz de obiecto logicæ á n. 54. & apud ipsum plures alij: Item M. Linz. lib. 1. q. 1. art. 3. n. 3. P. Maza d. 2. log. sect. 2. §. 2. n. 11.

342. Ante conclusionem nota; ex Doctoribus supra allegatis, aliquos excludere voces ab obiecto logicæ, quia non sunt propriê modi sciendi definitio, divisio, &c. cum in vocibus non detur propia affirmatio, vel negatio. Ita P. Olea n. 3. Alij eas intra obiectum logicę includunt, quia tenent, esse propriè modum sciendi, definitionem, divisionem, &c. & consequenter dicunt, affirmationem, vel negationem non ingredi in conceptum communem modi sciendi proprij, & simpliciter talis, sed solū indifferentialem. Ita P. Maza §. 5. n. 22. Alij admittūt; voces esse modū sciēdi improprium, & tamen adstruunt, esse propriè obiectum logicæ. Alium denique ingeniosum Neotericum legi defendentem, quod adhuc si sint modi sciendi, á logica non respiciuntur, vt obiectum primarium. Quibus varijs discurrendi modis quæstionem magna ex parte denomine faciunt.

Sit

343. Sit nostra specialis conclusio. Voces nullo modo sunt obiectum per se logicę practicæ, etiam si sint propriê modus sciendi; sunt tamen obiectum per se logicę speculativæ, etiam si sint modus sciendi impropriè. Conclusio duas cōtinet partes. Probatur quoad primam: obiectum notitiæ practicæ debet esse operabile; & dirigibile ab ea, sed voces non sunt dirigibiles á logica, etiam si sint propriè modus sciendi, ergo. Probatur minor. Artificium definitionis, divisionis, & argumentationis vocalium non est dirigibile á logica, sed á grammatica, ergo voces non sunt dirigibiles à logica, etiam si sint propriê modus sciendi. Probatur antecedens. Supposita definitione mentali, grammaticæ munus est prębere voces, quæ habeant definitionis artificium, ergo. Probatur antecedens Grammaticæ munus est præbere voces significantes conceptus mentis, res que ipsas non quocumque modo, sed eo modo, quo illi sunt in mente, & quo hę concipiuntur ab intellectu; sed eo ipso, quod voces repræsentent conceptus mentis, vt sunt in mente, & res ipsas, vt conceptæ sunt in intellectu v.g. definitionem, vt est in mente, & definitum, vt repręsentatur, & concipitur ab intellectu, habēt artificium definitionis. Patet, nam in mente conceptus illi tali artificio gaudent, ergo voces illos conceptus expeprimentes, vt sunt in intellectu tali artificio vtique gaudebunt; ergo etiam si voces illæ sint propriè modus sciendi, hoc est significent rem v.g. per genus, & differentiam, ac proinde sint propria definitio, non erunt obiectum primarium logicæ directivę, sed grammaticę.

344. Probatur secundo. Directio grammrticę est sufficentissima, vt supposita definitione, vel propositione mentali voces induant artificium definitionis, & propositionis vocalium; ergo omnino superflua est dirrectio logicæ, penitus que otiosi actus illi logicales, qui ad hāc directionē effingi solent; scilicet: *Definitio vocalis constat genere, & differentia vocali. Divisio debet constare vocibus univocé significantibus divisa, &c.* Probatur antecedens primo: Pone, esformata iam in mente recta definitione hominis v.g. reddi imposibilem omnem regulam logicalem vocum directivam, vel saltem intellectum penitus talium regularum oblivisci, tunc regulis grammaticæ instrūctus, si vellet eam vocibus exprimere sine vllo erroris prriculo definitionem vocalem eliceret, illi namque grmmatica has voces ministrabit *Animal rationale*, ergo. Probatur secundo. Omnis loquutio sufficientissimê dirigitur á grammatica, loquutio scilicet in materia Theologica, Phylosophica, Mathematica, &c. Aliás hæ facultates erunt vocum directivæ, & consequenter ex hac parte non erunt speculativæ, habebuntque voces vt obiectum partiale, ergo similiter loquutio in materia logicæ, quæ est species, quædam loquutionis ad grammaticam pertinebit.

345. Dices. Ex dictis solum sequi illam definitionem vocalem posse effici ex sola grammaticæ directione, non verò esse otiosam directionem logicæ, quia etiam definitio mentalis, potest absolutè elici sine logicæ directione, & tamen non infertur logicæ directionem esse otiosam erga definitionem mentalem. Aliud enim est, aliquid non esse simpliciter necessarium, aliud vero esse otiosum. Potest enim non esse simpliciter necessarium, & esse vtile, & ita se habebunt regulæ logicales circa voces. Deservient enim, vt artificiosè procedat, qui definitionem vocalem elicit, positque rationem reddere de rectitudine definitionis vocalis discernens, quid in illa sit genus vocale, quid verò vocalis differentia, quod fieri nequit per grāmaticam, quia cum ignoret, quid sit genus.

nus, quid verò differentia, ea solum instructus intellectus de hoc ratione reddere non potest. Quod explicat ingeniosus Magister exemplo auxilij efficacis probabiliter in esse efficacis per operationem conditionatam constituti, non verò per scientiam mediam. Vnde eodem modo coniungendum est cum effectu, sive in *Deo* detur scientia media, sive non. In qua sententia licet scientia media non sit necessaria ex parte effectus, tamen ex parte *Dei* est necessaria ad hoc scilicet, vt Deus in eargitione talis auxilij scientificè procedat cognoscendo esse efficax. Sic etiam si definitiones, divisiones, &c. vocales eodem modo rectę evaderent sine regulis logicalibus specialiter dirigentibus ad modum sciendi vocalem, nihilominus requiritur, vt qui efficit modos sciendi vocales, operetur scientificè, artificiosè cognoscendo, quæ vox sit genus, & quæ differentia.

346. Hæc doctrina probabilem, facilemque defensatu facit opinionem contrariam, nostramque non parum difficilem. Nihilominus respondetur, logicæ directionem circa voces esse non solùm otiosam, verum & nocivam. Est otiosa ad definitionem vocalem v. g. & vtilis ad definitionem mentalem, quia licet definitio mentalis possit absolutè elici sine logica, eliceretur tamen sine illa cum maximo errandi periculo, maximaque cum difficultate, vt postea videbimus, cûm de necessitate logicæ agamus. Ast posita definitione mentali hominis v. g. in mente, si grammatica voces ministret, vt ex suo munere ministrare debet, vllo absque periculo errandi fiet hæc definitio vocalis, *homo est animal rationale*, ergo ad hoc logicæ directio non requiritur. Nec ad vincendam gravem difficultatem requiri debet, quia si aliquis regulas grammaticæ optimè percalleat, nullam difficultatem habebit ad aptandas voces expræssivas conceptuum mentis eomodo, quo sunt in mente, quod solùm requiritur ad definitiones, divisiones, &c. vocales. Et hæc est ratio disparitatis inter vtilitatem logicæ ad modum sciendi mentalem, & inutilitatem ipsius ad modum sciendi vocalem.

347. Hinc etiam deducitur disparitas logicæ à scientia media. Quæ quidem non requiritur ex parte effectus eodem modo secututi posito auxilio efficaci *A*, v. g. sive in Deo præcedat, sive non præcedat ad talis auxilij collationem. Requiritur tamen hęc scientia ad providentiam Dei, hoc est, vt Deus in determinationibus ad liberum voluntatis arbitrium pertinentibus salva libertate creaturę possit sine periculo errandi procedere, cui quidem periculo se exponeret, si absque vlla pręvisione efficacitatis illius auxilij ex libera voluntatis determinatione provenientis, vel illam operationem prædefiniret, vel decerneret aliquid ab ea vt libera necessariò dependens. Si tamen absque illa prævisione *Deus* non se exponeret periculo errandi, talis pręvisio esset otiosa, sic illam otiosam iudicant Thomistæ omnes sua physica prædeterminatione nitentes; ergo si reddita impossibili ea directione logicæ circa voces dummodo directio grammaticę maneret sine vllo errandi periculo, facileque, & absque vlla difficultate fierent definitiones vocales, &c. omnino superflua, & otiosa debet censeri directio illa logicalis, ex quo.

348. Probatur tertiò conclusio. Non sunt multiplicandę entitates sine vrgenti necessitate: Sed nulla datur vrgens necessitas multiplicandi has regulas logicales vocum directivas, cum ad hoc grammatica sufficiat, vt iam probatum manet ergo.

349. Quod autem directio logicæ circa voces esset non solùm otiosa, sed etiam nociva. Probatur. Ponamus aliquem instructum regulis definitionis mentalis, scilicet: *Definitio debere constare genere, & differentia*. Et simul definitionis vocalis, nempe: *Definitio vocalis debet constare genere vocali, & differentia vocali*. forte elicere aliquem actum iudicantem; esse definitionem rectam, sed re ipsa ex non confirmitate cum prima regula irrectam, si tunc conformans se cum secunda illa regula circa voces, assumeret genus, & differentiam vocalia, actus esset illi regulæ conformis, & simul esset mendax, cum non repręsentaret conceptum mentis, vt est in mente; namque aliter se haberet, ac per definionem vocalem repręsentatur: Ergo tunc talis directio logicæ potius officeret, quã proficeret.

350. *Dices*, regulam illam circa definitionem vocalem nunquam se sola concurrere ad definitionem vocalem, sed simul cum grammatica, cuius est, voces congruas ad significandum conceptum mentis præbere. In casu enim posito recta definitio vocalis v.g. genus vocale, & differentia vocalis non essent voces congruæ, & capaces artificij logicalis. Unde ad talem definitionem vocalem tunc non concurreret grammatica, sed solum modò, cum voces sunt cõgruæ, & capaces artificij logicalis, & sicut ad definitionem hominis concurrunt Phylosophia conferens materiam, & logica dirigens formam, quin ex concursu Philosophiæ censeatur otiosus concursus logicæ, ita ad definitionem vocalem concurrit grammatica conferens voces congruas, & logica dirigens artificium.

351. Audias, precor, hanc consequentiam. Ergo si posita cognitione Philosophica hominis, poneretur tota hominis definitio, esset otiosa logicæ directio. Concedis consequentiam. Sed posita vocum congruitate, ponitur tota definitio vocalis, ergo otiosa est logicæ directio. Probatur minor. Posita in mente definitione hominis ita se habente *Animal rationale*, vox congrua ad significandum primum conceptum est *Animal*, & ad significandum secundum est *Rationale*; sed *Animal rationale* est tota definitio hominis; ergo posita vocum congruitate tota definitio hominis ponitur. Ideo enim ad definitionem hominis, & sic de alijs, concurrit cum Philosophia simul logica, quia eadem materia, si logica non concurrat, non habebit definitionis formam, vel si illam habet, erit maxima cum difficultate, & periculo errandi, vnde logicæ directionem necessariam esse, inferimus, sed posita vocum congruitate datur tota definitionis forma sine vlla difficultate, & periculo errandi; ergo ad hoc logicæ directio omnino superflua est, vel, si absolute sine respectu ad conformitatem cum mente voces dirigit, deducetur ponderatum inconveniens.

352. Probatur primo, quoad secundam partem; voces nempe esse obiectum primarium logicæ speculativæ, etiam si sint impropriè modus sciendi. Etiam si voces sint impropriè modus sciendi, in illis tamen dantur denominationes extrinsecę definitionis, divisionis, generis, differentiæ, &c. à conceptibus mentis provenientes, sed logica respicit voces sub his denominationibus; ergo etiam si sint impropriè modus sciendi sunt obiectum logicæ speculativę. Maior est certa, probatur minor. Grammatica non attingit has voces, scilicet has denominationes *generis, differentiæ*, &c. vt per se patet, neque ad aliam facultatem talis respicientia pertinere potest, ergo ad logicam pertinebit. Hoc enim rationi conformius videtur, quod scilicet scientiæ, ad quam pertinet vt principale obiectum definitio, genus, & differentia mentalis, etiam vt minus principale, licet primarium pertineat definitio, genus, & differentia vocalis. Actus autem hi speculativi erunt, quibus

bus logica sic reflectat. In hac definitione vocali *Homo est animal rationale*: illa vox *Animal* est genus vocale, & illa vox *Rationale* est differentia vocalis. Hæc est divisio vocalis, *animal*, aliud est *rationale*, aliud *irrationale*.

353. Confirmatur. Actus reflexus supra definitionem v.g. iam factam, quo dicam *Hæc definitio iuxta regulas logicæ constat genere, & differentia*, pertinet ad logicam speculativam, quia non est, cur directio actus ad logicam spectet, & cótemplatio, aut examen eius rectitudinis ad eam similiter non spectet? Ergo eodem modo actus reflexus supra definitionem vocalem, eius que rectitudinis examen ad ipsam logicam pertinebit, ad quam directio actuum internorum pertinet.

354. Probatur secundo. Licet non dentur regulæ logicales dirigentes modos sciendi obiectivos, definitionem v.g. obiectivam, nulla alia ratione nisi, quia posita definitione formali ponitur definitio obiectiva, vnde otiositas logicæ practicæ circa conceptus obiectivos cognoscitur, nihilominus conceptus obiectivi sunt obiectum per se primarium logicæ speculativæ, vt subsunt cóceptibus formalibus, & sortiuntur extrinsecas denominationes generis differentiæ, definitionis, &c. iuxta nostram, & plurium Adversariorum sententiam: ergo similiter licet non dentur in logica speciales regulæ dirigentes definitionem vocalem, & alios modos sciendi vocales ob rationes supra allegatas, ac proinde voces non sint obiectum logicę practicæ, tamen erunt obiectum primarium, & per se logicæ speculativæ respicientis voces sub specialibus denominationibus generis, differentiæ, definitionis, &c. Sub quibus conceptus mentis exprimunt.

(o)

SVBSECT. I.

ARGVMENTA CONTRA PRImam partem conclusionis soluuntur.

355. OBJ. 1. Artificium logicale à sola logica directivè provenire potest, sed Artificium definitionis vocalis est artificium logicale; ergo: probatur minor. Illud est artificium logicale, quod est conforme regulis logicalibus, sed illud artificium vocale est conforme regulis logicalibus: ergo.

356. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem distinguo maiorem. Quod est conforme regulis immediatê, & per se; concedo: Mediatê, & per accidens; nego. Cum enim artificium vocale conforme sit artificio mentali, & hoc sit immediatè regulis logicę conforme, inde est, quod artificium illud vocale sit saltem mediatè conforme regulis logicæ, hoc tamen nó efficit vt voces sint obiectum per se talium regularium. Patet pluribus exẽplis. Primò. Pictor potest depingere statuam conformem regulis artis statuarię, vnde pictura regulis statuariæ erit conformis, quin est hoc pictura vllo modo sit obiectum per se statuariæ. Secundò. Potest aliquis artis pictoriæ ignarus ex prototipo sibi proposito aliquam imaginem illi similem efformare, inquo casu artificium imaginis pictæ esset regulis pictoriæ conformis, & ab ipsis per se non proveniret. Utor potius exemplis artis pictoriæ, quia grammatica in proponendis exterius per voces conceptibus mentis, ei maximè assimilatur. Sicut enim statuam obiectum statuarię, & nó ipsius pictoriæ efformat coloribus in imaginem, quæ sit proprium ipsius, & non statuariæ obiectum: ita grammatica definitionem mentalem, quę est obiectum logicæ, & non ipsius, efformat exterius vocibus in definitionem vocalem, quæ sit obiectum ipsius, & non logicæ.

357. Tertiò. Definitio prima mentalis, antequam efformatæ fuissent regulæ, fuit illis conformis, & tamen ab eis non fuit directa, cum supponatur ante eas. Quartò. Si aliquis ignarus logicæ, & gnarus que linguę latinæ, & hispanę, vellet traducere ex latino in hispanum idioma hanc definitionem hominis latinè inventam ab ipso. *Homo est animal rationale*, ita diceret: *El hombre es animal racional.* En hic regulis logicæ non dirigeretur, cum earum penitus inscium supponamus, & tamen definitionem attingeret, immò & vocibus efformaret, ad quod regulis logicæ non egeret, sed notitia vtriusque linguæ. Similiter efformatio definitionis vocalis est quædam veluti traductio definitionis internæ, & mentalis in definitionem externam & vocalem ad quod directio logicalis nullomodo requiritur, sed tantúm notitia grammaticæ conferentis voces traductivas.

358. Obijc. 2. Si hanc definitionem mentalem, quam ego respisciens aliquem hominem efformarem, *Illud animal est animal rationale*, ita grammatica per voces exprimeret. *Illud animal est homo.* Item si hunc syllogismum, seu actum internum *omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, ita redderetur à grammatica, *omnis homo est animal, sed Petrus est animal rationale*, ergo *Petrus est animal*, perfectè, & plene suo muneri satisfaceret grammatica; ad hanc enim solum pertinet conferre voces sine solæcismo conceptus interni explicativas, sed illę essent sine solæcismo, expręssivę que conceptus interni, idem enim significatur per *hominem*, ac per *Animal rationale*, ergo suo muneri planè satisfaceret grammatica. Tunc sic. Sed tales voces non essent definitio vocalis, neque syllogismus vocalis esset in forma. Ergo ad hoc vltra grammaticam debent concurrere regulæ logicales, quæ voces dirigant.

359. Respondetur. Nec in vno, nec in alio casu suum munus implere grammaticam, quia licet re ipsa idem significet *homo*, ac *Animal rationale*, non tamen eodem modo, & grammaticę munus est non solúm exprimere conceptus mentis, sed exprimere eos eomodo, quo sunt in mente, sed cum est in mente *homo* in sua definitione: *Animal rationale*; non est vt cumque *homo*; ergo reddens illum conceptum per hanc vocem *homo* non adimplet proprium institutum. Sicut enim qui ex latino idiomate traduceret non rectè, & in toto rigore se gereret, si definitionem traduceret per definitum, vel definitum per definitionem, licet vtrumque idem significet; quia non significat eodem modo. Ita cum munus grammaticę sit non solúm conferre voces sine solęcismo, sed voces explicantes conceptum mentis traductivo modo, vt est in mente, illud non adimpleret modo proposito in argumento.

360. Obijc. 3. Artificium syllogismi vocalis potest esse logicæ rectus, & grammaticę irrectus, hic v.g. *omnis homo est animal, sed Petrus est homo*, ergo *Petrus est animal*: Ergo vna rectitudo est omnino independens ab alia. Respondetur, vtramque rectitudinem ad grammaticam pertinere, quod scilicet voces solæcismo careant, & quod repræsentent conceptum mentis, vt est in mente. In casu posito primæ parti sui muneris grammatica deficeret.

361. Obijc. 4. Voces sunt obiectum per se directivo modo Rhetoricæ, Poeticæ, & Musicæ secundúm speciales formas, quas induere possunt, ergo erunt obiectum logicæ directivo mo-

do,

do, secundum formam definitionis, divisionis, & argumentationis.

326. Respondetur, has facultates per se respicere artificium non præcedens in intellectu, sed solum in vocibus relucens, nempe vocum consonantiam, mensuram syllabarum ex modo brevi, vel lento pronunciationis pulchrum, & ornatum modum dicendi Tropis, & figuris dispersum. Quid ergo mirum si habeant pro obiecto primario voces modo directivo; logica vero nostra est scientia inventa ad dirigendos conceptus mentis, quid ergo mirum, quod voces pro obiecto non respiciat modo directivo? Insuper artificium illud Musicæ, Rhetoricę, & Poeticę difficillimè, & maximo cum periculo errandi fieret sine illis artibus, nec aliunde est alia facultas, quæ illud efficiat, at vero iam probatum manet, sine directione logicæ vocalis solúm ex directione grammaticæ supposita definitione mentali v.g. fieri definitionem vocalem vlla absque difficultate, & sine vllo periculo errandi.

363. Replicas. Posset aliquis dicere ad grammaticam pertinere Poesim, ac proinde cum loco huius carminis, *Conticuere omnes, intenti que ora tenebant,* diceret soluto modo, *Omnes conticuere, ora que tenebant intenti.* Licet sine solœcismo suo muneri non satisfacere, quia non repræsentat conceptum mentis eo ordine, & modo, quo sunt in mente. Probatur. Per nos, si loco huius syllogismi mentalis *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal* redderet hunc grammatica *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo animal est Petrus, vel ergo aliquod animal est Petrus.* Suum munus non impleret grammatica, solum quia in consequentia non apponit suo ordine voces, prius scilicet *Petrum*, postea vero animal, ita: ergo *Petrus est animal*, ergo similiter non ad impleret munus suum, apponendo prius *omnes* postea vero *conticuere*.

364. Resp. In primis apud omnes Poesis solum respicit voces, tota enim dependet ex syllabarum quantitate, & hęc ex hominum libera pronuntiatione, ergo cum totum hoc non detur in intellectu, grammaticæ, cuius est munus repræsentare conceptus mentis, vt sunt in mente, non erit munus repræsentare illum conceptum, dicendo potius *Conticuere omnes* quam *omnes conticuere* vnde cū si in intellectu nō sit prius conticuere, quam omnes, nec è contra, eodem modo ad implebit munus suum grammatica, dicendo *Conticuere omnes*, ac *omnes conticuere*. Aliter enim erit si loco illius consequentiæ, ergo *Petrus est animal*, dicat. *Ergo animal est Petrus*, nam hęc expressio non correspondet illi conceptui: Ille namque conceptus verissimus est, & hæc expræsio falsa, nam verum est *Petrum esse animal*, & falsum est *Animal esse Petrum*, sonat enim vniversalitatem hoc modo *Ergo omne animal est Petrus*, quod ipsa falsitate falsiús est. Si verò deducatur conclusio particularis hoc modo. Ergo *aliquod animal est Petrus*. Respondetur, hanc non esse conclusionem directam, sed indirectam. Conclusio autem indirecta non solûm voces, sed conceptum internum notabiliter immutat, in quo Petrus concipitur vt subiectum sustentans prædicatum, at in conclusione indirecta iam Petrus se habet vt prædicatum sustentatum, & in hoc distinguitur syllogismus dispositus in *Darij* á syllogismo disposito in *Dabitis*; in illo enim conclusio est directa, in hoc verô indirecta.

365. Obijc. 5. Regulæ logicales circa syllogismum in *Frisesó* distinctæ sunt á regulis circa syllogismum in *Ferio*. Sed si voces vt obiectum practice non attingerent, non distingerentur: Ergo. Maior est certa, nam cum sint diversi modi diversas regulas eis debent adaptari. Probatur minor. Syllogismus in Frisesó distinguitur á syllogismo in *Ferio* tantum in collocatione propositionum primo, vel secundo loco, nam vbi *Frisesó* ponit particularem affirmativam *Ferio* ponit vniversalem negativam, & è contra vbi *Frisesó* ponit vniversalem negativam, *Ferio* ponit particularem affirmativam. Consequetia verò eadē particularius negativa deducitur in vtroque. Atqui hæc collocâtio propositionum iam primo, iam secundo loco solum relucet in vocibus, quia in mente simul, & semel eliciuntur præmissę, neque vna propositio est prior alia; ergo si regulę pro vtroque distinguntur voces, consequenter attingunt.

366. Respondetur. Totum argumentum fundatur, & vim habet supposito, quod discursus, seu syllogismus sit simplex qualitas, nec in mente vna propositio sit prior altera, sed simul, & semel existant. Quod si negem asserens, in mente relucere illam prioritatem, & posterioritatem propositionum, iam regulæ vtriusque syllogismi, quin deveniant ad voces, habebunt sufficiens distinctivum, totumque argumentum cum probabilissima opinione corruet, sed hoc permisso, aliunde solutionem deduco, eo scilicet quod consequentia syllogismi in *Frio* sit directa, & consequentia syllogismi in *Frisesó* sit indirecta; vnde diverso modò se habet ad huc in mente primus, & secundus syllogismus. Illa enim immutatio subiecti in prædicatū, & prędicati in subiectum attinet non solum ad immutationem vocum, sed etiam conceptuum, vt in Responsione ad pręcedens, argumētum vidimus. Unde iam regulæ distinguentur, quin á vocibus distinctionem accipiant.

367. Obijc. 6. Dantur in intellectu actus, qui solum verificantur de conceptibus mentis, vt: *Definitio mentalis explicat essentiam rei, &c.* Alij verò, qui solum de vocibus verificari queunt, vt *definitio vocalis constat genere, & differentia vocali, &c.* Cum contendunt adversarij, hos secundos actus ad logicam pertinere, nos renuimus, asserentes ad grammaticam spectare; ergo ipsi adversarij eadem voluntarietate, cum nos ostendimus primos actus ad logicam pertinere, poterunt renuere asserentes, non pertinere nisi ad Animasticam. Et sicut nos ex solis regulis dirigentibus actus intellectus logicam efformamus, ita ipsi ex solis regulis voces respicientibus poterunt logicam efformare. Si tamen dicamus, animasticam non curare de modo sciendi, sed solum de vitalitate actuum, ita & ipsi retorquent; grammaticam non curare de modo sciēdi vocali, sed solum de congruitate vocum; & cum aliás nos supponamus modos sciendi vocales esse propriè modos sciendi, non licet ad effugium improprietatis recurrere.

368. Respondeo, quod si aliquis similem discursum efformaret, assereret que, voces esse obiectum adæquatum logicæ, incideret in sententiam, quę attribui solet Nominalibus, quæ nemini præter ipsos huc vsque placuit, immò neque ipsi unquam placuisse, tenet Pater Hurtadus eos ab hac sententia, vt ab impostera excusans; vnde asserere logicam solum respicere voces, & non conceptus mentis, esset omnino voluntarium, & contra omnes Doctores. At vero, quod non sit omnino voluntarium affirmare, logicam solúm respicere conceptus mentis directivè, vocesque ad grammaticam tantum directivè spectare, iam supra probatum manet, & ita maior, & melior pars Doctorum tenet. Reliqua, de quibus in argumento, iam supra soluta manent, & iam solvenda.

369. Objic. 7. Non repugnat hi, & similes actus in intellectu: *Definitio vocalis constat genere, & differentia vocali*, sed hi non pertinent ad grammaticam, quia hæc

hæc nihil curat de definitione, ergo ad logicam, cuius munus est definitionem dirigere.

370. Resp. Tales actus non repugnare, & esse logicales, sed non esse practicos, sed speculativos, nam vt in secunda nostrę conclusionis parte diximus, voces sub his denominationibus extrinsecis definitionis, generis, & differentiæ contemplativè ad logicam pertinent. Talis actus non erit practicus, quia non est directivus, directio namque vocum directa ad grammaticam spectat, & aliás non requiritur direct o reflexa sub ratione generis vocalis, differentiæ vocalis, &c. Cum hę denominationes posita tantum directione directa grammaticæ, & repræsentatione actuum internorum induant necessário voces. Eo ipso namque, quod hæc vox *Animal* repræsentet conceptum internum animalis est genus, & eo ipso, quod hæc vox *rotionale* repræsentet conceptum rationalis est differentia vocalis. Vnde otiosa penitus esset regula dirigens vocale reflexe vt genus, &c. cum sufficiat regula dirigens directè.

371. Replicabis primò. Ergo grammatica non attingit definitionem vt talem. Respondeo. Concedo consequentiam. Instas. Ergo saltem, vt dirigantur voces reflexè, vt definitiones, &c. requiretur logica, cum ad hoc grammatica nō sufficiat.

372. Iam dixi: Otiosam esse directionem reflexam vocum secundum denominationem definitionis, divisionis, &c. cum sufficiat directio directa, & exercita grammaticalis. Sic qui traduceret definitionem ex vno idiomate in aliud, non attingeret eam vt definitionem reflexè: Sic etiam Faber efficiens sphæram ligneam iuxta regulas Astrologiæ ab his non dirigitur, sed tantum á proprijs regulis suæ artis directus eam efformat, quin reflexè cognoscat ab ea repręsentari Sphęram Cælestem, prout est obiectum Astrologię, etiam si posset contemplare, illam Sphæram conformem esse Sphere Cælesti, quæ est principalius obiectum Astrologiæ, si alias vtriusque facultatis regulis sit instructus. Ita evenit in nostro casu, & in logica.

373. Replicas 2. Si aliquis Pictor artis ferrariæ aliás regulis instructus vellet clavem depingere, maximè iuvaretur ad eam facilius depingendam regulis ferrariæ, ergo qui regulis logicæ instructus, illa precipué *Definitio vocalis explicat essentiam rei per genus, & differentiam vocalem*, vellet efformare definitionem vocalem, illa certè dirigeretur, & non solum grammatica in electione vocum; ergo talis regula esset practica, directivaque.

374. Respondeo. Non omnes notitias, quibus iuvatur intellectus ad aliquid facilius, & perfectius operandum, esse practicas, vt sæpe notavi. Sic ex notitia Theologica speculativa depeccatis, & bonitate Dei iuvatur voluntas ad odio habendum peccatum, & ad amore prosequendum Deum, & traductor alicuius operis Theologiæ ex vno in aliud idioma, si Theologus sit, notitia Theologica speculativa maximè intraducendo iuvatur; ergo licet, qui eliceret vocalem definitionem, iuvaretur ad melius, & perfectius eliciendam illa cognitione *Definitio vocalis constat genere, & differentia vocali* non esset practica respectu illius, cum talis cognitio non respiciat definitionem illam vocalem, eius directionem intendens, quod ad rationem notitię practicæ necessario requiritur. Aliàs si argumentum valeret, inferretur; artem pictoriam practicè respicere clavem, obiectum artis ferrariæ.

375. Obijc. 8. Grammatica non curat, quod definitio sit clarior suo definito, quod non tradatur per synonima, quod vox non sit æquivoca; ergo ad hoc requiritur logica.

376. Respondeo: distinguo antecedens. Non curat reflexè, concedo: Directè, nego. Et nego suppositum, quod vt definitio sit clarior, non sit synonima, neque ęquivoca requiratur ea reflexa directio. Nam sine tali reflexa directione, eo ipso quod grammatica conferat voces expressivas conceptuū mentis, seu definitionis, vt est in mente, definitio vocalis erit clarior, non erit synonima, nec ęquivoca.

377. Obijc. 7. Omnis modus sciendi propriè talis est obiectum per se logicæ; ergo si voces supponantur propriè modus sciendi, erunt logicæ obiectum.

378. Respondeo; distinguo antecedens. Est obiectum per se logicæ speculativę, vel practicæ concedo: practicæ necessário; nego. Solum est obiectum per se logicæ practicæ modus sciendi ab ipsa dirigibilis, quales non sunt voces, etiam si sint propriè modus sciendi. Et patet exemplo picturæ, quæ sine regulis artis pictorię fieret, quę esset propria pictura, & non esset obiectum artis pictoriæ practicæ, & syllogismi traducti ex vna lingua in aliam ab ignaro logicę, qui non esset obiectum logicę practicę, & tamen esset propriè modus sciendi.

379. Obijc. 10. Id, quod participat rationem formalem scientię, est obiectum per se illius, sed voces participant rationem formalem logicæ. Ergo. Probatur minor. Voces sunt propriè modus sciendi, ergo participant dirigibilitatem in modum sciendi, sed hæc est ratio formalis logicę. Ergo.

380. Respondeo. Concedo maiorem, & distinguo minorem: Participat rationem formalem logicæ practicæ, nego. Speculativę; concedo. Ad probationem, distinguo consequens. Dirigibilitatem in modum sciendi per se, & formaliter, nego. Per accidens, & indirectè; concedo. Dirigibilitas, quam participant per se, & formaliter voces, est dirigibilitas in locutionem humanam, cum autem hæc debeat esse conformis conceptibus mentis, & hi sint definitio, divisio, &c. Et ipsæ locutiones humanæ evadunt similiter *Definitio, Divisio*, &c. ac proinde *modus sciendi*, ast cum á grammatica non intendatur reflexé hęc rectitudo, inde est, quod eam participent indirectè, & per accidens.

381. Replicabis: Definitio vocalis est modus sciendi operatus; ergo & modus sciendi operabilis; nam ab actu ad potentiam valet consequentia; ergo definitio vocalis habet operabilitatem modi sciendi; ergo & rationem formalem logicæ.

382. Resp. Distinguo antecedens. Est modus sciendi operatus; operatus vt modus sciendi reflexè, nego; operatus vt locutio humana. Concedo. Vnde eodem modo est operabilis, & dirigibilis, nō ab aliqua regula, quæ signatè, & reflexè intendat eam dirigere, & operari vt modum sciendi, licet ex eo, quod vt locutio humana dirigatur, evadat modus sciendi necessário.

383. Objic. 11. Institui potest quædam facultas, quæ iuvenes iam grammaticá imbutos doceat efformare definitiones, divisiones, &c, vocales, nulla facta mentione actuum mentis, quæ quidem facultas esset logica vocalis, & voces vt obiectum respiceret; Sed ita se habet nostra logica, idem enim, quod illa doceret, hæc docet; ergo.

284. Resp. Nego maiorem, & hinc patet, non solum esse otiosam, & superfluam logicam vocalem, verum & omnino nocivam. Quia cum voces sint essentialiter expressivę conceptuum mentis, & ad hoc inventę sint, habeant que totum artificium modi sciendi ex conformitate cum modo sciendi interno, nequeunt dirigi in modum sciendi, quin

quin vlla mentio fiat actuum internorum,quibuscum conformantur; dirigũtur namque vt conformes;nam diriguntur vt locutio humana ; ergo per actus directivos præscissê debet attingi conformitas vocum cum actibus;ergo cum hoc non habeat vestra logica vocalis, omnino inutilis, & nociva esset, alias si dirigeret absolutè sine respectu ad actus internos, esset inductiva erroris, ac proinde scientia,& non scientia.

385. Objic.12. Logica est sermocinalis;a Uerbo enim græco *logos*,quod Sermone significat, cognomen assumpsit;ergo quia agit de vocibus. Respondeo,logicam sermocinalem appellari à Sermone interno,non ab externo.

386. Objic.13.In logica apposuit eius inventor Aristoteles libros Elenchorum , vbi de æquivocis , vnivocis, Analogis , & Sophismate. Item libros de Peryhermenijs,vbi de significatione terminorum,de restrictione , amplificatione,signis ad placitum,&c.quę omnia in vocibus tantum relucent;ergo saltem quo ad hanc partem logica habet pro obiecto voces.

387. Respondet Arriaga. Logicam agere obiter de his. Contra ; agere obiter est propriê agere: ergo & propriê erunt voces logicę obiectum. Alij respondent;logicam agere de his vocibus ratione conceptuum mentis , quos exprimere intendit.Sed contra : agere de vocibus,licet ratione alterius , est propriê voces respicere , sic de obiectis attributis agit in ordine ad obiectum attributionis , & tamen obiecti attributa sunt propria obiecta , ergo similiter & voces.

388. Respondeo cum Patre Comptono.Aristotelem locis citatis grammaticum egisse; Nam cum advertisset, ob verborum,& vocum æquivocationes,eo temporis magnas committi fallacias necessum iudicavit, aliquas voces in supplementum grammaticæ explicare,quibus non logica,sed logici instruerentur ad eas fallacias vitandas. Sic Medicus, non Medicina,curat de corporo anotomico,quod *Escheletus* dicitur.Sic Astrologus,non astrologia , agit de sphæra lignea,vbi cęlorum motus facilè percipiat. Sic denique in Theologiæ prima, & tertia parte agitur de modo loquendi circa Mysterium Trinitatis,& Incarnationis. In Iurisprudentia,titulo de Verborum signatione , agitur de vocibus, quin ex hoc liceat inferri, Theologiam, & Iurisprudentiam voces vt obiectum respicere ; ergo etiam si illi tractatus reductivè pertineant ad logicam , ipsa tamen voces illas vt proprium obiectum non respiciet. Nisi velis,eas speculativè respici,quod concedere non renuam.

389. Instas primò.Plures voces inventæ sunt ad logicam , quales etiam grammaticæ periti in vsu non habent, immò nec intelligunt v. g. *forma liter, virtualiter , Exercitè, signatè, &c.* Cur enim hæ ad grammaticam, quæ eas non intelligit, pertinebunt , & non ad logicam, quæ eis vtitur?

390. Respondetur , has voces ad grammaticam pertinere secundum vsus communes, secundum verò vsus particulares non ad logicam , sed ad logicos spectare, eis tamen, vt se facilius explicent , vtuntur. Aliás omnes scientię, & artes mechanicæ voces pro obiecto habebunt, cum habeant peculiares terminos, quibus ipsi mechanici , & non alij vtuntur. Sic Nautica habet has *Babor, Estribor, Aorsa.* Sic Fabrilis *Gurbia, Perlan,* sic Domifactoria, *Canes, Soleras, &c.* Quin ex hoc voces vt obiectum respiciant, quia hæ ad artifices , non ad artem spectant.

391. Instas secundo. Logica docet, & docere docet ; deseruit enim , vt ad invicem conferamus , & disputemus circa essent iam modi sciendi, publicè que, & privatim arguamus, quod nisi per

per voces fieri nequit, est enim scientia humana, quę ad distinctionem scientię Angelicæ per voces intelligit , & intelligitur; ergo eas vt obiectum respicit.

392. Retorqueo instantiam in actibus, & facultatibus mechanicis , quæ docent , & etiam docere docent , communicantur Dicipulis , & Tyronibus, medijs vocibus , vt pote facultates humanæ. Sicut enim hoc non obstante nõ respiciuntur voces ab illis facultatibus, nec á Theologia, & Philosophia vt obiectum , ita nec á logica. Cum illarum vocum vsus non sit ex necessitate scientiæ, sed ex necessitate hominum, & cõmunicationis humanæ. Vnde si solum esset vnicus homo in mundo, vel omnes essent muti, perfectissimé in eis salvaretur tota essentia logicæ practicę, & exercitium suæ doctrinæ in actibus intellectus, definitionis scilicet, divisionis & argumentationis mentalium.

393. Replicas.Satisfactio est obiectum Pœnitentiæ,quia licet hæc essentialiter salvetur sine illa , per illam tamen integratur in esse remissivæ quoad pœnam; ergo licet logica essentialiter salvetur sine sermone externo , hic erit obiectum ipsius , cum in esse sermocinalis per ipsum integretur.

394. Resp. Pœnitentiam ex se esse remissivam peccati quoad culpam , & quoad pœnam , ideoque vtramque remissionem respicit, & quidquid ad eam integrandam spectat , nempê satisfactionem.At vero logica practica solum respicit vt obiectum sermonem internum,qui in esse talis per sermonem externum non integratur , quem propterea vt obiectum non respicit.

395. Objic.14.Licet adoratio externa vocalis, & confessio fidei per voces sint impropriè adoratio,& confessio pertinent ad eumdem habitum Religionis , & Fidei simul;quia respiciunt idem obiectum,ac adoratio, & confessio Fidei interna,ita Hurtadus, Arriaga, & Lugo,disp.14.de Fide,n. 9. ergo cum syllogismus vocalis v. g. respiciat idem obiectum,ac mentalis, & aliunde á nobis propriè modus sciendi supponatur, ad eumdem habitum logicalem pertinebit,vt obiectum.

396. Possem negare argumenti antecedens cum Eximio Doctore,disp. 6.de virtutibus,sect. 3. Uazquio, Molina,Valencia , & alijs, nec ipso Arriaga improbante prima secundæ disp. 33.n. 41. ponendo distinctos habitus temperantiæ,pœnitentiæ,&c. pro actibus externis ac pro internis ; quia sunt in distinctis potentijs,sed syllogismus externus est in potentia locutiva , internus vero in intellectu,ergo pro eis distinctę facultates ponendæ sunt. Item plures cum Patre Ruiz,disp.31.de providentia sect.7.statuunt pro actu externo gratiam cooperantem distinctam , ac pro actu interno:ergo ponenda est distincta facultas auxiliatrix regulans,& operans syllogismum mentalem internum á facultate dirigente syllogismum externum.

397. Sed Resp.Distinguo antecedens Pertinent ad eumdem habitum religionis , & Fidei præscisse,quia respiciunt idem obiectum. Nego,quia finis intentus ab illis virtutibus,vel partialiter relucet , vel saltem integratur per actus externos, concedo. Sic diximus iam , pœnitentiam respicere vt obiectum satisfactionem externam , quia finis pœnitentiæ est,vt remittantur culpæ etiam quoad pœnam , & per actus externos hoc consequitur. Finis Misericordię est remedium Pauperis,& hoc per elargitionem externam Eleemosynæ obtinetur.Finis virtutis Religionis est exhibitio honoris , & cultus Deo debiti,& actio externa , submissio scilicet,hunc honorem exhibet. Confessio Fidei est manifestatio significans veritatem obiecti revelati, quæ manifesta-

tio

tio integrat veritatem Fidei; at vero cum logica non intendat manifestationem externam modi sciendi, finis ipsius per syllogismum externum non integratur, vnde illum non dirigit, neque respicit modo directivo.

SVSBSECT. II.

ARGVMENTA CONTRA SEcundam partem conclusionis.

398. OBjic. 1. Si voces sunt impropriè modus sciendi, non participant rationem formalem logicæ: ergo nec sunt obiectum logicæ speculativæ. Probatur antecedens. Ratio formalis logicæ, vel est dirigibilitas in modum sciendi, vel speculabilitas modi sciendi, sed voces non habent dirigibilitatem in modum sciendi, vt manet probatum; & si sunt impropriè modus sciendi, nec speculabilitatem modi sciendi habent. Ergo: Probatur minor: quoad secundam partem id quod non est modus sciendi verè, & scientificè, nequit cognosci, vt modus sciendi, sicut id, quod non est homo nequit per actum verum cognosci vt homo, sed id, quod est impropriè modus sciendi, verè non est modus sciendi, ergo nequit vt modus sciendi cognosci; ergo neque habet cognoscibilitatem modi sciendi; ergo neque rationem formalem logicę speculativę.

399. Respondeo. Nego antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & minorem quo ad primam partem, & distinguo quo ad secundam, si sunt impropriè modus sciendi, neque speculabilitatem modi sciendi habent, speculabilitatem modi sciendi proprij: Nego. Speculabilitatem modi sciendi proprij, concedo. Ad probationem distinguo maiorem, nequit cognosci vt modus sciendi proprij, concedo; vt modus sciendi improprij, Nego. Et ipso exemplo hominis improprij solutio declaratur. Homo pictus est impropriè homo, & potest terminare cognitionem scientificam, qua vt homo pictus, & improprius cognoscatur; quod enim repugnat, est, quod homo improprius cognoscatur vt homo proprius per cognitionem scientificam. Ita vel licet voces sint impropriè modus sciendi, habent propriam cognoscibilitatem talis *esse* improprij, sub qua cognitionem logicam scientificam terminant.

400. Objic. 2. & replic. Cognoscibilitas modi sciendi, definitionis vocalis identificatur cum definitione vocali, sed definitio vocalis est impropria definitio, ergo & cognoscibilitas erit impropria.

401. Retorqueo. Ergo definitio vocalis est etiam impropria oratio, immò & impropriè ens. Patet: ratio orationis, & entis identificatur cum illa definitione vocali, sed definitio vocalis est impropria definitio, ergo & impropria oratio, & ens improprium. Respondeo ex argumento sicut ex antecedenti nil cōtra nos. Nam ex eis ad summum inferretur, definitionem vocalem esse impropriè cognoscibilem, non vero non dari circa illam aliquam propriam, & scientificam cognitionem. Sic ens rationis non est propriè cognoscibile (loquor in cōmuniori sententia negante supra transcendentes) & terminat cognitionem sciētificam, immò & cognitionem Divinam, propriè tales; sed necessum non est ad hanc Doctrinam recurrere. Nam quod voces non sint propriè modus sciendi, non est ratione alicuius improprietatis positivæ, quæ illis insit, sed solum ratione improprietatis cuiusdam præscisivæ. Hoc est, nō quia non sunt propriè ens, propriè voces, propriè accidentia, &c. Sed quia in illis non datur propria affirmatio, & negatio, quæ iuxta suppositum requiritur ad proprium modum sciendi: vnde sicut sunt propriè voces, & accidentia non obstante hac improprietate in ratione modi sciendi, ita erunt propriè obiectum cognitionis logicæ speculativæ ea improprietate nō obstante, non aliter, ac homo pictus, licet sit impropriè homo, est proprie obiectum potentiæ visivæ.

402. Objic. 3. Per nos in logica non ponuntur actus practici circa definitionem vocalem, quia cum hæc sufficienter dirigatur á grāmatica non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate; ergo neque ponentur actus speculativi, cum etiam sufficienter cognoscatur ab ipso intellectu, & non sit necessitas multiplicandi tales actus.

403. Confirmatur. Illi actus qui á nobis logici appellantur v. g. *hac definitio vocalis constat genere, & differentia vocali* ad vim discursivam, & non ad logicam spectat. Nam intellectus logicis, & grammaticis principijs instructus, hunc discursum efformat. *Omnis definitio mentalis constat genere, & differentia mentali* en præmissa logica, *sed omnes voces repræsentant obiectum eo modo, quo ab intellectu repræsentatur*, en grammatica. His prēmissa, *Ergo omnis vox pro mentali definitione supposita repræsentat rem per genus vocale, & differentiam vocalem.* Tum sic. *Sed hac vox animal rationale pro mentali definitione supponitur, ergo constat genere, & differentia vocali.* Hæc ergo vltima cognitio ad vim discursivam reduci debet.

404. Respondeo: In ipso argumento evidenter convincitur eius falsitas. Non enim ducti illo principio. *Non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate*, negamus præter influxum grammaticalem omnem alium influxum sive logicæ, sive alterius facultatis. At verô argumentum licet tollat á logica cognitionem speculativam definitionis vocalis, illam non vitat, sed potius eam multiplicat, & concedit intellectui secundum vim discursivam, ex quo sic argumentum retorqueo. Intellectui non conceditur aliqua cognitio practica circa voces distincta à cognitione grammaticæ, quia non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate; ergo neque cognitio aliqua speculativa: si enim hanc consequentiam á me positam neges, ita hanc consequentiam á te positam *logica non conceditur cognitio directiva vocum præter cognitionem grammaticæ; ergo neque cognitio speculativa*, nos negamus. Ratio est, quia cognitiones speculativæ taxandæ non sunt, sicut cognotiones practicæ. Ad has enim multiplicandas necessitas effectuum attendenda est, ad illas verô concedendas solúm capacitas obiecti debet attendi. Obiectum enim, nempe definitio vocalis, etiam si sit impropria definitio capax est, vt cognoscatur sub nomine definitionis; ergo cognitio speculativa, quæ ad has denominationes terminetur, concedi debet. Quod autem hæc ád grammaticā, non spectet extra dubium est.

405. Quod debeat ad logicam, & non ad vim discursiovam pertinere, ex nostris probationibus demonstratur, præcipuè paritate cognitionis reflexæ circa definitionem mentalem iam factam, quæ ad logicam, & non ad vim discursivam spectare, iam supra probavimus, & concedunt plures ex adversarijs. Ratio â priori est, quia cum datur scientia, cui commode possit attribui aliqua cognitio, ad vim discursivam reducenda non est. Hoc enim cōducet ad perfectiorem statum scientiarum, & vt scientiæ patentiorem habeāt campum, quo se extendant.

406. Objic. 4. Si voces essent obiectum logicę speculativæ, etiam essent obiectum aliarum scientiarum. Nam sicut logica vtitur vocibus ad manifestandos suos conceptus, ita aliæ scientiæ sua obiecta per voces manifestant, ergo:

407. Respondeo. Negando paritatem. Nam cum in vocibus reluceat illud artificium definitionis, divisionis, & argumentationis, licet improprium, ex defectu affirmationis, & negationis, deribatum tamen ab actibus internis, quos exprimunt, & in quos logica tale artificium introducit, datur fundamentum ad asserendum; logicam eas voces secundum tales denominationes respicere, quod in Philosophia, Theologia, &c. non reperitur, si autem aliqua facultas se habet respectu vocum, sicut se habet logica, voces sicut logica respicict [sic].

408. Objic. 5. In Angelo, & Muto datur perfectè logica, & tamen in eis non dantur definitiones vocales, &c. quas contempleatur. Ergo sine talibus actibus speculativis salvatur perfectè logica.

409. Aliqui asserunt; logicam Angelorum esse distinctæ speciei à nostra logica, alij verò in Angelo, & mutis, non dari logicam adæquatè. Ego vero admito [sic], esse eiusdem speciei, & teneo in vtroque logicam adæquatè reperiri; ac proinde actus speculativos, licet non definitionis, & divisionis vocalium ab ipsis factarum, factarum tamen ab alijs, sicut in Deo datur cognitio speculativa entis rationis ab homine facti, quod ab ipso Deo factibile non est. Potest enim, vel Angelus cognoscens, vel mutus audiens Petrum ita hominem definire *homo est animal hennibile*, intra se dicere. Hæc definitio vocalis recta non est, cũ non definiat hominem per propriam differentiam vocalem. Aliter verò si cognoscant Ioannem ita hominẽ definire *homo est animal rationale* assentire, hanc definitionem esse rectam: Ergo in Angelo, & Muto dantur actus speculativi circa modos sciendi vocales, ac proinde logica adequatè, & secundum omnes suos actus.

SECT. III.

VTRVM CONCEPTVS OBIECTIVI sint obiectum per se materiale logicæ.

410. PRima sententia tenet, conceptus obiectivos esse adæquatum obiectum logicę. Pro hac cõmuniter citatos video Patres Vallium 2. parte Logicæ q. 1. cap. 16. & Rubium, q. 6. Proemi. Sed mihi contrarium videtur, asserere in eadem quæstione, n. 36. pro ea plurimos modernos citat.

411. Secunda sententia tenet, conceptus obiectivos esse obiectum materiale per se primarium logicæ, licet nõ adæquatum, ita acriter Sancta Cruz, de obiecto logicæ n. 86. pro ea citans Patrem Vazquium, Hurtadum, Gandunum, & alios. Eam etiam tuentur Pater Quiroz, 9. logicę, sect. 5. & nobiles Recentes. Hanc etiã conclusionẽ tenet, licet non sub expressione obiecti primarij M. Linc. l. 2. quæst. 1. art. 3. num. 12.

412. Tertia, & communior defendit, conceptus obiectivos esse obiectum materiale per se logicæ, secundarium tamen, non verò primarium: ita P. Arriaga disp. 2. logicæ sect. 2. Pater Peynadus tract. 1. Proęmi disp. 2. sect. 2. n. 22. Suarez Lusitanus, disp. 2. de obiecto logicæ §. 4. n. 48. Olea. d. 41. num. 4.

413. Quarta sententia asserit, conceptus obiectivos non esse obiectum logicæ neque primarium, neque secundarium, sed solum per accidens, Ita Patres Conimbricenses, Fonseca 2. Meth. cap. 30. q. 1. hanc sententiam tenere videtur Pater Olsina n. 252. licet ob magnam confusionem, summamque obscuritatem

rem vix percipi possit.

414. Dico primò. Conceptus obiectivi sunt obiectum per se primarium aliquorum actuum logicæ. Probatur. Hi sunt actus logicæ, subiectum obiectivum est id, de quo aliquid dicitur. Prædicatum obiectivum est id, quod dicitur de subiecto. Quę sunt eadem vni tertio sunt idem inter se. Definitio, & definitum convertuntur. *Divisum* latius patet quolibet membro dividente. Natura vniversalis est communis pluribus. Quid quid dicitur de ratione superiori dicitur de inferiori, &c. Hi actus, & plures alij, quos invenies apud Santa Cruz n. 62. sunt actus logici; sed conceptus obiectivi sunt obiectum primarium horum actuum: ergo. Maior est certa. Si enim prędicti actus logicæ non sunt, quales erunt actus logicę? Minor probatur. Obiectum primarium horum actuum est definitum, natura vniversalis, identitas extremorum cum tertio, *Divisum*, membra dividentia, &c. Sed hæc omnia sunt conceptus obiecti, non vero formales, vt per se patet. Ergo.

415. Confirmatur. Hi actus immediaté verificantur de conceptibus obiectivis non verò de formalibus, ergo obiectum primarium ipsorum sunt conceptus obiectivi. Probatur antecedens: Quę convertuntur non sunt definitio, & definitum formale, sed *Definitio*, & definitum obiectivum: quod abstrahitur, & prædicatur de inferioribus non est cognitio abstrahens, sed obiectum talis cognitionis: quod identificatur cũ vno tertio nõ est cognitio repræsentans identitatem, sed obiectum repræsentatum: quod habet membra dividentia, non est cognitio dividens, sed res divisa; ergo hi actus immediatè verificantur de conceptibus obiectivis, nõ verò de formalibus; ergo obiectum primarium horum actuum sunt conceptus obiectivi.

416. Dices, & est vnicum Adversariorum effugium ad hoc vrgentissimum argumentum. Illos actus esse logicos, sed indigere explicatione, & in qua conceptus formales primario attinguntur, non vero obiectivi v.g. *Definitio, & definitum convertuntur*, ita explicandus est *Actus formalis, qui dicitur definitio, & actus formalis, qui dicitur definitum, debent repræsentare idem obiectum*. Ille actus, *natura vniversalis abstrahitur ab inferioribus*, ita debet explicari: *conceptus formalis, qui dicitur vniversalis debet aliquid ab inferioribus abstrahere*. Hoc modo alios actus explicant ad suam salvam.

417. Contra primò. Hæc est insignis petitio principij. Nam cum illos actus iuxta naturalem, & congruam eorum significationem conceptus obiectivos attingentes adducimus, respondere; illos debere explicari pro formalibus, quid est, quam dicere, eos non respicere conceptus obiectivos, quia tantum respiciunt formales? Cõtra 2. Tales actus, cum sint expressivi, & repræsentativi, id attingunt, & repręsentant, quod exprimunt, sed exprimunt conceptus obiectivos, nempè definitum, naturam vniversalem. &c. Ergo hos attingunt.

418. Contra tertiò. Illa explicatio est violenta, & voluntaria. Est violenta, nam quis vnquam per definitum intelligit cognitionem repræsentantem definitum, cum possit iuxta naturalem talis vocis significationem ipsum, quod re ipsa est definitum, intelligi? Quis per naturam, quæ prædicatur, cognitionem ad naturam terminatam percipit, cum possit ipsum, quod verè est natura prædicabilis, percipere? Ergo omnino violenta est talis explicatio; & connaturalius á nobis iuxta proprium sensum illorum actuum sumitur. Et etiam voluntaria; quia si rogemus, cur tales actus, vt sonant, non intelligantur? Respondebunt, quia vt sonant attingunt conceptus obiectivos. En vt se defendant

dant, explicationem confingunt. Ex qua inferes; ergo si vt sonant, tales actus ad logicam pertinent, eis enim logica sub illis expræssionibus vtitur, & vt sonant, conceptus obiectivos primario, & per se attingunt, conceptus obiectivi primario, ad logicam pertinent.

419. Contra 4. Iuxta aliquos ex Adversarijs hic actus *Definitio est clarior definito*, est speculativus, vnde logica est partim speculativa, cum verò illis opponitur, talem actum habere hunc sensum *si vis rectam elicere definitionē, debet esse clarior suo definito*, dicunt, quod licet ita practicus, cum vero ad logicam sub prima expræssione, inqua nihil docet etiam pertineat, eam partem speculativam constituit. Tum sic: Ergo licet illi actus iuxta ipsorum explicationem nō attingant primariò conceptus obiectivos, cum etiam iuxta primam expressionem, inqua eos primariò attingunt, ad logicam pertineant, certè logica conceptus obiectivos ea parte primariò, & per se attinget.

420. Dico secundò. Logica per particulares actus respicit conceptus obiectivos secundariò, & per se. Probatur Hi sunt actus logici. Definitio explicat essentiam rei. Divisio totum in partes disecat. Syllogismus formalis ex rebus notis ignotum deducit, &c. Sed hi actus etiam si respiciant primario conceptus formales (intendunt namque definitionem, divisionem, & argumentationem explicare) secundariò respiciunt conceptus obiectivos, vt definibiles, divisibiles, & argumentabiles: ergo. Probatur minor. Hi actus attingunt conceptus obiectivos vi cōnexionis, quam habent cum formalibus quos primariò attingunt, sed actus attingentes aliud vi cōnexionis cum obiecto primariò, illud secundariò, & per se attingit, vt ex nostra explicatione obiecti secundarij patet, & ex exemplis visionis Beatę, quæ secundariò per se attingit creaturas possibiles, vi conexionis, quam habent cum Omnipotentia, quæ est obiectum primarium visionis; & artis pictoriæ secundario res vt pingibiles attingentis ratione cōnexionis cum pictura; ergo.

421. Probatur secundò. Nequit attingi Relativum vt tale, quin aliud relativum per se attingatur, v. g. Pater vt Pater, & simile vt simile, quin cognoscantur Filius, & consimile, sed per illos actus attinguntur definitio, *Divisio*, &c. vt relativa ad obiectum, attinguntur enim vt explicativa, & divisiva obiecti; ergo per illos actus obiecta per se attinguntur.

422. Dico 3. Et infertur ex antecedenti conclusione. Conceptus obiectivi sub tali denominatione, & respectu, hoc est, res ipsæ cum ordine ad hoc, vt circa ipsas eliciantur definitiones, divisiones, & argumentationes non sunt obiectum merè per accidens logicæ. Probatur. Implicat, quod aliquid cognoscatur propriè per aliquam cognitionem, & quod sit obiectum per accidens talis cognitionis, sed conceptus obiectivi cognoscuntur propriè per actus logicales; ergo. Probatur maior. Obiectum per accidens non cognoscitur propriè, sed solúm denominativè, vt patet in substantia parietis, quæ solum denominatur visa per visionē coloris ipsum parietem informantis. Probatur minor. Conceptus obiectivi propriè terminât cognitionem attingentem conceptus formales illorum expressivos, sed illi actus logicales supra positi, attingunt conceptus formales vt conceptuum obiectivorum expressivos, ergo.

432. Confirmatur. Id quod ita attingitur, vt eo ablato nec divinitus actus logicæ permanere potest, nō attingitur vt obiectum mere per accidens; sed cōceptus obiectivi ita per illos actus logicos attinguntur, vt eis ablatis actus logici nec divinitus permanere possint,

sint; auferretur enim illis vitalis eorum repræsentatio, quę est illis intrinseca, & essentialis: Ergo.

424. Dico 4. Dantur aliqui actus logicales, qui primariò attingunt conceptus obiectivos, & formales secundariò. Probatur (quid quid sit de alijs actibus prima conclusione positis, & alijs á Patre Sancta Cruz assignatis, an scilicet ęquè primariò tam conceptus obiectivos, quam formales respiciant) Hi sunt actus logici *Subiectum obiectivum est, quod objicitur formali*; *prædicatum obiectivum est id, quod non vt quo, sed vt quod* prędicatur de subiecto. *Prædicatum, per quod res essentialiter differt ab omni eo, quod non est talis res, est aptum, vt per illud res essentialiter definiatur*; sed hi actus primario respiciunt conceptus obiectivos, & secundariò formales: Ergo. Probatur minor. Ideò hic actus, v. g. *Divisio totum in partes dissecat*, & alij attingunt primariò conceptus formales, secundariò obiectivos, quia illos attingunt immediaté, & ratione sui, hos verò per connexionem cum formalibus, sed actus á nobis proximè assignati attingunt conceptus obiectivos immediatè, & ratione sui, & solúm per cōnexionem cum his attingunt formales; ergo. Probatur maior. Ideo hic actus *Divisio totum in partes dissecat*, & alij similes attingunt immediatè conceptus formales, & propter cōnexionem solum conceptus obiectivos, quia intendunt principaliter explicare divisionem, & cum hac necessario sit conexa cum conceptu obiectivo, hunc etiam attingunt, sed hi actus: *subiectum obiectivum est, quod objicitur formali, &c.* principaliter intendunt subiectum, & prędicatum obiectivum explicare, & hęc necessariam habent cōnexionem cum subiecto, & prædicato formalibus: Ergo vel assigna disparitatem; cur hic actus *Definitio explicat essentiam rei* respiciat primario conceptus formales, & secundariò obiectivos, & hic subiectum *obiectivum est, quod objicitur formali* non respiciat é contra primariò obiectivos, & secundario formales.

425. Dico quintò. Omnis actus logicæ ad minus secundario per se debet respicere conceptus formales, est contra Patrem Sancta Cruz asserentem hanc Regulam *Definitio debet constare rebus, quæ sint genus, & differentia*, ita cōceptus obiectivos attingere vt formales solum per accidens respiciat. Probatur ad hominem contra ipsum. Per te hic actus. *Quidquid prædicatur de superiori, rectè de inferioribus prædicatur*, respicit per se secundario, & non merè per accidens conceptus formales; ergo & hic *Definitio debet constare rebus, quæ sint genus, & differentia* secundariò per se, & non merè per accidens respiciet conceptus formales. Patet consequentia. Ideo primus respicit secundariò conceptus formales, quia docet, rationem superiorem esse prædicandam, & prędicatio est conceptus formalis, sed secundus docet, definitionem constare rebus, quę sint genus, & differentia, & res fiunt genus, & differentia per conceptus formales; genus namque est natura communis pluribus specie diversis, quæ communitas á cognitione præscidente illam ab inferioribus provenit; ergo. Ratio absoluta conclusionis desumenda est à septima conclusione ponenda infra.

426. *Dico* sexto. Aliqui actus logicæ nullo modo respiciunt per se conceptus obiectivos, neque primariò, neque secundariò. Probatur. Licet obiectum sit cōnexum cum alio, si tamen nō cognoscitur vt cōnexum terminus cōnexionis non attingitur per se ab actu, sic etiamsi homo sit essentialiter cōnexus cum Deo, definitio hominis Deum non attingit per se, quia hominem non attingit vt cōnexum; atqui sunt aliqui actus logicales, qui attingunt concep-

tus formales non vt connexos cum obiectivis, v.g. Hi *Terminus est extremum propositionis. Syllogismus constat duabus præmissis, & conclusione*: ergo.

427. Dico septimò. Conceptus obiectivi secundum suas speciales rationes *hominis, Leonis*, &c. nullo modo sunt obiectum per se logicæ. Probatur, quia à nullo actu logicæ attinguntur, nisi sub vniversali respectu, hoc est, prout definibiles, divisibiles, &c. Vnde ablata speciali ratione hominis, leonis, &c. si maneret vniversalis ille respectus, tota integra logica maneret, sicut ablata substantia manente accidenti coloris manet visio. Et ratio à priori præ oculis habenda ad omnes conclusiones est; quia hęc facultas, quæ logica appellatur inventa est, vt modus sciendi, definitio divisio, & argumentatio sine periculo errandi eliciantur: ergo totum, quod agit, & quod respicit, debet ad modum sciendi conducere, & hoc respectu vestiri. Sicut Ars pictoria respicit res non secundum speciales suas rationes, v.g. hominem vt animal rationale, Leonem vt rugibile, &c. Sed vt pingibiles sunt, & cum respectu ad picturam; nam ad hoc inventa est. Ita logica nil respicit, nisi in ordine ad picturam intentionalem, definitionem scilicet, divisionem, & argumentationem. Unde patet veritas quintæ conclusionis.

428. Ex dictis has conclusiones inferes. Prima: Aliqui actus logicales respiciunt vt obiectum primarium cōceptus obiectivos alij vero eos vt obiectum secundarium respiciunt. Patet ex prima, & secunda conclusione. Secunda: Aliqui actus logicales respiciũt ita primariò conceptus obiectivos, vt solum secundariò respiciant formales. Aliqui è contra ita respiciunt primariò formales, vt solum secundariò obiectivos attingant. Patet ex quarta, & quinta conclusione. Tertia: Nullus datur actus logicalis, qui per se saltem secundariò non attingat conceptus formales, dantur aliqui, qui nullo modo nec primariò, nec secundariò attingant obiectivos, patet ex quinta, & sexta conclusione. Quarta: Res ipsæ secundum se nullo actu logicæ nec primariò, nec secundariò attinguntur.

SVBSECTIO VNICA.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

429. OBjic. 1. Contrà primam cōclusionem. Conceptus obiectivi non sunt dirigibiles à logica, nec regulabiles ab arte, ergo non sunt obiectum primarium logicæ. Confirmatur. Non participant rationem formalem logicę, scilicet dirigibilitatem in modum sciendi, ergo non sũt obiectum logicæ.

430. Argumentum etiam est contra secundam, & pręcipuè contra quintam conclusionem. Sed contra omnes nullius roboris in nostris principijs statuentibus logicam esse partim practicam, & partim speculativam, qua propter dirigibilitatem in modum sciendi non esse adæquatè rationem formalem sub qua logicę. Unde licet conceptus obiectivi non sunt regulabiles, nec participent dirigibilitatem in modum sciẽdi, possunt esse obiectum primarium per se logicæ. Nam cum circa ipsos possit elici definitio, Divisio, & argumentatio, possunt á logica sub hoc respectu, & cognoscibilitate contemplativè attingi.

431. Nota, quod si actus, aliás sit speculativus, quia non est directivus, sive primario attingat conceptus obiectivos, sive primariò conceptus formeles, erit speculativus. Si verò aliás directivus sit, & attingat vel primariò obiectivos, & secundariò formales, vel è con-

contra primariò formales, & secundariò obiectivos, vel æquè primariò vtrosque, erit speculativus respectu conceptuum obiectivorum, quos contemplatur, & practicus respectu formalium, quos dirigit. Non enim repugnat respectu diversorum obiectorum, eumdem actum esse simul practicum, & speculativum, vt supra manet probatum. Ni velis cum Patre Sancta Cruz, similes actus practicos adæquatè appellare; quia ex ipsis conceptibus obiectivis, quos respiciunt, efformant genus differentiam, &c. quin in eorum contemplatione ita sistant, vt vlterius non progrediantur ad opus. Quod probabile iudico.

432. Objic. 2. Si logica respiceret vt obiectum primarium conceptus obiectivos, quia sunt definibiles, &c. ars pictoria respiceret etiam res ipsas vt obiectum primarium, quia sunt pingibiles, sed hoc non admittitur; ergo neque illud.

433. Resp. *Distinguo* maiorem: Si in arte pictoria dentur Regulę, quæ immediatè verificentur de rebus ipsis, sicut dantur in logica. Concedo: si aliter, Nego. Quod autem habeat, vel non habeat ars pictoria tales regulas non ad nos, sed ad pictores attinet. Quod tales actus habeat logica iam manet probatum. Nota modum respondendi ad paritatem, & eo semper vtere.

434. Objic. 3. Contra secundam conclusionem. Cognitio peccati, & eius detestatio cōnectuntur cum peccato, sicut conceptus formales cum obiectivo, & tamen *Deus* complacet in cognitione, & detestatione peccati, quia in ipso peccato complaceat, ergo & actus logici poterunt ad conceptus formales terminari, quin conceptus obiectivos nec secundariò attingant.

435. Respondeo. Nego paritatem ob plures rationes; prima, quia licet relativa sint simul natura, & cognitione (vnde cognito Patre, Filius necessariò cognoscitur) non sunt simul amore, vnde amato Patre, Filius potest non amari, immò & odio haberi; & huius ratio est, quia intellectus est potentia necessaria, & ideo nequit attingere alquid vt cōnexum cum alio, quin aliud simul attingat, at voluntas est potentia libera, vnde pro suo libito potest aliquid etiam, vt cōnexum amare, & non amare terminum cōnexionis; sic nequit cognosci cognitio vera, quin eius obiectum cognoscatur, potest tamen amari, quin ametur obiectum, etiam si aliás amabile sit, quanto magis si non sit amabile, vt se habet peccatum respectu voluntatis Divinæ. Et hæc est alia ratio disparitatis. Nam conceptus obiectivus capax est rationis formalis logicæ, ad scientiam enim ad quam pertinet definitio rei, res etiam vt definibilis pertinet, at vero peccatum non habet rationem formalem terminativam voluntatis *Divinæ*: Quid ergo mirum, quod ratione cōnexionis cúm formali attingatur á logica conceptus obiectivus, & peccatum ratione cōnexionis cum detestatione non attingatur á voluntate Divina?

436. Objic. 4. Si res, provt sunt definibiles, essent obiectum per se logicæ, etiam ens rationis esset obiectum per se ipsius, cum ens rationis etiam sit definibile; sed hoc á nobis postea negandum est contra Thomistas: Ergo.

437. Respondeo. Distinguo maiorem. Etiam ens rationis esset obiectum per se materiale; concedo: formale, nego. Quod negamus contra Thomistas, est, ens rationis esse obiectum formale, seu artificium illud, quod logica in suos actus introducere tentat, non verò esse obiectum materiale, sicut quemlibet alium obiectivum conceptum definitionis capacem.

438. Objic. 5. Ars frenu factoria, li-

licet attingat frænum vt obiectum primarium; item ars pictoria licet præscribat regulas ad hominis picturam, & frænum sit conexum cum equo, & pictura hominis cum homine, equum, & hominem solúm attingunt per accidens, & nullo modo per se; ergo similiter logica.

439. Instas in virtutibus moralibus, prout á Theologis distinguntur. Virtutes morales distinguntur á Theologis in hoc solum, quod Theologicæ habent pro obiecto per se aliquid Divinum, non verò morales: Ergo prudentia dirigens amorem *Dei*, Religio tribuens cultum Deo, Pœnitentia intendens reconsiliationem cum *Deo*, Deum non respiciunt vt obiectum per se, sed solûm per accidens, & vt finem *cui*, tunc sic: Ergo etiam si actus logicus intendat essentiam rei explicare, non attinget rem vt obiectum per se; sed solum per accidens.

340. Respondeo, Artem frænufactoriam, & pictoriá, si respiciant frænum vt cõnexum cum equo, & picturam vt connexam cum homine, sicut videntur respicere, habere equum, & hominem vt obiectum secundarium per se, & exempla potius conclusioni fabebunt; si verò non respiciant frænum vt connexum cum equo, & picturam vt cõnexam cum homine ipso, est disparitas ad actus logicos respicientes conceptus formales vt connexos cum obiectivis.

341. Ad instantiam respondetur primo. *Distinctionem* Theologicarum virtutum á moralibus non stare in obiecto materiali secundario, sed in primario, vnde Deus erit obiectum per se secundarium virtutum moralium, sicut conceptus obiectivus actuum logicorum. Hoc est, virtus Theologica á morali distinguetur in eo, quod virtus Theologica habeat pro obiecto materiali primario aliquid divinum, virtus vero moralis aliquid creatum, etiam si habeat aliquid diviniũ pro obiecto materiali secundario. Respondeo secundo. *Distinctionem* hanc inter virtutes non stare in obiecto materiali, sed in ratione formali motiva. Ratio formalis motiva virtutis Theologicæ debet esse *Divina*, ratio vero formalis motiva virtutis moralis est creata. Sic amor Dei propter ipsius Dei bonitatem est Theologicus. Amor verò ipsius *Dei* propter bonitatem, & honestatem creatam ipsius amoris est virtus moralis, & tamen Deus est obiectum primarium vtriusque actus; virtutes enim morales, prudentia v.g. dirigit amorẽ Dei, pœnitentia vult reconciliationem cum *Deo*. Religio elicit *Dei* cultum propter bonitatem moralem amoris, reconciliationis, & cultus, ideoque á virtutibus Theologicis distinguntur, vnde argumentum falsis nititur principijs, & potius conclusionem confirmat, quia si propter connexionem, quam habent amor, reconciliatio, & cultus cum Deo, tales virtutes respiciunt Deum, vt obiectum per se, ita in actibus logicalibus eveniet.

442. Instas. Ergo omnis scientia respiciens conceptus mentis, actus que voluntatis respiciet conceptus obiectivos. Respondeo. Distinguo consequens. Si eos respiciat vt connexos, sicut logica illos respicit. Concedo. Si aliter. Nego.

443. Obijc. 6. Omnes actus logicæ ordinantur ad definitionem, Divisionem, & argumentationem, sed conceptus obiectivus non est definitio, sed definitus; non est divisio, sed divisus. Ergo conceptus obiectivus non erit obiectum per se actuum logicorum.

444. Respondeo. Concedo maiorem, minorem, & nego consequentiam, & suppositum consequentis, quod cognitio conceptus obiectivi vt definibilis, divisibilis, &c. non ordinetur, & conducat aliquo modo, ad definitionem, divisionem, &c. Certum est vt diximus conclusione 7. omnes actus logicos ordinari, & aliquo modo debere conducere ad modum sciendi, cuius directio finis fuit logicæ inventionis, vnde omnis actus logicus saltem secundariò debet respicere conceptus formales, cum autem cognitio rei definibilis aliquo modo ad definitionem conducat, saltem propter necessariam vtriusque connexionem, inde est, quod actus terminati ad definitionem ad definitum quoque sæpe terminentur.

445. Objic. 7. Logica non est sciẽtia realis, sed sermocinalis; ergo non agit per se de rebus. Respondetur. Logicam communiter sermocinalem, & non realem denominari expræcipuo, & principaliori ipsius obiecto, nempè modo sciendi; posse etiam realem appellari, si realis scientia sit illa, quæ habet res ipsas pro obiecto cum respectu ad actus mentis.

446. Objic. 8. Illud est obiectum per se alicuius scientiæ, cuius aliquas proprietates talis scientia declarat, sed logica nullas proprietates conceptuum obiectivorum declarat. Ergo. Respondeo. Transeat maior, & minor, & nego consequentiam. Dixi transceat maior, quia etiam si vt aliquid sit obiectũ primarium per se, talis declaratio proprietatum requiratur, quod certé non requiritur sed solum quod immediaté, & principaliter termitet aliquem actum talis scientiæ, non tamen requiritur ad obiectum secundarium; ad hoc enim solum requiritur, quod ratione connexionis cum obiecto primario propriè attingatur. Dixi transeat minor, quia aliquas proprietates conceptuum obiectivorum declarant actus logici, scilicet definitum converti cum definitione, prędicatum cum subiecto: &c.

447. Objic. 9. Logica primò respicit conceptum formalem, deinde obiectivum: ergo conceptus obiectivus est finis vltimus, in quo logica sistit.

448. Respondeo, quod licet in executione, sive exercitio prius attingatur á logica conceptus formalis, & deinde ratione connexionis ad conceptus obiectivos progrediatur: finis vltimus, & præcipuè intentus á logica non est conceptus obiectivus, sed formalis; Et si obiectivus ad formalem non conduceret, illum nõ attingeret, nec admitteret illos actus, qui primariò ad obiectivos conceptus terminantur. Sicut eo, quod Beatus priús Omnipotentiam, postea verò ratione connexionis creaturas possibiles attingat, non sequitur, finem intentum á Beato non esse Omnipotentiam, sed creaturas possibiles.

449. Objic. 10. Per nos voces non sunt obiectum logicæ practicæ; ergo neque conceptus obiectivi. Probatur. Ideo voces non sunt obiectum logicæ practicæ, quia non sunt dirigibiles á logica, sed conceptus obiectivi etiam á logica dirigibeles non sunt, quomodo enim mulus, equus, aut Asinus á logica dirigitur? Ergo.

450. Respondeo, ex argumento solum sequi, conceptus obiectivos non esse obiectum logicæ practicæ, non vero non esse obiectum logicæ speculativæ. Vnde licet conceptus obiectivi dirigibiles non sint, respiciuntur á logica. Hanc tamen differentiam nota; quod actus logicus terminatus ad voces est solum speculativus, quia solum terminatur ad voces, quas non dirigit; actus vero logici ad conceptus obiectivos terminati possunt esse practici, si aliás conceptus formales vt dirigibiles simul respiciant, vel vt obiectum primarium, vel saltem vt secundarium.

451. Objic. 11. Ex Patre Hurtado intendente, conceptus obiectivos esse obiectum primarium non solúm aliquorum, sed omnium actuum logicalium. Ex imagine, & prototipo resultat obiectum adæquatum primarium adora-

rationis;ergo ex conceptu obiectivo, & formali obiectum adæquatum primarium logicæ coalescet.

452. Instas. Ex Beatitudine formali,& obiectiva resultat obiectum adæquatum spei Theologicæ; ergo ex conceptu formali, & obiectivo obiectum adæquatum logicæ.

453. Respondeo ad argumentum: Obiectum adęquatum adorationis non esse necessario complexum ex prototypo, & imagine, licet sit obiectum aliquorum actuum adorationis, qui ad vtrumque terminantur. Nam plures actus adorationis terminantur ad prototypon independenter ab imagine, plures verò ad imaginem, sed dependenter á prototypo. Ita plures actus logici ad conceptus formales, qui se habent vt prototypon independenter à conceptibus obiectivis, vt vidimus in sexta conclusione, vel saltem independenter ab eis vt ab obiecto primario. Alij verò, qui tam ad formales, quam ad obiectivos terminentur iuxta vniuscuiusque actus naturam.

454. Ad instantiam respondetur primò cum Eximiò Doctore, Beatitudinem formalem constitui ex Beatitudine obiectiva, vnde actus omnis, qui primariò terminatur ad beatutidem formalem, terminari primariò ad obiectivam, necesse erit, nam qui respicit constitutum,& constitutiva eodem modo respicere necessum est, conceptus verò formalis non constituitur ex obiectivo, vnde optime potest aliquis actus ad conceptum fromalem primariò terminari, quin terminetur primariò ad conceptum obiectivum. Respondeo secundò. Vtrique Beatitudini competere esse quid primario, & principaliter intentum á spe, quæ obiectum vt sibi bonum appetit, & cum sciamus, esse virtutem Theologicam, inferimus debere tangere aliquid divinum primariò & per se, non tamen competit conceptui obiectivo esse quid primariò intentum ab omni actu logicæ, vt ex eorum tendentia constat.

455. Obijc. 12. Contra sextam conclusionem. Conceptus formalis vt talis connexus est cum obiectivo, sed omnis actu logicæ attingit conceptum formalem vt talem: Ergo attingit obiectivum. Confirmatur. Hic actus. *Syllogismus constat tribus propositionibus*; attingit propositionesvt tales sunt essentialiter repræsentativæ obiecti; ergo & obiectum attingit.

456. Respondeo. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad confirmationem nego maiorem. Tales enim actus attingunt conceptus formales, non verò sub reduplicatione conceptuum formalium, aut propositionum, nec eos vt repræsentativos attingunt, sed vt constitutivos; sed vt constitui solum referuntur ad constitutum, & constitutum non est conceptus obiectivus,sed formalis: Ergo tales actus, nec primariò, nec secundariò attingunt conceptus obiectivos, v. g hic actus: *Terminus est extremum propositionis*, attingit primariò terminum, & secundariò propositionem, cuius constitutivus est terminus, non verò attingit obiectum termini, aut propositionis; sicut cum intellectus concipit albedinem vt disgregativam visus,non concipit subiectum, in quo recipitur, aliter verò, si eam vt accidens attingeret. Vnde licet actus respiciens propositionem vt repræsentativam obiecti, attingat secundariò obiectum, non verò actus eam vt constitutivam syllogismi, respiciens.

457. Objic. 13. Contra septimam conclusionem ex Patre Linze. Logica agit de prædicamentis;sed prædicamenta sunt res pęnes esse physicum, ad distinctionem prædicabilium,quæ sunt res secundum esse intentionale;ergo.

458. Confirmatur. Notitia rerum in particulari maximè iuvat ad finem potissimum intentum á logica, nam scire,quid sit substantia, vt rectè definiatur scire, quid sit animal, vt rectè dividatur,& scire quid sit, & qualis idętitas duorum extremorum, vt rectè arguatur,maximè iuvat;ergo.

459. Respondeo,tractatum de prędicamentis,non ad logicam,sed ad Metaphysicam spectare. Sępè tamen conscribitur anno ad edocendam logicam assignato, quia sæpè eo anno tempus suppetit,quod fortè anno ad metaphysicam destinato deficeret. Et quia cum hæ voces *Substantia, quantitas, Relatio*, passim audiantur in Scholis de eis quam tociùs agere congruum videtur, sicut de ente rationis, quod ad metaphysicam spectat, omnes fere agunt in logica.

460. Ad confirmationem Respődeo,ex ea inferri, logicam cum omni facultate cőfundi, nam si ideo cognitio substantiæ ad eam pertinet, quia talis cognitio cőducit ad eius definitionem, ergo & cognitio hominis, Dei, Angelorum, fræni, calcei,clavis,&c. etiam ad logicam pertinebunt, confundetur quę cum Philosophia, Metaphysica, Theologia, Frænufactoria, færraria, &c. Patet, quia cognitio eorum non solum conducit ad definitionem, verum ita necessaria est vt sine cognitione hominis definiri nequeat.Constet ergo, logicam regulas præscribere vniversaliter pro forma definitionis,cognitionem tamen materiæ in particulari ad ipsam non spectare, sed ad particulares facultates, in quibus fiunt definitiones,divisiones, &c.

461. Replicas primò. Hę cognitiones sunt logicæ, *Definitio constat genere,& differentia. Definitio, & definitum convertuntur*; ergo hæ erunt logicæ. *Definitio hominis constat genere, nempe animali,& differentia,nempe rationali: definitio hominis convertitur cum homine*, sed hi actus res in particulari attingunt nempe hominem, ergo & regulæ logicales res in particulari secundum rationes particulares attingere queunt.

462. Resp. Regulas generales non respicere determinatè definitiones particulares,sed solùm implicitè,& in confuso sub ratione definitionis, & eodem modo obiecta sub ratione definibiliũ. Hæ tamen regulæ generales posita materia,hic & nunc in particulari dirigũt; cognitio tamen materię in particulari, vt iam diximus, ad tales regulas non spectat, sed ad varias facultates, vnde actus illi *Definitio hominis debet constare ratione animalis*, quæ se habeat vt genus,& *ratione rationalis*, quæ se habeat vt differentia,&c.non sunt cognitiones purè logicæ,sed mixtæ ex logicis, & physcicis. Logica ex parte formæ, & physica ex parte materiæ. Pręterea adhuc admisso,quod tales actus sint logicæ non respiciunt hominem vt *homo est*, quod in præsenti negamus,sed hominem in ordine ad definitionem,quod concedimus,& defendimus.

462. Replicas 2. Logica independenter á quacumque materiá agit de syllogismo expositorio, sed hic est singularis, & determinatus; ergo agit de materia singulari, & determinatá.

464. Respondeo, Distinguendo maiorem: Agit de syllogismo expositorio in individuo, nego. Confusè. Concedo. Et distinguo minorem: Est singularis signatè, concedo. Exercitè, nego. Sicut hi termini *singularis homo*: *Vnus homo* significãt singulare signatè, sub ratione tamen communi exercitè. Ita in nostro casu, nam sub ratione syllogismi expositorij omnes syllogismi expositorij continentur, non verò significatur aliquis in particulari.

(o)

SECTIO IV.

VTRVM TRIPLEX MENTIS operatio sit obiectum primarium per se logicæ.

465. CVm logica sit sciẽntia rationalis nullus Doctor (preter Nominales præscribentes voces vt obiectum adęquatum logicæ, & quemdam Morandum citatum á Guarino, quæst. 6. proœm. logicæ, esse obiectum logicæ denegantem) nullus (inquam) Doctor dubitavit, secundam, & tertiam mentis operationem, iudicium scilicet, & discursum esse obiectum primarium per se logicæ. Totum ergo dissidium ad primam mentis operationem, nempe apprehensionem complexam, & in complexam reducitur. In quo.

466. Prima sententia negat, ita Pater Hurtadus, disp. 1. logicæ §. 16. Conimbric. q. 5. proem. art. 3. Spinula, disp. 2. logicæ, sect. 4. n. 63. licet non ita clarè. Secunda, & communior sententia affirmat, ita Sanctus Thomas postea citandus, Caram. n. 407. Comptonus, d. 6 logicæ sect. 1. Lince. Arria. Oviedus. Sancta Cruz, Alphonsus, & alij, quos sequuntur P. Olea. d. 44. a n. 2. & M. Linc. lib. 1. q. 1. art. 2. n. 2. & art. 3. n. 9.

467. Dico 1. Triplex mentis operatio, tam prima, quam secunda, & tertia non est obiectum primarium logicæ adęquatæ; est tamen obiectum per se secundarium. Hæc conclusio manet iam probata sectione antecedenti Conclusionibus 4. & 5. Nam actus conclusione quarta positi sunt actus logicę, & tamen conceptus formales non respiciunt, vt obiectum primarium, sed solum vt obiectum secundarium. Item actus illi, qui speculativè ad voces terminantur, non respiciunt vt obiectum primarium conceptus mentis: Ergo.

468. Dicò 2. Triplex mentis operatio est obiectum per se primarium logicæ. Probatur vniversaliter de omnibus authoritate expressa Sancti Thomæ in præfatione ad libros de Peryhermenijs sic aientis: *Cum logica sit rationalis scientia, necesse est, quod eius consideratio versetur circa ea, qua pertinent ad tres prædictas operationes.* Quid clarius?

469. Probatur secundo ratione: Id est obiectum primarium alicuius scientię, quod primariò, & per se participat rationem formalem talis scientię, sed triplex mentis operatio participat per se primario rationem formalem logicæ: ergo. Maior est certa. Probatur minor. Ratio formalis logicę, vel est dirigibilitas in modum sciendi, vel speculabilitas secundum rationem modi sciendi, sed triplex mentis operatio participat & dirigibilitatem in modum sciendi, & speculabilitatem secundum rationem modi sciendi, ergo. Quod participent dirigibilitatem in modũ sciendi iudicium, & discursus, ab omnibus conceditur; quia iudicium potest indivisionem v.g. *Animal aliud est rationale*, aliud *irrationale* ex hac regula dirigi *Divisio totum in partes distribuit*: & discursus, v.g. *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo est animal*: ex hac, *syllogismus in Darij tribus propositionibus constare debet, &c.*

470. Sed similiter apprehensio complexa potest dirigi in definitionem v.g homo *est animal rationale* ex hac regula, *definitio debet constare ratione proximé conveniendi, & vltimo differendi*; nam vt diximus in Sumulis, tota definitio in apprehensione complexa salvatur. Item apprehensio incomplexa potest in genus v.g. *Animal* ab hac regula dirigi, *Si vis genus efformare abstrahe rationem á pluribus differentibus specie*, & similiter potest ab alijs regulis dirigi apprehensio incomplexa in differentiam, speciem vniversale, &c. ergo sicut secunda, & tertia mentis operatio participat dirigibilitatem in modum sciendi, ita & prima operatio quoad vtramque apprehensionem complexam, & in complexam.

471. Probatur tertiò. Specialiter de primá mentis operatione, in qua est difficultas. Scientia, quæ agit de toto componendo, agit de partibus componentibus, sic Philosophia, quę agit de composito humano, agit de materia, forma, & vnione. Rhetorica, quæ agit de ornatu Orationum, agit de vocibus, thropis, & figuris. Poesis, quæ agit de carmine, agit de syllabis, ex quibus carmen conflatur; ergo cum definitio ex genere, et differentia, iudicium ex apprehensionibus componatur, logica, quæ agit de definitione, divisione, &c. aget vtrique de genere differentia, & apprehensionibus, quę sunt partes componentes definitionem, divisionem, &c. Si vero neges, iudicium esse qualitatem cõpositam, ac proinde apprehensiones esse partes illud componentes, negare nequis, esse saltem dispositiones prævias ad iudicium, & tunc sic instauratur argumentum: Scientia, quę agit de formæ introductione, agit etiam de dispositionibus ad talem introductionem necessariò pręcedentibus; ergo si logica agit de introducenda forma definitionis v.g. in iudicium, et ad talem formam introducendam necessariò debet præcedere, apprehensio generis, et apprehensio differentiæ, de his apprehensionibus logica debet agere, non vt terminis intrinsecè constitutivis, sed vt terminis extrinsecè terminativis.

SVBSECTIO VNICA.

RESPONDETVR ARGVmentis.

472. OBjic. 1. Contra primam partem secundę conclusionis. Obiectum scientiæ debet ad ipsam præcedere; sed actus intellectus non præcedunt ad logicam; ergo non sunt eius obiectum. Prob. maior. Quod aliud specificat ad illud pręsupponitur; sed obiectũ sciẽtię specificat scientiam; ergo ad illam debet pręsupponi. Probatur minor primi syllogismi, Logica est causa directiva actuum intellectus; ergo hi non præcedunt ad logicam, aliás effectus suam causam præcederet, quod implicat.

473. Nota argumenti in consequentiam. Ex vna parte probat, logicam non habere vt obiectum actus intellectus, & ex alia probat, logicam actus intellectus dirigere. Quomodo eos dirigit, si eos non respicit? Respondeo. Distinguo maiorem, obiectum debet præcedere scientiam, vt possibile, transeat; vt existens: Nego. Ad scientiam, si sit practica, non debet præsupponi obiectum existens; quia ab illa scientia existentiam accipit, immò nec necessarium est, quod præcedat ad hũc, vt possibile ad notitiam practicam; nam cognitio factiva entis rationis non supponit, sed tribuit illi possibilitatem. Ad summum enim debet præcedere obiectum possibile cognitionem speculativam, quæ illud contemplatur. Scias, specificativum intrinsecum necessario præcedere ad specificatum, sicut constitutivum ad constitutum, non vero specificativum extrinsecum, sic Omnipotentia, & sciẽtia *Divina* specificantur â creaturis pos-

possibilibus, & cognitio Divina á sua manifestatione, & ab ipsa reflexè cognita sine vlla prioritate; item potentia creata specificatur á suis effectibus; quia hæc extrinseca specificatio tantum est, essentiam dicere ordinem ad aliud, in quo cum nulla reluceat causalitas, nec prioritas relucere debet.

474. Objic. 2. Cognitio est incapax directionis; ergo non est dirigibilis á logica. Probatur antecedens. Cognitio vel est vera, vel falsa, vel repręsentat genus, & differentiam, vel non? Si semel est vera, nequit transire in falsam, & è contra; si semel repręsentat genus, & differentiam, nequit ea non repræsentare; ergo nequit dirigi, neque emmendari, cum nequeat ex recta in irrectam, vel ex irrecta in rectam transire.

475. Ad solutionem nota, quod cum dicitur, actum intellectus esse capacem erroris, non est, quia idem actus possit transire ex irrecto in rectum, aut ex non repræsentativo generis, & differentiæ in repræsentativum eorum, cum enim rectitudo, vel irrectitudo, & repręsentatio actus sit vitalis tendentia, & essentia ipsius, nequit mutari, ac proinde, qui semel fuit irrectus, numquam fiet rectus, & qui semel non repręsentavit genus, & differentiam, numquam genus, & differentiam repræsentare poterit. Dicitur intellectus, & actus dirigi, quia ex actibus possibilibus rectis, & irrectis vi regularum eligit rectum, irrectum omittens, v. g. Si aliquis vellet definitionem hominis elicere, posset hanc cognitionem efformare: *Homo est animal hinnibile*, vel hanc, *homo est animal rationale*, quod autem facit logica, est, dirigere vt hæc secunda cognitio recta præ prima irrecta eliciatur. Vnde hanc cognitionem esse rectam, nil aliud est, quam esse productam ab intellectu instructo regulis dictantibus eam præ alia eligendam.

476. Objic. 3. Omnia præcepta logicę ad argumentationem, & demonstrationem ordinantur; ergo hæc solum erit eius obiectum primarium. Respondeo, ex argumento ad summum sequi; demonstrationem esse obiectum attributionis logicæ, non vero esse obiectum primarium ipsius tantum, nam ex eo, quod definitio, & divisio ordinentur ad discursum, non sequitur; definitionem, & divisionem non respici primario á particularibus regulis ad ipsas terminatis.

477. Objic. 4. Contra secundam partem conclusionis. Per nos conceptus obiectivi sunt obiectum secundarium plurium actuum logicæ, quia non ratione sui, sed ratione conceptuum formalium attinguntur, sed apprehensiones non ratione sui, sed ratione definitionis, & divisionis á logica attinguntur, ergo solum sunt obiectum secundarium.

478. Nego minorem. Aliud enim est, logicam apprehensiones ordinare ad iudicium, & aliud apprehensiones attingere non ratione sui, sed ratione connexionis cum iudicio. Primum est verum, & tantum arguit, apprehensiones esse obiectum attributum ad aliud, sicut etiam iudicium, quod ad discursum logica ordinat, quin ex eo inferatur; non esse obiectum primarium logicę. Secundum argueret, apprehensiones non esse obiectum primarium, sicut conceptus obiectivi, qui ideo non sunt obiectum primarium actuum illos tantum attingentium ratione connexionis cum formalibus, sed falsum est, ita se habere apprehensiones respectu omnium actuum logicæ, cum de illis primario, & per se agant omnes illi actus, qui ad prædicabilia, genus, differentiam, species, &c. terminantur, qui quidem particulares actus ita primariò eas apprehensiones attingunt vt ad summum secundariò attingant iudicium, sicut illi actus, qui ita conceptus obiectivos attingunt vt formales solum attingant secundariò.

479. Objic. 5. ex Hurtado. Obiectum logicæ debet esse dirigibile in modum sciendi, sed simplex apprehensio non est dirigibilis in modum sciendi, neque vt modus sciendi, neque vt pars modi sciendi; nam iudicium est simplex & incomposita qualitas: ergo.

480. Nullius roboris est argumentum in nostris principijs asserentibus, totam definitionem in apprehensione complexa salvari. Neque in principijs Caramuelis defendentis, quamlibet apprehensionem etiam in complexam esse propriè modum sciendi. Nec si cum Patre Comptono dicamus, esse modum sciendi impropriè, & recordemur doctrinæ supra traditæ, scilicet quod etiam si modus sciendi vocalis sit impropriè modus sciendi, est propriè obiectum logicæ speculativæ, ergo saltem logicæ speculativæ possent apprehensiones esse obiectum primarium, cum earum cognitio ad faciliorem cognitionem modi sciendi conducere posit; sic Theologia conspicit vt obiectum partiale vitia, gratiá, &c. quin hæc sint partes Dei, qui est suum obiectum principalius, quia scilicet gratiæ, & vitiorum cognitio ad cognitionem Dei iuvare potest.

481. Respondeo ergo. Distinguo maiorem. Debet esse dirigibile in modum sciendi, vel constitutivè, vel dispositivè, concedo, Constitutivè necessario, nego, & similiter dstinguo probationem subsumptam: Non est modus sciendi formaliter, vel constitutivè, concedo, dispositivè, nego; sufficit enim quod sint dispositio necessaria ad modum formalem, vt eas logica respiciat, sicut natura, quæ formam introducit, dispositiones curat.

482. Objic. 6. Simplex apprehensio est incapax erroris: Ergo non est dirigibilis. Probatur antecedens. Apprehensio *Animalis* v. g. nullam habet indifferentiam, vt bené, vel male fiat, neque vt aliter obiectum repræsentet, ergo. Probatur consequentia. Directio vt talis requiritur advitandos errores; ergo si in apprehensionibus errores esse nequeunt, neque circa apprehensioné poterit directio reperiri.

483. Respondeo, quod ad rationem Praxis, ac proinde vt aliquid dicatur, dirigibile capacitas erroris non requiratur, vnde nec directionem præscisse requiri advitandos errores in redirecta, sed solúm ad hoc vt res dicatur intrinsecè recta, & ipse Hurtadus concedere tenetur, & nos supra defendimus exemplo ipsius Dei erroris incapacis, & á scientia simplicis intelligentiæ in productione creaturarum dirigibilis, sed admissá sequelá,

484. Distinguo antecedens: Est incapax erroris absolutè, incapacitate consistente in necessaria conformitate cum obiecto, concedo, respectivè, & incapacitate consistente in applicatione indebita hic, & nunc; nego. Apprehensio semper suum obiectum vt est in se repręsentat, vnde absolutè est incapax erroris. Attamen, cum hic & nunc posit esse inepta ad artificium, quod intenditur, dicitur capax erroris v. g. licet hæc apprehensio *hinnibile* recta sit absolutè, cum repræsentet vltimam differentiam equi, si tamen quis vellet, hominem definire, tunc esset inepta, cum ad hoc artificium ipsa non requiratur, sed apprehensio *rationalis*, quæ est vltima differentia hominis definiendi, cum ergo intellectus loco huius apprehensionis *Rationale* posit hanc habere *hinnibile*, vt hic, & nunc *hinnibile* non habeat, sed *rationale*, logicæ directio requiritur, scilicet vt sit recta, non solúm absoluté, sed etiam respectivè.

485. Objic. 7. Quod necessariò fit est incapax directionis, sed simplex apprehensio necessario fit: Ergo. Probatur maior. Directio est ad hoc, vt res, quæ

quæ potest hoc, vel illo modo fieri, hoc potius, quam illo fiat. Probatur minor. Posita specie apprehensionis obiectum proponente, nequit intellectus illud obiectum non apprehendere.

486. Retorqueo contra Hurtadum primò. Posita specie evidenti, necessarium est iudicium, sed iudicium est capax directionis per te: Ergo & apprehensio. Secundo. Per te non requiritur ad praxim vt talem subdi voluntatis imperiò, ergo etiam si apprehensio voluntatis imperio non subiciatur, dirigibilis erit.

487. Sed admissa maiori, distinguo minorem. Apprehensiò fit necessario. Apprehensio obiecti intellectui sufficienter propositi; concedo. Quælibet apprehensio obiecti non sufficienter propositi, nego. Certum est, viso *Petro*, vel audita hac voce *homo* non posse intellectum non apprehendere *Petrum*, & vocem *homo*, quia scilicet hæc obiecta sunt sufficienter proposita, at verò cum aliquis v. g. vult hominem definire, & obiectum sibi propositum non sit, potest apprehendere ad talem definitionem prædicatum *hinnibilis* ineptum, vel prædicatum *rationalis* rectum; ad hoc autem, vt hoc eveniat vel si vtrumque apprehendatur, vt eligatur hic & nunc, *rationale* præ *hinnibili* logicæ directio requiritur.

488. Aliud enim est, apprehensiones excitari necessariò, & aliud rectè, & aptè necessariò exitari. Licet primum sit verum, secundum verò non ita, cum autem possint rectę, vel irrectæ excitari, vt hæ præ illis excitentur, logica requiritur; sicut posito quodlibet cibo, sequitur necessariò nutritio, sed quia potest meliùs, vel non melius fieri hoc, vel illo cibo minûs, vel magis apto, cibus dirigitur ad nutritionem, datur que ars practica vt hic cibus præ alio eligatur.

489. Objic. 8. & simul replicab: Ex dictis sequitur, actus Phantasiæ, & visionem materialem esse obiectum logicę. Probatur. Ideo apprehensio est dirigibilis á logica, quia potest impedire rectæ definitionis constructionem, si homo, cum definire vult, apprehendat hoc præ alio, irrectum scilicet præ recto, sed similiter per Phantasiam, & potentiam visivam percipi potest hoc prę illo, quod æque rectè definitionis efformationem impediat: ergo actus Phantasię, & potentiæ visivæ erunt dirigibiles à logica, obiectum que ipsius.

490. Pater Quiroz, non sine probabilitate asserit; actus sensuum materialium posse dici ad logicam formaliter spectare. Præcipuê cum plures defendant; Phantasiam, & sensus externos posse dirigi per artem perspectivam, vt hoc potius obiectum, quam illud percipiât, subdique imperio voluntatis vt videat, & non videat obiectum, nunc aperiendo, nunc claudendo oculos. Et quod dirigantur á prudentia, & virtute modestiæ certum est, & ad hoc iuvat Eximij *Doctoris* authoritas, qui tom. 1. metaphys. disp 8. sect 4. §. 7. asserit, in cognitione sensus externi reperiri veritatem formalem, immò & iudicium, imperfectum tamen. Vnde Pater Comptonus asserit; tales actus à logica saltem indirectè dirigi propter nonnexionem necessariam, quam pro hoc statu habet apprehensio cum Phantasia.

491. Respondeo, distinguo maiorem, quia potest impedire rectæ definitionis constructionem præscisse, nego, quia potest impedire proximè, vel vt proxima dispositio, & aliás dantur regulæ logicales circa ipsas apprehensiones, concedo, Actus Phantasiæ, & potentiæ visivæ remote possunt impedire rectitudinem definitionis, apprehensiones tamen immediatê, & proximè; ideo que circa has, non vero circa illas, versatur logica. Vnde cum dicimus; apprehensiones esse obiectum logicæ non est præs-

pręscisse, quia in eis possunt contingere errores impeditivi rectæ definitionis, sed quia contingere possunt errores corrigibiles á logica per proprias ipsius logicæ regulas.

492. Replicas ex ingenioso Moderno, potius Phantasia, & sensus externi sunt dirigendi, quam apprehensiones: nam qui intendit da[m]num vitare, & commodum inducere, id debet dirigere, quo posito ponitur necessariò cómodum, & vitatur incommodum. Item Sapiens Medicus radicem ægritudinis curat, vnde in cætera membra damnum effunditur; sed posita Phantasiæ, & potentię visivæ perceptione termini apti, vel inepti non potest non proponi intellectui terminus aptus, vel ineptus; & radix rectitudinis, vel irrectitu[di]nis definitionis est talis perceptio: Ergo.

493. Respondeo. Nego assumptum. Ad probationem dico, logicam solum dirigere id, ex quo proximè sequitur commodum, & vitatur damnum, quia ad id solum in ea regulæ reperiuntur, non verò id, quo damnum remotè provenit, quia ad hoc in ea nó invenimus regulas. Commodum rectæ definitionis, & damnum irrectæ, immediatè provenit ex recta, vel irrecta apprehensione, ad quarum directionem proprias regulas constituit logica, omnes scilicet illas, quæ de vniversalibus, & prędicabilibus agunt. Quas quidem regulas circa perceptiones Phantasiæ, & potentię materialis non habet.

494. Insuper ex perceptione potentiæ visivæ non vitatur omne incómodum, nec sequitur omne commodum intentum à logica præsuppositivè ad modum sciendi, nam licet apprehensio *Petri* sit necessaria, quando Petrus oculis conspicitur, at cum definitionem hominis efformare velim, quod potius *rationale*, quam *hinnibile* apprehendatur, quomodo à potentia visivia hic, & nunc dependere poterit? Dependet enim ab excitatione speciei *rationalis*, potius provenit ab imperio voluntatis illustratæ ab intellectu regalis logicæ instructo. Unde ad huc concesso, quod casu, quo obiectum perciperetur per potentiam visivam, & casu, quo Phantasia absque voluntatis directione speciem excitaret, non daretur logicæ directio, hæc tamen esset necessaria, quando absque tali perceptione, & necessaria excitatione Phantasiæ fieret definitio, divisio, & argumentatio ex libera excitatione specierum proveniente á voluntate illuminata intellectu.

495. Informa ergo distinguo hanc propositionem: Logica id debet dirigere, quo posito sequitur necessariò commodum, & vitatur incommodum, si habeat regulas directivas circa illud, concedo: Si non habeat, nego. Ad exemplum Medici periti dico: Quod si intra eius artem inveniantur regulæ radicis ægritudinis medicativæ, eam curare poterit. Non vero, si tales regulæ non inveniantur. Potest enim ægritudinum radix esse, vel conscientia nimis scrupolosa, vel prava, vel spiritus afflictio, quam quidem radicem curare nó poterit medicus corporalis, vel quia in sua facultate ad eam curandam regulę non sunt. Ita cum in logica non sint regulę ad dirigendas potentias externas, & phantasiam; dentur tamen ad dirigendas simplices apprehensiones, poterit damnum proveniens ab apprehensionibus curare, non vero proveniens à phantasia, & sensu externo.

476. Replicas. Ideò ponimus regulas apprehensionum directivas, quia hæ ita deserviunt ad modum sciendi, vt possint esse occasio erroris; sed perceptiones sensuum externorum, & phantasię etiam possunt esse occasio erroris: Ergo.

497. Respondeo. Distinguo maiorem: Quia possunt esse occasio erroris corrigibilis à logica: Concedo, abso-

 lute,

luté, nego. Cum enim, vt iam diximus, fint in intellectu species *hinnibilis*, & *rationalis*, & excitatio huius speciei præ illa fit voluntati libera, quod excitetur ad definitionem hominis potiús species rationalis, quam species hinnibilis, potest ab intellectu dirigi; vt autem scientificê dirigat, regulis, & dictaminibus eum instruimus; cum enim dictamina sint circa genus proximum, & differentiam vltimam, ea ad logicam reducimus, cuius proprium est dirigere definitionem constantem genere proximo, & vltima differentia, quas quidem regulas non effingimus, sed statutas, & in logicarum dictaminum syllabo conscriptas invenimus.

498. Objic. 9. Ex eodem Moderno. Ideo per nos apprehensio incompleta est obiectum logicę, quia disponit ad modum sciendi formalem ministrando intellectui materiam circa quam modi sciendi formalis; sed actus omnium scientiarum etiam ministrant intellectui materiam circa quam modi sciendi, & nihilominus non sunt obiectum logicæ, ergo.

499. Respondeo: falsum esse actus aliarum scientiarum non esse obiectum logicæ, nam vel sunt definitiones, divisiones, aut argumentationes, vel apprehensiones, & hi omnes actus ad quamcumque materiam pertinentes possunt esse obiectum primarium logicę quoad formam, & obiectum secundarium, quoad materiam. Vnde in argumento nego minorem subsumptam.

500. Replicas. Actus aliarum scientiarum, licet quoad formam sint obiectum logicæ; prout proponunt materiam logicę obiectum non sunt: Ergo apprehensiones vt proponentes intellectui materiam ad modum sciendi, logicę obiectum non erunt.

501. Resp. Eodem mòdo in actibus aliarum scientiarum, ac in apprehensionibus discurrendum. Sicut enim actus aliarum scientiarum non sunt obiectum primarium logicæ prout proponunt materiam aliarum scientiarum, Hoc est, non sunt obiectum logicæ secundum materiale ipsorum actuum, ita apprehensiones (loquor de iudicijs, & apprehensionibus, quæ non fuerint in materia logicę) non sunt obiectum primarium logicæ secundum materiale ipsarum, & secundum quod proponunt materiam aliarum scientiarum; sunt tamen obiectum primarium logicæ, tam iudicium, quam apprehensio secundum esse formale vtriusque. Dicitur tamen ad logicam pertinere apprehensiones. vt præbent materiam intellectui; non quia pertineant primariò secundum materiam ipsarum, sed quia præbent intellectui materiam tali dispositione, & forma genericitatis, vnitatis formalis abstractivæ, &c. Secundum quam dispositionem semper ad logicam primariò attinguntur. Vnde in forma ad replicam respondetur, distinguo antecedens quo ad secundam partem; actus aliarum scientiarum non sunt obiectum logicæ, provt proponunt materiam aliarum scientiarum; hoc est, secundum materiale ipsorum: Concedo; secundum formale ipsorum, nego. Et similiter distinguo consequens: Adhuc enim provt proponunt materiam aliarum scientiarum se habent, vt definitiones, divisiones, &c, nam illam proponunt tali forma, & modo. Ex eo tamen quod logica eos actus attingat, secundum quod sunt definitivi, divisivi, &c. solum sequitur, logicam eas materias secundariò attingere secundum quod definibiles sunt, & divisibiles.

502. Obijc. 10. Ex eodem. Logica non curat, ne excitetur apprehensio apta præ inepta ante definitionem v.g. Ergo apprehensiones à logica non diriguntur. Probatur antecedens primò, quia quęcumque apprehensio licet ad hunc finem particularem sit inepta, ad alium

alium potest esse apta, v. g. licet apprehensio *hinnibilis* sit inepta ad definitionem hominis, est apta ad definitionem equi. Secundò, quia etiam si sit inepta, non objicitur intellectui occasio errandi in definitione elicienda, cum hic aliunde pro ipsa definitione regulas certissimas habeat, quibus si conformetur, recta evadet definitio. Non enim errores aliunde præcavendi sunt sine necessitate.

503. Resp. Nego antecedens. Ad cuius primam probationem sic illam retorque. Ergo neque cum aliquis vult definitionem elicere, tenebitur logica divisionem cohibere, cum divisio possit esse apta ad alium finem. Item neque cū quis hominem definire vult, logica tenebitur cohibere hunc actum *homo est substantia rationalis.* Nam licet sit ineptus ad finem intentum, ad alium finem, scilicet ad distinguendum hominem ab accidenti vtilis esse potest talis propositio, & in esse morali quam plurima sequerentur absurda. Nam similiter neque prudentia curaret oculorum submissionem, vitare que non teneretur eorum elationem, cum hęc elatio sæpè sæpius sit vtilis, licet hic & nunc ex obiecto inepta, & inutilis sit ad virtutem modestiæ, quæ exercenda est. Vnde dico; logicæ proprium esse talem apprehensionem ineptam hic & nunc cohibere, & aptam elicere, apprehensionem scilicet generis remoti cohibere, & excitare apprehensionem proximi ad rectam definitionem.

504. Ad secundam probationem respondetur. Falsissimum esse, non objici intellectui occasionem errandi ex excitatione speciei ineptæ pro definitione efformandá. Hęc enim excitatio potest dupliciter evenire. Primò, si excitetur tantum apprehensio inepta v.g. apprehensio *substantia* pro definitione hominis. Secundo, si excitetur inepta v.g. *substantia*, & simul apta v.g. *Animal.* Si primum eveniat, vel intellectus nil operabitur si cognoscat, talem apprehensionem esse ineptam ad definitionem, & aliam aptam se non habere, vel si actum eliciat, errorem committet, cum vtatur *substantia* genere remoto, pro *animali* genere proximo. Si secundum eveniat: poterit intellectus eligere ad eliciendam definitionem, vel substantiam, vel animal. Rogo, si eligat substantiam præ animali, nonné excitatio talis apprehensionis ineptæ occasio erit erroris? Si tamen eligat animal præ substantia, nonnè hoc faciet, quia dirigitur ab aliqua cognitione dictante, genus proximus præ genere remoto eligi debere ad definitionem formandam? Certè. Rogo iterum: non ne hic actus dirigens ad logicam pertinebit? Certè etiam: Ergo ad hanc etiam pertinent apprehensiones.

505. Ad illud, quod additur, nempe hoc sufficienter dirigi á regula ipsa definitionis v.g. *Definitio constat genere, & differentia*, cui si conformetur intellectus sine vllo erroris periculo recta evadet definitio. Respondeo. Certum esse quod si intellectus conformetur huic regulæ, recta evadet definitio, sed nego suppositum, quod possit intellectus huic regulæ conformari, quin prius alijs circa genus, & differentiam conformetur, nam sicut intellectus nequit iudicium elicere, quin prius præcedant apprehensiones prędicati, & subiecti, ita nequit definitionem constantem genere, & differentia elicere, quin prius genus, & differentiam apprehendat, & quin hæ apprehensiones præcedant, tamquam termini intrinsecè terminativi, intra quas tota definitio contineatur, sicut flumen intra ripas. Item etiam si sine directione illa apprehensionum posset fieri definitio, tamen ex tali directione faciliús, & securius fiet; ergo tales regulæ otiosę, & inuteles non sunt, sicut ipsa definitio

abs

absolutè potest fieri sine regula logicali, & cum hæc, vt facilius fiat, requiratur, otiosa non est. Insuper eademmet regula dirigens definitionem v.g. *Definitio constat genere, & differentia* attingit, & dirigit implicite apprehensiones prævias ad definitionem necessarias; & sicut qui præcipit vt scribam, præcipit implicitè, vt oculos apertos habeam; vt calamum moveam, &c. vtpote dispositiones necessarias ad scribendum.

506. Objic. 11. Si apprehensio termini apti esset obiectum logicæ, etiam esset obiectum ipsius apprehensio termini inepti, sed hoc nequit admitti: ergo. Probatur Sequela. Ideo apprehensio termini apti est obiectum logicæ, quia iuvat ad definitionem, sed etiam iuvat apprehensio termini inepti, quia iuvat, vt facilius dignoscatur apta. Tum quia sicut opposita iuxta se posita magis elucescunt, ita meliùs cognoscetur genus proximum ex cognitione remoti.

507. Resp. Concedo totum. Apprehensiones scilicet terminorum ineptorum esse obiectum remotionis logicæ, sicut ab aliquibus appellatur ens rationis obiectum remotionis metaphysicæ, sicut enim ad virtutem pœnitentiæ pertinet actus pœnitentiæ vt amplectendus, peccatum vt fugiendum. Ad virtutes fidei, & spei, actus fidei & spei vt amplectendi, actus infidelitatis, & desperationis vt fugiendi, & ad ipsam logicam syllogismus verus vt dirigendus, & syllogismus fallax vt vitandus, ita ad logicam pertinebunt vt obiectum apprehensiones aptæ vt eligendæ, & ineptę vt vitandæ.

508. Objic. 12. Non potest intellectus dirigi per regulam, vt apprehendat id, quod ante ipsam regulam supponitur apprehensum, sed ante hanc regulam *genus est, quod prædicatur de pluribus* &c. supponitur genus apprehensum: ergo. Prob. min. Talis regula est iudicium attingens genus, ergo ante ipsam supponitur genus apprehensum iuxta illud *Nil iudicatum, quin prius apprehensum*.

509. Respondeo, distinguo antecedens: vt apprehendat genus signatè, confusè, & in communi sub nomine generis, transeat; clare, exercitè in particulari, & sub significatione generis, nego: genus proximum quod ante illam regulam apprehensum supponitur, est confusè, & in communi, hoc scilicet nomen genus in cortice ipsius, per ipsum autem actum declaratur, quid significet explicitè hoc nomen, vt postea intellectus tali cognitione directus apprehendat genus proximum in particulari. Et sic se habet intellectus in omnibus actibus suis, & in omnibus regulis ad omnes facultates terminatis; sic ut dicat *homo est animal rationale*, pręcedit *homo* apprehensus, quin ex tali apprehensione habeat notitiam hominis, quam post iudicium adquirit. Sic antequam ars frænufactoria dicat, *ita frænum aptandum est*, vt equum dirigat, & gubernet, præcedit frænum apprehensum, quin sciatur modus efformandi illud, qui postea per talem regulam scitur. Sic antequam logica dicat *genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie*: Genus apprehenditur, sed ignoratur, quod sit genus, cognosciturque, vt postea fiat in particulari per illum actum.

510. Obijc. 13. Iuxta Angelicum Præceptorem 22. q. 93. art. 2. ad 2. *Artificium consistit in compositione, & figura*, sed apprehensio non est composita, ergo in ea non datur artificium; ergo neque obiectum logicæ, quæ vtpote ars artificium in suo obiecto respicere debet.

511. Respondeo. Angelicum Pręceptorem, loquutum fuisse de artificio materiali, quod in compositione partium, & figura consistit, non verò de artificio mentali logico, aliás nec iudicium

cium

cium logicæ obiectum, nec diceretur artificiosum, cum careat partibus, & figura, supponitur enim esse simplicem qualitatem, dicitur tamen talis apprehensio artificiosa ab ipsa arte scilicet logica á qua dirigitur, & cuius regulis conformatur; vnde arti faciter dicitur extrinsecè. De hoc postea latius.

SECTIO V.

QVÆ SIT RATIO FORMALIS SVB qua logica.

512. PRima sententia Thomistarum tenet, rationem formalem *sub qua* logicę esse directionem passivam actuum logicalium. Thomistas laudat, & sequitur Ortiz, tract. 1. proœm. conferentia 2. n. 33. Ei videtur assentire Spinula, disp. 2. n. 47. Sed hęc sententia confundit obiectum formale *quod* cum obiecto *sub quo*.

513. Secunda ferè omnium Doctorum sententia tenet; esse dirigibilitatem intrinsecam actuum in formam modi. Ego vero iuxta mea principia aliter discurrere teneor.

514. *Dico*. Ratio formalis sub *qua* logicæ practicæ est dirigibilitas intrinseca actuum iuxta pręcepta logicalia, seu capacitas, vt dirigantur á logica. Ratio verò formalis sub *qua* logicæ speculativę est speculabilitas logicalis, seu capacitas, vt cognoscantur, vel conceptus formales, vel obiectivi, vel voces cum aliquo respectu ad modum sciendi.

515. Probatur conclusio, quoad vtramque partem. Ratio formalis sub *qua* alicuius scientię est capacitas intrinseca obiecti materialis determinativa illius in obiectum talis scientiæ potius quam alterius. Sic veritas est obiectum formale sub *quo* intellectus, quia determinat ens, vt sit obiectum materiale ipsius, & bonitas obiectum formale sub *quo* voluntatis, quia illud determinat, vt sit obiectum materiale voluntatis; sed dirigibilitas logicalis, & speculabilitas logicalis determinant conceptus formales obiectivos, & voces, vt sint obiectum materiale logicæ practicę, & speculativæ cum distributione accommoda: Ergo.

516. Confirmatur. Dirigibilitas actuum voluntatis in rectitudinem moralem, eorumque speculabilitas cum respectu ad talem rectitudinem est ratio formalis *sub qua* phylosophię moralis; ergo dirigibilitas logicalis in rectitudinem logicalem, & speculabilitas logicalis cum respectu ad talem rectitudinem, erit ratio foemalis *sub qua* logicæ.

517. Nota, vtramque rationem formalem esse intrinsecam capacitatem obiecti: vtramque etiam connotare actus logicales, & modum sciendi formalem, vel quia in aliquibus identificatur cum ipso modo sciendi, vel quia in alijs ad ipsum modum sciendi respectum dicit. Ab vnivocatione harum rationum formalium nunc præscindo. Sive enim sit vna per convenientiam, sive sit multiplex, non officit vnitati per aggregationem, qua gaudet logica, quaque dicitur vna scientia.

518. Objic. 1. Dirigibilitas actuum pertinet ad Animasticam; ergo non est ratio formalis subqua logicę. Probatur antecedens. Dirigibilitas est proprietas actuum mentis, sed actus mentis pertinent ad animasticam, & ad facultatem, ad quam spectat essentia spectant & proprietates; ergo.

519. Respondeo: Distinguo antecedens, vt obiectum materiale, transeat; vt obiectum formale sub *quo*: nego. Nō enim repugnat, quod obiectum materiale vnius actus, & facultatis sit obiectum formale seu *quo* alterius. Sic præsentia

tia

tia obiecti est obiectum materiale actus amoris stricti, & ratio formalis sub *qua* amoris gaudij Sic bonitas est obiectum materiale intellectus, & ratio formalis sub *qua* voluntatis. Insuper falsum est absolutè dicere, ad eamdem scientiam, ad quam pertinet essentia, omnes proprietates pertinere; solum enim illę proprietates necessario pertinent, sine quibus essentia illa nequit cognosci á tali scientia. Sic Phylosophia agit de motu, & non agit de artificio motus, quod est proprietas ipsius, & pertinet ad artem saltatricem.

520. Obijc. 2. Dirigibilitas passiva se tenet ex parte obiecti materialis, & cum illo identificatur: ergo non est obiectum formale, sed materiale. Probatur consequentia. Si se tenet ex parte obiecti materialis erit non repugnantia obiecti vt cognoscatur, sed non repugnantia obiecti, vt cognoscatur, est obiectum materiale, ergo. Probatur minor. Obiectum materiale est, quod potest cognosci, sed posse cognosci est esse non repugnans cognosci, & esse non repugnans cognosci nil est nisi non repugnantia obiecti vt cognoscatur: ergo.

521. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad probationem distinguo maiorem, erit non repugnantia proxima, & formalis; concedo. Non repugnantia radicalis, vel quasi radicalis. Nego. Ad probationem: concedo maiorem, & minorem; ad probationem subsumptam distinguo; esse non repugnans, nil est nisi non repugnantia formalis nego, radicalis, vel quasi radicalis, concedo. Omnis ratio formalis *sub qua* debet se tenere ex parte obiecti materialis, si quidem est capacitas ipsius intrinseca, & essentialis, vt attingatur ab aliqua potentia, sic visibilitas est ratio formalis sub *qua* potentiæ visivę: bonitas voluntatis, veritas intellectus, quæ omnes se tenent ex parte obiectorum materialium. Nota, argumentum transire ab vno sensu in alium, nam á non repugnantia transit ad non repugnans, â forma vel quasi forma ad concretum; sicut si aliquis diceret, visibile est obiectum materiale, & non formale sub *quo* potentiæ visivæ; ergo visibilitas etiam est obiectum materiale, & non formale sub quo. Dicitur tamen visibile radix, vel quasi radix veritatis, & bonitatis, & similiter actus intellectus, qui est obiectum materiale logicæ dicitur non repugnantia radicalis ad distinctionem ipsius dirigibilitatis, quæ dicitur non repugnantia formalis, qua obiectū materiale redditur non repugnans.

522. Obijc. 3. *Dirigibilitas* non cognoscitur á logica, aliàs logica seipsam cognosceret, ergo non est obiectum sub quo.

523. Retorqueo in omni ratione formali v.g. visibilitas non videtur â potentia visiva, aliás se ipsam videret, ergo non est ratio formalis potentiæ visivę. Cognoscibilitas non cognoscitur, alias cognitio se ipsam cognosceret, ergo nō est ratio formalis intellectus. Respondeo. Distinguo antecedens: Non cognoscitur vt *quod*, & signate, *concedo*, vt *quo*, & exercitè. Nego. Eo modo quo aliquid est obiectum alicuius potentiæ attingitur ab ipsa. Unde dirigibilitas attingitur vt *quo* à logica, quia est obiectum vt *quo*, quod non sufficit, vt logica se ipsam cognoscat, nam licet talis dirigibilitas sit essentialiter connexa cum, logica non cognoscitur vt connexa, ac proinde non cognoscitur vt terminus connexionis. Sic diximus, aliquos actus logicæ nec secundariò respicere conceptus obiectivos, quia licet conceptus formales, quos primariò respicit, sint essentialiter connexi cum obiectivis, non respiciuntur á logica vt connexi.

524. Instas: Ergo si dirigibilitas aliquo modo cognoscitur, erit media alia dirigibilitas, & hęc media alia vsque in infinitum. Respondeo. Ad vnam rationem formalem non dari aliam, & sic nec ad cognoscendam vt *quo* vnam dirigibilitatem datur alia dirigibilita, sicut licet vnio vniatur extremis, non media alia vnione, quia vnitur, vt *quo* vt ratio nempe formalis vniendi.

525. Obijc. 4. ex Spinula. Iudicium non est dirigibile â logica, ergo non respicitur ab ea sub dirigibilitate tamquam ratione formali. Probatur antecedens: frænum non est dirigibile ab arte frænufactoria; quia frenum est opus iam factum, sed tantum est dirigibile ferrum, supra quod cadit illius artis directio, ergo neque iudicium est dirigibile â logica, cum iudicium sit operatio iam facta.

526. Ex argumento infertur: Iudicium non esse obiectum logicæ practicæ, cum nō sit dirigibile ab ipsa, quod est contra Spinulam. Respondeo. Nego antecedens, ad probationem distinguo antecedens, frænum non est dirigibile, &c. frænum iam factum vt factum, concedo, vt factibile, nego; & distinguo consequens. Iudicium non est dirigibile vt factum, concedo; vt factibile, nego. Iudicium vt possibile est obiectum logicæ, & ab ipsa conspicitur vt factibile; vt factum est effectus ipsius logicæ, sicut frænum vt possibile, & factibile ab arte frenufactoria est obiectum ipsius, vt factum est effectus. Nō enim eo ipso, quod dicatur *frænum*, & *iudicium* intelliguntur iam opus factum, vt factum. Nota, quod ars frænufactoria non efficit suam materiam, nempe ferrum, sed in eam iam factam artificium introducit, & ita se habent omnes artes extrinsece factivę, sicut fabrilis, *Domifactoria*, &c. at verò logica totum actum producit, materiam scilicet, & artificium.

527. Obijc. 5. Ex Alphonso. Solus intellectus potest dirigi, quia solus intellectus est capax illuminationis, ergo obiecto nulla est intrinseca dirigibilitas.

528. Respondeo. Distinguo antecedens. Solus intellectus potest dirigi per modum subiecti, & potentiæ illuminabilis, concedo. Per modum obiecti operabilis ex directione; nego. Et similiter distinguo consequens: Ergo obiecto nulla est intrinseca dirigibilitas, quæ convertatur cum illuminabilitate, concedo; quę convertatur cum operabilitate ex directione; nego. Re ipsa certum est, propriè non dirigi nisi solum intellectum, quia solus intellectus illuminatur, at ex communi modo loquendi actus producti ab aliqua potentia directa, & illuminata dicuntur dirigi ab illis dictaminibus, quę potentiam illuminant, quia operabilitatem hanc cum dirigibilitate confundunt. Sic actus voluntatis dicuntur dirigi á Philosophia morali, quia operantur à voluntate directa per talem moralem philosophiam, & hunc communem modum loquendi sequutus operabilitatem actuum ex logicæ directione *dirigibilitatem* appello.

SECTIO VI.

DE OBIECTO FORMALI QVOD logica.

529. Obiectum formale *Quod*, seu ratio formalis *Qua*, vt supra diximus, est proprium solius scientiæ practicæ. Est nam que id, quod aliqua scientia per modum finis intendit introducere in suum obiectum materiale. Unde obiectum formale *Quod* logicæ est rectitudo illa (directio passiva ab aliquibus appellata) quam in suos actus introducere conatur. Quęrit ergo præsens quæstio, in quo talis rectitudo consistat.

SVB-

SVBSECTIO I.

VTRVM OBIECTVM FORMALE Quod *sit ens rationis*?

530. ENs rationis, aliud dicitur fundamentale, aliud effectivum, aliud subiectivum, obiectivum aliud. Fundamentale est, quod præbet fundamentum intellectui, vt efformet ens rationis proprium. Effectivum est, quod effectivè fit ab intellectu, subiectivum, quod recipitur in intellectu tamquam in subiecto. Obiectivum est, quod accipit totum suum esse ab intellectu fingente. Et hoc vltimum est tantum propriè ens rationis. Alia verò sunt entia realia. Vnde cognitio Petri est ens rationis fundamentale, quia potest á Paulo concipi, vt prædicatum substantiale. Est ens rationis effectivè, quia effectivè producitur ab intellectu Petri. Est ens rationis subiectivè, quia in intellectu Petri tamquam in proprio subiecto recipitur. Non tamen est ens rationis obiectivum, quia suum esse habet reale, & independenter ab intellectu fingente. De ente rationis in vltima acceptione inquirimus. An sit obiectum formale *Quod* logicæ? Nam in alijs acceptionibus non est dubium, esse subiectum ipsius.

531. Prima sententia (quam thesseram Thomistarũ ipsi Thomistę vocant) affirmat. Ita Complutenses, d. 1. proœm. q. 2. §. 3. Vbi asserunt; se nullum ex discipulis Sancti Thomæ contrarium defendentem vidisse. Adhærent Thomistis plures Scotistę. Ex nostris citari solent Toletus, & Vallius, quos omnes citat, & sequitur Ioannis, d. 1. logicæ. Conclus. 3. n. 25. Dissident tamen inter se Thomistæ. Ioannes à Sancto Thoma, q. 5. art. 3. & alij tenent, hoc ens rationis intentum á logica esse denominationes resultantes ex directione logicę in conceptus formales. Denominationes scilicet subiecti, prędicati, definitionis maioris, minoris, &c. Ortiz, tract. 1. proœm. confer. 2. n. 4. Ioan. & alij tenent: esse denominationes resultantes ex conceptibus formalibus, & derivatas in obiectivos v.g. Denominationes definiti, *Divisi*, vniversalis, Generis, speciei, &c. Vtrumque modum loquendi amplectitur Mag. Lin. dicens, obiectum formale logicę esse secundam intentionem obiectivam resultantem in rebus consideratis ex consideratione intellectus, qua constituitur modus sciendi obiectivus, & cætera concreta logicalia: ita lib. 1. q 1. art. 4. n. 32.

532. Secunda nostra Iesuitica sententia negat vniversaliter. Ita omnes nostri *D*octores Suarez, Oviedus, Arria. Linceus, & cæteri, dempto nemine, quos sequitur P. Olea. d. 47. n. 2.

533. Conclusio. Ens rationis non est obiectum formale logicæ. Probatur primo. Tale ens rationis debet esse fictum; ergo per aliquem actum, qui sit fictio, sed nullus actus logicus est fictio, ergo per nullum actum logicum fit: Ergo neque est obiectum formale *quod* logicæ. Primum enthimema certissimum est. Minor subsumpta probatur primò. Omnis actus logicus est scientificus; ergo nullus actus logicus est fictio. Consequentia patet. Nullus namque actus scientificus est inductivus, & directivus erroris, sed potiús erroris expulsivus; ergo nullus actus logicus est fictio. Probatur secundò. Fictio est actus falsus, vt postea probabimus, sed nullus actus logicus est falsus, vt pote scientificus, ergo nullus actus logicus est fictio.

534. Probatur 3. Omnis fictio confert obiecto prædicatum repugnans, vel aufert ab illo prædicatum conveniens, sed nullus actus logicus confert obiec-

obiecto prædicatum repugnans, nec aufert illi prædicatum conveniens. Maior est definitio fictionis, seu actus fictitij. Probatur minor. Quod definitio repræsentet rem per genus, & differentiam, quod divisio totum in partes distribuat, quod argumentatio exidentitate duorum extremorum cum tertio inferat identitatem eorum inter se non est prædicatum repugnans definitioni. *D*ivisioni, & argumentationi, nec in hoc ab illis aliquod prædicatum conveniens aufertur, sed quod intendunt omnes actus logici in suis obiectis est, quod definitio repręsentet rem per genus, & differentiam, quod divisio totum in partes distribuat, & quod argumentatio ex identitate duorum extremorum cum tertio inferat identitatem eorum inter se; ergo nullus actus logicę intendit conferre suo obiecto prædicatum repugnans, nec auferre ab illo prædicatum conveniens.

535. Maior est certa: Nam repræsentare rem per genus, & differentiam, totum in partes distribuere, &c. Est essentia ipsorum actuum, ergo in hoc nec confertur illis prædicatũ repugnãs, nec aufertur ab illis prædicatũ conveniens. Minor est certissima. Quid enim aliud intendunt hi actus logicæ. *si vis elicere definitionem, per genus, & differentiam illam efforma. Si vis divisionem elicere, totũ in partes distribue. Si vis syllogismum efformare, ex identitate duorum extremorum cum tertio infer eorum identitatem inter se?* Consequentia evidenter convincit.

536. Probatur quartò. Omnis actus logicus respicit actus intellectus prout sunt definitio, divisio, & argumẽtatio: Sed actus intellectus non sunt definitio, divisio, & argumentatio per ens rationis, sed per suas entitates, nec per aliquid fictum, sed per aliquid reale: ergo nullus actus logicus respicit vt obiectum formale *quod* aliquid fictum; ergo nullus est fictio.

537. Dices, Definitionem, *Divisi*onem, & argumentationem non esse obiectum logicæ vt cumque repręsentantes obiectum, sed repręsentantes illud modo artificioso. Qui modus artificiosus resultat in actum ex directione logicæ, tamquam ex aliqua forma illi intrinsecè superaddita. Cum enim talis forma in conceptu illo non reperiatur, erit ficta, & ens rationis.

538. Contra primo. Totus modus artificiosus intentus á logica salvatur in eo, quod definitio repræsentet rem per genus, & differentiam v.g. Definitio hominis per *animal rationale*, sed talis definitio se ipsa absque vlla fictione, aut ente rationis, aut forma intrinsecè supcraddita repræsentat rem per genus, & differentiam: ergo se ipsa absque vlla forma ficta est obiectum formale *Quod*.

539. Contra secundá. Pone intellectum regulis logicę instructum hunc actum elicere, *Homo est animal rationale*, & nullatenus cogitare de forma illa, actu ex directione logicæ resultante. Rogo, vel tunc illa esset recta hominis definitio conformis regulis logicæ, vel nõ? Si primum? Ergo independenter ab illo ente rationis datur rectitudo intenta á logica. Patet, nam ens rationis nequit se ipso resultare, sed fit ab aliquo actu intellectus rem aliter ac est in se concipiente; Sed vt supponimus, tunc non datur actus concipiens illam formam, re ipsa extrinsecam vt intrinsecam actui directo: ergo.

540. Si secundum? Contra erit primò. Imperceptibile est, actum repræsentantem hominem per genus, & differentiam elicitum ab homine cum attentione ad regulas logicales non habere sufficientem rectitudinem, & conformitatem cum regula ex se nil aliud dictante, quam definitionem debere elici per genus, & differentiam, solum ex defectu alicuius erroris, & fictionis. Contra secundò.

cunda. Ea definitio sine tali fictione nó est recta? Ergo nec per illam rectificatur. Quid enim rectificari potest per aliquam formam re ipsa extrinsecam, quia fictitiè vt intrinseca concipitur?

541. Roboratur vlterius ratio nostræ conclusionis. Talis ens rationis non fit per actum logicæ directivæ, vt iam probatum est: ergo vel fit per actũ antecedentem ad elicientiam definitionis v.g. vel per actum subsequentem, sed per actum antecedentem non fit, & si fiat per consequentem, nil ad rem: ergo. Quod non fiat per actum antecedentem patet, quia actus antecedens solum attingit entitatem hominis sine vllo artificio, cum adhuc non detur definitio, & iuxta Adversarios in illo artificio ens rationis consistat. Quod si fiat per actum consequentem, nil ad rem, patet; nam ex eo solum infertur, rectitudinem á logica intentam esse ens rationis fundamentale, quia fundamẽtum præbet intellectui, vt conciperet formam re ipsa extrinsecam, vt intrinsecam actui, non verò esse ens rationis formale. Insuper talis actus potest absolutè non subsequi; ergo tunc salvaretur tota rectitudo sine ente rationis. Item talis actus supponit rectitudinem actus, repræsentationem, & formam modi sciendi, cum supra illam reflectat: ergo hæc rectitudo in fictione talis actus non consistit.

542. Confirmatur primò, Rectitudo definitionis realiter producitur á logica; ergo non est ens rationis, quia si esset ens rationis, esset nihil, & per consequens non produceretur realiter.

543. Confirmatur secundò. Iuxta Sanctum Thomam, Phylosophia moralis respectu actuum voluntatis se habet, sicut logica respectu actuum intellectus; nam sicut illa actuum voluntatis, ita hæc actuum intellectus rectitudinem curat, sed rectitudo intenta á Phylosophia morali in actibus voluntatis nó est ens rationis; ergo neq; rectitudo intenta á logica in actibus intellectus.

544. Confirmatur tertiò. Sicut actus intellectus habent suum artificium conforme regulis logicæ, ita voces habent suum artificium conforme regulis grammaticæ, si sunt congruæ, poeticę si sunt metricæ, Rhetoricæ si sunt ornatæ; sed hoc artificium non est ens rationis, alias iam non esset quid speciale logicæ habere pro obiecto formali *quod*, ens rationis: ergo.

545. Quod autem denominationes extrinsecę, *definiti, divisi, generis, speciei*, &c. provenientes ex actibus in obiecta non sint entia rationis, postea proprio loco, in tractatu nempe de Ente rationis videbitur; & nunc breviter probatur: Me definire, dividere, repræsentare obiectum non est ens rationis; ergo neque obiectum esse definitum, divisum, & repræsentatum erit ens rationis. Item repręsentare vnum, & non repræsentare aliud, cum datur vnum, & aliud virtualiter, non est ens rationis iuxta illud, *Abstrahentium non est mendacium*; ergo neque vnum esse repræsentatum, & non aliud, erit ens rationis; sed genus, species, differentia, &c. nil aliud est, quam vnum esse repręsentatum, animal scilicet, & non aliud, rationale nempe; ergo. Insuper cum logica practica non respiciat has denominationes extrinsecas *definiti, divisi, generis*, &c. derivatas ab actibus in obiecta, licet eas logica speculativa respiciat, adhuc admisso, quod essent entia rationis, non inferretur, esse obiectum formale *quod* logicæ, sed solùm esse obiectum materiale. Nam actus speculativi á distinctione practicorum, non habent obiectum formale *quod*.

546. Quod si adverteret quidam ingeniosus Magister, non affirmaret, se te- rui non posse Arriagæ doctrina; eo quod iudicet, plures actus logicæ dari circa has extrinsecas denominationes, vt ideo notandum est, ens rationis esse obiectum materiale logicę, vt definibile, divisibile, &c. Sicut quilibet alius actus obiectivus, cum enim ens rationis possit definiri, dividi, & circa ipsum argumentari, ex eo, & definitione formali potest resultare hoc concretum, *definitum divisum, &c.* Ex hoc autem non infertur; ipsum ens rationis esse obiectum formale *quod*, cum hoc tantum reluceat in definitione, & divisione formali, quarum rectitudo etiam si terminetur ad ens rationis, non est ens rationis, sed realis repræsentatio entis ficti.

547. Nota etiam, nos non favere Thomistis, etiam si admittamus, has denominationes *definiti generis, &c.* sæpe includere ens rationis, tum ob rationem supra dictam, tum quia hoc non asserimus, eo quod iudicemus denominationes extrinsecas ex se esse ens rationis, neque ex eo quod posita secunda intentione abstrahente *animal á rationali*, resultet ens rationis in obiecto, neque ex eo quod natura vniversalis dicat propriam relationem ad inferiora. Neque ex eo, quod prædicatum distinguatur á subiecto in qualibet propositione, quæ sunt capita, ex quibus Thomistæ suam conclusionem probant, sed ex eo, quod talis definitio, diuisio, &c. cadit supra ens rationis, vt supra subiectum denotationis, vnde resultat concretum definitum involvens ipsum ens rationis, sicut cum cadit definitio supra hominem, dicimus concretum definitum *hominem* includere.

548. Objic. 1. Sanctum Thomam sępe vocantem entia rationis hęc concreta, genus, species, &c. Respondeo Angelicum Doctorem ea concreta vocasse entia rationis subiectivé, quia recipiuntur in Anima, & intellectu, qui vocatur ratio, sic Opusc. 7. vocat syllogismum *Actum rationis*, scilicet intellectus, sic Aristoteles 7. politicorum, cap. 14. vocat artes intellectuales, *Artes rationis*.

549. Objic. 2. Logica agit de denominationibus extrinsecis, sed hæ sunt entia rationis. Respondeo; iam supra me dixisse, maiorem esse falsam, si de obiecto formali *quod* intelligatur, minorem enim videbimus esse falsam suo proprio loco.

550. Objic. 3. Ad logicam attinet, non solum rectitudinem actuum dirigere, sed reflexè iudicare de ipsorum rectitudine iuxta regulas directivas; sed actus iudicans de ipsorum rectitudine iuxta regulas directivas, efficit ens rationis: ergo. Probatur minor. Actus dirigens nil ponit intrinsecum in actu directo, cum solum extrinsecè eum dirigat; ergo talis rectitudo iuxta regulas est ipsi extrinseca; sed actus iudicans de eius rectitudine hanc cognoscit per modum formæ intrinsecę actui ex directione derivatę: ergo.

551. Respondeo, Distinguo maiorem. Ad logicam speculativam, concedo, ad logicam practicam, nego. Unde adhuc concesso, quod talis actus reflectens haberet vt obiectum materiale ens rationis, non tamen inferretur obiectum formale *quod* á logica intentum esse ens rationis. Præterea falsum est, actum reflectentem supra rectitudinem syllogismi v. g. asserentemque, talem syllogismum esse iuxta regulas logicę, efformare ens rationis, aut concipere directionem activam logicæ vt formam intrinsecam entitati actus; solum enim concipit, talem actum in se exercere, & executioni mandari, quod illa regula præcipit, esseque ab ipsa regulatum, posita regula vt forma extrinsecè denominante; sicut cum concipio, *Petrum esse amatum*, non concipio *amorem*, vt formã intrinsecam *Petro*, sed vt formam eum extrinsecè denominantem.

552. Objic. 4. Logica est scientia rationalis, ergo quia agit de ente rationis.

nis. Respondeo,logicam dici scientiam rationalem, quia eius principale obiectum sunt actus mentis, qui rationis actus dicuntur. Replicas. Animastica etiam habet pro obiecto actus mentis,& non dicitur rationalis, ergo non ideo logica rationalis dicitur. Respondeo, obiectum principale Animasticæ esse animam, ideoque non tam rationalis, quam animastica dicitur. Insuper vtraque facultas potest dici realis, & rationalis.

553. Objic.5.Genus, species, *Differentia*, &c. de quibus agit logica non sunt á parte rei, ergo sunt entia rationis.Respondeo; distinguo antecedens: Id est,non dantur independenter ab intellectu,concedo, id est non dantur independenter ab intellectu fingente; Nego. Sic omnis cognitio, quæ est ens reale non datur independenter ab intellectu,quia tamen non datur independenter ab intellectu fingente non dicitur ens rationis,ita se habent *genus*, & *differentia*, vnde re ipsa dantur á parte rei; sed quia aliquo modo hæc vox, *á parte rei*, est æquivoca, illam explica modo iam dicto.

554. Objic.6. *Genus, species*, & reliqua prędicabilia sunt obiectum formale *quod* logicę, sed constituuntur ente rationis,nempe quadam relatione ficta ad inferiora:ergo.Respondeo,distinguo maiorem. Sunt obiectum formale *quod* secundum adæquatum,quod dicunt:nego, secundum inadæquatum, nempe abstractionem, concedo. Predicabilia resultant ex conceptu formali,abstractione scilicet,& ex conceptu obiectivo, natura nempe,vtrumque respicit logica vt obiectum materiale,non vero vt obiectum formale,nisi solam rectitudinem actus naturam abstrahentis, quam rectitudinem logica practica introducere tentat,naturam vero solum speculativè attingit,quam cum non dirigat, nec dirigere intendat, non respicit vt obiectum formale *quod*: insuper falsum est, prædicabilia dicere relationem secundum esse ad inferiora, solum enim dicunt relationem pręcisivam,secundum dici,hoc est,concipiuntur sine inferioribus,de hoc postea.

555. Objic.7.Logica agit de subiecto, & prædicato:ergo de ente rationis.Probatur consequentia. Subiectum concipitur dicens relationem ad prædicatum,& è contra; sed talis relatio est ficta,cum subiectum,& prędicatum nō distinguantur: ergo. Probatur maior. Subiectum concipitur cum capacitate habendi prædicatum,& per modum recipientis,prædicatum concipitur determinans subiectum per modum formæ; ergo subiectum concipitur dicens relationem ad prædicatum,& è contra.

556. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: concipitur dicens relationem secundum dici, & ex parte actus,concedo;secundum esse, & ex parte obiecti,nego.Ad probationem similiter distinguo antecedens. Subiectum concipitur cum capacitate logica, concedo:physica, nego. Logica cum agit de subiecto, & prædicato, ea non distinguit physice ex parte obiecti,sed potius identificat, concipit tamen illa non vt recipiens, & receptum, sed ad instar recipientis,& recepti, sicut cum concipitur Angelus instar iuvenis, & Pater Æternus instar senis, quin actus ita concipientes conferant obiecto aliquod prædicatum repugnans, ac proinde quin faciant ens rationis. Ex hoc solum arguitur imperfectio nostri intellectus,qui nequit, nisi per plures cōceptus,& voces explicare,qui in se sunt vnum.

557. Objic. 8. Rectitudo intenta à logica consistit in ordine conceptus obiectivi ad hoc,vt sit genus, differentia,&c.sed hic ordo est fictus:ergo.

558. Resp.Conceptum obiectum, nullum

nullum dicere ordinem, vt sit genus, vel differentia;solum enim habet capacitatem,vt cognoscatur inadæquate,ex qua cognitione inadæquata, & ex ipso resultat genus, vel differentia. Insuper licet talem ordinem diceret, in eo non consistit rectitudo intenta à Logica,sed in repræsentatione conceptus formalis. Insuper rogo. Si talis ordo conceptus obiectivi ad hoc,vt sit genus, est fictus, á quo actu fingitur? Certe à nullo: ergo.

559. Objic.9.Scientia,quæ agit de definitione reali,agit de definitione ficta,nam contrariorum eadem est scientia,& disciplina; sed logica agit de definitione reali:ergo.Maior patet in Metaphysica,quæ quia agit de ente reali, agit etiam de ente ficto.

560. Resp. Maiorem absolutè esse falsam,sic physica agit de corpore reali,& non de ficto. Theologia de Deo reali,& non de ficto.Astrologia de Sole,Cælo,Luna,& Stellis realibus, non vero de fictis. Insuper ex argumento solum infertur,definitionem fictam esse obiectum materiale, non vero formale logicæ. Obiectum inquam materiale remotionis,sic ab aliquibus ens rationis appellatur obiectum remotionis metaphysicæ, quatenus scilicet logica intendens veram rectitudinem definitionis,falsam removet. Ita nego maiorem, vel hac data,nega minorem,nam logica non agit de definitione reali, sed de definitione recta, vnde irrectam; & sophisticam respiciet,non chimęricam.

561. Replicas.Definitio chimærica ad aliquam facultatem pertinet,ergo ad logicam.Respondeo, distinguo antecedens,ad aliquam facultatem, quæ sit scientia practica, nego, quę non sit scientia practica, transeat. Scientia nequit esse inductiva erroris: ergo neque respicere practice ens rationis. Ad aliquam vero scientiam speculativam ens rationis poterit pertinere, quin eius certitudini officiat. Ita *Deus* illud speculative,& scientifice cognoscit. Dixi transeat, quia nil cogit nos,vt ens rationis ad aliquam scientiam reducamus.

562. Objic. 10. Propositio affirmativa est compositiva sui obiecti;sed hęc compositio non consistit in eo, quod prędicatum affirmetur de subiecto;nam *Deus*, & Angelus affirmant prædicatum de subiecto, & tamen non componunt: ergo alia est ea compositio,non realis, cum sæpe sit obiectum simplex:ergo rationis. Hanc compositionem respicit logica: ergo respicit ens rationis.

563. Respondeo. Distinguo maiorem,id est, affirmat vnum de alio,seu vnum esse aliud; concedo; aliter nego. Duplex est compositio nostri iudicij: prima affirmando vnum esse aliud.Secunda determinando res, quæ per duas apprehensiones proponuntur intellectui esse vnam ex parte obiecti, Prima compositio est communis Deo, Angelis,& hominibus. Secunda,cùm proveniat ex imperfecto modo nostro concipiendi exultat a Deo,nobis convenit; nunc præscindo de Angelis, nulla tamen ex duabus his compositionibus est ens rationis. Vnde etsi logica vtramque respiciat,ens rationis non conspicit.

SVBSECTIO II.

ALIÆ SENTENTIÆ EXAMINATUR.

564. SEcunda sententia tenet, rectitudinem intentam à logica consistere in modo quodam ipsis actibus superaddito,ita Pater Ildephonsus, de Peñafiel, q. 6. n. 49. Pater Linceus tract. 1.cap.8.n.6.& alibi.

565. Contra primò.Rectitudo intenta

tenta á logica est ipsamet repræsentatio actus, sed repræsentatio actus non est modus superadditus ipsi: ergo. Secūdò. Ante resultantiam m di superadditi definitio repræsentat rem per genus, & differentiam, sed hæc est rectitudo intenta á logica; ergo non consistit in modo superaddito. Tertiò. Ideo ex hoc actu v.g. hac definitione recta resultat modus superadditus, & non ex alio, quia hic, & non alius est rectus, ergo ante resultantiam illius modi superadditi, supponitur habens rectitudinem. Quartò. Actus studiositatis v.g. sine modo superaddito habet rectitudinem intentam â prudentia, ergo & definitio sine modo superadditto habet rectitudinem intentam â logica.

566. Tertia sententia docet, rectitudinem intentam á logica consistere in quadam denominatione extrinsecá á regula in actus derivata, quatenus hi dicuntur artificiosè directi, artefacti, &c. Pro hac video citari aliquos Modernos, quibus favere videtur Pater Ripalda, tom. 1. de ente supernaturali, d. 67. sect. 1 n. 4. & disp. 39. de charitate, sect. 2. n. 17.

567. Contra primò. Rectitudo intenta á logica est ipsa, quam actus haberent absque logica, sed absque logica actus non haberent denominationes artificiosè directi, & artefacti: ergo hæ denominationes non sunt rectitudo intenta á logica. Secundò. Scientia practica debet adęquatè distingui à fine ab ipsa intento, vtpotè causa á suo effectu, sed logica non distinguitur adæquatè à denominatione *directi*, si quidem ipsam vt forma constituit: ergo talis denominatio non est finis intentus à logica. Tertiò. Quia iam supra se ipsam practicè reflecteret, ergo esset causa sui ipsius. Quartò. Musica, Poesis, Grammatica, & aliæ facultates non intendunt aliquam extrinsecam denominationem operum, sed rectitudinem intrinsecam ipsorum; ergo neque logica tales denominationes intendit.

568. Sententia Quarta, & communior tenet, rectitudinem intentam á logica in suis actibus esse illis intrinsecam. Ita Sanctus Thomas 1. post. lect. 1. Eximius Doctor, d. 39. metaphysicæ, Hurt. d. 1. de anima sect. 6. Arria. disp. 2. logicę sect. 6. Comptonus, disp. 8. sect. 2. Santa Cruz, Oviedus. Pein. tract. 1. proœm. disp. 2. sect. 3. § 2. n. 53. & Sapientis. Olea. tract. 2. Proœm. disp. 48. n. 2.

569. Ante conclusionem Nota 1. Actum esse *rectum* non esse idem, ac esse *directum*. *Actum esse rectum*, est esse *conformem* suo obiecto, quod quidem est essentiale, & intrinsecum actui. Actum esse *directum* est esse *conformem* regulis dirigentibus, quod quidem est extrinsecum, & accidentale illi, idem namque poterit fieri sine talibus regulis, & de facto ita fuit producta prima definitio ante logicam, quę fuit *recta* licet non *directa*. Hinc inferes, actus intellectus à logica dirigi, esse ipsis extrinsecum, & accidentale.

570. Nota secundò. Quod, vt aliquod opus dicatur directum, artificiosum, artefactum regulatum, &c. debet ab aliqua arte provenire, quæ se habeat vt forma talis concreti. Vnde etiamsi definitio ante logicę inventionem eadem rectitudine, & conformitate repræsentaret obiectum, ac nunc ex directione logicæ illud repręsentat, non diceretur *artificiosa, artefacta*, &c. Quod confirmatur pulchra D. Augustini doctrina lib. 2. de Musica initio vbi quærit; vtrum Philomela dicenda sit musica, quippe quæ varijs tractibus ita vocem inflectit, vt ipsa ars obstupescat? Respondet; non esse dicendam Musicam, quia quidquid facit, ex natura facit, non per regulas artis: Homo tamen, qui eam imitaretur, & per pręceptæ eo modo vocem inflectere doceretur diceretur Musicus, quia id ipsum, quod illa natura, homo arte faceret.

571. Nota tertiò. Non esse dubium. Has denominationes esse actibus extrinsecas, & accidentales, non tamen adæquatè, quia resultant ex ipsis, & ex regulis, sicut denominatio visi ex obiecto, & visione, & denominatio amati ex obiecto, & amore.

572. Nota quartò. Pro plena intelligentia quæstionis, certum esse; dari regulas logicales dirigentes, quomodo efformanda sit recta definitio, divisio, &c. Hęc directio ex parte regularū dicitur directio activa per correlationem ad directionem passivam. Cum ergo intellectus possit eam definitionem divisionem, &c. absoluté sine ea activa directione efformare, talis activa directio, seu regulæ dirigntes requiruntur, vt intellectus sine periculo erroris, & scientificè efformet eos actus, quos sine talibus regulis efformaret, cum periculo tamen errandi, et non scientificè. Vnde quod intendunt regulæ logicales, est, quod fiat recta definitio, divisio, etc. Hęc rectitudo communiter appellatur directio passiva ad distinctionē directionis activæ, quia se tenet ex parte effectus.

573. Quapropter licet in vocis rigore *Directio* non sit idem, ac *rectitudo*, sicut nec *rectus* idem, ac *Directus*, quia *directio* est correlativa *dirigentis*, ac proinde si logica *directionem* respiceret, se quoque necessariò attingeret, tamen iam vsu loquendi per *directionem* nil aliud intenditur significari, quam *rectitudo*. Inquirit autem præsens quęstio, vtrum hæc *rectitudo*, seu *directio passiva* intenta á logica in actibus sit ipsis adęquatè intrinseca, vel extrinseca, et accidentalis? Admodum quo supposito tamquam certo, quod hic actus sit verus *Christus est homo*, inquirimus. An veritas sit illi adęquatè intrinseca, an verò extrinseca, et accidentalis? Sed cum distinctione loquendum.

574. Dico primò. Rectitudo intenta á logica in suis actibus est adæquatè intrinseca actui simplici. Probatur primò. Rectitudo intenta á logica in actu simplici est ipsius actus propria repræsentatio, sed repræsentatio propria actus est illi adæquatè intrinseca: ergo. Probatur maior. Rectitudo intenta á logica in actu simplici est illa, quā ipsius logicę regulę exprimunt, sed rectitudo, quam exprimunt regulæ logicæ est ipsius actus propria repræsentatio: ergo. Maior est certa, quid aliud intendere post Logica, quam id, quod eius regulę expressè dicunt! Probatur minor: definitionem repræsentare definitum per *genus*, et *differentiam*, divisionē repręsentare *divisum*, et *membra dividentia* est propria repręsentatio definitionis, et divisionis. Sed hęc est rectitudo, quam exprimunt regulę logicę, vt videre est in ipsis, nam regula definitionis exprimit, *definitionem debere constare genere, & differentia*, Regula divisionis, *divisionem debere repræsentare totum, & partes divisivas totius*: ergo.

575. Probatur 2. Ea solúm rectitudo intenditur á regula, quæ repræsentatur á regula; sed à regula definitionis solúm repræsentatur; actum debere constare genere, & differentia, ergo ea solum rectitudo intenditur á logica, sed hæc est adæquatè intrinseca actui: ergo.

576. Confirmatur primó. Esse actus definitiones, divisiones, & argumentationes, est repræsentatio intrinseca ipsis actibus, sed logica solum intendit, quod actus intellectus sint definitiones, divisiones, & argumentationes, ad hoc enim inventa est: ergo.

577. Confirmatur secundó. Repręsentare est de essentia actuum intellectus: ergo & taliter repræsentare erit etiam de essentia ipsorum, sed quod logica intendit in actibus intellectus est, quod taliter repræsentent per

genus

genus scilicet, & *differentiam*: ergo quod logica intendit, est de essentia actuum intellectus.

578. Probatur tertiò. Conclusio á priori. Id solum intendit logica in actibus intellectus, quod aliás ipsi actus haberent sine logica, sed quod actus alias sine logica haberent, neque esset denominatio extrinseca ab ipsa regula dirigente, neque modus alius superadditus, sed propria entitas; & repræsentatio actus, ergo logica neque denominationem extrinsecam, neque modum superadditum, sed propriam entitatem, & repręsentationem actuum intendit. Maior est certa; nam ad hoc solum inventa fuit logica, vt facile, & sine erroris periculo fieret id, quod sine ipsa defficulter, & cum periculo errandi fieri poterat: teste Divo Thoma 1.2.q.57.art.3.ad 3.

579. Dico secundò. Rectitudo intenta á logica in actibus compositis v.g. Si syllogismus componatur tribus propositionibus realiter distinctis, & iudicium etiam pluribus actibus realiter etiam distinctis, est adæquatè intrinseca toti actui, partibus tamen illum componentibus partim intrinseca, & partim extrinseca.

540. Probatur conclusio exemplo compositi physici, quo simul facile explicatur conclusio. Sicut compositum physicum constat materia, forma, & vnione realiter distinctis inter se, ita, vt supponimus, hic syllogismus *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo est animal* constat tribus actibus realiter distinctis inter se; sicut ergo composito est intrinseca, & essentialis materia, forma, & vnio, quia ex illis essentialiter resultat, ita syllogismo est essentialis triplex ille actus, quia ex illis etiam essentialiter resultat. At verò sicut formæ non est essentialis materia, neque materiæ forma, neque vtrique vnio, neque vnioni vtraque, sed omnino accidentaliter se habent, (accidentaliter dico, prout opponitur essentialiter) ita neque prima illa propositio *Omnis homo est animal* est essentialis secundę scilicet *Petrus est homo*, neque vtraque tertię scilicet *Petrus est animal*, neque hæc duabus prioribus, & sicut denique in composito datur aliquid essentiale materiæ, nempe esse *primum subiectum receptivum formarum*, quod est propria entitas ipsius, & aliquid extrinsecum, & accidentale, nempè existentia formæ, cui accidentaliter coexistit materia, ita in syllogismo datur aliquid essentiale primæ propositioni, nempe propria ipsius repræsentatio, & aliquid accidentale, nempe existentia alterius propositionis, qua cum coniungitur accidentaliter ad syllogismum illum constituendum, poterat enim cum alijs propositionibus alium syllogismum constituere, vt patet in hoc *Omnis homo est animal, sed omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal*, en idem actus, nempe *Omnis homo est animal* cum primis propositionibus componit syllogismum in *Darij*, cum secundis vero in *Barbara*, sicut eadem materia cum forma equina equum, cum forma humana hominem constituit.

581. Hoc alijs exēplis explicatur. Albedo *A*, & Albedo *B*, sunt essentiales similitudini; quātitas *C*. & *quātitas D* sunt essentiales æqualitati; *Petrus*, & *Paulus* sunt essentiales coexistentiæ; quia similitudo, ęqualitas, & coexistentia sunt composita ex illis resultantia; at vero, quia albedo *A* est extrinseca albedini *B*; quantitas *C* quantitati *D*; & *Petrus Paulo*, dicitur in similitudine, quantite, & coexistentia esse aliquid intrinsecum albedini A nempe sua entitas, & aliquid extrinsecum nempe entitas albedinis B: quantitati *C* in æqualitate esse intrinsecam propriam entitatem, & extrinsecam entitatem quantitatis *D*: *Petro* in coexistentia esse intrinsecam propriam existentiam, & extrinsecam existentiam *Pauli*; ergo propter eamdem rationem dicetur in syllogismo, vel in hoc actu *Petrus est homo*, si sit cōpositus ex triplici actu vno repræsentāte *Petrum*, alio repręsentante *hominem*, tertiò repræsentante *identitatem* inter vtrumque; triplicem actum esse intrinsecum tali iudicio ex eis constituto; at verò vnicuique actui, nempe repræsentanti *Petrum* esse intrinsecam propriam repræsentationem Petri, & extrinsecam repræsentationem *hominis*, qua cum accidentaliter coniungitur ad illam propositionem efformandam.

582. Tunc sic, sed rectitudo, quam intendit logica in syllogismo, vel in propositione non solum est repræsentatio, & existentia propria cuiuscumque propositionis, & actus seorsim, sed simultas repræsentationis, & coexistentia propositionum ad syllogismum efformandum, & actuum ad propositionem constituedam; ergo rectitudo, quam logica intendit in actibus compositis est adæquatè intrinseca toti actui, & partim intrinseca, & partim extrinseca actibus illum componentibus.

SVBSECTIO III.

RESPONDETVR ARGVmentis.

583. OBjic. 1. In reliquis artibus artificium intentum est modus superadditus; ergo similiter in logica.

584. Resp. Disparitatem inter artes factivas, & activas esse manifestam. Artes factivæ supponūt, nō efformāt materiam. Sic statuaria, marmor; Pictoria colores, Fabrilis lignum supponūt, ex quibus statuam, imaginem, & cathedram conficiunt, vnde & errores; si qui contigerint, novis lineamentis, & materiæ dispositione emēdant, in nō in eandem materiam nova subinde introducitur forma. Sic ex eodem argento iám vas, iám Calix, iamque Patena sole efformari. Non sic artes activæ circa actus internos, qui nullam supponunt materiam, sed efformant. In his enim idem est artificium, ac *esse* si quidem artificium idem est, ac eorū representatio, vndè nec emendari queunt, aliter ex eis intellectus disponēs, sed solum alios efformans. Hinc infertur, artificium, & rectitudinem intentam á reliquis artibus esse separabilem á materia, ipsi que extrinsecam, non verò rectitudinem intentam á logica.

585. Obijc. secundò. Et simul replic. bis. Licet actibus intellectus sit intrinsecum, & essentiale repræsentare, at verò taliter repræsentare est illi extrinsecum, & accidentale, nempè repræsentare veré, vel falsò; similiter actui voluntatis licet sit essentiale amare, at verò taliter amare, bene, vel male moraliter, liberè, vel necessario, est illi accidentale, sed obiectum *quod* logicæ non est *reprasentatio*, sed *taleitas repræsentationis*, seu taliter repræsentare; ergo est quid extrinsecum actibus,

586. Hoc argumentum supponit, moralitatem esse actibus voluntatis extrinsecam, & veritatem similiter extrinsecam actibus intellectus. Vndè idem actus potest transire de bono in malum, & de vero in falsum. Ex ipso ergo supposito disparitas colligitur; nempé, quod amare bene, vel male moraliter, repræsentare verè, vel falsò non sit talitèr amare, vel taliter reprę sentare, sed qualiter amare, & qualiter repræsentare: bonitas enim, & malitia actus non est taleitas amoris, sed qualitas: veritas, vel falsitas actus intellectus non est taleitas repræsentationis, sed qualitas. Insuper divisio actus voluntatis in bonum, & malum, &

actus intellectus in verum, & falsum, non est divisio generis in species: sed subiecti in accidentia, sicut divisio hominis in *album*, & *nigrum*, vnde sicut esse hominem album, vel nigrum non est esse taliter hominem, sed esse qualiter hominem, ita actûm voluntatis esse bonum, vel malum non est taleitas amoris, sed qualitas, at repręsentare obiectum per genus, & differentiam v.g. hominem per animal rationale, est taleitas repræsentationis non qualitas, neque idem actus, qui semel hominem ita repręsentavit, aliter eum repræsentare potest. Item divisio actus intellectus in definitionem, divisionē, apprehensionē, &c. est divisio generis in species, non subiecti in accidentia: ergo nulla est paritas inter bonitatem, veritatem, & rectitudinem intentam à logica.

587. In super, actum esse bonum, vel malum dependet á circunstantijs extrinsecis loci, temporis, prohibitionis: esse liberum, vel necessarium á circunstantia iudicij indiferentis, ablatione impedimentorũ, & aplpicatione concursus. Actum intellectus esse verum, vel falsum ab existentiá, & non existentià extrinsecá obiecti. At verò actum iudicij esse definitionem, divisionem, &c, non desumitur ab aliquo extrinseco, sed ab intrinseca entitate, & repræsentatione actus. Quod non debet comparari cum actu voluntatis libero, sed cum tali amore in esse amoris huius obiecti potius, quam alterius, quæ taleitas est intrinseca actui voluntatis, quia desumitur per ordinem ad obiectum: libertas vero est extrinseca, desumitur namque per ordinem ad iudicium in differens.

588. Replicabis: Definitio hominis, & definitio leonis conveniunt in ratione definitionis. Sed differunt in esse talis repræsentationis: ergo taleitas repræsentationis distincta est á definitione: ergo & si repræsentatio fit actui essentialis, poterit illi esse accidentalis taleitas repræsentationis.

589. Retorque. Petrus, & Paulus coveniunt in ratione hominis, & differunt in ratione talium: ergo taleitas hominis distinguitur á ratione hominis: ergo etiam si Petrus, & Paulus sint essentialiter homines, taleitas hominis erit illis extrinseca, & accidentalis. Vide tuam instantiam. Respondeo. Concedo maiorem, & nego suppositum minoris, quod taleitas repræsentationis nō sit idem, ac taleitas definitionis. Æquivocum instantię consistit in confusione taleitatis repræsentationis & definitionis. In definitione hominis v.g. datur repræsentatio obiecti per genus, & differentiam, quæ est idem, ac ratio definitionis, & in hac convenit cum definitione Leonis. Item datur taleitas repræsentationis, hoc est repræsentare hoc genus *Animal*, & hanc differentiam *Rationale*, quæ est idem ac ratio talis definitionis, in qua differt á definitione Leonis. Ex quo solum infertur; conceptum definitionis esse partibilem formaliter in duas alias formalitates formaliter solum distinctas, non vero conceptum definitionis esse extrinsecum, & accidentalé realiter loquendo repræsentationi, quacum realiter identificatur, licet ab ea distinguatur formaliter. Constet ergo in definitione, formaliter loquendo, reperiri conceptum repręsentationis, hic ad animasticam pertinet; conceptum & definitionis, quæ est ratio contractiva repręsentationis; hic ad logicam attinet: Denique rationem taleitatis definitionis, vi materiæ, quam logica non attendit singulariter, & in particulari.

590. Objic. 3. Logica respicit pro obiecto formali non solum conformitatem definitionis cum obiecto, sed etiam conformitatem cum regulis, ergo rectitudo intenta á logica est partim extrinseca. Probatur antecedens. Obiectum logicę artificialis debet secerni ab obiecto logicæ naturalis, sed definitio vt conformis cum obiecto est obiectum logicæ naturalis, ergo vt conformis cum regulis debet esse obiectum logicæ artificialis.

591. Confirmatur primò. Repræsentare nempe genus, & differentiam indifferens est, vt sit obiectum logicæ naturalis, & artificialis: ergo vt determinetur ad esse obiectum logicæ artificialis, aliquid illi superaddendum est, non intrinsecum, ergo extrinsecum, conformitatem scilicet cum regula.

592. Confirmatur secundò. Obiectum scientiæ mediæ est opus liberum à Deo prædefinitum sine periculo errandi; ergo obiectum *quod* logicæ erit definitio, vt sine periculo errandi producibilis.

593. Confirmatur tertiò. Actus abstrahens habet pro obiecto id, quod est prædicabile de pluribus, sed id, quod est prædicabile de pluribus constituitur ex natura, & ipso actu abstrahente; Ergo & logica habebit pro obiecto definitionem directam, etiamsi in esse directæ constituatur ex actu, & ex ipsa logica dirigente.

594. Hoc fundamento, his etiam, & alijs exemplis munitus ingeniosissimus in Platensi Vniversitate Magister tenet, rectitudinem intentam á logica esse partim intrinsecam, & partim extrinsecam, si vero contra illum hanc consequentiam inferas: ergo *logica se ipsam respicit, cum respiciat definitionem vt conformem cum regulis*, vel negat consequentiam, vel illam sic distinguit, *se ipsam respicit, vt finem qui, negat, vt finem quo, concedit*: hoc est finis, qui terminat cognitionem, proprièque attingitur á logica est ipsamet definitio, quæ quidem capacitatur, & constituitur in esse obiecti per ipsam met regulam logicalem; vnde obiectum signatè terminativum est definitio; obiectum exercitè, & vt *quo* constituens definitionem in esse termini est regula.

595. Certè falsitatis convincitur hæc doctrina: nam obiectum formale *quod* alicuius notitiæ practicæ propriè debet respici, & propriè produci á tali notitia, non solum secundum inadęquatum, sed secundum adæquatum, quod dicit in esse obiecti, sed regula per te se ipsam non respicit, nec se producere potest, ergo regula non constituit partialiter obiectum formale *quod*. Insuper, vel tota rectitudo intenta à logica in definitione salvatur in conformitate cum obiecto, vel non? Si primum: ergo adęquatè intrinseca. Si secundum. Contra primò. Ergo potest dari repręsentatio obiecti per genus, & differentiam, quin in tali repræsentatione detur rectitudo intenta â logica dicente, definitionem debere constare genere, & differentia, quod est incredibile. Secundò. Ergo logica non respicit adæquatam rectitudinem intentam â se, nam adæquata rectitudo consurgit ex ipsa logica, quam logica per vos non respicit. Item, vel regula ipsa se habet vt ratio formalis sub *qua* attingitur rectitudo, ab ipsa regula, quod videtur in doctrina allata insinuari, vel vt ratio formalis *quæ*? Si secundum. Ergo propriè attingitur â se ipsa non solum exercitè, sed etiam signate. Si primum? Contra primo: rati formalis sub qua aliquis actus tendit in obiectum debet se habere ex parte ipsius obiecti, non vero ex parte ipsius actus, vt patet in omni ratione formali, cum sit capacitas obiecti vt attingatur ab actu, quę quidem ab ipso actu attingente distingui debet, aliás idem actus sub se ipso obiectum attingeret. Contra secundò. Actus practicus attingit obiectum sub dirigibilitate passiva, sed regula non est dirigibilitas passiva sed directiva active: ergo.

596. Ad argumentum respondetur, obiectum directum logicæ artificialis nullo modo distingui ab obiecto logicæ naturalis, sed potius eademmet definitio, quæ á logica naturali fieret cum periculo tamen errandi, & difficulter, eademmet fit, & intenditur á logica artificiali, sine periculo errandi, & faciliter. Unde si roges, quid habeat intrinsecum definitio á logica artificiali, quod non haberet á logica naturali? Respondebo, nihil. Si tamen roges, quid extrinsecè habeat? Respondebo, denominationes directæ, artefactæ, regulatę, quas non haberet á logica naturali, sed has non respicit logica vt obiectum, sed causat vt effectus formales. Ad primam confirmationem idem respondetur.

597. Ad secundam respondetur. Obiectum scientię mediæ directæ non esse opus liberum prędefinitum á Deo sine periculo errandi, sed opus liberè ponendum á creatura sub hoc auxilio A. v.g. Unde absolutè manet opus contingens, licet Deo sufficientem securitatem conferat, vt illæsa libertate opus prædefiniat: ergo potius exemplo scientiæ mediæ nostra corroboratur doctrina. Quod vlterius conspicitur. Nam scientia media nihil intrinsecum ponit in opere; idem enim, & eodem modo, quo fieret sine scientia prævidente, fit prævidente illa, ponit tamen aliquas extrinsecas denominationes, scilicet prævisi, regulati, &c. ex parte agentis deservit, vt procedat Deus sine periculo erroris, quin tales denominationes reflexę ab ipsa scientia attingantur, ita similiter se habet logica respectu definitionis.

598. Si tamen dicas cum aliquibus Theologis requiri ad providentiam, & prędefinitionem actuum liberorum scientiam mediam reflexam, qua cognoscat Deus non solum opus liberè ponendum, sed etiam infallibiliter ponendum, opus scilicet indutum scientia media directa, qua scilicet dicat, *Video, me vidisse opus liberé ponendum sub hoc auxilio A.* Falsum est etiam dicere, tunc obiectum talis scientię reflexæ esse opus liberum, prædefinitum; nam prædefinitio subsequitur talem prævisionem: ergo eam non respicit prævisió. Item ex hoc nil pro doctrina contraria. Nam scientia media reflexa respicit vt obiectum scientiam mediam directam, ideoque dicitur reflexa, nulla alia ratione nisi quia scientia media directa constituit opus liberum in esse infallibilis: ergo si logica constitueret definitionem in esse obiecti, logica se ipsam respiceret, dicereturque reflexa, quod negat hic Modernus.

599. Ad tertiam confirmationem respondetur, actum abstrahentem non habere pro obiecto, quod est prędicabile de pluribus formaliter, sed solum prędicabile fundamentaliter, hoc est, naturam, quæ redditur formaliter prædicabilis tamquam per formam per ipsam abstractionem, & ideo non respicit naturam formaliter prędicabilem, quia se ipsam respiceret, sed illam respicit se illi exibendo, ita logica non respicit pro obiecto concretum ex definitione, & ex ipsa logica resultante, sed respiciendo entitatem definitionis, tamquam forma constituit cum definitione denominationem directæ, sicut abstractio cum natura denominationem prædicabilis formaliter.

600. Objic. 4 Logica intendit rectitudinem, vt securè, & sine periculo erroris factibilem, vel vt conformem suis regulis, vel vt directam, vel saltem vt artificium, & directio est Sed hoc est partim extrinsecum actui: ergo. Resp. Nego maiorem, quoad omnes partes, nam licet regulę illæ causent securitatem, illam non cognoscunt, sicut licet cognitio cognoscat obiectum, non cognoscit reflexè se cognoscere. Aliàs logi-

logica practicè supra se ipsam reflecteret. Ad illas vltimas voces artificij, & directionis nota, quod iam supra notare te, volui, num. 470.

601. Objic. 5. Repræsentatio est obiectum animasticæ, ergo non logicę. Ergo rectitudo distinguitur à repræsentatione. Respondeo. Distinguo antecedens, in esse repræsentationis, concedo, in esse talis repræsentationis dirigibili, in modum sciendi, nego.

602. Objic. 6. Logica est practica respectu denominationis *directi*, á qua solum inadæquatè distinguitur: ergo poterit esse practica respectu obiecti formalis inadæquatè distincti. Respondeo: nego maiorem. Nam logica constituit per modum formę illam denominationem *directi*, quo modo ergo poterit esse practica respectu illius?

603. Objic. 7. Rectitudo, quæ intenditur introduci in suum obiectum à logica non debet esse ipsi obiecto essentialis, nulla enim facultas datur, quæ prędicata essentialia in obiecta introducere tentet ergo: Respondeo, Hoc certum esse in facultatibus factivis, quę supponunt materiam, & formam tantum introducunt, non vero in logica, quæ suam materiam simul, & formam dirigit. Vnde obiectum materiale á formali *quod* non distinguitur. Hinc nego antecedens, & eius probationem.

604. Objic. 8. Actus intellectus prout dirigibilis in actu primo est obiectum logicæ ergo etiam prout directus in actu secundo. Probatur consequentia, quod est obiectum alicuius artis vt factibile, est obiectum formale, seu finis talis artis vt factum; ergo. Retorqueo. Paries, vt visibilis est obiectum potentiæ visivæ, ergo etiam vt visus, vnde visio se ipsam videbit. Hinc respondetur, nego consequentiam, & probationem. Potius enim, quod est obiectum alicuius artis in actu primo est effectus illius in actu secundo. Sic imago vt pingibilis est obiectum artis pictoriæ, & vt picta non est obiectum, sed effectus formalis illius. Sic actus intellectus, vt directus non est obiectum, sed effectus formalis logicæ, aliàs se ipsam respiceret.

605. Replicabis: Logica causat suum effectum directivé, sed causare directivè est cognoscere: Ergo logica cognoscit suum effectum, ergo si actus vt directus est effectus logicæ, logica illum vt directum cognoscet.

606. Respondeo. Distinguo maiorem, causat suum effectum physicum directivè; concedo. Formalem; nego. Repræsentatio actus per modum definitionis, &c. est effectus, quem logica vt causa physica directiva causat, & dirigit, vnde hunc tantum respiciet. Denominatio *directi* est effectus formalis resultans ex definitione tamquam ex forma. Hunc effectum formalem, neque dirigit, neque respicit, sed constituunt.

607. Objic. 9. Naturale, & artificiale opponuntur. Sed repræsentatio actus est naturalis, & rectitudo intenta á logica est artificialis, vtpotè artis obiectum: ergo rectitudo intenta à logica non est tantum actus repræsentatio. Respondeo, naturale, & artificiale non opponi, sed potius quoadunari, naturale enim est id, quod potest viribus naturæ fieri. Artificiale, quod ex directione artis fit, cum enim nulla detur repugnantia in eo, quod id ipsum, quod viribus naturę fit, fiat etiam artis directione, nulla datur oppositio inter naturale, & artificiale; vel dic; rectitudinem intentam à logica vt obiectum directum non esse artificialem, sed reddi artificialem extrinsecè ex ipsa artis directione.

608. Objic. 10. Per nos, vt aliqua definitio dicatur directa á logica solum requiritur, quod repręsentet suum obiectum per genus proximum, & differen-

ferentiam vltimam, ergo casu, quo aliqua definitio ita obiectum repræsentaret, & poneretur in intellectu in eodem instanti reali, vel concomitanter, vel pro posteriori regula logicalis talis, definitio diceretur directa, vel si non diceretur: ergo esse directam aliquid aliud addit prater coexistentiam definitionis, & regulæ.

609. Resp. Non sufficere, vt actus dicatur directus á logica, quod repræsentet obiectum v. g. definitio per genus, & differentiam, sed vlterius requiri regulam dirigentem, sic vidimus iuxta Sanctum Augustinum, non sufficere armonicum Phylomelæ cantum, vt dicatur Musica, voces tamen hominum dulcisonæ, quia ex arte proveniunt, musicæ dicuntur. Cum autem ad hoc vt dicatur aliqua regula dirigens non sufficiat, quod se habeat tantum concomitanter, vel pro posteriori, sed necessatiò debeat pro priori se habere, vtpotè causa, inde est, quod in casu posito talis definitio directa non diceretur. Quid autem debeat superaddi regulæ secundum se, vt dicatur dirigens respectu operationis, tangit gravem difficultatem de influxu causę directivæ suo loco tractandam.

610. Objic. 11. Si rectitudo intrinseca esset, hęc definitio definionis *omnis definitio constat genere, & differentia*, se ipsam practicè respiceret; nam respicit practicé rectitudinem omnis definitionis, sed se ipsam practicè respicere nequit; ergo neque rectitudo est intrinseca. Respondeo, talem actum, si se respiciat, non esse practicum respectu sui ipsius; nequit enim, se ipsum dirigere, sed esse speculativum, vnde in se ipsum propriam rectitudinem non inducet, sed contemplatur.

611. Objic. 12. Obiectum formale scientię practicæ debet esse indifferens, vt bene, vel male fiat; sed rectitudo, & repræsentatio actus non est indifferens, vt rectè, vel irrectè fiat; actus enim, qui semel repræsentaverit obiectum per genus, & differentiam, aliter illud reprę̄sentare non potuit: Ergo.

612. Respondeo. Distinguo maiorem. Debet esse indifferens indifferentia subiecti ad formas: Nego indifferentia subiecti ad existendum, vel non existendum, concedo. Certum est, vt diximus de apprehensione, actum intellectus semel rectum non posse esse irrectum nec è contra; vnde tota indifferentia obiecti logicæ, quam logica determinat, est, vt ex actibus possibilibus rectis, & irrectis, recti eliciantur. Et hęc indifferentia subiecti ad existendum, vel non existendum, quam habet obiectum logicæ, & obiectum etiam artis saltatricis v. g. quæ practica est, dirigens, vt saltus rectus potiús quam irrectus eliciatur, tantum requiritur in obiecto logicę. Indifferentiam subiecti ad formas respiciunt artes factivę, quę supponunt suam materiam. Sic Fabrilis supponit lignum, & in illud formam Cathedræ introducit, &c. De hoc iam supra.

613. Objic. 13. Coexistentia triū propositionum est rectitudo intenta á logica in syllogismo, sed hæc coexistentia, & compositio est omnino extrinseca actibus, quibus accidentale est componere, & coexistere: Ergo rectitudo intenta á logica est adæquatè extrinseca. Respondeo. Distinguo maiorem. Sola coexistentia, Nego; & simul representatio earum propositionum, concedo. Syllogismo, seu toti actui non est extrinseca coexistentia, cum in ea consistat. Cuilibet propositioni est partim intrinseca, & partim extrinseca; nam coexistentia componitur ex propria existentia, quæ est intrinseca cuique propositioni, & ex existentia alterius, quæ etiam cuique propositioni est extrinseca. Vide secundam nostram conclusionem. Obj-

614. Objic. 14. Quod propositio sit maior, vel minor in syllogismo est rectitudo intenta â logica, sed esse maiorem, vel minorem, est quid adæquatè extrinsecum propositioni; eadem enim propositio iam est maior in vno, iam est minor in alio syllogismo: ergo cum logica hanc rectitudinem intendat, rectitudo ab ea intenta erit aliquando actibus extrinseca adæquatè.

615. Respondere posset aliquis negando maiorem. Nam vel syllogismus est simplex qualitas, & non datur triplex actus, vel tres illæ propositiones producuntur simul ab intellectu, quin detur ratio, cur potius vna, quā alia dicatur maior, vel minor, vel si succesivè producātur propositiones, esse maiorē, vel minorem, esse quamdam extrinsecam denominationem, idem enim erit, propositionem esse *maiorem*, ac esse *priorem tempore*, & esse *minorem*, ac esse *posteriorem*, sicut vnus homo senior altero dicitur, eo quod prius fuerit natus, & dextrum, vel sinistrum ex positione accidentali ad hoc, vel illud latus: si vero simul existant in intellectu, illa propositio dicetur maior, quæ fuerit similis propositioni, quæ primo profertur vocibus, & illa minor, quę fuerit similis illi, quæ secundo loco profertur. Vnde logica non curat, propositionem esse *maiorem*, vel *minorem*, sed solum esse præmissam, hoc est, repræsentare identitatem vnius extremi cum medio.

616. Resp. Transceat maior, & nego minorem. Illa enim propositio dicitur maior in syllogismo, quę reprę̄sentaverit identitatem medij cum meiore extremitate, maior autem extremitas appellatur illa, quæ fuerit prædicatum in conclusione. Illa vero propositio dicitur minor, quæ reprę̄sentaverit identitatem medij cum minori extremitate; minor vero extremitas appellatur subiectum conclusionis; vnde sive primo, sive secundo loco collocetur propositio, semper eadem præmissa manet maior, vel minor: sic ergo figura Galeni est solum accidentalis. Ast verò cum vltra hanc repræsentationem *esse maiorem* includat coniunctionem cum alia propositione, quę sit minor, & è contra, & hoc in ipsis propositionibus sit accidentale, esse *minorem*, vel *minorem* est partim intrinsecum, & partim extrinsecum ipsis actibus.

617. Objic. 15. Conformitas cum obiecto separabilis est à conformitate cum regulis: ergo conformitas cum regulis, seu rectitudo intenta á logica consistit in conformitate actus cum obiecto. Probatur antecedens. Hic syllogismus *Omnis homo est lapis, sed Petrus est homo: ergo Petrus est lapis* est conformis cum regulis, habet que rectitudinem intentam á logica regulis logicæ, & tamen non est conformis cum obiecto: ergo.

618. Vrgetur. Conformitas actus cum obiecto est veritas actus, sed veritas actus non est obiectum logicę, sed animasticæ, ergo.

619. Potest aliquis respondere, distinguo antecedens. Conformitas cum obiecto separabilis est à conformitate cum regulis, conformitas animastica, seu propositionis in esse veræ, concedo; conformitas logica, seu propositionis, in esse modi sciendi, nego. Conformitas logica, seu in esse modi sciendi simul stat in repræsentatione obiecti identitatis scilicet extremorum cum medio in præmisis, & inter se in conclusione; quin logica curet, sit ne obiectum á parte rei, vti repræsentatur ab actu. Sic frequenter Aristoteles apponit exempla formæ syllogisticę in materia falsa literis nempe omne *A est B. Sed omne C est A: ergo omne C est B*. Unde aliud est, actū esse rectum logicè, & aliud esse verum. Esse rectū logicè cōsistit in tali reprę̄sētatione obiecti, sive vera, sive falsa, & actui tam intrinseca est repræsen-

sentatio vera, quam repræsentatio falsa: Esse verum consistit in conformitate, & repræsentatione obiecti sicuti est in se.

620. Respondeo tamen, talem syllogismum solùm esse apparenter conformem regulis logicæ, non verò propriè, & verè, cum non repræsentet verá identitatē extremorū cum medio quocum maior extremitas, nempe lapis non identificatur. Eamdem ob rationem hæc definitio *homo est animal hinnibile* non esset conformis regulis logicæ, cum non constaret propria hominis differentia. Cúm autem Aristoteles exemplum apponit formæ syllogisticæ in materia falsa loquitur ex suppositione, quod scilicet *C.* & *B.* essent idem cum *A*, ex quo in tali syllogismo evidenter infertur esse idem inter se. Sic si lapis, & Petrus essent idem cum homine essent idem inter se. Vnde ex defectu materię forma illa solum apparenter concludit, & paralogicè conformatur regulis; ex quo solúm deducitur; logicam expectare materiam, quod concedere non renuo, saltem secundariò, & per se, vt definibilem, divisibilem, &c.

621. Ad vrgentiam dic; actum verum, & veritatem á logica attingi, sed non vt verum, sed vt dirigibilem, & veritatem, non vt veritatem, sed vt dirigibilem in modum sciendi, vt verum tamen ad animasticam spectare.

SECTIO IV.

QVOD SIT OBIEGTVM ATTRIbutionis logicæ?

622. ITa variè discurrunt in hac quęstione *Doctores*, vt Pater Comptonus asserat; nullibi in stadio phylosophico maiorem esse libertatem, seque septemdecim in hac re vidisse placita. Novendecim vindit Linceus, vide illa apud eosdem, & Oviedum impugnata. Ego brebitati consulens, meum aperiam, sed ante

623. Nota. Aliquas conditiones ad obiectum attributionis à *Doctoribus* requiri. Prima sit, obiectum attributionis debere esse vnum ex obiectis partialibus scientiæ. Vnde male Scotista Pontius, & Thomista Linc. obiectum adæquatum illud appellant. Secunda, quod inter obiecta partialia sit nobilius obiectum. Hanc vniversaliter non admitto. Primo: quia Deus est obiectum partiale Philosophiæ, vt prima causa, & absque dubio nobilius, & tamen non est obiectum attributionis illius. Secundo, quia cum hæc ordinatio, vt postea videbimus, dependeat ab inventoris arbitrio, & non ab intrinseca ordinatione obiectorum potest inventor ex propria sua intentione obiectum magis perfectum ad minûs perfectum ordinare.

624. Tertia conditio, quod omnia obiecta attributa ordinentur ad obiectum attributionis, ipsum tamen ad obiecta attributa non ordinetur. *D*issidium tamen est, vtrum hęc ordinatio debeat esse intrinseca obiectis attributis, an solum extrinseca? Pater Arriaga, Quiros, Linceus, & Peynado tenent, debere esse intrinsecam. Communiter esse extrinsecam, á Modernis asseritur, ita PP. Leon. Ripal. Olea. & Maza d. 2. log. S. 8. n. 6. His assentior.

625. Dico 1. Obiecta attributa non debent intrinsecè, & ex natura sua ad obiectum attributionis ordinari, sed sufficit, quod extrinsecè solum à voluntate inventoris scientiæ ordinentur. Qua propter, si ad illud debeant omnia obiecta attributa intrinsecè ordinari, logica nullum obiectum attributionis habebit.

626. Probatur. Si definitio, Divisio,

apprehensio, &c. ordinarentur ex fine intrinseco scientiæ ad demonstrationem, vel ad aliud quod vis obiectum, regulæ definitionis, divisionis apprehensionis, &c. attingerent ipsam demonstrationem, omnis enim actus ordinans vnum ad aliud, vnum, & aliud debet attingere, sed non ordinantur regulę: ergo neque ordinantur actus ex fine intrinseco scientię. Maior est certa. Minor probatur. Hæc est pręcipua definitionis regula *Definitio constat genere, & differentia*: Hæc divisionis: *totum in partes debet distribui.* Hæc apprehensionis. *si vis genus efformare, apprehende rationem communem pluribus differentibus specie*, sed hæ omnes, vt ex ipsis cōstat, nullatenus attingunt demonstrationem, sed prima solum definitionem, secunda solum divisionem, tertia solúm genus, &c. ergo.

627. Nec ipsa obiecta ex se ordinantur intrinsecè. Nam apprehensio incomplexa solum est vnius termini cognitio. Complexa cognitio duorum. Iudicium actus cum affirmatione, vel negatione, definitio modus sciendi, nempé genus, & differentiam repræsentans; divisio actus totum in partes dissecans. Syllogismus modus sciendi in quo quibusdam positis, aliud tertium sequi, necessè est, sed in his omnibus nec Verbum significans ordinem ad aliud reperitur. Ergo nec ipsa obiecta regularum logicæ ex se ordinantur intrinsecè.

628. Probatur secundò. Ideo apprehensio, definitio, divisio, &c. dicerentur intrinsecè ordinari ad demonstrationem, quia apprehensio, definitio, divisio, &c. deserviunt ad perfectam demonstrationis cognitionem; sed hoc nō arguit, tales actus intrinsecè ordinari ad demonstrationem taliter, vt distinguantur in ratione obiecti ab obiecto attributionis; ergo. Probatur minor Primò, quia hoc solum arguit, vel indigentiam demonstrationis, vel necessitatem intellectus, vt á parvis ad magna ascendat, non ordinationem intrinsecam actuum. Secundò, quia etiam demonstratio sæpè deservit ad perfectam cognitionem definitionis, divisionis, &c. vt per se patet. Omnia enim obiecta logicę sibi invicem deserviunt, vt ex notitia vnius alterum melius percipiatur: ergo.

629. Hinc infero, quod cum omnes actus logici habeant ordinabilitatem in actu primo mutuam, hoc est, capacitatem, vt ordinentur ad invicem, hanc ordinabilitatem, non posse esse distinctivum obiecti attributi ab obiecto attributionis. Item cum nullus actus habeat ex se, aut ex fine intrinseco scientiæ ordinationem intrinsecam in actu secundo, ex se nullum esse obiectum attributionis, aut attributū. Cū autem nulla scientia careat attributionis obiecto, & hoc debeat esse vnū ex partialibus, & obiecta partialia logicæ sint, vel *definitio*, vel *divisio*, vel *argumentatio*, vel *demonstratio*, infertur, vnū ex his esse attributionis obiectum, quale autem sit? Colligendum est ex mente authoris logicę, Aristotelis nempe, cui sicut liberum fuit, hos vel illos actus coniungere ad vnam logicam constituendam; poterat enim alios admittere, vel hos excludere, ita liberum fuit, vel alium finem habere, ac proinde ad hoc, vel aliud obiectum pro suo libito in actu secundo ordinare actus.

630. Quidam ingeniosus Magister, quem postea plures alij, ne dicam omnes, qui post eum conscripsere, sequuti sunt, tenet; ita incertam esse mentem Aristotelis in hoc puncto, vt nullum possit logicæ obiectum attributionis assignari, sed hoc certè non est solvere, sed fugere difficultatem, materiam indeterminatam relinquere, & quæstionem irresolutam manere.

631. Dico secundò. Demonstra-

tio est obiectum attributionis logicæ. Ita Patres, Hurtadus, Arriaga, Peñafiel. Pein. tract. 1. proœmial. disp. 2. sect. 4. § 1. n. 68. apud quem Acutissimus Doctor 1. part. disp. 14. cap. 1. Probatur. Aristoteles cap. 1. Elencorum ait, *se egisse de demonstratione.* Et primò priorum, cap. 1. tex. 1. ait, *dicere oportet circa quod, & cuiusnam sit hæc consideratio* (loquitur de logica) *atque est circa demonstrationem, & est de scientia demonstrandi.* Ex his locis claré constat. Aristotelem in logica intendisse non definitionem, non divisionem, sed demonstrationem; ergo signum est, quod demonstratio est finis ab eo intentus in logica.

632. Confirmatur primò. Theologia dicitur scientia de Deo, quia licet agat de gratia, peccatis, Beatitudine, virtutibus, &c. de Deo agit vt de obiecto attributionis, & de alijs rebus, vt de obiectis attributis: ergo cum logica dicatur ab Aristotele *scientia demonstrandi*, ideo est, quia licet agat de definitione, divisione, &c. de his agit, vt de obiectis attributis, & de demonstratione, vt de obiecto attributionis.

633. Confirmatur secundò. Ex ipso titulo, sive vtilitate, pro qua ab authoribus scientiarum, inventæ sunt scientiæ, colligimus finem, & obiectum attributionis illis præfixum, vt patet in Theologia, Phylosophia, &c. ergo cum vtilitas inventionis logicæ sit iuxta ipsum Phylosophum, & Sanctum Thomam alijs scientijs prævere instrumenta sciendi, & ex instrumentis sciendi perfectius, & efficatius sit demonstratio, probabiliter inferimus, hunc fuisse finem ab Aristotele intentum in logica, cum aliunde ex ipsius authoritatibus hoc non obscure dignoscatur: ergo & obiectum attributionis illius.

634. Objic. 1. Aristotelem varie á Doctoribus interpraetari pro se: ergo mens eius omnia dubia est.

635. Respondeo. Me non defendere mentem Aristotelis esse expressam, & evidentem, sed eam esse pro demonstratione, coniectari probabiliter ex Verbis, & congruentijs iam allatis. Et certè eam esse mentem Aristotelis, debemus censere, eamque probabiliorem interpretationem, pro qua maior, graviorque pars eius interpretum, & discipulorum steterit, sed pro demonstratione stat maior, graviorque pars Doctorum Aristotelis interpretum, vt videre est in nostra probatione, & apud Linzeum, ex quo ex novendecim sententijs, quas affert, nulla est magis authorata, quam nostra ergo.

636. Replicas. Plures Doctores sunt, qui negent hanc nostram interpretationem pro octo decim alijs sententijs stantes, quam qui illam affirment: Ergo nostra interpretatio probabilior non est. Respondeo. Plures esse, qui negent, hanc nostram sententiam, quam qui eam affirment, sed plures sunt qui eam affirmant, quam qui affirment alias interpretationes. Non enim est comparanda nostra interpretatio cum omnibus simul sumptis, sed cum omnibus seorsim sumptis, sed pro nostra plures sunt, quam pro reliquis seorsim sumptis: Ergo nostra probabilior est omnibus.

637. Objic. 2. Ex locis citatis prome solum inferri ex primo, Aristotelem egisse de demonstratione. Et ex secundò actuarum de ea, sicut poterat, vel egisse, vel agere de definitione, non vero egisse, vel acturum de omnibus in ordine ad demonstrationem: Ergo ex eis authoritatibus non infertur demonstrationem esse obiectum attributionis, sed tantum obiectum.

638. Respondeo in vtraque loco tam in libris Elencorum, quam in libris Priorum de pluribus præter demonstrationem agere Aristotelem, plura que habere vt obiecta materialia, & tamen ait, illic se egisse de demonstratione, quin de alijs mentionē faciat: ergo aliter agit de demonstratione, quā de alijs obiectis: ergo si de alijs agit, vt de obiectis materialibus, de demōstratione agit, vt de obiecto principaliori, seu attributionis. In super vlterius ait, logicā, seu cōsiderationem logicæ esse scientiam de demonstratione: Ergo.

639. Objic. 3. Nequit consequi perfectè demonstratio, quin præcedant regulæ logicales definitionis, ergo, hæ, sicut, & definitio, intrinsecè ordinantur ad demonstrationem. Probatur antecedens. Si demonstratio est *propter quid*, seu *à priori* debet præcedere definitio essentialis, si demonstratio sit á posteriori debere præcedere definitio descriptiva effectuum, & proprietatum. Probatur consequentia. Ideo dispositiones ordinantur intrinsecè ad generationem & introductionem formæ, quia hæc nequit dari, sine dispositionibus; ideo apprehensione intrinsecé ordinantur ad iudicium, quia nequit dari iudicium sine apprehensionibus: Ergo si demonstratio nequit dari sine definitione, & eius regulis, hæ & illa intrinsecè ordinantur ad demonstrationem.

640. Respondeo. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Hoc solum arguit; demonstrationem, & regulas demonstrationis egere definitione, & regulis definitionis, non vero hanc, & illas ordinari ad demonstrationem, cum possint subsistere regulæ definitionis, & definitio perfecta, quin vllo modo existat demonstratio, nam definitio est ens completum per se existens, & regulæ definitionis non respiciunt intrinsecè demonstrationem, sed definitionem tantum. Vnde ad exemplum de dispositionibus dico; verum esse, dispositiones ordinari intrinsecè ad generationem; quia non habent aliud esse, præter ordinari ad generationem. Causalis vero est falsa, scilicet ideo dispositiones ordinari intrinsecè ad generationem, quia generatio nequit esse sine dispositionibus, ideo. Concede propositionem, & nega causalem.

641. In apprehensionibus verò nego, & causalem, & propositionem, quia apprehensiones non ita ordinantur ad propositionem, vt nullum esse habeant nisi ordinari. Apprehensio enim generis v. g. in se habet hoc, quod est esse repræsentationem vnius naturæ, non cognitis differentijs, capacis que vt prædicetur de pluribus differentibus specie. Vnde etiam si nulla daretur propositio, maneret in suo esse apprehensio, licet propositio sine apprehensionibus non maneret, cum illas prærequirat iuxta illud *nil iudicatum, quin apprehensum.* Ideo hoc solum modo vocantur apprehensiones præviæ ad iudicium dispositiones, hoc est, prærequisitum exactum á iudicio, non tamen, requisitum ab apprehensionibus, ad modum, quo gratia, & actus supernaturales exigunt naturam humanam, hæc autem, nec gratiam, nec actus supernaturales exigit, vel sicut acervus lapidum petit essentialiter lapidem, ex quo componitur, lapis vero non petit essentialiter acervum.

642. Objic. 4. Pars ex natura sua ordinatur ad totū, sed omnia, quæ tractantur in logica sunt partes demonstrationis: ergo ex natura sua ordinantur ad demonstrationem. Hinc inferes regulas definitionis divisionis, &c. etiam ad demonstrationem ordinari hoc modo, cognitio partis ordinatur ad cognitionem totius: ergo cognitio, seu regula definitionis ad cognitionem, seu regulam demonstrationis. Probatur antecedens, quia sicut se habent res in esse, se habent in cognosci.

643. Respondeo. *Distinguo* antecedens. Pars per se, transeat: Pars per accidens: nega. Dico *transeat* loquendo de parte per se, quia licet certū sit, partem per se ordinari intrinsecè ex natura

ra sua constitutivè ad totum, non verò inde infertur, attributivè ordinari similiter ad totum, tamquam ad obiectum attributionis scientiæ; hoc enim non est munus naturę, sed voluntatis liberè instituentis scientiam, quæ prolibito suo potest ordinare totum ad cognitionem partis, cum ad hoc deservire possit. Sic anima, quæ est pars viventis in ordine ad vivens definiri solet, ita vt totum iam deserviat ad cognitionem partis. *Dixi partem totius per accidens*, non ordinari per se ad totum, quia pars totius per accidens est totum per se, vnde non exigit constituere, licet constituere non repugnet, sic homo non ordinatur tamquam ad finem vltimum ad exercitum, quem componit, neque Petrus ad numerum binarium, quem constituit, quia exercitus, & numerus binarius sunt totum per accidens, sed demonstratio etiam est totum per accidens: ergo licet illam componat definitio, hęc tamen intrinsecè non exiget demonstrationem.

644. Item deductio argumenti est falsissima; non enim cognitiones in omnibus imitantur obiecta. Sic cognitio Dei non est Deus, cognitio substantiæ non est substantia, cognitio infiniti non est infinita: ergo neque cognitio rei ordinatæ ad totum, ad totum ordinabitur. Verum solum est, quód sicut res se habent in esse, ita se habent in cognosci obiectivè, non formaliter. Hoc est si cognitio sit rei spiritualis rem spiritualem, si cognitio sit rei materialis, rem materialem repræsentabit.

645. Replicas. Lapides artefacti, & perpoliti ordinãtur ad domum; ergo & actus intellectus v.g. artificio definitionis perpolitus in demonstrationem ordinabitur.

646. Respondeò. Admitto antecedens, & nego consequentam; quia lapidibus inducta perpolitio est extrinseca solum ea intentione, vt domum cõstituant; at vero artificium definitionis est ipsamet definitionis intrinseca repræsentatio, quæ comparanda est cum lapide secundum se, qui nullo modo habet hanc ordinationem intrinsecam ad constitutionem domus, sed non repugnantiam, induunt tamen illam ordinationem ratione politionis, & ordinationis extrinsecè. Sic definitio ex ordinatione extrinseca Aristotelis respicit demonstrationem, vt finem.

647. Objic. 5. Si á voluntate inventoris dependeret, quod hoc obiectum præ alio esset attributionis, aut attributum, quælibet res prolibito posset institui in obiectum attributionis facultatum, hoc dici nequit, aliàs pecunia posset dici logicæ, vel Medicinæ attributionis obiectum, si ad illam adquirendam ordinarentur à Medico, & logico.

648. Respondeo, distinguendo duplicẽ finẽ, vnũ, qui sine vlla intrinseca conducibilitate potest haberi solum ex voluntate agentis, & alium, qui haberi potest ex intrinseca conducibilitate medij; v.g. adquisitio dignitatum, divitiarum, & honorum sæpe est finis, adquen homines scientias ordinant absque vlla conducibilitate intrinseca, & speciali scientiarum. Hic enim finis pro libito cuiuscumque scientis variari potest. Alium vero, qui cum aliqua intrinseca conducibilitate haberi potest, v.g. demonstratio respectu definitionis, vel definitio respectu demonstrationis. Ad finem, qui se habet vt obiectum attributionis scientiæ, debent habere aliquam specialem conducibilitatem in actu primo obiecta attributa. Ideo que diximus, obiectum attributionis alicuius scientiæ debere esse vnum ex obiectis partialibus illius; quia obiecta partialia alicuius scientiæ inter se habent aliquam conducibilitatem, supposita autem hac intrinseca conducibilitate in actu primo, in qua æqualiter se habent, & definitio respectu demonstrationis, & demonstratio respectu definitionis, quod in actu secundo ordinetur potius definitio ad demonstrationem, quam demonstratio ad definitionem, dependet á libera Aristotelis determinatione. Ex quo inferes pecuniam neque esse, nec posse esse obiectum attributionis logicæ, Medicinæ, &c. Tum quia cognitiones definitionis, divisionis, &c. nullam intrinsecam conducibilitatem habent ad pecuniam. Tum quia obiectum attributionis debet esse obiectum materiale scientiæ, & pecunia non est obiectum materiale logicæ.

649. Replicas 1. Ergo eadem logica á diversis inventa poterit habere distincta attributionis obiecta pro cuiusque inventoris libito. Respondeo concedo totum. Instas primo. Ergo non erit eadem logica, cum mutetur ipsius obiectum. Respondeo. Nego consequentiam, solúm enim ex mutatione vel obiecti materialis, vel formalis mutatur scientia, non ex mutatione obiecti attributionis, nam hæc est pura denominatio á voluntate authoris desumpta, quæ non attingitur à scientia, hæc enim non attingit obiectum attributionis vt obiectum attributionis, vnde illa denominatione immutata, nec mutatur intrinsecè obiectum scientię, neque ipsa scientia.

650. Instans 2. Ergo plures scientiæ possunt habere vnum, & idem attributionis obiectum, cum hoc sit arbitrarium. Respondeo. *D*istinguo consequens vnum, & idem sub eadem ratione formali, nego: Sub diversa, transeat. Nam cum á ratione formali, & modo attingendi obiecta materialia scientię diversificentur, nequeunt esse scientiæ diversæ, si illa sit eadem, sub diversa tamen ratione formali nullum reperio inconveniens, in eo quod duæ, plures ve facultates idem habeant obiectum attributionis.

651. Replicas 2. Si per definitionem declararem essentiam demonstrationis absque voluntate inventoris scientię, etiam in actu secundo ordinaretur definitio ad demonstrationem: Ergo ad ordinationem in actu secundo non requiritur voluntas inventoris. Respondeo. Distinguo antecedens. Ordinaretur in actu secundo, ita vt possit etiam demonstratio ordinari ad definitionem, concedo: Aliter, nego. Cum dari possit hæc mutua ordinatio inter definitionem, & demonstrationem, casu quo demonstratio explicaretur per definitionem, & definitio per demonstrationem, hoc non est sufficiens ad determinandum vnum potiús quam aliud in obiectum attributionis. Vnde ad hoc vltra requiritur voluntas instituentis.

652. Obijc. 6. Ex Patre Quiros, qui varijs exemplis intendit, quod sicut intrinsecè ordinantur præmissæ ad conclusionem, ita obiecta attributa scientiarum ad obiectum attributionis ordinari debere: Primum, licet cuilibet pręmissæ secundum se non sit intrinsecum inducere determinatam conclusionem, at simul cum alia independenter ab hominum arbitrio determinatam infert conclusionem: Ergo licet cuilibet actui logicæ non sit intrinsecum respicere vnum obiectum attributionis, omnibus tamen simul sumptis erit intrinsecum. Secundum. Licet varij eventus vnius historię secundum se non ordinentur ad vnum finem, v. g. varij eventus Iulij Cæsaris; at omnes simul sumpti ad Iulium Cæsarem, vt obiectum attributionis ordinantur.

653. Tertium. licet vnus, vel alter paries non ordinetur ad domum, at collectio parietum, fenestrarum, &c. ad domum, & non ad turrim ordinantur. Quartum, quia plures quęstiones inveniuntur de novo in logica, sed omnes ordinantur ad idem obiectum attributionis,

tionis, quin intercedat voluntas Aristotelis ordinantis: Ergo independenter ab ea; datur attributionis obiectum.

654. Respondeo. Nego assumptum, Ad primum exemplum assigna disparitatem; præmissæ, cum repræsentent identitatem extremorum cum tertiò, virtualiter continent identitatem extremorum inter se, vnde ad hanc determinant intellectum. Insuper solum possunt inferre identitatem eorum extremorum inter se, quorum identitatem cum tertio repræsentant, cum ergo determinatam identitatem extremorũ cum tertio repræsentent, determinatam identitatem extremorum inter se etiam repræsentant, ad quam & ipsæ sunt determinatę, & determinant intellectum; at vero neque regulæ definitionis, neque definitio continent virtualiter aliud obiectum pręter definitionem, neque ita determinatæ. Sunt, vt determinent ad demonstrationem, vt eis positis nequeat intellectus, vel non elicere demonstrationem, vel elicere definitionem, si velit.

655. Ad secundum exemplum dic, eventus varios eiusdem subiecti v.g. Iulij Cæsaris conglobari non esse indiferentes, vt aliud obiectum v.g. Augustum vt obiectum attributionis respiciant, nam gesta militum, & ducum iuxta prudentum existimationem Principi sub cuius ditione sunt tribuuntur. At vero omnes actus logici etiam collectivè sumpti nullum vt principem, cui deserviant, & sub cuius ditione sint, conspiciunt, sed indiscriminatim possunt ad invicem sibi ipsis servire. Vt autem demonstrationi potius, quam alteri, faces submitant, egent extrinseco determinativo, voluntate nempe invẽtoris, & hæc etiam est disparitas ad tertium exemplum Parietes enim, fenestrę, pavimenta, &c. ita domum constituunt, vt nequeant turrim constituere, at actus logici ex se indifferentes se habent, vt ad invicem se respiciat.

656. Ad quartum respondetur; quæstiones de novo inventas, si continentur virtualiter in primò inventis, cum nitantur eisdem principijs, & sunt in eadem materia; implicite, & virtualiter etiam determinari ab inventoris voluntate, si verò non continentur, non constituent scientiam, sed erunt quasi intrusæ, & incertæ.

657. Objic. 7. Obiectum attributionis est arbitrarium? Ergo & obiectũ formale *quod*. Resp. Nego consequentiam. Quia obiectum formale, *quod* propriè attingitur ab actu, vnde intrinsece, & essentialiter specificat illũ, neque actus respiciens rectitudinem definitionis potest, nec potuit rectitudinem definitionis non respicere; aut aliam rectitudinem, respicere. At vero idem actus eademque definitio potest esse obiectum attributum, iam divisionis, iam demonstrationis prolibito inventoris, cum, vt iam dixi, hę denominationes obiecti attributi; & attributionis, non conspiciantur ab actibus, sed illis extrinsecè adveniant.

658. Objic. 8. Specialiter contra secundam conclusionem. Demonstratio nequit esse obiectum materiale logicæ: ergo neque obiectum attributionis adhuc ex voluntate inventoris. Probatur antecedens. Quod addit demonstratio supra syllogismum vt talẽ, est materia necessaria; sed hanc non respicit logica: ergo neque demonstrationem, vt talem. Confirmatur. Logica analitica, & topica solum diriguntur penes materiam, sed hanc non respicit logica, & solũ curat definitione æquali in materia probabili, & necessaria: ergo syllogismus pręscindens ab vtraque materia erit obiectum attributionis, non verò demonstrativus.

659. Respondeo falsum esse; logicam non respicere materiam per se, nam licet eam non respiciat in particulari,

& secundum se, attamen inconfuso prout definibilem, &c. eam respicit. Quo funditus argumentum ruit.

660. Objic. 9. Syllogismus probabilis adhuc nec in actu primo conducit ad demonstrationem: ergo hæc nequit esse obiectum attributionis totius logicæ. Resp. Negando antecedens. Potest enim conducere ad demonstrationem primò, quia cum eadem sit forma in syllogismo probabili, ac in demonstratione ex cognitione formæ in materia probabili facilitatur intellectus ad cognitionem, & directionem formę in materia evidenti. Secundò, quia cognitio vnius contrarij maximè conducit ad alterius contrarij cognitionem: ergo & cognitio syllogismi probabilis aliquo modo syllogismo demonstrativo contrarij potest ad cognitionem syllogismi evidentis deservire.

661. Objic. 10. Ergo sola conclusio erit obiectum attributionis logicæ, cum ad eam omnia quæ tractantur in logica, & etiam ipsæ præmissæ ordinentur. Respondeo. Nego consequentiam, nam licet conclusio sit vltima pars demonstrationis non est tota demonstratio, quæ consurgit etiam ex pręmissis, & ex Aristotele constat, totam demonstrationem esse attributionis obiectum.

662. Replicas ex opposito cum Comptono: Ergo solæ præmissæ absque conclusione erit attributionis obiectum; tum, quia in eis consistit totum demonstrationis artificium, tum quia conclusio necessario infertur ex præmissis: ergo non dirigitur á logica. Resp. Nego consequentiam. Tum quia falsum est, in solis præmissis consistere totum demonstrationis artificium. Tum quia etiam si necessariò posito medio efficaci consequatur finis, non infertur, finem non intendi, & dirigi. Sic natura primariò formę introductionem intendit, licet hæc ad vltimam dispositionem necessariò sequatur: ergo etiam si positis præmissis, necessariò inferatur conclusio, hæc primariò intendi, dirigi que poterit á logica.

663. Objic. 11. Obiectum attributionis scientiæ practicæ debet esse operabile; sed demonstratio vt sic non est operabilis á logica: ergo. Respondeo distinguo minorem; non est operabilis; prout est ratio communis abstracta, concedo; quasi inconfuso nego; Cum dicitur, demonstrationem in cõmuni esse obiectum attributionis logicę, non loquitur de aliqua ratione abstracta, sed de omnibus demõstrationibus confusè cognitis sub nomine demonstrationis.

664. Ad omnia argumenta, quibus Comptonus probat, definitionem esse obiectum attributionis logicæ, eo quod sit perfectior modus sciendi; in super ad ea, quibus Quiros probat, esse integram scientiam. Item ad ea, quibus spinula probat, esse syllogismum, provt præscindit á probabili, & demõstrativo: Deniq; ad ea, quibus Linceus, esse veritatẽ, probat; respõd. vniversaliter, quod ad huc concesso, quod omnia ea capacitatem habeant in actu primo, vt sint obiectum attributionis; vt actẽ de facto, & in actu secundo ita sint, dependet á voluntate inventoris, hanc pro demonstratione stare, & non pro definitione, veritate, syllogismo, &c. satis constat ex nostris probationibus.

(o)

(o)

DIS-

DISPUTATIO III.

DE INFLUXU, ET NECESSITATE *logicæ.*

SECTIO I.

DE INFLUXU LOGICÆ ERGA actus tam proprios, quam aliarum scientiarum.

665. NOta primò. Tam in proprijs actibus, quam in actibus aliarum scientiarum relucere quoddam artificium logicale definitionis, divisionis, argumentationis, &c. Quæritur nunc quemnam influxum habeat logica erga tales actus artificiosos directivum, an effectivum:&c.

666. Nota secundo: Modum directivè concurrendi distingui á modo concurrendi effectivè in eo, quod dirigens regulas tantum præscribat, & modum, quo res debet fieri, illuminando intellectum, & quasi lucem præferendo, vt res fiat; efficiens vero, physicè producit, & efficit. Exemplo res clarescet. Dupliciter potest Magister concurrere ad imaginem quam Discipulus, v. g. pingit. Primò verbis tantum illi explicando modum, quo depingere debet. Secundo Discipuli manu apprehensa simul cum ipso colores, & penicillum movendo. Primus modus concurrendi dicitur directivus, secundus effectivus.

667. Logicam effectivè concurrere, tenent Baconius, Rubi. q. 3. & alij apud Hurtadum. Logicam solum directivè concurrere, tenet fere omnium sententia quam amplectiturN. Olea. d. 59. num. 2. Ego cum distinctione loquar.

668. Dico 1. Logica actualis solum directivé concurrit tam ad proprios, quam ad actus aliarum scientiarum. Probatur primo. Non est vlla necessitas concedendi physicum influxum logicę actuali, cum sufficiat illi directivus: Ergo solum directivè concurrit. Probatur antecedens. Neque ex parte causæ, neque ex parte effectus requiritur physicus influxus logicæ. Non ex parte causæ, nam cum hæc sit intellectus, intellectus cum specie impressa est causa sufficiens, & completa effectivè cuiusque actus. Etiam ante logicæ adquisitionem potest intellectus actus scientificos efficere: Ergo supponitur completus in esse causæ: Ergo nō requiritur ex parte causæ alia concausa in linea efficientis.

969. Non requiritur ex parte effectus. Nam ex parte effectus solum requiritur logica ad hoc, vt actus qui ante eam, eliceretur dificulter, & cum periculo erroris, eliciatur secure, & sine erroris periculo, sed vt actus ita eliciatur, non requiritur physicus influxus affectivus logicæ, sed sufficit illuminativus dictans, qualis sit rectus, qualis vero irrectus modus sciendi, vt hoc vitato efformetur ille: Ergo.

670. Explicatur conclusio. Si aliquis haberet in arca nummos aureos, & argenteos deauratos, & aliàs ipse sufficienter non discerneret, quales essent re ipsa aurei, quales verò deaurati, vt educeret aureos præ deauratis, nō requireretur, quod alius simul eos physicè ex arca manu propria educeret, sed sufficeret ad eos educendos, quod ipse de vnius cuiusque differentia satis instrueretur. Similiter in statu possibili sunt plures auræ, & rectę definitionis, pluresque deauratæ apparenter scilicet bo-

bonæ, irrectæ tamen: vt ergo intellectus eliciat rectas, vitet, que irrectas logica inventa est: Ergo necessum non est, quod logica simul cum intellectu illas effectivè eliciat, sed tantum quod proponat illi quales sunt rectæ, qualesve irrectę, illum dirigendo, & illuminando.

671. Confirmatur. Ideo cognitio solum concurrit directive ad actus voluntatis iuxta fere omnium Doctorum sententiam; Scientia simplicis intelligentiæ solum directivè ad productionem possibilium iuxta Sanctum Thomam, 1. p. q. 25. art. 1. & reliqui artes solum directivè ad suos effectus v. g. ars domifactoria ad domum: ars ferraria ad clavem, & ars lignaria ad fenestram, quia cognitio concurrit proponendo voluntati obiectum amandum: scientia simplicis intelligentiæ proponendo Omnipotentię creaturas factibiles:& artes proponendo modum, quo faciendę sunt clavis, domus, & fenestra. Sed logica solum concurrit proponendo intellectui modum, quo facienda fit recta definitio, divisio, & argumentatio: ergo solum directivê concurrit.

672. Dico secundò. Logica habitualis, nec directivè, nec effectivè concurrit ad actus aliarum scientiarum. Probatur quoad primam partem. Solum concurrit directivè, quod potest instruere, & illum inare intellectum, sed logica habitualis nequit illum instruere, aut illuminare: ergo. Probatur minor. Logica habitualis est qualitas mortua, sed solum actus vitalis potest instruere, & illuminare: ergo logica habitualis nequit instruere, & illuminare intellectum.

673. Probatur quoad secundam partem. Logica habitualis est habitus adquisitus, & generatus ex repetitione regularum logicalium: ergo solum concurrit ad regulas logicales, sed actus aliarum scientiarum non sunt regulæ logicales: ergo ad eos effectivè non concurrit. Antecedens est certum. Probatur consequentia. Habitus solum concurrit ad actus omninò similes illis, á quibus fuit productus, & ratio est, quia habitus est velut semen ex actibus relictum, & sicut semem arborum arbores tantum producit, ita habitus regularum solas regulas producit: ergo.

674. Objic. 1. Contra primam conclusionem. Regula logicalis concurrit vt causa exemplaris ad suos effectus: ergo effectivè. Probatur consequentia. Causa exemplaris reducitur ab Aristotele ad efficientem: ergo. Resp. Transeat antecedens. Negatur enim ab aliquibus eo quod exemplar sit solum id, quod proponitur imitandum, vt vna imago ad aliam similem efformandam ob oculos pictoris exposita, quo modo tantum se haberet regula, quæ simul esset definitio v. g. & proponetur imitanda, sed admisso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem dico, quod si solum dicatur reductivé, non verò propriè, & formaliter causa efficiens logica actualis, non renuam illam reductivè efficientem, causamque exemplarem appellare.

675. Objic. 2. Ideo logica habitualis concurrit effectivè ad regulas, quia facilitat ad eas, sed etiam facilitat logica actualis ad actus proprios, & alienos: ergo. Confirmatur. Species impressa concurrit effectivè ad actus; ergo & logica actualis.

676. Resp. Distinguo maiorem, quia facilitat vtcumque, nego; quia facilitat per modum qualitatis mortuę, concedo. Tam concursus effectivus, quam directivus facilitat ad effectum, sed aliter, & aliter. Habitus, & species impressa facilitant per modum qualitatis mortuæ, cui præter effectivum nō est concedendus alius concursus; at verò logica habitualis concurrit facilitando

tando per modum regulæ, quę cum ſit vitalis, capax eſt influxus directivi, & alius illi ſine neceſsitate concedendus non eſt.

677. Objic. 3. Rectitudo actuum intellectus in modum ſciendi eſt ſpecialis formalitas relucens ex parte effectus, ergo petit ſpeciale principium effectivum ſimile, cui correſpondeat. Probatur conſequentia á paritate viſionis Beatę, in qua quia relucent formalitates ſupernalitatis, & vitilitatis requiritur ex parte principij lumen gloriæ ſimile, cui correſpondeat ſupernaturalitas, & intellectus ſimilis, cui vitalitas correſpondeat: ergo ſi in definitione vltra vitalitatem, quę intellectui correſpondet, datur rectitudo modi ſciendi, vltra intellectum debet dari aliquod principium effectivum, cui correſpondeat. Hoc non eſt aliud, niſi regula logicalis: ergo.

678. Retorquę argumentum in effectu artis mecanicæ, quæ effective nō influit in effectum, & tamen in eo relucet ſpecialis rectitudo. Inſuper ex argumento ſequitur; nullum poſſe dari actum ſcientificum ſine effectivo influxu logicæ, cum in omni actu reluceat rectitudo modi ſciendi, cui debet correſpondere per vos principium ſimile, & non eſt aliud niſi regula logicalis.

679. Reſp. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo petit ſpeciale principium effectivum ſimile habens ſufficientem ſimilitudinem, vt illam formalitatem ſub ſua virtute cōtineat, concedo, Aliter, Nego. Intellectus enim ex ſe ſufficientem ſimilitudinem habet cum modo ſciendi, ita vt non egeat alio comprincipio effectivo, nam ſimilitudo, quæ requiritur, eſt, quod effectus contineatur ſub virtute principij. Vnde ad viſionem Beatam, idem eſt reſpectu cuiuſcumque actus ſupernaturalis, ideo requiritur ex parte intellectus lumen gloriæ, quia viſio Beata vtpotè ſupernaturalis non continetur ſub virtute naturali intellectus, ideoque hic eget aliquo comprincipio ſupernaturali, nempe lumine ad effectus productionem. Cum verò intellectus ex ſe poſsit actus ſcientificos producere, & de facto ante logicam plures produxerit, ad virtutem efficiēter productivam complendam non requiritur logica actualis, ſed ſolum ad illuminandum intellectum.

680. Objic. 4. Licet Magiſter aliquando dirigat tantum, aliquando ſimul cum Diſcipulo opus efformat: ergo & logica aliquando etiam actus efformat. Reſp. Nego conſequentiam. Nam primum ipſa experientia docet; ſecundum nec ratio, nec fundamentum, nec experientia dictat, ſed potius contrarium teneri debet ob rationes noſtræ concluſionis.

681. Objic. 5. Opera Artis fiunt ab Artifice, vt artifex eſt; ſed vt artifex eſt dicit artem in recto, ergo & fiunt ab arte. Reſp. Diſtinguo maiorem. Fiunt ab artifice, vt artifex eſt, ita vt ars concurrat ſolum directivè, concedo; aliter, nego.

682. Objic. 6. Cognitio ad amorem, & præmiſſæ ad concluſionem effectivé concurrunt, ergo & logica actualis ad actus. Reſp. Nego antecedens, ſed potius exemplo cognitionis, & præmiſſarum noſtra concluſio roboratur. Et licet aliquale daretur fundamentū; vt cognitioni ad amorem, & prę miſsis ad concluſionem concederetur concurſus effectivus, nempe neceſsitas methaphyſica cognitionis ad amorem, & præmiſſarum ad concluſionem, ęqualis ratio non datur in logica, vtpotè nullo modo ad actus metaphyſicè neceſſaria.

683. Objic. 7. Logica actualis cauſat effective logicam habitualem, ergo & actus logicales. Reſp. Nego conſequentiam. Nam cum ex repetitione

tione regularum logicæ actualis generetur habitualis, inferimus: hanc ab illa produci, non directivè; quia actus non dirigit, quod non repræſentat; & habitum, quem cauſat nullatenus repręſentat, ergo effectivè; at actus directivè producit, vnde illi concedere concurſum effectivum omninò ſuperfluum eſt.

684. Replicas. Logica actualis producens habitum illi confert virtutem producendi effectivè actus; ergo logica actualis hanc virtutem habet. Nemo enim dat, quod non habet. Reſpondeo. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo hanc virtutem habet, formaliter, nego: virtualiter cauſativè, concedo. Et ita proloquium explica. *Nemo dat, quod non habet, tam formaliter, quam virtualiter cauſative*, non vero neceſſariò *formaliter*. Sic prudentia & artes mechanicæ generant effectivè habitum efficienter cauſativum actuum quin ipſæ efficienter cauſent eos actus. Sic Deus confert homini eſſe animal rationale, quin ſit formaliter animal rationale. Sic Sol confert muri v. g. virtutem generativam per generationem viventium alterius muris, quin ipſe talem virtutem formaliter habeat.

685. Objic. 8. Contra ſecundam concluſionem: in quocumque actu cōcurrit materia, & forma, ſed materia producitur effectivê ab habitu ſcientiæ particularis, ad quam pertinet actus: ergo & forma effectivè producetur à logica habituali, ad quā pertinet, Reſp. Concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Materia tantum, nego, & ſimul forma, concedo. Nam cum materia, & forma ſint identificatæ, implicat, produci materiam ab actu ſcientię particularis, quin ſimul phyſicè producatur forma. Vnde tam forma, quam materia producitur phyſicè ab habitu illo, & directivè à logica actuali, á logica vero habituali, nec directivè, nec effectivè.

686. Objic. 9. Habitus adquiſitus per repetitionem huius regulę *Definitio eſt modus ſciendi explicans eſſentiam rei*, &c. eſt logicalis, ſed hic concurrit non ſolum ad regulas, ſed etiam ad definitiones inquacumque materia; ergo. Probatur minor. Habitus adquiſitus per definitionem in vna materia facilitat ad definitiones in quacumque materia. Ergo.

687. Hoc argumentum confundit logicam habitualem cum habitu logicali. Logica habitualis eſt tantum habitus adquiſitus per repetitionem regularum, quocumque modo fiant, de hac dicimus, tantum effectivê concurrere ad regulas logicales, & nec effectivè, nec directive ad actus tam proprios ipſius logicę, quam aliarum ſcientiarum. Habitus vero logicalis eſt habitus adquiſitus ex repetione actuum in propria materia logica v.g. ex definitione facta in materia definitionis v.g. quæ eſt propria ipſius logicę. Unde adhuc cōceſſo, quod habitus logicalis, ſeu facilitas orta ex definiendo in materia propria logicę effectivè concurreret ad actus aliarum ſcientiarum, non tamen inferretur; logicam habitualem ad eos actus effectivè concurrere.

688. Replicas primò. *Dum* quis defini in materia Theologica, logica habitualis concurrit facilitando: ergo & effectivê influendo in definitionem Theologicam. Reſp. Diſtinguo antecedens. Concurrit facilitando immediatè, nego; mediatè, concedo. Logica habitualis, cum quis definit in quacumque materia, concurrit producendo regulam dirigentē ad definitionē, non vero producendo ipſam definitionem, vnde ſolum mediatè facilitat, quatenus producit id, quod immediatê dirigit.

689. Replicas ſecundò. Si quis repetat definitiones in Phyloſophia, redditur facilis ad definiendum inquacumque materia: ergo quia idem habitus

tus logicus generatur á quacumque definitione, ergo & idem habitus ad quácumque definitionem concurret. Resp. Distinguo antecedens. Redditur facilis ex præcisſa repetitione definitionis. Nego; ex productione regulæ dirigentis comitãte productionem definitionis, concedo. Cum ad quamcumque definitionem producatur regula actualis dirigens illam ex repetitione huius regulæ intenditur, & crescit logica habitualis, & facilitas ad similem regulam producendam non præscisſe ex repetitione definitionis.

690. Replicas Tertiòs habitus logicalis ortus ex hac definitione. *Definitio est modus sciendi explicans essentiam rei, &c* concurrit ad alias definitiones in materia logicæ, ergo & ad alias in materia Phylosophiæ. Probatur consequentia. Nam tam dissimilis est definitio divisionis, ad quam concurrit definitio definitionis, á qua oritur, quam definitio hominis in materia Phylosophiæ, ergo. Respondetur, habitum illum logicalem adhuc ad alias definitiones in materiâ propriá logicę non cócurrere ob rationem argumenti; sed tantum concurrere ad actus similes illi, á quo fuit generatus.

SECTIO II.

DE NECESSITATE LOGICÆ AD Alias scientias.

691. LOgicam esse vtilem, immo & aliquo modo necessariam ad alias scientias adquirendas, nemini dubium est, qualis sit autem hæc necessitas? Nunc in disputationem venit

692. Nota, rem tripliciter dici necessariam, metaphisicè, physicè simpliciter, & physcice secumdum quid. Res dicitur metaphysice necessaria, quando sine ea adhuc nec *Divinitûs* aliquid existere potest, sic se habet rationale v.g. respectu hominis. Res dicitur physicè simpliciter necessaria, quando sine illa aliquid naturaliter obtineri nequit, vt respiratio, & cibus ad vitam per longum tempus conservandam. Res dicitur physicè secundum quid necessaria, quando sine illa absque miraculo aliquid obtineri potest, dificulter tamen, vt equus ad longum iter faciendum. Hæc necessitas secundum *quid* vlterius est duplex. Prima dicitur summa necessitas *moralis*, seu necessitas moralis simpliciter, qualis apud Theologos est necessitas gratiæ specialis in homine, ad vincendã gravissimam tentationem, seu omnia peccata venialia, simul sumpta. Secũda dicitur necessitas moralis gravis, non tamen summa, v.g. illa, quam habet homo artis ad rectè cytharizandum.

693. Prima sententia tenet; logicam esse simpliciter necessariam etiam ad singulos actus scientificos adquirendos. Ita plures Thomistæ, quod citat, & sequitur Lerma lib. 1. quest. 2.

694. Secunda sententia tenet, logicam esse simpliciter necessariam non ad singulos actus, sed ad integram scientiam adquirendas, ita plures etiam Thomistæ, quos sequuntur vterque Iinzeus dominicanus, & Iesuita apud, Patrem Peinadum postea citandum. Ex D. Tell. Quir. & Rhod. d. 1. q. 1. l. 4.

695. Tertia sententia docet; logicam solúm secundum quid physicé, & moraliter simpliciter esse necessariam ad alias scientias instatu perfecto adquirendas. Ita Scotus 2. Metaphysicæ, q. 12. Pontius. Ex nostris Fonseca, Arriaga, Oviedo, Corpton, Peinado Tract. Proæm. d. 1. sect. 5. quos sequitur P. Olea. d. 60. n. 9.

696. *Dico* 1. logica actualis non est physcice simpliciter necessaria tam ad aliquos actus vnius scientiæ, quam ad omnes perfectè adquirendos. Probatur 1. Conclusio. Nullo interveniente miraculo potest quis elicere aliquos actus scientificos vnius facultatis absque logicá dirigente, ergo & omnes

pro-

Probatur antecedens 1. Nullo interveniente, miraculo de facto eliciti fuerunt primi actus logici à primis eius inventoribus sine logica prævia dirigente, aliás illi non essent primi: ergo nullo interveniente miraculo potest quis elicere aliquos actus scientificos vnius facultatis, nam ab actu ad potentiam valet consequentia.

697. Probatur secundò idem antecedens. Defacto experientia probatur, homines logicæ omnino inscios veritate obiectorum, & principijs naturalibus ductos plures demonstrationes efformare iuxta illud Pauli ad Romanos. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Potest enim aliquis naturaliter incidere in hæc principia. *Totum est maius sua parte. Qui debet, tenetur solvere. Quia crimen commisit, puniendus est.* Ex quibus postea ita discurrat: mundus est totum, hæc civitas est pars illius. Ego debeo. Petrus crimen commisit. Ex quibus evidenter & scientificè consequentias inferat. *Ergo mũdus est maior hac civitate. Ergo teneor solvere. Ergo Petrus puniendus est.* Quod autem hi assensus sint scientificè demonstravi, patet; nam, vt constat ex Aristotele primo Posteriorum, demõstrativè cognoscere intellectum aliquã veritatem, in eo stat, quod intellectus evidenter cognoscat illius causas, & principia, & talia principia determinata esse ad eam veritatem obiectivam, & talem veritatem obiectivam, positis illis causis, aliter se habere non posse; sed in casu posito ita se haberet intellectus firmiter cognoscens, ex illis principijs talem veritatem inferri, hanc que aliter se habere non posse. Ergo.

698. Consequentia prima primi antecedentis, scilicet aliquos actus potest quis elicere absque logica dirigente, ergo & omnes: Probatur. Semel concesso, quod sine logica possit fieri primus actus logicus, vel Pylosophicus, ergo & secundus, & tertius, & sic omnes, cum nulla sit maior difficultas in secundo quam in primo, & intertio quam in secundo. Idem, quod de actibus dic de scientijs, nam semel concesso, quod vna scientia possit sine logica comparari secundum omnes suos actus; ergo & omnes scientiæ.

699. Confirmatur. Ante logicæ inventionem Ægyptij, & Hebræi Mathemathicus excelluerunt, vt eruditissime testantur Patres Conimbricenses. Hipocrates etiam Medicinæ scientissimus penitus logicam ignoravit. Item Iurisprudentię Doctissimi sæpe præcepta logicæ nesciunt, ergo hæc non est physice simpliciter necessaria ad alias scientias adquirendas.

700. *Dico* secundò. Etiam si logica actualis esset physicê simpliciter necessaria ad actus aliarum scientiarum, logica habitualis solum esset necessaria secundum quid. Probatur. Necessitas logicæ habitualis ad actus aliarum scientiarum solum est mediata, cum in eos nec effectivè, nec directivè influat, vt supra vidimus, quatenus scilicet requiritur ad regulas logicas producendas, sed ad has solum requiritur secundum quid habitus; ergo etiam si logica actualis physicè simpliciter requiratur ad actus aliarum scientiarum, logica habitualis solum secundum quid requiritur. Probatur minor primo. Habitus adquisitus solum est ad faciliter posse, sed quod requiritur ad faciliter posse, solum requiritur secundum quid: ergo. Probatur secundo. Habitus generatur ab actibus, ergo actus habitum præcesserunt, ergo aliqui actus producti fuerunt sine habitu, ergo & omnes poterunt sine eo produci ob rationem supra allegatam.

701. *Dico* tertiò. Logica actualis est necessaria physicè secundum quid, & moraliter simpliciter, non necessitate summá, sed necessitate gravi mediâ inter

ter

ter summam, & levem, non solùm ad omnes collectivè, verum ad singulos actus aliarum scientiarum adquirendos, ita expressè Sanctus Thomas 1. poster. lect. 1. asserens; logicam esse necessariam, vt ordinate, & faciliter actus dirigantur. Probatur. Quod requiritur ad vincendam gravem difficultatem, & ingens errandi periculum, est necessarium physicè secundum quid, & moraliter simpliciter non summè; sed in eliciendis actibus aliarum scientiarum sine logica datur gravis difficultas, & ingens errandi periculum, non minùs quàm ad rectè cytharizandum, & ad ordinatos motus efformandos sine arte cytharizandi, & saltatrice, & ad hoc requiritur logica actualis, vt patet ex dictis, ergo.

702. Dico quartò. Logica non solum physice simpliciter, verum & metaphysicè necessaria est ad omnes, & ad vnicum actum aliarum scientiarum adquirendos ita perfectè, vt reddi possit ratio de bonitate formali definitionis, *divisionis*, &c. Ita in re Pater Quiroz, disp. 7. logicæ, sect. 5. & aliqui, qui citari solent pro nobis contrarijs, sed certè nobis non opponuntur immediatè, sed solum mediatè, hoc est, quatenus affirmant; hanc cognitionem reflexam de bonitate formali actuum requiri ad scientiam, quam nos ad scientiam esse necessariam, negamus. Reddunt que quæstionem de nomine.

703. Conclusio explicatis terminis patet. Nemo enim potest cognoscere, hanc definitionem *Animal rationale*, hunc syllogismum *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo est animal*, gaudere bonitate formali, nisi agnoscat esse conformes regulis logicalibus, sed nemo potest cognoscere, esse conformes regulis logicalibus, sine regulis logicalibus; ergo hæ non solum physicè simpliciter verum & methaphysicè necessariæ sunt, vt cognoscatur bonitas illationis, & definitionis, vt talis formaliter.

SVBSECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONDEO.

704. Objic. 1. Contra primam conclusionẽ. Iuxta Aristotelem; *Nemo scit, nisi sciat se scire, sed nemo scit, se scire, nisi sciat, se habere demonstrationem.* Nemo scit, se habere demõstrationem, nisi sciat, quid sit demonstratio, nemo scit, quid est demonstratio sine logica, ergo sine logica non datur scientia; ergo est simpliciter physicè necessaria.

705. Resp. Distinguo maiorem. Nisi sciat, se scire exercitè, concedo; signatè, & reflexè, nego. Et ita reliquas propositiones distingue. Ad scientiam solum requiritur evidentia, & certitudo directa obiecti, hoc est, quod quis percale..t rem, quam in præmissis affirmat, vel negat. Unde si rusticus firmiter cognovit, civitatem hanc esse partẽ vniversi, totum que esse maius sua parte, firmiter, & sine vllo errandi periculo assentitur huic conclusioni. Ergo *hæc civitas minor est universo*, ita vt si millies rogetur, cur assentiatur tali conclusioni? Respondebit; quia hæc civitas est *pars*, & vniversus orbis *totum* & totum est maius sua parte.

706. Quod autem actus reflexus, ad scientiam non, sit simpliciter necessarius, patet, primò, quia talis actus reflexus cognoscit, actum directum esse scientificum, ergo non constituit illum in esse scientifici, sed supponit. Secundo, quia ratio scientiæ in actibus est tendentia ipsorum, sed tendentia ipsorum est ipsis intrinseca, & essentialis: ergo supponitur, non vero constituitur per actum reflexum. Tertio, quia cum actus re-

reflexus sit scientificus, ad hunc requireretur alius de ipsius actus reflexi securitate, & ad hunc calius, & si infinitum.

Replicas primò. Vt actus sit scientificus, debet cognosci bonitas illationis illius, sed hæc non cognoscitur absque logica, ergo absque logica non datur actus scientificus. Respondeo. Distinguo maiorem. Debet cognosci bonitas illationis obiectiuæ, Concedo; formalis, Nego. Vt cognoscatur bonitas illationis formalis, & conformitas cum regulis certè requiritur logica, vt vidimus quarta Conclusione; at vero hæc cognitio bonitatis illationis formalis reflexa ad scientiam non requiritur, vt proximè probavimus. Solùm enim requiritur, quod cognoscatur bonitas illationis obiectivæ. Hoc est, quod penetretur obiectiuè, mundum esse totum, hanc civitatem esse partem, & totum esse maius sua parte, vnde infertur, mundum esse maiorem hac civitate.

708. Replicas secundo. Qui assentitur obiecto cum formidine, non habet scientiam, sed qui reflexè non cognoscit illationem formalem, assentitur obiecto cum formidine, ergo hæc debet cognosci. Respondeo, Nego minorem. Vt enim quis sine formidine assentiatur huic obiecto, ergo *dies est nũc*, solũ requiritur, quod perfectè penetret præmissas obiectivas, nempe *adesse solem*, & quoties *sol adest diem esse*, quod sine reflexione supra illationem formalẽ fieri potest.

709. Replicas tertiò. Talis actus elicitur sine logica cum periculo errandi: ergo sine logica non erit scientificus. Respondeo; distinguo antecedens. Cum periculo errandi, quia potuit elici alius; Concedo. Cum periculo errandi in ipso actu, Nego. Potuit enim intellectus loco huius actus recti alium irrectum elicere, & sic errare, cùm non dirigatur á logica, ex quo solùm arguitur; esse necessariam secundum quid. Hoc tamen elicito in ipso actu nec est, nec potest esse error, neque vlla formido scientiæ impeditiva in assentiendo obiecto talis actus, vnde scientificus est, nam ad actum scientificum hæc tantún securitas requiritur. Immo adhuc positá logica in intellectu potest hic errare non elicẽdo actum regulis conformem, quin hoc efficiat, quod non sit scientificus actus iuxta ipsas regulas semel ellicitus.

710. Objic. 2. & simul replicas. 4. si ad sciẽtiam sufficeret, quod quis in actu exercito demonstrationem eliceret, & nõ requireretur reflexa cognitio, omnis demonstratio esset scientia, sed hoc est falsum, ergo. Probatur minor. Si aliquis eliciat demonstrationem, nesciens esse demonstrationem, vel iudicans esse syllogismum probabilem, talis demonstratio non esset scientia: ergo.

711. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem rogo: vel talis homo iudicaret, actum á se elicitum non esse demonstrationem, sed syllogismum probabilẽ, eo quod solum probabiliter assentiatur alicui ex præmissis, vel non? Si primũ? Optimè iudicaret, ũ re ipsa talis actus solum esset probabilis. Si secundum, hoc est si vtrique præmissæ, & consequentię firmiter adhæreret: talis actus esset re ipsa demonstratio, & scientia, licet ex ignorantia significationis vocis *demonstrationis* negaret, talem actum esse demonstrationem, sicut qui diceret *Petrum esse animal rationale*, & negaret, *esse hominem*, re ipsa hominem fateretur, & solum explicite ex ignorantia vocis, illum negaret.

712. Objic. 4. & replicas 5. Licet quis habeat notitiam evidentem in actu

tu exercito, si non habeat notitiam reflexam de bonitate illationis formalis provenientis á logica, potest induci á sophysta in aliquem errorem, vt contigisse refert Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 31. per hæc verba. *Proposuit quidam alteri, cum quo loquebatur, quod ego sum, tu non es. At ille consensit; verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit. Ego autem homo sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit dicens, tu igitur non es homo.* En hic veritatem obiectivam optimè percalebat, & in errorem incidit ex defectu logicæ; ergo hęc necessaria est simpliciter.

713. Respondeo, hominem illum non tam ex defectu logicæ, quam ex tarditate ingenij incidisse in illud sophisma, quo si polleret absque præceptis sophysma cognosceret. Plerumque (ait ipse S. Augustinus de doctrina Christiana, cap. 33.) citius ingeniosus videt, non esse rectam conclusionem, quam præcepta eius capit, tardus autem eam non videt, sed multò minus, quod de ea pręcipitur. Vnde ille veritatem obiectivam non percaluit, quam si percaluisset, sophisma contemneret. Sicut quidam Pater cuiusdam sophistæ filij ex tribus sex ova probantis detexit. Ita dispositum fuit sophisma: *Vbi tria, ibi duo; vbi duo, ibi vnum; tria, duo, vnum, sunt sex; ergo hic sex sunt ova.* Responsio Patris ita. *Mihi duo, Matri tuæ vnum, reliqua tria sume tibi fili mi.* En quo modo sine logica possunt detegi, & fugi sophismata, immò & efficax argumentum efformari.

714. Objic. 4. Sicut se habet prudentia respectu actuum virtutum, ita logica actualis respectu actuum aliarum scientiarum, sed ad actus virtutum est physicè simpliciter necessaria prudentia; ergo ad actus scientiarum erit simpliciter physicè necessaria logica.

715. Resp. Distinguo maiorem, sicut se habet prudentia adquisita, Concedo; Prudentia naturalis, Nego. Prudentia naturalis est lumen naturalis rationis, cuius ductu homo operatur actus virtuosos, & virtuti conformes; vnde hæc se habet respectu actuum virtutum, non sicut logica artificialis, sed sicut logica naturalis respectu actuum scientiarum. Logica verò artificialis se habet sicut prudentia adquisita, quę ex repetitione actuum genita fuit, sicut logica artificialis; ideo quę prudentia adquisita non requiritur ad simpliciter, sed ad faciliter posse, ac pro inde secundum *quid*, ita logica artificialis. In super ideo prudentia simpliciter requireretur ad actus virtutum, quia omnis moralitas actus desumitur ex conformitate cum prudentia naturali, quæ est prima radix moralitatum, at ratio scientiæ non desumitur ex conformitate cum logica, sed ex conformitate cum obiecto.

716. Objic. 5. Omnis scientia reducit suas conclusiones ad prima principia, sed hæc reductio nequit fieri sine logicá: ergo. Probatur minor. Reductio est cognitio obiecti redacti ad principia; sed hæc nequit dari sine logicà: ergo.

717. Respondeo, distinguo minorem. Si sit reductio formalis, Concedo; obiectiva, Nego. Reductio potest esse vel ad probandam bonitatem consequentiæ, & structuræ syllogismi, hoc est, quod concessa maiori, & minori, nequeat negari consequentia, & hæc pertinet ad logicam; ad hanc enim recurrendum est vltimo, vel potest esse ad probandam bonitatem consequentis, hoc est impossibile; v. g. adesse solem, & diem non adesse. Hoc ad logicam non pertinet, nec ad eam recurrendum est. Hæc enim tantum vltima reductio, & non illa prima requiritur ad scientiam, ad quam logica solum est vtilis, non verò physicè simpliciter necessaria.

Obj-

718. Objic. 6. Licet Fides sit certa, non redditur certus intellectus, nisi per actum reflexum cognoscentem infallibilitatem nostræ fidei: ergo similiter intellectus non habebit certitudinem scientificam, nisi eam reflexé cognoscat.

719. Nota, argumentum non probare, non dari actus scientificos sine reflexione logicæ, sed intellectum reddi certum; se habere actus scientificos, per talem reflexionem, quod distinctissimum est: ergo potest elicere intellectus, & habere actus scientificos sine logica, licet non possit sine ea reflectere, & certificari; se ipsos habere. Assigno disparitatem inter Fidem, & scientiam. Per Fidem proponitur obiectum obscure, & ideo requiritur reflexa cognitio de eius infallibilitate, vt firmiter illi assensum præbeat intellectus, at verò per actum scientiæ ita clare, & evidenter proponitur obiectum, vt non requirat intellectus actum reflectentem, vt firmiter, & sine vlla hęsitatione illi assentiatur.

720. Objic. 7. Visio Beata licet sit æterna nō est Beatitudo, vsq; dum reflexè cognoscatur eius perpetuitas, & vsq; tūc manet intellectus anxius, & inquietus; ergo similiter, licet demonstratio sit evidens, non erit scientifica, vsque dum reflexè cognoscatur vt evidens, si quidem vsque tunc erit intellectus dubius de eius certitudine.

721. Nota primò idem quòd ad antecedens argumentum. Nota secundò Argumentum sibi implicare, dum supponit, cognitionem esse demonstrationem, & evidentem, & probat non esse scientificam, concedit namque definitionem, & negat definitum. Respondeo, assignando disparitatem primò quia beatitudo essent aliter constituitur per actum reflexum perpetuitatis, cum sit omnium bonorum aggregatio perfecta, exclusio que omnis anxietatis, & si tali reflexione careret, nec excluderet anxietatem omnem, careret que aliquo bono; at verò scientia solùm dicit obiecti evidentiam, & certitudinem, quæ excludit incertitudinem ex vi motivi assentiendi, quod salvatur sine logicæ reflexione. Secundò quia per visionem claram Dei nec exercité, nec signatè attingit beatus perperpetuitatem visionis: vnde cognitio reflexa requiritur. At cognitio evidens, licet non signatè, exercitè inducit certitudinem de existentia obiecti, & bonitatem illationis obiectivæ, quod sufficit ad scientiam.

722. Objic. 7. Contra secundam conclusionem. Ad actum virtutis requiritur physicè simpliciter habitus virtutis, sicut ad visionem Beatam Lumen gloriæ, ergo similiter ad actus scientiæ physicè simpliciter requiritur habitus.

723 Respondeo, quod si hic loquatur de habitu adquisito, admitto paritatem inter eum, & logicam habitualem respectu regularum logicæ, quia vterque adquisitus est per repetitionem actuum. Sed nego habitum adquisitum requiri physicè simpliciter ad actus virtutum, solum enim requiritur ad eos faciliús producendos, sicut logica habitualis; si vero loquatur de habitu supernaturali respectu actuum supernaturalium, nego paritatem, nam habitu supernaturalis infunditur ad simpliciter posse, & se habet sicut potentia, ita lumen gloriæ respectu visionis beatæ, quia potentię naturales sine habitu, seu comprincipijs supernaturalibus, nequeunt actus supernaturales producere. Non se habere ita logicam, satis probatum manet.

724. Objic. 9. contra tertiam conclusionem intendens probare, logicam esse necessariam ad adquirendas omnes scientias non solùm necessitate morali media, sed necessitate summá Theologica. Licet possit homo vnum, &

alte-

alterum militem superare integrum tamen exercitum vincere est illi moraliter imposib.le, egetque iuvamine necessitate summà: ergo licet sine logicá possit homo vnum, vel alterum actum elicere scientificum, at omnes elicere est illi moraliter impossibile, egetque necessitate summá logicæ iuvamine.

725. Nota. Intellectum humanum non posse elicere simultate actus omnes actus scientiarum, qui se habent velut exercitus invincibilis humano intellectui in eodem instanti, hoc tamen non provenit ex defectu logicæ; nam & simile logicis protegatur adhuc imbecillis manet, provenit enim hoc ex defectu capacitatis impotentis tot simul capere, vnde cum congressus cum actibus sit tantum cum singulis successivè, si aliquem potest vincere sine logica, & omnes etiam vincere potest. Hinc respondetur; concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est manifesta, nam per congressum cum vno, vel altero milite pugnatoris vires physicé enervantur, ita vt tandem languescat, & ex discrimine non adquirit, sed amittit vires, non firmior, sed infirmior evadit. At intellectus in actuū scientiarum elicientia, non solum non amittit, verum adquirit novas vires, visque ingenij acuitur, & vivacior fit ad elicientiam aliorum. Vnde rectè deducitur. *Potest intellectus vnum, vel alium actum elicere sine logica; ergo & omnes.* Non tamen, potest homo vnum, vel alterum militem superare, ergo & integrum exercitum.

726. Replicas. Sicut ex elicientia vnius actus scientifici non amittit intellectus vires, sed potiûs eas adquirit ad alios actus eliciendos, ita ex observatione vnius legis, & ex vitatione vnius peccati venialis non amittit, sed potiûs adquirit vires voluntas ad observationem alterius legis, & ad vitationem alterius peccati venialis, & tamen licet ad observantiam huius, vel alterius legis, erad vitationem huius, vel alterius venialis, non sit necessaria, necessitate summá morali, gratia Dei specialis, est summè moraliter necessaria ad observantiam totius legis, & vitationem omnium venialium; ergo similiter.

727. Gravissima inter Theologos difficultas cum logica difficultate miscetur. Quomodo scilicet possit homo vitare divisiuè singula peccata venialia, & observare singulas leges vnam post aliam sine speciali gratia Dei, & non possit vitare omnia collectivè, & observare omnes leges collectivè, cum omnia collectivè sint eadem, ac singula divisiue? Ego vt divisiue, & collectiue difficultates Theologicas procul á logicis reijciam.

728. Respondeo, assignando disparitatem, nam vires tam intellectus quam voluntatis taxare ad Theologos, Patres, & Concilia attinet; communiter Theologi, Patres, & Concilia asserunt, voluntatem moraliter non habere vires sufficientes ad vitanda omnia venialia simul sumpta, & observandam totam legen propter summam difficultatem, quæ in hoc relucet, & summam nostræ naturæ lapsę fragilitatem semper ad malum intentam. Licet habeat vires moraliter ad vitandum hoc, vel illud veniale. Hanc vel illam legem observandam, ita vt Deus per scientiam mediam prævideat nullum hominem vitaturum omnia venialia, licet possit ea vitare. Cum autem vires intellectus erga actus aliarum scientiarum non sint taxatę à Patribus, & Concilijs, immo à fere omnibus *Doctoribus* extendatur ad eos omnes actus physicê, & moraliter eliciēdos sine logicá, nec impotentia intellectus ad eorum elicientiam fundet scientiam mediam de non superanda á nemine difficultate, colligimus, intellectum potentem divisiuè vincere singulos actus scientiarum, posse etiam eos col-

collectiuê vincere. Videantur eximius Doctor, tract. 1. de Gratia lib. 1. cap. 24. num. 18. Acutissimus *Doctor* 1. 2. & disp. 133. Pater Ripalda, disp. 117. Sect. 2. & plures apud ipsum.

729. Objic. 10 In scientijs possunt occurrere aliquæ conclusiones, quarum illationes ex præmissis non sunt per se notæ, neque aptæ convincere, nisi reducantur ad aliquem modum syllogisticum primę figuræ, sed ad hanc reductionem est moraliter summe necessaria logica: ergo. Confirmatur. Licet natura habeat sufficientes vires ad sanitatem adquirendam, & vincendas graves infirmitates, ast potest ita gravis ęgritudo evenire, vt sit summè moraliter necessarius concursus artis Medicæ: ergo similiter.

730. Respondetur: distinguo maiorem. Nisi reducatur artificiosè, nego, naturaliter. Concedo. Potest enim intellectus, etsi difficilius, conclusionē minus notam palam facere, in talem formam illam disponendo, vt necessitet ad assensum. Sic sępe homines semel negatam conclusionem convincunt, etsi logicæ ignari sint; quia penetrando præmissas, & cōclusionem obiectivam, vel negatam, vel minus notam tali modo disponunt, vt notior, & patens fiat conclusio. Hoc maiori difficultate fit, sed non tali, vt inducat necessitatem moralem summam logicæ, & impotentiam moralem Theologicam in intellectu.

731. Idem dic de Medica facultate, scilicet non esse summè necessariam adhuc pro gravissima ęgritudine, quam se ipsa natura potest vincere, licet facilius Medicinę iuvamine illam vinceret, immo sæpe desperata á medicis salute á natura sine arte consequitur: ergo similiter eveniet in logica.

732. Objic. 11. Intendens, logicam non requiri adhuc morali illa media necessitate, & physica secundum quid. Inde deducimus, logicam non esse physicè simpliciter necessariam ad actus aliarum scientiarum, quia ad primos actus necessaria non fuit physicè simpliciter, sed ad eos neque physicê secundum quid fuit necessaria, ego neque ad alios.

733. Resp. Nego maiorem. Nam ad illos fuit necessaria logica secundū quid. Hoc est, ad primum actum, non ipse primus, sed alius individualiter, vel specificè distinctus fuit necessarius, qui cum non præcesserit ad illum, quem primum supponimus, talis primus actus elicitus fuit difficulter, & cum gravi periculo errandi, quo careret, si supponeret alium ante se.

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS
DE ENTE RATIONIS.

TRactatum hunc ad Metaphysicam pertinere, certum est, sed quia communiter in logica, præcipue á Manuscribentibus apponitur; eorum vestigijs insistens, hic laruas, & spectra eius detegere conabimur; tractatum hunc in duplicem disputationem dividemus. Primam de natura, & eius proprietatibus, secundam de eius causis.

DISPUTATIO I.

DE NATVRA ENTIS Rationis.

1. REvocandum est in memoriam, quod supra notavimus; scilicet ens rationis multifariam sumi. Primò, ens rationis *effectivè* dicitur, quidquid ab intellectu producitur, vt cognitiones, discursus, &c. Secundò, ens rationis *subiectivè* dicitur, quidquid in intellectu subiectatur, vt cognitiones. Tertiò, ens rationis *fundamentale* dicitur, quidquid est fundamentum, vt intellectus aliquid fingat, vt privationes, negationes, &c. Quartò, ens rationis *obiectivè* dicitur, quod habet esse in intellectu fingente obiectivè. *De* hoc vltimo in præsenti, vtpotè de Ente rationis propriè, & rigorosè, loquimur.

SECTIO I.

VTRVM DETVR ENS rationis distinctum ab Ente reali?

2. PRima sententia negat, dari ens rationis absolutè. Ita *Durand.* & alij solo vocum *ens*, & *rationis* scrupulo laborantes, iudicant enim, eas solis entibus realibus posse applicari. *Durandum* in conclusione sequuntur Caram. in methalogia lib. 2. num. 122. Spinula disp. 4. logicæ sect. 2. conclusione vnica num. 33. & aliqui Moderni Aurelianæ familiæ; legi Spinulam, audivi in publicis dissertationibus Aurelianos Modernos; & neque hi, neque ille re ipsa negant ens rationis, sed ens rationis distinctũ ab ente reali, seu Idolum intrinsecè fictum; Spinula namque asserit Chimæram, Hircoservum, &c. quæ entia rationis intrinsecè ficta communiter appellantur, non distingui à cognitione Chimæræ; sed in ipsamet cognitione consistere, quæ quidem cognitio est ens reale. Aureliani asserunt *hominem Equum* v.g. non distingui ab homine, Equo, & identitate reali inter animal, & rationale v.g. cuius speciem aliàs

aliàs habebat intellectus, quamque ponit inter hominem, & Equum, & quia ibi applicatur identitas, vbi non erat; dicitur intellectum effingere; vnde cum *homo Equus*, & identitas inter animal, & rationale sint entia realia, non datur Idolum fictum distinctum ab ente reali.

3. Uehementer displicent. Aliud est, non dari ens rationis; & aliud non dari ens rationis distinctum ab ente reali; sicut aliud est non dari vnionem inter materiam, & formam, quod nemo dicet; & aliud non dari vnionem a materia, & forma distinctam, quod Schola Thomistica contra Iesuiticam communiter tenet. Aliud, non dari potentias animæ, intellectum nempe, & voluntatem, quod nullus huc vsque somniavit; & aliud, non dari potentias distinctas ab anima, quod fere omnis Schola Iesuitica contra Thomisticam tuetur; & aliud, non dari subsistentias in Divinis, quod est error in fide; & aliud, non dari subsistentias distinctas realiter á natura, quod est fidei dogma, & sicut male audiret ab omnibus Thomista, qui assereret; non dari vnionem inter materiam, & formam; & postea probaret non dari vnionem distinctam á materia, & forma; ita Spinula, & Moderni citati merito ab omnibus malè debent audiri, cum absolutè negent; dari ens rationis, & postea probent, non dari ens rationis distinctum ab ente reali.

4. Neque aliquid speciale defendunt, cum idem ipsum defensaverint Pater Erice 1. parte, disp. 8. cap. 1. Hemelman, Card. Palav, Linceus libro 4. metaphysicę tract. 1. n. 4. Quiros disp. 23. num. 53. Displicet etiam prædicta *Do*ctrina, primò quia licet extrema sint realia, identitas illa posita inter ea ab intellectu est impossibilis, & ficta; probatur: nam identitas quæ nectit alia extrema ab eis, quorum est identitas, est impossibilis. Item vi illius cognitionis *homo est equus*, mutatur essentialiter talis identitas, nam si per possibile, vel impossibile adderetur alicui essentiæ aliquod prędicatũ, essentialiter mutaretur, non secus ac si illi aliquod prædicatum essentiale adimeretur, atqui vi illius cognitionis *homo est equus*, additur illi identitati reali *animalis*, & *rationalis* aliquod prædicatum essentiale, nempe afficere, & identificare *hominem* & *equum*: ergo essentialiter mutatur: ergo iam non est eadem illa identitas realis, sed alia impossibilis & chimęrica.

5. Secunda sententia affirmat, dari ens rationis obiective fictum adæquatè ab omni ente reali; ita vt obiectum huius actus *homo est equus*, sit non solùm identitas ficta, sed etiam *homo fictus*, & equus fictus, est enim obiectum ipsius non *homo* & *equus* vt cumque, sed homo capax identitatis cum *equo*, & *equus* capax identitatis cum *homine* sunt *homo*, & *equus*, chimęrici: ergo obiectum actus factivi entis rationis est distinctum adæquatè ab ente reali. Ita Pater Smig. in Logic. disp. 1. vsque ad 9. Sancta Cruz num. 166. & communiter RR. cum P. Maza tract. 2. s. 2.

6. Displicet primò: quia hæ propositiones contradictoriæ opponuntur, *homo est equus, homo nõ est equus*: ergo debent habere idem predicatum, idemque subiectum, nã contradictoria sunt eiusdẽ de eodẽ; hoc est, affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto; sed subiectum, & prędicatum propositionis negatiuæ veræ non est *homo* & *equus* ficti, sed *homo*, & *equus reales*: ergo subiectum, & prædicatum propositionis affirmativæ falsę, indeque factivæ, entis rationis, non est *homo* & *equus* ficti, sed reales; aliás si secunda propositio negaret de homine reali equum realem, & prima afirmaret de homine ficto equum fictum, non haberent idem subiectum, cum *homo* realis non sit *homo* fictus; nec

idem

idem prædicatum, cum *equus* realis non sit *equus* fictus.

7. Secundò eijsdem apprehensionibus determinatur quis ad dicendum *homo, est equus ac homo non est equus*, ergo vtrumque iudicium habet idem subiectum, & idem prædicatum; nam subiectum, & prædicatum iudicij sunt, quæ per prævias apprehensiones cognita præcessere, sed cognitio vera repręsentat pro subiecto hominem realem; & pro prędicato equum realem: ergo eosdem repręsentauit cognitio falsa.

8. Tertio, sequeretur, propositiones hæreticas esse veras v. g. *Deus non est trinus, & vnus; non est omnipotens. Christus non est Deus, non fuit passus pro salute humana &c.* Patet, nam negare de Deo ficto v. g. *Mercurio*, esse trinum, & vnũ, esse Omnipotentẽ, negare quę de Christo ficto v.g. Simone Mago esse Deum, & fuisse pro salute hominum, passum, est verum, sed per vos Deus, qui se habet vt subiectum primæ propositionis non est Deus realis, sed fictus, & Christus qui se habet vt subiectum secundę propositionis est Christus fictus, & non realis; ergo. Insuper hæc propositio erit vera *homo potest esse equus*. Probatur: ideo hæc propositio est vera; *Deus potest esse homo*, quia subiectum, de quo loquitur, habet capacitatem ad vnionem cum natura humana, & prædicatum habet capacitatem, vt vniatur cum Deo, sed per vos subiectum, de quo loquitur illa propositio *homo potest esse equus*, est *homo* capax identificari cum *equo*, & prędicatum est *equus* capax identificari cum *homine*: ergo est vera.

9. Tertia sententia tenet; in ente rationis vnionem semper esse fictam, extrema vero posse esse realia. Ita patres Hurtado, Arriaga, Oviedo, Izquierdo, & Alij.

10. Non placet, primò. Ideo per vos identitas non est realis sed ficta, quia per talem actum *homo est equus* v. g. non repræsentatur identitas vt cumque, sed identitas, vt possibilis inter hominem, & equum, & similiter per talem actum non repræsentatur *homo*, & *equus* vt cumque, sed vt identificabiles inter se: ergo similiter *homo*, & *equus* nequeunt esse reales. Secundò. Ideo per vos identitas inter hominem, & equum non est realis, quia si rogaretur efformans illud ens rationis, responderet; se non loqui de identitate reali possibili; sed de alia omnino distincta, sed ob eandem ipsissimam rationem, si rogaretur, etiam responderet; se non loqui de homine, & equo realibus, & possibilibus, sed de alijs omnino distinctis: ergo.

11. Ante conclusionem nota primò ex dictis. Dari ens rationis re ipsa siue distinctum siue in distinctum ab ente reali, non posse dubitari; cum certum sit, dari cognitiones falsas, & actus fingentes, attingentes quę obiecta aliter ac sunt in se; experientia enim compertum est, sæpe homines falli, & inter otiandum montes aureos, chimæras, regias dignitates, honoresque Divinos sibi fingere, hęc omnia Entia rationis appellantur: ergo datur ens rationis.

12. Nota secundò. Ens rationis communiter ita definiri: *Id quod habet totum suum esse obiectivè in intellectu fingente*: hoc est, concipiente rem aliter, ac est in se practicè. Aliqui ab hac definitione auferunt ly *fingente*; vt asserant, ens rationis fieri per actum verum, ac proinde per intellectum Divinum; sed hoc est, reddere totum hunc tractatum ad pura nomina, quod autem non debeat in definitione expungi ly *fingente*, Probatur primo ex communi tam Phylosophorum, quam Theologorum consensu, à quo in quęstione denomine sine vrgenti necessitate recedendum non est, quæ necessitas hic non relucet. Secundo. Ex vulgari intelligentia; nã pro ente rationis, ens fictum statim ex ipsa

ipsa voce intelligimus. Tertio. Ex Angelico Præceptore opusc. 42. cap. 1. dicente: *Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, fingendo ac si esset*: quid clarius? Vnde cognitio entis rationis factiva, seu vt melius loquar, entis rationis fictiva, est cognitio rei aliter ac est in se practice.

13. Si vero Roges, quid sit illud esse obiectivum, quod habet ens rationis ab intellectu fingente? Respondeam, nil aliud esse, quam esse obiectum actus, seu cognosci, aut esse cognitum per actum. Vnde esse obiectivum in potentia est denominatio extrinseca ipsi communicata, sive actus sit verus, sive falsus; in hoc tamen distinguitur obiectum, quod denominatur ens rationis, ab eo quod ita non denominatur, quod illud accipit esse obiectivum intentionalem disconforme cum suo esse Physico, hoc est, denominationem *cogniti* aliter ac est in se. Hoc vero accipit esse obiectivum intentionale conforme cũ suo esse physico, hoc est, denominationem *cogniti* sicuti est in se; ideoque denominationem entis ficti, seu entis rationis non accipit.

14. Nota tertiò. Modum disconvenientem, ratione cuius cognitio est falsa, obiecto quę difformis, non esse aliquid obiectivè superadditum, seu aliquod Idolum intrinsece fictum, quod ex parte obiecti, non sit realiter possibile, nec impossibile, distinguatur que ab obiecto reali, & cognitione fingente; sed esse specialem modum tenendi actus affirmative, vel negativè, qui quidem nihil ponit in obiecto intrinsecè; sed solum extrinsecè illud denominat. Vnde idem met obiectum invariatum hoc modo cognitum, constituet ens rationis, alio vero modo cognitum illud non constituet. Quod videri potest ex quadam Divi Gregorij doctrina Homilia 23. in Evangel. Vbi *fingere namque componere dicimus; vnde compositores luti figulos vocamus.* Exemplum Gregorij mirabile est ad rem, sicut enim ex eadem massa lutea invariata quoad entitatem, iam vas ad honorem, iam vas ad contumeliam efformat figulus; solũ hac, vel illa collocatione materiæ mutata hoc, vel illo modo collocata, ita intellectus noster tanquã dexterrimus figulus, ex eijsdem entibus realibus, tanquã ex materiá entia rationis fictitia specierũ mixtarum, quasi rotabili inversione iuvãte componit, solum variato modo attingendi talia entia.

15. Nota quartò. Materiam circa quam affirmationis, vel negationis esse triplicem, necessariam, impossibilem, & contingentem, ex quibus vna quæque suum modum repræsentandi exigit vt sit ipsi proportionatus, & conformis. Materia necessaria modum affirmativum exigit, v. g. *homo est animal rationale*; vnde modus negativus erit illi disconformis; v. g. *homo non est animal*: ac proinde ens rationis constituit cum tali materia. Materia impossibilis modum negativum exigit, v. g. *equus non est homo*: vnde modus affirmativus erit illi disconformis, *equus est homo*: & cum illa ens rationis efformabit. Materia contingens, non exigit modum determinatè, si obiectum existat pro tempore quod verbum affirmativè connotat, erit vera propositio, conformis quę materiæ significatę, vt si diceret, *Sol existit*, si vero non existat obiectum, erit falsa, & disconformis materiæ, vt *Antichristus nunc existit*; & constituet ens rationis. E contra vero, eveniet in negativa, en totus modus repręsentandi rem aliter ac est in se, nil superaddit obiectivum, sed se tenet ex parte actus.

16. Quod vlteriús clarè ostendo supposita sententia probabili asserente, eundem actum posse transire, de vero in falsum. Hic actus Petrus currit, currente Petro est verus; non currente Petro, est falsus, ergo *concurrente Petro*, non

non producit Idolum distinctum à *Petro, cursu, & ipso actu*, sed tātum illud obiectum extrinsecè denominabit cognitum sicuti, vel aliter ac est in se: patet consequentia, quia ille actus, currat, vel non currat Petrus invariatus manet, sed Petro currente, non producit Idolum: ergo Petro non currente, Idolum non producit.

17. Conclusio *Ens rationis consistit in complexo obiecti realis, & cognitionis illud modo disconformi, seu aliter ac est in se attingentis, denominatis que illud fictum.* Itaque obiectum actus fingentis non est aliquid intrinsecè fictum, distinctumque ab ente reali, sed sunt entia realia, actus que dicitur fingens, quatenus ea malè, & inordinatè conspicit. Ita noviter sapientissimus P. N. Generalis Pater Thirsus Gonzalez tomo 1. disp. 9. numero 17. & sapientissimus meus in Theologia Magister, P. Nicolas de Olea d.63. quem in omnibus primum alij ingeniosi Neoterici postea secuti fuere.

18. Probatur primò, & simul explicatur conclusio. Sicut obiectum denominatur cognitum á cognitione, ita denominatur taliter cognitum á tali cognitione; v.g. *Deus* denominatur cognitus à cognitione creatá, & taliter cognitus, comprehensus scilicet á sua propriâ cognitione, quia hæc est taliter cognitio, scilicet comprehensio, hoc est, cognoscit obiectum, quantum ipsum petit cognosci: ergo similiter hæc cognitio *homo est animal*, denominabit hominem cognitum, & hęc: *homo non est animal.* eundem hominem *fictum* denominabit: quia talis cognitio est fictio, hoc est cognoscit obiectum aliter ac est in se; tum sic: ergo hoc concretum *homo fictus* est complexum ex homine tanquam ex materiá, & ex fictione, seu cognitione eum aliter ac est in se attingente, tanquam ex formâ; sed ens rationis est ens fictum: ergo consistit in complexo obiecti realis, & cognitionis fingentis, seu obiecto disconformis.

19. Confirmatur. Ens rationis est, quod habet suum esse obiectivè in intellectu fingente; sed habere suum esse obiectivè in intellectu fingente, consistit in denominatione extrinsecá obiecto á cognitione communicata: siquidē solùm est cognosci obiectum á potentiâ, seu obiectum esse cognitum, vt probatum manet in secundo notabili: ergo.

20. Probatur secundò conclusio, quod scilicet cognitio ingrediatur constitutionem entis rationis. Illud est constitutivum alicuius rei, quo ablato manentibus omnibus alijs, non manet res, sed ablata solùm cognitione fingente, & manente toto obiecto illius, non manet ens rationis: ergo cognitio fingens est cōstitutivum illius. Maior excōmuni consensu Phylosophorum nunc supponitur: hæc cognitio: *homo est equus*, est fictiva entis rationis: sed ea solum ablata, & toto illius obiecto manente, non manet ens rationis: ergo. Probatur minor totum obiectum illius manet in eius contradictoria: *homo non est equus*, alioquin, si idem obiectum non maneret respectu contradictorię, contradictoria non esset, sed obiectum huius propositionis, *homo non est equus*, non est ens rationis: ergo actus fingens est constitutivum illius.

21. Probatur tertiò. Obiectum actus fingentis prout ab ipso actu distinctum ante omnem operationem intellectus, vel repugnat existere, vel non repugnat existere? Inter has enim contradictorias nullum est medium, aliàs possent esse simul falsæ; sed si non repugnat existere, est ens reale positivū, & si repugnat existere, est ens reale negativum, vt per se patet, & constat ex definitione entis realis negativi, & entis realis positivi: ergo obiectum actus fingentis, seu ens rationis obiectivum non est ens intrinsecè fictum, distinctū que ab omni ente reali.

22. Probatur quartò. Non minus facit ens rationis, qui dicit *Petrus est equus*, ac qui diceret, *Petrus est omnino incognoscibilis, seu in intelligibilis*, sed hic secundus actus non repræsentat ex parte obiecti omnimodam incognoscibilitatem; nam eo ipso quod illam repręsentet, illam cognoscit, neque repræsentat Petrum distinctum ab omni cognoscibili: ergo similiter primus actus, *Petrus est equus*, non repręsentat Petrū distinctum ab omni ente reali.

32. Probatur denique argumento desumpto à contradictorijs, quæ debent habere idem subiectum, idemque prædicatum, posito iam supra n.6.

SVBSECTIO I.

EVASIONES ADVERSARIORUM ad argumenta posita.

24. AD tertium argumentū respondēt Adversarij primò. Quod licet obiectum cognitionis fingentis sit ante omnem fictionem repugnans existere, realiter que impossibile, tamen non cognoscitur vt impossibile, sed vt possibile, & vt non repugnans existere: ergo iam ex parte obiecti correspondet cognitione fingenti aliquid distinctum ab ente reali, nempe possibilitas, & nō repugnātia repugnātis.

25. Contra primò. Idem instauratur argumentum. Vel illa positiva possibilitas impossibilis, & non repugnantia repugnantis est repugnans ante omnem fictionem, vel non est repugnans? Si primum: ergo est ens reale positivum. Si secundum: ergo est ens reale negativum.

26 Contra secundò. Licet cognitio factiva entis rationis attingat impossibile vt possibile, & repugnans vt non repugnans, hoc totum se tenet ex parte modi attingendi actus disconformis materiæ, cui applicatur affirmatio, vel negatio, non verò eo quod ex parte obiecti ponatur aliquid intrinsecè fictum distinctum ab obiecto, & cognitione. *De* hoc iam satis.

27. Respondent secundò ad idem argumentum negando suppositum illius, quod scilicet ante omnem operationem intellectus detur ens rationis obiectivum. Prius enim, inquiunt, est, an sit res? Postea vero quid sit; hoc exemplo se explicant, si aliquis rogaret ita, quis melius cantat scamnum, an paries? Certè negaretur illi suppositum, quod scilicet scamnum, & paries cantent. Prius enim est quod cantent, postea verò quod melius, vel peius cantent; ita nobis rogantibus. An ens rationis ante omnem operationem intellectus repugnet, vel non repugnet existere? Rectè negatur suppositum, quod scilicet ante omnem operationem intellectus sit ens rationis; Prius enim est quod sit, postea verò quod repugnet, vel non repugnet.

28. Suo se gladio iugulant Adversarij. Ideo rectè negatur suppositum in exemplo cantus scamni, vel parietis, quia melius, vel peius canere non est primum esse cantus, sed secundum esse, & parietem melius, vel peius canere, nō est propositio de secundo, sed de tertiô adiacente supponens propositionem de secundo adiacente, nempe scamnum, & parietem canere; sed repugnantia, vel non repugnantia rei ad existendum est primum esse rei, si quidem est eius possibilitas, vel impossibilitas ipsius, non verò secundum esse; & repugnare, vel non repugnare aliquid, non est propositio de tertio; sed de secundo adiacente, vt per se patet; quid enim supponit ante se possibilitas, vel impossibilitas? Ergo primum argumentum manet inconcussum. Vnde sicut malé mihi ita

roganti; paries, & scamnum, vel cantãt, vel non cantant? Negaretur suppositum ita: Nego suppositum quod cantent, cum talis propositio nil supponat, ita malê nobis negatur suppositum, quod ens rationis sit ante omnem fictionem, cum rogamus; vtrum repugnet, vel non repugnet existere? Cum hæc interrogatio nil supponat.

29. Item tunc rectè negatur suppositum, quando id, quod inquiritur, licet supponat necessariò aliud, non includitur in illo, quod supponitur, vt patet in exemplo allato; melioritatis cantus scamni, præ cantu parietis, quæ melioritas supponit cantum, sed in cantu non involuitur, & ratio est quia si involueretur in illo, iam non esset suppositum, sed ipsummet supponens, sed in ipsomet esse alicuius rei involuitur repugnantia, vel non repugnantia ad existendum; cum esse entis positiui definiatur, per non repugnantiam ad existendum, & esse entis negatiui, per repugnantiam, sicut homo per animal rationale; ergo sicut animal rationale, non supponit hominem; sed est ipse homo; ita repugnantia, vel non repugnantia ad existendum non supponit esse rei, sed est ipsummet esse: ergo suppositum illud perperam negatur.

30. Ad adgumentum desumptum á contradictorijs respondent, solûm versari circa idem obiectum virtualiter, & æquiualenter idem; in ordine ad repugnantiam veritatis, vel falsitatis, non vero realiter, & formaliter idem. Vnde licet obiectum huius propositionis, *Deus non existit* sit Deus fictus, & obiectum huius *Deus existit*, Deus realis, cum Deus fictus, & Deus realis sibi equivaleant in ordine ad hoc, vt vtraque propositio illa neque sit vera, neque falsa, simul, erunt contradictoriæ.

31. Contra primò. Ergo hę propositiones erunt contradictoriæ *Petrus currit, Paulus non currit*. Probatur consequentia; magis sibi æquivalent, & sunt virtualiter idem *Petrus, & Paulus*, quam *Deus* verus, & *Deus* fictus, siquidem Petrus, & Paulus in pluribus conveniunt, & in nihilo conveniunt *Deus* verus, & *Deus* fictus.

32. Si tamen dicas, Deum verum, & fictum sibi æquivalere in ordine ad veritatem, & falsitatem propositionum, quia scilicet ita impedit *Deus fictus* veritatem huius propositionis *Deus non existit*, ac si esse Deus verus.

33. Contra erit, nam si obiectum huius propositionis *Deus non existit* est *Deus* fictus, nõ impedit veritatem ipsius sed potiùs ipsam verificat; nam verissimum est Deum fictum non existere. Vnde iam insipiens non erit ille, de quo Psalmista ita: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*; Item nec hæreticus, qui negaret Deum esse trinum, vel huic thimemati responde: Vel hæreticus negat esse Trinum de Deo, de quo fides Catholica affirmat, vel non? Si primum: ergo de Deo vero, & non ficto; si secundum: ergo Hæreticus non erit, sed potius actus fidei perfectissimæ eliciet, meritorium que vitæ æternæ.

34. Contra secundò. Hæ propositiones: *Petrus est ens reale Petrus non est ens reale*, non erunt contradictoriæ. Probatur, sunt simul veræ: ergo non contradictoriæ. Probatur antecedens, prima est verá; sed etiam secunda: Ergo. Probo minorem. Tunc aliqua propotitio est vera, quando subiecto convenit prædicatum ipsius; sed Petro, qui est subiectum illius propositionis, convenit illud prædicatum scilicet non esse ens reale: Ergo. Probo minorem. Ens fictum per vos non est ens reale; sed Petrus qui se habet vt subiectum illius propositionis est ens fictum per vos: Ergo non est ens reale, ergo illa propositio erit vera: Argumentum convincit.

35. Respondent secundò alij. Propositiones habere duplex obiectum, signatum, & exercitum: obiectum signatum supponitur ad actum, & est illud, quod actus signat expressè, & de quo cognoscens, si rogetur, rationem reddet: obiectum exercitum est, quod actus expra va sui repræsentatione præbet intellectui prospiciendum, & circa quod actus practicè procedit, v. g. obiectum signatum huius actus *homo est equus*, est homo realis; obiectum vero exercitum, & practicê productum ab actu est homo fictus, ad oppositionem ergo contradictoriam non requiritur, quod propositiones habeant idem obiectum exercitum, sed sufficit, quod habeant idem obiectum signatum.

36. Contra primò. Hæc distinctio obiectorum est omnino chimęrica; rogo obiectum exercitum provt exercitum, vel repræsentatur ab actu, vel non? Si non repręsentatur: ergo nullo modo est obiectum, cum actui nullo modo obijciatur: si repræsentatur: ergo est obiectum signatum, aut repræsentatum. Rogo iterum: obiectum signatum, vel est propiè obiectum actus, vel non; sed solùm quoad sonum vocis dicitur obiectum, sicut dicitur voluntas signi ea, quę sonat, & non est voluntas? Si est propie obiectum actus: ergo est obiectum exercitum seu circa quod exercetur actus, nil enim aliud videtur obiectum exercitum significare. Si non est reipsa obiectum, sed solúm quoad voces? Contra primò. Ergo illæ propositiones re ipsa non sunt contradictoriæ, sed solúm sonant contradictionem, cum re ipsa idem obiectum non habeant. Contra secundo. Ergo hæ proposiciones: *Petrus currit, Petrus non currit*, erunt contradictoriæ, etiam si re ipsa de distinctis subiectis verificentur, cum sonent contradictionem, & quoad voces videantur idem habere subiectum.

37. Contra tertiò. Ergo re ipsa propositio non habet obiectum, de quo cognoscens rationem reddit, & ait, se in tali propositione loqui de quo re ipsa non loquitur in illa. Patet consequentia, homo de quo re ipsa loquitur illa propositio, & quem habet vt obiectum, per vos, est homo fictus; sed cognoscens reddit rationem, ait que, se loqui de homine vero: ergo non est idem obiectum, quod re ipsa cognoscit, & de quo loquitur, ac illud de quo reddit rationem, & ait se loqui; vnde falsò dicet cognoscens, se loqui de homine vero, cum de homine ficto loquatur.

38. Respondent alij. Tertiò. Quod licet propositiones contradictoriæ debeant idem subiectum, & prędicatum habere, non tamen idem obiectum, sed potius diversa. Probatur primo. Ad contradictionem debet esse vna propositio affirmativa, adque adeo repræsentativa vnionis obiectivæ prædicati cum subiecto, & altera negativa, ideoque repræsentativa divisionis inter prædicatum, & subiectum; sed vnio, & divisio, non sunt idem obiectum, sed diversũ: ergo. Confirmatur. Obiectum propositionis affirmativæ resultat ex subiecto prædicato, & vnione. Obiectum vero negativę ex subiecto, prędicato, & divisione; sed concretum resultans ex subiecto, prædicato, & vnione saltem inadęquatè distinguitur á concreto resultante ex subiecto prædicato, & divisione: ergo.

39. Probatur secundò. Oppositio propositionum est in repræsentando obiecta opposita in essendo; versatur enim inter esse, & non esse rei: ergo obiecta debent esse opposita in essendo, ac proinde distincta. Hoc confirmatur ex quadam doctrina Cardinalis de Lugo disp. 1. de Pœnitentia á num. 17. vbi asserit; omnem propositionem negativam esse simul affirmativam, vnde hæc propositio, *Deus non existit*, licet neget existentiam realem Dei, affirmat etiam carentiam talis existentiæ, quæ quidem carentia est intrinsecè ficta, & á propositione

sitione affirmativa non attingitur: ergo non debent habere idem obiectum.

40. Contra, & Nota doctrinam maximè necessariam ad quæstionem præsentem desumptam ex Patre Arriaga disp. 3. de Pænitentia, á n. 27. sectionis 31. & ex Patre Thirso supra n. 37. Propositio affirmativa v. g. *Petrus est equus* non repræsentat ex parte obiecti aliquam specialem identitatem distinctam ab extremis realibus, sed solùm repræsentat extrema ea coniungendo ex modo repræsentandi. Similiter propositio negativa; v. g. *Petrus nō est equus*: non repræsentat ex parte obiecti aliquā divisionem, seu carentiam vnionis ab extremis realibus distinctam; sed ea ex modo speciali tendendi intentionaliter repręsentat, ac dividit. Unde ex parte obiecti idemmet equus, idemque Petrus absque addito identitatis, vel carentiæ identitatis, aut divisionis ab ipsis entitatibus *Petri*, & equi distinctarū, se habent vt obiectum vtriusque propositionis, tam affirmativę, quam negativæ, quin ly *est* propositionis affirmativæ correspondeat aliqua identitas specialis, nec ly *non est*: propositionis negativæ aliqua specialis carentia, aut negatio identitatis; sed tota specialitas se tenet ex parte modi repręsentandi, qui quidem modus denotatur per illas copulas *est*, & *non est*. Sicut hæ propositiones. *Petrus*, & *Paulus currit*. *Petrus, vel Paulus currit* idem omnino obiectum repræsentant; & non aliquam specialem formalitatem, quę sit desiunctio, & correspondeat ly *vel* secundæ propositionis, aut sit coniunctio, & correspondeat ly & primæ; sed ly *vel*, & ly & denotant speciales modos tendendi actuum in idem obiectum. Hęc doctrina nostris principijs maximè cōformis in memoriam revoca, quę docui disputatione primá Summularum sectione 7. scilicet vnionem formalem logicalem non desumi ab obiecto; vnde in propositione negativa vnionem formalem statuimus; ab exercitio enuntiandi, & non ab obiecto desumptam.

41. Advertenter dixi, *non correspondere specialem identitatem, aut divisionem distanctam abentibus obiectivis, propositionibus affirmativis, & negativis*; quia si vis, potes dicere, illis correspondere identitatem, & divisionem indistinctam abipsis extremis, ac proinde idem correspondere vtrique propositioni affirmativæ, & negativę, nam cum entitas *Petri*; v. g. se ipsa sit divisio abentitate equi, & sit identitas imposibilis cum equo, divisio ab equo, & identitas imposibilis cum eo idem sunt, seu sunt eadem entitas *Petri*, quæ cognita, per propositionem negativam exercet officium divisionis, & cognita per propositionem affirmativam exercet officium identitatis, re ipsa tamen imposibilis sed cognita modo disconformi, nam modus conformis materiæ imposibili, non est affirmativus: vnde falsum est, quod asseritur in prima confirmatione, scilicet obiectum propositionis affirmativæ resultare ex subiecto prædicato, & vnione, cum talis vnio distincta, & specialis non correspondeat ex parte obiecti.

22. Item, quod asseritur in secunda probatione contradictionem scilicet esse *in repraesentando obiecta opposita in essendo, seu inter esse, & non esse obiectivum*, est omnino falsum; tota namque oppositio salvatur in modo repræsentandi idem obiectum, iam affirmativè, iam negativè, quin ex parte obiecti requiratur aliqua oppositio, seu aliquod esse, & non esse obiectivum. Nam circa idem *esse*, & circa idem non *esse* datur in propositionibus oppositio.

43. Doctrina Cardinalis de Iugo optimè impugnatur ab Arriaga loco citato: primò, quia sicut experimur inmente puram affirmationem, ita & puram negationem, vel dicat, cur propositio

sitio negativa erit mixta affirmatione, & propositio affirmativa non esset mixta negatione? Vel quo argumento nisi desumpto ab experientia, impugnari potest caram. Asserens, propositionem negativam esse purê affirmativam? Secūdò cur sicut datur purum odium; quin aliquo amore carentiæ obiecti permisceatur, cur etiam pura negatio non dabitur absque affirmationis permissione? Tertiò quia non rectè divideretur propositio in affirmativam, & negativam cum negativa, etiam esset affirmativa; sicut non recte dividuntur animal in *hominem*, & *rationale*, quia vnum membrum dividens nempè homo includit aliud nempe *rationale*. Denique de vtraque propositione eodem modo discurrendum erit: quapropter si negativa dicatur virtualiter affirmativa, etiam affirmativa virtualiter negativa debet dici.

SVBSECTIO II.

ALIQVIBVS OBIECTIONIBVS fit satis.

44. OBij. primò. Per nos ens rationis est, quod habet totum suum esse obiective in potentia fingente: ergo non habet esse reale, aliás iam haberet aliquod esse independenter a tali potentia, & consequenter totum suum esse ab ea non haberet.

45. Respondeo, quod licet materia entis rationis habeat totum suum esse intrinsecum independenter ab intellectu, attamen totum suum esse extrinsecum a b intellectu accipit; nam eo modo quo repręsentatur ab actu fingente, solum habet esse in actu. Hoc est, licet hircus, & cervus habeant suum esse reale divisivè, & per modum plurium; attamen simul sumpti, & permodum vnius non habent esse in se conforme tali repræsentationi, sed solûm in ipsa repræsentatione, seu vt repræsentati; cumque repræsentatio sit extrinseca obiecto, seu obiectum vt repræsentatum sit denominatio extrinseca, & hoc solùm significet ly *habere totū suum esse obiectivé* inte est quod ens rationis, & sisit intrinsecè ens reale, dicatur habere totum suum esse obtitivè á potentia fingente.

46. Replicabis primò. Ergo etiam cum dico *Petrus est homo*: Petrus, & homo habebunt totum suum esse obiectivè in intellectu, quia licet *Petrus* & *homo* habeant esse in se, attamen vt cogniti solum habent esse in cognitione.

47. Respondeo primò. Concedo totum, sed quia non habent esse obiective in inpotentia fingente, hoc est cognoscente *Petrum*, & *hominem* aliter ac sunt inse, sed inpotentia eos, vt sunt in se, modo affirmativo proportionato materiæ necessariæ repręsentante, non sunt ens rationis; aliter *hircus*, & *ceruus* cum habeant esse obiectivè in potentia fingente, hoc est, repræsentante eos eo modo, quo non sunt, modo scilicet affirmativo improportionato materiæ imposibili, ens rationis componit, in hoc actu: *Hircus est ceruus*.

48. Respodeo secundò. *Petrum*, & *hominem* habere esse intrinsecum eo modo, quo per illum actum repræsentatur, scilicet per mododum vnius, vnde totum suum esse habere non dicuntur in modo cognoscendi; at vero *hircus*, & *cervus*, eo modo quo repræsentantur nullum habent esse intrinsecum in se, sed solum extrinsecum incognitione, vnde dicuntur habere totum suum esse in potentia fingente.

49. Instas, ergo saltem ille modus, quo cognoscuntur *hircus*, & *cervus*, per modum vnius, erit intrinsecè. Respondetur, nego consequentiam; quia modus ille est ipsemet cognitio, quæ est terminus realis productionis intel-

 lec-

lectus,& licet sit fictio, non est ficta, sicut licet intellectus sit fingens, ipse non fingitur.

50. Instas iterum; sed cognitio fingens est ens rationis: ergo. Probatur antecedens, ens rationis est: quod habet totum suum esse ab intellectu fingente; sed cognitio fingens habet totum suum esse ab intellectu fingente: ergo. Probatur minor. Hic & nunc producitur cognitio fingens ab intellectu: ergo habet totum suum esse hic, & nunc ab intellectu; sed hic, & nunc intellectus est fingens: ergo habet totum suum esse ab intellectu fingente.

51. Resp. Distinguo minorem, est ens rationis formaliter, nego: effective, concedo. Ad probationem. Nota, á definitione in ea ablatam esse particulam *obiectivè*: in qua distinguetur ens rationis formale ab ente rationis effectivo. Certum est, cognitionem fingentem produci, ac proinde habere totum suum esse effectivum ab intellectu. Ex quo solum sequitur, esse ens rationis effectivum, non vero habet totum suum esse obiectivè in intellectu fingente, hoc est, non se habet vt obiectum intellectus concipientis illam aliter ac est in se, modo disconformi, vnde non est ens rationis formale.

52. Replicabis secundò. Si habere esse reale non obstat quominus aliquid sit simul ens rationis, Verbum Divinum esset ens rationis. Probatur. Verbum Divinum habet totum suum esse obiectivè in intellectu Patris: ergo erit ens rationis. Respondeo, Verbum Divinum habere totum suum esse obiectivum in intellectu Patris cognoscente illud modo conformi, & physicè illud generante, non fingente, & cognoscente illud aliter ac est in se; vnde non est ens rationis.

53. Obijc. 2. Ea, quæ opponuntur, distinguntur, sed ens rationis, & ens reale opponuntur: ergo distinguntur: ergo ens rationis est quid intrinsece fictum, distinctum que ab ente reali.

54. Resp. Distinguo maiorem, eo modo, quo opponuntur, concedo: alio modo, nego. Ens rationis, & ens reale opponuntur, sicut opponuntur totum per accidens, & totum per se, v. g. vnus miles, & exercitus; sicut enim exercitus est totum per accidens resultans ex pluribus militibus cum aliqua vnione extrinseca; ita ens rationis est totum per accidens, resultans ex pluribus entibus realibus, aliquo modo copulatis, sed quia copulari debent per cognitionem fingentem, dicitur ens fictum, & aliquo modo oppositum enti reali, quatenus per ens reale, communiter significamus ens non fictum, seu potens existere independenter á fictione.

55. Objic. 3. Hic actus, *homo est equus* non solum respicit hominem, & equum; sed etiam identitatem inter vtrumque; sed licet *homo*, & equus sint entia realia, identitas inter vtrumque est aliquid distinctum ab omni ente reali: ergo.

56. Resp. Nego maiorem; propositio namque affirmans prædicatum de subiecto, tantum respicit prædicatum, & subiectum, quæ ipsa ex modo tendendi inter se intentionaliter annectit; vnde vt cũ Arriaga, & Thirso notavi numero 40. ly *est* propositionis affirmativę non correspondet ex parte obiecti aliqua identitas repræsentata, sed copula illa tantum indicat modum tendendi actus identificantis intentionaliter prędicatum cum obiecto. Idem dic de sucopula negativa *non est* propositionis negativæ, cui similiter non correspondet aliqua divisio repræsentata ex parte obiecti; nam certum est, plura, quæ videntur ex parte obiecti terminare actum, tantum denotare modum cognoscendi, quin eis ex parte obiecti aliquid respondeat, vt patet in exemplo proposito propositionis copulativæ, & disiunctivę. Re-

57. Replicabis primò. Ergo hoc Iudicium: *homo est equus*: nil amplius attingit ex parte obiecti, quã hęc apprehensio complexa; *homo equus*: Resp. Cõcedo totum, solum enim distinguitur judicium ab illa apprehensione in modo attingendi obiectum; sicut illę propositiones, *Petrus, vel Paulus currit*: *Petrus, & Paulus currit* idem ipsissimum obiectum attingunt, diverso tamen modo. Immo hinc magnum robur nostræ conclusionis elucet. Nam iudicium nihil amplius attingit, quam, id quod per appredensionem complexam, aut incomplexam manet apprehensum; sed quod per eas manet apprehensum, est quid reale, & non fictum: ergo quod perjudicũ attingitur similiter erit quid reale, & non fictum.

58. Instas. Hæc apprehensio complexa: *homo equus* non est falsa, neque obiectum ipsius est ens rationis, sed impossibile reale. Hoc vero iudicium: *homo est equus*, est falsum, obiectum que ipsius est ens rationis: ergo aliquid amplius attingit in obiecto hoc judicium quam illa aprehensio. Hoc amplius nequit esse nisi identitas inter hominem, & equum: ergo hanc attingit; sed hæc est ficta; ergo.

59. Retorque. Hic actus, *Petrus, sed Paulus currit*, currente tantum Petro, est verus, & hic, *Petrus, & Paulus currit*, currente tantũ Petro, est falsus: ergo aliquid amplius attingit in obiecto hic secundus actus, quam primus; hoc dici nequit: ergo ex eo quod iudicium illud *homo est equus*, non sit falsa non sequitur, hoc judicium respicere aliquid ex parte obiecti, quod apprehensio non respiciat. Unde sicut (& hæc est directa responsio) licet idem attingat ex parte obiecti vtraque illa propositio, disiuntiva est vera, & copulativa falsa Petro tantum non currẽte, solum ex diverso modo attingendi actus; quia scilicet primus attingit disiunctè, secundus verò copulativè, ideo quod primus non requirit, vtrumque currere, secundus vero vtrumque currere, requirit ad sui veritatem, ita ex diverso modo attingendi, apprehensio illa complexa non erit falsa, quia non tendit coniungendo, aut componendo formaliter, iudicium vero, quia tendit componendo intentionaliter obiecta, erit falsum.

60. Ad illud, quod additur, nempe obiectum iudicij esse ens rationis. Dico, non esse ens rationis adęquatè, sed solũm inadęquatè obiectum illius. Hoc est materia entis rationis, cui se ipsum exhibendo vt forma extrinseca ens rationis constituit adęquate atque ideo hęc apprehensio *homo equus*, non constituit ens rationis, quia cum non sit fictio, vt postea videbimus, non constituit cum suo obiecto, seu materia ipsius concretum fictum, in quo ens rationis consistit: at vero cum actus iudicij sit fictio, hoc est, cognoscat obiectum modo disconformi, cum eo constituit concretum fictum.

61. Si vero Roges. Quid ergo est ille modus coniungendi, & dividendi actum? Respondebo ex Arriaga, loco citato disputatione tertia de Penitentia numero 28. Nos non posse aliter eum explicare, quam ipsa experientia, qua in nobis cognoscimus, eos diversos modos affirmandi, & negandi, & ita debemus respondere, si rogemur, quid sit ille diversus modus affirmandi, per *vel* aut per Possumus tamen id per instantiam in phycicis declarare; vti enim vnio phycica nullam vnionem producendo, sed per se ipsam connectit animam & corpus, & in hoc natura eius consistit, quæ amplius declarari non potest; ita in intellectu dantur aliqua iudicia, quæ nullam vnionem intentionaliter respiciendo, pre se ipsa formaliter annectut intentionaliter prædicatum cum subiecto. Alia vero esse, quæ absque respicientia alicuius negations seipsis formaliter ea dividunt, & hoc ipsã experientiá constat. Repli-

62. Replicabis secundò. Hæc propositio, *homo est animal*, repræsentat identitatem hominis cum animali, ex parte obiecti; ergo hæc *homo est equus*: identitatem hominis cum æquo. Probo antecedens, illa propositio significat: hominem esse idem cum animali: ergo: Respondeo, nego antecedens, solum enim attingit *hominem, & animal*, quæ ex modo tendendi intentionaliter identificat. Ad probationem distinguo antecedens, significat, hominem esse idem cum animali signatè, seu attingendo per modum obiecti repræsentati eam identitatem, nego, exercitè vniendo intentionaliter extrema repræsentata, concedo.

63. Obij. quartò, & simul replicas ex P. Comptono. In hac, & similibus propositionibus, *equus identificatur cum homine: inter equum, & hominem intercedit identitas*, quis quis illas profert, vel audit, concipit identitatem; sed hęc identitas non est quid reale, sed fictum, distinctumque ab omni ente reali; ergo.

64. Retorque, etiam cum quis profert, vel audit hanc propositionem, *homo identificatur cum incognoscibili*: concipit incognoscibile, seu obiectum distinctum ab omni cognoscibili: ergo datur obiectum ab omni cognoscibili distinctum; quod inplicat, cum per talem cognitionem cognoscatur. Respondeo directè: Quis quis illas profert, & audit, concipit identitatem, quę sit hominis, & equi, quatenus sunt obiectum repræsentatum per actum, nego; quæ sit hominis, & equi formaliter per ipsum actum fingentem ex modo tendendi ipsius, concedo. Certum est, tales actus ex parte obiecti repræsentare identitatem, non tamen repræsentant identitatem hominis cum equo, sed aliam identitatem realem, quæ antecedenter per simplicem apprehensionem supponitur repræsentata, quam quidem identitatem, ille actus iudicij ex modo tendendi applicat homini, & equo, & cum inter hominem, & equm re ipsa talis identitas non sit, ille actus est falsus, disconformis que cum obiecto; nam obiectum est materia impossibilis, & actu est affirmativus, cum deberet esse negativus.

65. Nota, me numero 4 huius sectionis impugnasse Aurelianos Magistros, eo quod, meo videri, dicant, intellectum ita applicare identitatem realem cuius habet speciem, extremis, quorum non est identitas, v.g. inter hominem, & equum, ita vt actus fingens eam signatè cognoscat vt identitatem hominis cum equo, quin in esse talis per applicationem figentem extrinsecè constituatur, aliás cognitio fingens se ipsam respiceret. Vnde optimè contra eos infero: ergo identitas, quam talis actus cognoscit, non est identitas realis, sed ficta; nam identitas hominis cum equo non est realis, sed ficta, aliunde iuxta ipsos non constituitur in esse fictæ per cognitionem fingentem: ergo est intrinsecè ficta, sed si idem, quod nos doceant, in pace erunt omnia.

66. Replicabis primò. Hic actus, *homo est idem realiter, seu habet identitatem realem cum animali* attingit per modum obiecti repræsentati identitatem inter animal, & hominem, ergo h c actus Homo est idem realiter cum equo attingit per modum obiecti repræsentati identitatem inter hominem, & equum.

67. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam; disparitas est, quia apprehensio pręcedens ad vtrumque iudicium cognovit identitatem realem; cum autem illa realis identitas verê contrahatur ad hominem, & animal, apprehensio illa attingens talem identitatem, cognovit identitatem, quæ vere datur inter animal, & hominem. Vnde est, quod iudicium applicans illam identitatem, per apprehensionem propositam reverá attingit per modum obiecti repræsentati identitatem inter hominem, & animal. Ideoque est verum, quia identitas quam ex modo intrinseco tendendi extremis applicat, reverá ex parte obiecti datur inter ea. At vero cum illa ratio communis identitatis realis apprehensa, neque contrahatur, neque contrahi possit ad hominem cum equo, cognitio ex modo tendendi eam homini, & equo applicans nunquam attingit ex parte obiecti repręsentati identitatem inter hominem, & equum, sed eam facit.

68. Replicabis secundò. Ex eodem Comptono: in hac propositione: *Identitas inter hominem, & equum est chimærica*, repræsentatur identitas, de qua prædicatur, quod sit chimærica: ergo concipitur obiectum intrinsecè fictum. Probatur consequentia; si identitas, quæ se habet vt subiectum talis propositionis, non esset intrinsecè ficta, esset falsa talis propositio; nam nec identitas realis positiva, nec identitas realis negativa est chimærica; sed talis propositio est vera: ergo identitas, quæ se habet vt subiectum illius, est intrinsecè ficta.

69. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam; ad probationem, nego sequelam, & ad subsumptam probationem, dico quod sive illa identitas sit realis positiva, sive sit realis negativa, vera est illa propositio asserens, inter hominem, & equum poitam esse chimæricam identitatem; nam vel identitas est realiter possibilis applicata vbi non est, vel realiter impossibilis, seu negativa cognita disconformiter, seu aliter ac est in se, hoc est, cogitan vt possibilis, cum re ipsa sit impossibilis, & in vtraque acceptione, cum de ea prædicatur, esse chimæricam, loquitur propositio non de identitate secundum se; nam sic esset falsa propositio, sed de identitate prout illi applicatá, & involuente iam cognitionem fingentem, seu applicationem fictitiam, a qua sicut denominatur extrinsecè, non intrinsecè ficta, ita denominatur non intrinsecê, sed extrinsecè chimærica. Vnde sensus illius propositionis, si loquatur de identitate reali possibili ita se habet, identitas, quæ re ipsa est possibilis male applicata ab intellectu inter hominem, & equum est chimerica, si verò loquatur de identitate reali impossibili, ita dentitas realiter impossibilis disconformiter cognita vt possibilis inter hominem, & equum est chimærica. Eodem modo discurrendum est in similibus propositionibus; v.g. *Alius Deus est chimæricus: homo brutum est quid fictum, &c.*

70. Obj. 5. Ex eodem Comptono: hęc propositio est vera: *Deus per suam entitatem excludit alium Deum*: ergo ex parte obiecti repręsentatur alius Deus non verus, & realis: ergo fictus.

71. Resp. Distinguo propositionem, excludit alium Deum, hoc est, distinguitur ab alio Deo inadæquate, concedo; aliter intellecta propositio est vera, nego. Alius Deus nil aliud est nisi complexum ex Deo vero, & reali & ex alietate etiam reali; cum autem Deus á se ipso non distinguatur, nisi ab alietate, non excludit alium Deum adæquatè, hoc est, non distinguitur ab alio Deo adæquatê, sicut materia prima non distinguitur adæquatè a composito; sed illud inadæquatè excludit, ea parte scilicet, qua compositum dicit formam, & vnionem.

72. Replicat primò Comptonus: ergo illa propositio: *Deus per suam entitatem excludit alium Deum*, est falsa. Probatur. Deus coexistit cum alietate reali, & vero *Deo*: ergo si ly *alius Deus*, nil aliud est, quam verus *Deus, & alietas* realis, falsum est, *Deum* per suam entitatem alium *Deum* excludere.

73. Respondeo, in sensu iam explicato, scilicet *Deum* ab alio Deo ratione alietatis distingui, veram esse illam propositionem, licet Deus coexistat cum vero *Deo*, & alietate reali. Si

vero ſenſus illius ſit, Deum ita excludere alium Deum, vt nequeat intellectus alium Deum fingere conferendo ipſi *Deo* prædicatum alietatis, falſa eſt propoſitio,nam certum eſt,*Deum* poſſe coexiſtere cum tali fictione;vel etiam ſi ſenſus illius ſit,Deum verum excludere alium Deum realiter impoſsibilem, hoc eſt, non poſſe coexiſtere cum impoſsibilitate alius Dei, eſt etiam falſa; nam tam verum eſt,Deum verum exiſtere poſitivé independenter ab omni fictione; ac alium Deum exiſtere negativè. Clarius;tam verum eſt, nunc dari exiſtentiam veri Dei, ac carentiam exiſtentiæ alius Dei.

74. Replicat ſecundò.Si alius Deus nil aliud eſſet,quã verus Deus,& alietas realis, aparte rei darentur omnia conſtitutiva alterius Dei, cum à parte rei detur verus *Deus*, & vera alietas:ergo daretur ſimiliter alius Deus á parte rei.

75. Reſpondeo,á parte rei dari omnia conſtitutiva alterius *Dei* realiter impoſsibilis,non vero alterius *Dei* qui ſit ens rationis,ad hoc enim deficit forma,vſque dum cognitio fingens adveniat,& Deum verum,& alietatem, modo diſconformi affirmativo dicat,*datur alius Deus*;ex quo actu,& ex tali materia,cui actus communicatur, reſultat ens rationis;vnde licet verus *Deus*, & alietas exiſtant á parte rei, non tamen eo modo,quo per actum repręſentantur.

76. Inſtat,modus ille,cum per nos ſe teneat ex parte actus, cum ipſo que identificetur,exiſtit á parte rei; nam talis actus,licet ſit fictio, non eſt fictus: ergo quid quid eſt de conceptu intrinſeco,& eſſentiali alterius Dei, exiſtit á parte rei:ergo alius Deus ſimiliter exiſtit,quod tamen Orthodoxi omnes adverſantur,dicenteDeo per Prophetam, *Deutoron*. 38. verſu. 39. *Non eſt alius Deus præter me.*

77. Reſpondeo,diſtinguo Primum conſequens: ergo quid quid eſt de conceptu alterius Dei, exiſtit á parte rei, hoc eſt,eſt ens reale, concedo, hoc eſt exiſtit ſine fictione:nego. Bene verum eſt,alium *Deum*,vt eſt ens rationis,ſeu quod idem eſt,Deus hic verus cognitus aliter ac eſt in ſe, involuere Deum verum,alietatem realem, & cognitionem realem fingentem; vnde nihil intrinſecè fictum involuit; attamen cum cognitio illa ſit fingens, non datur alius Deus ſine fictione, ſeu non datur abſque eo quod ſit fictus. Quid ergo contra vnitatem veram,& realem veri Dei negantis, præter ſe dari alium Deum verum, quod dentur mille, vel millies mille *Dij* ficti?Seu quod idem eſt,quod millies ab hominibus aliter ac eſt in ſe cognoſcatur? Quomodo autem intelligatur illa *Deutoronomij* propoſitio:*Nõ eſt alius Deus præter me*: poſtea videbitur?

78. Neque ex eo quod dentur á parte rei fundamentalia conſtitutiva alterius Dei, ſequitur; dari á parte rei, ſeu independenter á cognitione fingente alium Deum.Patet exemplo vniverſali cuius conſtitutiva fundamentalias dantur à parte rei,ſeu independenter á cognitione abſtrahente, nempe plures naturæ convenientia in aliquo prædicato, quin tamen ipſum vniverſale detur à parte rei;quia á parte rei naturæ illæ ſe habent,vt plures, carent que illa vnitate extrinſeca, quam accipiunt á cognitione pręciſsiva attingente illas naturas per modum vnius. Ita licet á parte rei dentur conſtitutiva alterius Dei,nempeDeus verus,& alietas realis, cum ſolúm dentur vt plura entia, ſine vlla vnitate, non datur á parte rei ens rationis; vſque dum per cognitionem fingentem, reddantur vnum quid in modo extrinſeco concipiendi, non tamen in modo intrinſeco, & obiectivo eſſendi.

79. Objic. 6. Ego cognoſco id quod dubito, ſed dubito,an detur ens diſtinctum ab omni ente reali. Ergo cognoſco ens diſtinctum ab omni ente reali.Confirm. Ego cognoſco id, quod nego;ſed nego ens diſtinctum ab omni ente reali:ergo.

80. Reſpondeo diſtinguo maiorem:cognoſco,id quod dubito, eo modo,quo dubito concedo;alio modo,nego,& diſtinguo minorem; ſed dubito, an detur ens diſtinctum ab omni ente reali?Ideſt an detur aliquod obiectum, quod poſsit verificare opinionem contrariam,concedo aliud,nego, & diſtinguo conſequens: ergo cognoſco ens diſtinctum ab omni ente reali, diſtinctione terminante cognitionem fingentem;nego,diſtinctione conſtituta,& applicata per ipſam cognitionem fingentem, concedo.*Dum* ego dubito, an detur ens diſtinctum ab omni ente reali? Solum attingo omnia entia realia, & quæro vtrum aliquod ex illis poſsit verificare ſententiam,ſeu actus contrariorum aſſerentium,diſtingui ab omni ente reali;vnde ſolum cognoſco ens reale, & actus falſos contrariorum,ſed neque ens reale, neque actus contrariorum diſtinguntur ab omni ente reali:ergo.

81. Idem ad confirmationem reſpondetur. Me ſcilicet cognoſcere id, quod nego, ſed eo tamen modo, quo illud nego,cum autem ego nego, dari ens rationis intrinſecè fictum, ſeu diſtinctum ab omni ente reali, tantum nego,dari aliquod ens reale, quod poſsit eſſe verificativum contrariæ ſententię; ſeu tantum nego eum actum, quo Adverſarij affirmant, dari ens diſtinctum ab omni ente reali, eſſe verum, per quem actum tantum attingitur ens reale,& actus adverſariorum, qui etiam ſunt ens reale. Falſitas argumenti patet hac duplici evidenti retortione. Ergo dum nego,dari ens reale diſtinctum, & indiſtinctum ſimul ab ente reali cognoſco ens reale diſtinctum, & indiſtinctum ſimul. Item. Ergo dum nego; dari aliquod ens intelligibile cognoſco in intelligibile. Patent conſequentiæ;quia ego cognoſco,quod nego, ſed nego ens diſtinctum ſimul,& indiſtinctum ab omni ente reali,& etiam ens in intelligibile;ergo.

82. Inſtas: ergo de obiecto reali habeo actum dubitandi, vtrum ſit ens reale,vel quid diſtinctum ab ente reali?Reſp. Diſtinguo conſequens:de obiecto reali confuſè cognito; concedo: clarè cognito,nego;nec hoc eſt abſurdum,ſed neceſſarium, ſicut intellectus dubitans, an Deus ſit Trinus, dubitat de *Deo* Trino confuſè, & non clarè cognito,an ſit Trinus?

83. Replic. primò. Hæc eſt vera propoſitio,*ſi daretur ens rationis diſtinctum ab omni ente reali,daretur ens rationis diſtinctum ab omni ente reali*, cum ſit identica; ergo cognoſco ens rationis diſtinctum ab omni ente reali: Probatur conſequentia,per hanc propoſitionem cognoſco nunc, quod tunc daretur,ſed tunc daretur ens rationis diſtinctum ab omni ente reali;ergo illud nũc cognoſco: ergo datur ens rationis ab omni ente reali diſtinctum.

84. Inſtantijs ſophyſma cognoſcitur:primá ſit, hęc eſt vera propoſitio *ſi daretur* ens diſtinctum,& indiſtinctum ſimul ab omni ente reali, daretur ens diſtinctum ſimul, & indiſtinctum ab omni ente *reali*. Secunda ſit. *ſi daretur ens diſtinctum* ab omni ente intelligibili,daretur tale *ens*:ergo nunc cognoſco ens diſtinctum ab omni intelligibili; nam cognoſco,quod tunc daretur,quo quid ab ardius? Videas tuæ inſtantiæ efficaciam, quæ licet ob nimiam eius æquivocationem difficilius ſit, clare, & directè qua poſsim claritate, & diſtinctione reſpondere conabor.

85. Reſp. Concedo antecedens,& diſtinguo conſequens; ergo cognoſco

ens rationis diſtinctum ab omni ente reali eomodo, quo tunc daretur, concedo, eo modo quo tunc non daretur, nego. Ad probatione ſimiliter diſtinguo minorem: cognoſco, quod tunc daretur eomodo, quo tunc daretur, concedo, alio modo quo tunc non daretur, nego, & diſtinguo minorem, ſed tunc daretur ens rationis diſtinctum ab omni ente reali diſtinctione intrinſeca ipſius, nego; diſtinctione, quę extrinſecè fieret talis per aliquam cognitionem fingentem, concedo; & ſimiliter diſtinguo vltimum conſequens: ergo daretur ens rationis diſtinctum ab omni ente reali diſtinctione intrinſeca ipſius, nego. Diſtinctione conſtituta in eſſe talis extrinſecé per actum fingentem, concedo. Solutionem explico. Dupliciter poteſt intellectus tendere in aliquod ens primò: ſi id rectè dicat, hoc ens diſtinguitur ab omni ente reali: quo caſu fingeret, nam quod tunc attingeret ex parte obiecti, eſſet aliquod ens reale, & aliqua diſtinctio realis huius, vel alterius entis â quolibet alio ſeorſim, vel á collectione omnium pręter ipſum, quam falsò applicat tali enti reſpectu collectionis omnium, prout etiam comprehendit ipſum, quæ quidem diſtinctio in eſſe diſtinctionis reſpectu omnium non repręſentatur ab actu fingente, ſed potius conſtituitur extrinſece in eſſe talis per ipſum actum fingentem.

86. Secundò. Poteſt intellectus reflexè tendere in illud ens cognoſcendo eam diſtinctionem ab omni ente reali ipſi extrinſecè communicatam beneficio intellectus, ita vt diceret: *hoc* ens diſtinguitur ab omni ente reali diſtinctione conſtituta in eſſe talis extrinſecê per cognitionem fingentem; qui quidem actus non efformaret ens rationis, neque attingeret ens intrinſecê, ſed tantum extrinſecè diſtinctum ab omni ente reali, cum non attingeret diſtinctionem, quæ prout eſt obiectum terminans cognitionem directam, ſit diſtinctio reſpectu omnium entium realium; ſed diſtinctionem, quæ in ratione talis reſpectu omnium conſtituatur per ipſum actum directum, & reflexè cognoſcatur ab ipſo. Hoc ſuppoſito.

87. Dico: illum actum, ſi daretur ens rationis diſtinctum ab omni ente reali, &c. eſſe verum, quia eſt reflexus ſupra ens rationis conſtitutum per cognitionem fingentem in eſſe diſtincti ab omni ente reali; & ſenſus illius eſt, ſi daretur aliquod ens reale, cui falsô applicaretur ab intellectu diſtinctio ab omni inte reali, daretur tale ens. In quo cum tantum attingatur ens reale, diſtinctio realis, & cognitio realis fingens, applicans que eam diſtinctionem, vbi non eſt, per eum nil attingitur intrinſecè fictum. Mitto alias intelligentias talis propoſitionis, quas apud me conſcriptas habeo, tum quia præcedens ſufficit, tum ne ijs multiplicatis, vos confundam.

88. Replicabis ſecundò. Rogatus quis, quid percipiat per vocem *non homo* diceret, ſe concipere obiectum diſtinctum ab omni homine, quia vox ipſa hoc ſignificat: ergo ſimiliter per hunc terminum complexum, *obiectum diſtinctum ab omni ente reali* concipiet aliquod obiectum ab omni ente reali diſtinctum; Uox enim hoc ſignificat; ſed obiectum diſtinctum ab omni ente reali ſolum poteſt eſſe obiectum intrinſecè fictum: ergo hoc datur.

89. Reſpondeo, admiſſo antecedenti nego conſequentiam, & paritatem; nam præter hominem, dantur plura obiecta, quæ poſsint terminare cognitionem illam. Vnde ſi rogatus quis diceret; ſe concipere aliud obiectum diſtinctum ab omni ente reali, erit aliud ſolum ex modo concipiendi extrinſeco, non verò in modo eſſendi intrinſeco, ſicut quid diceret; ſe concipere aliquod obiectum omnino incognoſcibile, vel aliquod obiectum diſtinctum tam ab ente reali, quam ab ente ficto, iuxta omnes hoc ſolum ſalvaretur in modo extrinſeco cognoſcendi, nec ly *incognoſcibile*, ſe teneret intrinſecé ex parte obiecti, quia eo ipſo quod illud cognoſcat, exercitè, & intrinſecè eſt cognoſcibile, cum exercitè terminet cognitionem; ita eo ipſo quod quis concipiat aliquod obiectum, hoc erit intrinſecè ens reale, licet ſignaté, & extrinſecè dicatur eſſe ab omni ente reali diſtinctum.

90. Obj. 7. Per hunc actum *Deus non exiſtit*: cognoſco non exiſtentiam Dei, ſeu carentiam exiſtentiæ, non realem: ergo fictam.

91. Reſp. Diſtinguo anntecedens ex parte obiecti, nego, ex modo tendendi actus concedo. Cum dico; Deus non exiſtit, non attingo in obiecto carentiam aliquam, aliás non eſſet illi contradictoria hæc propoſitio *Deus exiſtit*: nam cum hæc carentiam non attingeret, non haberet idem obiectum. Vtraque enim propoſitio eandem exiſtentiam attingit, vna affirmativo, altera negativo modo, in quo quidem modo ſe tenente tantum ex parte actus ſalvatur tota propoſitionum oppoſitio, vnde ly *non* in propoſitionibus negativis, ſicut ly *eſt* in affirmativis, ſolum ſe tenent ex parte actuum, quin illis correſpondeat aliquid ſpeciale ex parte obiecti, ſicut non correſpondet particulis diſiunctivis & copulativis.

92. Objic. 8. Ab eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa: ergo ſicut hæc propoſitio *Petrus eſt homo*: eſt vera, quia reſpicit eſſe hominis in Petro, hæc *Petrus non eſt homo*: eſt falſa, quia reſpicit non eſſe hominis in Petro; ſed non eſſe hominis in Petro eſt quid intrinſece fictum: ergo.

93. Reſp. Illud principium ita intelligendum eſſe: ſi res ſit eo modo, qno repræſentatur, erit vera propoſitio, ſi vero non ſit eo modo, quo repræſentatur, erit falſa propoſitio, ſed eadem res repræſentari debet ab vtraque contradictoria, quin vlli correſpondeat ex parte obiecti aliquid, quod ſimiliter alteri non correſpondeat. Vnde huic vtrique propoſitioni: *homo eſt equus*; *homo non eſt equus*: idem homo, idem que equus correſpondet ex parte obiecti, ſed prima eſt falſa, quia homo non eſt eomodo, quo repręſentatur. Secunda eſt vera, quia homo eſt eomodo, quo repręſentatur.

94. Replicabis. Oppoſitio contradictoria fundatur in illo principio: impoſsibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe: ergo ex propoſitionibus contradictorijs vna terminatur ad eſſe, & altera ad non eſſe. Reſpondeo; principiũ illud ita intelligendum eſt: impoſsibile eſt quod aliquid ſit ſimul ſicut affirmatur, & negatur, ex quo infertur; ex contradictorijs vnam propoſitionem debere eſſe falſam, & aliam veram.

95. Objic. 9. *D*um efformo ens rationis, illud cognoſco: ergo non conſtituitur per ipſam cognitionem, quia iam cognitio eſſet reflexa. Reſpondeo, ſæpe me dixiſſe, cognitionem factivam entis rationis non reſpicere vt obiectum ens rationis adæquatê ſumptum, quia iam ipſa cognitio vtpotè vnum ex cõſtitutivis ipſius entis rationis ſe ipſam attingeret, reſpicere tamen ens rationis inadæquatè ſumptum, ſeu materiam entis rationis, ſupra quam ipſa cognitio vt forma cadit, ex qua, & ex illa materia ens rationis conflatur.

96. Replicabis. Ens rationis habet eſſe obiectivè in intellectu, ſeu cognitione fingente, ergo non conſtituitur per ipſam cognitionem fingentem. Probatur conſequentia, ſi ens rationis conſtitutum per cognitionem fingentem haberet eſſe obiectivè in cognitione fingente, ipſa cognitio fingens haberet eſſe obiectivè in ſe ipſa, ac proinde

inde supra se ipsam reflecteretur: ergo.

97. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem nego antecedens, nam vel loquimur de ente rationis denominativè, hoc est, de subiecto denominationis, supra quod cadit denominatio ficti, vel de ipso ente rationis concretivè sumpto, & de vtroque quod habeat totum suum esse obiectivè in intellectu fingente verificatur, diverso tamen modo, verificatur de subiecto denominationis, quia obiecta falsò applicata per cognitionem fingentem, quę vt sic denominantur ens rationis, tantū possunt per intellectum fingentem applicari, quin posśint se habere sicuti applicantur. Verificatur de ente rationis concretivè sumpto, quia cum dicitur ens rationis habere totum suum obiectivè in intellectu solum significatur, ens rationis habere hoc, quod est fingi, seu esse fictum, vt constitutivum; non vero significatur, habere totum suum esse obiectivè extrinsece, vt obiectum repræsentatum á cognitione, & vt terminus ipsius, ita vt prout est quid obiectivè fictum comparetur ad actum vt obiectum ipsius, cum iam ita ipsum actum includat.

98. Objic. 10. Inde probamus, aliquid esse ens reale, quod sit ante omnem fictionem mentis; sed ens rationis non est ante, sed post fictionem mentis; ergo non est ens reale. Resp. Distinguo maiorem, prout ens reale convertitur cum ente non ficto, concedo, aliter, nego; concedo minorem, & distinguo consequens: ergo non est ens reale, prout ens reale convertitur cum ente non ficto, concedo: aliter, nego. Nota aliud esse, prædicatum aliquod realiter convenire, vel non convenire alicui subiecto, & aliud, prædicatum aliquod esse ens reale, vel non esse ens reale. Inde probamus, aliquod prædicatum realiter alicui subiecto convenire, quia illi convenit ante omnem fictionem, hoc est non vi, & efficacia fictionis; & inde non convenire illi realiter, quia illi non convenit nisi post fictionem, & tamen est ens reale. Sic ens rationis est ens reale, licet non sit ante fictionem, & in hac propositione *homo est equus*, ly equus est prædicatum in se reale, licet realiter non conveniat subiecto, quia solum illi convenit post fictionem vi, & efficacia fictionis.

99. Obj. 11. Omnis causa distinguitur ab effectu; sed cognitio fingens est causa entis rationis, sicut ignis est causa caloris: ergo distinguitur ab ente rationis, sicut ignis à calore.

100. Resp. Distinguo antecedens Omnis causa extrinseca effectiva, concedo, omnis causa intrinseca formalis, nego. Cognitio enim fingens non est causa effectiva entis rationis, sed causa formalis, vnde ab eo non distinguitur, nisi solum inadæquatè, sicut cognitio a concreto *cognitum*, quod constituit vt forma.

101. Obj. 12. Si ens rationis esset ens reale, vel esset ens reale positivum, vel ens reale negativum; sed neutrum: ergo. Probo minorem quo ad primam partem, si esset ens reale positivum, non repugnaret existere á parte rei; sed repugnat existere: ergo. Probatur quo ad secundam partem, sæpe componitur adęquatè ex entibus positivis v.g. *homo est equus*, quod ex homine, & equo, & cognitione fingente compositum est; sed ens compositum ex entibus positivis nequit esse ens negativum, sicut ens compositum adæquatè ex entibus realibus nequit esse intrinsecè fictum, vt contra Comptonum, & hinc communiter defenditur: ergo.

102. Respondeo, quod cum ens rationis non sit vnum ens simpliciter, sed plura entia cum aliqua extrinseca vnitate, nequit absolutè dici, quod sit ens negativum, neque quod sit ens positivum; si fuerit compositum ex entibus positivis, vt *homo est equus* erit plura entia positiva non repugnantia existere positive; si fuerit ex entibus negativis compositum, vt *hyrcus servus est homo leo*: erit plura entia negativa. Si verò fuerit mixtum exente negativo, & positivo, vt *hyrcus seruus est homo*; erit ens negativum, & positivum. Dicitur tamen, & communiter á nobis appellatur ens reale, non quia iudicemus, ipsum esse aliquod ens reale simpliciter tale; sed ita illud appellamus, qua ex pluribus entibus realibus componi, dicimus.

103. Nota. Ex huiusque dictis facilè posse defendi; non dari ens rationis, quin adversus te aliquod posśit argumentum apponi, quod iam solutum non maneat. Nam si in toto rigore, & communi hominum apprehensione sumatur ens rationis, intelligitur quid distinctum ab omni ente reali, tam positivo quam negativo, ita habens totum suum esse dependenter ab intellectu, vt aliàs nullum habeat esse, nec posśit habere, quomodo ens rationis á nobis concessum non se habet. Ex quo non sequitur, me negare intellectum sæpe fingere, darique plures cognitiones fingentes habentes proprium obiectum; sed obiectum reale, non vero quid obiectivè fictum ab ente reali distinctum quod communiter intelligitur per ens rationis strictisśimè sumptum.

SECTIO II.

VTRVM DENOMINATIONES extrinseca sint ens rationis?

104. Diximus iam, ens rationis consistere in extrinsecá denominatione. Nunc quærimus, vtrum omnis extrinseca denominatio sit ens rationis? Quod secūdum ex primo non infertur; sicut licet omnis homo sit vivens, non tamen omne vivens est homo. Nota primò. Dari duplicem denominationem, intrinsecam, & extrinsecam. Denominatio intrinseca provenit á forma vnita, vel inhęrente subiecto, vt denominatio *albi* in pariete ab albedine illi vnita, & denominatio *cognoscentis*, & *amantis* in homine á cognitione, & amore illi inhærentibus. Extrinseca est, quæ provenit á forma nec vnita, nec inhærente subiecto, vt denominatio *amati*, *cogniti*, &c. ab amore, & cognitione non inhærentibus termino, sed principio. Nota etiam, has formas, amorem scilicet, & cognitionem extrinsecè denominantes, per accidens posse esse intrinsecas, si cognitio, & amor sint reflexi ad principium, v.g. cognitio, & amor quibus Deus se cognoscit, & amat. Nota item, amorem, & cognitionem extrinsece denominantes terminos amatos, & cognitos intrinsece, denominare principium amans, & cognoscens, sed diversa denominatione. Denominatio extrinseca est duplex, Physica, & intentionalis; physica est, quæ provenit à forma physica, vt denominationes *dextri*, *sinistri*, &c. Intentionalis, quæ procedit á forma intentionali, vt denominationes *cogniti*, *generis*, *speciei*, *amati*, &c. Hic addi solent denominationes morales, quæ etiā extrinsecæ sunt, vt denominationes *Domini*, *servi*, *Mariti*, &c. ab aliqua forma morali provenientes.

105. Nota secundò. Sæpe subiectum denominatum esse chimericum, vt cum *hirco servus* denominatur cognitus. Certum est, talem denominationem includere ens rationis; sed non ex conceptu communi denominationis; sed ex speciali subiecto, quod denominatur; sicut hęc denominatio amati Petri v.g. includit Petrum non tamen ex conceptu communi, denominationis ama-

amati, sed ex conceptu speciali talis denominationis.

106. Nota tertiò. Cum Patre Arriaga, disputatione 7. metaphysicæ sectione 1. num. 1. Quæstionem esse purè de nomine: Thomistæ enim affirmantes denominationes extrinsecas esse entia rationis, alio sensu ens rationis accipiunt, in quo á nemine esse entia rationis, negatur, scilicet esse entia rationis fūdamētaliter, quatenus scilicet præbent intellectui fundamentum, vt eas vt intrinsecas concipiat, efformet que ens rationis formaliter. Aliter enim impetendum est contra Thomistas 1. ex inconsequentia in appellandis nomine entis rationis denominationibus intentionalibus: *cogniti*, *amati* v. g. quia extrinsecę sunt, cum alias entis rationis nomine non insigniant denominationes physicas, *dextri, sinistri, prioris*, &c. quæ etiam extrinsecæ sunt Secundò ex pravo vsu talis vocis, cum ens rationis vsurpent pro omni eo, quod est extrinsecum obiecto, seu pro ente rationis fundamentali, quod re *ipsa* non est ens rationis, sed fundamētum ad illud.

107. Prima sententia affirmat, denominationes extrinsecas intentionales esse entia rationis, ita communiter Thomistæ, & Schotistæ. Smisig. Rada. Faber. Ex nostris Toletus. Rubius, Alphonsus. Sed argumento numero antecedenti posito conuicti affirmant; esse entia rationis omnes denominationes extrinsecas, tam intentionales quā physicas. Ortiz. Ioannes á Stothom. Ex nostris Bazquius, Alarcon, Fonseca 5. metaphysicæ capite 6 quæst. 6. Ex his tamen diversa graditur vnusquisque via postea carpenda.

108. Secunda sententia vniversaliter negat de omni denominatione extrinseca vt tali: ita Eximius Doctor. Hurtado. Arriaga vbi supra, Izquierdo, Oviedo, Quiroz. Scotista Pontius, & Thomistæ Lerma, & Pradus apud Patreum Pinado tract. 4. de ente rationis, disputatione 3. num. 25.

109. Dico. Denominationes extrinsecę non sunt entia rationis formaliter. Probatur primo denominationibus physicis; id, quod sine vlla fictione datur, non est ens rationis formaliter tale; sed sine vlla fictione dantur denominationes extrinsecæ physicæ: ergo. Maior est certa. Ens namque rationis ex propria definitione fictionem requirit. Probatur minor: posita forma extrinsecá, & subiecto denominabili, ablato quocumque alio, & imposibili omni fictione datur denominatio extrinseca: ergo. Probo antecedens. Posita creatione Angeli, & Deo, à quo provenit, ablato quocumque alio, & imposibili omni fictione, *Deus* denominaretur extrinsecè *creans*: ergo. Patet antecedens. Angelus denominaretur intrinsecé *creatus*: ergo Deus extrinsecè creans Imposibile enim est dari vnum correlativum sine alio.

110. Probatur quoad denominationes intentionales Per vos me cognoscere, & amare Petrum, non est ens rationis: ergo neque Petrum esse cognitum, & amatum a me, erit ens rationis. Patet consequæntia. Idem est eijsdem que gaudet constitivis (Pueris hoc vocitantibus) mutata solum voce activa in pasivam; me cognoscere Petrum, ac Petrum esse cognitum a me, me namque cognoscere Petrum, est meam cognitionem terminari ad Petrum. Petrum esse cognitum a me, est, Petrum meam cognitionem terminare; sed meam cognitionem terminari ad Petrum, & Petrum terminare meam cognitionem, idem est formalisimè: ergo.

111. Probatur secundò. Ad hominem contra Thomistas primo. Per vos denominationes physicæ, vt denominationes *dextri, sinistri*, &c. & denominationes morales, vt denominationes *Domini, servi*, &c. non sunt entia ra-

rationis: ergo neque denominationes intentionales, cum tam intrinsecæ sint illæ quam hæ. Secundo contra omnes. Beatus per vos est cognitus á Deo, quin *Deus* efformet ens rationis: ergo iam datur aliqua denominatio extrinseca, quæ ens rationis non sit.

112. Confirmatur, & roboratur tota doctrina simul pręocupādo Adversariorum effugia. Ponamus; Deum creasse Coelum ante creationem Angelorum, & hominum, in illo que complacuisse; Posita actione creativa datur in *Deo* denominatio extrinseca *creantis*: & posita complacentia datur in Coelo denominatio extrinseca *voliti*. Rogo. Hæ denominationes sunt entia rationis, vel non? Si secundum? Ergo iam dantur denominationes extrinsecæ, quę entia rationis non sint. Si primum? Rogo iterum: á quo intellectu fiunt? Non ab intellectu Divino, qui per vos ens rationis non efformat. Non ab intellectu creato, siquidem nullus est. Dicere ens rationis ex se resultare, absurdum est: quomodo enim sine fictione, resultare potest ens fictum? Ergo.

113. Objic. 1. & est prima responsio aliquorum Thomistarum. Per nos denominationes extrinsecæ sunt tantum ens rationis fundamentaliter, quatenus scilicet posita forma extrinseca denominante, & subiecto denominabili, datur fundamentum intellectui, vt cōcipiat talem formam intrinsecam in subiecto, & sic faciat ens rationis formaliter: Ergo similiter: Posita creatione vel amore, quę sunt formæ extrinsecæ denominantes, & Deo, & creatura quæ sunt subiecta denominabilia, solum reddetur Deus fundamentaliter creans, & creatura fundamētaliter volita. Probatur cōsequentia. Ideò per nos denominationes extrinsecę sunt tantū entia rationis fundamentaliter non verò formaliter, quia ad ens rationis formaliter tale requiritur, quod forma extrinseca cōcipiatur, vt intrinseca, sed similiter ad denominationem *creantis amat* formaliter talis requiritur quod forma extrinseca cōcipiatur vt intrinseca; ergo. Probo minorem: nulla forma potest denominare aliquod subiectum nisi sit in subiecto per aliquam vnionem: ergo vt forma extrinseca denominet formaliter aliquod subiectum debet concipi, vt intrinseca illi per aliquam vnionem, non realem, quia hæc non datur: ergo fictam.

114. En summè voluntariam, falsitate que conspersam solutionem. In primis maximam asigno disparitatem ad argumentum. Ideò denominationes extrinsecæ nō sunt formaliter, sed solum fundamentaliter ens rationis, vsque dum intellectus, eas vt intrinsecas concipiat, quia vsque dum intellectus eas ita concipiat, non convenit eis definitio enti rationis, nempe habere totum suum esse ab intellectu fingente, concipiente scilicet eas aliter ac sunt in se; At verò ante quam intellectus supra denominationes extrinsecas reflectat, concipiat que creationem vt intrinsecā *Deo*, & amorē vt intrinsecum creaturæ, Deo competit definitio creantis, & creaturæ definitio amatę. Patet primo: nil aliud est *esse creans* aliquod subiectum, quam elicere aliquam actionem propiè creativam, & *esse amatū*, quam esse propiè terminum amoris; sed absque vlla fictione, actuque concipiēte, immò imposibili omni intellectu, posita actione creativa proveniente á Deo, & amore terminato ad creaturam, Deus elicit actionem propriè creativam, & creatura propiè terminat amorem: ergo.

115. Patet secundo. *Deus* est propiè, & simpliciter formaliter creans, ergo vt ita denominetur non requiritur ens rationis. Probatur: id quod alicui competit per fictionem, non competit illi propriè, & simpliciter, sicut Petro nō com-

competit propriè, & simpliciter esse equum; quia solum per fictionem illi competere potest. Item, per vos ante vllam fictionem; *Deus* est fundamentaliter creans, sed *Deus* fundamentaliter creans est aliqua denominatio extrinseca: ergo datur aliqua extrinseca denominatio, quæ fictionem non involuat.

116. Ad illud vltimum quod additur nempe nullam formam posse denominare subiectū, nisi sit in subiecto per aliquam vnionem. Dico; iam ex eo destrui omnem denominationem extrinsecam, reddique quęstionem de subiecto non supponente; in hoc enim distinguitur extrinseca denominatio ab intrinseca, quod hæc requirat formam per aliquam vnionem esse in subiecto, vt albedo in pariete ad denominationem intrinsecam *albi*, illa vero talem vnionem non requirat. Item si re ipsa talis vnio requiritur ad denominationem quamcumque, vnde fingenda est in denominatione *amati*; nulli dabitur denominatio extrinseca simpliciter talis; sicut quia re ipsa nequit dari homo sine animali rationali, vnde fingendum est animal rationale in hoc concreto *homo est equus*, nullus datur homo equus, propriè, & simpliciter talis.

117. Hinc infertur quod tam falsum esset dicere. Deum *esse factorem Cæli, & terræ. Divum Ioannem fuisse dilectum à Christo. Christum segregaturum in die iudicij Hædos ad sinistram, Agnos ad dexteram: Beatam Virginem fuisse visam à Christo in Crucis patibulo pendente; Petrum esse equum.* Probo paritatem: Ideo per vos falsum est dicere; Petrum esse equum; quia per illum actum cognosco, vel pono vnionem inter *Petrum*, & *equum*, vbi revera non est: ergo. Vnde negandum est absolutè, requiri talem vnionem formæ cum subiecto, vt detur vlla extrinseca denominatio.

118. Replicabis; Omne concretum habet vnionem; sed omnis denominatio extrinseca est concretum: ergo omnis denominatio extrinseca habet vnionem. Resp. Omne concretum habere vnionem eo modo, quo est concretum, si fuerit intrinsecum, intrinsecam, si extrinsecum, solum extrinsecam, vel ordinis, & respicientiæ, vt inter cognitionem, & obiectum ad concretum *cognitum*; vel collocationis, vt inter Petrum, & Paulum, ad denominationes *dextri*, vel *sinistri*; vel durationis simultaneæ ad denominationem *coëxistentis*, &c. quæ quidem vniones extrinsecæ non sunt fictæ, & sufficiunt in prudentum existimatione ad duo entia, vel plura aliquo nomine singulari compellanda, sicut exercitus, civitas, &c.

119. Objic. 2. & est secunda responsio complutensium. A cognitione v.g. in obiectum cognitum derivari aliquod ens rationis fictum, á quo tanquam á forma intrinseca denominatio *cogniti* resultat.

120. Contra primò. Ergo denominatio cogniti non est extrinseca, sed intrinseca. Patet. Forma illius concreti est illud ens rationis derivatum à cognitione; sed hoc per vos est intrinsecè in obiecto: ergo denominatio erit intrinseca. Contra secundò: etiam ad dinominationem intrinsecam *cognoscentis*; similiter poterit quis fingere resultiam entis rationis. Tertio. Solum cognitio potest conferre vt forma denominationem cogniti; si quidem solum cognitio continet in se talem effectum; sed illud ens rationis derivatum non est cognitio: ergo non confert vt forma denominationē *cogniti*. Quarto: denominatio proveniens à cognitione si per possibile, vel impossibile non resultaret tale ens rationis esset intrinseca; sed non est ens rationis: ergo. Quinto. Cognitio hæc *Petrus est homo* solum cognoscit Petrum, & hominem: ergo non fingit, cum illos cognoscat modo conformi, ergo neque efficit ens rationis, sed denominat obiectum cognitum: ergo. Respondeo denique, talem resultantiam, seu derivationem entis rationis in obiectum esse omnino chimęricam, & superfluam, cum ab æterno Deus creaturas cognoverit, quin â cognitione Divina, talę ens rationis in eas sit derivatum.

121. Objic. 3. *Cognitum*, sicut & quælibet alia denominatio non est substantia, sed accidens: ergo debet inhærere alicui subiecto, non termino, quia supponimus, esse illi extrinsecum; non item potentiæ, aliás ipsam denominaret cognitam, sicut denominat obiectum: ergo ea denominatio non est accidens reale, sed fictum.

122. Resp. *Denominationes* extrinsecas esse accidentia ratione formarum: v.g. cognitum ratione cognitionis, quæ non termino ob rationem argumenti, sed potentię inhæret, quin ob hoc illam denominet cognitam. Cognitio enim solum tribuit denominationem *cogniti* obiecto ab ipsa repræsentato, cum tamen potentia ita non se habeat, licet ei inhæreat, non tamen eam cognitam denominat.

123. Objic. 4. *Denominatio cogniti* habet totum suum esse ab intellectu: ergo est ens rationis. Confirmatur talis denominatio non datur á parte rei: ergo. Probo antecedens; quod dependet ab operatione intellectus, non datur á parte rei, sed denominatio cogniti dependet ab operatione intellectus; ergo.

124. Resp. Distinguo antecedens habet totum suum esse ab intellectu cognoscente rem, vt est in se; concedo; cognoscente rem aliter ac est in se; nego. Vnde non est ens rationis. Non enim omne id, quod non datur nisi dependenter ab intellectu est ens rationis; nam ipsa met cognitio non datur nisi dependenter ab intellectu, & non est ens rationis: ergo licet denominatio hæc, & aliæ similes dentur solummodo dependenter ab intellectu, non inde infertur, non existere à parte rei, si per existere a parte rei intelligatur, existere absque vlla fictione intellectus.

125. Objic. 3. Denominatio *creatoris* de novo advenit Deo: sed nil reale potest Deo in tempore advenire, aliás Deus mutaretur: ergo talis denominatio non est realis, sed rationis.

126. Resp. Deo advenire in tempore plures denominationes reales extrinsecas, *amati, cogniti, visi* ab hominibus, *Creatoris Cæli*, & *terræ*, immò & *Domini* ex hominis temporali productione. *Nam qui ante erat solus Deus, ex hominum factione Dominus factus est*: ait Sanctus Augustinus super Genes. 2. vers. 7. quin ex hoc inferatur; Deum mutari intrinsecè; neque advenire illi prędicatum intrinsecum, quod solum argueret veram mutationem indignam Deo.

127. Objic. 6. Si Iudicem, *Petrum esse amatum*, cum amatus non sit, ea denominatio erit ens rationis, & extrinseca; ergo iam aliqua denominatio extrinseca ita compellanda est.

128. Respondeo. *Distinguo* antecedens: erit ens rationis, vt cognita aliter, ac est in se; concedo; vt formaliter denominatio est; nego. Potest denominatio considerari, vt formaliter talis, vt cum á cognitione Petrus dicitur cognitus, & á visione visus, & de his denominationibus dicimus, non esse ens rationis, si tamen per alias cognitiones supra ipsas denominationes reflectentes aliter ac sunt in se cognoscantur, tunc certè constituent ens rationis. Hoc est, licet in se entia rationis non sint; erunt obiecta actuum efformantium ens rationis, sicut licet Petrus, & equus

equus non sint entia rationis, sunt tamen obiecta huius actus *Petrus est equus* factivi entis rationis.

129. Objic. 7. Denominationes extrinsecæ morales *Servi, Domini, Magistri, Mariti*, &c. nullam habent formã realem: ergo rationis: ergo sunt entia rationis.

130. Resp. Distinguo antecedens, formam realem physicè existentem; concedo; saltem moraliter existentem; nego. Duplex est placitum circa formam constitutivam harum denominationum. Primum. Petrum v.g. constitui Dominum per voluntatem Francisci conferentis ius in rem. Magistrum per voluntatem conferentium talem honorem. Maritum per voluntatem vxoris conferentis ius in corpus, quæ quidem voluntates sunt formæ reales, licet non semper physicè, moraliter tamen permanentes. Secundum, sicut bonitas, & malitia moralis desumitur á iudicio, quod quis efformat circa opus hic & nunc eliciendum, vel omittendum; ita denominationes morales desumuntur à iudicio prudentum, qui supposito tanquam fundamento pacto, cessione, aut voluntate conferendi ius; iudicant, *Petrum esse Dominum, Magistrum*, &c. de hoc agunt Theologi in prima secundæ: videantur Eximius Doctor tract. 3. disp. 1. sect. 2. á num. 15. Bernal libro 3. de virtutibus sectione 1. cap. 20. & alij. Sed nil in hoc fictionis: ergo.

151. Objic. 8. Denominatio extrinseca cognoscitur instar vnius entis totalis, & instar vnius rei per compositionem intrinsecam; sed hoc est cognosci aliter ac est in se, cum re ipsa denominatio non sit vnum, sed plura entia: ergo sit ens rationis.

132. Hoc Argumentum non probat, denominationes extrinsecas esse in se entia rationis, vt formaliter tales, sed esse obiectum actus factivi entis rationis, nec posse reflexè cognosci, quin á cognoscente fiat ens rationis, quod tenent Cardinalis de Lugo disp. 1. de Sacramentis, sect. 3. Dicastillo. Disputatione 1. de Sacram. Dubio 15. num. 306. Sed nec hoc probat, nam cognoscere vnum instar alterius, non est affirmare, vnum esse aliud, sed potius est, virtualiter negare; nam cognoscere vnum instar alterius, est cognoscere vnũ esse simile alteri, & omnis similitudo dicit distinctionem: Sic cognoscere Angelum instar iuvenis pulcherrimi, Patrem Æternum instar venerabilis Senis, Spiritum Sanctum instar alatæ columbæ, non est facere ens rationis, cum non sit affirmare, Angelum esse iuvenem, Patrem esse Senem, & Spiritum Sanctum esse columbam; sed potius ex imperfectione intellectus creati per alienas species imperfecto modo cognoscere, & repræsentare entia, quorum proprias species non habet.

133. Objic. 9. Iudicium indifferens concursus Dei, libertas voluntatis, & prohibitio Divina constituunt actum malum, & peccaminosum, licet in se sint bona: ergo similiter licet cognitio, quæ se habet vt forma in hoc concreto *cognitum*, sit realis, poterit concretum esse ens rationis, seu fictum.

134. In nostris principijs defendẽtibus, ens rationis componi ex entibus realibus, nullam difficultatem habet, sed potius pulchram similitudinem affert. Neque in probationibus præsentis quæstionis ei difficultas accrescit. Consultò enim omisi probationem communem, in qua hoc argumentum fundatur, scilicet ex entibus realibus nequit ens rationis componi, &c. Ne vbi nulla est difficultas, huic, & alijs non parvi momenti occasionem tribuerem. Vnde Respondetur. Transeat totum. Non enim inde probamus nos, denominationes extrinsecas non esse entia rationis, quia componuntur ex entibus realibus, & ex entibus realibus nequit quid fictum resultare, sed quia denominationes extrinsecæ dantur independenter à cognitione fingente. Insuper antecedens argumenti doctrinam, quæ dubitari potest continet, sed brevitatis gratia illam omitto.

SECTIO III.

VTRVM NEGATIONES, ET PRIvationes sint entia rationis?

135. NEgatio est carentia alicuius rei in subiecto incapaci habendi illam, vt carentia gratiæ in lapide. Privatio est carentia alicuius rei in subiecto apto, seu capaci ad illam habendam, vt carentia visus in homine. Supponimus, dari has negationes, & privationes sive distinctas, sive indistinctas ab entibus positivis, & quæritur vtrum sint entia rationis?

136. Affirmant Pater Fonseca 4. Metaphysicè cap. 2. in commentar. Spinula disp. 1. Physicorum, apud quos alij Antiquiores. P. Isquierdo disp. 9. quæst. 3. num. 36. eas ens rationis suppositivum, seu improprium appellat. Negant melius Suarius, Arriaga, Oviedo, Hurt. Linze, Compt. disp. 18. per totam.

136. Probatur primò. Impossibili omni fictione tam verum est, aerem esse noctu tenebrosum, hominem esse cæcum, lapidem carere gratia; ac aerem die habere lucem, hominem habere visum, lapide m esse ens; sed aerem esse lucidum, esse in homine visum, & in lapide ens, non sunt entia rationis, sed entia realia: ergo similiter esse tenebrosum, &c. non erunt entia rationis, sed realia. Ratio á priori est; quia id, in quo aliqua fictio non involuitur, non est ens rationis; sed in privatione, & negatione aliqua fictio non involuitur: ergo. Confirmatur. Christum non peccasse, & Beatam Virginem nõn extitisse ab æterno; Beatum Petrum non esse damnatum, non sunt entia rationis, neque in his propositionibus aliqua fictio esse censetur; sed hæc sunt carentiæ: ergo.

138. Objic. 1. Ens rationis non est ens reale positivum: ergo est negatio entis realis positivi; sed negatio entis realis positivi non est ens reale, aliás esset simul ens reale, & negatio entis realis: ergo.

139. In nostris principijs primum antecedens eget explicatione; licet ens rationis non sit vnum ens reale positivum vnitate propria sufficienti, vt dicatur esse aliquod particulare ens existens á parte rei, est tamen sæpè ens reale positivum, hoc est, plura entia realia positiva, & semper est ens reale, hoc est plura entia realia. Sed admisso antecedenti, nego consequentiam, quæ ex eo non infertur; sicut neque ex hoc antecedenti, *Petrus non est Paulus*, infertur hæc consequentia; ergo *Petrus est negatio Pauli*. Solum enim infertur hæc: ergo *distinguitur á Paulo*. Ita similiter ex eo, quod ens rationis non sit ens reale positivum, non infertur, esse negationem entis realis positivi, sed solum; distingui ab ente reali positivo. Nota aliud est, esse *negativum*, & aliud est, esse *negationem*, negatio est carentia modalis rei determinatæ. Ens negativum absolutum est, quod componitur ex pluribus partibus incompossibilibus, vt *chimæra, Hircoservus*, &c. quæ impossibilia nil determinatè negant. Ens ergo negativum est, *quod non est positive*. Si tamen roges quid sit; *non esse positive*? Rogaberis vtique a me: *quid sit esse positive*? Si respondeas: esse per se notum; idem respondebo, non existere positive, esse etiam per se notum.

140. Neque id, quod ex minori infert argumentum, re ipsa infertur. Ex eo

eo enim, quod negatio entis realis positivi sit ens reale, non infertur, esse ens reale, & negationem entis realis, sed quod infertur, est esse ẽs reale, & negationem entis realis positivi. Quod ulterius aliquid addit. Negat namque speciem entis realis positivi, non tamen genus, nempe ens reale. Sicut eo quod equus neget, esse hominem, non infertur, quod neget, esse animal; sed simul & est animal, & negat, esse animal rationale. Ita negatio entis realis positivi negat, esse ens reale positivum, & tamen est ens reale negativum.

141. Replicabis. Inter esse, & non esse non datur medium; ergo ens rationis, vel est ens reale positivum, vel negatio entis realis positivi.

142. Mala consequentia: ita enim deberet inferri: ergo ens rationis vel est ens reale positivum, vel non est ens reale positivum. Ex quo adhuc concesso, quod non sit ens reale positivum, non sequitur; quod non sit ens reale, neque quod sit negatio entis realis. Unde illa propositio inter esse, & non esse non datur medium, ita debet intellig: inter esse affirmatum in vna propositione, & idem esse negatum in alia non datur medium; v g. *Petrus est homo, Petrus non est homo*, idem enim homo affirmatur in vna ac negatur in alia, ac proinde inter esse *Petrum hominem, & non esse hominem*, non datur medium. Item non est idem affirmatum, & negatum in propositione illa, quę infertur vt consequentia, nempe: ergo *ens rationis, vel est ens reale positivum, vel negatio entis realis positivi*, cum vtraque propositio sit affirmativa.

143. Objic. 2. Qui concipit tenebras v g. illas concipit ad modum cuiusdam nigredinis positivæ occupantis aerem: ergo format ens rationis, cum tenebræ non sint talis nigredo positiva, sed privatio lucis.

144. Resp. Ex hoc solum infertur, vt antea in denominationibus notavi, negationes esse entia rationis fundamentaliter, non verò formaliter, cum ex argumento solum inferatur; tenebras iam independenter á fictione suo modo existentes non posse concipi reflexè sine fictione, ex imperfectione, & limitatione intellectus; verum nec hoc inferri licet. Nam concipere vnum instar alterius, non est facere ens rationis. Vide supradicta sectione antecedenti numero 133.

SECTIO IV.

DE DIVISIONE, ET PROPRIETATIBUS entis rationis.

145. VArié á varijs ens rationis dividitur. Communiter dividitur á Thomistis in negationem, privationem, & relationem. Pessima divisio, nam vel loquuntur de ente rationis formali, & iam vidimus, neque relationes, neque privationes, neque negationes esse entia rationis formalia. Item neque esset adæquata divisio; nam existentia chimæræ non est privatio, relatio, aut negatio, & est ens rationis. Vel loquuntur de ente rationis fundamentali, vt loqui videntur, & ita non est adęquata hæc divisio. Etiam deberet dividi in ens positivum, & absolutum: nam ideo per vos relatio, & negatio sunt entia rationis fundamentalia, quia possum concipere ea, quæ non referuntur, vt relata, & negationem per modum entis positivi, sed etiam possum concipere, ea quæ referuntur, tanquam non relata, & ens positivum per modum entis negativi: ergo etiam similiter ens positivum, & absolutum erunt entia rationis.

146. Dicendum ergo est. Ens rationis dividi eo modo, quo est ens, vni-

tate scilicet impropria, in ens rationis positivum, & negativum, & mixtum. Hoc est in ens rationis compositum ex partibus positivis, vt *homo est equus*. Compositum ex partibus negativis, vt *Hircocervus est homo leo*; & in compositum ex vna parte positiva, & alia negativa, vt *Petrus est hircocervus*. Omnes tamen partes componentes illud sunt reales, vel positivæ, vel negativæ.

147. Proprietates entis rationis sunt proprietates reales; nam cum ipsum sit reale, quales sunt essentiæ, tales esse proprietates, necesse est. Sic proprietates essentię increatæ, increatæ sunt: ergo proprietates entis realis, reales sunt.

148. Dices: ens rationis est fictum: ergo & eius proprietates erunt fictæ. Respondeo ens rationis esse fictum extrinsece, intrinsece tamen esse ens reale quoad essentiam. Cum ergo proprietates essentiam sequantur, erunt reales.

DISPUTATIO II.

DE CAUSIS ENTIS RATIONIS.

149. ENs rationis componi ex proprio obiecto actus, tanquam ex materia circa quã, & ex cognitione fingente tanquam ex forma in nostris principijs indenominatione *ficti* totum ens rationis constituentibus, certum est. Non requiri ad ens rationis simpliciter causam finalem, etiam certum est, vt ad notat Eximius Doctor; potest tamen concurrere, si propter aliquem finem in fictionibus absumatur tempus tota enim ad causam eius efficientem evoluitur præsens disputatio, quæ autem solúm debet, & potest esse aliqua potentia intentionalis, quatenus scilicet efficit aliquem actum attingentẽ obiectum aliter, ac est in se, modo disconvenienti fingendo scilicet, & tribuendo obiecto prędicatum illi repugnans, vel auferendo ab objecto prædicatum conveniens. Cum autem solûm ita possit se habere intellectus, iam velut á principio resolutio vniversalis colligitur; sed quia potentia intentionalis vel est spiritualis, vt intellectus, & voluntas; vel materialis, quæ dividitur in sensum internum, qui sensus communis phantasia, vel imaginativa dicitur, & in sensus externos, qui sunt visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus; & in vnaquaque ex his possunt peculiares relucere difficultates, per singulas discurremus.

SECTIO I.

UTRUM INTELLECTUS EFFORMET ens rationis?

150. CErtum est apud omnes Doctores, intellectum creatum, ens rationis efformare, si demas Recentes aliquos apud Patrem Oviedum punt. 7. numero 15. asserentes, á solo Deo fieri ens rationis. Quo iure, postea videbitur; sed quia intellectus pluribus gaudet actibus iam veris, iam falsis, iam simplicibus, iam compositis, sit

SVBSECTIO I.

AN PER SOLUM, ET OMNEM *actum falsum fiat ens rationis?*

151. DVplex difficultas sub titulo continetur. Prima; an per solum actum falsum, & per nullum actum verum fiat ens rationis? Secunda, an per omnem actum falsum fiat?

152. Nota, hanc, sicut & reliquas circa causas entis rationis quæstiones, esse pure de nomine. Nam aliqui, vt iam notavi, ad hoc vt per aliquem actum fiat ens rationis, non requirunt, talem actum esse fingentem, neque conferentem obiecto prædicatum repugnans; neque illud aliter ac est in se concipientem, sed tantum, quod id, quod cognoscit actus, non habeat á parte rei aliquod esse positivum, vel reale, vnde dicunt; talem actum illi obiecto conferre esse obiectivum, quod solum habet in intellectu. Hinc inferunt, per hunc actum verum, *chimera est impossibilis*, fieri ens rationis; quia chimæra se habens vt subiectum illius propositionis, non habet esse positivè, habet que esse in illa repræsentatione. Hinc etiam deducunt, Deum ens rationis efformare. Item ens rationis fieri per simplicem apprehensionem tam complexam, quam incomplexam. Ita Arriaga disp. 6. Metaph. sect. 4. Compton. Disp. 16. sect. 4. Oviedus puncto 6. numero 11. Peynado tract. 4. sect. 7. num. 9.

153. Alij vero ad actum factivum entis rationis requirunt actum fingentem, conferentem que obiecto prædicatum repugnans, vel auferentem illi prædicatum conveniens, illud que aliter ac est in se concipientem. Ex quo inferunt; ens rationis non fieri per actum verum, neque illud Deum efficere neque efformari per apprehensionem complexam, aut incomplexam. Ita omnes fere Doctores cum Sancto Thoma. Pater Vasquez, Recupitus, Hurtadus sect. 5. & 6. Alarcon tractatu 2. cap. 3. num. 5. Herice, Linceus, & nostrates manu scribentes Magistri communiter.

154. Deductiones vtriusque sententiæ, supposito vtriusque proprio fundamento, á nemine dubitari possunt. Vnde totum dissidium in fundamentum reducitur. Audias Arriagam, cui semper veritas cordi, & cri est, vbi supra numero 55. *Hæc quæstio est de sola voce, designatione scilicet verbi facere ens rationis; si enim facere dicatur idem, ac fingere, certum est â Deo non fieri, quia Deus non fingit, at, si facere nil aliud sonet, quam dare illi esse tognitum, certum est â Deo fieri*: Idem ego, sed ne quæstiones irresolutæ maneant secundus modus loquendi mihi in re denomine probabilior iam supra visus fuit. Ideoque.

155. *Dico primo*: per nullum actũ verum fit ens rationis. Probatur; ens rationis solùm fit media cognitione fingente, sed nullus actus verus est fingens: Ergo per nullum actum verum fit ens rationis. Probatur primo. Ex Angelico Præceptore iam â nobis allato Opusc. 42. cap. 1. vbi: *Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere, quod non est, fingendo ac si esset*. Probatur secundo ratione. Ens rationis fit media cognitione attingente obiectum aliter ac est in se, conferendo illi aliquod prædicatum repugnans, vel auferendo ab illo aliquod prædicatum conveniens; sed huiusmodi cognitio est fingens: ergo. Probatur tertio. Per nos ens rationis nil aliud est, quam hæc denominatio *obiectum fictum*, sed hæc denominatio nequit fieri sine cognitione fingente; sicut hęc denominatio obiectum

tum *cognitum* nequit fieri nisi media cognitione; ergo.

156. Dico secundò. Per omnem actum falsum fit ens rationis. Ita Hurtado, Arriaga, Oviedus, Comptonus, Isquier. & Peinado, vbi supra numero 6. Probatur; per nos ens rationis nil aliud est nisi concretum *fictum, seu cognitum aliter ac est in se*: ergo fit per omnem actum falsum. Probatur consequentia; omnis actus falsus, cum sit fictio, est forma constitutiva concreti *fictum*; omne obiectum est capax talis denominationis; posita forma in subiecto capaci necessario resultat denominatio; ergo posito quocumque actu falso, cum necessario habeat obiectum, resultabit ens rationis. Confirmatur: Ens rationis nil aliud est quam obiectum reale falsò cognitum, sed per omnem actum falsum obiectum reale falsò cognoscitur, sicut per omnem actum verum, verè cognoscitur: ergo per omnem actum falsum fit ens rationis.

157. Obiic. 1. Contra primam cõclusionem. Cognitio præcisiva animalis â rationali est vera; sed efficiens rationis: ergo. Probatur minor; cognoscit animal aliter ac est in se; nam animal est rationale, & á tali actu sine rationali cognoscitur: ergo.

158. Resp. Nego minorem, cuius probatio in ipsis terminis implicat. Supponit namque talem cognitionem esse veram, & aliunde probat, attingere obiectum aliter ac est in se, quod est idem ac esse falsam Dico, non esse idem cognoscere animal non cognito rationali; ac cognoscere animal aliter ac est in se positive, siut ad entis rationis efformationem requiritur. Primum solũ arguit cognitionem esse inadæquatam, hoc est, non cognoscere totum obiectum ex defectu speciei. Secundum arguit, cognitionem ex modo tendendi compositivo, vel divisivo conferre prędicatum repugnans obiecto, vel auferre prædicatum conveniens, ac proinde cognitio ita se habens ens rationis efformat: exemplum sit; video manus hominis per fenestram, sicut Balthasar manus quasi hominis scribentis in pariete, non visis reliquis partibus corporis; quia intra cancellos cõtinentur; hæc cognitio manum hominis intentionáliter præscindit á corpore quatenus scilicet vidit manum, non viso corpore, quin efformet ens rationis, quia solum præscisive dividit. At verò si positivè diceret, manus illa est divisa à corpore, certè tunc efformaret ens rationis, quia positivê divideret. Ita in nostro casu, cum cognosco animal non cognito rationali, non efformo ens rationis; quia solum præscisivè divido; si tamen dicerem, animal non est rationale; tunc ens rationis efformarem, quia positivè dividerem.

159. Obiic. 2. Hic actus: *Chimæra est ens fictum*, est verus: sed efficit ens rationis: ergo. Probo minorem, ex vi huius actus chimæra habet existentiam intentionalem obiectivé in intellectu: ergo ex vi illius actus fit ens rationis.

160. Nota, maiorem esse falsam; nam chimæra non est ens fictum, sed ens reale impossibile, sed ea admissa, si ly *fictum* idem, ac est. *Impossibile*, significet, nego minorem, & distinguo antecedens, habet existentiam intentionalē in intellectu fingente; nego; non fingente, sed potius cognoscente rem, sicuti est in se; concedo. Chimęra independenter ab intellectu est realiter impossibilis, & ita cognoscitur ab actu; vnde illi non confertur prædicatum repugnans, nec aufertur prędicatum conveniens. Ea intentionalis positiva existentia, quam in esse cognitæ accipit chimæra, quamque entia positiva similiter accipiunt, non sufficit ad ens rationis conficiendum, cum non sufficiat ad conficiendam denominationem ficti.

161. Obijc. 3. Contra secundam

conclusionem: Hic actus *Petrus currit*: Petro non currente est falsus, sed non efficit ens rationis: Ergo non omnis actus falsus efficit ens rationis. Probo minorem, cursus Petri licet nunc non existat, non est impossibilis, sed possibilis: Ergo actus terminatus ad cursum Petri pro tempore, quo non existit, non efformat ens rationis.

162. Hoc argumentum contra nos non militat, sed contra illos qui asserunt; obiectum actus factivi entis rationis, esse intrinsecè fictum, distinctum que ab omni ente reali possibili. Ego vero contrarium affirmo, scilicet; actum fictivum entis rationis terminari ad ens reale, sicut actus verus modo tamen disconformi ex parte actus, qualiter terminatur hic actus, qui cursum Petri possibilem attingit vt existentem, conferendo illi existentiam actualem, quam non habet.

SUBSECTIO II.

VTRVM APPREHENSIO SIMPLEX efformet ens rationis?

163. APprehensio simplex est duplex; in complexa, quæ est apprehensio vnius termini vt *Petrus*: Vt complexa, quæ est plurium terminorum apprehensio, vt *homo iustus*. Dixi plurium, quia apprehensio complexa vlteriús divisibilis est in puram, & non puram. *Pura* est duorum terminorum, sine copula *est* vel *non est* repræsentatio, *vt Petrus albus*. Non pura est cum tota integra propopositio apprehenditur ab intellectu, absque eo quod hic determinetur, vt assensum præbeat, vel dissensum: Quod tripliciter potest evenire. Primò cum audio alium dicentem, v.g. *astra sunt paria*, totam propositionem apprehendere possum, quin determinatê affirmem, vel negem esse paria. Secundo cum dubitativê dico. *Petrus est dives*? Quin divitem esse affirmen. Tertio interrogativè: v. g. cum rogo *Petrus est nobilis*?

164. Iudico nullam apprehensionem vt talem, gaudere falsitate quidquid sit de veritate, de qua eodem modo discurrunt communiter DD. 1. Primo, quia nulla apprehensio, sive complexa confert obiecto prædicatum repugnans, vel conveniens per affirmationem, vel negationem; sed actus verus est, qui confert obiecto per affirmationem prædicatum conveniens, & aufert per negationem prædicatum disconveniens, & ê contra ille actus est falsus qui confert per affirmationem prædicatum repugnans, vel aufert per negationem prędicatum conveniens ergo. Secundo nullus actus, qui est determinatè verus, vel falsus, est indifferens ad veritatem, vel falsitatem; sed tam apprehensio incomplexa *homo*, quam complexa *homo equus*: Sunt indifferentes ad veritatem, & falsitatem: Ergo. Probo minorem: Hęc apprehensio incomplexa *chimæra*, & hæc complexa *homo equus*, sunt indifferentes ad hoc vt dicatur *chimæra est possibilis: Homo equus non repugnat existere: & sic* constituant propositionem falsam: vel vt dicatur *chimæra est impossibilis: Homo equus repugnat existere* & sic constituant propositionem veram: Ergo tam apprehensio incomplexa, quam complexa indifferentes sunt ad veritatem, vel falsitatem. Hoc supposito pro nunc licet contrarium iudicem in veritate, id que teneam tract.6. sect.4.

165. *Dico* 1. nulla apprehensio, incõplexa aut cõplexa pura efformat ens rationis. Probatur primo. Nulla apprehensio componit concretum fictum: Ergo nulla efformat ens rationis. Probatur antecedens. Nulla apprehensio est fictio: Ergo nulla componit concretum fictum. Probatur antecedens, nulla apprehensio est compositio terminorum incompossibilium; omnis nãque compositio intentionalis fit per affirmationem coniungendo prædicatum subiecto: Ergo nulla apprehensio est fictio, cum nulla possit per affirmationem terminos incompossibiles coniungere.

166. Confirmatur Authoritate Divi Gregorij. Homilia 23. vbi: *Fingere, componere dicimus*. Et Sancti Damaseni dicentis: *Fingere est ex his quæ sunt, ea quæ non sunt per rationem componere*: Ergo ad fictionem requiritur modus compositivus repræsentandi, sed per simplicem apprehensionem sive complexam, sive incomplexam non representatur obiectum modo compositivo: Ergo.

167. Probatur secundò. Nulla apprehensio est actus falsus: ergo nulla apprehensio constituit hoc concretum obiectum falsò cognitum, sed in hoc concreto per nos ens rationis consistit: ergo. Antecedẽs manet iam probatum. Consequentia rectè infertur.

168. Probatur tertiò. Specialiter de apprehensione incomplexa. Apprehensio incomplexa est vnius tantum termini: ergo non confert subiecto predicatum repugnans. Patet consequentia; vt conferret subiecto prædicatum repugnans, deberet attingere subiectũ, cui confertur, & prædicatum, quod confertur: ergo iam non esset vnius, sed duplicis termini apprehensio, ac proinde non esset incomplexa, sed complexa.

169. *Dico secundò*. Nec apprehensio complexa non pura efformat ens rationis. Probatur, vel talis apprehensio non pura v. g. *Petrus est homo*, tribuit obiecto prædicatum repugnans, vel non? Si tribuit iam non est apprehensio, sed iudicium, & sic efformare ens rationis non negabimus, si non tribuit: ergo nullo modo efformat ens rationis, cum non sit actus falsus, nec fictus, nec compositivus per enuntiationem.

170. Dices, non conferre prędicatum formaliter, & ea perfectione, quia iudicium confert; confert tamen virtualiter, & minus perfectè.

171. Contra vel conferre virtualiter prædicatum repugnans est propriè, & simpliciter conferre, vel non nisi solum dispositive, & fundamentaliter? Si primum: ergo propriè, & simpliciter errat, qui integram illam propositionem apprehendit, ac consequenter chatolicus dum apprehendit propositiones hæreticas, hanc v.g. *Deus non est Trinus* vt eas refellat, erit propriè, & simpliciter hęreticus. Probatur, nam eodem modo est hæreticus quis, quo errat in fide, sed propriè, & simpliciter errat in fide, qui integram illam propositionem apprehendit, cum propriè, & simpliciter auferat à Deo prædicatũ *Trinitatis* ergo erit propriè, & simpliciter hæreticus.

172. Si conferre virtualiter prędicatum repugnans est solum dispositivê, & fundamentaliter conferre, quatenus scilicet apprehendendo integram illam propositionem, prębetur intellectui fundamentum, vt ei assentiatur determinatè ipse intellectus? Libenter annuo, sed confert dispositivé, non est propriè, & simpliciter conferre; sic communiter Theologi contra Patrem Vazquium, & alios, asserunt amorem Dei supernaturalem super omnia non sanctificare propriè, & formaliter, licet sanctificet dispositive; ac proinde talis apprehensio solum efficiet ens rationis fundamentale non verò formale.

173. Objic. 1. Contra primam conclusionem: Angelicum Præceptorem sæpe á nobis citatum dicentem. *Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est*. Ergo iuxta Angelicum Præceptorem per apprehensionem fit ens rationis. Respondetur. Per ly *apprehendere* non stricte

stricte apprehensionem, sed quasi vulgari modo loquendi iudicium significare voluisse Angelicum Doctorem; quod patet ex contextu. Sic prosequitur *quando nititur apprehendere, quod non est & fingit illud ac si esset ens*: Quæ vltima verba silentio prætermittuntur ab Arriaga, & Adversarijs, quia ex illis aperte constat mens, & sensus Sancti Thomæ, nam fingere soli iudicio competit.

174. Objic. 2. Apprehensio potest esse falsa: Ergo, & factiva entis rationis. Probatur antecedens: Si præsente auro apprehenderem argentum, talis apprehensio non conformaretur cum suo obiecto: Ergo esset falsa. Respondeo. Nego antecedens, ad probationem nega suppositum, quod obiectum talis apprehensionis sit aurum, esset enim argentum, cui conformatur; nam licet aurum præsens esset, nil haberet cum auro talis apprehensio, si tamen diceret: Illud obiectum præsens esse argentum, ens rationis efformaret; sed non esset apprehensio, sed iudicium.

175. Objic. 3. Hæ sunt apprehensiones incomplexę, *Chimæra, Iupiter*, &c. sed faciunt ens rationis: ergo. Probatur minor primo. Chimæra, & Iupiter, qui sunt obiectum illarum apprehensionum, nullum habent esse, nisi obiective in intellectu; sed actus, cuius obiectum solum habet esse obiective in intellectu, efficit ens rationis; ergo. Probatur secundo. Gentilis apprehendens Iovem, illud obiectum apprehendit, quod iudicat, esse Iovem; sed iudicat, Iovem esse verum Deum: ergo apprehendit Iovem verum Deum: ergo Iovem fictum, non fictum ab alio actu: ergo fictum ab ipsamet apprehensione.

176. Resp. Nego minorem: Ad primam probationem nego maiorem; nam independenter ab illis apprehensionibus, Chimera, & Iupiter habent suum esse realiter negativum, quo cum tales apprehensiones conformantur. Nota: aliud est non habere esse nisi obiective in intellectu, quod falsum est, & aliud, habere esse obiective in intellectu, quod verum est; sed hoc ad ens rationis non sufficit, nam illud esse, quod habent, non est in intellectu fingente; sed in intellectu cognoscente rem per conformitatem cum ea. Vnde esse, quod accipit chimęra vi illius apprehensionis, est esse cognitam, sicut Petrus á cognitione vera esse cognitum accipit, non vero esse fictum, quod necessarium est vt esset ens rationis.

177. Ad secundam probationem respondeo. Concedo maiorem, minorem, & primam, & secundam consequentiam; nego tamen minorem subsumptam, & vltimam consequentiam, cuius falsitas ex ipso modo arguendi cognoscitur; nam si apprehendit Iovem, quem, iudicat, esse verum Deum; ergo apprehendit Iovem fictum ab illo actu, quo esse verum Deum iudicavit: Ergo Iovem apprehendit fictum ab alio actu, non vero ab ipsa apprehensione, per quam nullatenus iudicat intellectus, Iovem apprehensum esse verum Deum, alias iam non esset apprehensio, sed iudicium.

178. Replicabis. Chimęra ab illa apprehensione accipit non solum esse cognitam aliter ac est in se: Ergo accipit esse fictum. Probatur antecedens primo: chimæra accipit ab illa apprehensione esse cognitam per modum vnius entis; sed chimæra in se non est vnum, sed plura entia: Ergo accipit esse cognitam aliter ac est in se. Probatur secundo cum apprehendo chimęram attribuo per identitatem vnum extremu, nempe *hominem* alteri repugnanti, nempe *Leoni*; nam chimęra est complexum ex *homine*, & *Leone*: Ergo cum concipio chimæram, concipio obiectum modo disconvenienti, & aliter ac est in se.

179. Resp.

179. Resp. Nego antecedens. Ad primam probationem iam sæpe dixi, cognoscere vnum ad instar alterius, sicut Angelum ad instar Iuvenis, non esse facere ens rationis; sed cognoscere obiectum per alienas species; admitto nunc chimęram non esse vnum, sed plura entia, quod dependet á determinatione constitutionis impossibilis; an scilicet distinguatur, vel non ab entibus positivis, de quo in Metaphysica. Nunc á tali quæstione præscindo; sed communem sententiam suppono; distingui scilicet, iuxta quam deberet negari, chimęram esse plura entia, affirmare que vnum ens negativum, sicut Petrus est vnum ens positivum. Hinc ad secundam probationem respondeo, hanc apprehesionem non attribuere *hominem Leoni*; sed cognoscere illum, cum supponatur ex parte obiecti dari talem complexum impossibile realiter, sicut supponitur ex parte obiecti, dari hominem realiter possibilem, qui est compositum ex materia, & forma.

180. Objic. 4. Potest quis apprehendere identitatem inter hominem, & equum: ergo & efficere ens rationis per apprehensionem; cum talis identitas nullum habeat esse á parte rei. Respondeo id, quod ad antecedentem replicam; talem identitatem habere suum esse impossibile á parte rei, quo cum conformatur apprehensio. Vel si admittamus, esse fictam, erit ficta antecedenter á iudicio, non fingetur ab apprehensione eam attingente. Insuper si apprehensio est identitatis inter hominem, & equum, non erit incomplexa cum plurium terminorum sit apprehensio.

181. Objic. 5. Possibilis est intellectus apprehensivus, & non iudicativus: ergo saltem talis intellectus efformaret per apprehensionem ens rationis. Respondeo admisso antecedenti, nego consequentiam, & suppositum, quod talis intellectus vllum ens rationis efformaret; in illo enim apprehensiones non essent alterius, sed eiusdem speciei, cum apprehensionibus intellectus iudicativi de facto existentis; vnde non procederent modo compositivo, nec efficerent ens rationis.

182. Objic. 6. Per nos apprehensio est obiectum logicæ, dirigibilis que ab ipsa: ergo quia capax est erroris; sed actus erroris capax, similiter capax est efficere ens rationis: ergo. Confirmatur, si loco *animalis*, quod est genus indefinitione hominis, assumerem *equum*, efficerem ens rationis: ergo vi illius apprehensionis. Probatur antecedens. Si dicerem, *homo est equus rationalis*, ens rationis efficerem: ergo quia loco animalis equum assumpsi.

183. Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens: est capax erroris in se, nego; in ordine ad definitionem, concedo. De hoc iam suo loco abunde, quæ cum sit apprehensio, conformatur cum suo obiecto, vnde ens rationis non efformat; quia huius efformatio á difformitate cum obiecto sumitur. In hoc enim capax erroris non est apprehensio; dicitur tamen capax erroris, seu vt melius loquar, intellectus dicitur capax erroris in eius elicientia, & electione in ordine ad definionem, ad quam si loco generis proximi assumatur remotum, irrecta evadit definitio, & ob hanc causam ad summum apprehensiones dicuntur dirigi, & esse obiectum logicæ.

184. Ad confirmationem respondeo, quod si loco animalis *equum* apprehenderem, vi apprehensionis præcissé non efformarem ens rationis, licet in eius electione á regulis logicæ deviarem. Ad probationem, nota; illam propositionem *homo est equus rationalis* ens rationis efformare, non quia loco generis proximi aliud prædicatum fuit assumptum, quod genus proximum

non sit, nam etiam in hac propositione *homo est substantia rationalis* loco generis proximi animalis assumpta fuit *substantia*, quæ genus proximum non est, & tamen non efficit ens rationis, sed quia loco prædicati convenientis subiecto assumptum fuit prædicatum disconveniens, nempe *equus* vnde actus potest esse irrectus in esse definitionis, & ens rationis non efformare, vt patet in casu iam posito; qui potest non conformari regulis logicæ, & conformari suo peculiari obiecto. Idem evenit in apprehensione *Equi* loco animalis.

185. Obijc. 7. Cognitio conformis enti ficto efficit ens rationis, sed hæc apprehensio *chimara* conformatur enti ficto, nempe chimeræ: ergo. Probatur maior. Cognitio disconformis enti reali efficit ens rationis, sed cognitio conformis enti ficto est disconformis enti reali: ergo.

186. Resp. Nego maiorem, ad probationem distinguo maiorem, cognitio disconformis enti reali efficit ens rationis, quia disconformiter attingit ens reale, tribuendo illi prædicatum repugnans, concedo; aliter, nego. Illa ergo solum cognitio ens rationis efformat, quæ fuerit proprio obiecto disconformis, tribuens nempe illi prędicatum repugnans, sive obiectum sit fictum, sive non sit fictum. Vnde tam longe est, vt actus conformis enti rationis, seu enti ficto ens rationis efficiat, vt potius si esset illi disconformis efficeret ens rationis, sic tam factivus entis rationis esset hic actus, *chimara ficta non est homo Leo*, quia non conformatur cū suo obiecto nempe ente rationis, quam hic actus; *homo non est animal*, & tam verum esset dicere, *chimara ficta est homo Leo*, ac dicere, *homo est animal*.

187. Obijc. 8. Apprehensio incōplexa potest esse vera: Ergo poterit esse falsa: Probatur antecedens, talis apprehensio est conformis cum suo obiecto; cur ergo hæc conformitas veritas non appellabitur?

188. Resp. Hanc conformitatē cōmuniter veritatem non appellari ob rationes supra positas numero 164. & quia in quæstione de nomine communis, & magis authoratus loquendi modus debet amplecti. Audi communem Magistrum Eximium Suarez disput. 8. Metaphy. sectione 3. *Veritas, & falsitas tantum dantur in intellectu componente, & dividente; minime vero in conceptu simplici.* Pro hoc modo loquendi citat ipse Suarez Aristotelem, & Sanctum Thomam, quos sequi tenemur; & licet veritatem apprehensionis concederem ex conformitate cum obiecto, vt dicemus tract. de Peryherme. supra citato falsitas ei concedi nequit, cum possibilis non sit epprehensio, quæ suo obiecto non conformetur, sive obiectum sit possibile, sive impossibile.

189. Obijc. 9. Saltem apprehensio complexa poterit esse vera, vel falsa: Ergo etiam poterit ens rationis efformare. Probatur antecedens: Apprehensio complexa componit duos terminos, eos que coniungit, vnum alteri attribuēs: Ergo si termini alias incompossibiles sunt vt *homo equus*, efficiet ens rationis. Confirmatur hic actus *homo est equus* ens rationis: componit: Ergo hic: *Homo equus*, idem ens rationis componit, cum habeat idem obiectum.

190. Respondeo ad argumentum ex supra dictis, nego antecedens. Ad probationem nego item antecedens; apprehensio namque complexa, neque vnit, neque componit illos terminos, sed ante talem apprehensionem supponitur *homo equus* realiter impossibilis, quem talis apprehensio repræsentat. Vnde ad summum erit vera, nunquam tamen falsa.

191. Ad confirmationem nota cū Patre Fonseca 4. Metphy. cap. 2. quæst. 6. ad 3. apprehensionem complexam ita

ita simplici modo repræsentare terminos obiectivos, vt quem ad modum apprehensio incomplexa, *homo* v. g. repræsentat animal rationale, taliter vt non repræsentet animal vt sic, sed animal quod sit rationale, ita complexa *homo equus*, taliter repræsentat hominem, vt non repræsentet hominem vt cumque, sed hominem, qui fuerit equus, vnde nūquā potest esse falsa talis apprehensio, sicut enim hæc apprehensio: *Omnis homo iustus*, falsa esse nequit, licet aliqui homines non sint iusti, quia talis apprehensio non repręsentat hominem vt cumque; sed eum, qui iustus fuerit. Ita hęc *homo equus* falsa esse non potest; quia licet dentur homines, qui non sint equi, possibiles nempe; illa tamen non repræsentat nisi hominem qui fuerit equus, qualis supponitur, esse hominem realiter impossibilem, cui talis apprehensio repræsentat, & cui iure conformatur. Ideoque licet evadat vera, nunquam tamen falsa.

192. Hinc inferes, hanc propositionem: *Homo est equus*, non habere idem obiectum, quod hæc apprehensio, *homo equus*; nam propositio habet pro obiecto hominem possibilem positivè talem; & apprehensio habet pro obiecto hominem impossibilem: Propositio habet pro obiecto *hominem*, de quo falsum est affirmare *esse equum*, & de quo verum esset negare tale prædicatum; & apprehensio habet pro obiecto hominem, de quo verum est affirmare esse equum, & falsum esset negare tale prędicatum; sicut enim verum est negare de homine esse equum; ita falsum est negare de homine equo esse equum; sicut de homine iusto esse iustum, licet alias de homine solitariè sumpto verè possit negari, esse iustum.

193. Inferes secundo, terminos propositos incomplexè, sæpe sæpius non esse eosdem, qui complexè proponuntur; nam ex his, qui in complexè proponuntur, sępæ habet vnus respectu alterius aliquam vniversalitatem, ratione cuius non convertuntur ad invicem, quam habere nequeunt termini complexe propositi. Itaque tunc solum iudicium, & apprehensio complexa habent idem obiectum, quando termini obiecti repræsentati per pręvias apprehensiones incomplexas non distinguntur á terminis repręsentatis complexè, quod convenit, quando termini non sunt incompossibiles, & aliás ita sunt ęquales inter se, vt nullus habeat aliquam vniversalitatem respectu alterius. Exemplo res c arescet.

194. Hæc propositio *homo est visibilis*, & hæc apprehensio: *homo risibilis* idem obiectum habent; quia *homo*, & *risibile*, sunt termini compossibiles inter se, & ita æquales, vt neque *homo* respectu visibilis, neque *risibile* respectu hominis habeant aliquam vniversalitatem. Valet enim: est *risibile*: ergo *homo* est *homo*: ergo *risibile*. At vero hæc propositio: *homo est animal*, & hæc apprehensio complexa, *homo animal* non habent idem obiectum; quia licet termini repræsentati complexè non sint repugnantes, non sunt tamen æquales, sed animal dicit aliquam vniversalitatem respectu hominis, vnde non valet, *est animal*: ergo *homo*: terminus enim *animal* in illa propositione incomplexè sumptus plures repræsentat, vtpotè ratio generica, quam *animal* complexè sumptum, provt animal humanum, quod est ratio specifica; vnde cum in hac propositione *homo est equus*, neque termini sint complossibiles, nec sint æquales, quia præter equum, qui sit homo realiter impossibilis, datur equus qui non sit *homo*, sed *animal hinnibile* verè, & realiter talis, inde est quod hæc propositio *homo est equus*, & hæc apprehensio *homo equus*, idem obiectum non habeant. Ita latè hanc doctrinam proposui, quia maximé vtilis ad plura.

195. Nota. Præsentem doctrinam locum habere supposita distinctione impossibilium ab entibus positivis, iuxta quam *homo equus* non identificatur cum homine,& equo, sed realiter ab ipsis distinguitur. At iuxta sententiam identificantem impossibilia cum entibus positivis termini huius apprehensionis complexæ *homo equus* sunt idem ac incomplexè propositi; item ex parte obiecti idem attingit apprehensio illa *homo equus*, ac propositio integra *homo est equus*,& ratione diversitatis in modo tendendi apprehensio complexa non est falsa, sicut propositio, vt diximus disputatione prima sectione prima, subsectio 2.num.57. In principijs huius secundæ sententiæ loquuti, non tan defendentes eam vt veram, quam intentates demonstrare, apprehensiones complexas non distingui á propositionibus in eo, quod propositiones attingant ex parte obiecti identitatem prædicati cum subiecto, aliter autem apprehensiones complexas talem identitatem non attingere, cum in hoc pari pede currant; hoc notare libuit, ne malè intellectus in consequentię arguar.

SUBSECTIO III.

AN IVDICIVM, ET DISCVRSVS *ens rationis efforment.*

196. PRima sententia negat, quia totum ens rationis supponunt fictum per apprehensiones antecedentes ad iudicium, ita P.P. Compton. Isquierd. Alphonsus,& alij. Secunda sententia affirmat, ita Hurt. Arriaga,& fere omnes.

197. *Dico primò.* Iudicium efformat ens rationis. Ex supra dictis manet iam conclusio probata. Iudicium enim est actus fingens, cognoscit obiecta aliter ac sunt in se, confert illis prædicata repugnantia, & aufert prædicata convenientia, ea etiam modo disconvenienti attingit: ergo efformat ens rationis.

198. Objic. Ens rationis supponitur factum per prȩvias apprehensiones ad iudicium: ergo per iudicium non fit. Probatur consequentia: effectus ab vna causa adæquata productus ab alia provenire nequit, aliás darentur duæ causæ totales: ergo.

199. Argumentum in nostris principijs negantibus, ens rationis fieri per vllam apprehensionem, nullum est, sed adhuc admisso, quod per apprehensionem fiat, nullum erit; nam iuxta ipsos Adversarios, idem ens rationis fit per potentias materiales, & tamen fit postea per apprehensiones, idem etiam fit primo à Deo per vos, & postea á creatura. Hinc dico; non repugnare plures causas totales intentionales respectu eiusdem effectus (adhuc admisso, quod repugnent plures causæ physicæ totales) sic respectu ejusdem entis rationis plures cognitiones, á quibus fiat; nam sicut idem obiectum potest denominari *cognitum* á pluribus cognitionibus, *amatum* á pluribus amoribus, *visum* á pluribus visionibus; ita *fictum*, seu *cognitum* aliter ac est in se, á pluribus fictionibus: ergo poterit vtique ab apprehensione,& á iudicio idem obiectum constitui in esse entis rationis, seu in esse ficti.

200. Dico secundò. *Discursus* potest facere ens rationis non solum materialiter, vt continet actus iudicij falsos, quoad consequens, de quo postea determinatè loquar, sed etiam formaliter,& quo ad consequentiam,& illationem formalem. Probatur. Potest consequentia ex antecedenti non inferri; ergo tunc quo ad illationem formaliter erit falsus discursus, sive consequens sit falsum, vt in hoc: *Petrus est homo*: ergo *est hinnibilis*, sive consequens sit verum, vt in hoc: *Petrus est animal*: ergo *est bipes*, in vtroque enim discursu, consequentia vt consequentia est, est omninò falsa, & ly *ergo* denotat consequentiam illam, ex illo antecedenti inferri, sensus que eius est: ex eo quod *sit Petrus homo* infertur, esse *hinnibilem*, & ex eo quod *Petrus sit animal* infertur, esse *bipedem*, quod quidem falsum est.

SECTIO II.

DE INTELLECTV DIVINO ERGA ens rationis.

SVBSECIO I.

AN INTELLECTVS DIVINVS ens rationis cognoscat?

201. PRima sententia negat: ita Acutissimus Doctor 1. p. disp. 118 art. 4. eius Discipuli Torres,& Alarcon. Item Linz. problematicè, & Izquierdo quoad entia, quæ ab ipso suppotititia, seu entia rationis impropriè appellantur. Quir.& Caram. in Metalog. n. 122.

202. Reliqui omnes DD. affirmant, immò & aliqui contrariam gravibus inutrunt censurijs præcipuè Pater Molin 1. p. quęst. 14. art. 9. eam hæreticam appellans,& nisi ad quęstionem de nomine reduceretur, indubitabile esset punctū. Ita denique P. Olea d. 68. n. 2.& M. Linz. q. 2. art. 1. n. 6.

203. Probatur primò. Authoritatibus: prima ex Psalm. 102. *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*. Sed ens rationis est figmentum nostrum: ergo. Secunda. Ex Angelico Præceptore 1. part. q. 14. de scientia Dei art. 9. vbi ait: *quæcumque possunt per creaturas fieri, vel cogitari vel dici, omnia cognoscit Deus.* Sed ens rationis potest per creaturas fieri, cogitari, & dici; ergo hoc cognoscit Deus.

204. Probatur secundò ratione, & quidem in nostris principijs adstruentibus, ens rationis consistere in extrinseca denominatione *ficti* nemini dubium; erit. Sicut Deus cognoscit denominationes *amati*, *cogniti*, &c. ita & denominationem *ficti*, cum hęc denominatio tam constet entibus realibus, quam illę, & vlterius Deus scit, me cognoscere obiectum aliter ac est in se: ergo cognoscit obiectum aliter ac est in se esse cognitum; sed hoc est ens rationis: ergo illud cognoscit.

205. Probatur tertiò. Supposito quod ens rationis sit intrinsecè fictum; Deus cognoscit comprehensivé actum factivum entis rationis; sed implicat; Deum cognoscere comprehensivè actum factivum entis rationis, & ens rationis non cognoscere: ergo. Maior est de fide, minor evidens; implicat enim me cognoscere Imaginem Cæsaris vt Cæsaris repræsentativam, & Cæsarem non cognoscere; sed cognitio comprehensiva cognoscit actum factivum entis rationis; vt repræsentativum ipsius: ergo. Consequentia convincit.

206. Probatur quartò. Omne id, quod cognoscibile est, vel in se vel in alio, cuius cognitio imperfectionem nō affert, á Deo cognoscitur; sed ens rationis cognoscibile est vel in se, vel in actu illud fingente, & eius cognitio nullam affert imperfectionem: Ergo cognoscitur á Deo. Maior est evidens. Minor ex solutione argumentorum constabit: Ergo.

207. Confirmatur. Incredibile est; Deum nostræ disputationi attendere, & ignorare obiectum talis disputationis. Item quomodo *Deus* certò scit; hanc cognitionem esse falsam, & hæreticam, *Deus est creatura*: Cum ignoret eius obiectum? Quomodo certò scit; esse dis-

conformem obiecto, cum obiectum non cognoscat?

208. Hæc argumenta ita evidenter convincunt, vt adversarij ad nomina recurrere teneantur sic Pater Vazques. Torres, & alij respondent, *Deum* per dissensum cognoscere ens rationis, non verò per assensum. Sed contra: Dissensus est species cognitionis propiè talis: Ergo cognoscere per dissensum ens rationis est propriè, & simpliciter cognoscere illud. Item si cognoscere per assensum est cognoscerê affirmativê, & cognoscere per dissensum est cognoscere negativè, *Deus* tam per assensum, quam per dissensum ens rationis cognoscit, cum non minùs dicat per negationem, *ens rrtionis non existit realiter positivè* (loquor in sententia admittente illud esse intrinsecè fictúm) quam per affirmationem dicens: *Ens rationis est quid fictum*. In super si per hoc quod est cognoscere per assensu intelligamus idem, ac cognoscere ens rationis, assentiendo illi v.g. assentiendo, & affirmando *hominem esse equum*: Dico, á nemine hucusque dictum fuisse, Deum ens rationis per assensum cognoscere, sed hoc negamus, requiri scilicet talem assensum, vt ens rationis cognoscatur.

209. Obijc. 1. Deus non cognoscit vniversale formaliter: Ergo neque ens rationis. Probatur antecedens. Vniversale non cognoscitur formaliter nisi cognitione præscissiva, & confusa, quæ Deo repugnare, certum est; & ratio huius est; quia sunt aliquę veritates, quæ formaliter nequeunt cognosci nisi speciali modo tendendi in ipsas; ita ens rationis nequit cognosci nisi modo tendendi fallò, & eo modo, quo ab homine cognoscitur; hoc est totum fundamentum Patris Quiros, & Lincei, asserentium; Deum non cognoscere ens rationis formaliter, sed solum æquivalenter.

210. Vide quæstionem ad pura nomina ab his *DD.* redactam. Rogo. Cognoscere ens rationis, & vniversale formaliter, vel est cognoscere practicè efficiendo illa, vel non? Si est cognoscere practicè, vt videtur hi Doctores intelligere: à nemine potest affirmari, nec assertum est huiusque; Deum ita ens rationis, & vniversale cognoscere. Si vt dicatur, *Deum* cognoscere formaliter ens rationis, sufficiat illud speculativè cognoscere, ita vt possit *Deus* vitalis cognitionis rationem reddere de ente rationis; cognoscendo, hominem, obiectum aliter ac est in se cognovisse, subiecto que prædicatum repugnans contulisse, dubitari nequit, Deum ita cognoscere ens rationis, nec ab ipsis dubitatur. Asseritur tamen; hanc cognitionem non esse entis rationis formaliter, sed æquivalenter talis; vnde solúm quo ad nomen á nobis dissident; sed etiam quo ad nomen displicent.

211. Quis enim dubitare potest cognitionem definientem ens rationis esse cognitionem non solum æquivalentem, sed etiam formalem entis rationis, sicut cognitio deffiniens hominem, est cognitio formalis hominis formaliter talis; sed Deus habet cognitionem definitivam entis rationis, cum cognoscat, totum suum esse habere in intellectu fingente: Ergo habet cognitionem formalem entis rationis formaliter talis; qua propter ad argumentum respondeo. Distinguo antecedens, Deus non cognoscit vniversale practicê; concedo. Speculativè; nego; & similiter distinguo consequens; ad probationem nego absolutè, ad cognitionem speculativam vniversalis requiri modum specialem præscisivum, qui solum requiritur ad cognitionem practicam illius. Item ad cognitionem speculativã entis rationis requiri cognitionem falsam, quæ solum ad cognitionem practicam illius requiritur.

212. Obijc. 2. Si Deus conosceret ens

ens rationis, vel cognosceret illud in se ipso, vel in actu fingente: Non in se ipso, quia nullam habet cognoscibilitatem; non in actu fingente; quia iam Deus haberet cognitionem abstractivam, quę vt pote imperfecta, & per alienas species repugnat Deo: Ergo.

213. Respondeo. Deum tam in se ipso, quam in cognitione fingente posse cognoscere ens rationis, in se ipso, quia cum per nos sit ens reale, habet realem existentiam, realem que cognoscibilitatem. In cognitione fingente, quia cognitio Divina ita cognoscens, licet esset minus perfecta, quam cognitio attingens obiectum in se ipso, non tamen esset imperfecta, sicut voluntas Divina, quæ iuxta probabilem sententiam admittentem inæqualitatem in attributis Divinis, est minus perfecta, quam intellectus, & tamen non ideo est positivè imperfecta. Vtrum autem talis cognitio vocanda sit abstractiva, nec ne? Dubitatur. Aliqui non renuunt *Deo* concedere cognitionem abstractivam, immô & formaliter pręscisivam ex vi medij, ita Albis, & Arriaga. Alij asserunt, omnem cognitionem Divinam etiam in alio esse adequatam, & quidditativam respectu obiecti, vnde etiam si *Deus* se cognoscat in creaturis, & hæ solum connectantur cum *Deo* vt vno, & non vt trino, se adæquatè, & comprehentivê cognoscit vi talis cognitionis, quia alias habet speciem adæquatam sui ipsius, ita Sapientisim. Pater Leonardus de Peñafiel, sed quidquid sit de nomine, concede, Deum cognoscere ens rationis in actu fingente non verò per alienas species, si tamen per cognitionem abstractivam præscisse significetur cognitio in alio, concede item, cognitionem illam esse abstractivam; si verò aliud significetur, nega vocem.

214. Obijc. 3. Si *Deus* cognosceret ens rationis, illud efficeret; sed illud non efficit: Ergo neque cognoscit. Probatur maior. Si *Deus* nunc in tempore cognosceret hoc ens rationis factum ab intellectu, etiam ab æterno illud cognovisset, nil enim in tempore novit *Deus*, quod ab æterno non noverit; sed si ab æterno illud novit, illud fecit: Ergo. Probatur minor, si ab æterno illud novit, ens rationis habuit ab ęterno existentiam in intellectu Divinô; sed non communicatam ab intellectu creato; hic namque ab æterno non existit: Ergo ab ipso intellectu Divino existente ab æterno.

215. Retorqueo. *Deus* nunc cognoscit, hunc actum: *Homo est equus*, esse falsum; item nunc cognoscit Deus, peccatum hominis falsò iurantis: Ergo ab æterno actum illum, & peccatum cognovit, non factum ab homine, quia homo ab æterno non existit: Ergo ab ipso Deo factum? En tota efficacia argumenti in principia fidei retorta. Respondeo. *Deum* abæterno cognovisse speculativè ens rationis non factum, sed faciendum ab humano intellectu pro tali temporis differentia, & eodem modo cognoscit *Deus* actus humanos, & peccata ab hominibus facienda, immô & factibilia, quia Deus practicé ipsa peccata cognoscat.

216. Obijc. 4. Si Deus cognosceret ens rationis, destructo intellectu humano illud mens divina conservaret: Ergo & illud faceret; nam actio conservativa eiusdem rationis est cum primò productiva: Respondeo, destructo intellectu humano entis rationis factivo maneret ens rationis in cognitione *Divina*, sed non in cognitione *Divina* fingente, sed cognoscente ipsum ens rationis fictum fuisse ab illo intellectu iam destructo, hoc non est conservare ens rationis formaliter; solum enim fictio illud formaliter conservat; quia fictio potest illud primo producere, cognitio tamen vera, qualis est Divina, illud solum conservat obiectivè;

hoc

hoc est, respicit illud vt obiectum, sicut Deus nunc peccata præterita cognoscit, quin illa conservet, ita illa etiam rationis cognosceret destructo intellectu humano; quin conservaret.

217. Objic. 5. Æquè perfectus est Deus in operando ac in cognoscendo; sed non operatur ens rationis: ergo neque illud cognoscit. Retorqueo. Æquè perfectus est *Deus* in operando, ac in cognoscendo, sed non operatur peccata. Ergo neque ea cognoscit. Item, sed non operatur possibilia numquam producenda; ergo neque ea cognoscit. Resp. Plus se extendit cognitio, quam operatio, virtus cognoscitiva quam productiva; nam indignum est; Deum ens rationis fabricare, quia fingeret, & tamen dignissimum est; Deum ens rationis fictum ab homine cognoscere, quia omni scius est, & iuxta Sanctum Thomam supra: *quæcumque possunt fieri, vel cogitari, vel dici per creaturas, cognoscit Deus.*

218. Objic. 6. Ens rationis est nihil: ergo dum illud cognoscit, *Deus* cognoscit nihil; sed nihil cognoscere, est non cognoscere: ergo Deus non cognoscit ens rationis. Retorqueo. Ergo neque homo cognoscit illud, nam etiam respectu hominis est nihil, & nihil cognoscere, est non cognoscere. Item nec privationes, nec negationes cognoscit *Deus* ob idem argumentum. Resp. In nostris principijs de ente rationis ex entibus realibus constituto, nullum esse argumentum; nam ens rationis non est nihil: in alijs distinguo antecedens, est nihil physicè, & realiter; concedo; est nihil fictum, nego. Sic distinguo consequens, & minorem subsumptam ita, nihil cognoscere, est non cognoscere, idest, cessare á cognitione est non cognoscere. concedo; idest, cognoscere aliquid fictum, & nihilum reale est non cognoscere, nego. Nihil cognoscere indifferens est vt ly *nihil* cadat supra cognitionem, & significet idem, ac cessare á cognitione, vel vt cadat supra obiectum. Primum esset non cognoscere, secundum non esset non cognoscere, sed cognoscere nihilum reale, & aliquid fictum.

219. Objic. 7. Cognitio duplicis contradictorij repugnat Deo; sed si *Deus* cognosceret ens rationis, cognosceret duplex contradictorium: ergo. Probatur minor Cognosceret, hominem esse leonem, & non esse leonem: ergo. Resp. Disting. maiorem. Cognitio duplicis contradictorij assentiendo vtrique vt possibili; concedo; cognoscendo vnum esse impossibile, & alterum possibile; nego. Ita de facto dantur infinitæ cognitiones duplicis cótradictorij in Deo, vnde in casu posito cognoscit *Deus*, Petrum de facto non esse leonem, cognoscit etiam, impossibile esse, quod Petrus sit leo. Item cognoscit, ab homine fingi hoc impossibile vt possibile, & ita ens rationis cognoscit, cognoscet scilicet cognitionem vt est in se, cognoscentem rem aliter ac est in se.

120. Replicabis primò. Cognoscere ens rationis, est cognoscere non ens, ac si esset ens; sed cognoscere non ens, ac si esset ens, est cognoscere duplex contradictorium: ergo. Resp. Neg. mai. sed cognoscit ens rationis, vt non ens, & aliunde cognoscit, ab intellectu cognosci tale non ens, ac si esset ens.

221. Replicabis secundò. Ergo simul sunt in intellectu Divino esse, & nó esse entis rationis. Resp. Dist. consequens, idest simul cognoscit esse ens rationis fictum, & non esse reale, concedo; esse & non esse eodem modo, nego: Esse fictum, & non esse reale, non sunt contradictoria, quia illud esse, & non esse, non se habent eodem modo, sed diverso.

222. Objic. 8. Deus non cognoscit in voluntate creata adhuc vt vltimò disposita determinatè actus liberos; ergo neque in intellectu fingente ens rationis cognoscit. Resp. Neg. cósequentiam, & paritatem, ideo in voluntate creata adhuc vt vltimo disposita non cognoscit Deus actus liberos determinatè, quia adhuc vt vltimò disposita manet voluntas libera, & indifferens ad amorem, & odium, nec determinatam connexionem dicit cum amore potius quam cum odio, ideoque nequit determinatè ducere cognitionem ad vnum potius, quam ad aliud; at verò cognitio factiva entis rationis dicit essentialem, & determinatam connexionem cum ente rationis, quid ergo mirum quod in ea, & in intellectu fingente ens rationis cognoscatur?

223. Objic. 9. Deus solum cognoscit ens rationis per dissensum; sed cognoscere per dissensum, est non cognoscere, ergo. Probatur minor, cognoscere per dissensum est removere; sed removere est non cognoscere; ergo. Resp. neg. maiorem in sensu, quo supra num. 210. loquuti sumus; sed ea admissa nego minorem, ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem; cognoscere per dissensum est removere á ratione obiecti cognitionis, nego; hoc enim implicaret, quia esset obiectum, cum per cognitionem removeretur; & non esset obiectum, quia removeretur á ratione obiecti; est removere intentionaliter, idem ac negare illud esse sicut fingitur esse; concede, & vt ita negetur, debet cognosci.

SVBSECTIO II.

VTRVM DEVS EFFORMET ens rationis?

224. QVæstio est purè de nomine, in qua affirmantes idem negant, & negantes idem affirmant; si stemus supposito affirmantium, certum est, Deum ens rationis efficere, cum certum sit, vt iam probabimus, Deum ens rationis cognoscere, & facere ens rationis iuxta affirmantes nil aliud sit, quam illud cognoscere, habere quæ esse cognitum in intellectu Divino: si tamen stemus supposito negantium, de fide est, Deum non efficere ens rationis, vt notat Hurtadus, cum facere ens rationis sit fingere, & de fide certum sit; Deum non posse fingere.

225. Affirmant, Deum efficere ens rationis, Patres Amic. Albertinus, Valentia, Arriaga. Arrubal, Isquierdus, Sancta Cruz, Peynadus, item Spinula, & alij, quos sequitur Suar. Lusit. d. 2. n. 92.

226. Negant, Deum ens rationis efformare PP. Vazques, Hurtadus, Herice Fasolus, Alarcon, Alphonsus, Quiros, Linceus, Comptonus, Disputatione 16. sectione, 2. Sapien. Pater Thyrsus Gonzalez, *Disputatione* 9. de scientia num. 33. Item Ioannes á Sancto Thoma, & Ioannis, & M. Linc. q. 2. art. 7. num. 9.

227. *Dico. Deus* non efformat ens rationis. Probatur hoc vnico syllogismo: *Deus* non potest elicere actum falsum, neque fingere; sed ad efformationem entis rationis requiritur actus falsus, & fictio: Ergo *Deus* non potest ens rationis efformare. Maior est de fide; minor supponitur á nobis sæpe probata ex Aristotele 5. metaphysicæ, textu 14. & Sancto Thoma Opusculo 42. capite 1. consequentia convincit.

228. Confirmatur. En nostris principijs ab illa solum potentia fit ens rationis, per cuius actus obiectum potest denominari *falsó cognitum, fictum, seu cognitum aliter ac est in se,* sed per nullum actum intellectus Divini potest aliquod obiectum denominari falsò cognitum fictum, seu cognitum aliter ac est in se, cum nullus actus intellectus Divini, sit cog-

cognitio falsa, fictio, seu cognitio obiecti aliter ac est in se: ergo ab intellectu Divino nequit fieri ens rationis.

229. Objic. 1. Sanctum Thomam 1. p q. 15. art. 2. asserentem; respectus quibus multiplicantur ideæ non causantur á rebus, sed á Divino intellectu comparante essentiam suam ad res; non tamen sunt reales respectus, sicut illi quibus distinguntur personæ, sed respectus intellecti à Deo; ergo à *Deo* causantur illi respectus; non reales; ergo rationis.

230. Ex verbis vt sonant sequitur Deum in se ipso formalitates præscindere, ne tamen hoc dicatur, sensum Verborum debes attendere, crede Acutissimo *Doctori* Sanctum Thomam 1. part. disp. 73. cap. 2. sic interpretante; sunt ab æterno in *Deo* plures idęæ non actu distinctæ, sed quę possent distingui, si esset intellectus creatus: hoc cognoscit Deus, vnde illas idæas, vt fundamentaliter distinctas cognoscit; dantur enim plures idææ, & respectus fundamentaliter, non formaliter, aliter enim dantur plures personæ realiter.

231. Objic. 2. Impossibili intellectu creato Deus cognosceret ens rationis: ergo factum ab ipso Deo, cum non detur nec possibilis sit alius intellectus, á quo fieri possit. Resp. Neg. antecedens, nam impossibili intellectu creato, impossibilis esset fictio, á qua obiectum denominetur fictum, vnde & concretum esset impossibile, sicut impossibili albedine esset impossibile concretum album albedine tanquam forma constitutum.

232. Objic. 3. Deus non cognoscit ens rationis sicuti est in se, ergo facit ens rationis. Probo antecedens, quod non est in se, non cognoscitur sicuti est in se; sed ens rationis non est in se, cum nullum esse habeat: ergo. Retorq. ergo nec cognoscitur aliter ac est in se, nam quod in se non est aliter, ac est in se nō cognoscitur: ergo. Resp. In nostris principijs obiectum actus factivi entis rationis est ens reale, ac proinde in se habet esse, vt cognoscatur vel vt est, vel aliter ac est in se. In contarijs ens rationis habet suum esse, licet non reale, fictum tamen ab homine iuxta quod esse cognoscitur á Deo sicuti est in se, idest, cognoscitur vt quid fictum ab homine.

233. Objic. 4. Aqua ex se non est ordinata ad causandam gratiam; sed Deus eam ordinat ad causandam gratiam in Sacramento Bauptismi: ergo aquæ confert ordinem, quem non habet: ergo efformat ens rationis. Respondeo, aquam habere hanc ordinabilitatem obedientialem, licet non naturalem, indeque iuxta illam obedientialem capacitatem, ordinem contulit illi Deus.

234. Objic. 3. Deus potest habere hanc propositionem: *Equus est rationalis, est falsa propositio*: Dividatur secunda á prima propositione, & manet hæc, *equus est rationalis*: En propositio factiva entis rationis; hæc existit in intellectu Divino ergo in intellectu *Divino* existit propositio entis rationis factiva.

235. Ridiculum Argumentum. Ergo *Deus* erit hęreticus, blasphemus, & mendax; patet consequentia. In intellectu Divino sunt hæ, & similes propositiones, *Verbum Divinum est creatura, Deus est iniustus, Antichristus salvabitur, sunt falsæ propositiones*, dividantur ab hac vltima antecedentes, ex quibus prima est hæretica, secunda blasphema, tertia falsa: Ergo.

236. Respondeo, non esse in intellectu divino illam primam propositionem á secunda divisam, sed solum cum illa coniunctam, vnde tota illa integra proposio est subiectum propositionis Divinæ hypotetica, cui prædicatum conveniens, nempe *esse falsam propositionem*, tribuitur. Obiectum ergo Divinæ cognitionis non est *equus rationalis*; nam de equo rationali falsum esset dicere, esse *falsam propositionem*, sed actus fingens; equum *esse rationalem*, de quo verissimum est dicere, esse falsam propositionem, sensus tamen cognitionis Divinę ita se habet, *actus dicens, equum esse rationalem, est falsa propositio*, hoc est, id quod á tali propositione affirmatur, falsum est.

237. Obijc. 6. Causa causæ, & causalitatis, est causa causati; sed Deus est causa cognitionis factivæ entis rationis, quæ est causa, & causalitas illius: Ergo est causa ipsius entis rationis.

238. Respondeo. Distinguo maiorem, si sit causa causæ, & causalitatis in eo genere inquo effectus per causalitatem producitur, concedo: in alio genere; nego; & destinguo minorem. *Deus* est causa cognitionis factivæ entis rationis, causa physica; concedo: intententionaliter repræsentativa; nego. Sic Deus est causa voluntatis, & volitionis peccaminosæ, & non est causa moralis peccati; sic est causa physica suasionis, qua Petrus persuadet Ioanni, vt peccet, non tamen est causa peccati, quia non concurrit adsuasionem in eo genere, inquo suasio concurrit ad peccatum Ioannis, hæc enim concurrit suadendo moraliter, & Deus concurrit producendo physicè; sic cognitio factiva entis rationis concurrit repræsentativè, & vitaliter ad ens rationis, in quo solum genere hoc producitur, & Deus non concurrit ad cognitionem illam repræsentando per ipsam intentionaliter, & vitaliter obiectum aliter ac est in se, sed physicê producendo talem cognitionem.

239. Objic. 7. Deus cognoscit rem aliter, ac est in se cognoscibilis: ergo efformat ens rationis. Probatur antecedens: res creata non est in se infinitè cognoscibilis; sed *Deus* attingit rem creatam infinitè cognoscibilem: ergo. Probatur minor, res creata denominatur à cognitione Divina infinitè cognita: ergo Deus attingit rem creatam, vt infinite cognoscibilem; eodem enim modo, quo res denominatur cognita, debet esse cognoscibilis. Confirmatur. *Deus* est infinite cognoscens comparatione rei creatæ: ergo res creata est infinitè cognoscibilis comparatione Dei; sed non est in se infinitè cognoscibilis: ergo in intellectu Divino.

240. Æquivoco laborat argumentum. Respondeo: nego antecedens, ad probationem distinguo maiorem, non est infinite cognoscibilis, idest non est capax terminandi cognitionem infinitam super comprehensivam; nego: idest, non habet infinitam cognoscibilitatem secum identificatam, concedo; & distinguo minorem; attingit rem creatam, vt infinitê cognoscibilem, cognoscibilitate se tenente ex parte ipsius creaturæ, nego; hoc est, attingit rem creatam capacem terminandi cognitionem infinitam; concedo. Ad probationem, dico; certum esse, ex cognitione Divina, & creatura resultare hoc concretum *infinité cognitum*, sed infinitate se tenente ex parte cognitionis, nō verò ex parte obiecti, quod idē est, ac dicere; rem creatam cognosci á cognitione infinita, ex quo solum sequitur; cognoscibilitatem extrinsecam creaturæ esse infinitam, quæ est denominatio extrinseca, sicut denominatio *cogniti*, non verò cognoscibilitatem intrinsecam se tenentem ex parte obiecti, in quo nulla datur attributio ficta, nec obiecto confertur vlla capacitas, quam ipsum obiectum non habeat. Hinc ad confirmationem respondeo; *Deum* esse infinitè cognoscentem ex parte actus, non vero ex parte obiecti, hoc est, actus cognoscens creaturam est cognitio infinita rei finitę, vnde res creata etiam est infinitè cognoscibilis extrinsecè, & ex parte

parte actus, hoc est, res finita est capax cognitionis infinitæ.

241. Objic. 8. Deus ponit distinctionem, vbi non est distinctio: Ergo facit ens rationis. Probatur, antecedens primò: *Deus* cognoscit essentiam Divinam virtualiter distingui á relationibus, & vnum attributum ab alio: Ergo talem distinctionem facit actualem. Probatur. Distinctio virtualis fit actualis eo præscissè, quod cognoscatur: Ergo. Probatur secundo. Deus affirmat de sua natura *non produci*, & de filiatione *produci*: Ergo distinguit naturam à *filiatione*: item cognoscit, se generare per intellectum, & non generare per voluntatem, misereri per misericordiam, & non per iustitiam: Ergo inter hæc indistincta distinctionem agnoscit. Probatur tertiò. Amor strictus tendit in obiectum bonum præscindendo ab existentia illius, sed in *Deo* est amor strictus: Ergo & cognitio, quæ proponat voluntati bonitatem Divinam præscindendo ab existentia. Ergo eam ab existentia distinguens. Probatur quartò. *Deus* se cognoscit in creaturis vt vnum, non verò vt trinum, quia solum se potest cognoscere vt terminum connexionis creaturæ; sed solũ vt vnus, non vero vt trinus, est terminus connexionis creaturæ: Ergo solum vt vnum se cognoscit: Ergo distinguit vnitatem á Trinitate.

242. Argumentum, & omnes eius probationes tantum probant; in *Deo* dari cognitiones præscisivas, quod si concedatur, non infertur, dari cognitionem factivam entis rationis; nam cognitio prescisiva illud non facit, vt vidimus supra.

243. Respondeo ergo. Nego maiorem ad primam probationem dic: Deum solum cognoscere distinctionem virtualem, quæ in *Deo* re ipsa datur, quæ quidem distinctio (si sit rigorosa virtualis) est capacitas ad terminanda prędicata apparenter contradictoria (si sit virtualis lata) ad terminandas cognitiones præscisivas creaturaram, quin talis cognitio constituat distinctionem illam virtualem, quam cognoscit in esse actualis; distinctio obiectiva virtualis tantum redditur formalis actualis per cognitionem inadæquatam, & præscisivam v. g. distinctio virtualis quę realiter datur inter animal & rationale, solum redditur formalis actualis per cognitionem, qua cognoscitur animal, non cognito rationali; sed cognitio *Div*ina nequit cognoscere personalitatem *sine* natura, nec naturam sine personalitate, aut vnum attributum sine alio: Ergo nequit constituere formalem actualem distinctionem virtualem, quam attingit.

244. Ad secundam probationem respondeo, aliud esse, nos præscindere scientiam Divinam in plures formalitates; & aliud scientiam Divinam pręscindere in obiecto vnam formalitatem ab alia, hoc secundum repugnat; nam cum cognitio quælibet divina sit comprehensiva, debet cognoscere, quidquid est idem, & quidquid connectitur cum obiecto: Ergo cognitio *Divina*, qua Deus cognoscit, naturam Divinam cõmunicari, cognoscit vtique, non communicari paternitatem, & qua cognoscit *Deus*, se punire per iustitiam, cognoscit etiam se per misericordiam misereri. Falsum tamen est, dicere, *Deum* cognoscere, se non punire per misericordiam; hæc enim negativa propositio involuit distinctionem formalem. Ergo cognoscit Deus, se punire etiam per misericordiam, realiter enim hæc est vera propositio; *Deus per misericordiam punit*; primum vero, nempe, nos scientiam Divinam in plures formalitates dividere, sępe evenit, sic in cognitione, qua *Deus* Petrum, & Paulũ simul cognoscit, dividimus formalitatem repræsentatem Petrum á formalitate repræsentante Paulum. Sic concipimus Deum affirmantem de natura sua, quod communicetur, quin concipiamus Deum negantem de Paternitate, quod communicetur, non tamen datur in Deo vnus actus, quin primum solum affimet, & alius qui solum neget secundum.

245. Ad tertiam probationem negant in Deo amorem strictum Patres Herice, Leonardus prima partę tract. 10. disputatione decima, sectione 2. & Neoterici Plures ob rationem argumenti, cum Sapientissimo P. Maza in materia de voluntate: nam iuxta definitionem Sancti Thomæ, amor strictus debet esse præscisivus existentiæ adhuc tanquam obiecti materialis, & repugnat in Deo talis cognitio præscisiva. Concedunt tamen in Deo amorem strictum Eximius Doctor. lib. 3. de Attributis cap. 6. num. 30. Ruiz, & Arriaga, quod si amor strictus requirat præscisionem existentiæ vt ab obiecto materiali, in *Deo* non datur; si verò solum requirat præscisionem ab existentia, vt à ratione formali, hoc est, quod licet attingat bonitatem existentem, eam tamen non attingat, quia existens, vt tenent affirmantes, datur in Deo talis amor, nunquam tamen ens rationis.

246. Ad quartam probationem negant; *Deum* se cognoscere increaturis Eximius *Doctor*, Alarcon, Hemelmam, & alij. Affirmant Herice, Noster Leonardus, & Arriaga, & alij dicunt, Deo non repugnare cognitionem pręscisivam ex parte actus ratione medij, dum aliás non esset pręscisiva ex parte obiecti, hoc est, dummodo nihil esset in obiecto, quod per alios actus realiter identificatos cum illo non cognosceretur, hinc enim esset defectus medij, nempe creaturæ, ex se solum ducentis ad *Deum* vt vnum, quocum connectitur, non verò ad Deum vt Trinum, quo cum non connectitur Pater verò Ruiz disputatione 111. de Trinitate per totam tenet, creaturas connecti formaliter cum Deo vt Trino, vnde etiam ex vi medij Deus se cognosceret increatura tam vt vnum, quam vt Trinum. Pater Leonardus tenet, quod licet medium nempe creatura sit solum, modò cum Deo vt vno connexa, in ea etiam se cognoscit vt Trinum, quia quoties cognoscens habet speciem perfectam alicuius obiecti, licet medium sit imperfectum, in eo cognoscitur tale obiectum maiori perfectione, quam vi solius medij cognosceretur.

247. Objic. 9. Deus potest cognoscere ens rationis instar entis positivi: ergo & illud facere. Resp. Adhuc concesso antecedenti, consequens non infertur, quia cognoscere vnum ad instar alterius, non est facere ens rationis. Sed antecedens est falsum; Deus namque nil per alienas, immò neque per proprias species, cognoscit, cum enim sit intimè præsens omnibus, essentialiter, & ratione sui omnia repræsentat, nos autem speciebus egemus ad supplendam distantiam obiectorum, quæ intellectui nostro intimê pręsentia non sunt, & cũ sæpe propria specie careamus, ipsum vnum instar alterius, vel per speciem alterius concipimus.

248. Objic. 10 Deus cognoscit ens rationis vt tale: ergo illud efficit; Probatur consequentia, eo ipso quod cognoscat ens rationis vt tale, cognoscit rem aliter ac est in se, v. g. si cognoscit hoc ens rationis. *Homo non est rationalis*, cognoscit hominem vt non rationalem; sed homo in se est rationalis: ergo cognoscit rem aliter ac est in se, Confirmatur. Ille homo haberet in intellectu Divino esse, quod nec habet, nec habere potest á parte rei: ergo in intellectu Divino esset aliter ac est in se.

249. Ob hoc argumentum potissimè tenet Pater N. Generalis Thyrsus Gon-

Gonçalez disputatione 9. de scientia num. 47. quod si concedatur ens rationis distingui ab omni ente reali; Deus ens rationis non cognosceret, nam etiam si illud non efficeret, illud cognosceret aliter ac est in se, seu in intellectu Divino haberet homo v. g. aliquod esse quod nec habet, nec habere potest á parte rei. Respondeo. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad probationem nego assumptum; cum enim Deus cognoscit hoc ens rationis, *homo non est rationalis*: cognoscit illud vt est in se, nempe vt quid fictum ab homine, & simul cognoscit verè, & realiter esse *rationalem*; cognoscit tamen ab intellectu humano aliter ac est in se, cum dicit, *homo non est rationalis*. Ad confirmationem respondeo. Illum hominem habere in intellectu Divino, esse cognitum sicuti est in se, & etiam esse cognitum, sicuti ab homine cognoscitur, non tamen habere aliquod esse, quod nõ habet saltem incognitione humana fingente. Hinc ad ponderationem Patris Thyrsi respondeo. Ens rationis, & hominem illum habere hoc esse cognitum in mente Divina, & hoc intellectũ summe perfectum non dedecere, nam ex eo solum infertur, Deum cognoscere, hominem fingere. Sicut enim habere peccata esse intentionale in cognitione Divina non dedecet; quia hoc solum arguit, homines peccare, & Deum cognoscere peccata hominum: ita habere ens rationis esse cognitum in intellectu Divino non dedecet, quia hoc solum arguit, homines fingere, & Deum hominum figmenta cognoscere.

250. Objic. 11. Etiam impossibili intellectu creato Deus haberet hunc actum: *Deus alius præter me est impossibilis*: ergo cognosceret *alium Deum*: ergo alius Deus heberet esse obiectivè in intellectu Divino: ergo hic ens rationis efficeret.

251. Respondeo. Transeat antecedens, hoc est, quod vt sonat detur talis actus in intellectu Divino, & distinguo consequens; cognosceret alium Deum vt est in se; concedo, aliter ac est in se; nego, & similiter distinguo secundum consequens: Alius Deus haberet esse obiectivè in intellectu Divino, esse fictum; nego, esse cognitum; concedo, quod, sepæ diximus, ad ens rationis non sufficere; cum enim alius Deus non sit in se realiter possibilis, & ita cognoscatur, sicuti est in se cognoscitur; idem dic de alijs propositionibus huic similibus v.g. Chimęra repugnat, &c.

252. Replicabis. Non solum cognoscit Deus impossibili omni intellectu creato alium Deum vt impossibilem; sed etiam vt possibilem: ergo efformat ens rationis. Probatur antecedens. Impossibili omni intellectu creato, non solum haberet Deus actum supra propositum, sed etiam hunc: *alius Deus non est possibilis*; sed per hunc actum cognosceret alium Deum impossibilem vt possibilem: ergo. Probatur minor: per hunc actum negaret possibilitatem alterius Dei vt possibilem, sed negare possibilitatem alterius Dei vt possibilem, est cognoscere alium Deum impossibilem, vt possibilem; ergo. Prob. mai. Si per hunc actum non negaret possibilitatem alterius Dei vt possibilem, negaret illam vt impossibilem, sed si negaret possibilitatem alterius Dei vt possibilem, falsò negaret; falsum enim est negare possibilitatem impossibilem alteri Deo, cum verum sit, alium Deum habere possibilitatem, eiusque possibilitatem impossibilem esse: ergo Deus negans possibilitatem alteri Deo, non negat possibilitatem impossibilem; sed possibilem: ergo cognoscit alium Deum impossibilem vt possibilem, ac proinde aliter ac est in se: ergo efformat ens rationis.

253. En Princeps Adversariorum argumentum, cui vtpote Catholici & ipsi

ipsi respondere tenentur; nam eodem tenore, quo probant, talem actum ens rationis efformare, probatur, esse falsum; & eodem modo, quo ipsi à falsitatis nota eum liberaverint, nos vtique ab entis rationis fictore liberabimus; pro omnibus ita que

254. Respondeo, distinguo antecedens, sed etiam vt possibilem, per assensum; nego, per dissensum; concedo. Ad probationem transeat maior, & distinguo minorem, cognosceret alium Deum impossibilem vt possibilem per assensum; nego: Per dissensum; concedo. Ad probationem distinguo similiter minorem; sed negare, &c. est cognoscere alium Deum impossibilem vt possibilem; cognoscere per assensum; nego. Per dissensum; concedo. Solutionem explico: Dupliciter potest cognosci Deus impossibilis vt possibilis, vel per assensum, vel per dissensum, cognoscere Deum impossibilem vt possibilem per assensum, est cognoscere possibilitatem affirmando, illam convenire tali Deo, & adhærendo tali possibilitati speciali modo tendendi actus, affirmativo scilicet: Cognoscere verò Deum impossibilem vt possibilem per dissensum, est cognoscere possibilitatem negando, illam convenire subiecto; quod verissimum est, & à fabrica entis rationis prorsus alienum; ita ergo Deus vi illius actus *alius Deus non est possibilis*, cognoscit possibilitatem alterius Dei, non assentiendo, & adhærendo illi modo tendendi affirmativo; sed dissentiendo illi modo tendendi negativo, vnde nullatenus efformaret ens rationis.

255. Instas simul rogando Quænam sit hęc possibilitas, quæ per dissensum cognosceretur à Deo, negaretur que per illum actum, cum non sit possibilitas impossibilis ob rationem argumenti? Respondeo. Vel esse possibilitatem positivam entium possibilium creatorum; vnde idem est dicere: *Alius Deus non est possibilis*, ac dicere: *Illi non competit possibilitas Petri, Pauli, Andreæ, &c.* Vel possibilitatem ipsius Dei veri, & realis; vnde sensus illius erit: *alteri Deo mea possibilitas non competit.*

256. Sed contra hanc solutionem efficaciter instans; possibilitatem illam removet Deus per illum actum ab alio Deo, quæ si illi competeret, esset positivê alius Deus, & hic verus Deus non esset vnicus, sed etiam si illi competeret possibilitas creaturarum, vel possibilitas ipsius Dei veri non esset positivé alius Deus, neque ab hoc vero Deo vnicitas auferretur: Ergo per illam propositionem Deus non removet ab alio Deo possibilitatem creaturarum, nec possibilitatem ipsius veri Dei. Probatur minor quoad primam partem; possibilitas creaturarum est possibilitas creata, & ab alio, sed si conveniret alteri Deo possibilitas creata, & ab alio, non esset alius Deus, sed potiùs creatura, neque tolleret vnicitatem Dei veri ob eamdem rationem: Ergo.

257. Probatur quoad secundam partem. Si illi Deo communicaretur possibilitas huius Dei, esset Deus; non vero alius Deus, sed idem Deus; sicut ideo communicata natura Divina filio non esset alius Deus á Patre, sed idem Deus, quia filio communicatur eadem possibilitas, & idem esse naturæ Divinę quod est in Patre; ergo.

258. Resp. Quod si alteri Deo conveniret possibilitas creaturarum, vel ipsius Dei veri, esset alius Deus, & non esset alius Deus; Deus hic verus maneret vnicus, & nõ maneret vnicus; hæc tamen contradictio non sequeretur præcisè ex vi hypotesis; sed ex tota propositione hypotetica. Hoc est, vnum contradictorium ex illis sequeretur ex subiecto propositionis, & alterum

rum ex prædicato ; non vero sequeretur vtrumque ex prædicato : nam si illi Deo communicaretur possibilitas creaturarum , esset Deus , vt supponitur ex parte subiecti, & non esset Deus , quia illi ex parte prædicati, communicaretur possibilitas creata, & non Divina; si vero illi communicaretur possibilitas Divina, esset alius, vt supponitur ex parte subiecti, & non esset alius, quia illi cõmunicaretur possibilitas , & natura Divina, quæ ex se non facit alium Deum, vt patet in secunda Persona respectu primæ. Hæc doctrina explicari potest exemplo Theologico: Quærunt Theologi in materia de Trinitate v.g. *Si spiritus Sanctus non procederet à filio, distingueretur ab illo, nec ne*? Alij affirmant, alij negant, communiter tamen Recentes ex Sapientissimo P. Maza respondent. Ex vi hypotesis, quòd *scilicet non procederet*, sequeretur, non distingui : cum tamen supponatur, subiectum propositionis esse eundem Spiritum Sanctum, ac nunc est ex subiecto sequeretur distingui, vnde licet ex hypotesi propositionis, non sequatur quodlibet , distingui scilicet, & non distingui; ex integra tamen propositione hypotetica , hoc sequitur, quid aptius ad rem nostram explicandam?

259. Sed contra proximè dicta instabis. Terminus oppositus vnicitati Divinæ essentialiter excluditur per vnicitatem: sed possibilitas positiva ipsius Dei, aut possibilitas creaturarum non excluduntur per vnicitatem; nam vnicitas cum possibilitate Dei identificatur, & cum possibilitate creaturarum simul coexistit: ergo terminus vnicitatis ab ea exclusus, ei que oppositus non est possibilitas positiva Dei , nec possibilitas creaturarum , sed alia possibilitas; non possibilitas impossibilis, nam cum hac etiam de facto coexistit vnicitas: ergo possibilitas possibilis: ergo & possibilitas ficta. Confirmatur: vnicitas est negatio possibilitatis alterius Dei , sed negatio non compatitur cum termino negato, alias simul existerent esse , & non esse rei : ergo terminus vnicitatis Divinæ non est possibilitas ipsius Dei, nec possibilitas creaturarum, nec possibilitas impossibilis, cum quibus optime compatitur.

260. Resp. Concedo maiorem , & distinguo minorem, sed possibilitas positiva ipsius Dei, aut possibilitas creaturarum non excluduntur per vnicitatem ab ipso Deo, & á creaturis, quorum sunt possibilitas; concedo; ab alio Deo, cuius non est possibilitas ; nego. Terminus oppositionis vnicitatis Divinæ non est possibilitas propria ipsius Dei, aut possibilitas creaturarum , quibus cum , vt optimè probat argumentum , compatitur Deus , sed est ipsa met possibilitas ipsius Dei, quam creaturarum comparatione alterius Dei , sive quod negat, est; propriam possibilitatem, aut possibilitatem propriam creaturarum alteri Deo convenire; vnde terminus vnicitatis neque est alius Deus possibilis vtcumque, neque possibilitas positiva ipsius Dei, neque denique possibilitas positiva creaturarum, sed possibilitas veri Dei, & creatuearum , vt ab alio Deo remota.

261. Dixi transeat in ordine ad admittendas illas propositiones in intellectu Divino, vt sonant: *Alius Deus præter me est impossibilis alius Deus præter me non est possibilis* quia facillimè possum respondere cum gravissimis Doctoribus, & Patre Thyrso supra num. 94. negando, Deum posse habere tales actus & alios similes v.g. *Hominem esse equum est impossibile, si homo esset equus esset hinnibilis* quoad modum significandi, sed solum illos habet quoad rem significatam. Deus enim modo convenienti , & simplicissimo res significatas per hos actus cognoscit , quas quidem res nos ob imperfectionem nostri intellectus signi-

significamus, modo illo exprimente alteritatem ex parte subiecti, & non possibilitatem ex parte prædicati , quod explicari potest doctrina Theologica; Rogant Theologi, vtrum in intellectu Divino dentur hæ cognitiones: *Natura cõmunicatur, Paternitas nõ communicatur*? Resp. Inter alios P. Granadus, has propositiones dari in intellectu Divino quo ad rem significatam , non vero quo ad modum significandi imperfectum. Si tamen Roges: Quæ nam sit res significata? Respond. Deum esse trinum & vnum, quod cognoscendo Deus, re ipsa cognoscit quod nos ob imperfectionem, & tenuitatem intellectus , illis propositionibus significamus. Ita hęc: *Alius Deus non est possibilis*, & similes propositiones erunt in intellectu Divino quo ad rem significatam ; non verò quo ad modum significandi, & eo modo imperfecto, quo á nobis significatur: Si tamen roges: Quæ nam sit res significata per illam propositionem, *alius Deus non est possibilis*? Respondeo, ita Deum se habere: *Ego à nullo dependeo , & omnia possibilia à me necessario dependent*. Ex quo deducimus ; alium Deum esse impossibilem, seu non possibilem.

262. Si verò tibi opponant; ipsum Deum Deutoronom. 3. vers. 29. dicentem: *Videte quod ego sim solus , & non sit alius Deus præter me* ; vnde videtur inferri ; Deum posse habere illum actum. Respondeo. In casu allegato , Deum habuisse pro obiecto Deos fictos á Gentilibus, cognovisse que eos, entia rationis facere tribuendo intentionaliter divinitatem marmoribus , statuis, & hominibus , dixisse, que: Eaquæ vos vt Deos adoratis, non sunt Dij vel melius poteris respondere; in tali casu Deus in suis vocibus se accomodasse tenuitati nostri captus , sic Exod. 2. vers. 8. ad Moysem loquutuus ait: *Sciens dolorem eius* (loquitur de populo Israelitico) *descendi, vt liberem eum de manibus Ægiptiorum* , & tamen re ipsa non descendit, cum sit vbique. Sic Genes. 9. Noemo dixit , *& recordabor fœderis mei vobiscum*? Et tamen non recordatur , quia non obliviscitur , sed se accommodat modo nostro intelligendi , non quia ipse intelligat, sicut verba sonant.

263. Idem dicas de cognitione, qua Deus se vt vnicum , & vnum cognoscit ; nempe cognoscere se vnum, & vnicum quoad rem significatam, non verò quoad modum significandi , nam hę cognitiones vnicitas, & vnitas, quo ad modum significandi videntur denotare terminos exclusionis; sonant item negationem alterius Dei , quæ quidem omnia á nobis explicari nequeunt aliter ob penuriam vocum, & ingenij tarditatem, sed à Deo aliter intelliguntur, modo scilicet non involuente , vllam imperfectionem , quem modum nos illis vocibus explicamus.

264. Nota tamen ; hos actus non excludi ab intellectu Divino ; quia per illos ens rationis efficeret , sed quia essent prorsus alieni á perfectione Divina in cognoscendo; sic non quia falsus, sed quia indecens excluditur á Deo actus fidei. Sic etiam iuxta Patrem Granadum reijciuntur à mente Divina actus illi: *Natura communicatur , Paternitas non communicatur*: Non quia falsi, sed quia alieni à mente comprehensiva.

SECTIO III.

VTRVM VOLVNTAS EFFICIAT ens rationis?

265. PRima sententia affirmat. Ita Scotistæ , Arriaga, Herice , Quiros , Spinula, Disputatione 4. sectione 3. num. 37. Bonespei, Lince, & Alij.

266. Secunda sententia negat. Ita Eximius *Doctor*, Acutissimus *Doctor*, Hurt. Compton. Oviedo, Alphonsus, Ponce, *Disputatione* 1. logicæ, quæstione 7. num. 81. Pater N. Thyrsus Gonzalez disputatione 9. de scientia sectione 6. num. 89. & M. Lince. q. 2. art. 4. n. 6. Item Nostrates Maza, & Olea. d. 11. n. 2.

267. *Dico* voluntas nequit ens rationis efficere. Probatur primò. Ex ipsa nominis ethimologia. Quomodo enim ens rationis efficiet potentia, quæ ratio non est? Probatur secundo. Ens rationis per nos est ens fictum, seu obiectum falsò cognitum resultans ex obiecto reali, & actu fingente, & falsò tanquam ex formâ: sed nullus actus voluntatis est actus fingens, & falsus: ergo ex nullo actu voluntatis potest resultare ens rationis.

268. Probatur tertiò. Illa solum potentia potest ens rationis efficere, quæ potest obiectum suum attingere modo disconvenienti, conferendo illi prædicatum repugnans, vel auferendo ab illo prædicatum conveniens, sed voluntas nequit attingere suum obiectum modo disconvenienti conferendo illi prędicatum repugnans, vel auferendo prędicatum conueniens; hoc enim intentionaliter solum fit per affirmationem, vel negationem, vel dividendo, vel componendo obiecta: ergo voluntas nequit ens rationis efficere.

269. Probatur quartò. Actus reflexus supra ens rationis factum, v.g. Cognitio qua Deus ens rationis factum ab hominibus attingit, non facit ens rationis, quia supponit illud iam factum, & solum speculativè illud respicit, licet illi conferat denominationem cogniti: ergo actus voluntatis similiter, cum sit quasi reflexivus supra ens rationis factum, & propositum sibi ab intellectu, illud non efficiet, sed speculativè respiciet, licet illi conferat denominationem *amati*. Et ratio á priori est; quia voluntas vtpotè potentia cæca nihil potest attingere, quod sibi ab intellectu non proponatur iuxta illud: *Nihil volitum, quin præcognitum*: ergo licet voluntas attingat bonitatem fictum, obiectum aliter ac est in se physicè, &c. hoc non erit defectus voluntatis fingentis, sed intellectus proponētis. Huic enim crimen attribuitur non voluntati; quis enim cordatæ mentis cæcum, qui in foveam incidisset, reprehenderet, dicente oculato; cū huic defectus imputetur, non cæco ductosita intellectui ducenti non voluntati ductæ defectus entis rationis imputandus est.

270. Objic. 1. Ex Patre Lince. Ideo ab intellectu repręsentāte chimæram vt possibilem fit en rationis, quia obiectum non est sicuti ab illo actu repræsentatur, vnde illud attingit aliter ac est in se: ergo ob eandem rationem ab actu voluntatis desiderante possibilitatem chimæræ fiet ens rationis cum idem attingat, &c.

271. Respondeo, nego consequentiam, & paritatem; primo, quia ab intellectu repræsentatur chimæra vt possibilis practicè, conferendo illi possibilitatem; at vero â voluntate attingitur chimęra vt possibilis speculativê, attingendo possibilitatem, sed ab intellectu collatam. Secundo ab intellectu illa possibilitas denominatur ficta cognita aliter ac est in se, &c. in qua denominatione tota entis rationis essentia consistit; at verò à voluntate solum denominatur amata, non ficta. Tertio fabrica entis rationis huius actus voluntatis proveniret à possibilitate, quam conferret chimæræ; sed hæc possibilitas ab ipsa voluntate non confertur sed ab intellectu, qui illi talem possibilitatem proposuit, si enim illi non proponeretur possibilitas chimæræ, illam non amaret, cum solum attingat, quod ipsi proponitur: ergo.

Obj.

272. Objic. 2. Actus ordinans aliquid vt medium ad finem, ad quem ordinabile non est, ens rationis efformat, conferens talem ordinabilitatem obiecto, sed voluntas sæpe ordinat virtutem ad bona temporalia adquirenda, ad quæ virtus ordinabilis non est: ergo. Confirmatur: voluntas peccans ordinat *Deum* ad creaturas, quas facit vltimum finem; nec valet dicere, intellectum *Deū* proponere voluntati vt ordinabilem ad creaturas; quia si hoc ita eveniret, quoties voluntas læthaliter peccat, intellectus incurreret hæresim: ergo.

273. Resp Concedo maiorem, & distinguo minorem. Sed voluntas sæpe ordinat virtutem ad bona temporalia, ad quę ordinabilis non est, neque vt ordinabilis proponitur; nego; adquæ ordinabilis non est, & ipsi vt ordinabilis proponitur, concedo. Admitto, virtutem non esse ordinabilem ad bona temporalia, quod falsum est, aliud enim est stando rectæ rationi non debere ordinari, & aliud non esse vtilem, & ordinabilem; primum est certum, secundum falsissimū; immò & *Deus* ipse vtilis & ordinabilis est ad bona temporalia adquirenda, iniustè tamen; admitto inquam, virtutem non esse re ipsa ordinabilem ad bona temporalia, attamen volūtati proponitur ab intellectu vt ordinabilis, quod ita propositum, collatam que virtuti ordinabilitatem ab intellectu appetit voluntas quin illi conferat nisi solum denominationem amatæ. Nota, voluntatem iuxta Angelicum Doctorem, non esse potentiam ordinativam, ordinare enim vnum ad aliud ad intellectum solum pertinere, docet 1. 2. quæstione 17. art. 2. & iuxta ipsos Scotistas, voluntas non est potentia collativa, nam conferre vnum ad aliud est proprium munus solius intellectus.

274. Ad confirmationem respondeo, voluntatem peccantem solum interpretativè facere creaturas vltimum finem, quatenus scilicet voluntas per peccatum se privat possessione vltimi finis, & amorem soli Deo debitum transfert ad creaturas ordine inverso; non vero facit proprie, & formaliter creaturas vltimum finem, volendo hoc expresè, & affectivè: Vult enim solum voluntate delectabili frui, quæ quidem voluptas ab intellectu pr. ponitur, immò sępe voluptas peccat, quantum est ex se volens, in efficaciter tamen, Deum non offendere; firmiter confitendo, Deum esse vltimum finem creaturarum.

275. Replicabis 1. Voluntas amās peccatum tribuit bonitatem, quam non habet cum voluntas nihil amet, nisi sub ratione boni: Ergo. Respondeo voluntatem nihil amare nisi sub ratione boni vel physici, vel moralis; peccatum enim in se licet sit malum morale, est tamen bonum physicum, & delectabile, vnde voluntas peccans, cum solum amet bonitatem physicam, & delectabilem, quam peccatum habet, non verò bonitatem moralem, quam non habet, non afformat ens rationis.

276. Replicabis 2. Cum quis peccat, errat voluntas non intellectus: Ergo talis error erit ens rationis voluntatis. Respondeo distinguo antecedens quo ad primam partem, errat voluntas moraliter; concedo; physicè; nego: Error moralis non est ens rationis, cum solum consistat in difformitate cum regula rectæ rationis dictante, talem actum non esse eliciendum; non verò in difformitate cum obiecto, conferendo illi prędicatum repugnans, & sicut quis dicens *homo est substantia rationalis*: difformaretur regulis logicæ dictantibus aliter eliciendam esse hominis definitionem, non tamen ens rationis efficeret; quia talis actus non est difformis obiecto, per collationem prędicati repugnantis, ita in casu argumenti.

277. Re-

277. Replicabis 3. Potest voluntas amare misericordiam, & odio habere iustitiam: Ergo conferre iustitiæ prædicatum odibilitatis, quod non habet: Respondeo. Distinguo antecedens quoad secundam partem, si ab intellectu errante vt odibilis proponatur; concedo; si ita non proponatur; nego. Vnde intellectus, non vero voluntas, physicè erraret.

278. Replicabis 4. Voluntas peccans confert Deo relinquibilitatem, & rebus creatis prosequibilitatem iuxta illud: *dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas*: Ergo & efficit ens rationis. Respondeo, distinguo antecedens, id est, Deum non amat, & prosequitur bonum delectabile contra præcepta *Dei*; concedo: Idest, iudicat formaliter, Deum esse deserendum, & prçferēdas creaturas, nego; hoc enim si ita eveniret, cum voluntas peccat, non ipsa, sed intellectus efficeret ens rationis, solum enim intellectus comparat vnum alteri.

279. Objic. 3. Eo quod intellectus vniat, vel dividat obiecta, quæ in se non sunt vnita, aut diversa, ens rationis efformat; sed voluntas vnit sibi obiecta per amorem, & dividit á se per odium: ergo & efficiet ens rationis. Resp. Eo quod intellectus vniat, & dividat obiecta conferendo illis prædicatum aliquod repugnans, ens rationis efficere, quomodo voluntas non vnit, aut dividit; sed solum affectivê; item per amorem voluntas non vnit sibi obiecta, sed potius ipsa vnitur obiectis iuxta illud Divi Agustini: *Amor meus pondus meum illo feror quocumque feror*: & iuxta illud: *voluntas plus est vbi amat, quam vbi animat*: voluntas namque fertur in obiecta ad distinctionem intellectus, qui obiecta trahit ad se.

280. Objic. 4. Saltem voluntas conservabit ens rationis factum ab intellectu, cum illud amet, sicut illud conservat iudicium subsequens, cum illud approbat. Resp. Voluntatem non conservare ens rationis, solum enim illud conservat potentia, quæ illud potest primò producere. Ideo actus approbativus illud conservat, quia si productus non esset, ab illo primò fieret, non verò actus voluntatis, á quo, si factum non poneretur, nullo modo posset fieri.

281. Objic. 5. Diverso modo tendit voluntas in obiectum, diversam que denominationem confert, quam intellectus: ergo & diversum ens rationis efficiet. Confirmatur. Ens rationis vi actus intellectus prçcedit vt cognitum, non tamen vt amatum; ergo vt amatū accipit novum esse, non collatum ab intellectu: ergo á voluntate.

282. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam; nam modus tendendi voluntatis non est efformativus entis rationis, cum sit solum modus tendendi affectivus conformis cum obiecto proximo, quod est obiectū vt repræsentatur ab intellectu, non verò disconformis obiecto per collationem prædicati repugnantis, vel ablationem prçdicati convenientis, qui modus tendendi necessarius est ad efformationem entis rationis; vnde licet ex actu voluntatis resultet nova denominatio, nempe denominatio *amati*, non datur novum ens rationis, sed idem, quod iam supponitur, *amatum* redditur, sicut á cognitione Diuina redditur *cognitum*, quin detur novum ens rationis. Hinc ad confirmationem respondeo. Simul retorquendo illam: vi cognitionis creatç, aqua fit, præcedit ens rationis cognitū á creatura, non tamen cognitum á *Deo*: ergo vt cognitum á *Deo* accipit novum esse. Infertur ne ex hoc, cognitionem *Divinam* ens rationis efformare? Neutiquam; nulla alia ratione, nisi quia etiam si accipiat novam denominationem á mente *Divina*, non tamen quæcumque denominatio est ens rationis, sed

sed denominatio proveniens ab actu conferente obiecto prædicatum repugnans; qualis non est amor, à quo provenit denominatio illa *amati*.

283. Objic. 6. Aliquid potest voluntas conferre, quod non præstat intellectus: ergo & facere ens rationis, quod intellectus non facit. Probatur antecedens; voluntas efficax Divina confert obiecto futuritionem absolutam; sed hanc non præstat scientia simplicis intelligentiç præcedens; immò nec talem futuritionem cognoscit, cum solum terminetur ad possibilia: ergo.

284. Resp. Argumento potius probari, voluntatem posse ferri in incognitum, amareque aliquod obiectum quod non præsupponitur cognitum; nam Deus amat futurum, quod ascientia simplicis intelligentiæ præcedente non cognoscitur, eo que ad hoc intentum vtuntur aliqui Thomistæ. Insuper probat argumentum, solam voluntatem Divinam, quæ conferre potest primò aliquod prædicatum, non verò voluntatem creatam posse efficere ens rationis. Resp. Ergo, futuritionem esse solū extrinsecā denominationē possibili proveniētē vel ab ipsa volūtate efficaci Dei decernentis existentiam rei pro tali temporis differentia, vel ab ipsa existentia tali tempore extitura, item non est vtcumque denominatio, sed denominatio conveniens, & nullatenus repugnans possibili vt tali; & hinc alia disparitas; licet enim futuritio esset aliquod prædicatum intrinsecum rei, cum non sit illi repugnans, collatio talis prædicati non esset ens rationis. Nota; futurum esse obiectum simplicis intelligentiæ per modum effectus, futurum tamen quod respicitur vt effectus á scientia simplicis intelligentia, respicitur vt obiectum á scientiæ visionis.

285. Objic. 7. Voluntas potest amare aliquod impossibile vt possibile; ergo & facere ens rationis. Probatur antecedens. Si aliquis ferventi Dei amore ductus eliceret hunc actum; *vellem esse impeccabilem, ne Deum offenderem*: Amaret impossibile, *esse* nempe *impeccabilem*, quod impossibile est; sed non amaret illud vt impossibile; nam vt impossibile non allicit voluntatem; impossibile namque sub ratione impossibilis amari nequit: Ergo amaret illud impossibile, vt possibile.

286. Si dicas, amare impossibile vt possibile propositum tamen ita ab intellectu; contra erit: Talis actus: Esset charitatis: Rogo: Actus regulans illum vel esset actus, quo proponeretur impeccabilitas vt possibilis, vel vt impossibilis? Si esset actus, quo proponeretur impeccabilitas vt possibilis, esset falsus, & hæreticus, ac proinde non posset regulare actum charitatis; si esset actus, quo proponeretur impeccabilitas vt impossibilis habetur intentum: Ergo possibilitas impeccabilitatis, quæ amatur, non ab intellectu, sed á voluntate tribuitur.

287. Huic argumento mihi aliquando in publicis dissertationibus opposito, sic respondeo; intellectum voluntati proponere, esse impossibilem impeccabilitatem, aliunde etiam cognoscere, bonam esse impeccabilitatem, vtpotè incompatibilem cum potentia peccandi. Voluntas ergo his cognitionibus illustrata, amore que ferventi rapta in hunc actum cōditionatum prorumpi: *Vellem esse impeccabilem*: hoc est, *si esset possibile, quod ego essem impeccabilis, hoc efficaciter vellem, ne Deum offenderem*: qui actus est ferventissimæ charitatis attingens impeccabilitatem, non vt impossibilem, neque vt possibilem absolutè, sed vt possibilem ex suppositione, in quo nullum datur ens rationis, sed fervens amor. Sic dicere solebat Augustinus; *Si Augustinus esset Deus, & Deus esset Augustinus, vellem vt Deus esset Deus, & Deitate privari propter Deum*

Sic communiter dicere solemus *vellem moriar, antequam peccem: vellem non peccavisse*; qui quidem omnes actus sunt cōditionales, & ferventis simi actus charitatis, cum omnes habeant hunc sensum: *si esset possibile*. Nota, in ly *vellem* conditionalem voluntatem denotari, non enim ait absolutè, *volo*, sed *vellem*.

288. Objic. 8. Voluntas Luciferi Deum cum creatura componere appetivit iuxta illud *similis ero altissimo*: error namque hic non intellectus Angelici perfectissimè illustrati, sed voluntatis prævaricatis fuit: ergo & efficientis ens rationis. Resp. Ob superbiam, & invidiam intellectum Luciferi, licet perfectissimum in cognoscendo, fuisse desertum, & obscuratum, effecisse que ens rationis, sicut de Protoparente Adamo discurrit Sanctus Augustinus, proposuisse voluntati possibilem æqualitatem cum Deo, quam Lucifer adamavit.

289. Objic. 9. Bonitas entis rationis vt ratio formalis motiva est quid fictum; sed bonitas vt ratio formalis motiva non attingitur ab intellectu, sed solum á voluntate: ergo ab hac, & non ab intellectu, fingitur. Maior est certa; probatur minor, solum attingitur ab intellectu vt ratio formalis motiva *veritas*, addistinctionem volūtatis, à qua solum attingitur, vt ratio formalis bonitas: ergo.

290. Æquivoco tantum laborat argumentum, & vt illud videas, probo eodem. Deum non cognoscere bonitatem entis realis: bonitas vt ratio formalis motiva voluntatis non attingitur ab intellectu, sed solum á voluntate; ergo vt ratio formalis motiva voluntatis nō cognoscitur à Deo. Resp. Distinguo maiorem; bonitas vt ratio formalis motiva est quid fictum vt ratio formalis motiva voluntatis, concedo, vt ratio formalis motiva intellectus, nego, & distinguo minorem; sed bonitas vt ratio formalis non attingitur ab intellectu, vt ratio formalis motiva voluntatis, nego. Vt ratio formalis motiva ipsius intellectus, concedo. Cum ens rationis fingit intellectus (suppono, esse quid intrinsecè fictum) fingit vtique veritatem, & bonitatem eius; nam qui dat esse, dat consequentia ad esse; & cū veritas, & bonitas sint proprietates entis qualiscūq; fuerit, qui efficit ens rationis, efficit quoque veritatē, & bonitatē eius, sed cū hac distinctione, quod veritatem fingit vt rationem formalem sui ipsius, bonitatem verò, vt rationem formalem motiuam voluntatis. Unde sicut verum est dicere; Deus cognoscit bonitatem vt rationem formalem motiuam voluntatis, & tunc bonitas se habet vt obiectum materiale, non verò vt ratio formalis motiua ipsius intellectus: Ita verum erit dicere; bonitas entis rationis attingitur ab intellectu vt ratio formalis motiua voluntatis, quin ideo attingatur, vt ratio formalis motiua intellectus, sed solum vt obiectum materiale, vel sivis. Resp. neg. supositū quod ad hoc, vt dicatur ficta bonitas vt ratio formalis est volūtatis, requiratur, quod sit ratio formalis actus fingētis vel quod fingatur reduplicatiuè vt ratio formalis est, cum sufficiat, quod sit obiectum materiale.

291. Objic. 10. Plura potest attingere voluntas, quæ non proponantur cognita ab intellectu: ergo poterit ens rationis non propositum ab intellectu ipsa efficere. Probatur antecedens primo. Potest res iudicari, quin præcesserit apprehensa: ergo & amari, quin cognita præcedat; non enim minus certum videtur: *Nil volitum quin præcognitum*, quam nil iudicatum quin apprehensum. Probatur secundo. Voluntas erogandi eleemosynam Pauperi apparenter tali tangit pauperiem, sed hanc non tangit actus regulans eleemosynam, qui vtpotè supernaturalis nequit esse falsus: ergo.

Ar-

292. Argumentum probat; voluntatem posse ferri in incognitum: Contrarium in præsenti non defendimus, sed supponimus; sed neque hoc probare videtur. Resp. Nego antecedens, ad primam probationem; transeat antecedens, de quo suo loco, & nego consequentiam; ratio disparitatis est; intellectus est lux ipsa, vnde ad iudicandum sæpe luce præeunte non eget; at voluntas penitus cæca quomodo sine face prælucente tendere poterit in obiectum? Ad secundum. Distinguo maiorem; tangit pauperiem vt realiter talem, nego, vt apparenter talem, concedo. Actus regulans eleemosynam proponit pauperiem, non qua realiter talem, sed qua apparenter talem, vnde verus est.

293. Objic. 11. Voluntas fingit: ergo & efficit ens rationis: antecedens probatur authoritatibus, Sancti Augustini Epistola ad Marcelinum, Divi Anselmi, & etiam ex varijs Poetarum dictis præcipuè Claudiani, *mens omnis aberrat in vultus, quos finxit amor*.

294. Respondeo. Ab his authoribus dictum esse, voluntatem fingere, ordinare, & falli, non quia ipsa fingat, ordinet, & fallatur; sed quia sequitur intellectum, qui fallitur, ordinat, & fingit, sicut ob eandem rationem dicitur potentia rationalis. Fingere, & ordinare est solius intellectus. Patet ex supra dictis, & ex authoritate Angelici Doctoris 1. 2. quæstione 23. articulo 2. vbi probat, in Brutis non esse imperium, quia imperare, & ordinare est actus proprius rationis, cuius particeps non est Brutum. Uultus non fingit amor, sed mens amore ducta fœditatem vapulcritudinem iudicat iuxta illud: *quis quis amat Ranam, Ranam putat esse Dianam*. Nota *ly putat*, quod est solius intellectus.

295. Objic. 12. Casu, quo voluntas ferretur in incognitum, ens rationis efficeret, tunc enim non supponeretur factum ab intellectu.

296. Casus est implicatorius, vel dic cum aliquibus; tunc voluntatem ens rationis effecturam, quia esset distinctæ speciei ab hac voluntate, & simul non effecturam; quia cum esset voluntas, non esset compositiva per affirmationem, & negationem, qualiter requiritur, vt ens rationis fiat. Vel dic cum alijs: Tunc non effecturam ens rationis, maneret namque in esse voluntatis, vnde non componeret modo dicto, nec in tali prouidentia daretur ens rationis actuale.

295. Sed nota, me non excludere voluntatem ab entis rationis fabrica eo præscissē, quod iam supponatur ens rationis factum ab intellectu, cum sæpè dixerim, idem ens rationis iterum atque iterum per plures actus illud approbantes posse fieri, etiam si factum quaterque supponatur: Sed quia ipsa non habet virturem compositivam, aut divisivam obiecti per attributionem prædicati repugnantis, & ablationem convenientis; inferimus tamen ex ipsius cæcitate, quod si attingat aliquid, quod re ipsa non est, hoc provenire, quia ipsi proponatur ab intellectu, ac si esset, vnde ipsa illud non effingit, sed effectum supponit.

SECTIO IV.

AN SENSUS EXTERNUS ENS rationis effingat?

294. AFfirmant Conimbricenses. Izquierdus, Valentia, & alij. Negant Eximius Doctor, Hurt. Alphonsus, Suarez Luzitanus tract. 9. de ente rationis sectione 2. §. 1. n. 74. Pater Olsina nu. 634. Lect. M. Linc. q. 2. art. 4. num. 10.

299. Nota. Licet quinque sint sen-

sus.

sus externi ad visum tota reducitur quæstio. *Dicò*. Sensus externus non efficit ens rationis. Qui ens rationis ponunt in obiecto intrinsecè ficto, conclusionem probant eo, quod ens rationis sit extra sphæram pontentiæ materialis, cum non sit lucidum coloratum: Ergo percipi nequit á potentia materiali: Ergo neque fieri ab ea, ens enim rationis solum fit per actus illud vt obiectum attingentes. Nos verò, qui ens rationis ab ente reali non distinguimus, aliter conclusionem probare debemus.

300. Probatur 1. In potentia visiva non reperitur actus falsus: Ergo neque factivus entis rationis. Probatur antecedens; in potentia visiva non reperitur actus attingens obiectum modo disconvenienti per affirmationem, & negationem, conferendo scilicet subiecto prædicatum repugnans, vel auferendo prędicatum conveniens modo compositivo: Ergo neque actus falsus. Aristotelem contestor, qui libro 3. de anima textu 21. sic ait: *In quibus est falsum, est compositio conceptuum, tanquam vnum existentium*, ergo neque actus factivus entis rationis eo modo, quo ad ens rationis requiritur. Patet hęc vltima consequentia; ad Ens rationis requiritur actus fingens; vt sæpe diximus, & probavimus ex Aristotele, & Sancto Thoma; sed actus fingens est actus falsus, attingens obiectum modo disconvenienti per affirmationem, & negationem, &c. Ergo.

301. Probatur secundò ad hominem contra aliquos *Doctores*, præcipuè Manuscribentes defendentes, ens rationis non fieri per apprehensiones complexas, & in complexas; quia hæ neque affirmant, neque negant, nec prædicatum repugnans conferunt per affimationem, & negationem; sed precedunt iudicium indifferenter se habentes ad ens rationis componendum, vel non componendum, ad propositionem veram, vel falsam iuxta affirmationem, vel negationem intellectus convenientem, vel disconvenientem obiecto; sed visiones materiales neque affirmant, neque negant, neque prædicatum repugnans conferunt per affirmationem, aut negationem, sed ita præcedunt iudicium indifferenter, vt illud possit esse verum, vel falsum: ergo. Item ideo per vos voluntas non efficit ens rationis, quia neque est ratio, nec falsitatis capax, nec potens componere, aut dividere, per attributionem prædicati repugnantis, vel ablationem prędicati convenientis; sed eodem modo se habet potentia visiva: ergo.

302. Confirmatur primò. Ideo voluntas non efficit ens rationis, licet sæpe attingat rem aliter ac est in se, vt cum vult possibilitatem chimæræ: quia quin affirmet, obiectum ita se habere, aut neget, ita se habere, solum percipit id, quod sibi proponitur ab intellectu: sed potentia visiva, quin affirmet, aut neget obiectum, ita se habere, solum percipit id, quod sibi per species instrumenta, aut alias causas naturales repręsentandum proponitur: ergo licet sępe attingeret id, quod re ipsa non est, v.g. Colores Iridis, aut curbitatem virgę in aqua immersę, non efficiet ens rationis.

303. Confirmatur secundò. Ideo per cognitionem præscissivam animalis â rationali non efficitur ens rationis; quia ex vi talis cognitionis solum attingitur animal; quin affirmetur, esse rationale, vel non esse rationale; sed ex vi visionis colorum Iridis v.g. Solum attinguntur colores, quin affirmetur, esse veros, vel apparentes: ergo.

304. Objic. 1. Sanctum Thomam 1. part. quæst. 17. art. 2. asserentem, falsitatem esse in sensu. Resp. Sensus dici falli nimis latè, quia scilicet sunt occasio erroris, ita in simili casu explicat Aristotelem Acutissimus Doctor 1. p. dis-

putatione 75. capite 2. à num. 14.

305. Obj. 2. Visio materialis confert luci prędicatum re ipsa non conveniens, Cælo v.g. Colorem cæruleum, Iridi varios colores, Item collo columbæ: ergo efficit ens rationis, fallitur que dicente Ovidio. Sexto Methamorph.

> *In quo diversi niteant cum mille colores,*
> *Transitus ipse tamen spectantia lumina falli.*

306. Eximus Doctor libr. 3. de Anima capite 15. n. 7. & 8. cum Aristotele. Pater Comptonus. Item Caramuel in Methalogia lib. 2. docent, omnes illos colores nubium, colli Columbæ, Iridis præcipuè, esse veros colores, & cũ Ecclesiasticus c. 33. vers. 12. præbeat excellẽtiã *Dei* cõmendatã ex Iridis pulcritudine; *vide arcũ, & benedic eum, qui fecit illũ, valde speciosus est in splendore suo*, incredibile est ex fictis, & mentitijs coloribus Deum commendare voluisse. Oriuntur enim illi colores ex repercussione, & refractione lucis in corpore opoco admixta vmbris ipsius corporis, & ex varia admixtione, & reflexione varietas colorum oritur.

307. Sed Demus, tales colores esse solum apparentes; cum enim ideo videantur, quia apparent, non è contra, ideo appareant, quia videntur; visus eos non fingit, cum ipsi sint à parte rei apparentes, & supponantur ad visum, & ipse visus non affirmet, tales colores esse veros, sed eos attingat eo modo, quo sibi proponantur. Rogo quid efficit potentia visiva? Fingit ipsos colores? Neutiquam; supponuntur enim apparentes ex reflexione, & repercussione lucis; affirmat, esse veros? Minus: Affirmare enim solius intellectus munus est; solûm enim denominat illos extrinsecè; & speculative visos, in quo nullum datur ens rationis.

308. Replicabis 1. Ergo si illi colores verê apparent cęrulei, poterunt, vt cærulei ab intellectu *Divino* repræsentari: Respondeo, distinguo consequens, vt cærulei revera, nego, vt apparenter cærulei, concedo; & ita cognoscuntur á Deo.

309. Replicabis 2. Ergo neque intellectus ens rationis efficiet, iudicans eos colores esse cæruleos, cum solum percipiat id, quod per sensus sibi propositum est. Respondeo, nego consequentiam, intellectus enim apparentias vt tales cognoscere debet, non affirmare eas, vt realitates; á sensibus proponuntur ipsi non vt veri, ipse debet disquirere, vtrum veri, vel apparentes sint.

310. Replicabis 3. Turris quadrata á longe perspecta videtur sæpe rotunda: Ergo aliter ac est in se. Respondeo, distinguo antecedens; videtur rotunda; quia ratione distantiæ ita apparet in se; concedo; quia fingitur, ita apparere; nego. Illa enim visio est quasi præscissiva; quidquid videt, est in obiecto, licet non videat quidquid est in obiecto, eo quod ratione distantiæ lateant Angulares prominentiæ illius, vnde attingitur, sicut apparet, absque eo quod affirmetur esse sicut apparet, hoc enim ad intellectum attinet.

311. Obijc. 3. Potentia visiva respicit colorem vbicatum, vbi vbicatus non est: Ergo facit ens rationis. Probatur antecedens multiplici experientia; qui respicit in speculo aliquod obiectum, respicit in speculo vbicatum colorem talis obiecti. Qui respicit medijs perspicilijs multangulis. Qui lipidine oculorum laborant, conspiciunt eundem colorem in pluribus locis; sed idem color in pluribus locis non est: Ergo.

312. Confirmatur: Non solum idem color; sed eadem vbicatio coloris in pluribus locis conspicitur; sed vbicatio eadem in pluribus locis esse, repug-

nat

nat, cum sit modus loco determinato affixus: Ergo conspicitur vbicatio, vbi re ipsa repugnat esse. Probatur maior. Color in pluribus locis conspicitur: Ergo media aliqua vbicatione. Rogo; vel est media eadem, vel media distincta vbicatione? Si primum? Habeo intentum: Si secundum? Ergo cum re ipsa tantum detur vna vbicatio, aliæ a visu fingentur.

313. Si vera est plurium sententia asserentium; species rerum materialium videri, totum rueret argumentum, dicendo, neque in speculo, nec medijs perspicilijs multangulis, nec lipidine oculorum idem color, eademque vbicatio in multiplici loco videri; sed videri species eiusdem coloris, & vbicationis; non enim repugnat eundem colorem multiplices species sui emittere, ex quibus iam hic, iam illic iuxta capacitatē materiæ, inqua repręsentantur videantur; verum omissa hac doctrina, & admissa illa, quæ tenet; vbicationes videri materialiter, quod talè negant Cardinalis de Lugo disputatione 5. de Eucharistia, Bonespei in logica disputatione 3. respon. 1.

314. Resp. Distinguo antecedens, respicit colorem vbi vbicatus non est, vel vbicatus non apparet, nego antecedens, vbi vbicatus est, vel vbicatus apparet, concedo. Certè color ille (idem dic de vbicatione, & simul ad connfirmationem. Respondeo) & eius vbicatio re ipsa non multiplcantur, sed multiplicantur eius apparentes pręsentiæ, ratione dispositionum naturalium speculi perspiciliorum, & oculorum lipidinis, & sicut eadem res potest habere multiplicem præsentiam intentionalem, vel in eodem, vel in pluribus intellectibus, illam repręsentantibus, media specie ab illa emissa, ita media eadem specie habet multiplicem apparentem præsentiam, quin multiplicetur; oculus autem solum perscipit, quod apparet, cum enim non appareat, quia conspicitur, sed potius ideo conspicitur, quia apparet, non tribuendum est hoc potentiæ visivę, sed dispositioni rerum naturali.

315. Replicabis. Quod apparet, nō habet esse á parte rei: ergo si attingitur á potentia, ab illa habet esse. Respondeo distinguo antecedens: non habet esse physicum, vel apparens; nego; physicū, & reale; concedo: licet idem, quod apparet, non habeat illud esse physicum, cuius apparentia est, vt spectrum hominis non est homo; attamen verè, & realiter, & sine vlla fictione habet esse apparens rei illius. Potentia autem visiva non affirmat, illud, quod apparet vt color, colorem esse, sed solum illud attingit, vt apparet.

316. Objic. 4. Virgam, & remum in se rectos videt oculus in aqua curvos, & quasi fractos: ergo facit ens rationis, conferendo curvitatem virgæ, quæ curva non est.

317. Hoc argumentum ex Academicis lib. 3. contra eos, sibi apposuit Divus Agustinus, ipse respondet, audiatis. Quidquid possunt videre oculi, verum vident: ergo ne verum est, quod de remo in aqua vident? Prorsus verum; nam causa accedente, quare ita videretur, si demersus vndæ remus rectus appareret, magis oculos meos falsæ enuntiationis arguerem, non enim videret, quod talibus existentibus causis, videndum fuit. Nolli plures assentiri, quam vt ita tibi apparere persuadeas, & nulla deceptio est. Quid clarius pro nostra sententia illustranda, & explicanda afferri potest, idem ipse vlterius profitetur libro de vera religione capite 33 dicens: *Oculum rectè videre, sed animam perverse iudicare.* Hoc est iudicat; re ipsa remum esse sicut apparet. Ratio autem naturalis illius apparentiæ provenit ex indispositione medij, per quod emittunt species illæ medietates remi, altera per aquam,

aquam, & alia per aerem, quæ sunt media diversa.

318. Objic. 5. Tactus Isaac ens rationis fecit, dum manus Iacob tetigit dicens: *Manus autem sunt Isau*: ergo tactus ens rationis potest facere. Resp. Nego antecedens: ad tactum enim solum attinet id, quod sibi applicatur, percipere; discernere autem inter res applicatas, sententiam que ferre de ejs, ad intellectum pertinet.

319. Objic. 6. Gustus dulces cibos, & bene conditos vt insipidos percipit. Resp. Hoc ex prava palatus dispositione provenire, in quo ex humore bilis excitato per cibos amaros resilit in cibos quos inficit.

SECTIO V.

VTRUM SENSUS INTERNUS efformet Ens rationis?

320. SEnsus internus appellatur imagininativa, seu phantasia hominibus, & brutis cōmunis. Prima sententia vniversaliter affirmat, tā de sensu interno hominis, quam bruti. Ita Rubius. Vallius, Arriaga, & alij. Secunda sententia negat de sensu bruti, affirmat de sensu hominis, ita Cardenalis Toletus, Eximius Doctor, M. Linc. q. 2. art. 5. num. 8. Telles, Comptonus. Sectione 2. num. 4. hic asserit; sensum, vt elevatum ab intellectu simul cum illo ens rationis efficere.

321. Tertia sententia vniversaliter negat. Ita Hurtadus, Quiros, Alphonsus, Oviedus, Suarez Lusitanus, tractatu 2. de ente rationis disputatione 2. num. 76. Olsina, num. 639. Probatur ratione sæpe laudata. Illa solum potentia medijs suis actibus efficit ens rationis, quæ potest conferre obiecto prædicatum repugnans repræsentans, illud modo disconvenienti; sed sensus internus medijs suis actibus nequit ita se habere respectu obiecti. Ad hoc enim prædicatum intentionaliter tribuendum requiritur affirmatio, vel negatio, tendentia que compositiva obiecti: Ergo. Ratio á priori est; quia licet imaginatio possit duo extrema simul, & semel concipere; nequit vnum alteri imaginando tribuere, & sicut cognitio Divina vno simplici actu omnia attingit, quin vnum alteri tribuat, & apprehensio Petri, & Pauli vtrumque attingit, quin vtrumque intētionaliter vniat: Ita phantasia simul, & semel attingit hircum, & servum, quin tribuat hircum servo, licet fundamentum proximum prębeat intellectui, vt illos media affirmatione vniat, & efficiat ens rationis, dicendo: Hircus est sevus.

322. Objic. 1. Phantasia componit entia impossibilia: Ergo. Probatur antecedens. Primo sæpe in somnijs concipimus Taurum, in nos impetum facientem habere manum auro plenam, &c. iuxta illud.

323. Omnia quæ sensu voluuntur vota divno tempore sopito reddit amica quies.

324. Secundo imaginativa montem aureum item efformat. Tertiò canes ad vmbram, & columnam, tanquam si fures essent, allatrant; blandiuntur statuæ Dominum esse phantasiantes, sed hæc omnia sunt opera imaginativę habentia esse tantum in ea: Ergo sunt entia rationis.

325. Respondeo, nego antecedens; nam imaginativa hominis solum fundamentaliter, aut ocasionaliter, cōponit percipiendo scilicet simul, & semel extrema incomposibilia, quæ intellectus componit, vel dividit per affirmationem, vel negationem. Ad primum respondeo, quod si aliquando homo componat extrema incomposibilia

lia in somnijs, hoc tribuitur imaginationi non formaliter, sed occasionaliter ob proximitatem cum intellectu; formaliter tamen erit talis compositio opus intellectus. Sic plures in somnijs discurrere, soluere argumenta, concinnare carmina solent. Ut de quodam Socieratis Scholari, se audijs, refert Pater Eusebius in sua phylosophia, & tamen hoc nequit formaliter tribui imaginativę.

326. Ad secundum idem dic: montem aureum non componi formaliter, sed solum occasionaliter, aut fundamentaliter ab imaginativa, qui solum per *est*, aut *non est*, datur compositio, aut divisio formalis intentionalis. Ad tertiam resopodeo. Canes ad vmbram, & columnam allatrantes (idem dic de blandientibus statuæ tanquam herum) non componere extrema, sed solum ea simul percipere, vnde datur occasio latratui, aliás incideremus in sententiam damnatam Chrisipi, & Laurentij Valle afferentium; Canes habere iudicia, discernere, & discurrere; nam quibus conceditur vis compositiva, vis iudicativa, & discursiva concedi, necesse est.

327. Obj. 2. Phantasia simul cum intellectu operatur: ergo cum eo concurrit ad fabricam entis rationis. Confirmatur primo Ex Sancto Thoma 1. 2. quęstione 14. art. 4. dicente, cogitativam, & reminiscentiam in homine pertingere ad hoc vt propter refluentiam animæ rationalis in ipsa iudicent, ac discurrant circa singularia: ergo saltem vt elevata ab intellectu poterit phantasia simul cum eo ens rationis elicere. Confirmatur secundo ex illo communi axiomatê: *Latius patet ens imaginabile quam possibile.* Ergo imaginatio ens impossibile attingit.

328. Resp. *D*ist. anteced. ea, quæ est capax operari, transeat; ea quæ incapax est operari, nego: Ens rationis incapax est operari phantasia, quia incapax est componere, vel dividere, vt iam probatum manet. Ad primam confirmationem. Respondeo, Sanctum Thomam loco allegato non loqui de cogitativa, & reminiscentia prout convertuntur cum phantasia, sed prout sunt partes intellectus, quomodo phantasię, & imaginativæ poterat Sanctus Thomas discursum concedere? Ita etiam intellige illud axioma: *Ens imaginabile*, &c. Sumitur enim frequenter imaginativa pro ipso intellectu, & imaginatio præcipuè pro apprehensione; sic explica *ens apprehensibile latius patet quam possibile.* Vnde Phantasia elevari nequit ab intellectu ad efformationem entis rationis; cum elevari nequat ad affirmandum, vel negandum vt per se patet.

329. Objic. 3. Phantasia elicit actus falsos: ergo. Respondeo. Distinguo; falsos fundamentaliter; concedo formaliter; nego, falsitas fundamentalis non sufficit ad ens rationis, vt patet in apprehensione præcipuè complexa, est enim falsitas indifferens ad veritatem compositivam, vel falsitatem formalem iuxta determinationem intellectus.

SECTIO VLTIMA.

CONCLVSIO SPECIALIS DE efformatione Entis rationis per discursum.

300. DIco: hic discursus. *Omnis homo est arbor*; sed *Petrus est homo: ergo arbor*: vt formaliter discursus est, non efformat ens rationis. Hanc conclusionem apud neminem vidi; sed meo videri facillime potest defendi. Probatur. Discursus in hoc syllogismo est illatio vt talis; sed illatio vt talis est vera: ergo & discursus; tunc sic; sed solum actus falsus efficit ens

rationis: ergo hic actus, vt formaliter discursus est, ens rationis non efficit. Maior est certa: probatur minor. Hæc propositio hypotetica est vera *si Petrus est equus, Petrus est hinnibilis*: ergo similiter illatio illa vt talis erit vera. Probatur consequentia. Vis illius particulę illativę: *ergo* æquivalet huic iudicio, *hinc sequitur*. Vnde sensus illius syllogismi ita se habet: *Ex eo quod omnis homo sit arbor, & Petrus sit homo, sequitur quod sit arbor*; sed non minus verum est, inferre Petrum esse arborem, ex eo quod omnis homo sit arbor, & *Petrus sit homo*, quam inferre, esse hinnibilem, ex eo quod sit equus: ergo quem ad modum illa propositio hypotetica esset vera, licet sit in materia falsa; ita hæc illatio erit vera, licet præmissa vniversalis sit falsa: ergo vt illatio est, ens rationis non efficit, quidquid sit an materialiter, & vt consequens ens rationis efficiat.

331. Confirmatur primò. Hæc propositio: *si Spiritus Sanctus non procederet á filio, non distingueretur ab eo*: apud Doctos Theologos ens rationis non efficit, quia non affirmat Spiritum Sanctum non distingui á filio, in quo certè efficeret ens rationis, sed non distingui ex suppositione, quod non procedat, quod est verum iuxta ipsos, sed illatio illa vi particulæ illativę *ergo*, non affirmat, Petrum esse arborem vt cumque, in quo ens rationis efformaret, sed esse arborem ex suppositione, quod omnis homo sit arbor, & Petrus sit homo, quod verum est: ergo vt illatio est, ens rationis non efficit.

332. Confirmatur secundò. Ideo voluntas non efficit ens rationis, vt vidimus, quia amat, quod amabile proponitur ab intellectu, & ei non præstat denominatiom ficti, sed solum *amati*; sed conclusio illa solum infert, quod proponitur inferibile ab illis præmisis, cui solum prębet denominationem *illati*, & non *ficti*: Ergo: Maior est communis doctrina; probatur minor: Præmissæ proponunt Petrum, & arborem identificatum cum homine; sed ex Petro, & arbore identificatis cum homine, solum proponitur inferibile Petrum, & arborem identificari inter se: Ergo quod inferibile proponitur ab illis præmisis, hoc solum infert consequentia illa: Ergo.

333. Confirmetur tertio. Iuxta omnes etiam si tam antecedens, quam consequens sint vera in hoc enthimemate; *Petrus est animal: Ergo est bipes*, vt discursus est, efficit ens rationis, quia consequentia ex antecedenti non proponitur vt inferibilis: Ergo ê contra in syllogismo posito, licet tam præmissa vniversalis, quam consequens sint falsa, attamen vt discursus est, non efficit ens rationis, quia consequentia ex præmisis inferibilis proponitur.

334. Objic. 1. Obiectum præmissarum est connexio extremorum cum medio, obiectum conclusionis est connexio extremorum inter se; sed in sylogimo posito tam ficta est connexio extremorum cum tertio nempe arboris, & Petri cum homine, quam connexio extremorum inter se, nempe *Petri, & arboris*, Ergo tam efficiunt ens rationis præmisæ conferendo connexionem extremis cum medio, quam efficit ens rationis conclusio, conferendò connexionem extremis inter se.

335. Respondeo. Distinguo maiorem quod ad secundam partem, obiectum conclusionis est connexio extremorum inter se absolutè, nego; vt inferibilis ex præmisis, concedo, & distinguo minorem, tam ficta est connexio extremorum cum tertio, quam connexio extremorum inter se, si absolutè asfirmetur talis connexio, concedo; si afirmetur vt illata ex connexione extremorum cum medio, nego. Certum est, connexionem identitatis inter *arborem*, & *Petrum* esse fictam absolutè, vnde il-

la propositio *Petrus est arbor* nudè sumpta sine particula *ergo* est factiva entis rationis; at verò talis connexio vt inferibilis, & illata euidentitate, & connexione extremorum cum tertio, nempe *Petri, & arboris* cum *homine* non est ficta. Unde propositio illa coniuncta particula *ergo*, seu vt conclusio, & illatio formalis, ens rationis non efficit, licet aliás si tali particula careret, ens rationis efficeret, quia tali particula modificata illa propositio distinctum, & verum sensum facit, vt iam probatum manet.

336. Obijc. 2. Idem ens rationis, quod supponitur factum ab apprehensione, vel saltem ab vno iudicio, posset vlterius ab alio iudicio fieri. Ergo similiter idem ens rationis factum á præmissis potest á conclusione fieri.

337. Respondeo. Nego consequentiam, & paritatem, nam licet idem obiectum supponatur cognitum aliter ac est in se, potest vlterius á pluribus cognitionibus falsis aliter ac est in se cognitum, seu á pluribus fictionibus fictum denominari, vnde á pluribus cognitionibus idem firiens rationis. At verò nequit obiectum, quod ab vna cognitione falsa fictum denominatur, ab alia cognitione vera fictum denominari; vt per se patet; sed conclusio, vt formaliter illatio, est vera: Ergo nequit ens rationis fictum á præmissis, fictum á conclusione denominari: Ergo.

338 Obijc. 3. Obiectum conclusionis cognitum est aliter ac est in se; nam Petrus in se non est arbor, & cognoscitur vt arbor; sed ita non denominatur á præmissis: Ergo à conclusione.

339. Respondeo. Distinguo maiorem. Cognitum est aliter ac est in se, materialiter, & vt consequens, transeat, vt obiectum conclusionis, nego, vel clarius: Vt illatum, nego: Aliter; transeat. Solutio patet ex dictis; licet enim materialiter vt consequens, & vt obiectum talis propositionis esset cognitum aliter ac est in se, proinde que ens rationis, attamen vt illatum est ex illis præmissis, aliter ac est in se non cognoscitur, cum nil aliud proponatur á talibus præmissis inferibile.

340. Obijc. 4. Licet Petrum esse arborem contineatur in maiori præmissa, scilicet: Omnis homo est arbor, continetur tamen confusè, & in communi; at conclusio expressè, & singulariter prædicatum arboris Petro confert: Ergo ens rationis efformat.

341. Respondeo. Distinguo antecedens quoad secundam partem: prædicatum arboris Petro confert absolutè vt conclusio est, nego; vt inferibile ex præmissis concedo; cum ergo ex præmissis hoc prædicatum erga tale subiectum solum sit inferibile, inde est, quod ens rationis non faciat. Exemplum sit: audio Petrum dicentem *Ioannes est equus*: statim hanc consequentiam infero: ergo est animal hinnibile: Rogo: hæc consequentia vt illatio est, est falsa? Neutiquam; quia implicitè continebatur in antecedenti, licet explicitè prædicatum *hinnibilis* Ioanni conferat, & sensus illius, vt illatio est, ita se habet: Ex eo quod Ioannes sit equus, infertur esse animal hinnibile, quod est ipsa veritate verius: ergo similiter licet expræssè conferat illa consequentia Petro prædicatum arboris sufficit, quod hoc sit implicité, & in communi contentum in propositione maiori ad hoc vt consequentia, vt illatio est, ens rationis non faciat. Immò si audiens hanc propositionem: *Ioannes est equus*: hanc consequentiam inferrem: ergo est *animal rationale*; ens rationis efformarem, licet aliàs propositio illa, vt consequens, & materialiter sit vera, quia ex illo antecedenti non infertur; sed solum esse *animal hinnibile*.

Pro

342. Pro quo. Nota, obiectum adæquatum conclusionis, vt illatio est, non esse *Petrum*, & *arborem* fallo applicata inter se, sed hoc coniunctum (quod in præmissis licet implicitê, iam tamen formatum manet) se habet vt subiectum, ac proinde vt obiectum inadæquatum conclusionis, cuius prædicatum, & partiale obiectum est id, quod sequitur: obiectum enim adæquatum conclusionis ita se habet: *Petrum esse arborem est id, quod sequitur ex his præmissis*, &c. sed hæc proprepositio est vera, licet subiectum illius contineat quid falsum, quod si per simplicem propositionem proferretur esset ens rationis: ergo. Patet minor; rectum subiecti identificatur cum recto prædicati: ergo talis propositio est vera. Item hæc propositio copulativa est vera: *Petrus est equus est propositio*: quia licet falsum sit, *Petrum esse equum*, Tamen verum est; illam propositionem falsam esse propositionem, quod solum est formale obiectum propositionis complexæ: ergo similiter illa propositio: *Petrus est arbor est id, quod sequitur ex his præmissis*: erit vera, quia licet falsum sit, Petrum esse arborem, verissimum est, hanc falsitatem sequi ex illis præmissis.

343. Objic. 3. Ergo si illa consequentia ens rationis non efficit, poterit Deus auditis præmissis illam inferre. Respondeo, concedo consequentiam, nã dicere ex his præmissis ab intellectu humano positis hæc consequentia infertur, cum verissimum sit, dignissimum quoque est intellectu Divino, nam sicut attento errore insipientis dicentis in corde suo *non est Deus*: ait Spiritus Sanctus per Psalmistam 61. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: etiam si falsa sit talis propositio, quia verum est insipientem hanc falsitatem in corde suo dixisse; ita etiam si falsa sit hæc propositio: *Petrus est arbor*: poterit Deus dicere: ergo *Petrus est arbor*; quia verissimum est hanc falsitatem, ex illis præmissis *omnis homo est arbor*, *sed Petrus est homo*: inferri.

(o)

TRACTATVS III.

DE UNIVERSALIBVS.

1. OMnium, quæ vulgò tractantur subtilissimum, & vtilissimum tractatum præ manibus habemus, in cuius studio dimidiam sui studij partem insumpsisse fatetur illustrissimus Caramuel. Tractatum hunc in duplicem dividam disputationem. Prima erit de essentia vniversalis. Secũda de eius
3. causis.

DISPVTATIO I.

DE ESSENTIA VNIVERSALIS.

SECTIO I.

QVID ET QVOTVPLEX SIT universale.

2. VNiversale, quod ab vno, & verso denominationem accipit,

cipit, quia cum sit vnum versatur circa plura est duplex complexum, & incomplexum; complexum est quævis propositio signo vniversali affecta. Vt hæc. *Omnis Homo est Vivens.* Incomplexum est simplex entitas, plura tamē respiciens, vt *animal.* Hoc est quadruplex vniversale in causando, quæ est causa productiva plurium effectuum, vt Deus, Sol, &c. Vniversale in repræsentando cum eadem entitas plura repræsentat. Ut *idem actus intellectus repræsentativus multorum.* Vniversale in significando vt eadem vox canis v.g. quæ significat canem terrestrem, & marinum. Denique vniversale in essendo, & hoc est proprissimum vniversale, de quo in præsenti agimus.

3. Hoc vniversale varie definitur: Sed omnes definitiones in idem recidunt. Aristoteles 7. metaphysicę, cap. 13. Sic illud definit: *Vniversale est, quod est aptum, vt pluribus insit;* primo de interpretatione cap. 5. Sic: *Est aptum vt de pluribus prædicetur.* Secundo Priorum cap. vltimo: ita vniversale est *vnum in multis, & prępter multa.* Ex quibus omnibus definitionibus nota, vniversale iam dici metaphysicum, iam logicum. Vniversale metaphysicum sic define: *Est vnum aptum esse in multis.* Vniversale logicum sic: *Est unum aptum prædicari de multis.*

4. Explicatur definitio ly *vnum* ponitur vt ratio communis, vniversale namque requirit vnitatem non solum vocis (vt Nominales asserunt) sed vnitatem in re significata per nomen, v.g. *animal* est vniversale, vox est vna. Res item significata per vocem est vna per convenientiam in inferioribus, idem scilicet viuens sensibile in homine, & bruto; vnde nec analoga nec æquivoca; sed solum vniuoca sunt proprie vniversalia.

5. Ly *aptum esse in multis*, quod ponitur vt differentia, denotat vniversale requirere veram, & realem pluralitatem in eadem ratione, inqua est vnū, vnde communiter dicitur vnum, & multiplex. V. g. animal in ratione viventis sensibilis, inqua est vnum per convenientiam, multiplicatur realiter in inferioribus, realiter enim distinctum est viuens sensibile, quod datur in homine à viuenti sensibile, quod datur in bruto. Defectu huius multiplicationis non est vniversalis natura Divina quia licet sit vna communis intribus Divinis Personis, non tamen *est* multiplex, sed eadem: nec anima in pluribus partibus corporis, nec eadem albedo Divinitus posita in duplici subiecto, quia nec anima, nec albedo multiplicantur in ratione albedinis, & animæ inqua habent vnitatem; aliud enim est esse vnum, & multiplex, & aliud esse vnum in se, & simul esse vel in pluribus partibus subiecti, vt anima; vel in pluribus subiectis vt albedo.

6. Ratio huius vnitatis, & multiplicitatis vniuersalis nulla alia potest dari, vt optimê Arriaga hic num. 4. nisi communis consensus Philosophorum, qui nomine hoc *vniversale* solum significant rem, quæ cum sit in se vna, multiplicatur tamen in suis inferioribus, ita vt inferiora sint plura in ratione superiori modo explicato: nec in puncto præsenti, quod solum est de significato huius vocis *vniversale* alia ratio à priori quærenda est nisi communis consensus.

7. Objic. 1. Vnitas est proprietas, & attributum entis: ergo nequit vniversale per vnitatem definiri.

8. Resp. Disting. antec. Vnitas transcendentalis seu induisionis á se, & diuisionis á quolibet alio, transeat: de hoc enim in metaphysica; vnitas induisionis in se seu vnio essentialis, nego: sicut enim Petrus v. g. habet duplicem vnitatem, transcendentalem vnam, per quam distingitur ab omni alio á Ioanne v.g. &c. Essentialem aliam, perquam materia, & forma ipsius Petri vniuntur ad constituendum eum: ita in vniversali datur duplex vnitas; prima essentialis, per quam vniuntur eius partes extrinsecè; & hęc est per quam definitur: secunda attributalis, per quam vniuersale iam constitutum distingitur ab alio, quod non est ipsum, & qua non est plura vniuersalia; per hanc non definitur, vnde nec per prædicatum secundarium.

9. Objic. 2. Vnitas intentionalis est extrinseca, & secundum quid; ergo si hæc sufficit ad vniversale, analoga v.g. *sanum* respectu hominis, & vrinæ, erunt vniuersalia: cum hanc vnitatem secundum quid habeant. Respondeo. Nego consequentiam: & ratio est quia licet vnitas intentionalis sit secundum quid, est tamen vnitas nominis, & omnimodæ convenientiæ obiectivæ significatæ per nomen; at vero vnitas analogorum non est vnitas omnimodæ convenientię obiectiuæ: nam ratio significata per nomen analogum est partim eadem, & partim diversa.

10. Objic. 3. Vniuersale non convenit cum vnitatibus realibus in esse vnius, cum sit vnum extrinsecè, & secundum quid; ergo ly vnum positum indefinitione non est genus. Resp. Distinguo antecedens; nō convenit vniuocè, concedo; analogicè, nego. Ex quo ad summum infertur; definitionem vniuersalis non esse strictè, & rigorosè definitionem. Insuper ad propriam definitionem sufficit aliqua ratio communis per analogam convenientiam, vt diximus in Summulis.

Objic. 4. Implicat idem secundum idem esse vnum, & multiplex; ego vniversale vel est vnum tantum; vel multiplex tantum. Resp. Distinguo antec. Vnum, & multiplex in eodem genere concedo; indiuerso genere nego; sicut enim non implicat identitas, & distinctio in diuerso genere, sic animal, & rationale realiter identificantur, & formaliter distinguntur; sic non repugnat in diuerso genere vnitas, & multiplicitas, multiplicitas realis, & vnitas intentionalis.

11. Objic. 5. Ad vniuersale sufficit vnitas extrinseca cum pluralitate intrinseca; ergo è contra etiam sufficiet pluralitas extrinseca cum vnitate intrinseca, ac proinde anima, quæ est vna intrinsecè, & habet pluralitatem extrinsecam ratione plurium partium corporis, inquibus vbicatur, erit vniuersalis. Resp. Nego consequentiam; nam cum constitutio vniuersalis dependeat á libera Phylosophorum voluntate, potuerunt enim per hoc nomen vniuersale aliud constitutum significare, eorum dictis debemus stare. Ipsi dicunt, vniuersale debere esse vnum extrinsecè & multiplex intrinsecè hoc ergo tenemur dicere, & contrarium negare.

12. Replicas. Vniuersale est vnum capax esse in pluribus, & de illis prædicari; sed cum vnitate intrinseca, & pluralitate extrinseca natura Divina est vna in pluribus personis, de quibus prædicatur: ergo sufficit vnitas intrinseca cum pluralitate extrinseca ad vniversale. Respondeo. Distinguo maiorem: & de illis prędicari, in quibus multiplicetur sub eodem nomine, & ratione, concedo, aliter nego. Natura Divina non multiplicatur in personis, sed eadem manet in omnibus, ideoque non est vniversalis.

(o)

(o)

SECTIO II.

VTRVM DETVR VNIVERSALE *à parte rei.*

13. CElebris eſt prima ſententia, quam Ariſtoteles attribuit Magiſtro ſuo Platoni, aſſerens, vniuerſale â parte rei. Eo quod ſtatuat, dari naturas quaſdam ſpecificas ingenerabiles, & incorruptibiles in cornu Lunæ collocatas, à quo ſuo tempore deſcendere, & identificari cum ſingularibus, quam quidem vnitatem habent ante vllam intellectus operationem vtpotè ſeparatæ â ſingularibus reali ſeparatione; & etiam pluralitatum vtpotè aptæ ad ſui realem multiplicitatem per adventum ſingularitatem, quibuſcum identificantur. Ab errore excuſant Platonem Coninbricenſes in prefatione Porphirij quæſt. 1. art. 3. Eximius Doctor, & Sanctus Auguſtinus.

14. Sed quidquid ſit, an Ariſtoteles malè fingeret vt bene impugnaret: contra primo: illæ naturę vel ſunt improductę, vel productæ? Si improductę, ergo & Deus: patet conſequentia, quia omne poſitivum ab æterno exiſtens, & improductum *Deus* eſt. Si productæ: ergo non ſunt vniuerſales; patet item conſequentia, quia nil producitur niſi in ſingulari. Contra ſecundo, quę ſemel non ſunt idem numquam poſſunt identificari, vt per ſe patet; item quæ ſemel realiter ſeparantur ſemel non ſunt idem, ſæparatio enim eſt ſignum diſtinctionis: ergo ſi illæ naturæ vniverſales ſæparatæ ſunt á ſingularibus, realiter diſtinctæ ſunt ab ipſis; ergo numquam poſſunt identificari cum ipſis, ac proinde nec multiplicari in inferioribus, quod requiritur ad vniuerſale. Uide hanc ſententiam pulchre á Comprono impugnatam in logica diſp. 26. num. 2.

15. Secunda ſententia aſſerit, dari vniuerſale á parte Rei, quia vniuerſale ſolum conſiſtit in vocibus, & voces dantur à parte Rei habentes vnitatem in ſe, & pluralitatem, cum plura ſignificent. Ita Nominales.

16. Sed falſiſsimè. Hęc prædicatio eſt vniuerſalis: *Petrus eſt Homo*, ſed de Petro non prædicatur vox *Homo*, aliás eſſet falſa predicatio, ſed ſignificatum vocis; ergo vniuerſale in voce non conſiſtit. Inſuper adeò abſurda eſt hæc ſententia, vt eius inſenſus Sanctus Anſelmus lib. 2. de incarnat. Hæreſiarcas dialecticè compellet nominales hoc aſſerentes.

17. Tertia ſententia eſt Patris Fonſecę 5. metaphiſicę, cap. 28. q. 3. ſect. 2. *D*octor hic triplicem ſtatum in natura diſtinguit, primus eſt naturæ ſecundum ſe, inquo ad ſingularitatem pręcedit in differes, vt ſit in hoc, vel in illo indiuiduo. Secundus eſt ſtatus realis contractionis ad ſingularia. Tertius eſt ſtatus præſciſsionis per intellectū. In primo ſtatu eſt natura vniuerſalis á parte rei, cum ſit vna, & apta vt multiplicetur in inferioribus, in ſecundo ſtatu, cum careat vnitate, non eſt vniverſalis in tertio ſtatu redditur vniuerſalis per intellectum.

18. Contra: per vos natura humana v. g. realiter identificatur cum ſingularitatibus; ergo nec præcedit realiter ipſas ſingularitates, neque eſt indifferens ad ipſas. Aliás idem præcederet, & eſſet indifferens ad ſe ipſum, ac proinde diſtingueretur á ſe ipſo, cum præcedentia, & indifferentia arguat ſeparationē, & ſeparatio diſtinctionem. Vide Arria. diſp. 4. logicæ ſect 2. n. 13.

19. Quarta ſententia Scotiſtarum cum ſuo Scoto 3. metaphyſicæ, q. 16. Aſſerit; realiter dari vnam naturam non realiter ſeparatam à ſingularitatibus, ſed tantum formaliter ex natura rei ita, vt natura humana ex natura rei vna ſit in Petro Paulo, &c. qui ſolum diſtinguntur ratione ſingularitatum, quæ ſuperadduntur naturæ. Ab hac ſententia vindicant Scotum Meriner. & Pont. Scotiſtæ.

20. Contra primo. In principijs Scoti natura humana Petri diſtinguitur á natura humana Pauli ex natura rei: ergo non ſunt vna natura: patet antecedens in principijs Scoti ea diſtinguntur ex natura rei, quibus competunt prædicata contradictoria; ſed naturæ humanę Petri, & naturæ humanæ Pauli competunt prædicata contradictoria; ergo. Probatur minor. Naturæ humanę Petri competit eſſe realiter communicatam Petro, & non eſſe cōmunicatam Paulo; & ſimiliter naturæ humanæ Pauli competit eſſe realiter cōmunicatam Paulo, & nō eſſe realiter cōmunicatam Petro; ergo. Contra ſecūdo. Ideo eſt vna tantum natura humana in Petro, & Paulo ex natura rei, quia realiter conveniunt in ratione hominis, ſed etiam realiter conveniunt in ratione individui: ergo ex natura rei erit vnum tantum indiuidum in Petro, & Paulo. Contra tertio iam increatis eſſet pluſquam Myſterium Trinitatis, cum vna natura eſſet non ſolum in tribus ſed in pluribus perſonis; item iam Petrus, & Paulus eſſent idem inter ſe, cum ſint idem vni tertio, nempe naturę humanę. Inſuper, eadem natura humana eſſet Beata in *D*ivo Petro, damnata in Iuda, vnita Uerbo in Chriſto, & ſeparata á Verbo in Ioanne. Vide Arriag. ſupr. n. 9

21. Quinta ſententia eſt Caietani cap. 4. de ente, & eſſentia q. 6. V bi aſſerit; dari vniuerſale á parte rei non poſitive ex defectu vnitatis poſitivæ, ſed negativè, eo ſcilicet quod natura humanā á parte rei habet quamdam vnitatem negativam; ſeu non repugnantiam ſecundum ſe v. g. licet natura humana Petri non ſit poſitiuè in Paulo, attamen ex ſe non repugnat eſſe in Paulo, nec ex ſe eſt ſingularis aut diſtincta á natura humana Pauli. Vnde ex ſe eſt communis. Hanc fuiſſe mentem Scoti tenet Merinerus cap. 1. de vniuerſalibus diſp. 2. q. 1. Sed hanc non fuiſſe mentem Caietani aſſerunt aliqui Thomiſtę cum Lerma lib. 3. q. 6. dicentes; ſolum ſignificaſſe naturam ſecundum ſe habere vnitatem negatiuam quatenus non repugnat vt ab inferioribus abſtrahatur, quam nos vnitatem fundamentalem poſtea appellabimus.

22. Contra. Vel natura quæ eſt in Petro non repugnat ex ſe determinari realiter per varias differentias ſimul, vel ſucceſsiuè? Non primum, quia natura, quæ identificatur realiter cum Petreitate, nequit ſimul cum Pauleitate identificari; aliás ſequeretur in creatis Myſterium Trinitatis. Non ſecundum, quia identitas eſt invariabilis, ac proinde repugnat, quod natura ſemel identificata Cum Petreitate, iam cum hac, iam cum alia individuatione ſucceſsivè identificetur: ergo.

23. Sexta ſententia eſt Patris Linzei lib. 8. tract. 4. cap. 1. quæ concedit á parte rei vniuerſale denominativum v. g. anima in pluribus partibus corporis, Albedo in pluribus ſubiectis Diuinitus collocata; albedo enim v. g. eſt vna intrinſecè, eſt item pluribus communicabilis, haberetque multiplicitatem ſaltim in concreto, hoc eſt licet nō eſſent *plures albedines* eſſent tamen *plura concreta alba.*

24. Septima ſententia cuius meminit Arria. ſupr. n. 22 pro qua etiam citat P. Peynad. poſtea citandum P. Barthol. Amic. tract. 4. logicę q. 4. dub. 1. & cum eo recentes aliquos, quam que á ſe reſuſcitatam reſpirare, gloriatur S. pientiſs. P. Fran. de la Maſſa hic d. 7. ſect. 2. §. 5. defendit; dari vniuerſale á parte rei.

Quia

Quia natura humana à parte rei est vna & multiplex, vna per similitudinem eiusdem naturę specificæ, quę vnitatem quamdam importat iuxta Aristotelem dicentem Similia sunt, *quorum qualitas est vna*, immò ab eodem similitudo appellatur identitas, iuxta illud, vnivoca sunt: *quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen omnino eadem*. Multiplex autem verè, & realiter, cum natura Petri sit realiter distincta á natura Pauli.

25. Hæc duplex sententia Lincei, & Amici ad nomina reducunt præsentem quæstionem vt optimè Arr. n. 22. allegatur, nihil enim in re affirmant, quod nos negare possimus; certum enim est; eamdem animam esse, & vbicari in pluribus partibus corporis quæ plures partes animatæ dicuntur, item eamdem albedinem posse *Divinitus* poni in duplici subiecto, quod duplex album diceretur; insuper nemo dubitare potest, Petrum, Paulum, & reliqua individua eiusdem speciei esse similia in natura humana, & simil in eis esse plures naturas humanas realiter distinctas, item similitudinem esse quandam vnitatem; hæc á nemine dubitantur, an autem illa multiplicitas animæ, & albedinis in concreto, an hæc vnitas similitudinis naturæ humanæ sufficiant, vt anima, albedo, & natura humana dicantur vniuersalia, nec ne? Est quęstio purè de nomine. Vnde affirmativa opinio nullam aliam instantiam pati potest nisi communem insimilibus quæstionibus; Hoc est, in re denomine cum pluribus esse loquendum.

26. Sit ergo nostra conclusio Non datur vniuersale à parte rei; ita Peripatetica Schola cum Aristotele Angel. Præceptore opusc. de Ente essentia cap. 4. Eximio *Doctore* 6. metaphysicę sect. 2. Quiroz, Arriag. Ovied. Cópt. Pontio, Ioanr. cá Sácto Thoma. P. Pein. tract. 2. de vniuersalibus disp. 4. §. 2. n. 21. P. Olea, tract. 4. de vniv. d. 75. n. 28.

27. Prob. primò. Uniuersale est vnum in multis, seu vnum multiplex; sed repugnat á parte rei aliquod, quod simul sit vnum, & multiplex: ergo repugnat á parte rei vniuersale. Probatur minor. Quidquid á parte rei est vnum, est vnum realiter, & quidquid á parte rei est multiplex, est multiplex realiter; sed repugnat aliquid esse simul vnum realiter, & multiplex realiter: ergo.

28. Probatur secundò. Repugnat à parte rei vnitas constitutiva vniuersalis; ergo & vniuersale. Probo antecedens. Vnitas vniuersalis constituit rem extra plura, inquibus est realiter; nam iuxta Aristotelem sæpe vniuersale dicitur esse vnum in multis, & extra multa; sed repugnat vnitas á parte rei, qua res aliqua constituatur extra plura, inquibus est realiter, vt per se patet: ergo.

29. Objic. 1. Obiecta scientiarum sunt vniuersalia; sed dantur á parte rei: ergo & vniuersale. Resp. Distinguo antecedens: sunt vniuersalia vel fundamentaliter, vel formaliter, concedo, formaliter præscissè, nego: & distinguo minorem: sed dantur á parte rei ea, quę sunt fundamentaliter vniuersalia, concedo; ea, quæ sunt formaliter talia, nego. Solutionem explico. Omnes fere scientiæ v.g. metaphysica, physica, &c. habent pro obiecto non vniuersale formaliter tale, sed fundamentaliter tale, hoc est plures res in aliqua ratione convenientes. Sic Metaphysica habet pro obiecto omnia singularia convenientia in ratione entis, aliquæ vero scientiæ, logica præcipuè, habent pro obiecto vniuersale non solum fundamentaliter, sed formaliter tale, genus scilicet, species, & reliqua prædicabilia. Obiecta illarum scientiarum dantur á parte rei; ex quo solum sequitur, dari à parte rei vniuersale fundamentaliter, obiecta autem harum scientiarum nullo modo dantur á parte rei, hoc est, independenter ab intellectu. Sic cognitio est obiectum Animasticæ, & non datur independenter ab intellectu.

30. Objic. 2. Quoties definitio est vna, res definita etiam est vna á parte rei; sed erga naturam humanam vna datur definitio: ergo & natura humana est vna á parte rei.

31. Resp. Nego maiorem, vel illam distinguo: est vna fundamentaliter, concedo, formaliter, nego; sicutá duplici definitione physicá, & metaphysica, qua homo definitur, non infertur; naturam humanam esse duplicem à parte rei, sic ab vnica definitione non infertur; naturam definitam esse vnam formaliter, sed solum fundamentaliter.

32. Objic. 3. Omne obiectum cognitionis saltem speculativę pręcedit ipsam cognitionæ; sed vniuersale est obiectum cognitionis: ergo illam præcedit: ergo datur ante, seu independenter á cognitione. Resp. transeat maior. Sic cognitio Diuina supra se ipsam reflectens se ipsam non supponit; & nego minorem nam vniuersale non est obiectum, cognitionis illud constituentis, sicut cognitum non est obiectum cognitionis, qua exercitè tale concretum constituitur, sed est effectus formalis ex ipsa cognitione, & ex obiecto resultans.

33. Obj. 4. Vniuersale est denominatio extrinseca resultans ex natura, & cognitione: sed denominatio extrinseca, natura, & cognitio dantur á parte rei: ergo & vniuersale. Resp. Concedo maiorem; & distinguo minorem: à parte rei, idest, sine fictione, concedo; à parte rei, id est independenter ab intellectu, nego; hoc solum negamus vi præsentis asserti.

34. Objic. 5. A parte rei datur singulare: ergo & vniuersale; probatur. Quoties á parte rei datur vnum correlativum, & aliud similiter debet dari; sed vniuersale, & singulare sunt correlativa: ergo vtrumque debet dari à parte rei. Resp. *Distinguo* antecedens; singulare fundamentaliter, concedo; formaliter, nego, & sic distinguo consequens. Vniuersale fundamentale, & singulare fundamentale sunt correlativa, vtrumque datur à parte rei; singulare formaliter hoc est in esse inferioris respectu alicuius rationis superioris est correlativum vniuersalis formaliter in esse superioris; vtrumque non datur á parte rei, aliter correlativa non sunt.

35. Objic. 6. Cui conveniunt proprietates entis existentis á parte rei, cóvenit etiam existere à parte rei; sed vniversali conveniunt huiusmodi proprietates: ergo. Probatur minor. Uniuersale est ingenerabile, & incorruptibile: ergo. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem distinguo antecedens: est ingenerabile, & incorruptibile positivè, nego; præscisivè, concedo; esse positivè ingenerabile, & incorruptibile sunt proprietates entis existentis à parte rei, hæ non conveniunt vniuersali; cum non sit aliqua entitas positiva capax generationis, & corruptionis; esse ingenerabile, & incorruptibile præscisivè hoc est præscindere ab inferioribus, & singularibus inquibus exercetur generatio, & corruptio, convenit vniuersali; hæ tamen præscisivæ denominationes non sunt proprietates entis existentis á parte rei.

36. Objic. 7. Natura humana realiter non est singularis: ergo est vniversalis. Prob. consequentia. Si natura humana realiter esset singularis, non posset fieri per mětem vniversalis; Ideo enim natura Diuina fieri nequit vniversalis per mentem, quia in se singularis est. Respondeo. Nego suppositum, quod detur natura humana prout hoc nomine significatur, ita enim significata iam sonat præscisionem: á parte rei solum dantur plures naturæ huma-

næ realiter distinctæ, convenientes tamen, & similes. Ad probationem respondeo, naturam Diuinam nec per mentem fieri vniuersalem, non quia est singularis prȩscissè, sed quia est vnicè singularis; hoc est, quia ita singularis est, vt nullam habeat convenientiam, quæ sit fundamētū, vt intellectus illam vniuersalem efficiat.

37. Objic. 8. Nulli potest vere convenire per intellectum prȩdicatum, quod illi repugnat, & cuius oppositum habet in se; sed per nos naturæ à parte rei repugnat vniuersalitas, & ipsa habet in se prȩdicatum oppositum vniversalitati, nempe singularitatem; ergo nec per mentem potest illi convenire vniuersalitas, si est singularis realiter. Confirmatur. Ideo nec per mentem verè convenit equo prædicatum rationalis, quia tale prædicatum realiter illi repugnat, & equus oppositum in se habet: ergo.

38. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem quoad primam partem; repugnat vniuersalitas extrinseca per mentem, nego; intrinseca, & realis concedo; & nego suppositum secundȩ partis, quod singularitas realis, & intrinseca sit opposita vniuersalitati extrinsecæ per mentem. Naturæ realiter singulari repugnat intrinseca vniversalitas, hȩc nec per mentem illi advenit; vniuersalitas autem extrinseca prȩscisiva non repugnat vnicuique naturæ, sicut & vnitas extrinseca omnibus naturis: Hæc vniuersalitas extrinseca solum advenit naturæ intrinsecè singulari, & hȩc vnitas extrinseca solum advenit naturis realiter distinctis per intellectum; vnitas extrinseca non opponitur pluralitati intrinsecæ, sicut nec vniuersalitas extrinseca singularitati intrinsecæ. & hæc est confirmationis solutio. Rationalitas non est prædicatum secundæ intentionis, quod nequit convenire alicui solum per mentem, sed eo ipso quod conveniat, convenit realiter intrinsecè, ideoque opponitur equo; aliter prædicata vniversalis, generis, &c. quæ sunt secundæ intentionis, & denominationes extrinsecæ á cognitionibus in obiecta provenientes.

39. Instas. Homo per intellectum non est simpliciter homo: ergo nec vniversale per intellectum erit simpliciter vniversale. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam: quia prædicatum hominis est primæ intentionis, cū sit esse principium sensationis, & ratiocinationis, quod per mentem nulli potest propriè convenire: at esse vniuersale est prædicatum secundæ intentionis, & solum per mentem potest propriè convenire.

40. Obj. 9. Petrus, & Paulus non distinguntur essentialiter; ergo sunt eiusdem naturæ seu idem essentialiter: ergo datur vna natura á parte rei. Respondeo. Distinguo antecedens: id est non habent naturas, & essentias diversas, concedo, non habent naturas, & essentias realiter distinctas, nego, quæ distinctio, licet non sit diuersitas, impedit vnitatem vniuersalis á parte rei. Ex quo solum infertur, dari vnam naturam fundamentaliter, non vero formaliter.

41. Objic. 10. P. Lince. Una albedo posita divinitus in pluribus subiectis ratione vnitatis intrinsecæ, & pluralitatis concretivæ (resultarent namque plura concreta alba) esset vniuersalis, sed hoc totum eveniret á parte rei: ergo & vniversale. Probatur maior. Ab illis concretis albis vniuersalis præscindi potest, cum conveniant simpliciter in ratione albi: ergo albedo constitutiva talis concreti esset vniuersalis. Probatur consequentia. Nequit constitutum esse vniuersale, quin constitutiva sint vniuersalia: ergo neque album poterit esse vniuersale, si albedo vniversalis non est. Resp.

42. Resp. Nego maiorem. Ad probationem distinguo antecedens: potest prȩscendi ratio albi subiectiuê sumpta, cōcedo; concretive sūpta, nego. Distinguo item implicitam probationem: Conveniunt in ratione albi subiective, concedo; obiective, nego; hoc est potest præscindi á pluribus illis albis ratio habentis albedinem, cum dentur plura subiecta habentia albedinem, ac proinde in ea ratione datur vnitas confusionis, & multiplicitas realis intrinseca sub eodem nomine, & ratione, convenientia que simpliciter; non tamen potest prȩscindi ratio albi concretive sumpta; nam cum sit eadem albedo in omnibus concretis non datur convenientia in albedine, nec multiplicatur albedo, sed eadem est in omnibus. Vnde concretive, hoc est, adæquate secundum omnes suas partes non est vniuersalis illa ratio albi, sicut ratio Personæ Divinæ abstracta a tribus Personis *Divinis* ob eamdem rationem non est vniversalis adȩquatè, cum constituatur ex natura *Diuina* eadem in tribus Personis; scio, communiter similia concreta accipi subiectivê, dicunt enim subiectum in recto; sed ad æquivocationes tollendas semper distingui debent vt supra.

43. Objic. 11. Ex P. Amico. Natura humana á parte rei est indivisa, & indivisibilis in plures naturas in specie: ergo habet vnitatem vniuersalis; Declaratur. Petrus, & equus á parte rei sunt diuersæ speciei; Petrus, & Paulus sunt eiusdem speciei: ergo á parte rei datur vna species. Resp. Neg. suppositum, quod detur á parte rei natura humana, aut species pro vt his nominibus significantur. Unde licet Petrus, & Paulus nō sint a parte rei diuersæ speciei, sicut Petrus & equus, non sunt eiusdem speciei, quæ sit formaliter eadem, seu vna in vtroque, sed solum fundamentaliter vna, vnde á parte rei solum datur species fundamentalis, non vero formalis.

44. Replicas. Petrus, & Paulus á parte rei sunt vnum in specie formali: ergo non solum fundamentalis, sed etiam species formalis datur á parte rei. Probo antecedens. Petrus, & Paulus á parte rei non sunt plures in specie formali: ergo sunt vnum. Probo consequētiam: quia in ea ratione, qua aliqua non sunt plura, sunt vnum. Secundo quia ideo Petrus á parte rei est vnus numero homo, quia á parte rei non est plures homines numero: ergo si Petrus, & Paulus á parte rei non sunt plures in specie formali, erunt vnum.

45. Retorqueo. Petrus á parte rei non est plures lapides, nec chimæræ: ergo est vnus lapis, & vna chimera. Probatur. Eo modo quo aliqua non sunt plura, sunt vnum, sed Petrus non est plures lapides, nec chimeræ: ergo erit vnus lapis, & vna chimȩra. Resp. Negando suppositum primi antecedentis, quod detur a parte rei species formalis. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad cuius primam probationem distinguo illam; in ea ratione, in qua aliqua non sunt plura sunt vnum si participent talem rationem, concedo; si illam non participent, nego; vt valeret argumentum, ita deberet procedere, Petrus, & Paulus participant á parte rei speciem formalem, non plures: ergo vnam; si concederetur maior, quæ falsa est argumentum convinceret ea probatione suffultum scilicet. Eo modo quo aliqua non sunt plura, sunt vnum: at vero maior est falsa, vnde cum á parte rei Petrus, & Paulus non participent speciem formalem, ex eo quod non sint plures in specie, non infertur, esse vnum. Sed negatur suppositum, quod participent speciem formalem, & quod hæc detur à parte rei.

46. Objic. 12. Pro modernis. Vnitas convenientiæ, quæ datur á parte rei suffi-

sufficiens est ad vniversale formaliter: ergo hoc datur á parte rei. Probo antecedens. Tam impropria vnitas est vnitas confusionis, quam vnitas similitudinis,& convenientię, sed ad vniuersale sufficit vnitas confusionis: ergo & sufficiet vnitas convenientię. Probatur maior. Tam componitur cum pluralitate reali inferiorum vnitas confusionis, quam vnitas convenientiæ: ergo tam impropria est vna quam alia.

47. Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: tam impropria est vna quam alia, si vtraque comparetur cum vnitate singulari, transeat; si vtraque in esse constitutivæ vniuersalis sumatur, nego; certum est; vnitatem confusionis esse impropriam absolutè, & comparatam cum vnitate singulari, quæ est propria vnitas; at vero in ordine ad constitutionem vniuersalis est vnitas proprisima, hoc est, illa, quæ propriê constituit vniversale formaliter, quod non habet vnitas convenientiæ, quæ tam absolutè, quam in ordine ad vniversale est impropria. Primo. Quia non constituit naturam extra multa, quod ab Aristotele ad vniversale requiritur. Secundo quia ratione illius non excluditur pluralitas formaliter, cum sit ipsamet pluralitas formalissime. Tertio, quia per eam non manet actu natura intentionaliter diuisa á pluribus; per vnitatem autem confusionis natura constituitur extra plura, ratione illius excluditur pluralitas formaliter, & per eam diuisa est intentionaliter á pluribus: ergo licet vtraque vnitas sit impropria absolutè, non est vtraque excludenda, nec admittenda vtraque ad vniuersalis constitutionem.

48. Replicas primò. Ideo excluditur vnitas convenientiæ á constitutione vniversalis, quia est formaliter pluralitas, sed etiam vnitas confusionis est formaliter pluralitas: ergo. Probatur minor. Ideo vnitas convenientiæ est formaliter pluralitas, quia est convenientia plurium; sed vnitas præscissionis est confusio plurium: ergo.

49. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem: est confusio plurium, ita vt plura attingantur per ipsum actum, nego; ita vt presupponantur cognita per comparationes antecedentes, concedo. Vnitas convenientiæ consistit in pluralitate actuali plurium rerum similium, nil enim aliud est vnitas convenientię inter Petrum, & Paulum, quam Petrum esse hominem, & Paulum esse hominem. Vnde nequit hæc vnitas non esse pluralitas, aut præscindere á pluralitate formaliter, at vnitas prescissionis consistit in actu, qui licet præsupponat plura præcognita, ipse tamen plura non cognoscit, sed ab illis præscindit.

50. Replicas secundo. Vniuersale non minus debet esse in multis quam extra multa; sed ad vniuersale sufficit, quod sit in multis aptitudinaliter, quatenus potest contrahi ad plura; non vero requiritur, quod sit actu in multis: ergo nec requiretur, quod sit actu extra multa, sed sufficiet, quod sit aptitudinaliter extrinsecê, quatenus per intellectum potest pręscindi, & separari á multis: ergo ante actualem intellectus operationem datur vniuersale.

51. Resp. Distinguo antecedens, non minus, & eodem modo, nego; & diuerso modo, concedo; concedo item minorem, & nego consequentiam: hic non loquitur argumentum de actu essendi realiter in multis, nam vniuersale debet esse realiter non solum aptitudinaliter, sed actu in multis, loquitur tamen de actu essendi in multis intelligibiliter per actualem prædicationem. In hoc ergo sensu non requiritur quod vniuersale sit actu in multis; requiritur tamen, vt sit actu extra multa iuxta mentem Aristotelis, & communem intelligentiam Doctorum, quibus in re denomine debemus stare. Patet: nam iuxta Aristotelem vniuersale debet habere aptitudinem, vt prædicetur de multis per modum vnius, sed si actu non esset extra multa, actu non haberet aptitudinem vt prædicetur de multis per modum vnius, quod enim solum est aptitudinaliter extra multa, non est actu vnum, cum actu sit plura: ergo ex mente Aristotelis nobis per clariores eius interpretes, non licet sufficiat ad vniversale esse aptitudinaliter in pluribus, non sufficit aptitudinaliter extra plura.

52. Objic. 13. A parte rei datur totum homogeneum: ergo & vniuersale. Probatur consequentia. Aqua v.g. quæ est totum homogeneum, est vna intrinsecè per continuationem; sed etiam est multiplex, cum sint plures partes aquæ realiter distinctæ, quæ quidem partes sunt simul aqua in aliquo stagno v.g. ergo.

53. Resp. Totum homogeneum non esse vniuersale plures ob causas: primo. Ex defectu vnitatis vniuersalis: licet enim aqua, quę est in stagno dicatur. *Vna aqua*, dicitur vna per continuationem partium distinctarum, vnde re ipsa plures aquæ sunt realiter distinctę, iuxta illud Genesis. *Congregationes aquarum appellavit maria*. Et illud *dividantur aquæ in locum vnum*. Secundo: eo quod totum homogeneum non multiplicetur in inferioribus sub eodem nomine, & ratione, in qua poterat esse vniuersale. Probatur: non est vniversale in ratione *aquæ* præscisse, aliás singulæ Guttæ essent vniuersales; solum ergo esset vniuersale in ratione *totius* resultantis ex determinatis partibus vnitis, sed in ratione totius non multiplicatur in singulis partibus, aliás quęlibet esset simul totum, & pars illius, quod implicat. Tertio licet illa aqua sit in multis, non est extra multa, quod ad vniuersale requiri, iam sæpe diximus.

54. Replicas. Animal est vniuersale, sed de Petro v. g. non prædicatur totum animal, neque enim de Petro prędicatur animal Pauli: ergo licet tota aqua non sit in qualibet guttula, erit vniuersalis. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Non prædicatur totum animal secundum intensivum animalis, hoc est, secundum prædicata essentialia, nego; non prædicatur totum animal secundum extensivum ipsius, concedo. Cum tamen ante præscisionem intellectus non detur intensivum, modus prædicandi, &c. ratione cuius dicatur tota aqua esse in singulis partibus stagni, inde est, quod totum homogeneum vniuersale non sit.

SECTIO III.

AN DETVR IN NATVRÁ vniversali realis aptitudo ad plura?

55. DIximus, vniuersale esse vnũ & aptum ad plura. Nunc, quęritur, vtrum hæc aptitudo seu indifferentia debeat esse realis? Prima sententia naturæ humanæ Petri v. g. concedit realē aptitudinem, & indifferentiam, vt identificetur cum hac, vel illa singularitate; semel tamen cum vna singularitate identificatam non posse cum alijs identificari. Affirmant ita Scotistæ cum suo Doctore communiter iam supra sect. antecedenti num. 2. impugnati. Sic etiam n. 21 impugnavimus Caietani sententiam concedentem tali naturæ realem indifferentiam, licet non positivam, negativam tamen,

56. Dicendum cum Eximio Doctore, & communi omnium fere Doctorum præcipue nostrę societatis sententia; naturam prout pręscissam á singularitatibus non habere realem positivam aptitudinem, & indifferentiam ad plura ob rationes supra allegatas, sed solum aptitudinem, & indifferentiam præscissivam. Probatur. Id dicitur aptum, & indifferens pręscissivè ad plura, quod vi cognitionis non attingitur vt identificatum determinatè cum aliqua singularitate, ratione cuius repugnet cum aliá identificari, sed per pręscisionem ita attingitur natura humana v.g. vt vi cognitionis non attingatur, vt identificata determinatè cum Petro, Paulo, aliove individuo, ratione cuius repugnet identificari cum Didaco, aut Francisco: ergo natura vniuersalis est apta, & indifferens ad plura præscissivè.

57. Objic.1. Homo ex se non est Petrus, nec Paulus, nec repugnat esse Petrus, aut Paulus: ergo ex se est aptus, & indifferens ad vtrumque. Resp. Nego suppositum, quod detur á parte rei homo ex se pro vt hoc nomine significatur. Ita enim iam involuit præscisionem mentis; quod nota, vt ęquivocationes adversariorum detegas, qui sępe à terminis secundæ intentionis arguunt ad prædicata primæ intentionis, & è contra, eos confundendo: á parte rei solum datur Petrus, Paulus, hic homo, &c. non vero homo secundum se, natura humana vt talis, &c.

58. Objic.2. A parte rei natura Petri est identificata cum Petro: ergo á parte rei potest identificari cum Petro: ergo hebet aptitudinem vt, identificetur cum Petro. Probatur consequentia. Nam vbi datur actus secundus, debet dari actus primus, sed natura humana actu identificatur cum Petro: ergo poterit identificari cum eo. Resp. Concedo antecedens, & primam consequentiam, & distinguo secundam: ergo habet aptitudinem logicam in subsisten di consequentia, concedo; aptitudinem realem, nego. Ad probationem dic. Eo modo, quo datur actus secundus, datur etiam actus primus illi correspondens, actui secundo identitatis correspondet actus primus, non propriè talis sed logicus, & ex intellectione nostri intellectus, quatenus valet, *est identificata*: ergo *potest identificari* non è contra, quin hoc arguat vllam distinctionem; sed potius omnimodam identitatem sic enim in Deo valet. *Deus existit*: ergo *potest existere*: talis potentia non est propriè potentia, neque habet propriam prioritatem; nec actus secundus est propriè actus secundus, aut exercitium proprium actus primi.

59. Objic.3. Naturæ humanæ vt præscissæ à solo Petro vel convenit repugnantia essendi in Paulo, vel non repugnantia? Primum dici nequit; aliás natura humana pręscissa á Petro non conveniret vniuoce cum natura humana Pauli, cum haberet prædicatum repugnantię identitatis cum Paulo, quod non habet natura Pauli: ergo naturæ illi convenit non repugnantia: ergo & aptitudo. Resp. Naturæ illi pro vt præscissæ convenire non repugnantiam, sumpto ly *non* præscissivè, non verò negativè, hoc est, natura illa ita cognoscitur, vt neque cognoscatur repugnantia positiua, neque positiua non repugnantia identitatis cum Paulo, cū solum cognoscatur secundum prædicata essentialia, quæ ęque possunt prædicari de Petro, ac de Paulo. Vnde talis natura præscindit à positiua repugnantia, & non repugnantia positiua.

60. Replicas. Repugnantia positiva essendi in Paulo, non repugnantia positiua essendi in Paulo sunt prędicata contradictoria: ergo naturę pro vt præscissæ vnum ex eis competere necessè est, non primum: ergo secundum. Resp.

Distinguo antecedens: sunt contradictoria, si enuntientur per affirmationem, & negationem omnibus servatis, concedo; si aliter enuntientur nego. Dupliciter possunt illa prædicata enuntiari, primo ita vt naturæ provt præscissę cōpetit repugnantia positiva essendi in paulo; naturæ pro vt præscissæ competit non repugnantia positiua essendi in Paulo: ita non sunt contradictoriæ hę propositiones, vtraque enim est affirmativa, & ab vtraque præscindit natura abstracta cum nec dicat positivam repugnantiam, neque positiuam non repugnantiam; si tamen ita disponantur: naturæ provt præscissæ competit positiua repugnantia essendi in Paulo: Naturæ provt pręscissæ non competit positiua repugnantia essendi in Paulo: contradictoriæ sunt prima falsa, secunda; vera sed ex ea nihil contra conclusionem.

61. Objic.4. Natura humana realiter est in pluribus: ergo potest esse in pluribus; Resp. Nego suppositum, quod detur natura humana realiter. Dantur enim plures naturę humanæ realiter distinctæ, licet non diuersæ. Unde & plures potentiæ essendi in pluribus non reales, vt iam diximus, sed logicę.

SECTIO IV.

AN PRÆTER VNITATEN INdividualem detur vnitas formalis in natura.

62. IN natura sæpe dantur plures Gradus, superiores vni, inferiores alij, v.g. in homine dantur gradus genericus *animalis*, specificus *hominis*, differentialis *Petreitatis*, quæritur: an sicut dantur hi gradus inter se distincti formaliter, licet realiter idem, debeat etiam dari multiplex vnitas, alia generica, alia specifica, individualis alia. Ita vt vnusquisque gradus sua gaudeat vnitate formaliter distincta, licet realiter identificata cum alijs; vel sufficiat vnica vnitas individualis, quam omnes concedunt, per quam quilibet gradus reddatur vnus?

63. Notò primò. Vnitatem individualem dici materialem, quia supponit iam totam essentiam rei, cuius est vltimum complementum, & quasi subsistentia metaphysica, Petreitas enim supponit totam essentiam hominis constitutam, advenit tamen homini, vnde accidens logicum, & Metaphysicum dici etiam solet, vnitas verò formalis dicitur formalis essentialis, quia non supponit sed constituit, cum sit vnitas prædicatorum essentialium.

64. Noto secundò. Vnitatem formalem esse attributum entis, esse etiam id, per quod vna essentia non est alia v.g. id, per quod essentia Petri non est essentia Pauli. Unitas indiuidualis vltra distinctionē addit differentiā, Petreitas v.g. non solum est id, per quod Petrus non est Paulus, sed etiam id, per quod Petrus non est sicut Paulus, & hoc addit vnitas individualis supra formalem. Vtraque appellatur *hæcseitas* quia vtraque sufficiens est vt denotetur pronomine *hic & hæc & hoc*, sicut enim ratione vnitatis indiuidualis dicitur *hic Petrus distinguitur à Paulo* ita ratione vnitatis formalis dicitur *hic homo distinguitur ab illo*. Vnitas individualis dicitur Hęcseitas completa, quia est vltimus gradus, quo posito indiuiduum dicitur completum, vnitas formalis dicitur hæcseitas incompleta, quia posita essentia illi deficit alius gradus, ratione cuius compleatur. His suppositis.

65. Prima sententia negat talem vnitatem formalem ab indiuiduali distinctam. Ita Cerna, Hurtadus, disp.5. methaph. sect 9. Alphōs. d.3. sect.3. Secunda communior, & Vera sententia affir-

affirmat. Ita Exim. Doctor. d. 6. metaph. sect. 3. Telles, Comptonus, & Ioannes á Sancto Thoma in logica, quæst. 3. art. 3.

66. Probatur primò. Ideo in Petro datur vnitas indiuidualis, quia in eo datur Petreitas ratione cuius distinguitur ab omni indiuiduo, quod nō est Petrus; sed etiam in Petro datur humanitas, ratione cuius distinguitur ab omni humanitate, quæ non est humanitas Petri: ergo. Confirmatur primo. Tam verum est dicere *Petrus non est Paulus*, ac *humanitas Petri non est humanitas Pauli*: ergo tam verum est dicere; humanitatem Petri habere vnitatem formalem, quæ fundet distinctionem ab alijs humanitatibus, quam Petrum habere vnitatem indiuidualem, quæ fundet distinctionem Petri à reliquis indiuiduis: omnis enim distinctio in vnitate fundatur. Confirmatur secundo animal Petri præscissum á Petreitate ab ipsa Petreitate distinguitur: ergo ratione alicuius vnitatis: non ratione vnitatis individualis, tum quia supponitur animal præscissum á tali vnitate; tum etiam quia per ipsam vnitatem individualem nequit constitui distinctum ab ipsamet vnitate indiuiduali, vt per se patet: ergo ratione alicuius vnitatis formalis distinctæ ab individuali.

67. Prob. secundò. Quidquid est ens, est vnum, cum vnitas sit attributum entis; sed quilibet gradus, adhuc separatus ab vnitate indiuiduali, est ens, cum sit non repugnans existere: ergo est vnum. Confirmatur: quilibet gradus præscissus est cognoscibilis, amabilis, &c. quia est ens, & amabilitas, & cognoscibilitas sunt entis attributa: ergo & vnus, cum vnitas sit attributum entis.

68. Objic. 1. Ergo in Petro daretur triplex vnitas iuxta triplicem gradum in eo repertum. Concedo consequentiam. Contra: ergo non esset totum per se, sed per accidens, cum ex pluribus vnitatibus coalesceret.

69. Respondeo. Nego consequentiam, nam tales vnitates non sunt completæ, sed incompletæ, ordinatæque ad vnam vnitatem completam constituendam, quæ quidem vnitas completa est, per quam individuum secundum se totum est indivisum a se & divisum á quolibet alio. Hoc est non diuiditur in plura indiuidua sub eodem nomine, & ratione; & diuiditur á quolibet alio, quod non fuerit tale indiuiduum. Sicut enim ex eo quod homo componatur ex pluribus partibus realiter distinctis, quia sunt incompletæ, & ordinatæ ad totum, Homo non est totum per accidens, sed per se, ita vnitas completa non est totum per accidens sed per se, quia componitur ex pluribus vnitatibus ordinatis ad eam constituendam.

70. Ojic. 2. Per nos in natura humana Petri datur vnitas formalis: ergo erit vniuersalis á parte rei. Probatur consequentia. Est vna, aliàs esset realiter multiplex: ergo.

71. Resp. Nos non dicere á parte rei dari vnitatem formalem, neque naturam humanam prout his nominibus significantur. Sicut enim á parte rei dantur plures humanitates, ita & plures vnitates, convenientes tamen, & ideo fundamentaliter vnę. A parte rei datur Petrus indiuiduum completum, inquo datur fundamētum, vt intellectus eum in triplicem gradum diuidat, quem sua peculiaris vnitas consequatur.

72. Ojic. 3. Unitas formalis facit numerum cum alia vnitate formali, nam verum est dicere; hoc animal præscissum á Paulo, & hoc animal præscissum à Petro est duplex animal: ergo talis vnitas est numerica; ergo non est distincta ab indiuiduali, quæ convertitur cum numerica.

73. Resp. Concedo antecedens, & primam consequentiam; nego tamen vltimam ob rationem argumenti com-

muniter

muniter tamen dicitur vnitas numerica indiuidualis vnitas, quia ita facit numerum, vt non solum distinguat vnum ab alio sed etiam faciat differre, vnde si vera esset sententia Patris Arriagæ asserentis; possibilia esse indiuidua omnino similia, hæc haberent vnitatem numericam interse; non tamen vnitatem indiuidualem; ideoque concesso antecedenti ita potest distingui consequens: ergo talis vnitas esset numerica, idest, faciens numerum, concedo, idest, faciens differre, seu materialis, quæ antonomasticè dicitur numerica, nego.

74. Objic. 4. Per nos omnis vnitas est indiuisio, & constituit indiuisum; sed vnitas, quæ constituit indiuisum, & est indiuisio, est item indiuidualis, & constituit indiuiduum: ergo vnitas formalis est etiam indiuidualis, & Animal vg. indiuiduum.

75 Respondeo. Concedo totum. Nota, Patrem Alphonsum vocare in diuisionem speciei, & indivisionem in diuiduationis vltimæ duplicem in diuisionem; negare tamen duplicem vnitatem; re ipsa idem, quod nos, ipse concedit, vocem tamen vnitatis negat, quia iudicat, hanc vocem non esse applicandam cuique in diuiduo; sed solum indiuiuisioni vltimæ Petreitatis, idem de voce vnitatis numericę affirmat Hurtadus. Vnde quęstio, & dissidium ad nomina reducitur; Tu vero vllo absque scrupulo voca illam indiuisionem in Specie vnitatem formalem, item vnitatem numericam, & si vis etiam vnitatem indiuidualem ob rationem argumenti. Insuper voca animal præscissum vnum numerice, & etiam in diuiduum, incompletum tamen; aduerte nihilominus, vnitatem vltimam differentialem pro famosiori dici vnitatem numericam, & indiuidualem, dummodo tamen præter vnitatem differentialem, mihi concedas alios vnitates formales, per quas Gradus distinguantur interse, & ab omni alio, quod non sunt ipsi, vtere vocibus, vt placuerit.

76 Obij. 5. Eo ipso quod Petrus habeat vnitatem materialem, habet etiam vnitatem formalem omnium graduum essentialium, ergo non est concedenda alia vnitas præter indiuidualem.

77 Respondeo. Distinguo antecedens: eo ipso formaliter, nego; præsuppositivè, concedo; explico solutionē hac instantia eo ipso, quod Petrus sit rationalis est viuens, substantia, &c. Ergo præter rationalitatem non dantur alia prædicata, per quæ constituatur, in esse viuentis, & substantiæ; item, eo ipso quod datur numerus decimus, dantur nouem, ergo præter numerum decimum non datur alius ab ipso numero decimo distinctus. Quid ergo ad hoc respondebis? Non ne, certum esset, quod eo ipso quod Petrus sit rationalis est viuens, & eo ipso quod detur numerus decimus dantur nouem, non formaliter sed præsuppositiue, hoc est, non quia viuens constituatur per rationale, & per numeros nouem decimus; sed quia cum rationale sit gradus posterior, & inferior viuenti, illud supponit; & quia numerus decimus est posterior numeris nouem, illos supponit; ita Petreitas, cum sit gradus vltimus supponit alios superiores cum suis vnitatibus, non vero eos constituit, nec eorum vnitates, sicut subsistentia supponit, non constituit substantiam.

78 Objic. 6. si essentia hominis haberet vnitatem formalem distinctam ab indiuiduali essent realiter plures essentiæ hominis ergo, homines essent distincti in essentia.

79 Resp. distinguo antecedens: plures, id est distinctæ, concedo; plures, id est, diuersæ, nego, & similiter distinguo consequens: homines essent

 dis-

distincti in essentia, idest, haberent essentias realiter distinctas, concedo; realiter diuersas, nego.

80. Nota, hæc vnitas formalis dici solet indiuidualis, quia gradus illam participans diuisibilis est in plura indiuidua conuenientia in specie; gradus vero participans vnitatem indiuidualem est omnino indiuisibilis in plura inferiora, vnitas vero minima est generica cum gradus eam participans diuisibilis sit in plures species, v.g. animal diuiditur in hominem, & brutum, homo in Petrum, & Paulum, &c. Petrus vero non diuiditur in plures Petros. Cum iam viderimus, hos gradus superiores, & inferiores suam habere vnitatem, qua ab alijs rebus distinguantur, restat nũc inquirere, quomodo distinguantur inter se pro quo sit.

SECT. V.

DE DISTINCTIONE SCOTICA inter gradus superiores, & inferiores.

81. NOta. *Distinctio* realis est, quæ datur á parte rei ante omnem intellectus operationem. Hæc est duplex, vel absoluta, quæ datur inter entitates absolutas, vt inter Petrum, & Paulum, vel modalis, quæ datur inter rem, & modum, vt inter materiam, & vnionem; si tamen sit inter duos modos, qui sibi invicem non sint modi, vt inter duas vniones, etiam dicitur absoluta. *Distinctio* formalis, seu rationis est, quæ dependet ab intellectu; dicitur rationis, non quia ficta, sed quia fit per intellectum, qui ratio dicitur; hæc item est duplex, distinctio rationis ratiocinatæ, hoc est, cum fundamento in re vt, distinctio inter animal, & rationale; & distinctio rationis ratiocinantis, hoc est, sine fundamento in re, vt quæ fingeretur inter hominem & animal. Aliam distinctionem mediam inter distinctionem realem, & rationis inveniunt Scotus, & eius discipuli, quã distinctionem formalem ex natura rei appellant, quæ quidem iuxta ipsos datur ante intellectus operationem inter gradus superiores, & inferiores, & nec est realis, nec rationis, sed media inter vtramque, similis, & dissimilis vtrique, similis reali, & dissimilis distinctioni rationis, quia datur ante intellectus operationem, similis distinctioni rationis, & dissimilis reali, quia datur solum inter formalitates realiter identificatas.

82. Hanc dari inter omnes gradus superiores, & inferiores, tenet Scotus 1. dist. 2. q. 7. & alibi sæpe. Eum omnes Scotistæ sequuntur, licet aliqui affirment, Scotum solum concessisse distinctionem virtualem, ita Xavelus, Faber, & alij. Sicut etiam Patres Franciscus de Lugo, & Hurtadus d. 6. meth. sect. 3. n. 936. Vel distinctionem rationis ratiocinatæ: ita Eximius Doctor lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 2. & 5. Scotum sequuntur ex nostris Vallius, Amicus. P. Fonseca licet solum in creatis hanc distinctionem concedat 5. meth. cap. 6. q. 6. & 7. Pater Albert. Licet non in omnibus gradibus obiectivis, sed in aliquibus. P. Maur. & Alij.

83. Dicendum. Inter gradus superiores, & inferiores non datur distinctio ex natura rei. Ita omnes Thomistę, & Iesuitæ apud P. Olea, hic d. 77. n. 2 insuper M. Linc. hic q. 3. art. 3. n. 8. Probatur. Si poneretur hæc distinctio ex natura rei inter animal & rationale, realiter physicè distinguerentur; sed iuxta ipsos Adersarios realiter physicè non distinguntur; ergo non est ponenda talis distinctio. Maior Probatur. Ea distinctio ex natura rei esset realis, & physica distinctio: ergo si poneretur inter animal, & rationale; animal, & rationale realiter physicè distinguerentur. Probatur antecedens, ea distinctio daretur reverâ ante omnem operetionem intellectus: ergo esset

set realis, & physica distinctio; patet consequentia. Ideo distinctio, quæ datur inter Petrum, & Paulum est distinctio realis, & physica, quia talis distinctio reipsá existit ante omnem operationem intellectus; hæc enim est definitio entis realis, & physici, quod ante omnem operationem intellectus potest existere: ergo.

84. Confirmatur iuxta Aristotelem 4. Metaphysicæ, omne ens vel est in se, & sic reale; vel est in apprehensione, & sic est rationis; sed distinctio hęc non est solum in intellectu, seu in apprehensione: ergo est in se, ergo & distinctio realis.

85. Varie respondent huic argumento Scotistæ. 1. Pontius, & alij dicunt, talem distenctionem non esse realem, quia non datur inter entia stricte talia, sed inter entitates, quæ non sunt stricte, sed impropriè entia.

86. Contra primò tales entitatis actu existunt independenter ab intellectu per vos: ergo sunt proprie, & stricte entia, cum non repugnent existere. 2. ex entibus improprie talibus nequit resultare vnum ens proprie tale per vos; ideo ex negationibus, & puris possibilibus ens strincte tale non resultat; sed ex illis entitatibus resultat indiuiduum, quod est ens stricte tale: ergo non sunt entia improprie. 3. Animalitas hominis, & irrationalitas bruti strincte distinguntur, etiam si sint entitates: ergo & animalitas hominis, & rationalitas ipsius strincte debent distingui.

87. Secundo respondent alij; eam distinctionem non esse realem, quia datur inter entitates realiter identificatas, distinctio autem realis debet esse inter res distintinctas realiter. Contra est implicat enim inter res realiter identificatas talis distinctio, quæ a nobis probatum manet, esse realem, cum sit independens ab intellectu. Insuper eodem modo possem defendere, hanc absurdam conclusionem inter *materiam, & formam cælestem datur identitas ex natura rei*: si vero instes, ea identitas esset realis quia existeret a parte rei, tuam responsionem ex hibebo; non esse identitatem realem eam, quę existit a parte rei, sed eam, quæ datur inter identitates realiter identificatas, qualiter non sunt materia, & forma, cælestis.

88. Tertio alij respondent. Cum Smising. tra. 2. dis. 1. q. 2. §. 58. quod sicut accidens, quia semper dependet á substantia, non participat æque, ac ipsa substantia, rationem entis realis, & sicut subsistentia non participat ęque ac substantia rationem substantiæ, quia ab ea bependet, ita hæc distintio cum semper dependeat ab extremis realiter identificatis, non æque participat rationem realis, ac ipsa extrema.

89 Miror; homines literatos ita respondere, & talibus armis se protegere. Contra primò: licet vnio non sit ęque perfecta substantia, ac extrema, quis vnquam negare potest; esse proprie substantiam? Quis namque dicet; vnionem hipostaticam non esse stricte substantiam, quia dependet ab extremis, cum hæc dependentia non obsit quominus illi definitio substantiæ conueniat? Immò, vt ipsis Aduersariorum exemplis vtarquis sana fide dicere poterit; accidens non esse propriens reale, quia enti reali inhęret, & subsistentiam non esse proprie substantiam, quia est modus substantiæ? Quid quid sit, an sit ęque perfecta vel non? Ergo licet distinctio ex natura rei dependeat ab extremis realibus, cum aliás illis competat entis realis definitio, erit proprissime distinctio realis, & ens reale.

Quartò. Caramuel in meth. art. 3. n. 221. admittit talem distinctionem dicendam esse realem; non tamen physicam. Con-

90. Contra, & rogo quisnam est conceptus obiectiuus correspondens huic voci *physica*, qui huic voci realis non correspondeat, taliter vt possit dici, inter Petrum, & Paulum intercedere distinctionem physicam, & realem; inter animal vero, & rationale intercedere distinctionem realem; non verò physicam? Nil certe assignabunt, quod non sit vtrique distinctioni commune; nam si dicat; per talem vocem significari, quod quę ita distinguntur, verè & propriè distinguntur, vel quod distinguntur independenter ab intellectu. Hæc etiam conueniunt his, quæ ex natura rei distinguntur: ergo. Insuper, si talis distinctio ex natura rei diceretur realis, verum esset dicere; animal realiter actualiter non est rationale: Paternitas realiter actualiter non est natura *Divina*: ex quibus prima propositio dissonat physicæ. Secunda fidei. Ea enim propositio contra Gilbertum Porretanum damnata est á Concilio Remensi, ita in nullo sensu Catholico negari potest, quod *Divinitas* sit relatio, & relatio sit *Divinitas*.

91. Si tamen dicant, illam propositionem non esse absolutè proferendam, sed cum hoc addito, *Ex natura rei*, contra efficaciter. Hoc additum vel est contrahens, vel diminuens, vel alienãs; Non diminuens, nec alienans, cum per vos distinctio ex natura rei sit propriè realis distinctio: ergo contrahens. Tum sic: ergo illa propositio potest sine tali addito proferri: patet consequentia. Quoties ratio superior non extrahitur, sed contrahitur ad aliquam speciem per aliquam differentiam potest sine addito differentia absolutè prædicari de specie, v.g. de homine absolutè dicitur esse animal, quin addatur necessario rationale, quia rationale non est differentia alienans, sed contrahens, sed per vos ly *ex natura rei* non est differentia alienans, sed contrahens distinctionem realem: ergo poterit sine addito dici absolutè: Paternitas realiter actualiter non est filiatio.

92. Probatur secundò conclusio. Sicut á vobis ponitur distinctio *ex natura rei* inter realiter identificata, posset amè poni identitas media, seu ex natura rei inter realiter distincta. Probatur. Ideo hæc distinctio á vobis ponitur, quia dantur aliqua realiter identificata, quibus conveniat aliqua proprietas realiter distinctorum, nempe verificatio duplicis contradictorij, v. g. de homine dicitur realiter convenit cum bruto per animal. Realiter non convenit cum bruto per rationale. Realiter est similis bruto per animal. Realiter non est similis bruto per rationale. Sed etiam rebus realiter distinctis convenit aliqua proprietas eorum, quæ realiter identificantur: ergo. Probo minorem: identificari cum vno tertio est proprietas eorum, quæ identificantur inter se iuxta sæpe repetitum axioma: quæ *identificantur vni tertio, identificantur inter se*. Sed hęc proprietas convenit realiter distinctis, nempe Paternitati, & filiationi, quæ realiter identificantur cum natura *Divina*: ergo inter Paternitatem, & filiationem ponenda erit identitas ex natura rei, quod dissonat.

93. Probatur tertiò contra Scotistas. Per vos distinctio virtualis dependens ab intellectu sufficiens non est ad salvanda ea prędicata cõtradictoria *homo realiter convenit, & est similis bruto per animal. Homo non convenit neque est similis bruto per rationale*: ergo nec distinctio ex natura rei erit sufficiens. Probatur consequentia. Ideo per vos distinctio formalis sufficiens non est ad ea contradictoria saluanda, quia est post operationem intellectus, & prædicata illa realiter verificantur, & eo modo, quo est prædicatio, debet esse distinctio; sed prædicatio illa est realis, & physica, nam

nam realiter, & physicè homo conuenit cum bruto per animal, & non conuenit cum bruto per rationale; ergo distinctio debet esse realis, & physica, sed per vos distinctio ex natura rei non est realis, & physica; ergo & insufficiens ad ea prædicata saluanda.

94 Probatur quarto. Ideo ponitur hæc distinctio in ter gradus superiores, & inferiores, quia in superioribus datur conuenientia, & disconuenientia in inferioribus; sed potest dari conuenientia, & disconuenientia sine distinctione ex natura rei: ergo est otiosa. Probatur minor pluribus exemplis ad Hominem contra Scotistas: primo. Iuxta Scotum actus liber, & necessarius Dei non distinguntur ex natura rei, & tamen conuenit per liberum cum actu nostro libero; & disconuenit cum illo per necessarium. Secundo. Perseitas, & inalietas licet non conueniant in ratione entis, à quo iuxta Scotistas non transcenditur, conueniunt in ratione modi entis, & disconueniunt in ratione talis, & tamen non distinguntur á taleitatibus, quia iuxta ipsos perseitas, & in alietas sunt vltimæ differentię.

95. Tertio. Iuxta plures Scotistas, & Patrem Fonseca, in vno radio solis non ponitur distinctio ex natura rei inter formalitates virtutis Calefactiuę licet per eam Conueniat cum pipere, & virtutis illuminatiuæ, per quam cum pipere non conuenit. Quarto. Personæ Diuinæ conueniunt cum creaturis in ratione personæ, & disconueniunt in taleitate, sine tali distinctione inter personam, & taleitatem. Quinto. Sapientia Diuina iuxta Scotum non distinguitur ex natura rei ab infinitate, & tamen conuenit cum sapientia creata in ratione sapientiæ, & non conuenit in ratione infinitæ. Mitto alia plura exempla: ergo ex conuenientia, & disconuenientia non infertur distinctio ex naturá rei. Teneamus ergo, talem distinctionem esse omnino superfluam.

SVBSECTIO UNICA.

ARGVMENTIS FIT SATIS.

96. OBjic. 1. Eo modo aliquibus conueniunt duo prædicata contradictoria, quo distinguntur inter, sed animali, & rationali conueniunt realiter, & ante omnem operationem intellectus duo contradictoria: ergo realiter, & ante omnem operationem intellectus distinguntur, non distinctione reali physica: ergo distinctione formali ex natura rei. Maior est certa. Minorem probo. Realiter, & ante omnem operationem intellectus animal conuenit cum bruto, & est illi simile, rationale non conuenit cum bruto, et non est illi simile; sed conuenire, & non conuenire, esse simile, & non esse simile, sunt duo prędicata contradictoria: ergo.

97 Lince, Pater Ildephonsus de Peñaj & alij quos citat Pater Hurtado disp. 6. Meth. §. 19. vt hac difficultate se ex pediant maiori se implicant, transferendo ad creaturas distinctionem rigorosam virtualem, qua saluatur Mysterium Trinitatis; tu vero cum Patribus Vasq, Granad, Rubio, & recentibus communiter, responde, concedo maiorem, & nego suppositum. Nimirum quod à parte rei dentur animal, & rationale provt his nominibus significantur. Nota. Dantur aliqui termini, qui apellantur primæ intentionis, quibus significantur res, vt sunt á parte rei, & ante omnem operationem intellectus, quales sunt *Petrus, Paulus, hic Homo, entitas hominis, hoc animal, hac entitas, hoc rationale, realitas animalis*, & dãtur aliqui, qui apellantur secundæ inten-

tentionis, quibus significamus res vt jam præscissas, & involuentes actum intellectus præscindentis, quales sunt *animal, rationale*, *Petreitas, natura secundum se, homo vt talis*, &c. quæ licet significent res, quæ habent esse á parte rei non tamen significant eas eo modo, quo sunt á parte rei; sed vt præscissas, & distinctas ab alijs, quibuscum á parte rei identificantur; vnde cum quis loquitur de rebus, prout sunt á parte rei, talibus vocibus, negandum est illi suppositum, quod dentur á parte rei conceptus obiectivi, non absolutè, sed eo modo, quo per tales voces significantur, nam licet á parte rei detur v.g. principium sensationis, & principium ratiocinationis, non tamen dantur distincta inter se; sed identificata, & per illas voces *animal*, & *rationale* vt distincta signignificantur, quo notato patet argumenti solutio.

98. Quid mirum, quod non detur distinctio ex natura rei inter animal, & rationale, si non dantur animal, & rationale pro vt his nominibus significantur, inter quæ esset talis distinctio, & de quibus possent fieri illæ prædicationes, in sensu tamen formali; inquo dantur animal, & rationale, illæ propositiones *convenit, non convenit*, &c. non sunt contradictoriæ, cum non habeant idem subiectum. Animal enim provt præscissum, & cognitum in ordine ad sensationes, non est rationale, provt præscissum, & cognitum in ordine ad ratiocinationes, ineptæ enim sunt illæ voces ad significandas res provt sunt á parte rei.

99. Si vero eas, provt sunt á parte rei, velis significare, his vocibus tibi vtendum est. *Hæc entitas hominis convenit cum equo, hæc entitas hominis non convenit cum equo*, e quibus propositiones negativæ sunt falsæ, & affirmatiuę veræ, & ratio est; quia ly *non* est malignantis naturæ, & quidquid post se invenit, destruit *non convenit*, *non est similis* valet idem, ac nil habet, inquo conveniat, & sit similis equo, quod est falsum, at vt verificetur propositio affirmativa, sufficit, quod habeat aliquid per quod conveniat, & assimiletur equo.

100. Replicas primò. Ergo hæ veritates *Ioannes per animal entis, per rationale discurrit. Pater Æternus generat per intellectum, non generat per voluntatem*, &c. dependent á nostro intellectu, quod alienum prorsus est averitate.

101. Resp. Distinguo consequens. Pendent quoad veritates obiectivas, & rem significatam, nego. Quoad modum significandi, concedo. Dubitari nequit, ante omnem operationem intellectus dari in homine perfectiones significatas per has voces *animal. & rationale*, & significatas in Deo per has voces *intellectus, voluntas*, &c. Deus enim ante intellectus creati operationem generat, amat, &c. Homo item sentit, & discurrit; at vero modus significandi tales perfectiones obiectivè præscissas, intellectum nempe Divinum in ordine ad generationem separatum á voluntate Divina, & perfectionem sentiendi in ordine ad sensationes separatam á rationali, quomodo per illas voces *animal rationale, intellectus, voluntas* significantur hic, dependet ab intellectu creato.

102. Replicas secundo. Hæ propositiones sunt veræ *Petrus est similis equo*: *Petrus est dissimilis equo*: ergo, & hę: *Petrus est similis, Petrus non est similis equo*. Idem enim est esse dissimilem, ac non esse similem; sed primæ propositiones verificantur de Petro á parte rei: ergo & secundæ. Sed secundæ sunt contradictoriæ: ergo ratione alicuius distinctionis quæ detur á parte rei; non realis: ergo ex natura rei.

103. Respondeo, non esse idem *non similitudinē, ac dissimilitudinem* quia non omnis dissimilitudo opponitur similitudini. *Non similitudo* vi illius *non* malignantis excludit, & destruit omnem similitudinem. Dissimilitudo non excludit omnem similitudinem, sicut enim nomen lux non opponitur cuilibet obscuritati; in eodem namque subiecto possunt componi aliqualis lux, & aliqualis obscuritas, vt conspicitur in Aere sub Aurora, & sicut in aqua aliquale frigus cum aliquali calore componitur, ita in eadem indiuisibili entitate, qualis est Petrus, optime componitur aliqualis similitudo ratione animalitatis, & aliqualis dissimilitudo ratione rationalitatis. Dissimilitudo autē, quæ conuertitur cum non similitudine est dissimilitudo omnimoda, summa, vel totalis, qualis non est dissimilitudo Petri cum equo: Ideoque licet dicatur *dissimilis*, non tamen *non similis*.

104. Instas contra dicta primo. Id est summe simile alteri, quod secundum totam suam entitatem est simile; sed Petrus secundum totam suam entitatem est similis equo: ergo est illi summe similis.

105. Respondeo. Distinguo maiorem: quod secundum totam suam entitatem est simile totaliter, concedo, non totaliter, nego. Sicut tota entitas hominis dicitur corporea, materialis, corruptibilis, non vero totaliter, & idem indiuisibile punctum totum est coniunctum alteri indiuisibili, non totaliter; quia etiam est coniunctum alij indiuisibili distincto. Ita eadem indivisibilis entitas Petri tota est similis equo, sed non totaliter, cum sit etiam similis Angelo. Tota ergo est similis, tota item est dissimilis, quia tota est principium ratiocinationum, in quo dissimilatur, & tota est principium sensationum, inquo assimilitur, sed nec totaliter est similis, nec totaliter dissimilis.

106. Instas secundo. Totum enim, inquo vnum est alteri simile, debet in vtroque reperiri; sed per nos tota entitas Petri est similis equo: ergo tota entitas Petri reperitur in equo, quod implicat.

107. Confirmatur: ideo hęc concreta *Petrus albus*, *Petrus niger* non conueniunt in tota entitate, quia licet subiectum sit idem in vtroque concreto, tamen in concreto *Petrus niger* non reperitur totum, quod in alio reperitur, in vno namque est albedo, et in altero nigredo: ergo licet in duplici hoc concreto *Petrus*, *Equus* reperiatur idem animal per conuenientiam; cum in equo reperiatur irrationalitus, et in Petro rationalitas, tota entitas Petri non erit similis equo.

108 Respondeo. Distinguo maiorem, si sit omnimoda; et totalis similitudo, concedo; si aliqualis, sicut est similitudo inter Petrum, et equum, nego. Ad confirmationem respondetur; concreta illa etiam esse similia, et dissimilia: totum illud concretum *Petrus albus* est simile alteri, licet non totaliter, et totum etiam est dissimile. Nota, subiectum vtriusque concreti ad has denominationes similis, & dissimilis debere esse distinctum hominem eodem nomine apellatum, nam si supponatur, esse eumdem Petrum non erunt similia, non ex parte formæ, quia non est eadem qualitas; non ex parte subiecti, quia non est distinctū subiectum, et idem sibi simile non est; similitudo namque requirit idem subiectum per conuenientiam, non verò per identitatem.

109. Instas tertiò. Si tota entitas Petri, et tota entitas equi realiter convenirent, posset abstrahi vna ratio communis entitatis Petri et equi, et predicari de vnoque; hoc dici nequit: ergo quia non conveniunt. Probo antecedens, nam á convenientibus in aliqua ratione præscindibilis est ratio communis.

Resp.

110. Resp. Nego antecedens. Ad probationem distingue: à convenientibus potest præscindi vna ratio secundum id, inquo formaliter obiectivè conveniunt in ordine ad intellectum, concedo; secundum id, inquo materialiter, & entitatiuè conveniunt, nego. Cōvenientia, quæ est fundamentum præcisionis, est in tota entitate physica, & reali; formaliter tamen, & obiectiuè solum præscinditur ratio conveniendi, quæ in ordine ad terminandam cognitionem præscisivam virtualiter distinguitur á ratione differendi. Vnde tota entitas Petri, & equi non præscinditur, licet materialiter tota entitas Petri conveniat cum tota entitate, equi sed solum prædicatum animalis, quod formaliter obiectiuè in ordine ad intellectum est ratio conveniendi.

111. Instas quartò. Eo ipso, quod vna virga sit equalis alteri, est summè, & omnino æqualis, ita vt non possit esse inæqualis: ergo eo ipso, quod Petrus sit similis equo, est summè similis, & nequit esse dissimilis.

112. Resp. Æqualitatem consistere in indivisibili, nec admittere magis, & minus (loquor de æqualitate physicâ, qualis est duplicis virgę palmaris, non de ęqualitate morali, quæ coincidit cum similitudine; hęc enim magis & minus accipit; sic diximus, actus charitatis, & temperantiæ Christi *Domini* esse inæquales quoad obiecta virtutum, esse tamen æquales quoad personam dignificantem) similitudo verò magis, & minus accipit, neque in indivisibili consistit, quod clarè constat in Angelo similis aquilæ in vita, similior homini in intellectu, simillimus alteri Angelo in natura: vnde Angelus ratione eiusdem suæ indivisibilis essentiæ est similis, similior, & simillimus. Sic Petrus ratione suæ indivisibilis entitatis est similis, & dissimilis equo.

113. Sed replicas contra hoc. Entitas indivisibilis non est capax intensionis, & diminutionis; ergo nec maioris, & minoris similitudinis.

114. Resp. Distinguo antecedens: entitas indivisibilis tam realiter, quam æquivalenter, concedo; entitas realiter indivisibilis, & æquivalenter divisibilis, nego. Entitas, quæ ratione propriæ virtutis est æquivalenter plures, magis & minus accipit in ratione similis & dissimilis. Sic idem amor Divinus realiter indivisibilis, & æquivalenter plures, est maior comparatione vnius creaturæ, quam alterius, immò & idem appetitus materię primæ realiter indivisibilis, cum sit ipsamet essentia materiæ, est maior ad formam perfectiorem, quam ad minus perfectam. Cum ergo homo ęquivaleat vegetativo, & intellectivo realiter indistinctis, inde est, quod etiam si sit entitas realiter indivisibilis, admittat similitudinem, & maiorem similitudinem, immò et dissimilitudinem comparatione vnius termini, homo enim idem habet virtutem productivam sensationum, et ratiocinationum, et licet vtraque virtus sit eadem realiter, assimilatur bruto, qui virtutem habet productivam sensationum, et dissimilatur eidem, quia talis virtus bruti non est simul productiva ratiocinationum.

115 Objic. 2. Ergo *Deus* non cognoscit in homine prædicata animalis, & rationalis, cum hæc á modo nostro intelligendi dependeant.

116 Respondeo. *Distinguo* consequens: Quoad rem significatam, nego; quoad modum significandi, subdistinguo: independenter ab intellectu creato, concedo; dependenter; nego. Iam diximus, in homine dari res significatas per animal rationale, has cognoscit *Deus* in eo, at vero modum significandi præscisivum per tales voces non habet homo nisi ab intellectu creato præscindente, quid ergo mirum, quod *Deus* non cognoscat hunc modum ex parte obiecti, cum ex parte obiecti non detur, cognoscet tamen illum *Deus* in intellectu, & etiam cognoscet, hominem posse distinguere in obiecto plures formalitates, concipiendo illud in adequate.

117 Objic. 3. In *Diuinis* admittenda est distinctio ex natura rei, cum realiter verificentur prædicata contradictoria, natura comunicatur: Paternitas non comunicatur. Filiatio producitur, natura non producitur: ergo similiter admittenda est in créatis, cum etiam increatis verificentur.

118 Mala consequentia, sicut hæc: in Diuinis admittitur Mysterium Trinitatis, ergo & in creatis: quapropter licet verum esset antecedens, falsa esset consequentia, quod acerrime defendit Fonseca. Insuper falsum est, ea prædicata contradictoria verificari distinctione ex natura rei imò, hæc insufficiens esset, patet ad hominem contra Scotistas. Ideo insufficiens esset per vos distinctio formalis ad ea prædicata verificanda, quia eo modo sunt contradictoria verificata, debet esse distinctio: vnde cum illa contradictoria realiter verificentur, non erit sufficiens distinctio formalis. Tum sic, sed illa contradictoria physice, & realiter verificantur, ergo vel distinctio ex natura rei erit realis, & physica, quod negabis: vel sufficiens non est ad ea verificanda. Verificantur enim ratione distinctionis rigorosæ virtualis, quę ob summam Dei perfectionem idem valet, ac si esset distinctio realis actualis: sicut enim ob summam immutabilitatem Dei ponitur in eius voluntate contingentia virtualis, ita & distinctio virtualis solum ad saluanda, ea contradictoria, quæ admittere fides cogit: vnde in alijs prædicatis *Diuinis* ponenda non est.

119. Replicas. Deus punit per Iustitiam, & non punit per misericordiam. Generat per intellectum non generat per voluntatem; ergo inter Iustitiam, et misericordiam intellectum, et voluntatem ponenda est vel distinctio rigorosa virtualis, vel saltim distinctio ex natura rei.

120 Respondeo. Nego suppositum, quod realiter detur in Deo *misericordia*; *Iustitia*; *intellectus*, & *voluntas*, provt his nominibus, et hoc modo significantur, ob eamdem rationem, qua non datur animal, et rationale, vel dic realiter loquendo: *Deum* punire per misericordiam, et generare per voluntatem. Vnde propositiones negatiuæ sunt falsæ, verificantur tamen in sensu formali.

121 Objic. 4. Intellectus vt sic præscindens á creato, et increato, vel est idem realiter cum voluntate vt sic præcissa á creata, et increata, vel non? Si non est idem realiter, ergo intellectus Diuinus non est idem realiter cum voluntate Diuina, namquid quid negatur de ratione superiori negari etiam debet de inferiori; si est idem realiter: ergo intellectus creatus idem realiter est cum voluntate creata; quia quidquid affirmatur de superiori, de inferiori etiam affirmari debet, ergo ne hoc dicamus, debet poni inter intellectum, et voluntatem aliqua distinctio media, quæ vtrique intellectui conueniat respectu voluntatis, & sit ex natura rei.

122 Retorqueo. Intellectus vt sic vel est idem physice cum voluntate vt sic, vel non? Si est idem physice: ergo intellectus creatus est idem physice cum voluntate creata. Si non est idem physice? Ergo intellectus Diuinus non est idem physice cum voluntate: Diuina.

123. Respondeo, talem intellectum vt sic sicut præscindit â creato, & increato, ita pręscindere á distinctione reali, & identitate reali, & solum dicere prædicata essentialia intellectus,

quæ æque possunt de intellectu Diuino, ac de creato prædicari.

124. Objic. 5. Cum Briseño supponendo actionem, & passionem realiter non distingui. Actio, & passio constituunt diuersa prædicamenta: ergo ante mentis operationem distingui debent, ne prædicamenta misceantur, quæ debent esse diuersa.

125. Respondeo. Ad distincta prædicamenta constituenda sufficere distinctionem formalem rationis ratiocinatæ, quę datur inter actionem, & passionem, & hoc sufficit etiam, ne misceantur prædicamenta. Neque est necesse, quod predicamenta æque distinguantur á parte rei, neque ab vno prædicamento valet paritas ad aliud. Sic si supponatur quantitas distincta á materia, prędicamenta substantiæ, & quantitatis realiter, & physice distinguntur, & tamen non licet inferre: per vos prędicamenta actionis, & passionis etiam realiter, & physice debere distingui, cum per vos solum ex natura rei distinguantur.

126. Objic. 6. Vel rationale est de essentia animalis aparte rei; vel non est de essentia animalis? Si primum? Ergo á parte rei distinguitur ab animali; si est de essentia animalis; ergo animal hominis non conuenit cum animali equi, de cuius essentia non est rationale, sed hinnibile.

127. Respondeo. Nego duplex suppositum: primum, quod á parte rei dentur animal, & rationale pro vt his nominibus significantur. Secundum: quod id, quod est de essentia, & primario conceptu rei, considegetur vt est physice á parte rei. In rebus enim vt sunt physice á parte rei non dantur conceptus primarij, & secundarij, immo & etiam potest tertium suppositum negari: quod Scilicet ratio animalis, quæ inuenitur á parte rei sit ratio conueniendi. Significatum huius vocis animal, quod datur á parte rei est tota entitas Petri, quæ quidem non est ratio tantum conueniendi, sed etiam differendi; vnde rationale est de essentia physica animalis cum rationale, & animal idem sit homo; non tamen de essentia methaphysica: vnde formaliter potest præscindi, nam in ordine ad preciffionem virtualiter distinguitur á rationali.

128. Objic. 7. Et replicas. Intellectus nequit absque fictione facere, quod essentialiter distinguantur, quæ aparte rei sunt eiusdem essentiæ: ergo vel animal, & rationale non sunt eiusdem essentię á parte rei, sic ex natura rei distinguntur, vel adhuc post mentem non distinguntur.

129. Respondeo. Distinguo antecedens: intellectus nequit facere, quod distinguantur physice, quæ á parte rei sunt eiusdem essentiæ physicę, concedo; quod distinguantur metaphysice, quę á parte rei sunt eiusdem essentiæ physicę, nego: distingui metaphysice solum est per mentem distingui, concipi quo vnum alio non concepto, vnde quæ sunt eiusdem essentię physicę; hoc est, predicata realiter identificata vt *animal, & rationale* potest intellectus metaphisice distinguere, concipiendo scilicet animal, rationali non concepto, ex quo quidem modo concipiendi resultant duæ formalitates, quę, quia possūt distinctinctionibus explicari, dicuntur habere distinctas essentias, seu essentialiter distingui metaphysicè.

130. Objic. 8. Ergo saltim differentia individualis distinguitur ex natura rei á natura specifica, cum sit accidens respectu illius.

131. Resp. Nego consequentiam: solum enim est accidens logicum formaliter distinctum, quod accidens dicitur, quia ante quam concipiamus differentiam individualem, Petreitatem scilicet concipimus totam essentiam hominis per animal rationale, realiter tamen differentia individualis identificatur cum natura specifica: nego item suppositum, quod á parte rei detur natura specifica, aut differentia individualis prout his nominibus significantur.

132. Objic. 9. Animal, quod est in bruto, distinguitur ex natura rei á á rationali: ergo similiter animal, quod est in homine á rationali ex natura rei distinguetur. Probatur consequentia: vtrumque animal est eiusdem speciei: ergo vtrique eadem distinctio á rationali conveniet.

133. Retorqueo. Animal, quod est in bruto realiter physice distinguitur á rationali: ergo & animal hominis realiter physice á rationali distinguetur, cum vtrumque animal sit eiusdem speciei.

134. Resp. Nego suppositum, quod detur á parte rei animal bruti, & rationale hominis prout his nominibus significantur, quę possint distingui, nec animal bruti, aut animal homonis, quæ possint convenire: á parte rei solum datur brutum, & homo, qui realiter distinguntur. Unde cum realiter loquendo animal hominis idem sit ac homo, realiter loquendo animal hominis non est eiusdem speciei, sed diversæ speciei cum bruto; formaliter tamen sunt eiusdem speciei, quia concipiuntur secundum prædicata essentialia, & vt virtualiter distincta á rationali, vel irrationali.

135. Objic. 10. De genere á parte rei verificatur esse extra differentias, posse prædicari de pluribus differentibus, &c. quę de inferioribus non verificantur: ergo á parte rei debent distingui.

136. Resp. Nego suppositum, quod á parte rei dentur *genus, differentia, inferius* provt his nominibus significantur hęc enim omnia conceptus mentis suppónunt, vnde omnes prædicationes, quæ de ipsis fiant á parte rei, erunt de subiecto non supponente.

137. Objic. 11. Cognosci, & non cognosci sunt duo predicata contradictoria; sed cum vidimus hominem á longe venientem, cognoscitur, esse animal, & non cognoscitur esse rationale: ergo de animali, & rationali verificantur cognosci, & non cognosci: ergo ad hęc salvanda debet poni distinctio ex natura rei inter animal, & rationale.

138. Respondeo, talia prædicata salvari per distinctionem formalem. Vtrum autem hæc debeat esse solum ex parte actus, an vero ex parte obiectis Sectione sequenti disputabitur: sit ergo

SECTIO VI.

VTRUM DENTUR PRÆSCISSIONES obiectivæ inter gradus superiores, & inferiores?

139. Scias, prescisionem idem esse, ac divisionem, seu cognitionem vnius sine alio, cum quo est identificatum. *Duplex* est hæc prescisio, formalis, & obiectiva; præscisio formalis est cognitio, qua totum obiectum attingitur, seu cognoscitur taliter, vt cum obiectum attingatur in ordine ad vnum connotatum, & non in ordine ad aliud, iam hoc nomine, & hac expressione, iam illo, & illa expressione significetur. Præscisio obiectiva est cognitio, qua non attingitur totū obiectum, sed aliquid attingitur alio nullo modo cognito, adeo vt etiam si vnum, & aliud sint idem realiter inter se, attamen ex parte obiecti vnum vere, & realiter terminat cognitionem, aliud vere, & realiter non terminat cognitionem, communi exemplo declaratur.

Pro-

140. Proponatur tibi homo à longè veniens cernis illius motus, sed non discernis, an sit homo vel brutum? Qui defendunt præscisiones obiectivas, asserunt, tunc te cognoscere animal realiter, quin vllo modo cognoscas rationale, darique ex parte obiecti formalitas vna nempe animal, quæ realiter terminet tuam cognitionem; aliam nempe rationale, quæ realiter illam non terminet. Sed respectu illius cognitionis se habeat tamquam si ibi non esset, vel esset realiter distincta ab alia, quę cognoscitur, qui vero præscisiones formales defendunt, asserunt; tunc te totum hominem cognoscere, sed non ita clarè, vt possis de toto homine rationem reddere, sed solum de illo vt animali, quia solum cognoscis illum per sensationis, quas conspicis, in ordine adquas dicitur *animal*, non per ratiocinationes, quas non conspicis, in ordine ad quas dicitur *rationale*.

141. Prima sententia affirmat in creatis præscisiones obiectivas. Ita fere omnes Thomistæ Eximius Doctor disp. 2. metaphysicæ sect. 2. num. 16. & alibi. Acutissimus Doctor 1. p. q. 28. c. 11. PP. Gilius, Albertinus, Tânerus, Telles. Alarcon, Fran. de Lugo, Lince, lib. 8. dialect. tract. 5. c. 3. Compton. disp. 24. log. sect. 1. Suarez Lusi., tract. 3. log. disp. 1. de vniuersalibus sect. 3. §. 1 P. Thysus Gonçalez disp. 6. de visione §. 3. à num. 21. Domine Linc. q. 3. de vniver. art. 4. n. 4. P. Olea. d. 76. à num. 3.

142. Secunda sententia negat. ita Nominales. Patres Hurtad. disp. 6. metaphysicę sect. 4. subsect. 3. adducens pro se Sanctum Thomam, Eximium Doctorem, & Patrem Uasquez, Arriag. disp. 5. log. sect. 2. Ovied. Alphonsus, Quiroz 1. part. tract. 2. disp. 15. sect. 13. Peynadus tract. 2. de vniuersalibus disp. 2. sect. 2 §. 3. n. 48. & Recentiores manuscribentes communiter secutos P. Massa in metaph. tract. 2. d. 3. sect. 2.

143. Tertia sententia negat tam præscissiones obiectivas, quam formales, quatenus scilicet per distinctionem realem inadæquate componit propositiones illas specie tenus contradictorias *cognosci animal*, & *non cognosci rationale*: asserit enim animal reddi proximè subiectum capax illius prædicationis per ipsas sensationes non solum tamquam per connotatum extrinsecum sed tamquam per formam capacitantem illud in esse subiecti talis prædicationis, rationale vero similiter per ratiocinationes, & quælibet alia entitas per sua connotata, vnde cum sensatio, & ratiocinatio realiter distinguantur, animal, & rationale, quæ per illas in esse proximè cognoscibilium ab actibus præscindentibus attinguntur, realiter inadæquatè etiam distinguntur; animal á rationali ratione sensationis; rationale ab animali ratione ratiocinationis. Ita ingeniosissimus in Platensi vniversitate Magister.

144. Dissidium tamen est inter duplicis primæ sententię Doctores, nam aliqui ex eis, qui admittunt præscissiones obiectivas in creatis, eas negant in Divinis præsertim inter attributa Divina enter se, & cum essentia comparata; iudicant enim, dari mutuam transcendentiam inter perfectiones Diuinas absolutas, ita Eximius Doctor, Granado, & alij: immò inter essentias, & relationes admittunt non mutuam transcendentiam idem Eximius Doctor lib. 4. de Trinit. cap. 3. num. 2. & Pater Amicus, & alij, non vero mutuam, vt falsò Ovidus Eximio Doctori imponit, hic enim numero citato asserit; sibi semper placuisse, essentiam includi in relationibus; non vero relationes in essentia, alij cum Patre Recupito lib. 3. de attrib. q. 11. & 12. n. 2. admittunt præscissiones obiectivas in Diuinis inter Gradus superiores, & inferiores, non verò inter perfectiones Diuinas vt Dei propriás,

prias, & differentiales, vt inter Omnipotentiam, et misericordiam.

145. Ex his verò, qui in creatis negant præscisiones obiectivas, eas admittunt non in omnibus prædicatis Diuinis sed solum in eis, in quibus reperitur distinctio rigorosa virtualis: ita Arriag. d. 5. Log. sect. 3. subsect. 1. num. 97. Pater Vvadingus apud Suarez Lusitanũ vbi supra num. 44. Pein. tract. 2. de vniversalibus. Sect. 3. §. 1. num. 17. alij verò vniuersaliter eas negant.

146. Non semel in mente habui pręscisiones formales defendere immo, & Calamum sæpe præ manibus ad eas Scribendas tenui, tum quia faciliores defensatu, tum quia breuitati, quam affecto aptiores, sed vtilitas vestra, quam potius breuitati præ ferre iudico, & mentem, & Calamum in obiectiuas conuertit. Dico, obiectiuas esse vobis vtiliores, quia cum passim á Doctoribus supponantur, ita vt sine eis nec pedem mouere immo nec integram quæstionem tractare possimus (vt ipse fatetur Arriaga) sic tertio quoque gradu audies, & dices. Deus inquantum omnipotens non est misericors, homo inquantum animal non est discursivus. Angelus inquantum intellectivus cõuenit cum homine, quæ quidem locutiones supra expræssiones, seu conceptus mentis nullo modo cadunt, sed supra res ipsas; si ergo nec arguere, nec loqui possumus sine obiectiuis præscissionibus, cur ergo eas non defensabimus? Vtilius enim vobis est semel defendere, quod Sępe supponere necessum est. Insuper in re diuinatoria hęc est communior sententia, & vt optime P. Telles disp. 2. Log. sect. 2. num. 28. antiquitate, & authoritate veneratione digna.

147. Dico primò. Dantur præscissiones obiectiuæ in creatis. Probatur primo conclusio authoritate Angelici Præceptoris 1. part. q. 85. art. 1. ad primum, & secundum, vbi duos modos præscissionis obiectiuæ distinguit, primus est negativus, quo scilicet, negatur, vnum esse aliud, quod re ipsa est, & hunc esse falsum, affirmat. Secundus præscissivus, quo vnum cognoscitur, alio non cognito: *Quam* (inquit) *Abstractionem, quia non considerauit Plato posuit naturas rerum separatas secundum rem*: ergo iuxta Angelicum Præceptorem error Platonis fuit non ponere naturas rerum separatas; sed ponere eas separatas secundum rem: ergo secundum rationem separatæ sunt naturę rerum; sed nequeunt separari secundum rationem, nisi vi præscissionis obiectiuæ, quæ ipsæ separentur: ergo dantur præscissiones obiectiuæ. Item id asserit Angelius Doctor fieri per rationem, quod secundum rem falsò asserebat Plato, sed Plato naturas, seu prædicata, & conceptus superiores asserebat separatos secundum rem; ergo conceptus superiores, & naturas separari secundum rationem iudicat Angelicus Doctor.

148. Probatur secundo. Ex mente Aristotilis primo metaphysicæ textu. 10. & Sancti Thomæ 1. part. q. 3. art. 5. imò ex fere omnium Doctorum sensu. Inter gradus metaphysicos datur compositio v. g. Species componitur ex genere, & differentia, sed hæc compositio nequit esse ex nominibus, & expręssionibus, neque ex conceptibus mentis, neque ex ipsis connotatis, tum quia nomina, expræssiones, & connota realiter distinguntur, ac pro inde non componunt interse, & si componunt, compositum ex ipsis resultans non erit species, vt per se patet, nam vox *animal*, & vox *rationale* conceptus represéntans animal, & conceptus represéntans rationale, Sensatio, & ratiocinatio nullo modo possunt esse partes constitutiuę hominis: ergo

ergo compositio erit ex formalitatibus obiectivis; patet consequentia; compositio est inter eos conceptus, ex quibus resultat species, sed solum ex conceptibus obiectivis, nempe animali, & rationali resultat species: ergo inter eos est tota compositio metaphysica. Tunc sic; sed vbi datur compositio, datur distinctio: ergo inter formalitates obiectivas distinctio formalis reperitur.

149. Probatur tertiò experientia. Cum video hominem à longe venientem, quin aliud præter motum progressivum eius videam, cognosco animal, rationali nullo modo cognita: ergo obiectiue pręscindo; probo antecedens; tunc solum percipitur Sensatio: ergo tunc solum cognoscitur animal; probatur consequentia. Intellectus solum cognoscit principium substantiale per species, quas ab operationibus accidentalibus mutuatur, sed tunc solum Sensationes percipit; non vero ratiocinationes: ergo solum cognoscit principium sensitivum, non vero rationale.

150. Confirmatur primo. Si tunc rogaretur homo: an illud obiectum sibi propositum sit homo, vel brutum? Non posset reddere rationem, nec affirmare, esse hominem, aut brutum: si tamen rogaretur; an sit animal? Statim affirmabit: ergo quia cognoscit animal, nullo modo cognito rationali.

151. Confirmatur secundo. Dantur aliqua prædicata, in quibus ab vno ad aliud valet consequentia, v. g. inter definitionem, & definitum *est homo*: ergo *animal rationale*: *est animal rationale*; ergo *homo*, *est animal*, ergo *est vivens*, *substantia*, *ens*. Dantur item alia, quæ se non inferunt nec valet ab vno ad aliud, vt *est animal* non valet: ergo *est rationale*: ergo maiorem distinctionem debemus concede inter hæc, quæ non se inferunt, quam inter illa prædicata quæ se inferunt; sed illa distinguntur explicite quoad maioré expressionem, & quoad nomina: ergo hæc debent habere distinctionem aliquam obiectiuam.

SVBSECT. PRIMA.

QVÆ, ET QVALIS DEBEAT esse distinctio virtualis quæ est fundamentum distinctionis formalis?

152. ALiqui *Doctores* hanc distinctionem explicant apud Patrem Comptonum asserendo: entitatem illam, in qua intellectus postea cognoscit unum alio prędicato non cognito esse virtualiter duplicem. Unde illa prædicata quoad speciem solum sunt contradictoria cum non terminentur ad idem obiectum, sed ad duplex: sic quia homo induplici loco constitutus esset duplex virtualiter, de eodem iuxta aliquorum sententiam posset verificari, mori, & vivere, esse in gratia, & in peccato, & quia in diuersis temporibus homo est virtualiter duplex, hodie est in gratia, & cras in pecco. Ita tamen hoc defendunt, vt dicant; totum obiectum terminare cognitionem.

153. Ideo eos Laudo, sed in hoc non Laudo. Iam enim coincidunt cum præscindentibus formaliter, cum dicant; totum obiectum indiuisibiliter terminare cognitionem: ergo totum obiectum denominatur cognitum, & dicitur non cognitum: ergo non saluatur, quod cognoscatur animal, & non cognoscatur rationale. Insuper nullam separationem ponunt ex parte obiecti, quod est contra mentem Diui Thomæ asserentis; per rationem fieri id quod secundum rem defendebat Plato, [illegible]

Alij

154. Alij inter gradus metaphysicos, & perfectiones, quæ in rebus inueniuntur, ponunt aliquam distinctionem actualem in ordine tamen ad actus intellectus possibiles. Hæc sententia, dum fugit distinctionem mere formalem videtur in realem distinctionem incidere.

155. Ideo que assero: ante operationem intellectus, seu cognitionem præscindentem nullam dari actualem distinctionem in obiecto, sed solum aptitudinalem seu fundamentalem, quę quidem distinctio virtualis minus *lata*, seu *vulgaris* appellatur. *Minus lata* à distinctione distinctionis rigorosæ virtualis, quæ ponitur in Deo ad saluanda contradictoria physica Mysterij Trinitatis *Natura communicatur. Paternitas non communicatur*: vulgaris, quia communis est vulgo omnium entium creatorum. Dicitur *virtualis*, quia sicut distinctio virtualis rigorosa habet virtutem ad saluanda contradictoria physica eadem vi, ac si esset distinctio realis actualis, ita hæc habet virtutem ad saluanda contradictoria intentionalia eadem efficacia, ac si sit distinctio realis. Dicitur *aptitudinalis*, quia redditur actualis per actum intellectus, quia defacto cognoscitur vnum alio non cognito: in duobus enim hoc totum consistit; in fecunditate obiecti tribuente fundamentum ad talem distinctionem, & in subtilitate intellectus potente dividere, quæ re ipsa divisa non sunt.

156. Pro quo scias primò. Res, quo perfectiores sunt, eo sæpe habere secum identificatas plures perfectiones, quæ in alijs rebus dispersæ concipiuntur. Sic in homine, qui est entitas perfectior planta, & bruto, reperitur conceptus vegetativi, quo convenit cum planta, sensitivi, quo convenit cum bruto, & rationalis, quo ab ipsis differt, & convenit cum Angelo. Hinc fit, quod cum intellectus varias illas perfectiones realiter distinctas in alijs rebus, in eadem re veluti quodam nexu coniunctas videat, fundamentum habet, vt eas distinguat, separet que intentionaliter, & hoc est primum fundamentum pręscisionis, æquivalentia scilicet eiusdem entitatis ad plura diversa vt diversa, secundum quod sit eadem entitas similis, & dissimilis alteri, sic Homo est similis, & dissimilis equo. Similis, quia animal; dissimilis, quia rationale. Vnde ratio animalis potest á rationali præscindi. Tertium fundamentum, quod habeat eadem res diversa connotata, vt idem Homo respicit sensationes, & ratiocinationes, eadem Omnipotentia diversas creaturas: vnde præcontinentia vnius creaturæ potest ab alia præcontinentia pręscindi.

157. Scias secundò. Potentiam intellectivam iuxta vulgare, & receptissimum axioma, quod ex Aristotele, & Alberroe acceptum asserunt Angelicus Doctor 1. contra gentes c. 54. Eximius Doctor. P. Ruiz, Granadus, & Sancta Cruz num. 51. pro eo etiam vniuersam phylosophiam stare affirmans *divisa adunare, & adunata dividere* hoc est ea, quę divisa sunt concipere per modum vnius, & ea, quæ adunata sunt, dividere & separare: vnde in intellectione datur duplex quasi ratio; & ratio qualitatis physicæ, & ratio qualitatis intentionalis, vt physica inhæret subiecto; vt intentionalis repræsentat; vt physica petit proportionatum sibi subiectum spirituale, vitale, &c. vt intentionalis nullis terminis includitur, æquè per omnia divagatur, ad ens, & non ens; ad præsens ad præteritum, ad futurum, ad materiale, & spirituale, ad vitale, & non vitale, ad ea, quæ oculis conspiciuntur, & ad ea, quę oculis conspici non possunt terminatur. Cum ergo tali sagacitate, & subtilitate procedat intellectus, & cum aliâs obiectum habeat fundamen-

tum

tum aliquod ex dictis numero antecedenti, non est cur negemus ab eos posse dividi implura hoc est cognoscere inadæquatè, si ergo potest cognoscere quod non est, cur non poterit in adæquatè cognoscere id, quod est?

158. Objic. 1. Contra dicta in hac subsectio, hic manifesta committitur principij petitio: nam si rogamur: Cur animal distingitur virtualiter á rationali? Respondemus: quia potest animal sine ratianali cognosci; si tamen rogamur, cur animal potest cognosci sine rationali? Vtique respondemus; quia animal, & rationale distinguntur virtualiter. En circulus.

159. Resp. Nos non probare, posse animal sine rationali cognoscit ex eo quod detur distinctio virtualis inter vtrumque, sed ex manifesta experientia qua sępe vnum cognoscimus sine alio, vt patet in casu nostrę probationis; ex hac tamen cognitione vnius, & non cognitione alterius tamęuam. Ex evidenti signo inferimus; inter vnum & aliud absque dubio esse aliquam virtualem distinctionem sufficientem ad talem experientiam; sicut ex fide cognoscimus in *Deo naturam communicari non communicari Paternitatem: naturam non produci filiationem produci*, cum tamen hoc sine contradictione evinere teneamur credere, convincimur; dari aliquam distinctionem, non realem actualem, nam huic etiam ipsa fides repugnat, sed virtualem rigorosam inter naturam & personalitates sufficientem ad verificanda ea prædicata; ita in creatis, cum experientia nos doceat; posse cognosci animal sine rationali, & aliás certò sciamus realiter actualiter non distingui, tenemur ponere inter ea prædicata aliquam distinctionem virtualem, quę habeat virtutem ad ea prædicata intentionalia cognosci, & non cognosci salvanda.

160. Objic. 2. Ex Arriaga. Hanc subtilitatem intellectus in ordine ad præscisionem esse omnino chimæricam. Primo quia cognitiones intuitivæ subtiliores sunt abstractivis, & tamen præscindere nequeunt. Secundo quia subtiliores infinities sunt cognitiones intellectus Divini, & tamen intellectus Divinus præscindere nequit. Tertia quia eadem etiam subtilitate gaudent intellectus pręscindentium formaliter, & tamen præscindere nequeunt obiectivè. Quarto, quia si præscindere esset subtilitas, esset perfectio ac proinde Deo necessario concedenda.

161. Hoc argumentum aliquas speciales difficultates tangit prima est: an cognitio intuitiva possit obiectivé præscindere sicut abstractiua? Negant Patres Vasquez, Præpositus, & Thomistæ omnes. Affirmò cum Patribus Suarez lib. 2. de attributis negativis, cap. 24. n. 3. Molina, Lince, Granado, & Scotistis apud Brisenum controv. 9. dist. 2. art. 2. & probatur. Angelus dum se naturaliter intuitivè cognoscit, non attingit potentiam obedientialem secum identificatam ad vnionem hypostaticam, aliàs naturaliter possibilitatem talis vnionis attigeret, nam cognita potentia, & terminus cognosci necessario est. Item Beati intuitivê vident Deum, & non vident omnes actus liberos cum Deo identificatos, quod de fide certum Iudicat Eximius Doct. lib. 2. de Angelis cap. 24. insuper nec omnes præcontinētias Omnipotentię, sed aliquas vident alias vero indistinctas non vident: ergo intuitiva cognitio poteste esse præscissiua ob eamdem rationem ac abstractiva.

162. Replicas primô omnis cognitio præscissiva est abstractiua, sed omnis cognitio intuitiva opponitur abstractiuæ: ergo & omnis cognitio intuitiva opponitur præscissiuæ.

163. Resp. Certum esse cognitionem intuitivam abstractivæ opponi, quia cognitio intuitiva est circa obiectum existens, & per proprias species cognitio vero abstractiva est circa obiectū sæpe non existens, & per alienas, species. Non vero omnem cognitionem præscissivam confundi cum abstractiva. Nam licet sæpe præscissiva cognitio sit per alienas species, non tamen semper, & necessario. Salvatur enim tota essentia præscissiuæ cognitionis in eo, quod attingat vnam formalitatem obiecti alia nullo modo cognita siue sit per proprias, siue per alienas species, siue circa obiectum existens, aut non existens. Vnde cognitio præscissiua non opponitur intuitivæ; opponitur tamen cognitioni compręhensiuę, stricte & rigorosè tali, quæ debet attingere, & adæquari obiecto, quapropter implicat cognitio simul comprehensiua, & præscissiua non vero cognitio simul pręscissiua, & intuitiua.

164. Replicas secundò. Cognitio intuitiua attingit obiectum vt est in se: ergo non præscindit, quia cognitio præscissiua non attingit illud, vt est in se.

165. Resp. Distinguo antecedens: attingit vt est in se, hoc est per proprias species, et non per alienas concedo, aliter nego. Vnde potest quadunari cum cognitione pręscissiva, quę non antting t necessario obiectum per alienas species vt iam vidimus.

166. Secunda difficultas quam attingit argumentum in secunda, & quarta replica est: an possit verificari de aliqua cognitione *D*iuina esse pręcissiuam? quæ quidem difficultas æque aduersarios comprehendit. Affirmant Patres Arriag, & Lince. Nego tamen cum omnibus alijs, quia licet intellectus Diuinus sit infinities subtilior nostro intellectu, est tamen essentialiter comprehensivus, vnde nequit obiectum inadęquate cognoscere. Et licet pręscindere sit perfectio intellectus creati, est admixta imperfectione, sicut discurrere est perfectio intellectus creati, immo quo subtilior, tanto magis discursivus est, & non ideo transfertur discursus ad intellectum Diuinum, quia est perfectio admixta imperfectione, ideoque aliena à Deo. Si velis, in cognitione Diuina tot distinguere formalites virtualiter, quot sunt in obiecto perfectiones seu prędicata, & hoc apellare nomine præscissionis, quæstionem facis de nomine, dic, quod volueris.

167. Ad tertiam probationem respondetur. Intellectum præscindentium formaliter sæpe has, & similes propositiones elicere: homo qua animal non discurrit: Visio quà vitalis non pendet ab specie. Albedo, qua ens non est accidens: ergo subtilitaté hac præscissiua gaudent, & vtuntur vel vt subtilitatem hanc negent implures errores sepe incidere, fateri tenentur. Nam quando dicunt: Albedo quà ens non est accidens, vel in ly *ens* implicite attingunt rationem accidentis, vel non? Si non attingunt? Ergo præscidunt oiectiue. Si attingunt: ergo falsa est propositio: nam ideo hęc propositio est falsa: homo inquantum homo non discurci: quia inconceptu hominis implicite est conceptus discursiui ergo si in ly *ens* esset implicit conceptus accidentis falsum esset dicere: albedo in quantum ens non est ac accidens.

168. Objic. 3. Si æquiualentia ad res realiter distinctas vel conuenientia, & disconuenientia esset sufficiens fundamentum distinctionis formalis, & præcissionis obiectiuę, posset intellectus præscindere obiectiue in Patre æterno rationem personæ á ratione Paternitatatis: probatur. Quia Pater æternus ratione personalitatis æquivaler Angelo cum eoque conuenit, & differt simul abeo ratione Paternitatis. Per quam æquiualet Patri creato, cum eoque conuenit: ergo con-

conceptus personalitatis obiectiuæ distinguitur à Paternitate, seu relatione. Quod concedere absurdum est Ioanis de Ripa asserentis; personas Diuinas esse absolutas merito damnatum à theologis, vt videre est apud Patrē Franc. de Lugo. 1. part. lib. 2. d. 21. cap. 3. num. 8. & alios communiter.

169. Huic argumento ab aliquibus valde decantato respondetur primo, Sententiam Ripæ nullam mereri notam. Probabilem eam iudicant Scotus in primo dist. 26. q. 1. § contra istam opinionem liquet. Smising. & Pater Salmeron tom. 2. tract. 21. §. *loco* cum multis Patrum testimoniis illustrans, & attribuens Diuo Bonauenturę, Ocamo, & aijs.

170. Respondeo concedendo Personalitatem Patris, seu proprietatem personalem obiectiue distingui á Paternitate Diuina vt æquiualenti Paternitati creatæ. Ita expresse docent Patres Tannerus, Albertin, & Franc. de Lugo. Supra. Item Caietanus, Caprelus, & alij, error ergo Ioanis de Ripa consistit in eo, quod asserat, personas Diuinas esse absolutas ab omni respectu, & relatione etiam transcendentali, nam licet persona obiectiue distinguatur á Paternitate, semper dicit relationem transcendentalem ad filium. Ita Ariaga, Ruiz, Albert, & comuniter recentes, ratione cuius relationis transcendentalis cōstituitur persona in esse relatiuæ, quia licet relatio transcendentalis non extrahat rem á ratione absolutæ, in Diuinis tamen iuxta Patrum locutionem sufficiens est vt extrahat conceptum personalitatis á ratione absolutę; hoc est á ratione communis toti Trinitati, inquo solum relucet inconueniens.

171. Vel dic: Ripam errasse in modo loquendi, quatenus scilicet asserit; personas constitui aliquo absoluto. Vox enim *absolutum* iuxta receptum modum loquendi theologorum imposita est ad significandum, quid quid est comune toti Trinitati, & sicut vox *essentia* limitata est á Theologis in Mysterio Trinitatis ad significandum solum naturam Diuinam, & ita non licet dicere in Deo dari tres essentias adhuc cum addito *relatiuas*; etiam si in creatis vox essentia extendatur ad significanda alia á natura distincta, ita voce *absolutum* non licet vti in Diuinis, nisi in prædicatis communibus. Vnde asserere, Personas Diuinas esse absolutas, constituique prædicato absoluto, est contra modum loquendi Patrum, & conciliorum.

172. Vel tandem dic cum Patre Leonardo in materia de Trinitate d. 5. sect. 9. *aduertendum* 1. Ripam errasse, quia inter personalitatem, & Paternitatem aposuit distinctionem rigorosam virtualem, vlterius que asseruit, ad pluralitatem, & distinctionem personarum materialiter, & per accidens se habere pluralitatē relationum, sicut ad rationem æterni vt talis, materialiter se habet immensitas, quod est contra communem locutionem Theologorum asserentium; relationes se habere de formali ad distinctionem, iuxta illud: *Omnia in Diuinis sunt idem vbi non obstat relatio producentis, & producti*.

173. Objic. 4. Conceptus filij, & conceptus Verbi non distinguntur obiectiue in filio æterno iuxta illud Diui Augustini: *Eo Verbum, quo filius; & eo filius quo Verbum*: Sed filius eternus ratione, filij æquiualet, & conuenit cum filio creato, & ratione verbi cum Verbo item creato, ergo.

174. Pater Leonardus d. 58. de Trinit. sect. 3. & alij negant maiorem, & explicant Sanctum Augustinum dicentes solum intendisse negare distinctionem realem, vel virtualem, rigosam inter filium, & verbum: illa enim reduplicatio non debet sumi metaphysice Sancti, namque de his metaphysicis reduplicationibus non curarunt. Alij vero illam concedunt, dicentes; rationem filij, & Verbi Diuini mutuo se includere. Negant tamen; filium Diuinum conuenire cum filio creato, nam ratio filij ex ipsa ratione Verbi constituitur, ex qua filius creatus nullo modo constituitur. Sed tu sta pro primá conclusione.

SUBSECTIO. II.

SECVNDA NOSTRA CONCLVsio contra præcisiones formales.

175. DIco secundo. Non dantur præscissiones formales nec vi illarum saluantur propositiones contradictoriæ intentionales; cognosci v.g. animal, & non cognosci rationale. Probatur primo. Ideo tota hæc distinctio fieret per prescissiones formales, quia cognito animali etiam cognosceretur rationale; sed cognito animali rationale nullo modo cognoscitur: ergo non datur talis distinctio. Probatur minor. Implicat, me aliquid cognoscere, de quo si reflectam, non possim rationem reddere; sed præscindens animal á rationali, quantumcumque reflectat, nequit rationem reddere de rationali: ergo cognito animali rationale non cognoscitur. Probatur minor. Nam qui, á longe conspicit hominē persensationes, quātumcumque reflectat, nequit cognoscere, an sit homo, vel non? Et Phylosophus licet supra euidentiam existentiæ Dei millies reflectat, fecunditatem Dei numquam attinget; nec qui vnum actum liberum Dei cognoscit, posita quacumque reflexione supra ipsum, alios cognoscit. Maior etiam meo videri cōstat. Inde inferimus; Petrū v. g. rusticum nescire logicam, mathematicam, Theologiam, &c. Quia de his facultatibus rationem reddere nequit, & è contra, inde cognoscimus Aristotelem optime percaluisse phylosophiam; & Sanctum Thomam Theologiam, quia de his facultatibus rationem reddunt: ergo.

176. Siquis vana jactatione diceret; per scientiam experimētalem vnius singularitatis, Petreitatis scilicet, se habere scientiam de omni singularitate possibili, ac proinde se experimentaliter cognoscere Antichristum, & alios homines vniuersi, item clare cognoscere, quomodo species se habeant in intellectu, vel in potentia memoratiua, compositionem continui, immò & Mysterium Trinitatis, quo argumento illum conuicerem nisi hoc; si hęc *omnia scis, de eis rationem redde, ea explica, & declara*: & quia de eis rationem reddere nequis, quamvis supra Petreitatem decies mille reflectas, ea certé omninò non attingis, cum Petreitatem agnoscis. Tunc sic. Sed similiter qui a longe conspicit hominem, & cognoscit animal per sensationes, quantumcumque supra animal, & sensationes reflectat, nequit rationem reddere de rationali: ergo quia illud nullatenus attingit.

177. Dices, tunc præscindentem posse reddere rationem de rationali, sed non sub expresione, & nomine rationalis, sed sub expresione, & nomine animalis; sicut qui calet linguam Hispanam non vero latinam potest reddere rationem de obiecto cognito per voces hispanas, non vero per latinas.

178. Exemplum non est ad rem, nam cum voces significent idem obiectum, explicata, & cognita vocum significatione, qui per vnas voces de obiecto rationem reddebat, potest etiam per

alias absque nova obiecti notitia rationem reddere, v.g. qui Hispane scit, hominem esse animal rationale per has voces *el hombre es animal racional,* si addiscat latinum idioma, statim absque nova notitia obiecti potest per voces latinas de homine reddere rationem ita *homo est animal rationale,* sed quantumcumque quis sciat significationem vocum *rationale & animal*, nequit dicere de animali á longè viso esse rationale: ergo non tantum in vocibus, sed in ipsis rebus datur aliquid non cognitum, & aliquid cognitum.

179. Probatur secundo conclusio á gravissimis inconvenientibus, quæ ex contraria sequerentur: nam iuxta præscindentes formaliter prędicationes formales nequeunt verificari nisi per reflexionem supra voces, expressiones, & conceptus, ita vt sensus huius propositionis: *Animal vt tale non est principium ratiocinationis, sit: entitas prout cognita, & expressa per vocem animal non est cognita, & expressa per vocem rationale:* ex quo sequeretur, quod non solum formaliter, verum, & realiter posset fieri illa prædicatio, nan realiter vox & expressio *animal,* non ex vox, & expressio *rationale.* Unde hę propositiones vere evadent: *Rationale realiter distinguitur ab animali: natura Divina, Trinitas, substantia, immensitas, &c. realiter distinguuntur inter se:* item hęc: *natura Divina non est personalitas:* quæ damnata est á Concilio Remensi. Denique si propositiones contradictoriæ in Divinis: *Natura communicatur, Paternitas non communicatur.* Solum verificarentur in hoc sensu formali iuxta ipsos Adversarios (vno Arriaga, vel alio exceptis) hæ propositiones de fide, verificabuntur in eodem sensu, in quo verificantur plures propositiones hęreticæ; hæc v.g. *Natura Divina vt talis realiter, & physicé non est personalitas,* nam in hoc sensu reduplicativo in principijs contrariorum hæc propositio debet esse vera; *vox namque & expressio natura non est vox, & expressio personalitas.*

180. Mitto impugnationes militantes contra varios modos discurrendi adversariorum, præcipué Arriagæ, & Oviedi, licet satis superque apud me reiectos habeam, quia, si placet, videri poterunt tum apud Doctores nostrę sententię adhærētes, tum quia ex dictis sufficienter reijci poterunt.

SVBSECTIO III.

PARTICVLARIS OBIECTIO *enodatur: vbi aliqua contra distinctionem virtualem.*

181. Objic. 1. Cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria; sed hæc sequerentur ex precisionibus obiectivis: ergo repugnant. Probatur minor. Per illam cognitionem præscindentem animal á rationali, cognosceretur animal, & non cognosceretur rationale; sed animal, & rationale sunt idem: ergo idem cognosceretur, & non cognosceretur.

182. Confirmatur primò. Eo modo, quo de aliqua entitate prędicatur aliquid, quod de alia negatur, distinguuntur illę entitates; sed de animali prædicatur esse realiter cognitum per illam cognitionem, et de rationali negatur: ergo animal, et rationale realiter distinguuntur.

183. Roboratur: eo modo, quo alicui enti convenit aliquod prædicatum, quod alteri non convenit distinguntur ab illo; sed rationali realiter formaliter non conuenit esse obiectum huius cognitionis præscindentis animal, quod animali competit: ergo non solum realiter virtualiter, verum formaliter distinguitur ab animali.

Con-

134. Confirmatur secundò. Non minus contradictoriè opponuntur *cognosci, & non cognosci,* quam *produci, & non produci, existere, & non existere,* sed de duplici entitate realiter identificata nequit verificari existere, & non existere, produci, & non produci; ergo neque cognosci, & non cognosci.

185. Hoc argumentum retorqueo contra Aduersarios. Sic contra Hurtadum; non minus opponuntur contradictori cognosci animal, & non cognosci rationale, quam cognosci explicite animal, & non cognosci explicite rationale: ergo. Contra Oviedū. Nō minus opponuntur cognosci animal, & nō cognosci rationale, quā cognosci ordo ad sensationem, & non cognosci ordo ad ratiocinationem. Contra Arriagam. Non minus opponuntur, cognosci animal, & non cognosci rationali, quam cognosci disconuenientia hominis à non animalibus, & non cognosci disconuenientia hominis á non rationalibus. Contra omnes præscindētes formaliter, non minus repugnat cognosci animal, & non cognosci rationale, quam prædicari animal, & non prædicari rationale de eodem subiecto, sed hoc debent ipsi fateri: patet in hac propositione: *Petrus est animal.* Vbi de Petro prædicatur animal, & non prædicatur rationale. Nam si in sensu illatiuo non valet: *Petrus est animal; ergo est rationalis.* Multò minus valebit in sensu formali specificatiuo.

186. Respondeo ad argumentum. Distinguo maiorem: cognosci, & non cognosci idem, sunt prædicata contradictoria, si sint idem tam realiter, quam virtualiter, concedo. Si sint realiter idem, & virtualiter non sint idem: nego, & similiter distinguo minorem ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem. Animal, & rationale sunt idem, tam realiter actualiter, quam realiter virtualiter, nego; realiter actualiter tantum, concedo. Certum est: inter animal, & rationale non dari distinctionem realem actualem, sed potius identitatem; datur tamen distinctio realis virtualis supra iam á nobis explicata, quæ quidem dicitur virtualis, quia habet virtutem saluandi prædicata illa intentionalia *cognosci, & non cognosci* voce tenus contradictoria eodem modo ac si esset distinctio realis actualis. Sicut enim ponimus distinctionem rigorosam virtualem in Diuinis ad saluanda prædicata contradictoria physica, quę fides concedere nos obligat, *producti* scilicet & *non produci* inter prædicata, quæ sunt realiter actualiter idem, tali virtute vt idem faciat ac si esset distinctio realis actualis; ita ponimus distinctionem virtualem minus rigorosam, ad saluanda ea prædicata contradictoria intentionalia, *cognosci, & non cognosci: terminare cognitionem, & non terminare cognitionem,* quæ experientia admittere nos necessitati virtute vt in ordine ad ea prædicata eamdem vim habeat ac si esset realis actualis.

187. Ad primam confirmationem respondetur; distinguo maiorem; eo modo, quo de alia entitate prædicatur aliquid, & de alia negatur distinguntur, vel realiter actualiter, vel realiter virtualiter, concedo; realiter actualiter, nego; vel ita facilius distingue; vel formaliter, vel virtualiter, concedo; formaliter necessario, nego; inter Petrum, & Paulum intercedit distinctio realis actualis, & ratione huius distinctionis contradictoria non sunt: *Petrum currere, & Paulum non currere*: inter animal, & rationale, licet talis distinctio non intercedat, relucet tamen alia tam similis illi, vt in linea intentionali ad idem deserviat, vnde in ordine ad saluanda hæc prædicata contradictoria: *Animal realiter cognoscitur, rationale realiter non cognoscitur* non magis deser-

viat

virct distinctio illa, quę relucet inter Petrum,&Paulum, quapropter eo modo,quo de animali dicitur esse cognitum,& de rationali negatur, intercedit inter vtrumque distinctio realis non formaliter,sed virtualiter talis.Explica hoc exemplo supra posito distinctionis rigorosè virtualis in Divinis. Ad robur confirmationis,quod etiam potest esse replica contra proxim è dicta, respondetur. *Distingno* maiorem: eo modo, quo alicui enti convenit aliquod prædicatum,quod alteri non convenit,distingitur ab illo;eo modo præscisè,nego;eo modo, vel alio æquivalenti habente virtutem ad idem,cócedo. Cumque distinctio virtualis in ordine ad salvanda prædicata contradictoria intentionalia æquivaleat distinctioni reali formali, inde est, quod sufficiat ad hoc,vt rationale realiter formaliter non sit obiectum cognitionis terminatæ ad animal, licet sit realiter formaliter idem cum animali.

188. Ad secundam confirmationem respondetur: distinctionem hanc virtualem non esse sufficientem ad salvanda contradictoria physica, qualia sunt illa: *Existere, & non existere: produci, & non produci.* Et patet ad hominem contra Arriagam in distinctione virtuali rigorosa. Sicut enim hanc non licet extendere adhuc in Divinis ad alia prædicata seu attributa, nisi adea, quæ fides admittere nos obligat, ac proinde ea non salvatur: *Existere immensitatem: & non existere infinitudinem*: ita nobis non licet hãc distinctionem virtualem vulgarem extẽdere, nisi ad salvanda ea prædicata,quæ experientia nos obligat admittere,quę quidẽ sũt prędicata intẽtionalia,non verò prædicata physica.

189. Insuper hęc vis præscisiva, & divisiva, quę intellectui tribuitur, physicæ actioni tribui nequi cognitio enim vt repręsentativa terminatur ad inposibile,ad præteritum,ad futurum, ad materiale,& ad spirituale, immò ad omne ens,& non ens; actiones vero & vniones physicæ hanc sagacitatem, & vim non habent. Sed requirunt terminum determinatum existentem, & sibi proportionatum: vnde ex duplici formalitate identificata nequeunt ad vnã terminari,& non ad aliam, qua propter si animal produceretur, & non produceretur rationale; si rationale vniretur, & non vniretur risibile;sequeretur idem produci, & non produci; vniri, & non vniri;ex eo autem, quod cognoscatur animal, & non cognoscatur rationale, solum sequitur;intellectum inadæquatè cognoscere obiectum, qui quidem intellectus, sicut potest cognoscere id, quod positivè non est,ita poterit cognoscere aliquid sine alio, quo sine realiter positivè non est.

190. Replicas primò contra immediatè dicta;si ratione huius distinctionis salvarentur prædicata intentionalia *cognosci, & non cognosci*, etiam salvarentur prædica physica *mittere scilicet animal speciem sui, & eam non mittere rationale, animal producere speciem impressam, & eam non producere rationale*: ergo vel vtraque, vel neutra salvantur vi talis distinctionis. Probatur sequela. Quando homo á longe conspicitur, vel producit speciem tam animal quam rationale, vel solum animal illam producit? Si hoc secundum; ergo animal producit,& rationale non producit. Si primum? Ergo tam animal, quam rationale cognoscitur. Probo consequentiã. Ideo illa species emissa esset species animalis, ideoque sufficiens vt animal cognosceretur, quia eam animal producit: ergo si eam rationale etiam produceret, vtique etiam esset species rationalis, & sufficiens vt rationale cognosceretur.

191. Respondeo. Nego sequelam. Ad probationem dico. In casu posito totam entitatem mittere, & por-

producere speciem; & nego suppositum, quod in ordine ad hęc prædicata, producere, & non producere detur animal, & rationale, aut aliqua virtualis distinctio aut, æquiualentia in obiecto. Nec ex eo licet inferre; totam entitatem cognosci, quia licet tota entitas producat speciem, non producit speciem adęquatam sui, sed inadæquatam. Aliud enim est adæquatam entitatem producere speciem; & aliud producere speciem adæquatam. Sic intellectus, qui est agens adæquatum, sæpe producit cognitionem inadæquatam obiecti.

192. Si tamen oppon is. Ergo iam illa entitas producit speciem secundum inadæquatum, & secundum aliud inadæquatum non producit: ac proinde producet,& non producet. Negabitur illatio. Sicut licet duo ignes eidem materiæ sufficiẽter approximati producant inadæquatè alium ignem, non licet inferre; inquocumque illo igne potente alias se solo totum effectum producere, vnam partem producere, & aliam non producere. Sicut enim tunc tota virtus vtriusque ignis producit, licet non producat quantum potest, seu secundum totam suam virtutem. Ita dicendum; totam illam entitatem resultantem ex animali, & rationali producere illam speciem,licet non producat quantum potest, seu secundum totam suam virtutem.

193. Si verò roges: cur illa potius est species animalis quam rationalis,cum tam animal, quam rationale illam producat? Respondebo, quod sicut res Diuinas cognoscimus dum viuimus, per speculum in enigmate, ita quidquid in naturalibus cognoscimus sensuum ministerio cognoscimus, sic spiritualia per corporalia, substantiam per accidentia, nec aliter discernimus. Vnde quodvis obiectum, in tantum solum cognoscimus, inquantum per externa signa nobis innotescit. Cum ergo dum á longe video hominem venientem, nulla signa principij ratiocinationis, sed solum signa principij sensationis videam, nempe motum progressivum, & medijs his indicibus principia speciem producant, inde est quod dicamus; tunc illam speciem emissam solum fuisse animalis, & non rationalis licet vtrumque illam produxerit.

194. Replicas secundò. Terminare cognitionem animal, & eam non terminare rationale, sunt prædicata intentionalia,quia sunt in ordine ad cognitionem, quia licet seteneant ex parte obiecti,á contradictione absolvuntur ratione distinctionis virtualis; ergo producere, & non producere cognitionem intellectus, etiam erunt prædicata intentionalia, & ratione distinctionis virtualis non contradictoria, cum sint etiam in ordine ad cognitionem. Itaque iam saluabitur, quo modo lumen gloriæ producat supernaturaliter, & non vitalitatem visionis beatę,& è contra intellectus producat vitalitatem, & non supernaturalitatem illius. Quod est contra omnes Doctores.

195. Scio aliquos Thomistas, interquos nouiter *Dominicanus* Lince, secunda part. lib. q. 3. art. 4. præsertim à numero 37. asserere beneficio distinctionis virtualis eamdem actionem physicam, producere vnam formalitatem effectus, & non aliam, quod hoc triplici argumento evidenter probari, ait citatus Lince, 1. actio,qua Deus concurrit cum creatura,producit realiter entitatem physicam actus peccaminosi, & non producit malitiam illi identificatam. Species impressa spiritualis physicè producit formalitatem cognitionis,& non producit formalitatem vitalitatis. Tertio in sententia Iesuitarum(ita ille) actio, qua intellectus producit visionem beatam, terminatur ad vitalitatem,& non ad super-

pernaturalitatem; scio item, Caietanum defensasse, animam vniri physicè secundum genus vegetativæ; non vero secundum genus intellectiuæ; & denique Patrem Ildephonsum de Peñafi. contendere; animal physicè producere sensationes, & eas rationale non producere. Nihilominus tamen.

196. Resp. Iam supra dixi, incognitione dari duplicem respectum, & qualitatis physicæ, & intentionalis; ratione qualitatis physicæ eisdē legibus, quibus reliquæ qualitates subijciuntur, & ipsa subijcitur: at ratione qualitatis intentionalis ad omnia divagatur, omnia diuidit, nullis legibus adstringitur: vt hoc conspiciatur, ponamus animam materiæ alligatam elicere actum, quo ipsa anima præscindatur à sua vltima individuatione, conspiciaturque vt anima. Hic actus qualitas intentionalis est terminatus ad solam rationem animę, non ad differentiam indiuidualem, sic que has rationes diuidit, at vero vt qualitas physica est, nullam distinctionem facit inter eas rationes, sed æquè vtrique tamquam subiecto inhæret; ratio est, quia in ordine physico materialiter se habet ratio intentionalis, in qua totam suam vim specialem diuisiuam habet intellectus.

197. Hinc patet solutio ad replicam: intellectus producens physicè cognitionem vt producens non respicit eam vt qualitatem intentionalem, sed vt effectum, neque cognitio se habet vt qualitas intentionalis formaliter respectu intellectus, & respectu obiecti, quia solum respectu obiecti exercet suam vim repræsentativam, inde est, quod producere cognitionem, & non producere cognitionem, non sint prædicata intentionalia, sed physica, illa enim sunt prædicata intentionalia, quæ sunt in ordine ad cognitionem vt formaliter talem, qualia sunt cognosci, & non cognosci, terminare cognitionem, & nō terminare cognitionem, non vero illa, quæ sunt in ordine ad cognitionem vt materialiter talem, & vt formaliter effectum, qualia sunt producere, & non producere cognitionem. Unde implicat, lumen gloriæ producere supernaturalitatem, & non vitalitatem visionis beatę, & è contra: Cum vitalitas, & supernaturalitas sint idem realiter, & causæ physicę non sint præscissiuæ, neque illa sunt prędicata intentionalia, cum non sint ad visionem vt formaliter talem, sed vt materialiter talem.

198. Hinc cognoscitur, argumenta Magistri Lince esse evidenter falsa. Nam eadem actio Diuina physicè producit & entitatem physicam, & malitiam peccati (scilicet malitiam, entitatem physicam appellare) quin vllum ex hoc sequatur inconveniens, sed solum, *Deum* esse causam vniuersalem omnium affectuum creatorum, quin moraliter se habeat respectu peccati: etiam speciem impressam per eamdemmet actionem, qua intellectus, producere tam cognitionem, quam vitalitatem. Sicut intellectus tam super naturalitatem visionis, quam eius vitalitatem; quam falso asserat linceus, illam esse Iesuitarum sententiam, ipsi dicant Iesuitæ, quorum nullus hucvsque tale, nec excogitare, nec somniare potuit, aliud enim est nos reduplicatiue dicere; cognitionem vt vitalem non prouenire ab specie; & visionem beatam vt supernaturalem non prouenire ab intellectu; & aliud, illas actionas terminari ad vnam formalitatem, & non ad aliam. Primum solum denotat intellectum nostrum esse præscissiuum, & incognitione, & visione reperiri fundamentum sufficiens, vt vitalitatem intellectui attribuat, & supernaturalitatem lumini. Secundum denotat, actiones esse pręscissiuas, quod absonum

Iu-

iudicamus. Eodem modo respondetur ad sententiam Caietani, & Patris Peñafiel.

199. Replicas tertiò. Omnia prædicata intentionalia vt formaliter talia possunt salvari sine contradictione: ergo poterunt salvari cognosci animal, & non cognosci animal: cum sint prædicata intentionalia formaliter.

200. Resp. Contradictoria intentionalia, quæ salvari possunt, esse illa, inquibus datur fundamentum distinctionis, seu distinctio virtualis, vt inter animal, & rationale; non vero illa, in quibus est idem subiectum tam realiter, quam virtualiter, quale est animal respectu sui ipsius vnde á se ipso nequit præscindi.

201. Replicas quartò, & rogas sic. Per cognitionem A, qua cognoscitur de facto animal, & non cognoscitur rationale, est ne rationale intrinsecé cognoscibile, vel non? Si primum respondeas? Contra: ergo de facto cognoscitur, quod est contra hucvsque dicta. Uel si de facto per illam cognitionem non cognoscitur, evidenter infertur; neque esse per talem cognitionem cognoscibile, quia solum est cognoscibile per aliquam cognitionem obiectum, quod ab ipsa de facto cognoscitur; non vero illud, quod de facto ab ipsa non attingitur, & ideo per cognitionem Petri Paulus cognoscibilis non est: ergo si talis cognitio de facto solum attingit animal, & non rationale, hoc non erit cognoscibile ab ipsa; alias rationale haberet aliquam potentiam irreducibilem ad actum, cum posset cognosci ab actu, qui illud numquam cognoscet, neque cognoscere poterit. Si respondeas secundum? Contra: animal erit realiter intrinsecè cognoscibele per talem actum, & rationale non erit realiter intrinsecè cognoscibile per illum, quę sunt prędicata contradictoria. Vlterius iam cognoscibilitas rationalis non esset cognoscibilitas animalis, daretur que duplex cognoscibilitas realis ex parte obiecti, quod repugnat.

202. Respondeo admittendo per talem cognitionem realiter intrinsecè non esse cognoscibile rationale propter rationem in replica allegatam (nisi velis omnes has replicas â prima propositione funditus destruere negando suppositum illarum, scilicet, quod detur realiter animal, & rationale provt his nominibus significantur, de quibus possit fierit talis interrogatio) vnde admitto, esse animal realiter intrinsecè cognoscibile per illam cognitionem, & non esse rationale realiter intrinsece cognoscibile per ipsam non esse re ipsa prædicata contradictoria vi, & efficacia distinctionis virtualis, sicut enim vi eiusdem animal extrinsecè cognoscitur, & extrinsecè non cognoscitur rationale, ita ob denominationum correspondentiam animal est intrinsecè cognoscibile per illam, & rationale non est intrinsecè cognoscibile. Neque ex hoc infertur; rationale non esse idem materialiter, & identice cum cognoscibilitate animalis. Sicut ex eo, quod rationale non sit virtualiter animal, non infertur, non esse idem realiter, & identice inter se, aut animal habere aliquam capacitatem sibi identificatam, qua careat rationale: nam sicut animal habet capacitatem, vt cognoscatur per cognitionem *animal*, & non habet capacitatem, vt per illam cognoscatur rationale; ita rationale habet capacitatem, vt per illam cognitionem *animal*, cognoscatur animal obiectivum, & non habet capacitatem, vt per eam cognoscatur ipsum rationale: & sicut cognitio illa exigit cognoscere potius animal, quam rationale, ita tota entitas hominis exigit, vt per illam cognitionem non cognoscatur ipsa tota, sed præcisse secumdum inadæquatum sui. Vnde nullum prædicatum intrinsecum

 ha-

habet animalitas, quo careat rationalitas, quia vtraque habet capacitatem, vt per eam cognitionem repræsentetur animalitas, & neutra vt repræsentetur rationalitas.

203. Ex eo tamen, quod rationale sit identice idem cum cognoscibilitate animalis non deducitur, esse cognoscibile per illam cognoscibilitatem; quia hic iam est sensus formalis, in quo sensu tam ab ipsa cognoscibilitate quam ab animali distinguitur. Sicut Licet natura Diuina sit idem realiter cum filiatione, & ideo idem etiam cum producibilitate filij, non ideo ipsa natura dicitur *producibilis*, & sicut non valeret: *Natura Diuina non est producibilis*, ergo *non identificatur cum producibilitate*, ita non valet *rationale non est cognoscibile per cognoscibilitatem animalis*: ergo *non est idem realiter cum tali cognoscibilitate*. Vnde ad illam, propositionem: ergo *iam cognoscibilitas animalis non esset cognoscibilitas rationalis*: distinguo; idest, non identificarentur realiter materialiter nego; id est, non essent idem virtualirer, concedo. Ad illam; *ergo datur duplex cognoscibilitas realis*, ita distingue, realiter distincta, nego; virtualiter distincta, concedo. Eadem enim esset realis cognoscibilitas, sed cum hęc haberet fundamentum distinctionis formalis, esset duplex virtualiter.

204. Republicas quinto. Et etiam rogas. Illa entitas *homo* realiter actualiter est cognoscibilis adæquate per cognitionem, quæ præscindit animal á rationali; vel solum est cognoscibilis inadæquate? Si primum: ergo adęquate cognoscitur. Et reddit difficultas replicæ num. anteccedenti ponderata. Si secundum? Ergo realiter actualiter datur aliquid cognoscibile, & aliquid non cognoscibile; tum sic: ergo realiter actualiter datur aliquid, & aliquid, ac proinde distinctio realis actualis. Quod repugnat. Probatur consequentia. Eo modo, quo datur aliquid, & aliquid, datur distinctio; sed datur aliquid, & aliquid realiter actualiter: ergo & distinctio realis actualis.

205. *Difficilis replica ob terminorum æquiuocationem, á qua difficilé se expediet, qui eos non optime percaluerit. Respondeo, totam illam entitatem esse inadæquate cognoscibilem per illam cognitionem *A*. Ad replicam distingue primum consequens: ergo realiter actualiter datur aliquid cognoscibile, & aliquid non cognoscibile virtualiter distinta, concedo: realiter actualiter distincta, nego. Ad primam consequentiam eodem modo distingue; & nega illationem in sensu distinctionis, ad eius probationem similiter distingue maiorem: Eo modo, quo datur aliquid, & aliquid, datur distinctio vel formalis, vel virtualis, concedo: formalis præscisse, nego: & concedo minorem, & nego consequentiam. Certum est, quod eo modo, quo datur aliquid, & aliquid, vel dualitas, debet dari distinctio, sed non est certum; hanc debere esse formaliter talem, cum sufficiat virtualiter talem, quæ in ordine ad illos effectus eamdem vim, & virtutem habet, ac si esset formaliter talis, vt videre est in distinctione rigorosa virtuali: sed de hoc iam supra Satis.

206. Hinc deduces: quod licet realiter actualiter daretur aliquid cognoscibile, & aliquid non cognoscibile, ac proinde aliquid, & aliquid, non requiritur necessario distinctio realis actualis, sed sufficit distinctio realis virtualis. Aliud enim est realiter actualiter dari distinctionem virtualem inter animal, & rationale eo modo, quo possunt admitti animal, & rationale á parte rei; & aliud, dari distinctione realem actualem enter ea. Primum est verum, quia realiter actualiter in homine datur æquivalentia ad res diversas, vel diuersa connota, ac proinde virtualis distinctio seu fundamentalis, vt per intellectum reddatur actualis. Secundum est falsum, vt per se patet; vnde si ly *realiter actualiter* modificet distinctionem, ita vt sensus sit, datur aliquid, & aliquid realiter actualiter, hoc est, inter quę intercedat realis actualis distinctio, est falsa propositio; nec infertur ex eo quod tota entitas *homo* non sit adęquatè cognoscibilis per cognitionem illam *A*, sicut ex eo, quod Deus sit inadæquatè participabilis per gratiam, quæ dicitur participatio naturæ Divinæ, & non inmensitas iuxta Theologos, nó sequitur, quod detur natura, & immensitas inter, quas reluceat distinctio realis actualis, cum ad illam locutionem sufficiat, dari aliquid & aliquid, inter quæ intercedat solum distinctio virtualis. Si vero ly *realiter actualiter* non modificet distinctionem, sed rem, & sensus sit; dari aliquid, & aliquid realiter actualiter; hoc est dari in homine realiter actualiter fundamentum distinctionis formalis, vnde aliquid & aliquid, inter quę intercedat distinctio virtualis, vera est illa propositio, & infertur ex eo, quod tota illa entitas hominis sit realiter inadęquaté cognoscibilis per illam cognitionem *A*.

207. Replicas sextò. Ante actualem operationem intellectus datur aliquid, & aliquid, cum ante actualem operationem intellectus detur cognoscibile, & non cognoscibile; sed quoties ante operationem intellectus datur aliquid, & aliquid, inter ea intercedit distinctio realis actualis: ergo.

208. Resp. Concedo maiorem: & explico minorem, quæ ęquivoco laborat. Aliud est dari aliquid & aliquid ante operationem intellectus, & aliud independenter ab operatione intellectus, vt patet in ente rationis, quod possibile est ante operationem intellectus, non tamen independenter ab operatione intellectus. Nam hoc solum denotat, rem esse producibilem, ante quam actu producatur, semper tamen esse à sua causa dependentem. Vnde distinctio virtualis, quæ est capacitas, seu possibilitas distinctionis formalis actualis ante actualem operationem intellectus datur, ac proinde realiter actualiter, sed non datur independenter ab intellectu, á quo tamquam á causa propria in actualem reddenda est. Vnde ante actualem operationem intellectus præscindentis animal á rationali datur in homine aliquid, & aliquid virtualiter distinctum, hoc est, capacitas vt aliquid cognoscatur alio non cognito, nó vero potest concipi hæc capacitas independens ab ipso intellectu.

209. Replicas septimò. Ea distinctio virtualis datur actu formaliter in obiecto physicè, et realiter, sed quidquid ita datur est actuale reale formale: ergo ea distinctio est actualis realis formalis.

210. Resp. Distinguo maiorem: datur actu formaliter secundum prædicatum formale constitutivum distinctionis actualis formalis, nego; secundum prædicatum virtuale, seu virtutem ad effectus proprios distinctionis realis formalis, concedo: aliud est dari illam virtutem actu formaliter, & physice in obiecto, quod verum est, identificatam tamen cum ipso obiecto; & aliud eam virtutem esse distinctionem actu physice, & formaliter talem, quod falsum est. Sicut licet Deus sit virtualiter creatura, & ignis virtualiter calor, & hę virtualitates sint realiter actu, & ante operationem intellectus, non sequitur, quod *Deus* sit actualiter physice, & formaliter creatura, & ignis actu physice, & formaliter calor.

211. Replicas quarto. Distinctio ex natura rei Scotica per nos non est sufficiens

ficiens ad ſaluanda ea prędicata contradictoria: ergo multo minus diſtinctio virtualis.

212. Reſpondeo, quod ſi diſtinctio Scotica non coincidit cum noſtra diſtinctione virtuali (vt benigne Iudicat eximius Doctor), & aliunde non eſt diſtinctio realis actualis (vt ipſi fatentur Scotiſtæ) non eſt ſufficiens ad ſaluanda ea prædicata contradictoria, quia ad ea ſaluanda requeritur vel diſtinctio realis actualis formaliter talis, vel virtualiter, aut æquivalenter talis, neque hoc nec illo modo ſehabet diſtinctio ex natura rei; ergo non eſt ſufficiens. Quod non evenit in noſtra diſtinctione virtuali, vt probatum manet; Iudico tamen noſtram, & Scotiſtarum diſtinctionem voce tantum diſtingui, quod ipſi Thomiſtæ, & Scotiſtæ iudicant.

213. Replicas nono. Ex hac diſtinctione virtuali ſequitur; nos ponere in creatis totam difficultatem Myſterij Trinitatis, quæ ſtat in eo, quod ſine contradictione verificetur de eadem reali entitate ſine diſtinctione reali actuali duplex prædicatum contradictorium; quod quam abſurdum ſit ipſo aſpectu cernitur: ergo non eſt ponenda increatis hæc diſtinctio virtualis.

214. Reſpondeo. Difficultatem Myſterij Trinitatis captum mentis ſuperantem ſtare in eo, quod ſine diſtinctione reali actuali verificentur contradictoria phyſica *produci*, *& non produci*: *communicari*, *& non communicari*, ad quod componendum inuenta eſt diſtinctio rigoroſa virtualis, quod quidem fieri ratione diſtinctionis noſtræ virtualis omnino negamus. Sed eam ponimus ad ſalvanda contradictoria intentionalia *cognoſci*, *& non cognoſci*, quę tota reducitur ad vim naturalē diuiſivam intellectus concipientis obiectum in adæquatè, & ad fecunditatem ipſius obiecti æquivalentis rebus realiter diverſis provt diverſis.

215. Replicas decimò. Si ratione huius diſtinctionis virtualis, cognito animali, non cognoſceretur rationale, hic Syllogiſmus expoſitorius non concluderet: *Hoc animal cognoſcitur cognitione A, ſed hoc animal eſt hoc rationale: ergo hoc rationale cognoſcitur cognitione A*, deberet enim negari conſequentia, vnde tota vis ſyllogiſtica euerteretur, falſificato eius fundamento, *quæ ſunt eadem vnitertio*, *&c.*

216. Confirmatur in hoc altero ſyllogiſmo: *Rationalitas eſt hæc entitas, ſed rationalitas non cognoſcitur per cognitionem præſciſsivam animalis*, ergo *hæc entitas non cognoſcitur per illam cognitionem*, aliunde verò cognoſcitur, quia animalitas eſt hæc entitas, & animalitas cognoſcitur; ergo cognoſcitur, & non cognoſcitur.

217. Ad hos, & ſimiles ſyllogiſmos reſpondetur cum Angelico Præceptore in opuſculo de fallacijs cap. 28 continere fallaciam accidentis, ſicut & hunc: *Cognoſco Coriſcum; ſed Coriſcus eſt veniens: ergo cognoſco venientem.* Sicut enim in hoc ſyllogiſmo eſt diverſificatio medij, & fallacia accidentis, quia (vt ait Sanctus Thomas) Coriſcus non ſubiacet cognitioni quatenus eſt idem cum veniente; ita in noſtro Caſu animal vt rationale non eſt obiectum illius cognitionis, quia cognoſcitur vt animal: vnde ſenſus maioris propoſitionis eſt ſenſus formalis ita *animal vt tale cognoſcitur per cognitionem A*, ſiquidem cognoſcitur, vt principium ſenſationis, ab hac namque venata fuit ſpecies, qua intellectus in cognitionem animalis de venit, ſenſus vero minoris propoſitionis eſt identicus, ita *Hoc animal eſt rationale*: id eſt realiter identificatur cum rationali, qui quidem ſenſus identicus materialiter ſe habet ad cognoſci, ſi tamen eſſet formalis vt debebat eſſe; ad

ad hoc vt ſyllogiſmus eſſet informa, falſa eſſet propoſitio: nam animal vt tale, & vt obiectum illius cognitionis A non eſt rationale, ſicut ob eumdem defectum informa non eſſet hic ſyllogiſmus. *Natura Divina realiter communicatur; ſed Paternitas eſt natura Divina, ergo Paternitas realiter communicatur* in Maiori *natura Divina* ſumitur in ſenſu formali, in minori vero in ſenſu identico, qui ſenſus identicus materialiter ſe habet ad communicationem.

218. Ad ſecundum ſyllogiſmum concede Maiorem, minorem, & diſtingue conſequens: ergo hæc entitas non cognoſcitur adæquatê, concedo; inadæquatè, nego, hæc entitas includit rationalitatem, & animalitatem; per cognitionem præſciſsivam animalis cognoſcitur ſecundum animalitatem, non vero ſecundum rationalitatem. Vnde cognoſcitur inadæquatè, & inadęquatè non cognoſcitur.

SVBSECTIO IV.

RELIQVÆ OBIECTIONES.

219. OBjic. 2. Tota diſtinctio formalis eſt præſciſsio intellectus, ſed pręſciſsio intellectus nō eſt in obiecto: ergo nec diſtinctio.

220. Reſp. Concedo totum; nec enim per diſtinctionem formalem aliqua fit intrinſeca, & realis mutatio in obiecto, nec diſtinctio formalis ſe tenet ex parte obiecti. Ex parte obiecti ſolum eſt diſtinctio virtualis, quæ formalis redditur per actum pręſciſſivum vnius formalitatis obiectiuæ ab alia formalitate obiectiva, an autem obiectum intrinſece, vel extrinſece dividi dicatur per talem cognitionem? eſt quæſtio de nomine; dummodo concedatur; concipi vnam formalitatem, alia nullo modo conceptą, quod optime notat acutiſſimus Doctor iam citatus, quin exeo talis cognitio ponat in obiecto aliquam diſtinctionem.

221. Replicabis primo. Ergo nulla eſt diſtinctio ex parte obiecti. Probatur. Ante præſciſſionem non erat, vt certum eſt, per præſciſſionem non ponitur, vt fatemur: Ergo nulla eſt.

222. Reſpondeo. Nego conſequentiam. Adprobationem: concedo maiorem, & diſtinguo minorem; per pręciſſionem non ponitur poſitive, concedo, præſciſſive, nego, Hoc eſt per præſciſſionem non ponitur aliquid ex parte obiecti, quod antea obiectum non haberet, ſed auſertur aliquid pręſciſſive, per quam quidem ablationem obiectum intrinſece obiectiue reſpectu Intellectus aliter ſe habet, ac antea, tollitur enim per hunc actum principium ratiocinandi à principio ſentiendi, non negative (vt loquitur Sanctus Thomás) concipiendo *hoc non eſſe illud*, ſed præſciſſive, ideſt, non concipiendo *hoc eſſe illud*; ſicut ſi conciperet intellectus Petrum ſine viſu, ſolem ſine luce, reſpectu intellectus ſepararetur viſus à Petro, lux á ſole, & aliter ſe haberent intrinſece Petrus, & ſol reſpectu intellectus ita eos concipientis, ac reſpectu intellectus Petrum cum viſu, ſolem cum luce attigentis, licet reipſa phyſice non immutetur ſiue hoc, ſiue illo modo cōcipiatur.

223. Replicabis ſecundo. Actus intellectus eſt obiecto extrinſecus: ergo nequit facere in eo diverſitatem intrinſecam.

224. Reſpondeo. *D*iſtinguo conſequens: diverſitatem intrinſecam immediate, & perſe, concedo; mediate, & ratione termini, quem intentionaliter, & præſciſſive tollit ab obiecto, nego. Sicut enim Petrus iam cum viſu, iam ſine viſu repreſentatus intrinſece, & in eſſe obiecti talium repræſentatio-

num aliter, & aliter se habet intrinsece non immediate ratione repræsentationis, sed ratione ablationis visus illi intrinsecæ; ita animal iam cum rationali i á sine rationali repræsentatē, aliter, & aliter se habet intrinsece in esse obiecti, & realiter idem maneat; vnde si Angelus obiectum immediatum illius præcissionis respicit, nullam in eo divisionem cognosceret, sed attingeret totam entitatem animalis, & rationalis, si vero Angelus illud obiectum in cognitione illa præscindente cognosceret, solum cognosceret animal, nullo modo cognito rationali ex vi illius cognitionis: vnde in hac locutione de nomine potest dici, per præscisionem dividi obiectum intrinsece, quatenus scilicet tollitur ab eo præscisivè aliquod prædicatum intrinsecè.

225. Dico *præscisivè*, quia per talem actum solum cognoscitur vnum sine alio, v.g. animal sine rationali, negatione non se tenente ex parte obiecti, sed ex parte actus: neque talis præscissio repræsentat aliquam carentiam identitatis, aut negationem alterius prædicati. Nā si ita se haberet, præscissio esset falsa, cum repræsentaret carentiam vbi imposibilis est: hinc infertur, quod quando dicitur, animal non est rationale, & è contra, sensus est quasi reflexus ita; *rationale provt præscisive apprehensum separatum est à rationali*, si vero absque hac reflexione quis diceret: *animal, & rationale actu formaliter obiective distinguntur*, erit distinctio rationis ficta, cum ponat actualem distinctionem ex parte obiecti, vbi non est nisi solum fundamentalis, & virtualis, capax tamen, vt fiat actualis per actum præscisivum.

226. Obiic. 3. Actus præscindens est actus verus, iuxta illud *abstrahentium non est mendacium*: ergo cognoscit obiectum provt est in se, & á parte rei, sed animal v.g. in se, & á parte rei est rationale: ergo præscisio animalis etiam rationale cognoscit.

227. Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens: cognoscit obiectum, provt est in se: virtualiter, & in ordine ad intellectum, concedo; provt est in se materialiter, & identicè; nego, & distinguo minorem subsumptam: sed animal in se est rationale identice, & materialiter, concedo; virtualiter in ordine ad intellectum, nego. Unde talis actus est verus; non enim attribuit obiecto aliquid illi repugnans, neque tollit abeo positive aliquid illi conveniens, sed solum tollit abeo præscisive aliquod prædicatum modo iam dicto, & cum obiectum nomine distinctionis virtualis in se habeat capacitatem, & divisibilitatem, hanc intellectus dividens, nil affingit.

228. Objic. 4. Cognito animali non possumus rationem reddere de ente, substantia, vivens, &c. & tamen animal nō præscinditur obiective abe ēte, substantia, viuente, &c. ergo licet cognito animali, non possimus rationem reddere de rationali, non sequitur hoc ab illo obiective præscindi. Probatur maior, & simul paritas, ideo cognito animali, non possumus rationem reddere de rationali, quia tunc solum experimur sensationes, quæ sunt connotata animalis, & non ratiocinationes, quæ sunt connotata rationalis, sed cum experimur connotata animalis nullo modo experimur connotata entis, viuentis, substantiæ, &c. ergo de his non possumus rationem reddere.

229. Confirmatur primo. Rusticus cognoscit definitum v.g. hominem, quin reddat rationem de definitione, sed potius sæpe affirmat esse hominem Petrum, & negat vel ad minus ignorat, esse animal rationale. Sed definitum á definitione nequit obiective præscindi: ergo licet attigens hominem a longe

ge non possit rationem reddere de rationali, non sequitur, quod obiective præscindat illud eb animali.

230. Confirmatur secundo. Homines docti, dum dissentiunt indefinitionibus rerum, licet conueniant in definito, præscindunt á difinitione, alioquin sicut in definito etiam in definitione conuenirent, sed non præscindunt obiectiue definitionem á definito: ergo.

231. Resp. ad Argumentum. Nego antecedens; cognito enim animali licet non expresse, hoc est nominibus, *entis, substantiæ, &c.* possumus explicite reddere rationem entis, substantiæ, viuentis, &c. vnde si aliquis cognito animali rogaretur, statim aliqua facta reflexione, dicet, esse viuens, ens, substantiam, quin hoc possit rationabiliter negari; at verò cognito animali, etiam si iterum iterumque reflectat quis, non habebit notitiam rationalis, poteritque negare, esse rationale. Et ratio est, quia constitutum nequit esse, neque concipi sine constitutivis; vnde cum gradus superiores constitutiui sint inferiores, neque substantiam sine ente, neque viuens sine substantia, neque animal sine viuente, neque homo sine animali, concipi possunt: aliter ex prædicatis identificatis, siue sint æqualia, siue inferiora, potest vnum concipi sine alio. Sic animal sine rationali, viuens sine animali, substantia sine viuenti, ens sine substantia concipi possunt. Vnde eodem modo ac cognoscuntur ens, viuens, substantia non explicite, hoc est, non sub nominibus expressis entis viuentis, &c. sed sub alio nomine animalis v. g. ea omnia includentis essentialiter, ita eorum connotata cognoscimus, non sub aliquo nomine peculiari, sed sub aliquo nomine ea omnia connotata includente, nempe sub nomine sensationum, quæ quidem sensationes connotata sunt entis, substantiæ, viuentis, & animalis.

232. Ad primam confirmationem respondetur, quod licet rusticus possit fateri, aliquem esse hominem, & dubitare vel negare, esse animal rationale, quin ex eo præscindatur obiective homo ab animali rationali, non tamen potest aliquis cognoscere animal, non cognito rationali, quin hoc ab illo obiectiuê præscindatur. Quia illud evenit in rustico ex ignorantia significati huius vocis *homo*; vnde nec hominem cognoscit, quem si cognosceret, nec dubitaret, nec minus negaret, esse animal rationale: qaod non evenit in animali respectu rationalis, nam optimè scita significatione eius v&r cognito animali ex motu adhuc p r; & quis dubitare esse rationale: ergo quia hoc omnino ab animali præscinditur.

233. Ad secundam confirmationem respondetur. Quod sicut rusticus per suum errorem, ita phylosophi per suam opinionem distinctas definitiones, ac conceptus efformant de rebus: vnde dum quis apprehendit definitum apprehendit etiam suam definitionem & tantum ab aliena præscindit, propriam autem definitionem non cognoscere determinatè, provenit ab ignorantia, & defectu scientiæ circa ipsum definitum, quod determinatè non cognoscitur; si autem hoc intimè, & determinate cognosceretur, vtique eius definitio cognosceretur, at vero etiam si intimè, & determinatê cognoscatur vi speciei emissæ ab homine á longe apparente animal, nequit cognosci rationale.

234. Objic. 5. & simul replicas. Eo ipso, quod cognoscatur obiectum esse rationale, explicitè possunt affirmare, esse animal, & tamen animal non est de conceptu implicito rationalis: ergo licet statim ac cognoscam animal, possint affirmare explicitè esse substantiam, non bene infertur, substantiam esse

esse de conceptu implicito viuentis.

235. Resp. distinguo antecedens: possum affirmare, esse animal; tamquam quid constitutum per animal, quam quid constitutum per animal, tamquam differentiam ordinatam, nego; tamquam differentiam ordinatam ad constituendum cum animali speciem hominis, concedo. Certum est; rationale non posse esse physicè sine animali, ex hoc tamen non infertur; non posse sine animali metaphysicè concipi. Primum solum arguit, rationale esse differentiam, & compartem necessario ordin tam ad aliam compartem. Secundum denotat; rationale nullo modo constitui essentialiter per animal, vt in eius definitione patet. Definitur enim principium ratiocinationis. Obiect. aliquid non constituitur, ac proinde nec definitur per aliud, sine illo potest concipi, ac proinde ab illo præscindi: vnde rationale potest concipi sine animali sicut animal sine ratio nali, cum hac tamen differentia, quod cum rationale sit differentia determinata ad animal, infertur: est rationale: ergo est animal. Cum vero animal sit ratio superior indifferens ad rationale, vel irrationale, non infertur; est animal: ergo est rationale. Cum possit esse irrationale, sed hæc illatio, est rationale, ergo est animal, non est sicut hæc est animal, ergo est viuens, quia prima est illatio differentiæ ad Genus; secunda est illatio rationis inferioris, & constituti ad rationem superiorem, & constitutivum: vnde rationale, sine animali potest concipi, non vero animal sine viuente.

236. Objic. 6. Non solum animal, sed rationale est principium, & causa sensationum; sed hę sunt motivum cognoscendi animal in homine à longe viso, quia animal est principium ipsarum: ergo etiam erunt motivum cognoscendi rationale, quod etiam est ipsarum principium.

237. Resp. Sensationes illas non cognosci adequatè, secundum quod tales sensationes sunt, & secundum quod physicè producuntur á tota entitate, sed solum cognosci secundum conceptum sensationum, adquem solum de formali se habet animal, & non ducunt ad cognitionem nec rationalis, nec irrationalis.

238. Objic. 7. Obiectum vt distinctum ab actu nullas habet formalitates: ergo eas actus non attingit, si quidem non attingit, quod non est.

239. Resp. Distinguo antecedens: nullas habet formalitates actu, & formaliter distinctas, concedo; virtualiter, & aptitudinaliter distinctas, nego; actus signatè nullas attingit formalitates, quę certe ex parte obiecti non dantur, sed tendens prę̆scisivo modo, eas exercité facit, & cognoscens inadequatè obiectum capax diuidi in duas formalitates, eas de facto diuidit.

240. Objic. 8. Realis entitas obiecti terminat cognitionem; sed entitas realis non est diuisa, nec diuiditur: ergo tota terminat.

241. Resp. Distinguo maiorem: realis entitas terminat adaquatè, nego; inadæquatè, concedo; & distinguo minorem: sed entitas realis non est diuisa, nec diuiditur physicé, concedo; intentionaliter, nego: obiectum terminat pro exigentia actus; hic est præscissivus, & inadæquatus: ergo illud terminavit etiam inadæquatè cognitionem. Obiectum intrinsecè diuiditur, licet ab extrinseca cognitione; aliás non posset componi metaphysice, cum diuidi non posset; quod esset contra mentem Aristotelis asserentis; species componi ex genere, & differentia, quæ compositio, licet fiat per intellectum, fit tamen in obiecto.

242. Objic. 9. Tota realitas, quæ est á parte rei terminat cognitionem, dum cognoscitur animal; sed tota realitas est etiá rationale: ergo hoc cognoscitur, vel si tota non cognoscitur: ergo aliqua realitas manet cognoscenda, ac proinde dantur duæ realitates.

243. Resp. Distinguo antecedens. Tota cognoscitur inadæquaté, concedo; adæquatè, nego; Ad inconveniens vltimum distingue illud: dantur duę realitates virtualiter distinctę, concedo; realiter distinctæ, nego. Noto, à parte rei non dari animal, & rationale pro vt his nominibus significantur, sed solum singularia, *Petrus* scilicet, & *Paulus*, vt sæpe diximus, quę quidem singularia possunt inadæquatè cognosci per actum repræsentatem solummodo principium sentiendi, quod apellatur *animal*, & per actum repræsentantem tantum principium ratiocinandi, quod apellatur *rationale*; vnde cum tale animal, & rationale solum per mentem actu distinguantur, remanent idem, licet cum capacitate vt diuidantur.

244. Objic. 10. Præcisio est diuisio; sed diuisio attingit terminum *qui* diuisionis, & terminum *aquo*: ergo & prę̆scissio attingit animal, quod est terminus *qui*; & rationale, quod est terminus *aquo* diuisionis.

145. Resp. præscissionem esse diuisionem non physicam, sed intentionalem, quæ solum consistit in attingentia vnius formalitatis alia nullo modo cognita, vnde terminus *aquo* non debet attingi. Diuisio verò physica vtrumque terminum attingere debet, vt argumentum probat.

246. Argumenta Theologica, quę probant, vel improbant præscissiones obiectiuas in Diuinis, ad Theologos spectant, quæ ex dictis facilè (si velis) euinces. Si tibi aliquam Sanctorum authoritatem opposuerint. Dic cum Patre Oviedo, qui, & si nobis contrarius veritati conformem se ostendit, Sanctos Patres Locutus fuisse de distinctione obiectiua reali actuali; non verò de obiectiuá intentionali.

DISP. II.

DE CAVSIS VNIVERSALIS.

247. ESSE intellectum causam vniuersalis, ex hucusque dictis constat: cum autem intellectus plures habeat actus ad vniuersalis structuram concurrentem. Dubitatur: per quem ex eis formaliter vniuersale constituatur? Sed ante totá vniuersalis fabricam á fundamentis ob oculos proponam.

248. Sese occulis offerunt. Petrus, Paulus, equus leo, &c. qui suas species in oculos mittunt; & hę appellantur *species impressæ*, quibus oculi informati visionem materialem eliciunt, ex hac visione emanant aliæ species in phantasiam, hæ *phantasmata impressa* vocantur, & sunt repræsentativæ plurium obiectorum secundum totum esse physicum, quod proponitur: his speciebus ornata phantasia producit suam cognitionem, quæ dicitur *phantasma expressum*. In omnibus his conuenit homo cum bruto, hoc phantasma mittere debebat speciem in intellectum, sed cum sit corporeum, & materiale, producere nequit speciem spiritualem, quæ reccipi possit in intellectu, qui est potentia spiritualis, ad hoc aduenit intellectus agens, & has species materiales á sua materialitate denudat, quę denudatio dicitur *spiritualizatio illarum specierum*, diciturque intellectum agentem illas spiritualizare, non quia illas ex materialibus in spirituales conuertat, hoc enim esset impossibile, sed quia producit alias species spirituales similes illis materialibus, quas emittit in intellectum, qui dicitur *passibilis* eo scilicet quod accipiat, & quasi patiatur eas species, his speciebus informatus intellectus possibi-

bilis cognitionem spiritualem elicit, quæ dicitur *species expressa obiecti*, hę autem ad omnem cognitionem concurrunt, ad vniuersale autem intra intellectum possibilem plures alios actus concurrere certum est apud omnes.

249. Primò enim intellectus cognoscit, plura à parte rei esse similia, & dissimilia, convenire, & disconvenire v. g. cognoscit hominem, Leonem, & equum esse similia in prædicato *sentiendi*, & esse dissimilia in prædicato *ratiocinandi*, hic actus dicitur *comparatio antecedens*; Similitudo, & convenientia illa cognita est fundamentum vt intellectus per alium actum confusum cognoscat illud prędicatum, inquo conveniunt nempe *animal* nullo modo cognito prædicato, inquo disconveniunt, nempe *rationale*; Hic actus dicitur *abstractio* animal pręcissum dicitur ratio superior, quia convenit omnibus illis, á quibus fuit præcissa. Subiecta á quibus talis ratio pręscinditur *inferiora* dicuntur. Deinde alius actus succedit, qui totam illam rationem præscissam confusè cognoscit in ordine ad inferiora, animal v.g. in ordine ad hominem, equum, Leonem, &c. quin aliquid affirmet, vel neget, vtrumque tamen terminum attingit; hic actus dicitur *comparatio simplex subsequens*, simplex quia nec affirmat, nec neg t, subsequens quia subsequitur abstractionem. Denique vltimus actus est, qui totam illam rationem abstractam prædicat de inferioribus dicens: *Homo est animal, Leo est animal*, &c. hic dicitur *comparatio subsequens composita*; subsequens, quia etiam subsequitur abstractionem, dicitur composita quia affirmat, etiam dicitur *contractio*, quia contrahit ad inferiora rationem præscissam: Constet ergo ad vniuersale concurrere actum intellectus agentis, comparationem antecedentem, abstractionem, comparationem simplicem subsequentem, & comparationem compositam. Dubitatur nunc per quem ex his actibus constituatur vniuersale formaliter? Sit ergo.

SECTIO I.

PERQVEM ACTVM CONSTItuatur vniuersale formaliter?

250. PRima sententia tenet, vniversale fieri per operationem intellectus agentis, qua species à materialitate denudantur ita Scotus, Fonseca, Telles, & alij apud Eximium Doctorem disp. 6. Metaphisicę, sect. 6. num. 6. Vbi illam optimè impugnat, quia talis species spiritualis ab intellectu agente producta non est repræsentatio formalis naturæ, sed solum virtualis, quatenus scilicet cum intellectu possibili producit repræsentationem formalem talis naturę, sed repræsentatio virtualis, & causativa non sufficit ad vniuersale, aliás etiam ipse intellectus esset vniuersale cum ipse intellectus si etiam virtualis, & causativa repræsentatio naturæ: ergo operatio intellectus agentis nequit esse vniuersalis.

251. Secunda sententia tenet; vniversale fieri per comparationem antecedentem, qua plura vt similia, & convenientia cognoscuntur, ita aliqui apud Patrem Hurtadum, disp. 5. metaphysicę. §. 16. Non placet, quia actus respiciens similia vt talia, respicit plura, & actus plura vt plura respiciens nequit naturam constituere vt per se patet. Item hic actus; *omnes homines sunt similes in natura*, & alij huiusmodi essent vniuersales, quia licet non attingant diferentias, indiuiduales attingunt plura vt plura, sed hoc dici nequit: ergo.

252. Tertia sententia defendit, vniuersale fundamentaliter per abstractionem, formaliter verò constitui per comparationem subsequentem, quæ tribuit naturæ abstractæ vnitatem intrinsecam fictam, & relationem ad inferiora æquè fictam; ita aliqui Moderni. Displicet quia cum comparatio subsequens nil affirmet nec neget, nequit ens rationis efficere, nec tribuere vnitatem intentionaliter, quæ solum per affirmationem tribuitur. Item postea videbimus; vnitatem vniuersalis non esse fictam.

253. Quarta sententia asserit: vniuersale metaphysicum fieri per abstractionem; logicum verò per comparationem. Ita Eximius Doctor. disp. 6. metaphysicæ sect. 6. num. 8. Rubius, Comptonus, Arriaga apud Sanctam Crucem num. 641. Item Peynadus tract. 2. de vniuersalibus. d. 5. num. 10. & alij communiter. Quibus adde Mag. Lince. quest. 3. art. 8 & 9. Non assentior: quia tam metaphysicum, quam logicum est respectivum ad inferiora, sicut enim logicum est vnum aptum prædicari de pluribus, metaphysicum est vnum aptum ad essendum in pluribus: ergo si per vos logicum constituitur per comparationem, quia est relativum, & metaphysicum per comparationem etiam constitui debet ob eamdem rationem.

254. Quinta sententia adstruit: vniuersale fieri per comparationem compositam, actum scilicet iuditij, quo vniuersale de inferiori prædicatur. Ita acutissimus Doctor 1. part. d. 76. cap. 2. dissentior 1. quia prius est quod natura sit prædicabilis, quam quod prædicetur, sicut prius est quod aliquid sit producibile, quam quod producatur, ergo antequam prædicetur, est vniuersalis; ergo non constituitur in esse talis per ipsam prædicationem. Secundo actus essendi non constituit vniversale aptum ad essendum, ergo nec actus prædicandi aptum ad prædicandum.

255. Sexta sententia omni actui siue comparatiuo, siue abstractiuo tribuit vim effectivam vniuersalis. Ita P. Lince. tract. 5. cap. 13. quæ sententia quia omnibus favet singulos offendit singulas que in pugnationes supra factas patitur.

256. Dicendum. Uniuersale tam logicum quam metaphysicum constituitur per solam abstractionem. Ita Hurt. disp. 5. metaphysicæ. sect. 4. Uallius, Cerna, Spin. Santa Cruz. num. 635. Ex Sap. Recent. Xauregur. Rocias quos sequitur Olea. d. 72. num. 12. & communiter recentes. Probatur per illum actum fit vniuersale formaliter, per quem redditur natura vna apta ad essendum, & prædicandum de pluribus, sed per abstractionem redditur natura vna apta ad essendum, apta item ad prædicandum de pluribus: ergo per abstractionem fit vniuersale; probatur minor quoad primam partem scilicet quod per abstractionem reddatur natura vna.

257. Id, quod non est plura ea ratione, qua plura non est; est vnum, sed natura per abstractionem non est plura, ergo est vna Probatur minor. Natura solum potest esse plura in ordine ad intellectum, quatenus intellectu cognoscere rationes illam plurificantes; sed per abstractionem non cognoscit intellectus rationes plurifiacntes naturam: ergo per abstractionem non est plura. Maior est certa: hic namque loquimur de pluralitate intentionali, & in ordine ad intellectum. Probatur minor. Rationes plurificantes naturam sunt differentiæ, aut vnitates ipsius, per quas inter se differunt, natura v.g. quæ est in Petro, & natura, quæ est in Paulo; sed per abstractionem nullo modo cognoscuntur differentiæ, aut vnitates á quibus, vt supponitur, præscindit: ergo non cognoscit rationes naturam plurificantes, ac proinde non cognoscit pluralitatem: ergo talis natura

tura habet intentionalem vnitatem, quæ solum consistit in eo, quod non cognoscatur pluralitas.

258. Confirmatur: id, quod physicè dicit negationem pluralitatis, & diuisionis est physicè vnum, & in diuisum: ergo id, quod intentionaliter dicit negationem pluralitatis, & deuisionis, erit intentionaliter vnum; sed natura per abstractionem dicit intentionaliter negationem pluralitatis: ergo intentionaliter est vna. Probatur minor: per abstractionem non cognoscitur natura vt plura: ergo dicit intentionaliter negationem pluralitatis. Probatur consequentia. ideo animal abstractiuè cognitum dicit negationem rationalis, aut irrationalis, quia per abstractionem solum cognoscitur animal, quin rationale, aut irrationale cognoscatur; sed per abstractionem solum cognoscitur natura, quin differentiæ aut vnitates cognoscantur: ergo.

259. Probatur minor prima quoad secundam partem, scilicet quod per abstractionem natura fit apta ad essendum in pluribus. Eatenus natura per abstractionem habet vnitatem intentionalem, quatenus per illam non discernitur aliqua pluralitas, ratione cuius in ordine ad intellectum non sit vna; Sed similiter per abstractionem nõ discernitur in natura aliqua ineptitudo, ratione cuius repugnet, esse in multis, ergo natura per abstractionem est apta ad essendum in pluribus. Probatur minor: identitas determinata naturæ cum aliquo singulari individuo tantum potest esse ineptitudo naturę, vi cuius repugnet esse in multis; sed per abstractionem non cognoscitur talis identitas cum singulari, á qua præscindere supponitur: ergo non cognoscitur aliqua ineptitudo in natura, vt sit in multis, & hoc non solum obiectiuè, sed etiam intelligibiliter per comparationẽ simplicem subsequentem, qua concipia ur talis natura in inferioribus, antequam prædicetur de illis: cum enim vi abstractionis nulla detur ineptitudo, seu repugnantia naturæ ad plura inferiora, nihil erit ratione cuius intellectus nequeat statim post abstractionem, & ante prædicationem, illam naturam in pluribus apprehendere

260. Probatur eadem minor quod ad tertiam partem, scilicet quod per abstractionem sit apta prædicari de pluribus. Natura per abstractionem non est inepta prædicari de pluribus: ergo est intentionaliter apta; patet consequentia: nam aptitudo intentionalis est tantum præscissiva, & per meram non repugnantiam; antecedens probatur. In tantum esset inepta talis natura, inquantum cognosceretur vt prædicabilis determinatè de aliquo inferiori; sed ita non cognoscitur per abstractionem, quæ solum cognoscit naturam secundum eius prędicata essentialia pręscindentem ab omni inferiori: ergo.

261. Confirmatur. Natura singularis eo ipso, quod sit apta ad essendum in Petro, est apta prædicari de Petro: ergo natura vniuersalis eo ipso quod sit apta ad essendum in multis est apta prędicari de multis. Sed per abstractionem est apta natura ad essendum in multis, vt manet probatum: ergo erit apta prædicari de multis.

262. Objic. 1. Species producta ab intellectu agente est vniuersalis: ergo per intellectum agentem fit vniuersale. Probo antecedens: talis species repræsentat naturam in communi: ergo est vniuersalis. Probatur idem antecedens 2: talis species abstrahitur á phantasmatibus; sed in illis erat singularis: ergo ipsa iam est abstracta á singularibus.

263. Resp. nego antecedens. Ad primam probationem transeat antecedens, & nego consequentiam. Dico transeat, quia talis species iuxta communiorem sententiam non est vniuersalis, sed singularis, quia cum intellectus ad illam producendam concurrat cum phantasmate, illam speciem producit, quam phantasma capax est producere, sed phantasma solum est capax producere speciem singularem obiecti singularis sibi propositi; ergo phantasma solum producit speciem singularem. Sed adhuc admisso, quod talis species sit communis, non est vniuersalis, quia non est formaliter, sed solum virtualiter, & causativè repręsentativa naturæ: vide supra dicta num. 250. Ad secundam probationem, dico: talem speciem abstractam à phantasmatibus apellari, quia est spiritualis, non verò quia est repræsentatiua naturæ in communi, ideo que non est vniuersalis.

264. Objic. 2. D. Thomam opusc. 55. dicentem: vniuersalitas *est ex hoc, quod comparatur ad multa*: ergo per comparationem fit vniuersale.

265. Resp. Sanctum Thomam locutum fuisse de vniuersali fundamentaliter, seu dispositivè. Comparatio enim, qua plura vt similia cognoscuntur, disponit ad abstractionem, qua fit vniuersale formaliter.

266. Objic. 3. Abstractio est singularis; ergo non constituit vniuersale; nemo enim dat, quod non habet.

267. Retorqueo. Quicumque actus intellectus, sive sit antecedens, sive consequens comparatio, est singularis: ergo per nullum actum intellectus potest fieri vniuersale.

268. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Sic ipsa apprehensio reddit obiectum cognitum, quin ipsa sit cognita, & amor reddit obiectũ amatum, quin ipse amor sit amatus. Sicut Deus potest producere plura, quin sit plura, sed vnus Deus, quia ad plura producenda solum requiitur virtus productiua plurium, quę dari potest in entitate, quæ sit vna, ita abstractio, licet sit singularis, potest constituere vniuersale, quia potest repręsentari naturam, nullo modo cognitis differentibus plurificantibus, quod solum requiritur ad actum vniuersalis factivum. Illud proloquium: *nemo dat, quod non habet*, debet ita intelligi: nemo dat quod non habet vel formaliter, vel virtualiter, non formaliter præscisse, sic Deus, quin sit formaliter Homo, hominem producit, quia est virtualiter Homo, hoc est habet virtutem ad producendum hominem, ita abstractio est virtualiter vniuersalis.

269. Replicàs: nulla forma constituit effectum sibi ipsi oppositum, sed vniuersalitas est opposita singularitati: ergo abstractio singularis non constituit vniuersale.

270. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem: vniuersalitas enim præscisiua non est opposita singularitati in ordine ad totum ætherogeneum componendum; sicut enim, licet corpus & spiritus opponantur, tamen anima spiritualis cum corpore coadunatur, & constituit cum eo totum corporeum, ita licet vnitas, & multiplicitas opponantur, poterunt coadunari in ordine ad vniuersale constituendum, & natura multiplici, & abstractione singulari resultare vnum vniuersale formaliter.

271. Objic. 4. Vniuersale est potens esse in pluribus, ergo non constituitur per abstractionem. Probatur consequentia. Nihil constituitur potens habere aliquem actum secundum per id, per quod constituitur carens tali actu secundo, sed per abstrationem constituitur natura carens actu secundo essendi in pluribus, cum per abstractionẽ nõ sit in pluribus; ergo per abstractionem non constituitur vniuersale.

272. Resp. Distinguo antecedens; est potens præscisiuè concedo; positivè

ve,nego. Ad probationem distinguo maiorem;nihil constituitur potens habere positiuè per id, per quod constituitur carens positiuè,concedo.Sic per carentiam positiuam humanitatis non constituitur aliquid potens esse homo: potens habere præcisiuè per id, per quod constituitur carens præcisiuè, nego. Potentia vniuersalis est per modum priuationis, Priuatio enim constituitur per carentiam actualem termini, & simul per potentiam habendi illum;sic cæcitas, quæ est priuatio visus,constituitur per carentiam visus, & per potentiam habendi illum, ita vniversale constituitur per potentiam essendi in multis, & per carentiam præscisiuam talis actus secundi, hoc est,per abstractionem,quæ talem actum secundum essendi in multis non attingit. Immò per talem carentiam præscisivā constituitur in esse apti ad essendum in multis,aliter in carentia positiva evenit quæ nullatenus constituere potest potentiam positiuam,aut præscisiuam.

273. Obj.5. In physicis expulsio formæ præcedentis non est ipsa forma subsequens,sed potius expulsio formę præcedentis est prior introductione formæ subsequentis,sed per abstractionem expellitur anatur á pluralitas: ergo ipsa abstractio non erit vnitas, sed dabitur alius actus posterior, á quo vnitatem accipiat.

274. Resp. Concedo maiorem,& minorem, et nego consequentiam: ratio disparitatis est:quia in physicis expulsio formæ est negatio seu, carentia positiua ipsius formæ expulsæ; forma autem subsequens non est carentia formæ præexistentis, sed habet suum esse positivum, vnde expulsio formę antecedentis non est forma consequēs; at verò expulsio pluralitatis, cum solum sit pręscisiva, hoc est,cognitio non attingens pluralitatem, est eadem met vnitas vniuersalis, quę in eo consistit, quod non cognoscatur.

275. Objic. 6. Per nullum statum, inquo res collocatur,potest constitui, sic anima non constituitur per statum separationis, aut vnionis; sed abstratio est status, inquo collocatur natura vniuersalis: ergo hæc nequit per abstractionem constitui. Retorqueo: ergo nec per comparationem constituetur etiam vniuersale, cum sit etiam status naturæ vniuersalis.

276. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem, abstractio est status naturæ vniuersalis specificativè sumptæ, concedo; & ita natura per abstractionem non constituitur; concretivè sumptę in esse vniuersalis, nego; & ita solum per abstractionem constituitur; sic anima specificativè non constituitur per vnionem, tamen vt coniuncta cum corpore per vnionem constituitur; Iam enim status vnionis respectu illius concreti non esset status, sed cōstitutivum,ita abstractio non est status, sed constitutiuum naturæ vt vniuersalis, quę vt talis per eam constituitur.

277 Objic. 7. Actus secundus vniuersalis est contractio: ergo vniuersale, non constitur per abstractionem.Probatur consequentia; nulla potentia essentialiter constituitur per aliquid oppositum suo actui secundo, sed abstractio est opposita contractioni: ergo.

278 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem transeat maior,& nego minorem; dixi transeat maior; quia est absolutè falsa, sic alienatio, seu datio alicuius rei est exercitium, & actus secundus dominij, & ipsum dominium destruit in donante. Item res in esse destructibilis per productionem constituitur, solum namque id, quod productum est,destrui potest, & actus secundus talis potentiæ est carentia talis productionis;& ratio est: quia datur du-

duplex exercitium potentię,exercitium positivum,quod debet existere cum sua potentia,& exercitium negativū, quod non coexistit cum potentia vtpotè illius destructivum, ideoque propositio maior est absolutè falsa, tu vero nega minorem,nam contractio non est opposita abractioni;de quo suo loco.

279. Obj.8. Per illum actum fit vniuersale,per quem fit aptum ad plura;sed per abstractionem non fit aptum ad plura: ergo per abstractionem non fit vniuersale. Probatur primo. Per illum solum modo actum fit vniuersale aptum ad plura,per quem vnum, & plura cognoscuntur;sed per abstractionem vnum, & plura non cognoscuntur:ergo per abstractionem non fit aptum ad plura.

280. Resp.Concedo maiorem, & nego minorem:Ad probationem nego maiorē; Aliud est,esse actu in pluribus, & aliud habere aptitudinē ad plura: per abstractionem non est actu in pluribus, sicut per comparationem,qua vnum,& plura cognoscuntur: attamen ad vniversale non requiritur hoc actuale esse intelligibiliter in pluribus, sed solum aptitudo ad plura, quam aptitudinem accipit natura ab abstractione, per hanc enim,eo ipso quod pręscindatur ab inferioribus,denudatur omni impedimento,vt possit cum quolibet identificari,ac proinde aptitudinem præscisiuam,vt de pluribus prędicetur, quin plura cognoscantur per talem abstractionem.

281. Obj.9. Vniuersale est vnum in multis,& extra multa;sed per abstractionem solum est extra multa, & non in multis; ergo non fit adęquatè per abstractionem.

282. Retorqueo:ergo nec per comparationem; quia per comparationem licet sit in multis non est extra multa.

283. Resp. Distinguo antecedens: est vnum in multis actualiter, nego;aptitudinaliter,côncedo: vt patet ex eius definitione. Hanc aptitudinem habet per abstractionē,licet per comparationem habeat illum actum.

284. Obj. 10. Totum vniuersale prædicatur de inferioribus; sed abstractio nō prædicatur de illis,qua cum ipsis non identificatur; ergo non constituitur per abstractionem.

285. Retorqueo:ergo per nullum actum intellectus constituetur, cum nullus actus possit prædicari de inferioribus,nullus namque cum inferioribus identificatur.

286. Resp.Distinguo antecedens; totum vniuersale prædicatur vt *quod*, nego; natura vt *quod* & secunda intentio vt *quo* concedo. Natura, vtpotè quę cum inferioribus identificatur, prędicatur vt quod, secunda intio vt pote ratio *qua* redditur natura prædicabilis *vt quo*.

187 Objic. 11. Si vniuersale fieret per abstractionem, casu, quo ab omnibus albis abstraheretur ratio *albi*, confunderetur tria prædicabilia,nā respectu huius,& illius albi esset species, respectu nivis,& cygni esset proprium; respectu hominis, & parietis esset accidens; quæ quidem confusio vitaretur, si vniuersale fieret per comparationem simul attingentem inferiora,& naturam.

288 Confirmatur.Ratio albi præscissa vi abstractionis est indifferens vt sit proprium, species, & accidens, & determinatur ad esse potiùs speciem, quam proprium, & è contra per comparationem, qua comparatur potiûs ad illud album, quam ad cygnum, & nivem; ergo per comparationem in esse speciei constituitur. Probatur consequentia: ideo rationale est constitutivum hominis, quia determinat animal exte indifferens ad constituendum hominem,& nō brutum, ad esse potiûs hominis, quam bruti: ergo similiter.

Re-

289 Retorqueo argumentum primo: ergo saltim tria vniuersalia fundamentalia confunderentur, quę iuxta aliquos per abstractionem constituuntur. Secundo: Ergo saltim tria vniuersalia metaphysica confunderentur, quę iuxta aliquos vtique ex abstractione componuntur.

290 Resp: quod si per eamdem abstractionem illa ratio *albi* ab omnibus albis abstraheretur, sine vlla confusione diceretur *species*, *proprium*, & *accidens* iuxta capacitatem inferiorum, quibuscum talis ratio identificaretur; non enim repugnat, quod eadem forma plures denominationes conferat iuxta varias obiecti capacitates; sic eadem cognitio denominat obiectum cognitum, intellectum cognoscentem, & voluntatem potentem amare; ergo eadem abstractio denominabit rationem *albi* iam speciem, iam proprium, iam accidens absque vlla confusione, quia illa abstractio, & si sit vna, triplici abstractioni realiter distinctæ æquivalet.

291 Ad confirmationem. Respondetur: nego antecedens, nam vi abstractionis pręscisse talis ratio est simul species, proprium, & accidens, comparatione tamen diuersorum, sicut per eamdem quantitatem est Petrus maior pigmæo, & minor Gigante; Aliud enim est, quod per comparationem determinetur vniuersale ad actum secundum, & exercitium prædicationis, potiús vt species, quam vt proprium, quod verum est, & aliud, quod per eam determinetur ad esse speciei, proprij, &c. in actu primo. Quod falsum est: & sicut approximatio ad hanc potius materiam quam ad aliam determinat virtutem combustivam ignis, vt hunc potiús quam illum ignem producat in actu secundo, quin constituat, sed potiús supponat, totam virtutem cóbustivam habens se solum vt conditio requisita ad exercitium virtutis, quam completam in esse talis supponit ante se, ita similiter se habet comparatio supponens prædicabilitatem.

292. Obj. 12. Vniuersale logicum debet esse proximè pręd icabile; sed per abstractionem non redditur proximé prædicabile: ergo per abstractionem non fit vniuersale. Probatur minor: nequit intellectus enuntiare prædicatum de subiecto, nisi pręcedat comparatio prædicati cum subiecto, tum quia nil iudicatum quin prius apprehensum; tum etiam quia esse *ad* supponit esse *in*, hoc est esse pręd icari ad subiectum supponit apprehensum prædicatum in subiecto; sed per id, ratione cuius natura non potest prædicari, nisi adveniat aliud, non constituitur proximè prædicabilis: ergo non per abstractionem, sed per comparationem simplicem subsequentem redditur vniuersalis natura.

293. Cõfirmatur. Inter abstractionem & prædicationem naturæ mediat necessario comparatio: ergo per abstractionem non redditur proximè, & immediaté prædicabilis, sed per comparationem simplicem, inter quam, & prædicationem nullus actus mediat.

294. Aliqui cum Hurtado respondent, ad pręd icationem actualem non requiri necessario comparationem simplicem subsequentem; sed sufficere antecedentem ad abstrationem, vt verificetur; nil esse iudicatum, quin apprehensum, & vt posita abstractione fiat enunciatio, sed quidquid sit de hoc.

295. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: nequit intellectus enuntiare, &c. nisi præcedat comparatio, ita vt talis comparatio sit constitutiua prædicabilitatis, nego. Ita vt sit conditio ad prædicationem, concedo: & similiter distingue minorem; per id, ratione cuius non potest prædicari, nisi ad-

adveniat aliud, non redditur proximè prædicabilis natura: si ly aliud, quod advenire debet, sit solum conditio ad prædicationem: nego; si sit constitutivum prædicabilitatis, concedo. Per abstractionem denudatur natura omni impedimento, vt possit prædicari de pluribus, totaque virtus prædicabilitatis constituitur, vt tamen hæc virtus exerceatur, prædiceturque natura, requiritur applicatio illius, hæc applicatio est comparatio, qua natura in subiecto concipitur, vt de illo prædicetur, & quemadmodum applicatio ignis necessario requisita, vt exerceat virtutem combustiuam, talem virtutem non constituit, sed supponit; ita comparatio subsequens supponit, non constituit prædicabilitatem naturæ.

296. In intellectu, & voluntate vobis exemplum apponam; non minus requiritur apprehensio, vt intellectus iudicet, & enuntiet, quam vt obiectum iudicetur, & enuntietur, sed talis apprehensio non constituit virtutem iudicatiuam, & enuntiativam intellectus, sed solum requiritur, vt conditio applicãs, & proponens obiectum: ergo similiter apprehensio comparatiua solum requireretur ad applicandam, non ad constituendam virtutem prædicabilitatis. Item bonitas obiecti supponitur ante cognitionem, quin eam cognitio constituat, & tamen vt eam voluntas amet, requiritur necessario talis cognitio, quia nihil volitum quin præcognitum: ergo etiamsi ita requiratur comparatio, vt predicetur natura de inferioribus, quia nihil iudicatum quin prius appræhensum, non constituet, sed supponet prædicabilitatem.

197 Ad confirmationem retorqueo primo. Inter virtutem combustivam ignis, & actum secundum concomburendi mediat necessariò applicatio. Secundo. Inter bonitatem realem, & amorem mediat necessariò cognitio; ergo nec virtus ignis est proxima, & immediata, nec virtus motiva bonitatis obiectiuę. Sed virtus ignis constituetur per applicationem, & bonitas motiva per cognitionem; sicut enim applicatio, & cognitio mediant vt purè conditiones, ideoque non officiunt immediationi intrinsecæ viruris, ita comparatio, cum tantûm mediet vt pura conditio non constituens naturam in esse proximæ, & immediatæ intrinsece prædicabilis, sed tantum in esse approximatæ, seu quod idem est, in esse proximæ, extrinsecè non officiet immediationi naturæ in esse prædicabilis.

298 Replicas. Hæc causalis est vera: *Ideo vniuersale potest prædicari de subiecto, quia est intelligibiliter in illo per comparationem.* Item ideo est *ad* quia est *in*: ergo comparatio, & actus, quo vniuersale est *in* constituit prædicabilitatem.

299 Resp. similes reduplicationes sępe denotare conditionem, & non constitutiva. Sic valet: *Ideo voluntas amat, quia intellectus cognoscit obiectum: ideo ignis comburit, quia approximatur: ideo Sacerdos Consecrat, quia habet intentionem*, & tamen cognitio ad amorem, approximatio ad combustionem, intentio ad consecrationem sunt merę conditiones: ergo ita possunt admitti illæ propositiones appositę.

SECTIO. II.

DE VNITATE VNIVERSALIS.

300 Diximus: vniuersale esse vnum; quæritur; quę, & qualis sit hæc vnitas an intrinseca, an extrinseca? An realis, an ficta? prima sententia tenet vnitatem vniuersalis esse intrinsecè fictam, ita plures Tho-

Thomistę quos sequuntur Pater Ildephonsus de Peña. disp. 2. q. 3. & 7. & aliqui moderni. Secũda sententia negat; esse fictam, & affirmat esse extrinsecam. Ita reliqui omnes Doctores.

301 Dico primo. Vnitas vniuersalis non est ficta: probatur primo: vniuersale per nos fit per abstractionem, ab illaque vnitatem accipit sufficientem, vt sit vniuersale; ergo eius vnitas non est intrinseca, & ficta. Probatur consequentia primo. Talis abstractio nequit fingere iuxta *illud abstrahentium non est mendacium*. Secundo talis actus nequit conferre obiecto prædicatum repugnans; est namque simplex apprehensio, quæ, vt iam probatum est, nequit facere ens rationis, neque aliquid per compositionem obiecto conferre. Tertio: talis abstractio, hæc v.g. *Homo*, solum attingit ex parte obiecti prædicata essentialia hominis, nẽpe animal rationale, quin vllam vnitatem attingat, nec de illa tunc cogitet intellectus; ergo nõ confert obiecto vnitatem intrinsecam: patet hæc consequentia; nullo alio modo potest intellectus conferre aliquod prædicatum obiecto, nisi repræsentando illud ex parte obiecti, sed talis actus vnitatem non repręsentat: ergo neque illam confert.

302. Probatur secundo, concipere vnum alio non concepto cum fundamento in re, ex se non est conferre vnitatem intrinsecam obiecto, nec fingere: sic Beati plures pręcontinentias attingunt, alijs nullo modo cognitis, sed actus factivus vniuersalis tantum attingit naturam humanam v.g. non cognitis indiuiduationibus, & ad hoc sufficiens datur fundamentum; ergo talis actus nec confert vnitatem intrinsecam obiecto, nec fingit.

303. Probatur tertiò ab inconvenienti: sequeretur, omnes prædicationes vniuersales esse falsas v.g. *Petrus est animal*: imò & hæ: *Christus est homo. Maria Sanctissima est Virgo*: quæ de fide sunt, & supernaturales: patet Sequela; conferre Christo Domino aliquam naturam humanam cum vnitate intrinseca ficta cum alijs hominibus, falsum est, talis enim natura humana illi non cõpetit: ergo & illa, & similes propositiones essent falsæ.

304. Dico secundo. Vnitas vniuersalis est extrinseca naturæ, illi proveniens ab actu abstrahente. Probatur talis vnitas non est realis intrinseca, vt per se patet; non est intrinseca ficta, vt manet probatum; ergo est extrinseca, cum vltra has vnitates alia non inveniatur; & ratio á priori est: quia esse vnum vniuersale, nil aliud est, quam naturam non cognosci vt plures, sed naturam non cognosci vt plures, est extrinsecum illi; ergo vnitas vniuersalis est extrinseca naturæ.

305. Obj. 1. Per nos hæc prædicatio vniuersalis *Christus est homo* est vera, quia licet prædicetur vniuersale de Christo, & hoc constituatur ex secunda intentione, hæc non prædicatur de Christo vt *quod*, sed vt *quo*: ergo similiter licet constituatur vniuersale ex vnitate intrinsecè ficta prædicatio erit vera, quia talis vnitas non prędicabitur vt *quod*, sed tantum vt *quo*.

306. Asigno disparitatem hęc prædicatio *Christus est homo*, est vniuersalis, quia prædicatur de Christo totum obiectum actus factiui vniuersalis saltim quoad intensivum, vel quoad modum prædicandi, quod est animal rationale ex se indifferens, vt de reliquis hominibus prædicertur, non tamen prædicatur vt indifferens, neque vt vniuersale reduplicatiuè, vnde non prædicatur vniuersale, sed natura vniuersalis: cum autem hæc dicat extrinsecè, & vt *quo* secundam intentionem, ita prędicatur secunda intentio de Christo, at vero

vero cum iuxta Adversarios natura vniuersalis, quæ est obiectum actus factiui vniuersalis sit non solum extrinsecè, sed intrinsecè ficta, cum sit intrinsecè vna, eo ipso quod prædicetur de Christo, vnitas ficta non vt *quo*, sed vt *quod* prædicabitur, cum totum, quod intrinsecè dicit natura, prædicetur vt *quod*.

307. Obi. Sanctum Thomam, & Aristotelem dicentes: vnitatem vniuersalis esse vnitatem rationis: ergo & fictam.

Respondeo, vnitatem vniuersalis esse vnitatem rationis, nõ quia fictam, sed quia per intellectum, qui dicitur ratio.

308 Objic. 3. Vnitas vniuersalis esset extrinseca naturæ, vniuersale esset ens per accidens, vnde in prædicamento incollocabile.

309 Resp. Concedo totum cum Patre Hurtad. quia solúm ens physicé completum vt *Petrus* in prædicamento collocatur. Vel nego sequelam cum communi, quia tantum logicè non est ens per accidens; constituitur enim ex materiá, & formá logicè, quod sufficit, vt collocetur in prædicamento; sicut collocatur *habere*, & aliæ extrinsecæ denominationes.

310 Objic. 4. Vniuersale Aristotelicum debet esse simile Platonico, sed hoc habet vnitatem intrinsecam, ergo & illud debet habere talem vnitatem; non realem, ergo fictam.

311 Resp. Distinguo antecedens: debet esse simile in omnibus, nego; in aliquibus, transeat; dico *transeat*. Quia nescio, quę lex obliget ad talem similitudinem; nihilominus tamen assimilatur nostrum vniuersale vniuersali Platonico in eo, quod sicut illud erat tale per realem separationem ab inferioribus, hoc tamen est per separationem intentionalem ab eis media abstractione. Item nostrum vniuersale plusquam vestrum assimilatur Platonico. Hoc enim ab ipso reale constituebatur, nos nostrum vniuersale reale constituimus: sicut enim magis assimilatur Patri Æterno generanti per potentiam intrinsecam realem Pater creatus generans per potẽtiam extrinsecam realem, quam Pater fictus generans per potentiam intrinsecam fictam, ita magis assimilatur vniuersale nostrum constitutum vnitate reali licet extrinsecá, quam vniuersale vestrum vnitate factá licet intrinsecá constitutum.

312. Objic. 5. Tunc fingitur vnitas, cum attingitur vt vnum id, quod reuera vnum non est, sed per abstractionem attingitur natura humana v.g. vt vna, cum reuera vna non sit, ergo talis vnitas est ficta. Probatur minor: per abstractionem non attingitur natura vt plures; aliás iam non fieret per illam vniuersale: ergo concipitur vt vna.

313 Confirmatur primo. Per illam abstractionem non attingitur natura, vt est in se: ergo talis abstractio est ficta. Probatur antecedens: natura humana in se est plures, sed ab illo actu non attingitur vt plures: ergo.

314 Confirmatur secundo. Per illum actum fit vna natura illa: ergo per illum actum cognoscitur, & fingitur vnitas.

315 Resp. Distinguo maiorem: tunc fingitur vnitas, cúm attingitur vt vnum, signatè, & ex parte obiecti, concedo; exercitè, & ex parte actus, nego, & similiter distinguo minorem: ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam, quæ ex antecedenti non infertur; sicut hæc: *animal non cognoscitur vt rationale, ergo cognoscitur vt irrationale*. Quia licet á parte rei animal debeat esse vel rationale, vel irrationale; tamen intellectus ab vtroque præscindit, ita licet natura à parte rei debeat esse vel vna, vel plures non sequi-

quitur eo, quod intellectus eam vt plures non attingat, eam vt vnam attingere, quia præscindit ab vtroque. *Dicitur* tamen attingi naturam vt vnam exercite, non signatè; quia abstractio non respicit ex parte obiecti vnitatem; exercite tamen reddit naturam vnam se ipsam illi vt formam exhibendo. Sicut reddit pręcissam, cognitam, &c. quin tales denominationes ab ipsa abstractione attingantur, cum non sit supra se ipsam reflexiua, & hęc etiam est responsio ad secundam confirmationem.

316. Ad primam respondetur: illam abstraction ẽattingere naturam, vt est in se, licet non adæquatè, sed inadæquatè; natura enim in se & habet prędicata essentialia hominis v. g. & vnitates plurificantes talia prædicata, abstractio autem solum attingit prædicata essentialia, & non vnitates plurificantes; attingere obiectum secundum inadęquatum, quod dicit, seu inadæquatè, non est attingere obiectum aliter ac est in se, conferens prædicatum repugnans, vel auferens prędicatum conueniens, qualiter ad ens rationis requiritur

317. Obj.6. Hic actus *Omnis Homo* est vnus; item actus clarus, quo Deus omnes homines cognoscit, est vnus: ergo conferunt vnitatem obiecto, ac proinde facient vniuersale, sicut actus hic confusus *Homo*.

318. Resp. Non quemcumque actum, qui sit vnus, conferre obiecto vnitatem vniuersalis, sed actum, qui, cum sit vnus, concipit plura per modum vnius, ea confundendo, & præscindendo ab omni pluralitate obiectiva, & diuisione, a qua non præscindit actus Diuinus, quo cognoscit Deus omnes homines, & actus ille creatus *Omnis Homo*, cum attingant pluralitatem, & diuisionem hominum ex parte obiecti, qualem non attingit actus confusus *Homo*, cui solum correspondent ex parte obiecti prædicata essentialia hominis sine vlla pluralitate. Sed de hoc postea.

319. Replicas, in hac propositione *homo est animal* ly *homo* est vniuersale: ergo etiam ly, *Omnis Homo* erit vniuersale. Probatur consequentia; ly *homo* vtpotè terminus indefinitus in materia necessaria significat omnem Hominem, & ęquivalet huic termino *Omnis Homo*: ergo vel vterque terminus est vniuersalis, vel neuter.

320. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, ly *Homo* significat omnem hominem immediatè, nego; mediatè, concedo. Significatum immediatum illius termini *Homo* est tantum prædicata essentialia hominis, præscindendo ab illa pluralitate, significatum tamen mediatum illius est omnes homines, non quia illos repræsentet, sed quia significatum immediatum illius termini descendit ad omnes homines, vt verificetur prædicatum, ille tamen terminus *Omnis Homo* ratione illius additi *omnis*, habet pro significato immediato omnes homines; vnde licet idem requiratur vt sit vera hæc propositio *homo est animal*, ac hęc *omnis homo est animal*, & quãtum ad hoc sibi ęquivalent in significato immediato, & in modo significandi; ideoque primus terminus est vniuersalis, non vero secundus.

321. Objic.7. Sicut ad veritatem propositionis affirmatiuæ requiritur identitas inter prædicatum, & subiectum, ita ad veritatem negatiuæ requiritur distinctio; sed licet non detur realis distinctio inter animal, & rationale, est verum dicere *animal non est rationale* ratione distinctionis intentionalis: ergo licet non detur identitas realis inter Petrum, & naturam humanam vnam vnitate ficta, erit verum dicere *Petrus est Homo* ratione distinctionis intentionalis & per mentem.

322. Ex argumento sequitur: nullam esse propositionem falsam, cum nulla propositio, in qua vel dicitur prædicatum repugnans subiecto, vel aufertur prędicatum conveniens, possit esse, in qua non ponatur identitas, vel distinctio per mentem.

323. Respondeo dando disparitatem: cum dicitur *animal non est rationale*, sensus est: animal concipitur ab intellectu in ordine ad sensationes, nullo modo concepto rationali, nec perceptis ratiocinationibus, quod sensum verissimum facit; at vero in nullo sensu vero potest accipi ly *Petrus est homo*, si prædicatum sit natura ficta conveniens Petro solum per mentem fingentem, non per mentem præscindentem, qualiter animali competit; non esse rationale.

324. Obj.8. Diuisio logica repręsentat diuisionem obiectiuam: ergo vnitio logica, qualis est abstractio, repræsentat vnitatem obiectiuam, hæc non est realis: ergo ficta.

325. Resp. Nego antecedens, si loquatur de præscisione formali, sic animal pręscinditur á rationali, & præscisio non repręsentat aliquam diuisionem obiectiuam inter animal, & rationale, similiter vnitio logica; qualis est abstractio, quæ est vnio præscisiua, non debet repræsentare vnionem obiectiuam.

SECTIO III.

DE APTITVDINE VNIVERSALIS.

326. IDem, quod de vnitate, quæritur de aptitudine vniuersalis ad inferiora. Utrum scilicet sit realis, vel ficta? Circa quod prima sententia tenet, relationem vniuersalis, seu aptitudinem ipsius, si sit vniuersale metaphysicum, esse transcendẽtalem, & relationem vniuersalis logici esse prædicamentalem; vtramque tamen fictam. Ita communiter Thomistæ, & Scotistæ, quos sequitur Pater Ildephonsus de Peñafiel disp.2.q.13.sect.3.

227. Secunda sententia tenet: Vtrumque vniuersale realiter intrinsecè, & transcendentaliter referri ad inferiora, quia iudicat, idem posse realiter ad se ipsum referri. Ita Patres Herice, Hemelmam, & Sancta Cruz, num.505.

328. Tertia sententia tenet; esse relationem realem, extrinsecam tamen, naturæ illi provenientem á cognitione. Ita Hurtadus, d.5. meth. sect.8. §.100.

229. Dico primò. Aptitudo vniuersalis non est relatio ficta. Probatur; talis aptitudo non fingitur ab abstractione, tum quia abstractio non est collatiua prædicati repugnantis, cum enuntiativa non sit: tum quia abstrahentium nõ est mendacium: tum quia non attingit signatè, & ex parte obiecti aptitudinem; ergo eam non fingit. Item talis aptitudo non fingitur per comparationem simplicem subsequentem ob easdem fere rationes, quia etiam si hęc comparatio attingat inferiora, non est enuntiatiua, neque collatiua prædicati repugnantis, &c. *Denique* nec fingitur per comparationem compositam. Tum quia hæc supponit iam talem aptitudinem, cum supponat vniuersale constitutum; tum etiam, quia iam omnes prædicationes vniuersales essent falsæ, cum essent fictiuæ, entisque rationis operatrices, quod, vt iam vidimus, principijs dissonat: ergo talis aptitudo non est ficta.

330. Dico secundo aptitudo vniversalis non est relatio secundum esse, sed solum præscisiua, & secundum dici, hoc est, cum natura vniuersalis attingitur præscisiuè absque omni obiectiua determinatione, & singularitate attingitur instar indifferentis, seu instar subiecti relatiui ad differentias;

tota ego relatio est in modo cognos- cendi. Ita communiter Doctores Arriaga, Lince, Oviedo, Eximius *Doctor*, & alij.

331. Probatur conclusio, quoad primam partem. Omnis relatio eo modo, quod est relatio, dicit distinctionem, cum sit ad aliud; Inde enim probamus; personas Diuinas, item causam & effectus realiter distingui, quia referuntur realiter; sed relatio secundum esse est relatio realis, & prędicatum primę intentionis: ergo requirit realem distinctionem. Tunc sic, sed inter vniversale, & eius inferiora non datur realis distinctio, sed potius identitas; ergo non datur relatio secundum esse.

332. Quod solum dicat relationem secundum dici. Probatur primo. Vniuersale definitur per modum superioris, & relatiui ad plura; sed talis relatio neque est ficta, neque secundum esse; ergo erit secundum dici, cum nulla alia restet relatio.

333. Probatur secundo conclusio. Ex penuria, & defectu vocum definiuntur plura vt relatiua, quę sunt merè relatiua secundum dici; sic possibile definitur per relationem ad existentiam, adquam vtpotè indistinctam non dicit relationem secundum esse: sic Omnipotentia, & si iuxta Patrem Uazques non referatur ad possibilia, explicatur Verbis relatiuis; idem de potentia obedientiali in ordine ad effectum tenet Ripalda. Item plura definiuntur, vt negatiua, quæ negatiua non sunt secundum esse, sed solum secundum dici, vt asseitas Diuina, innascibilitas Patris; brutum per irrationale, corpus per impenetrabile: ergo licet vniuersale definiatur per aptitudinem ad plura relationem sonantem, non dicet relationem secundum esse, sed tantum secundum dici.

334. Objic. 1. Sanctum Thomam 1. p. q. 28. art. 1. apellantem aptitudi- nem vniuersalis, respectum rationis: ergo fictum.

Resp. Esse respectum rationis, hoc est per intellectum, qui dicitur ratio naturæ, vniuersali communicatum, non vero fictum.

335. Obj 2. Eumdem Angelicum Doctorem sæpe dicentem; voluntatem Diuinam habere habitudinem ad suam bonitatem; sed non distinguitur ab ea; ergo potest dari habitudo, & relatio sine distinctione: ergo & vniuersale referri ad inferiora.

336. Respondeo, nomine habitudinis intelligi non relationē, sed prosecutionem erga suam bonitatem. Ita plures interpretantur. Vel dic; dari habitudinem secundum dici.

337. Obj. 3. Superius vt tale dicit relationem ad inferius, sine quo neque esse, neque concipi potest; sed vniuersale est superius: ergo dicit relationem ad inferius.

338. Resp. *Distinguo* maiorem: superius physicè tale, concedo maiorem; superius logicè tale, nego: quia superius physicè dicit dominium, & subordinationem actiuam, quę distinctionem, & relationem fundant. Superius tamen logicè est tantum, latius patere, & pluribus convenire per identitatem, vnde superioritas logica fundatur in identitate, quo modo ergo relationem dicet, cum distinctione careat, ac proinde fundamento propriæ relationis? Deinde, eo modo, quo vniuersale est superius, dicit relationem; sed est superius præscisiuè: ergo dicit præscisiuam relationem; relatio autem præscisiua est solum secundum dici.

339. Replicas. Superius nequit concipi sine inferiori; item superius & inferius vniuersale, & subjicibile opponuntur; ergo & referuntur.

340. Resp. Ex eo quod superius vt tale nequeat concipi sine inferiori

non infertur; referri, sic Homo nequit concipi sine animali rationali, & non refertur ad animal rationale. Ad summum enim, si duo supponantur distincta, & aliàs vnum nequit sine alio concipi, tunc referentur inter se, vt Pater & Filius, Servus, & Dominus. Dixi ad summum, quia P. Uazques contrariū acriter tenet; superius item & inferius opponuntur eo modo, quo sunt superius & inferius, vnde cum vniuersale solum præscisiuè, & secundum dici sit superius, solum opponuntur præscisive, & secundum dici.

341. Obj. 4. Cognitio non est superior nec secundum dici respectu inferioris vniuersalis: ergo nec secundum dici illud constituit superius.

342. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Sic cognitio reddit naturam vniuersalem, & ipsa non est vniuersalis, reddit obiectum cognitum, quin ipsa sit cognita: ergo & vniuersale reddet superius, quin ipsa sit superior. Reddere namque naturam superiorem solum est, non cognoscere illam vt identificatam cum aliquo inferiori, quod facit cognitio, & si non sit superior.

343. Obj. 5. Omnis aptitudo, & potentia dicit relationem secundum esse ad terminum, sed vniuersale dicit aptitudinem, & potentiam: ergo & relationem secundum esse.

344. Resp. Distinguo antecedens: omnis aptitudo, & potentia physica, concedo antecedens. Omnis aptitudo & potentia logica, nego antecedens; quia est potentia, & aptitudo secundum dici, & ita secundum dici tantum est relatio.

345. Rogas: quando Verba sonantia relationem significabunt relationem secundum esse, & non solum secundum dici? Difficulter potest assignari aliqua ratio ita vniuersalis, vt comprehendat omnes casus, communiter tamen hæc tenenda est. Quando obiecto significato per voces relatio non repugnat, & aliunde obvię sunt voces, quibus obiectum aliter significari potest, tunc prudenter credi potest ex instituto tales voces esse impositas ad denotandum aliquam relationem ex parte obiecti; at vero si obiecto repugnat relatio, vel alias voces, quibus tale obiectum significetur, non suppetunt. Credendum est illud, quod sonant, non se tenere ex parte obiecti, sed ex parte modi significandi tantum, cui modo significandi nil obiectiuum respondet.

SECTIO IV.

QVÆ APTITVDO SIT VNIVERsali primaria?

346. **D**Iximus, vniuersale esse aptum ad essendum in multis, & esse aptum ad prædicandum de multis, quæritur: an vtraque hęc aptitudo sit vniuersali primaria, quæ vè secundaria?

347. Prima sententia tenet. Vtramque aptitudinem esse primariam: ita Scotus, Hurtadus, Sancta Cruz, n. 1595. Secunda sententia tenet; solam aptitudinem ad essendum esse vniuersali primariam, aptitudinem vero ad prædicandum esse illi secundariam. Ita Rubius, Murcia, Conibricenses, Toletus, Lince lib. 9. tract. 1. c. 1. & 2.

348. Dico primò. Aptitudo ad essendum intelligibiliter in multis, & prædicandum de multis sunt secundarij conceptus, & proprietates vniuersalis: vnice constituti per aptitudinem ad essendum obiectiué in pluribus. Probatur: aptitudo ad essendum intelligibiliter in pluribus est capacitas vniuersalis, vt per comparationem cognoscitur,

tur, aptitudoque ad prædicandum de pluribus,est item capacitas, vt per iudicium enuntiativum cognoscatur,sed hæ capacitates, seu cognoscibilitates sunt proprietates vniuersalis: ergo aptitudo ad essendum intelligibiliter in pluribus,& aptitudo ad prędicandum sunt conceptus secundarij, & proprietates vniuersalis. Probatur minor. Cognoscibilitas vt sic est proprietas entis vt sic, & talis cognoscibilitas est proprietas talis entis: ergo cognoscibilitates vniuersalis erunt vtique proprietates vniversalis,quod est ens extrinsecè per denominationem cogniti præscisiuè constitutum.

349. Dico secundo. Aptitudo ad prædicandum non est proprietas aptitudinis essendi intelligibiliter per simplicem comparationem. Probatur. Ideo aptitudo ad prædicandum esset proprietas aptitudinis ad essendum intelligibiliter per simplicem comparationem, quia aptitudo ad essendum intelligibiliter supponitur ad aptitudinem ad prædicandum, sicut actus essendi intelligibiliter ad actum prædicandi, seu prædicationem actualem; sed etiam si supponatur, non est proprietas, ergo aptitudo ad prædicandum non est proprietas aptitudinis essendi intelligibiliter. Probatur minor. Veritas supponitur ad bonitatem, nam prius cognoscitur ens, quam ametur. Vis appræhensiva est prior virtute iudicatiua, in igne virtus productiua caloris supponitur ad virtutem productiuam ignis: in materia virtus receptiua dispositionum ad virtutem receptiuam formarum, & tamen nec bonitas est proprietas veritatis, nec vis iudicatiua virtutis apprehensiuæ, nec virtus productiua ignis virtutis calefactiuæ, nec denique virtus receptiua formarum radicatur in virtute receptiua dispositionum: ergo nec aptitudo ad prædicandum erit proprietas aptitudinis ad essendum intelligibiliter in multis.

350. Ratio á priori est: quia non quęcumque præcedentia est præcedentia radicis,& radicati; potest namque esse dispositionis,& termini, quæ quidem prioritas nullo modo infert conceptum proprietatis in re posteriori, vt patet in exemplis positis,& ita se habet aptitudo ad essendum intelligibiliter per simplicem comparationem ad aptitudinem ad prędicandum per iudicium enuntiativum, iuxta illud *Nihil iudicatum quin prius apprehensum*: apprehensio enim est dispositio necessaria ad iuditium.

351. Obj. 1. Vtraque aptitudo tam ad essendum, quam ad prædicandum constituitur eadem forma, nempe eadem abstractione: ergo vna nequit esse prior,& radix alterius.

352. Resp. Distinguo antecedens: eadem forma physica,concedo; eadem forma metaphysica, nego: essentia, & attributum non debent constitui distinctis formis physicis; aliàs iam physicè distinguerentur: sic rationale,& irrationale; ens & veritas eadem forma physica constituuntur, cum sint physicè idem; metaphysicè tamen constituuntur distinctis formis, quod sufficit, vt metaphysicè vna dicatur essentia, & alia formalitas attributum dicatur, sicut enim ab ente, quod realiter idem est cum veritate, intellectus abstrahit non repugnantiam ad existendum vt essentiam, & capacitatem terminativam cognitionis vt proprietatem, ita ab vniversali abstrahit aptitudinem ad essendum vt essentiam, & aptitudinem ad prædicandum vt attributum.

353. Obj.2. Aristotelem sæpe definientem vniuersale per aptitudinem ad prędicandum: ergo hęc est de conceptu primario vniuersalis.

354. Resp. Locutum fuisse de vniversali logico, de cuius essentia est talis aptitudo, sicut de essentia veritatis aptitudo terminatiua cognitionis, non vero locutum fuisse de vniuersali absolutè.

355. Obj. 3. Contra secundam conclusionem. Ideo intellectivum,& non volitivũ eius attributũ, est de essentia hominis, quia intellectiuum supponitur ad volitivum, sed aptitudo ad essendum intelligibiliter supponitur ad aptitudinem ad prædicandum: ergo hæc erit illius proprietas.

356. Resp. Distinguo maiorem: quia supponitur vt radix, concedo; quia supponitur vt dispositio, nego. Iam diximus, non quamcumque suppositionem,& prioritatem arguere conceptum proprietatis, cum posit conceptum dispositionis arguere. Ideo tamen præcedentia intellectiui ad volitivum arguit in conceptu volitiui esse proprietatem. Primo quia intellectivum non radicatur in alio. Secundo quia intellectivum non supponit essentiam metaphysicam hominis constitutam, intellectiuo namque ablato non maneret homo. Tertio quia est differentia, per quam Homo ab omni alio, quod non est homo differt. Quartò quia est perfectius prędicatum, vnde volitivum potest in eo radicari; at aptitudo ad essendum intelligibiliter radicatur in aptitudine ad essendum obiectiué, supponit constitutam essentiam vniuersalis. Nam hæc sufficienter intelligitur constituta per aptitudinem ad essendum obiectiuè in pluribus, neque est differentia, per quam vniuersale differt essentialiter ab omni eo, quod non est illud, neque est perfectior aptitudine ad prędicandum: ergo hæc non est proprietas illius.

357. Replicas. Perfectius est esse quam prædicari: ergo perfectior est aptitudo ad essendum quam ad prædicandum: ergo poterit hæc in illa radicari.

358. Resp. Distinguo antecedens: perfectius est esse quam prædicari, esse realiter,& obiectiue, concedo, esse intelligibiliter comparatiuè, nego. Hic datur triplex actus triplici aptitudini correspondens, actus essendi per realem identitatem naturæ cum inferioribus, hic est actus correspondens aptitudini essentiali præscisiuæ, & constitutivæ vniuersalis, & est perfectior duobus aliis actibus, vnde, & aptitudo item duabus alijs aptitudinibus est perfectior. Datur etiam actus essendi intellegibilis per comparationem, hic actus respondet aptitudini ad essendum intelligibiliter,& non solum est minus perfectus actu essendi per realem identitatem, sed etiam actu prædicandi: perfectius namque est prædicari per iuditium, quam comparari per apprehensionem. Tertio datur actus prædicandi de pluribus, qui aptitudini ad prædicandum respondet, & est minus perfectus actu essendi per realem identitatem,& magis perfectus actu essendi per comparationem. Vnde aptitudo eodem modo se habebit.

SECTIO V.

VTRVM PER ALIAS POTENTIAS ab intellectu distinctas fiat vniuersale?

359. PRima sententia tenet, per alias potentias ab intellectu distinctas fieri vniuersale; de voluntate affirmat Bonespei, Lince, & Hurtadus: de sensibus affirmant ipsi Hurtadus, & Bonespei. Per voces fieri vniuersale, Lince.

360. Secunda sententia de omnibus præter intellectum negat. Ita Oviedo, Arriaga, Compton,& Recentes communiter. Nota, hoc dissidium

esse purè denominè; Qui affirmant, solum dicunt; voluntatem posse amare bonum in communi, seu vniuersale propositum ab intellectu, illudque amatum reddere. Item per visionem posse attingi color á longe, per auditum sonus, per olfactum sine vlla differentia coloris, sonus, & odoris; Denique per voces, *homo animal*, &c. Significari prædicata essentialia hominis, animalis &c. sine vlla differentia, non tamen affimant; per voluntatem, per sensus, aut per voces reddi naturam prędicabilem, cum hoc proprium sit solius intellectus.

Negantes non renuunt, omnia hæc admittere, præcipué si concedatur; potentias materiales esse præscissivas. Dicunt tamen: per tales actus non reddi naturam aptam prædicari de pluribus, nam per actus materialiter se habentes ad prædicationem, qualiter se habent voces, actus voluntatis, & sensus, nequit obiectum constitui prędicabile : ergo nec vniuersale. Tamen hic secundus modus dicendi, quia communior, in re, denomine magis placet.

361. Obj. 1. Obiectum fit proximè amabile per intellectum licet per voluntatem ametur: ergo erit proximè prędicabile per voluntatem, licet per intellectum prædicetur.

362. Assigno disparitatem ad voluntatem non se habet per accidens cognitio, sed necessario requiritur vt dispositio, quia *nihil volitum quin præcognitum*; at vero ad prædicationem omnino materialiter se habet voluntas vnde hęc non reddet proximè prædicabilem naturam, licet intellectus reddat proximè amabile obiectum.

363. Obj. 2. Sensus non se habent materialiter ad prædicationem dependentem á phantasmatibus, qualis est, quę fit ab homine in statu coniunctionis, ergo efficient vniuersale.

364. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, Aliud est non se habere materialiter ad prędicationem dependentem á phantasmatibus, & aliud non se habere materialiter ad prædicationem vniuersalis, primum arguit dependentiam intellectus in statu coniunctionis à sensibus materialibus percipientibus obiecta, mittentibusque speciem ad intellectum, quam dependentiam admittere tenemur, sed ex ea non sequitur; sensus non se habere materialiter ad prędicationem vniuersalis. Nam licet admittamus sensus posse præscindere á differentijs (& est ratio á priori nostræ conclusionis) licet visus v.g. posse attingere colorem, quin viridem, cæruleum &c. attingat, attamen nequeunt, præscindere ab hæseitatibus incompletis, seu vnitatibus formalibus; semper enim obiectum vt existens percipiunt, sed obiectum cognitum vt existens percipitur vt hoc, seu cum hęc seitate incompleta : ergo ab hac nequeunt prę scindere sensus : ergo nec constituere naturam prædicabilem de pluribus: hęc consequentia postea larè patebit; aliás ergo visio coloris præscissiá differentijs, non vero ab vnitatibus formalibus, non ita requiritur, vt intellectus nequeat sine illa vniuersale efficere, & prædicare, nam frequenter sine illa, tota vniuersalis fabrica, & prędicatio evenit: ergo materialiter se habet ad prædicationem.

365. Replicas. Potest visio coloratum percipere, & non discernere, an nigrum, vel album sit, ac proinde præscindere á differentijs completis; ergo etiam ab incompletis, cum eadem pro vtroque detur ratio.

366. Admisso antecedenti nego consequentiam, quia licet ob distantiam possit ita confundi species, vt non discernat oculus, an color ceruleus, vel albus sit, attamen nequit oculus non discernere existentiam obiecti, quia omnis species propria in repręsentatione exis-

existentię non confunditur. Unde licet nesciam discernere, an obiectum sit homo, vel equus, dicam tamen quodcumque illud fuerit, existentiam habuisse; sed quod videtur existens non præscinditur ab hæcseitate incompleta: ergo.

367. Instas. Videat quis á longe plures homines, adeo confusè, vt nesciat discernere, an sint plures, vel vnus homo, hæc visio prę scindet á singularitatibus: ergo efficiet vniuersale.

368. Resp. In hoc casu non præscindi á singularitatibus, sed omnes illos homines videri, ita tamen confusè, vt non possint distingui. Nam obiectum videtur secundum species, quas emittit sed emittit species repræsentatiuas plurium: ergo videntur plures, verum quia species est remissa, confusè videntur, hæc tamen perceptio confusa non sufficit ad vniuersale, cum tales homines ita confusè cogniti nequeant de quolibet homine prædicari.

369. Rogas: Vtrum Deus, Christus Dominus, & Angeli efficiant vniuersale? Ad primum dico. Deum non posse facere vniuersale, quia ad hoc requiritur cognitio præscissiva, & confusa, ex vtroque capite indigna Deo. Ad secundum dico. Christum Dominum per scientiam naturalem adquisitam, & infusam posse efformare vniuersale, quia talis scientia Christi est eiusdem speciei cum nostra, vt tenet Sanctus Thomas 3. p. q. 9. art. 4. Sed nostra potest facere vniuersale: ergo & Christi; quia vel talis cognitio solum dicit imperfectionem præscissivam, hoc est minus perfectionis, quod in Christo admittitur, vel licet dicat imperfectionem positivam, sicut hæc admittitur in Christo in ratione corporei, & corruptibilis, quales nos sumus, ita in ratione præscissivè cognoscitivi, quales item nos sumus. Idem affirmado Angelis: neque enim nobilior est scientia naturalis Angelorum quam scientia supernaturalis & beata, quæ præscissiva est. Vide Eximium Doctorem lib. 1. de Angelis c. 8. & pro omnibus his nostrum Lince, lib. 8. tract. 6. á num. 28.

SECTIO VI.

AN NATVRA ABSTRACTA ab vnico individuo sit vniversalis?

370. QUæstio videtur supponere posse naturam ita abstrahi ab vnico indiuiduo, vt ab alijs similibus non abstrahatur, de quo supposito postea.

371. Prima sententia affirmat, talem naturam esse vniuersalem. Ita Hurtadus, Spinula d. 5. sect. 6. Eximius Doctor d. 6. metaphysicæ sect. 6. n. 11. Peynadus tract. 2. de vniuersalibus d. 5. sect. 2. n. 25.

372. Secunda sententia negat. Ita communiter Arriaga, Lince, Telles, Oviedo, controversia 4. punct. 7. & alij.

373. Dico primo. Natura abstracta ab vnico tantum indiuiduo non est vniuersalis. Probatur primo Vniuersale debet esse vnum, & plura, sed natura abstracta ab vnico tantum indiuiduo non est plura licet sit vna: ergo nō est vniuersalis. Probatur secundo, talis natura non identificatur cum pluribus nec multiplicatur in inferioribus, tum quia non sunt inferiora, vt supponitur tum quia solum potest identificari cum illo à quo abstracta fuit, tum denique, quia illa natura esset vna intrinsecè: ergo non posset identificari cum pluribus; alias incideremus in sententias Platonis, & Scoti supra impugnatas: ergo.

374. Objic. 1. Natura abstracta ab vnico tantum individuo non est sin-

singularis,quia abstrahitur á singularitate:ergo est vniuersalis.

375. Respondeo,nec esse vniuersalem, quia non est plura, neque esse singularem,quia abstrahitur à singularitate,sed media inter vtramque,& dicitur natura præscissa.

376. Objc. Talis natura haberet aliquam multiplicitatem saltim præscissivam,cum non cognoscatur vt plura:ergo erit vniuersalis.

377. Respondeo,talem præscissivam multiplicitatem non sufficere,sed requiri positiuam multiplicitatem per identitatem cum pluribus, quam non habet talis natura.

378. Obj.3. Saltim virtualiter,& æquivalenter à pluribus abstrahitur illa natura:ergo erit multiplex positivè.

379. Non dubito de antecedenti, nec de consequentia. Sed antecedens est contra suppositum. Supponimus namque;naturam illam ita abstrahi ab vnico indiuiduo,vt nullo modo abstrahatur ab alijs, quo supposito, statuitur præcedens conclusio,

380. Dico secundo. Natura abstracta ab vnico indiuiduo est vniuersalis, casus ita disponitur. Video Petrum,cuius species per intellectum agentem depurata á differentijs indiuidualibus Petri transmittitur ad intellectum possibilem,qui ea adiutus abstrahit, & apprehendit naturam humanam secundum se sine vlla hecseitate completa,& incompleta;hanc abstractionem dico, efficere vniuersale formaliter: ita expresse Spinula supra citatus,& P.Olea d.84.n.5.

381. Probatur primò conclusio. Natura abstracta ab vnico indiuiduo, nempe Petro,& ab hecseitate completa & incompleta,eodem modo habet prædicata essensialia naturę,ac si esset abstracta á mille, quorum comparatio ad abstractionem præcederet, habet enim prædicata *animalis rationalis*, & nil amplius,minus ve, sed si esset abstracta á mille,quorum comparatio formaliter præcederet, esset vniuersalis: ergo etiã abstracta ab vno,non pręcedente formaliter tali comparatione, erit vniuersalis. Probatur consequentia;Ideo præcedente formaliter tali comparatione esset vniuersalis natura,quia esset indifferens, & apta præscissiuè ad plura, ideoque ad plura cõtrahibilis,sed etiam si non pręcedat formaliter talis comparatio, natura abstracta ab vno indiuiduo est indifferens, & apta ad plura pręcissivè, Ideoque etiam ad plura contrahibilis:ergo etiam si non pręcedat formaliter comparatio, erit etiam vniuersalis natura abstracta ab vno indiuiduo. Probatur minor. Ideo natura illa esset indifferens aptaque ad plura pręcissiuè, quia nullam involuit singularitatem aut differentiam,quæ illam determinet ad vnum, & reddat ineptam ad cætera;sed tantum dicit prædicata essentialia,nempe animal rationale;atqui etiam natura abstracta ab vnico indiuiduo nullam involuit singularitatem,aut differentiam,quæ illam determinet ad vnum, & reddat ineptam ad cætera, sed dicit tantum prædicata essentialia animalis rationalis:ergo.

382. Confirmatur. Cum abstraho á mille hominibus naturam humanam per abstractionem nullo modo cognosco mille homines, sed tantum prędicata essentialia naturæ, nempe animal rationale; sed eadem prędicata essentialia,& nil amplius cognosco,nec minus,cum abstraho á Petro naturam: ergo per vtramque abstractionem eodem modo fiet vniuersale. Roboratur: vniuersale abstractum,præcedente formaliter plurium comparatione, est concretum resultans ex abstractione, & animali rationali;sed idem concretum abstractionis,& animalis rationalis datur,etiamsi non præcedat formaliter talis

lis

lis comparatio: ergo & idem vniuersale.

383. Probatur secundo conclusio ratione á priori. Eo ipso quod ab vno individuo abstrahatur natura ab omnibus similibus debet abstrahi: ergo erit á pluribus abstracta,pluribus communis,ac proinde vniuersalis: probatur assumptum evertendo Adversariorum fundamentum. Ideo talis natura non esset præscissa á pluribus,quia non pręcessit ad eius abstractionem comparatio antecedens,per quam plura convenientia in aliqua ratione cognoscerentur;sed sufficiens comparatio plurium præcedit,vel talis comparatio non est simpliciter necessaria ad præscisionem à pluribus;ergo talis natura á pluribus præscinditur;minor continet duas partes.

384. Probatur quoad primam, cum P.Hurtado §. 116. ad talem pręscisionem naturæ humanæ á Petro præcessit cognitio dicens; Petrum esse hominem,quia est animal rationale,in qua causali implicitè cognoscitur, esse hominem, quidquid fuerit animal rationale, ac proinde comparat saltim implicitè omnia indiuidua humana cognoscendo ea esse hominem, quia conveniunt in essentia animalis rationalis;hæc ergo præcedens comparatio sufficiens est, vt fiat ab omnibus abstractio;probatur. Cognitis quatuor hominibus, ratio hominis ab eis abstracta censetur ab omnibus hominibus abstrahi, quia implicitè cognoscuntur, eo quod in eadem ratione hominis conveniant:ergo cognito tantum vno,cum omnes cum eo etiam conveniant, censebitur vtique ab omnibus ratio hominis abstrahi.

385. Confirmatur:propositio identica in materia necessaria v.g. *Homo est animal* habet sensum ęquivalenter vniversalem Ita, *Omnis homo est animal*, quia eo ipso quod aliquid sit de essentia alterius in omni talem essentiam participante debet reperiri:ergo similiter propopositio causalis v.g. *Petrus est homo, quia est animal rationale* habebit sensum æquivalenter vniversalem ita, *Petrus est homo quia est animal rationale, & omne quod fuerit homo, etiam erit animal rationale.* Nam eo ipso quod aliquod prædicatum sit ratio, qua alicui subiecto convenit esse tale, cui convenerit esse tale debet etiam tale prædicatum convenire, sed ad abstractionem naturæ humanæ á Petro præcessit propositio causalis, nempe *Petrus est homo, quia est animal rationale*:ergo præcessit aliqua cognitio saltim implicitè omnes homines attingens,sufficiensque,vt fiat abstractio ab omnibus.

386. Probatur minor, quoad secundam partem:licet talis comparatio antecedens,aut cognitio termini á quo præscisionis regulariter requiratur ad eam,non tamen est simpliciter necessaria neque ratione præscisionis vt sic, neque ratione præscisionis vniuersalis;non ratione præscisionis secundum se, quia qui lumine naturæ cognoscit; Deum esse vnum, & nullo modo cognoscit;esse Trinum, pręscindit vnitatem á Trinitate,quam nullatenus præcognovit; item qui respicit vultum á longe se moventem cognoscit animal, nullo modo cognito termino à quo præscisionis; ergo huius præcognitio non requiritur ex conceptu pręscisionis;non ex conceptu talis pręscisionis, nempe vniuersalis;quia ad hanc solum requiritur,quod supponantur plura,de quibus possit prædicari non tamen quod ea plura supponantur pręviè cognita:ergo etiamsi non præcedat talis comparatio antecedens ad abstractionem,non sequitur;talem naturam non abstrahi á pluribus.

387. Dubitas, quomodo componatur hęc secunda cum prima conclusione? Videtur enim illi opponi. Dico

 vtram

vtramque optimè componi, si calleas suppositum primæ. Supponit enim naturam ita abstrahi ab vnico indiuiduo, vt ab alijs nullatenus abstrahatur, vnde non manet prædicabilis de pluribus, nec apta adhuc præscisiuè ad essendum in pluribus, & consequenter nec vniuersalis, at vero secunda conclusio hoc suppositum destruit, asserens, quod etiamsi abstrahatur ab vnico indiuiduo, hoc est præcedente tantum formali, & explicita cognitione vnius indiuidui Petri v.g. nequit non abstrahi ab omnibus convenientibus simpliciter in ea ratione, ac proinde vi talis abstractionis manet natura prædicabilis de pluribus, apta præscisiuè ad essendum in pluribus, & consequenter vniuersalis formaliter.

383. Dices: ergo abstraheretur illa natura ab vnico indiuiduo, & non abstraheretur ab vnico, patet consequentia. Abstraheretur ab vnico, vt ipse titulus quæstionis declarat, non abstraheretur ab vnico, quia abstraheretur ab omnibus: ergo.

389. Resp. Distinguo: abstraheretur ab vnico, & non abstraheretur ab vnico: eodem modo, nego; diverso modo, concedo: abstraheretur ab vnico, quia vnicum tantum præcesit formaliter, & expresse cognitum, non abstraheretur ab vnico, quia eo ipso quod plura indiuidua conveniant in illa ratione abstracta, ab eis etiam talis ratio censetur abstrahi, siue illa dicantur æquivalenter, & implicite prçcognita, siue non.

390. Obj. 10. Non datur ratio prçcissa vniuersalis sine convenientia plurium; sed cum abstrahitur natura ab vno indiuiduo, non datur convenientia plurium: ergo nec ratio præscissa vniuersalis.

391. Confirmatur: natura Michaelis abstracta ab eo non est vniuersalis, vt suo loco contra Thomistas dicemus; quia est abstracta ab vnico indiuiduo, & quia non datur convenientia plurium: ergo.

392. Resp Distinguo maiorem: sine convenientia obiectiua, concedo; sine convenientia præcognita, subdistinguo, præcognita formaliter, & explicitè nego; æquivalenter, & implicitè, transeat. Solutio constat ex proximè dictis; convenientia plurium obiectiua est fundamentum necessarium ad vniversale, si enim non dantur plura, quomodo vniuersale erit prædicabile de pluribus? Et ideo natura Michaelis ab eo abstracta non est vniuersalis, quia supponitur, esse imposibilia alia indiuidua cum eo in tali natura convenientia, si enim hæc essent possibilia, vniversalis vtique esset natura Michaelis, vnde nego causalem confirmationis quoad primam partem, Cognitio tamen illius convenientię clara, & formalis regulariter requiritur, non vero necessario, de æquivalente & implicita vel affirma, vel nega iuxta dicta.

393. Obj. 2. De illo solum potest prædicari natura, etiam si præscindit à differentijs, cumquo realiter identificatur; sed natura, quæ est in Petro, licet abstrahatur á Petro, realiter solum identificatur cum Petro: ergo solum de Petro poterit prædicari: ergo non est prædicabilis de pluribus.

394. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem notans eius implicantiam. Supponit namque; naturam esse abstractam á Petro, & simul esse in Petro, Dupliciter potest abstrahi natura á Petro, primò ita vt licet abstrahatur á Petreitate, non tamen ab vnitate formali, & ita talis natura non est vniuersalis, & solum identificatur cum Petro, quia á nullo alio præter Petrum potest abstrahi talis vnitas seu hecseitas particularis; secundo ita vt abstrahatur tam á Petreitate quam ab vnitate formali, & hecseitate incompleta; tunc talis natura est vniuersalis identificabilis cum omnibus, & ab omnibus abstracta, nam animal rationale præscissum nec est huius hominis potius quam illius, sed indifferenter se habet ad omnes, nam quod nullius est determinatè, ad omnes indifferenter se habet.

395. Obj. 3. Cum video á longe hominem, & abstraho rationem animalis, eam non abstraho á reliquis hominibus: ergo. Probo antecedens, illam solum rationem abstraho, quam cognosco, illamque solum cognosco, quæ mittit speciem sui; sed solum animal Petri mittit speciem sui: ergo illud cognosco.

396. Resp. Quod si abstractio hęc fiat etiam ab hecceitate incompleta nō solum à Petro, verum ab omnibus fiet. Unde nego antecedens: ad probationem, distinguo maiorem quoad primam partem, illam solum rationem abstraho, quam cognosco, id est, quam præsuppono cognitam vel formaliter, vel æquivalenter, vel explicitè, vel implicitè, concedo; quam presuppono cognitam formaliter, & explicitè necessario, nego; etiam distinguo eius secundam partem; illam solum cognosco, quæ mittit speciem sui, qua mittit vel misit, concedo; quæ mittit hic & nunc necessario, nego; Explico solutionem: ante quam abstraham rationem animalis ab homine á longe se movente, cognosco implicitè, & æquivalenter omnes homines convenire in ratione animalis, cum cognoscam, quod quidquid movetur est animal, habeoque item speciem vniuersalem in intellectu circa hoc, quod motus sit signum animalis, vnde nunc ratione huius speciei particularis, & illius cognitionis æquivalenter vniuersalis abstrahit intellectus animal non solum á Petro, verum ab omnibus, quibus potest convenire, esse vivens sensibile.

397. Replicas: Ergo siquis iudicans, esse imposibilia alia animalia præter Petrum, qui cum eo convenirent in ratione animalis, talem rationem abstraheret, tunc non efficeret vniuersale.

398. Resp. Quod licet signaté iudicaret hoc talis Homo, exercitè cognosceret convenientiam, cum cognosceret; Petrum esse animal, quia est vivens sensibile, & hęc causalis habeat sensum vniuersalem, sicut licet aliquis dicat; Ioanem non esse cognoscibilem, eo ipso implicitè, & exercitè illum cognoscit.

399. Obj. 4. Ideo per nos, cum abstraho rationem animalis â Petro ab omnibus hominibus, & brutis illam abstraho, quia vi talis abstractionis nullo modo cognoscuntur Homo, & brutum neque hecseitates incompletæ huius, vel illius animalis; sed etiam vi talis abstractionis non cognoscitur lapis, aut lignum, neque hecseitates ipsorum incompletæ: ergo etiam â lapide, & ligno abstraho rationem animalis.

400. Resp. Nego maiorem: non eo præcisè, sed quia aliás prędicata abstracta *Vivens, sensibilis* ęquè essentialiter conveniunt Petro, ac reliquis hominibus, & brutis; at vero hęc non conveniunt, sed potius repugnat lapidi, & ligno, vnde ab eis non pręscinditur.

401. Objic. 5. Ergo similiter animal præscissum á Petro, & non ab alijs erit vniuersale, cum similiter æquæ omnibus conveniat; quod est contra primam nostram conclusionem.

402. Resp. Nego consequentiam, & suppositum consequentis, quod in hypotesi primæ conclusionis sint talia indiuidua, quibus possit convenire esse viuens sensibile. Eo ipso quod aliqua supponatur hipotesis, debent vtique supponi omnia ea, quæ in tali hipotesi in voluuntur, sic si supponatur; Petrum nō esse hominem, supponi etiam debet,

hon

non esse animal rationale; eo ipso quod supponatur, rationem viuentis sensibilis abstrahi solum à Petro, debet supponi nullum præter Petrum esse viuens sensibile, ac proinde evidenter infertur; talem rationem non esse vniuersalem, cum non sit communis pluribus, nam si hoc non supponatur, nequiret abstrahi á Petro ratio viuentis sensibilis, quin abstraheretur ab omnibus cōvenientibus cum Petro in tali ratione.

403. Obiic. 6. A nobis circulum committi, quando dicimus, animal á Petro præscissum ab omnibus etiam præscindi, quia aptum est ad omnes præscisivè; cum aliás dicamus aptum esse ad omnes præscisive, quia præscinditur ab omnibus.

404. Resp. Nos dicere; animal esse præscissum ab omnibus, quia est aptum, vt de omnibus prędicetur, & ad omnes est aptum pręscisive, non tamen dicimus, aptum esse ad omnes, quia ab omnibus pręscinditur, licet hoc certum sit, sed quia viuens sensibile v.g. nullam dicit repugnantiam seu, ineptitudinem, cum nullum dicat prædicatum alicui inferiori repugnans, inquo certé nullus circulus committitur.

405. Rogas: An inferiora, á quibus pręscinditur vniuersale, debeant esse realiter distincta? Aliqui ex antiquis affirmabant. Sed vera sententia negat, talem distinctionem vniuersaliter requiri, ita plures apud Lince lib 8. tract. 1. c. 3. Cum distinctione loquar.

406. In prædicatis primę intentionis, hoc est, quę conveniunt rebus indepedenter ab intellectu, requiritur distinctio realis inter inferiora, & multipli itas realis ipsorum prædicatorum vniuersalis. Probatur; Ideo á tribus Diuinis Personis non abstrahitur ratio Dei, quæ vniuersalis sit, quia inferiora non distinguntur realiter in ratione Dei, neque hæc ratio multiplicatur in eis, Ideo enim á tribus attributis entis bonitate, veritate, & vnitate non abstrahitur ratio entis vniuersalis, quia non distinguntur realiter, licet formaliter distinguantur; ergo in prędicatis primæ intentionis, qualia sunt, *Deus*, & ens, ad vniuersale requiritur distinctio realis inferiorum, & multiplicitas realis in ratione abstracta.

407. In prædicatis secundę intentionis, hoc est, quæ conveniunt rebus dependenter ab intellectu, sufficit distinctio formalis ad præcisionem vniversalis; sic ab omnibus attributis Divinis abstrahitur ratio *attributi*, ab animali rationali ratio *formalitatis*; á genere, specie, & differentia ratio *vniuersalis*, quia ratio *attributi, formalitatis, & vniversalis*, sunt prędicata secundæ intentionis, quæ competunt rebus dependenter ab intellectu, nec deficit sufficiens convenientia ad præcisionem simpliciter, quia licet non detur realis distinctio inter ea inferiora, tamen nulla datur disconvenientia in ratione præscindibili, & hoc sufficit ad præscisionem.

SECTIO VII.

AN OBIECTVM ACTVS ABStrahentis sit vna, vel plures naturæ?

408. PRima sententia tenet; obiectum actus abstrahentis esse plures naturas. Ita quot negant præscisiones obiectiuas, Nominales, Okamus, Gabriel, Gregorius, & suppositis obiectiuis, idem tenent Arriaga, Hurtado, Telles, Alphonsus, & Oviedus, controv. 3. punct. 5.

409. Secunda sententia tenet, esse vnam naturam extrinsecè. Ita Eximius Doctor, Ildephonsus de Peñafiel, Isquierdo, Compton. d. 29. sect. 4. Sancta Cruz numer. 525. & alij.

410. Tertia sententia tenet; obiectum vniuersalis esse simul vnum, & plura. Ita aliqui ingeniosi Recentes secuti P. Lince, tract. 1. c. 5.

411. Quarta sententia tenet, nec esse vnum, nec plura positiuè, sed vnum præscisive. Ita etiam alij ingeniosissimi Magistri cum Sancto Thoma postea afferendo secuti Spinulam d. 5. sect. 4. art. 4. Eam Sapientissimè illustrat ingenio, & acumine superiori, quo pollet meus Mag. P. Nicol. de Olea, d. 83. num. 5.

412. Sed vt maiori cum claritate procedam, nota, dissidium inter has quatuor sententias multum habere de nomine, aliquid tamen de re. Primo omnes conveniunt in eo, quod vniuersale sit vnum, & plura, vnum extrinsecè, & plura intrinsecè. Secundo conveniunt in eo, quod actus abstrahens nullo modo cognoscit vnum, aut plura, cum non cognoscat vnitatem, aut pluralitatem, vnde prima sententia non asserit, actum abstrahentem cognoscere plures naturas, solum enim tenet, cognoscere prædicata essentialia animalis, v.g. *Viuens*, scilicet *sensibile*, quæ quidem licet non cognoscantur, vt plura, re tamen plura sunt, idem quoad primam partem affirmat quarta sententia. Secunda sententia tenet; obiectum actus abstrahentis esse vnam naturam extrinsecè, non quia cognoscat illam vt vnam, aliás cum forma talis denominationis sit ipsa abstractio, hæc esset supra se ipsam reflectens, quod negant eius Patroni, sed quia talis actus eam constituit vnam, quod nulla ex tribus sententijs negat. Tertia sententia affirmat; obiectum actus abstrahentis esse simul vnum, & plura, non quia cognoscat vnum, aut plura, nam ab vtroque obiectiuè pręscindit, sed quia ipsum obiectum in se est plura, & constituitur vnum per abstractionem. Quoad secundam partem nulla sententia dubitat, & quoad primam affirmat etiam prima sententia. Quarta sententia asserit; neque esse vnum nec plura, quia nec cognoscitur vt vnum, nec vt plura, hoc vtique affirmant omnes.

415. Nihilominus de re dissidium est pręcipuè inter primam, & quartam sententiam. Nam prima sententia docet, quod licet non cognoscantur explicitè plures naturæ, tamen implicitè sunt plures, vel ratione hęcseitatum incompletarum, á quibus naturę non præscinduntur, vel saltem ratione exigentiæ radicalis, quam quælibet natura abstracta conservat erga propriam differentiam, aut vnitatis formalis, ratione cuius natura abstracta á Petro solum prędicatur de Petro, & non de Paulo, & natura abstracta á Paulo solum prædicatur de Paulo, & non de Petro. Quarta vero sententia affirmat, naturam præscindi etiam ab hęcseitatibus incompletis, & exigentijs radicalibus; vnde natura abstracta non est vna positiuè, quia non cognoscitur vt talis, nec est plures, non solum quia non cognoscitur vt plures, sed etiam quia re ipsa nec implicitè est plures. Inquo certé conveniunt secunda, & quarta sententia, qua propter pro ea citari possunt præcipuè Comptonus, & Suarez Lusitanus, disp. 10. tract. 3. sect. 4. § 2. n. 58.

416. Ex his tamen duabus sententijs, quæ in re conveniunt, quarta eligenda est, vtpotè proprioribus vocibus vtens, quomodo enim potest vnitas dici obiectum actus abstrahentis, cum talis vnitas ab eo non cognoscatur, sed constituatur tantum? Non ergo est vnum obiectum vt obiectum, cum constituatur in esse vnius per ipsum actum, qui reflexivus non est.

417. Nota secundò. Quæstionem procedere suppositis pręscisionibus ob-

obiectiuis,nam si solum daretur præscisio formalis extra dubium esset, obiectum actus abstrahentis esse plures naturas,nam cum actus solum formaliter præscindens non separet naturam obiectiuè á differentijs eam plurificantibus,eam vt plures implicitè attingit.

418. Nota tertio. Vt detur locus quæstioni,etiam supponendum est;ens posse obiectiue præscindi á sua vnitate attributali,si enim hoc non supponitur, certum est obiectum actus abstrahentis esse positive vnam,vel plures naturas,nam cum quælibet ratio abstracta sit ens formaliter , erit consequenter vna formaliter,ac proinde animal præscissum ab homine, & animal pręcissum ab equo suas vnitates formales conservabunt,ratione , quarum formaliter distinguntur,& plurificantur:ergo erunt formaliter plures.

419. Noto quarto.Hic non loqui de qualibet præscissione:Certum namque est;me posse præscindere animal Petri á differentia ipsius , hoc *animal* scilicet ab hoc rationali, & tunc maneret vnum positiuè ratione vnitatis formalis,á qua non præscinditur; sed loqui de pręcisione vniuersalis obiectivi v.g.animalis,queritur ergo : an animal ab omnibus animalibus præscissum sit vna,vel multiplex natura?

420. Nota quintò.Non loquimur de obiecto mediato , & materiali; certum namque est naturam vniuersalem, animal nempe materialiter esse plura per identitatem realem cum pluribus, sicut & rationale,aut irrationale , per identitatem realem cum rationali , vel irrationale;loquimur tamen de obiecto immediato,& formali , & queritur: an sicut animal,quod objicitur menti,neque est formaliter obiective rationale, aut irrationale,sed pręscindens ab vtroque ita natura,quę objicitur actui abstrahenti non sit formaliter vna , aut multiplex positive , sed ab vtroque præscinda?

421. Conclusio. Obiectum actus abstrahentis non est formaliter obiectivè vnum,vel plura positivè, sed solum præscisivè,Hoc est prædicata essentialia nude sumpta. Probatur ex mente Angelici Pręceptoris opusc. 55. & 56. nostram sententiam expræssissimè docentis opusc. 55. ait. *Animal in quantum animal est animal est animal solum, & significat essentiam simplicem , quæ ex se non est vna , ec multa , vnde significat essentiam,quæ nec est vniuersalis nec particularis.* Et postea , *& ideo si quæratur vtrum ista natura possit dici vna,vel plures? Neutrum concedendum est, quia vtrumque est extra intellectum*,hoc est extra pręcissionem,quid clarius? Dubitari ergo nequit de mente Angelici Doctoris.

422 Probatur secundo ratione, quod scilicet non sit vnum positiue, id est obiectum abstractionis , quod cognoscitur ab abstractione; sed ab abstractione non cognoscitur vnum positive: ergo obiectum abstractionis non est vnum positivê. Maior est certa, probatur minor, ab abstractione non cognoscitur vnitas ergo non cognoscitur vnum ; nequit namque cognosci concretum sine forma concreti. Sic nec album sine albedine, nec sine dulcedine dulce cognosci possunt ; sed forma concreti *vnius* est vnitas : ergo vbi hæc non cognoscitur , non cognoscitur vnum. Quod non cognoscatur vnitas. Probatur primo. Si aliqua cognosceretur vnitas vel esset realis intrinseca , vel intrinseca ficta , vel extrinseca intentionalis: non cognoscitur realis intrinseca , quia obiectum non habet realem intrinsecam vnitatem , sed realem intrinsecam multiplicitatem ; non cognoscitur vnitas intrinseca ficta , quia abstractio , vt pote apprehensio nequit fingere , & abstrahentium non est mendacium;

non

non cognoscitur vnitas extrinseca intentionalis , quia hæc est ipsame abstractio, quæ supra se ipsam non reflectit, ergo nulla vnitas cognoscitur. Probatur secundo. Quia , vt suppositum manet , per abstractionem præscinditur natura ab omni vnitate attributali entis : ergo in obiecto pręscissionis non est vnitas , quæ sit forma concreti *vnius* : ergo nec ipsum obiectum est vnum.

423 Probatur conclusio quoad secundam partem , quod scilicet obiectum actus abstrahentis non sint plures naturæ , actus abstrahens non cognoscit ex parte naturæ vllam formam eam plurificantem: ergo eius obiectum non sunt plures naturæ. Probatur antecedens formæ plurificantes naturam *animal* v. g. vel sunt vnitates completæ, seu vnitates individuales , vt *Petreitas, & Pauleitas* , vel differentiæ essentiales *rationalis* , *& irrationalis* , vel hec eitates incompletę *huius* , & illius *animalis*; sed actus abstrahens animal non cognoscit Petreitatem, & Pauleitatem, item nec rationale,aut irrationali , nec hecseitates huius vel illius animalis; ergo nullam formam plurificantem cognoscit. Maior est certa. Minor supponitur in primo , & secundo supponendo , sed breviter quoad tertiam partem in qua aliqua potest esse dubitatio.

424 Probatur. Per vos animal pręscinditur á rationali , & irrationali, & simul á Petreitate, & Paulitate, quia rationale , & irrationale non sunt de essentia animalis , potest enim concipi rationale sine irrationali , & irrationale sine rationali ; & quia Petrus, & Paulus conueniunt in ratione animalis , & á convenientibus simpliciter potest præscindi aliqua ratio ; sed hecseitas huius, & illius animalis non sunt de essentia animalis potest enim animal concipi cum hac hecseitate , sine illa, & cum illa sine hac , & aliunde hæc,& illa hecseitas conveniunt in ratione animalis : ergo ab vtraque pręscinditur ratio animalis: ergo actus præscindens animal non cognoscit hecseitates incompletas.

425 Probatur tercio. Conclusio quoad vtramque partem , natura vniversalis prædicatur de pluribus: ergo nec est vna , nec multiplex positivê. Probatur consequentia ; quod est vnum positivè nequit prædicari de pluribus,nec quod est plura, prædicari de vno;nequit prædicari de pluribus quod est vnum positive , quia iam increatis daretur Misterium Trinitatis,& duplex entitas realiter distincta identificarentur cum vno tertio, quod certè repugnat. Quod est plura nequit prædicari de vno,quia esset vnum , & non esset vnum;esset vnum,vt supponitur; non esset vnum,quia esset idem cum pluribus , & quod est idem cum pluribus,est plura : ergo solum restat , quod talis natura non esset vna , nec plures positivè , sic , cum non sit vna positivè, poterit prædicari de pluribus ; & cum non sit plura positivè , poterit prædicari de vno.

426 Secunda conclusio.Obiectum actus abstrahentis nec est vnum , nec plura radicaliter.Probatur primo.Ideo obiectum abstractionis , licet non maneret plura formaliter , maneret radicaliter plura , quia licet quælibet natura præscinderetur á suá vnitate formali , maneret in eá vnitas radicalis, seu exigentia suæ vnitatis formalis, ratione cuius quod libet ens ad huc pręscissum ab vnitate formali , remanet vnum , & distinctum ab alio , vnde natura Petri , & natura Pauli remanent plures radicaliter , & obiectivè distinctæ; sed in naturá præscissá nullo modo datur talis vnitas radicalis , seu exigentia vnitatis formalis, ergo non est plura radicaliter; probatur : talis

exi-

exigentia vel est prædicatum primæ, vel secundæ intentionis? Si est prædicatum secundæ intentionis proveniens naturæ ab ipsa abstractione, sicut prædicatum *vnius*? Ergo ab ipsa abstractione non cognoscitur, sicut nec cognoscitur vnitas, cum non sit reflexiva, item abstractio solum cognoscit prædicata essentialia, & intrinseca, quæ naturæ realiter obiectivè conveniunt: ergo si talis exigentia naturæ convenit extrinsecè, & per mentem, talis exigentia non cognoscitur ab abstractione: ergo non est illius obiectum.

427 Si est prædicatum primæ intentionis, vt colligitur ex modo loquẽdi Adversariorum cum Iudicent, talem exigentiam, esse intrinsecam, & essentialem naturę? Contra erit primo: prędicatum primæ intentionis datur realiter independenter ab intellectu, vt prædicata viuentis, sensibilis, rationalis, entis, &c. Sed repugnat in natura abstracta ab vnitate formali exigentia talis vnitatis; patet: omnis exigentia eo modo, quo est exigentia, dicit distinctionem inter terminum exigentem, & exactum, sed repugnat distinctio realis, & primo intentionalis inter naturam abstractam, & eius vnitatem formalem, cum realiter identificentur inter se: ergo & exigentia realis primò intentionalis.

428 Confirmatur. Ideo iuxta plures adversarios relatio vniuersalis ad inferiora non est primo intentionaliter talis, sed solum secundo intentionaliter talis, quia argueretur realis distinctio, quæ certè non datur inter naturam, & inferiora; sed non minus relatio est ad aliud, quam exigentia: ergo etiam ex exigentia primò intentionaliter tali argueretur realis distinctio, quæ non datur.

429. Probatur secundo conclusio. Si in natura abstracta daretur exigentia hecseitatis incompletæ, vnitatis scilicet formalis, etiam daretur exigentia hecseitatis completę, Petreitatis scilicet, cum eadem ratio pro vtraque reperiatur; tam enim realiter identificatur animal cum sua vnitate formali, & tam debita perfectio est animali sua vnitas formalis, quam realiter identificatur cum Petreitate, & hæc illi debetur. Tunc sic: Si in natura præscissa darentur exigentiæ differentiarum: ergo & exigentiæ diversæ, nam ex diversitate termino um exigentiarum diuersitas arguitur: ergo talis natura non erit vniversalis. Probatur consequentia: erit analoga; ergo non erit vniuersalis. Probatur antecedens; & pono exemplum in animali. Analogum *Est quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen partim eadem, & partim diversa* en ergo *animal* est nomen commune; sed ratio significata per illud in Petro, & equo est *viuens sensibile*, & vlterius in Petro *exigentia Petreitatis*, & in equo *exigentia equinitatis*, quę quidem exigentię sunt diversæ: ergo ratio significata per nomen erit partim eadem, & partim diversa.

430. Vlterius rogo. Animal præscissum ab homine, quod est in ratione vniuersalissima animalis, vel non repugnat positivè identificari cum bruto, vel repugnat, vel præscindit ab vtroque? Si non repugnat positive? Incidis in sententiam Scoti communiter reprobatam, & á me supra satis impugnatam. Si repugnat? Ergo etiam animal præscissum à bruto repugnat identificari cum homine; ergo iam in animali præscisso erunt diversæ repugnantię analogiam causantes; Si præscindit ab vtroque, à repugnantia scilicet, & non repugnantia positiva? Ergo similiter præscindit ab exigentia, & repugnantia positiva vt identificetur cum hac, vel illa hecseitate incompleta: ergo non habebit formam plurificantem formaliter. Ideoque, nec vna nec multiplex positive.

SVB-

SVBSECTIO I.

ARGVMENTA, QVÆ SIMVL sunt evasiones Adversariorum proponuntur.

431. OBjic. 1. Et simul respondebis ad primam nostram probationem: dum cognoscitur animal, licet non explicite, implicite tamen cognoscitur ens, substantia, &c. ergo cum cognoscitur natura vniversalis licet non explicite implicite tamen cognoscitur pluralitas.

432 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, & paritatem. Ideo cognito animali, expresśe cognoscitur ens, & substantia implicitè, quia ens, & substantia sunt de conceptu essentiali animalis, & nequit res sine suá essentia concipi; at pluralitas non est de essentiá rationis communis abstractæ, quia vt supponimus, vnitas non est de essentiá metaphysicá entis, vnde hoc ab illa præscindi potest: ergo, & natura á suá vnitate formali: ergo cum vnitas formalis sit id ratione cuius res distinguntur, & plurificantur, & hęc non sit de essentiá naturæ, nec pluralitas erit de eius essentiá, vnde nec implicitè erit natura abstracta plures naturę. Insuper, quod cognoscitur implicitè propriè cognoscitur; ergo si ab actu abstrahente cognoscuntur implicitè plures naturæ, plura vt plura propriê, cognoscuntur: ergo per illum non fit vniuersale, sicut non fit per comparationem antecedentem, & per hos actus *omnis Homo, animalia, &c.* quia cognoscuntur plura.

433 Dices, per contractionem, & hos actus cognosci plura vt plura reduplicativè; at per abstractionem cognosci plura, non vt plura reduplicativè, sed plura specificativè, ita tamen confusè, & per modum vnius, vt nullo modo discernat intellectus pluralitatem, nec cognoscat, an natura sit vna vel plures?

434 Resp. Etiam officere actui factivo vniuersalis attingere plura specificativè, nam actus factivus vniuersalis debet extrahere naturam extra plura, quo modo ergo extrahet naturam extra plura actus attingens plura? Item argumentum sibi implicat. Ex vnà parte ait; actum abstrahentem cognoscere plura, & ex alia parte ait; non discernere plura: quomodo enim non discernit, quod reipsa cognoscit? Insuper cognito animali, vel potest intellectus reddere rationem de pluralitate, vel non? Si potest? Ergo discernit pluralitatem; si non potest, non attingit eam ex parte obiecti. Patet consequentia: nam ideo animal nec implicitè est rationale, suppositis præscissionibus obiectivis, quia ex parte obiecti cognito animali nequit intellectus reddere rationem de rationali: ergo.

435 Objic. 2. ad idem respondens. Pluralitas, quæ non inducit disconvenientiam, & diversitatem non est pluralitas, quam discernit intellectus, quæ que actui factivo vniuersalis officit, sed pluralitas proveniens ab hecseitatibus incompletis, vt pote omnino similibus, & homogeneis non inducit diversitatem; ergo.

436 Resp. Nego maiorem: primo. Quia actus repræsentantes animalia omnino similia, vel dicens *omne animal est simile*, non efficiunt vniuersale, & tamen pluralitas, quam attingũt, non includit diversitatem. Secũdo quia pluralitas, quam cognoscit intellectus, est pluralitas, quam discernit intellectus, & quę officit actui factivo vniuersalis, sed pluralitas proveniens ab hecseitatibus, licet non sit diversitas;

tas, est pluralitas, quam propriè cognoscit intellectus: ergo. Tertio, quia in ordine ad intellectum illæ hecseitates faciunt numerum, ergo faciunt pluralitatem in ordine ad intellectum. Probatur antecedens, hecseitates in ordine ad intellectum sunt id, ratione cuius vnum non est aliud seu est distinctum, & divisum ab illo: ergo in ordine ad intellectum faciunt numerum, & consequenter pluralitatem offensivam vniuersalis. Quarto, quia si essent possibilia indiuidua omninò similia, vt tenet Arriaga, ea cognosceret intellectus vt plura; ergo inter res omnino similes pluralitatem cognoscit intellectus. Quinto, quia argumẽtũ est contra suppositum: Supponimus namque naturam præscindi obiectivè ab vnitate formali, seu hecseitate incompleta.

437. Objic.3. Et simul respondebis ad secundam probationem primę conclusionis. Licet vniuersale obiectivum sit plures naturæ, totum vniuersale prædicatur de vnoquoque indiuiduo, non tamen quoad extensivum, sed quoad intensivum.

438. Certum est, in rebus dari intensivum, & extensivum, intensivum sunt prædicata essentialia secundum se, extensivum est id, quod facit numerum, cumque omnis numerus ab vnitatibus proveniat, extensivum qua tale, plures vel saltim aliquas vnitates involuit. Rogo nunc; vel vniuersale salvatur essentialiter in solo intensivo, vel etiam dicit essentialiter extensivum? Si primum? Habeo intentum: ergo obiectum actus abstrahentis solum sunt prædicata essentialia, quin dicat vnitatem, vel pluralitatem positivam. Si secundum? Ergo cum per vos de vnoquoque individuo non prędicetur extensivũ, non prædicabitur vniuersale, nullaque dabitur prędicatio vniuersalis de individuo particulari.

439. Objic.4. et est communis Recentiorum responsio deducta ex Arriaga. Cum dico: *Petrus est homo* v.g. de Petro solum dicitur sua particularis natura, quoad rem prædicatam; at vero quoad modum prædicandi omnes naturę disiunctiue prædicantur. Vnde erit vera prędicatio, & simul vniuersalis, erit vera, quia de Petro sua singularis natura prædicatur in re, erit vniversalis, quia in modo omnes naturæ disiunctiue prædicantur.

440. Confirmatur. Prædicatio, quę fit sub abstractione prævia prædicati singularis, est singularis prędicatio v.g. *Petrus est hic homo*: ergo è contra prædicatio, quæ fit sub abstractione prævia prędicati vniuersalis, erit vniversalis prædicatio v.g *Petrus est homo*: stet ergo iuxta Arriagam, & eius asseclas, vniuersale fieri per actum confusè repræsentantem plura copulatiuè, prædicari vero per actum repræsentantem plura disiunctiue.

441. Contra primo: vniuersale nõ est hęc, vel illa natura disiunctivé, sed omnes naturæ copulatiue: ergo vel non prædicatur in hac propositione: *Petrus est homo* hæc, vel illa natura disiunctivè sed omnes copulatiue, vel prædicatio non erit vniuersalis. Secundo: prædicatio hęc est absoluta: ergo sine vllo fundamento statuitur disiunctiva. Tertio: ergo prædicatio illa non erit vniuersalis; probatur consequentia; prædicatio vniuersalis debet habere prædicatum obiectivum vniuersale, sed si natura, quę prædicatur, est natura disiunctivè, prædicatio illa non habet prædicatum obiectivum vniuersale: ergo: probatur minor: si natura, quę prędicatur est natura disiunctivè, erit plures naturæ, non verò vna, sed plures naturę cognitæ vt plures non est prædicatum obiectivum vniuersale: ergo. Quarto. Eo modo prædicatur natura, quo est prædicabilis, & eo modo

do est prædicabilis, quo prędicatur: ergo si prædicatur disiunctiuè, erit disiunctiuè prędicabilis, & sic costituetur in esse prędicabilis per actum disiunctivum, non vero per copulativum, quod contra vos est, vel si est prædicabilis copulatiuè, copulatiue prędicabitur: patet assumptum, nam omnis actus primus debet habere actum secundum, & omni actui secundo debet correspõdere suus actus primus, sed prędicatio est actus secundus: ergo debet habere actum primum prædicabilitatis, & é contra: ergo prædicatio disiunctiua debet habere prædicabilitatem disiunctivam; & prædicabilitas copulatiua copulatiuam prędicationem.

442. Nec ex eo, quod illa prędicatio fiat pręcedente abstractione vniuersali, est vniuersalis, nam sicut hæc prædicatio, *Petrus est hic homo*, non esset vniuersalis sed particularis, etiam si fieret post abstractionem vniuersalem *homo* nulla alia ratione, nisi quia prædicatur natura singularis, etiam cum prędicetur per vos natura singularis disiunctive, & si præcederet abstractio vniuersalis, talis prędicatio non esset vniuersalis. Vnde licet prędicatio illa fieret præcedente abstractione vniuersali, non tamen substractione, hoc est, perseuerante eadem abstractione, non erit vniuersalis, hinc deducitur solutio confirmationis: non enim ideo præcisè est particularis hæc prædicatio *Petrus est hic homo*, quia præcessit apprehensio termini particularis, sed quia præcessit apprehensio termini particularis, & prędicatio conformatur apprehensione, hoc est, eodem modo particulari, quo apprehenditur, prędicatur; sed per vos in hac prędicatione *Petrus est homo*, licet præcedat apprehensio termini vniuersalis homo, non tamen prædicatur eodem modo, ac apprehenditur, apprehenditur namque copulatiue, & prædicatur disiunctiue; quid ergo mirum, quod prædicatio non sit vniuersalis etiamsi subsequatur apprehensionem termini vniuersalis?

443. Objic.5. Ad idem fere idem; prædicari scilicet totum vniuersale quoad modum confusè prędicandi, quoad rem vero prædicatam prædicari non totum vniuersale, sed propriam, & particularem naturam contentam in illo aggregato, quod sufficit, vt prædicatio ex vna parte sit vniuersalis, & ex alia vera.

444. Hic modus dicendi parum distat ab antecedenti: vnde rogo: vel prædicatio est naturæ disiunctivè, vel naturæ determinatæ, & particularis? Si est naturæ disiunctivè, seu disiunctivo modo? Cum sit idem ac antecedens modus discurrendi, easdem patitur instantias; si sit naturæ determinatæ, & particularis? Contra primo; rogo: prędicatum obiectivum repræsentatũ per prædicatum formale huius propositionis *Petrus est homo*, vel est tota natura vniuersalis, vel aliqua particularis, Petri scilicet? Si est tota natura vniuersalis? cum hæc non conveniat per vos Petro, sed pars tantum illius, propositio erit falsa, sicut hęc *materia est compositum*, quia materia non est totum compositum, sed pars illius. Si est natura particularis Petri? Ergo prædicatio non est vniuersalis.

445. Secundo, & iterum rogo: ad illam prędicationem vel præcessit cognitio determinata naturę Petri, vel non præcessit? Si primum? Ergo sicut, quia ad illam prædicationem præcedit cognitio confusa, & vniversalis naturæ humanę, dicitur vniuersalis, etiam dicetur particularis, quia etiam pręcedere debet cognitio determinata naturæ Petri. Si secundum? Ergo non prędicatur natura determinata, & singularis Petri, patet consequentia: nil potest prædicari determinatè, nisi quod determinatè præcedit cognitum; ergo.

Nec

446 Nec valet dici: quod, licet non præcedat determinatè cognita, prædicatur tamen determinatè ex parte obiecti, quia terminus determinatus, non est, qui significat aliquid determinatum ex parte obiecti, nam etiam terminus disiunctivus v. g. *aliquis homo currit* significat aliquid determinatum, ex parte obiecti, sed terminus, qui significat aliquid determinatè tam ex parte actus, quam ex parte obiecti; ergo si per illam prædicationem *Petrus est homo* non cognoscitur ex parte actus determinata natura Petri, non erit determinata, sed disiunctiva, & consequenter nullo modo vniuersalis; per vos aliunde si cognoscit ex parte actus determinatam naturam Petri, non est vniversalis, cûm non sit confusa, & confundens omnes naturas; ergo.

447 Tertio. Vel prędicari totum vniuersale, quoad modum prædicandi, est propriê, & simpliciter prædicari, vel non? Si primum? Ergo propriè, & simpliciter prędicatur de Petro, non particularis natura, quæ non est vniuersalis, sed omnes naturę, quę vniversale constituunt, quod est contra vos. Si secundum? Ergo reipsa illa non est prædicatio vniuersalis, quia vbi non prædicatur propriê, & simpliciter natura vniuersalis, non datur prædicatio vniuersalis.

448 Objic. 6. De Petro in positá propositione prædicantur omnes naturæ, sed cum hac differentiâ propria ipsius Petri natura prędicatur in recto, reliquæ verò in obliquo; hinc propositio erit vniuersalis, quia prædicatur natura vniuersalis; erit vera, quia licet Petrus non identificetur cum reliquis naturis, sed cum propriâ, ad prædicationem veram sufficit, quod rectum subiecti, & prædicati identificentur.

449. Non dubito de veritate, sed de vniuersalitate; primo, vniuersale constituitur in recto ex omnibus naturis; ergo vt prædicetur vt vniuersale omnes naturę in recto debent prædicari. Secundo, sensus illius propropositionis *Petrus est homo*: hic erit *Petrus est vnus ex hominibus*, vel *Petrus est vnus homo associatus pluribus*. Sed hæc propositiones non prædicant naturam vniuersalem de Petro: ergo modus dicendi propositus destruit prædicationem vniuersalem. Tertio: propositio vbi rectum prædicati est singulare, & si obliquum sit vniuersale, singularis est, vt patet in hac propositione: *Petrus est princeps Romanorum*; sed per vos rectum prædicati in hac propositione *Petrus est homo* est singulare: ergo licet obliquum sit vniuersale, erit prædicatio singularis.

450 Objic. 7. Ex Patre Hurtado: in prædicatione vniuersali prædicari vnam naturam disiunctivè, hanc scilicet, vel illam, vniuersale namque sive extra, sive intra prædicationem per actum disiunctivum constituitur.

451 Contra primo. Hæc, vel illa natura disiunctivè non est vniuersalis, sed omnes confusè cognitæ: ergo si prędicatur hæc, vel illa natura disiunctivê, prædicatio non est vniuersalis. Secundo, actus disiunctivus separat, non vnit obiectum: ergo nec tribuit vnitatem extrinsecam; qualiter ad vniuersale requiritur; sed potiús illud destruit Tertio: ergo si non obstante, quod propositio disiunctionem non sonet, vt sit vera, eam disiunctivam effingis, similiter hæc propositio *equus est rationalis* erit vera, quia, & si conditionem non exprimat, dicam ego; esse conditionalem ita, *si equus esset homo, esset rationalis*. Quarto: disiunctio plura vt plura attingit: ergo nec intra, nec extra prædicationem constituet vniuersale. Quinto: disiunctio plures terminos attingit: ergo non est apprehensio incomplexa, qualis per vos est abstractio vniuersalis constitutiva.

Objic.

452 Objic. 8. Et simul respondebis ad secundam probationem secundæ conclusionis. Natura præscissa non attingit differentias in particulari v. g. *homo* non attingit in particulari *Petreitatem*, *Pauleitatem*, &c, quod officeret vniuocationi, sed exigit differentias in communi, in qua exigentia omnes naturæ conveniunt, vnde ratio significata per nomen, non est partim diversa.

453 Contra primo. Per vos quælibet natura exigit suam vnitatem formalem particularem, ob identitatem quam habet cum ea: ergo ob eamdem entitatem quælibet natura exiget suam differentiã particularem. Secundo: quælibet natura exigit illam differentiam, á qua præscinditur, quacum realiter identificatur: ergo non exigit differentiam in communi, sed differentiam particularem. Tertio: natura abstracta retinet aliquam exigentiam differentiarum: ergo quælibet natura aliquam maiorem exigentiam, seu maiorem procliuitatem habebit respectu suæ propria differentiæ, quam alienę, v.g. natura abstracta á Petro respectu Petreitatis, quam respectu Pauleitatis, & è contra: ergo ratio significata saltim quoad hanc maiorem inclinationem in natura Petri erga Petreitatem, quam Pauleitatem; & in natura Pauli erga Pauleitatem quam erga Petreitatem, erit partim diuersa.

454. Objic. 9. Animal præscinditur á rationali, & irrationali: ergo similiter ab exigentia rationalis, & irrationalis, quia sicut rationale, & irrationale sunt differentiæ animalis, ita exigentia rationalis, & irrationalis sunt etiam differentiæ animalis; non tamen præscinditur ab exigentia vnitatis formalis, quia exigentia huius, vel illius vnitatis non sunt differentiæ animalis.

455. Contra primo: paritas inter animal respectu exigentiarum rationalis, & irrationalis, & ipsum animal respectu exigentiarum huius, & illius vnitatis valida remanet, quidquid sit, an exigentia rationalis, & irrationalis sint differentiæ animalis, non tamen exigentiæ huius & illius vnitatis formalis, primo, quia ideo præscinditur animal ab exigentijs rationalis, & irrationalis, quia hæ exigentiæ sunt extra essentiam animalis; concipitur enim totum animal, nempe viuens sensibile in homine sine exigentia irrationalis, & in bruto sine exigentia rationalis, sed similiter exigentiæ vnitatum formalium sunt extra essentiam metaphysicam animalis, nam totum animal nempe viuens sensibile concipitur in hecseitate *A* sine hecseitate *B*, & è contra: ergo sicut præscinditur animal ab exigentijs rationalis, & irrationalis, ita præscinditur ab exigentijs huius, & illius hecseitatis. Secundo: non minus est superius animal vt sic respectu rationalis, & irrationalis, quam respectu huius, & illius animalis; sicut enim hæc est prædicatio vniuersalis *Rationale est animal*. Ita & hæc *hoc animal est animal* ergo sicut præscinditur animal vt ratio vniuersalis á rationali, & irrationali, ita etiam ab hac, & illa hecseitate.

456. Objic. 10. Ad vniuocationem animalis sufficit, quod in conceptu expresso per talem vocem, nempe *viuens sensibile*, quod solum discernitur per abstractionem, detur omnimoda conuenientia, licet implicitè detur latens diversitas orta ab exigentijs; quod probatur paritate á contrario desumpta: sicut vniuocum requirit omnimodam conuenientiam, sic æquivocum omnimodam disconvenientiam; sed ad æquivocum non requiritur disconvenientia omnimoda in implicito, sed sufficit in explicito, seu expresso per voces, v.g. Canis est nomen æquivocum, & tamen Canis terrestris, & Marinus implicitè conveniunt in ratione *entis, substan-*

 tiæ,

tiæ, animalis irrationalis, &c. ergo ad vnivocum sufficiet etiam omnimoda convenientia in explicito, & expresso per voces, licet in implicito detur aliqualis disconvenientia, sic animal erit nomen vnivocum, licet animal bruti, & animal hominis differant in exigentijs implicitis, cum explicitè conveniant in ratione viuentis sensibilis, quod est explicitum talis vocis.

457. Contra primo ergo licet in conceptu implicito animalis includeretur rationale, aut irrationale animal esset vnivocum, eo quod in conceptu explicito non involvatur, quod suppositis præscisionibus obiectiuis, concedi nequit, nam iuxta præscindentes obiectiue quæcumque implicita disconvenientia convenientiæ omnimodæ ad rationem vniuocam requisitæ officit.

458 Et vt agnoscas disparitatem inter vniuocum, & æquivocum. Nota primo, quod vt aliquis terminus non sit vniuocus, sufficit aliqualis disconvenientia in significato, licet in reliquis omnibus detur convenientia, vt patet in exemplo posito *canis*; ergo licet in animali abstracto ab homine, & bruto, quam plurima prædicata convenientia respiciantur, sufficiet disconvenientia orta ab exigentijs, vt vnivoca non sit. Nota secundo, explicitum per aliquam vocem esse omnia ea prædicata, quæ importantur in definitione rei significatæ per illam, v. g. explicitum huius vocis animal est *viuens sensibile*, item omnia implicita prædicata (suppositis præscissionibus obiectivis) esse prædicata essentialia, quæ implicitè includuntur in definitione sic prędicata entis, substantię, & c. sunt prædicata implicita animalis, á quibus neqnit animal præscindi, vnde infertur; quod si in predicato substantię reperto in homine, & reperto in bruto daretur aliqua diversitas, ratio animalis non esset vniuoca respectu hominis, & bruti, quia diversitas in prædicato implicito refundit diversitatem in prædicata explicita, cum ea essentialiter constituat: nequit ergo dari omnimoda convenientia in significato explicito cum aliquali diversitate in prædicatis implicitis.

459 Ex his constat disparitas inter æquivocum, & vniuocum: optimè enim compatitur omnimoda disconuenientia in explicito alicuius vocis cum implicita conuenientia alicuius prædicati superioris non expressi per vocem, vt patet in exemplo canis, & aliorum ęquivocis, quæ á ferè omnibus doctoribus æquiuoca apellantur, & eius significata omninò diuersa dicuntur, non obstante implicita convenientia. Ad authoritatem: ergo Doctorum debemus recurrere ad hanc locutionem in æquivocis admittendam, sicut & ad contrariam non admittendam in vniuocis; nam etiam iuxta omnes fere Doctores ad vniuoca non sufficit aliqualis convenientia si in significato expresso per vocem aliquali disconvenientia implicita reperiatur, vt videre est in ipsis exemplis quæ ab eis iam inter æquivoca, iam inter vniuoca admittuntur.

460 Ni velis pro nunc dicere; nullum dari terminum purè æquivocum respectu entium, sed omnem esse adminùs analogum, nam saltim in prædicato entis, implicitè significato conceptus obiectivi conveniunt. Vnde tota vis ęquivocorum relucet inter entia, & non entia tantum.

(o)

SVB-

SVBSECTIO. II.

OBIECTIONIBVS DIRECTIS contra primam partem præcipuæ nostræ conclusionis sit satis.

461 OBjic. 1. Obiectum actus abstrahentis *animal* distinguitur ab obiecto actus abstrahent s *Lapidem*, sed nil distinguitur ab alio nisi ratione alicuius vnitatis, qua reddatur vnum: ergo obiectum actus abstrahentis animal est vnum.

462 Confirmatur vniuersale factum á Petro non est vniuersale factum á Paulo: ergo distinctum: ergo vnum.

463 Resp. Distinguo maiorem: distinguitur realiter, concedo; formaliter, subdistinguo; formaliter positiue, nego; formaliter præcisiuè, concedo; hoc est, cum cognosco per abstractionem animal, non cognosco lapidem. Unde exercitè per ipsum actum formaliter præcisiuè distinguitur á lapide, non tamen per talem abstractionem cognosco, animal esse distinctum, vel indistinctum á lapide; aliás per talem actum lapidem etiam cognoscerem, nequit enim cognosci aliquid distingui positivè ab alio, nisi illud aliud, á quo distinguitur, cognoscatur.

464. Si tamen reflexè cognoscatur animal vt sic, vt distinctum a lapide vt sic, non ideo in animali, & lapide vt sic cognoscetur aliqua attributalis vnitas, inclusa in animali, & lapide, sed cognoscentur, prædicata essentialia esse essentialiter diuersa á prædicatis essentialibus lapidis; Hoc est essentiam animalis differre ab essentia rationalis, prędcindendo tamen ab eo, quod tale animal vt sic sit vnum, vel plura animalia; optimè enim præscisio ab vnitate, vel pluralitate animalis compatitur cum cognitione positivæ diuersitatis á lapide. Sic qui cognosceret, naturam Diuinam esse diuersam á natura hominis, potest adhuc non cognoscere, vtrum sit realiter immultiplicabilis, vel realiter multiplicabilis, vt est natura hominis.

465. Ad confirmationem respondetur, vniuersale factum à Petro non solum formaliter, verum realiter non esse vniuersale factum á Paulo ratione præscisionum realiter distinctarum, quę illa vniuersalia constituunt. Si tamen materia talium præscisionum sit eadem non erit diuersum essentialiter, si sit diuersa, erunt etiam vniuersalia essentialiter diuersa ex dictis n. antecedenti.

466. Objic. 2. Uniuersale obiectivum cognoscitur ad instar vnius: ergo est vnum.

467. Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiam. Sic Angelus ad instar iuvenis, Pater Æternus ad instar senis cognoscuntur, quin Angelus sit iuvenis, nec Pater Æternus senis. Dixi *transeat* antecedẽs, quia potest esse verum, vel falsum iuxta varios sensus; si sensus sit comparatiuus, hoc est, facta comparatione ad vnum, sicut Angelus cognoscitur ad instar iuvenis, facta comparatione ad iuvenem, falsus est eius sensus; aliás sicut, cum cognosco Angelum instar iuvenis, iuvenem quocum comparo illum, simul cognosco; ita cum cognoscerem vniuersale instar vnius, vnum deberem cognoscere, quod falsum est, cum vi abstractionis solum cognoscam prędicata essentialia, & nil amplius; si vero sensus sit explicativus ita, sicut cognosco vnum ita cognosco vniuersale obiectivum, hoc est, sicut cum cognosco vnum non obijcitur intellectui pluralitas, ita cũ cognosco animal v. g. non objicitur pluralitas intellectui, verus est sensus propositionis illius.

Objic.

468. Objic. 3. Per abstractionem non cognoscitur pluralitas: ergo cognoscitur carentia pluralitatis; sed vnitas est carentia pluralitatis: ergo cognoscitur vnitas.

469. Resp. Concedo antecedens & nego consequentiam, sicut, cum cognosco animal, non cognosco rationale, & tamen non inde sequitur, me cognoscere carentiam rationalis, aliás ipsum rationale á quo prescindo cognoscerem, cognita namque carentia alicuius termini, & ipse terminus cognosci debet; carentia pluralitatis, quæ datur in vniuersali obiectiuo, non est carentia positiua, sed prescisiua, hoc est, cognitio non attingit pluralitatem in eo, vnde ab ea præscindit, communicat tamen illi vnitatem extrinsecam, quæ est ipsamet cognitio non attingens plura.

470 Objic. 4. Sicut vnitas, & pluralitas sunt formæ constitutivæ *vnius, & plurium* positiuè, ita carentia vnitatis, & pluralitatis sunt formæ constitutivæ non vnius, & non plurium; sed quia non cognoscitur vnitas vel pluralitas per abstractionem obiectum ipsius neque est vnum nec plura positiue: ergo quia non cognoscitur carentia vnitatis, vel carentia pluralitatis per abstractionem, eius obiectum non erit non vnum, & non plura formaliter.

471 Retorqueo per actum præscindentem animal á rationali, & irrationali non attingitur carentia rationalis, & irrationalis: ergo nec attingitur obiectum quod positiuè non est rationale, aut irrationale.

472. Respondeo transeat maior, concedo minorem, & nego suppositum consequentis; quod obiectum actus abstrahentis sit non vnum, & non plura formaliter; aliud est aliquid *non esse vnum, & plura*; & aliud esse *non vnum*, & *non plura*, sicut aliud est; equum non esse rationalem, & aliud, esse non rationalem, quidquid sit an vt cognoscatur nō vnum, & non plura requiratur cognosci carentiam vnitatis, & pluralitatis, & has carentias in his concretis se habere, vt formas, certum est: quod vt vniuersale non cognoscatur, vt vnum, aut plura, non requiritur quod attingatur ex parte obiecti aliqua carentia, sed quod actus repræsentet animal v.g. & non repræsentet vnitatem, vel pluralitatem, & hac de causa dicitur obiectum talis actus neque esse vnum, nec plura positiuè, hoc est, actum terminatum ad animal solum repræsentare viuens sensibile, quin in tali viuenti sensibili attingat vnitatem, & pluralitatem: vnde actus præscindens secum habet annexā aliquam negationem; vnum namque repræsentat, & aliud non repręsentat; ea parte, quia est positivus, positiue repræsentat, & ea parte, qua est negativus, nō repræsentat carentiam illius rei, quam positiuè non repræsentat; alias non esset negativus, sed positivus cum positiue repræsentaret carentiam, sed re ipsa ea parte nihil repræsentat; sic actus præscindens animal á rationali repræsentat animal, & non repræsentat rationale; non verò repræsentat carentiam rationalis.

473. Hoc autem, á quo obiectum præscinditur, dicitur; obiectum non esse formaliter intentionaliter, & præscisiue, sic quia animal prescinditur á rationali, dicitur; non esse formaliter, & præscisiuè rationale. Nunc ad rem nostram: actus abstrahens animal v.g. positiuê repræsentat viuens sensibile, & nihil amplius, non vero repræsentat negationem vnitatis, & pluralitatis, nec vnitatem, & pluralitatem; ideoque obiectum illius dicitur non esse vnum, & plura positiuè. Dicitur tamen vnum præscisiué, non quia per talem actum vnitas prescisiua ex parte obiecti attingatur, (certum namque est; talem vnitatem prescisiuam non attingit,

quia

quia cum forma talis vnitatis sit ipse actus, si eam vnitatem attingeret, supra se reflecteret) vnde obiectum actus abstrahentis nec est vnum præscisiue, sicut nec vnum positiue, quia sicut non attingitur vnitas positiua, nec vnitas præscisiua attingitur; sed quia non attingitur ex parte obiecti pluralitas positiua, & id, quod non est plura positive. communiter vnum prescisiue appellatur.

474. Instas: ergo etiam poterit dici plura prescisiue, quia sicut non attingitur in eo pluralitas præscissiua, ita nec vnitas positiua: cur enim, quod non attingitur vt plura positiuè, erit vnum præscisiuê, & quod non attingitur vt vnum positiuè, non erit plura præscisiuè?

475. Respondeo: posse vtique ob rationem argumenti plura precisiue appellari, non tamen ita appellatur communiter, sed vnum præscissiue, quia vlterius per modum vnius, & non per modum plurium sese offert intellectui vniuersale obiectivum. Ni velis dicere; apellari vnum præscissiue, & non plura, quia sub precissione ita est vniuersale vnum, vt non diuidatur in plura vniuersalia sub eodem nomine, & ratione.

476. Objic. 5. Vniuersale est essentialiter vnum aptum esse, & prædicari de pluribus; sed obiectum actus abstrahentis est vniuersale: ergo & essentialiter vnum.

477 Resp. Distinguo maiorem: vniuersale adæquaté semptum, concedo, inadæquate sumptum, nego, & distinguo minorem: obiectus actus abstrahentis est vniuersale adequatè sumptum, nego; inadequatè, concedo: vniuersale adæquatè resucat ex natura abstractâ, quę dicitur vniuersale obiectivum, & ex abstractione, oqiectum abstractionis non est ipsa abstractio, sed natura abstracta; vnde obiectum illius est vniuersale obiectivum, seu secundum inadæquatum, quod nec est vnum, nec plura, licet cū abstractione vnum vniuersale constituat.

478 Objic. 6. esse precissiuè vnum, est præscindere ab vnitate; sed vniuersale nequit præscindere ab vnitate: ergo nec est præscissiuè vnum. Probatur minor: quod est essentialiter vnum, nequit prescindere ab vnitate, aliàs á sua propria essentiâ prescinderet, sed vniuersale est essentialiter vnū: ergo.

479 Argumentum confundit vniuersale obiectivum, & inadæquatum cum vniuersali formali, & adæquato resultaute ex ipso vniuersali obiectiuo, & ex secunda intentione; vniuersale obiectivum est, quod præscindit ab vnitate, & hoc nullam vnitatem essentialem dicit, cum non inuoluat secundam intentionem; vniuersale verò formale non prescindit ab vnitate, sed vnam vnitatem dicit positiue, & ab alia prescindit. Dicit positiuè vnitatem extrinsecam, qua constituitur essentialiter, præscindit ab vnitate attributali, qua non constituitur essentialiter; sicut homo vt sic obiectiuè talis nequit præscindere ab vnitate essentiali; seu vnitate inter materiam, & formam, licet prescindat ab vnitate attributali non enim repugnat dicere vnam vnitatem, & præscindere ab alia distincta.

480 Objic. 7. animal vt sic non est diuisum in plura animalia: ergo est vnum.

481 Resp. Distinguo antecedens: non est diuisum sumpto ly *non* positiue, nego; sumpto præscisiuê, concedo. Positiuê namquè, & realiter est diuisum implura animalia, præscissiuè tamen, cum in eo nec vnitas, nec pluralitas, nec indiuisio, nec diuisio cognoscantur, dicitur; non esse diuisum præscissiuè.

Objic.

482. Objic. 8. Vnum vniuersale non est realiter diuisum in plura vniuersalia eiusdem nominis, & rationis; ergo est vnum vnitate positiua.

483. Resp. Distinguo antecedens: vnum vniuersale concretiue sumptum, concedo: obiectiue sumptum, nego. Uniuersale ergo adæquatè, & concretiue sumptum est indiuisum realiter in plura vniuersalia, & sic realiter vnum non vnitate attributali naturæ abstractæ, sed vnitate extrinseca abstractionis, sed vniuersale concretiue sumptum non est obiectum actus abstrahentis, vt iam dixi, sed vniuersale obiectivum seu natura abstracta, quæ nec est vna, nec plura, nec diuisa, nec indiuisa, sed ab omni, præter prædicata essentialia, præscindit.

484. Objic. 9. Sanctum Thomam, & Sanctum Agustinum dicentes; obiectum vniuersalis esse vnum.

485. Respondeo: Non fuisse locutos de vnitate intrinseca positiua, sed de vnitate extrinseca præcisiua.

SVBSECTIO III.

ARGVMENTA CONTRA SEcundam partem conclusionis.

486. OBjic. 1. In animali vt sic continentur omnes animalitates inferiorum: ergo & plures naturæ.

487 Resp. Distinguo antecedens: secundum intensivum quod dicunt, concedo, secundum extensivum, nego. Nota: intensivum rei sunt prædicata essentialia illius, extensivum sunt vnitates, vel differentiæ, quæ faciunt numerum, & extensionem; in vniuersali ergo est intentivum omnium animalitatum; non extensivum, hoc est, sunt prædicata essentialia secundum se, non verò vnitates aliquæ.

488 Replicas primo. In ratione præcissâ est animal, quod abstractum fuit ab homine, & quod abstractum fuit ab equo; sed animal abstractum ab homine non est idem, ac animal abstractum ab equo: ergo in ratione præcissâ sunt duo animalia.

489 Resp. Distinguo maiorem: secundum intensivum vtriusque, concedo, secundum extensivum, nego; in ratione præcissa non est animal equi, & animal hominis pro vt sunt animal equi, & animal hominis, sed prout sunt animal prescindens ab vtroque, & dicens tantum prædicata essentialia.

490 Replicas secundo: in animalia vt sic non datur solúm animal hominis: ergo datur etiam animal equi: ergo duplex animal.

491 Resp. Distinguo antecedens: non datur solûm animal hominis secundum intensivum, concedo; secundum extensivum, nego suppositum, quod detur in illo animal hominis; vt daretur namque, *solúm* vel non *solúm* deberet dari in ea ratione animal hominis, quod quidem, vt animal hominis est, nec solúm nec non solúm datur; solúm enim illic datur animal, vnde secundum intensivum illic non solúm animal equi, sed animal hominis datur, hoc est, prædicata essentialia, quæ non solûm de homine, sed etiam de equo verificantur.

492 Replicas tertio. Vniuersale est in homine, & in equo; sed idem animal non est in vtroque: ergo multiplex.

493 Resp. Distinguo minorem: idem animal non est in vtroque secundum intensivum, nego; secundum extensivum, concedo. Eadem namque prædicata essentialiá sunt in veroquè (eadem inquam non positivè, sed præscissiuè) hęc est mens Phylosophi ex Sancto Thomà nobis manifesta lib. 7. metaphysicæ text. 5. hic locutus de animali pro vt est vniuersale ait: *Dicit ergo, quod manifestum est, quod animal est vnum, & idem in homine.* Sed non idem secundum extensivum, & positiuè: ergo idem secundum intensivum, & præscissiuè.

494 Replicas quarto. In naturá præscissâ datur aliquid identificatum cum Petro, nempe natura Petri, & aliquid non identificatum cum Petro, nempe natura Pauli, vel saltem aliquid identificatum cum Petro, & aliquid identificatum cum Paulo: ergo in naturá præscisâ datur aliquid, & aliquid, ac proinde plura.

495 Resp. Nego antecedens, & suppositum, quod in tali natura detur aliquid identificatum, vel non identificatum; illic enim solum datur prędicata essentialia hominis, quin discernatur, an ea sit Petri vel Pauli? Uel an sit Petri, aut non sit Petri? Cum ex se, nec sit potiús Petri, quam Pauli, & è contra, nec neget, esse Petri, nec exigat esse Pauli, nec dicat identitatem, nec distinctionem.

496 Objic. 2. Præcissio terminatur ad omnia alia, á quibus abstrahit rationem animalis: ergo ad plura obiectiuè; probatur antecedens, præscissio terminatur ad id, quod est fundamentum ipsius præscisionis, sed fundamentum ipsius præcissionis sunt plura animalia: ergo.

497 Resp. Distinguo antecedens; terminatur, tamquam ad terminum *à quo* præscisionis, concedo; tamquam ad terminum *qui* præscissionis, nego, & similiter distinguo eius probationē. Certū est, omnia animalia esse terminū *à quo* præsci sionis secundū hecceitates, & vnitates ipsorum, terminum vero *qui* præscissionis esse prędicata essentialia, nempe viuens sensibile: per actum præscindentem solum cognoscitur terminus *qui*; non vero terminus *à quo* præcissionis, vnde solum cognoscitur viuens sensibile, non vero cognoscuntur hecceitates illud plurificantes, item fundamentum præcissionis non debet ab ipsa prescissione cognosci, sed præsupponi cognitum per comparationem antecedentem.

498. Obj 3. Si redderetur impossibile vnum indiuiduum singulare, redderetur impossibilis abstracti: ergo quia omnia indiuidua singularia sunt eius obiectum.

499. Retorqueo. Si redderetur impossibile rationale, redderetur impossibilis abstractio animalis, & tamen rationale non est obiectum actus abstrahentis, ergo similiter.

Resp. Redderetur impossibilis abstractio, intrinsecè, & per locum intrinsecum, nego. Extrinsece, & per locum extrinsecum, concedo. Defficiente namque aliquo indiuiduo, non maneret idem animal præscissum, quod erat etiam de illo indiuiduo prædicabile, vnde nec eadem maneret prędicabilitas. Reddito impossibili animali prescisso, & prescisio illius impossibilis redderetur. Sic reddito impossibili aliquo possibili redderetur impossibilis Omnipotentia, non quia quodlibet singulare possibile sit obiectum totius Omnipotentię, sed quia redderetur impossibilis præcontinentia particularis illius possibilis, ac per consequens redderetur tota virtus productiua possibilium impossibilis, cum iam non esset virtus productiua eorum possibilium, quorum antea erat productiua.

500. Obj. 4. Totum diuisibile componitur ex illis partibus, in quas potest diuidi; sed vniuersale totum est diuisibile in plura: ergo ex illis pluribus componitur, eaque includit.

501. Retorqueo: Ergo etiam componitur ex differentijs, easque includit, cum etiam in differentias diuidatur.

Resp.

502. Resp. Distinguo maiorem: totum actuale concedo, totum potestativum, nego. Totum actuale ex suis partibus constituitur, vt *homo* ex materia, & forma; vnde ex illis componitur; totum potestativum non constituitur ex partibus, sed ab eis participatur, & ab eis pręscindit, vnde extra essentiam illarum est. Item eo modo, quo aliquid est totum continet partes; ergo totum potestativum continebit partes in potestate, non vero actu.

503. Objic. 5. Obiectum actus abstrahentis, vel est formaliter positiue vnum, vel non est formaliter positiue vnum? Non primum: ergo secundum: ergo est formaliter positiue plura, cum illi conveniat positiue non esse vnum. Antecedens patet; quia ea sunt duo prędicata contradictoria, á quibus nequit intellectus pręscindere.

504 Retorqueò. Animal vel est formaliter positiuè rationale, vel non est formaliter positiuè rationale? Non primum: ergo secundum: ergo est formaliter positiuè irrationale, videas tuum argumentum.

505 Resp. Vniuersale non esse formaliter positiue vnum, cum non cognoscatur in eo positiua vnitas, ex eo tamen non infertur; esse formaliter positiue plura; sicut ex eo quod animal non sit formaliter positiuè rationale, non sequitur; esse formaliter positiue irrationale, sed ab vtroque præscindere. Ad probationem nota. Quod licet ex duobus contradictorijs vnum debeat esse necessariò verum inquocumque sensu, potest tamen intellectus neutrum ex contradictorijs cognoscere, & præscindere ab vtroque. Sic Petrus necessario vel est albus, vel non est albus. Paulus vel est senis, vel non est senis, potest tamen intellectus Petrum cognoscere, & Paulum, quin cognoscat, an Petrus sit albus, vel non sit albus; an Paulus sit senis vel non sit senis; & in hoc sensu verum est; intellectum posse á duplici contradictorio præscindere.

506 Replicas. *Vnum, non vnum* positiuè sunt prædicata contradictoria: ergo ab vtroque nequit præscindere natura vniuersalis, sed alterum illi necessario competeret.

507 Retorqueo. *Rationale, non rationale* positiuè sunt prędicata contradictoria ergo animal ab vtroque nequit prçscindere.

508 Resp. Distinguo antecedens: sunt contradictoria in essendo, concedo, in repræsentando, nego; hoc est, vnum ex illis debet competere vniuersali obiectiuo, & sic negativum est verum, nempe vniuersale non esse vnum positiue; non tamen sunt contradictoria in repræsentando, hoc est, potest intellectus neutrum ex eis repræsentare, sed ab vtroque præscindere, non cognoscendo illud esse vnum, vel non vnum, sed solum esse animal rationale v.g. licet in se realiter positiuè sit vnum, vel non vnum necessariò.

509 Objic. 6. in ratione pręscissâ datur conuenientia, & similitudo plurium, sed vbi datur conuenientia, & similitudo datur pluralitas: ergo in ratione præscissá, quæ est abstractionis obiectum, datur pluralitas.

510 Resp. Distinguo maiorem: datur conuenientia, & similitudo in abstracto, concedo; in concreto, nego, & distinguo maiorem; vbi datur conuenientia in abstracto datur pluralitas, nego: vbi datur conuenientia in concreto, concedo: similitudo in abstracto, & conuenientia in abstracto solùm est ratio assimilandi, & ratio conueniendi, inqua quidem ratione secundum se non includitur distinctio, vsque dum reducatur ad concretum cum inferioribus, cum quibus similia constituit. Sic nec relatio vt sic, nec distinctio vt sic dicunt in se distinctionem abstractè sumptæ, vsquedum concretiue sumantur. Ratio est, quia solùm requiritur distinctio, vbi exercetur relationis oppositio; sed hæc non exercetur in ratione assimilandi, & conueniendi, sed solúm inter similia; & conuenientia: ergo solúm similia, & conuenientia requirunt distinctionem. Sic eadem albedo posita diuinitus in duplici subiecto non distingueretur á se ipsa, & tamen vnum album ab alio distingueretur. Item personæ Diuinæ communiter dicuntur similes, licet natura diuina, quæ est ratio assimilandi, sit eadem in tribus Diuinis personis. Sic denique grauissimi Theologi cum Sancto Thomà tenent, naturam *Diuinam* esse principium *quo* in *Diuinis* absque vlla distinctione respectu filij, quia vt est ratio formalis, seu vis, aut fæcunditas principij *quod*, nō importat oppositionem originis, quę solúm datur inter principium *quod*, & terminum, inter quos realis intercedit distinctio. Ita ergo licet similia, & termini conuenientes, inter quos datur relationis oppositio, requirant distinctionem, & pluralitatem, non tamen hæc requiritur in ratione assimilandi, seu conueniendi, præcipuè cúm per pręscissionem, non cognoscatur reduplicatiuè vt similitudo, & ratio conueniendi, non quia eo ipso in ea attingeret distinctionem, sed quia attingeret ipsa extrema similia, & conuenientia saltem confusè.

511. Replicas primo: ratio assimilandi vnum alteri est ratio distinguendi vnum ab altero; sed nequit eadem met ratio distinguendi vnum ab altero in vtroque reperiri: ergo nec potest esse eadem ratio assimilandi in vtroque extremo, sed natura vniuersalis est ratio assimilandi: ergo nequit esse eadem in inferioribus.

512. Respondeo primo: nego maiorem, nam natura Diuina est ratio assimilandi Patrem Filio, & vis producendi in Patre erga Filium, & tamen natura Diuina non est ratio distinguendi Patrem á Filio.

513. Resp. secundo. Distinuguo maiorem: ratio assimilandi in abstracto est ratio distinguendi, nego; in concreto concedo; natura enim vniuersalis est ratio assimilandi in abstracto, & sic non est ratio distinguendi, vsque dum coniungatur cum vnitatibus formalibus, per quas iam est ratio distinguendi, quia imbibit in se distinctionem; at vero in abstracto ab omni vnitate, & distinctione præscindit.

514. Replicas secundo. Per præscissionem non aufertur ratio illa, inqua est conuenientia, cum sit essentia cuiusque animalis: ergo adhuc in ratione præscissa datur conuenientia, ac per cōsequens pluralitas.

515. Resp. Per abstractionem nil auferri intrinsecum, & essentiale naturæ, sed tantum denudari ab hecseitatibus tam completis, quam incompletis se tenentibus ex parte termini *á quo* præscissionis: vnde per prçscissionem non denudatur á ratione conveniendi, sed á convenientia, non á ratione assimilandi, sed á similitudine, conveniētia namque, & similitudo absolutè sumptæ pluralitatem inuoluunt.

516. Replicas tertiò. Natura Petri abstracta á Petreitate non est dissimilis formaliter naturę Pauli abstractę á Paulitate: ergo est similis formaliter: ergo in natura abstracta datur similitudo concretiuè sumpta.

517. Resp. Nego suppositum, quod in natura abstracta detur natura Petri, aut natura Pauli, quæ sint similia, vel dissimilia; solum datur natura humana sine vlla vnitate, ratione cuius potius sit natura Petri, quam natura Pauli, aut è contra.

518. Replicas quarto. Natura illa vel est similis, vel non est similis? Sed

vtrumque arguit distinctionem,& pluralitatem:ergo.

519. Resp. Iterum negando suppositum,quod in natura vniuersali detur natura,quæ possit dici natura Petri,si ergo non datur subiectum quomodo dabitur simile,vel non simile?

520. Obj.7.Natura abstracta remanet formaliter ens, ergo formaliter vna,& consequenter distincta.

521. Argumentum est contra suppositum quæstionis:supponimus namque ; ens posse obiectiuè præscindi ab vnitate formali : ergo licet natura abstracta remaneret formaliter ens , non ideo formaliter vna.

522. Instas primo: natura per se ipsam est vna,& distincta ab omni alio, sicut per se ipsam est ens:ergo si remanet natura formaliter, & vna formaliter debet remanere.

523. Instantia est contra suppositum. Eo enim ipso,quod supponamus, ens posse ab vnitate præscindi, supponimus , naturam non esse per se vnam formaliter,& distinctam,sed illi advenire hoc ab vnitate attributali formaliter superaddita.Nec valet paritas inter esse ens,& esse vnum ; nam ens est essentia cuiusque rei,& sine essentia res nequit esse, esse tamen vnum,non est essentia rei,ac proinde potest aliquid concipi,quin concipiatur vt vnum positiuè,sed de hoc in Metaphysica.

524. Instas secundo.Licet ens non remaneat formaliter vnum abstractum ab vnitate,ad minus nequit non remanere radicaliter vnum:remanet namque distinctum ab omni alio;item cum exigentia,vel capacitate suæ propriæ vnitatis ; sed natura abstracta á Petro remanet formaliter ens: ergo & radicaliter vna.& distincta ab omni alio.Et sic de natura abstracta á Paulo : ergo in obiecto actus præscindentis sunt plures naturæ radicaliter distinctæ.

525. Respondeo, iam supra nos dixisse,in conceptibus realiter identificatis repugnare conceptum exigentiæ, radicis,&c.quia id sunt conceptus primo intentionales , qui distinctionem realem inferunt.

526. Instas tertio ens essentialiter est radix suorum attributorum : ergo nequit á radice vnitatis pręscindi , sed quod est radix vnitatis est radicaliter vnum:ergo quælibet natura abstracta est radicaliter vna.

527. Respondeo negando, in ente reperiri conceptum radicis ob easdem rationes, quas supra negaui in natura conceptum exigentię, & in vniuersali relationem secundum esse; nam hi conceptus sunt primo intentionales, & requirunt realem distinctionem;sic politior Theologia negat, intellectum *Di*vinum posse dici actum primum adhuc formaliter respectu suæ intellectionis essentialis. Nec ad hęc prædicata sufficit formalis distinctio:hęc solum deservire potest ad conferendas aliquas extrinsecas denominationes obiecto v.g. denominationes *cogniti,præscissi,abstracti*, & alias huiusmodi, non ad conferenda prædicata intrinseca obiecto, qualia sunt *radicis,exigentis,principij*,&c.

528. Vel si saluatur conceptus radicis,& exigentię cum sola formali distinctione,respondetur.Quod,sicut cum concipitur animal , non concipitur ex parte obiecti genus formale , quod per ipsum actum præscindentem constituitur,quia ratio generis est denominatio resultãs ex ipsa abstractione, tamquam forma,ita cum abstrahitur ens ab vnitate non concipitur ex parte obiecti conceptus radicis, sed per ipsum actum constituitur ens in esse radicis formaliter talis , cum sit denominatio proveniens ab ipsa abstractione , vt á forma illius.

527. Objic 8.Animal Petri essentialiter exigit Petreitatem , & nimal equi equinitatem: sed in animali vt sic datur

datur animal equi,& animal Petri:ergo & exigentiæ plures. Probatur maior: animal Petri habet capacitatem,& non repugnantiam vt insit Paulo,& similiter animal equi vt insit equo, sed hæc capacitas est exigentia Petreitatis:ergo.

530. Resp. Distinguo maiorem: animal Petri exigit Petreitatem secundum extensivum , & vt tale animal. Concedo.Secundum intensivum, & vt animal est,nego; & similiter distinguo minorem , in animali vt sic datur animal Petri,secundum extensivum sui,& vt tale animal est, concedo ; secundum intensivum,& vt animal est, nego. Ad probationem distinguo maiorem; animal Petri habet capacitatem , & non repugnantiam positivam,secundum extensivum sui,& vt tale animal est,concedo,secundum intensivum , & vt animal est,nego : animal Petri secundum intensivum , & vt animal, ingreditur conceptum animalis vt sic , non vero secundum extensivum , & vt tale animal est,secundum intensivum non dicit positivam non repugnantiam essendi in Petro , sed mere præscissiuam: vnde nullam dicit exigentiam. Solùm secundum extensivum , & vt tale animal est, eam non repugnantiam positivam dicit, & consequenter exigentiam quoad extensivum , cum non ingrediatur conceptum communem, nec officit vniuocationi , nec naturam plurificat.

531 Objic. 9. Vel totum vniuersale fuit præscissum ab homine v. g. vel non ? Si totum fuit præscissum ab homine ? Ergo nil prescissum fuit ab equo. Tunc vltra : orgo totum vniuersalè saluatur in homine. Si non fuit totum ab homine præscissum? Ergo aliquid vniuersalis præscissum fuit ab homine , & aliquid non fuit præscissum, & consequenter dabitur in vniuersali aliquid , & aliquid.

532 Resp: totum vniuersale fuisse præscissum ab homine , sed non totaliter , quia idem etiam præscinditur á bruto , nam sicut prædicatur de homine totum vniuersale , non totaliter, quia etiam totum prędicatur de bruto, ita præscinditur ab homine , non totaliter, quia etiam totum præscinditur â bruto. Sic eadem anima est inqualibet parte hominis , tota non totaliter; & Corpus Christi Domini totum est inqualibet parte Hostiæ consecratæ, non vero totaliter , quia etiam est in alijs partibus simul , vnde abeque totum vniuersale etiam secundum intensivum ipsius præscinditur.

533 Objic. 10. Quidquid verè prædicatur de aliquo, debet esse idem cum eo , sed de Petro vere prędicatur animal,ergo debet esse idem cum Petro , sed etiam prædicatur de Paulo:ergo etiam est idem cum Páulo; sed animal , quod est idem cum Petro , nequit esse idem cum Paulo ; aliàs sequeretur ; Petrum , & Paulum esse idem interse , cum sint idem vni tertio : ergo animal vniuersale , licet non sit vnum, est tamen multiplex.

534 Resp. Concedo primum syllogismum , item minorem , & consequentias subsumptas , & distinguo vltimam minorem ; sed animal,quod est idem cum Petro, nequit esse idem cum Paulo , secundum intensivum animalis , nego ; secundum extensivum,concedo : hoc est , idem animal secundum intensivum , id est secundum prædicata essentialia viuentis sensibilis , est in Petro , & in Paulo ; non tamen secundum extensivum ; seu idem numero animal, nam cum diciturid em *numero*, iam involuitur aliqua vnitas , quæ faciat numerum , Nulla tamen vnitas potest reperiri in vtroque , vt pote ad extensivum animalis pertinens , vnde idem prædicatum , quod intensivum pręcissiuè de Petro , & Paulo dicitur, quatenus in obiectiuo conceptu animalis

lis non discernit intellectus distinctionem vllam, aut hecitatem, ratione cuius animal prædicatum de Petro nequeat prædicari de Paulo. Hinc tamen non infertur, Petrum, & Paulum esse idem interse, darique increatis Mysterium Trinitatis. Tum, quia licet Petrus, & Paulus sint idem tertio, nempe animali, non tamen vni tertio, quia animal non est vnum, sed ab vnitate præscindit: ergo hic non verificatur illud principium *quæ sunt eadem vni tertio*: tum quia animal realiter, & positiuê non est vnum, sed plura in Petro, & Paulo: ergo non sunt idem vnitertio, quod realiter sit vnum, & inmultiplicabile, sicut Pater, & filius Diuinis sunt idem vni tertio, nempe naturæ *Diuinæ* quæ est realiter vna, & eadē in tribus Personis Diuinis. Animal autem ad summū dicitur vnum præscissiuè, ac proinde si vis, dic; Petrum, est Paulum esse idem vni tertio præcissiuè, ex quo nullum sequi potest inconueniens.

535 Replicas primo. Cum dicitur de Petro, esse animal, vel prædicatur de eo aliquid distinctum. Uel aliquid non distinctum abeo? Si primum: ergo prædicatio est falsa. Si secundū: Ergo prædicatio est singularis; item, ergo animal, quod prædicatur de Petro, nequit prædicari de Paulo. Probatur hæc consequentia: animal quod prædicatur de Petro, est quid non distinctum ab eo, sed nihil non distinctum à Petro potest prædicari de Petro; aliás saltem inadæquate Petrus, & Paulus essent idem: ergo.

536. Resp. Cum de Petro dicitur; esse animal, prædicari de eo aliquid non distinctum præscissive, hoc est, cum animal de Petro prędicatur, non concipitur ab intellectu aliqua positiua distinctio illius; non tamen esse indistinctum positiue, hoc est, sicut non concipitur aliqua distinctio positiua, ita nec concipitur aliqua positiua in distinctio, seu identitas inter animal, & Petrum, quod sufficiat, vt propositio dicatur vera, & non dicatur singularis; dicitur vera, quia non affirmat predicatum positiue distinctum; dicitur vniuer alis, quia non affirmat prędicatum positiue indistinctum, sed præscissiuè, ac proinde capax, vt de pluribus prædicetur. Hinc patet ad secundam deductionem solutio: quod prædicatur vt indistinctum positiue de Petro, nequit prędicari de Paulo, quod vero prædicatur vt indistinctum præscissiue de Petro, potest vtique de Paulo, & de omnibus hominibus prędicari, quin inferatur, esse idem positiue interse, vt iam dixi.

537 Scire interest: in prædicatione, siue singulari, siue vniuersali enūtiari identitatem prædicati cum subiecto, & subiecti cum prædicato, cum hac tamen distinctione, quod in prædicatione singulari prædicatur mutua identitas positiua inter prædicatum, & subiectum, ideoque est verum dicere, *Petrus est hic homo, hic homo est Petrus*. In prædicatione vniuersali solùm significatur positiua identitas subiecti cum prædicato, & præscissiua prædicati cum subiecto: vnde licet verum sit dicere: *Petrus est homo*, non tamen è contra *homo est Petrus*: sensus ergo huius propositionis: *Petrus est homo*, ita se habet: *Petrus positiue est idem cum homine, & homo non repugnat esse idem cum Petro*. Quod autem natura vniuersalis non repugnet esse idem cum inferioribus, patet, quia cum nullam vnitatem, hecseitatem, aut distinctionem dicat, non est vnde illi adveniat vlla repugnantia.

538 Replicas secundo. Animal præscissum nec dicit distinctionem positivam cum Petro, nec identitatem positiuam; sed quia non dicit distinctionem positiuam de illo verè affirmatur: ergo

ergo quia non dicit identitatem positiuam de illo, verè negabitur.

539 Resp. Concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; nam vt aliquid de alio vere affirmetur, solum requiritur realis identitas inter vtrumque, quod optimè saluabitur cū distinctione formali; at vero vt aliquid de alio negetur, non sufficit distinctio præscissiua, & formalis, sed requiritur negatio identitatis realis.

540 Replicas tertio. Vt vniuersale prædicetur de inferioribus sufficit identitas realis cum distinctione formali: ergo etiam hæc eadem identitas sufficiet, vt rationale prædicetur de animali, á quo formaliter distinguitur.

541 Resp. Ad quamcumque prędicationem adminus requiri positivam identitatem ex parte subiecti, licet solum sit præscissiua ex parte prædicati, cum prædicatum est vniuersale; hanc positiuam identitatem nō habet animal respectu rationalis, sed solū præcissiuā, vnde rationale nequit de animali prædicari, dici q̄ vere *animal est rationale*. Inferiora tamen quæcumque sint, habent hanc identitatem positiuam respectu rationis superioris, vnde de ipsis prædicari poterit, dici que *Homo est animal*.

542. Obj. 11. Quod non est vnum, & multiplex positiue, nequit identificari cum vno positiue, & pluribus positive, sed vniuersale identificatur cum vno positiue, & cum pluribus positiue: ergo est vnum, & multiplex positiue.

542. Resp. Distinguo maiorem: quod non est vnum, & multiplex positive, & realiter, concedo. Quod non est vnum, & multiplex formaliter per abstractionem; nego: Certum est, nihil existere nisi in singulari, vnde animal, quod identificatur cum Petro, realiter, & positive est vnum animal, & quod identificatur cum Paulo est aliud animal, vnde vniuersale cum contrahitur ad singulare, realiter est singulare. Hoc non impedit, quo minus formaliter, & per mentem tale animal, nec sit vnum, nec plura, sicut animal nequit identificari cum rationale, quin sit realiter rationale; & tamen formaliter, & per mentem dicitur, non esse rationale.

544 Replicas: Ergo licet vniuersale sit vnum positiuè, poterit prædicari formaliter de pluribus, & licet sit plura positiuê, poterit de vno formaliter, & per mentem prædicari.

545. Resp. Nego consequentiam, & paritatem. Quia, quod est vnum intrinsece, & positivè quomodo de pluribus poterit prædicari? Et quod est plura intrinsecé positiue, de vno? Hoc certè ex ipsis terminis implicat; at vero quod neque est vnum, nec plura positiue, cum non repugnet, & ex se habeat potentiam ad vtrumque, poterit iam cum vno, iam cum pluribus identificari.

SECTIO VIII.

VTRVM VNIVERSALE destruatur per contractionem?

546. PRima sententia affirmat ita PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Isquierdo, Alphonso, & ex Thomistis Magister Lince Goudin, & alij apud nostrum Peynadum, quos ipse sequitur. 2. de vniuersalibus. d. 5. sect. 3. §. 1. & 2.

547. Secunda sententia negat. Ita Conimbricenses, Eximius Doctor, Quiroz, Lince, & Thomistæ aliqui cum Ioan. á S. Thom. & Cōpluten. Olea d. 85 num. 5.

584. Sensus, & supposita quæstionis notabili varietate á Doctoribus accipiuntur, aliqui ad exagitandam eam supponunt, propositionem esse simi-

simplicem qualitatem omni reali partium compositione carentem, & in eo sensu inter Recentes exagitari, affirmat citatus Peynadus vbi supra n.31. Alij è contra dicunt,hic supponi; propositionem esse qualitatem compositam, ingredique ad eius compositionem abstractionem antecedentem, vel ad minus alium similem actum; ita aliqui Moderni,quos legi,item aliqui tenent; quæstionem inquirere,vtrum possit in eodem instanti coexistere in intellectu abstractio factiua vniuersalis, & simul contractio; an scilicet posita hac contractione in intellectu *Petrus est homo*, perduret adhuc in eo abstractio illa, qua antecedenter cognita fuit natura sine differētijs,evanescat vè statim? Alij denique censent; sensum quæstionis esse;an intra ipsam contractionem, & prædicationem duret vniuersale,ita vt possit dici vniuersale per prædicationem conservari?

549. Dico primo. Abstractio, & contractio alicuius termini possunt simul coexistere in intellectu. Probatur primo:tales actus non sunt oppositi neque ex modo tendendi affirmatiuo aut negatiuo,vt assensus, & dissensus;alter namque est iudicativus, & alter apprehensivus; nec ex parte obiecti, nam abstratio attingit solum prædicata essentialia; contractio vero prædicata essentialia in aliquo indiuiduo, sed prædicata essentialia secundum se, et prædicata essentialia in aliquo indiuiduo non opponuntur; ergo tales actus nulla tenus opponuntur: ergo possunt coexistere in eodem intellectu.

550 Confirmatur primo. In intellectu simul coexistunt iudicium de aliquo obiecto, & simplex apprehensio de contradictorio talis obiecti, v. g. cum dico: *Ioanes est doctus*, existit apprehensio, qua apprehenditur contradictorium,hoc est: *Ioanes non est doctus*, quia cum intellectus ante elicientiam talis actus sit indifferens ad elicentiam contradictorij, debet simul coexistere dispositio necessaria ad talem elicientiam, quæ est apprehensio simplex talis obiecti contradictorij; si ergo iudicium, & apprehensio de contradictorio ipsi iudicio, possunt simul coexistere, quantó magis contractio naturæ ad aliquod inferius, & abstractio talis naturę ab omni inferiori?

551 Confirmatur secundo. Quando vnus actus præcedit, vt dispositio ad alium non destruitur per positionem termini,ad quem disponit, sed abstractio naturæ ab omni inferiori disponit intellectum ad contractionem ipsius naturæ ad aliquod inferius;ergo per positionem contractionis non destruitur abstractio; ergo simul coexistunt.

552 Hinc infertur; vniuersale non destrui per contractionem, nam per contractionem non destruitur pluralitas vniuersalis, vt per se patet; nec destruitur vnitas extrinseca, quæ in ipsa apprehensione consistit, nec vnitas præscissiua, quia manente eadem apprehensione, qua non cognoscitur pluralitas, eadem vnitas præscissiua manet: ergo totum vniuersale; quo totus quæstionis titulus salvatur.

553 Dico secundo. Adhuc intra prædicationem, & contractionem non destruitur, sed manet vniuersale. Probatur primo conclusio ex Aristotele 7. metaphysicę cap. 13. tex. 41. *Vniuersale est,quod est aptum, vt in pluribus sit*: ergo non destruitur per actum essendi in pluribus: patet consequentia: nulla potentia destruitur per actum, adquem dicit aptitudo, sic possibile non destruitur per existentiam, aptitudo materiæ ad habendam formam non destruitur per actualem informationem, & vniuersaliter nullus actus primus per suum actum secundum; ergo nec aptitudo vniuersalis ad essendum, & prædicandum de pluribus destruitur per actuale esse,& prędicari de pluribus, quod est contractio.

554 Cōfirmatur. Frustranea est potētia irreducibilis ad actū, sed si vniuersale destrueretur per contractionem,eius potentia vt prædicetur de pluribus, esset irreducibilis ad actum: ergo esset frustanea. Maior meo videri est euidens. Adquid enim est potentia,si terminus est impossibilis? Sic impugnamus Scotistas concedentes a parte rei in naturá specificá Petri aptitudinem, vt sit in Paulo: sic talis aptitudo irreducibilis est ad actum: ergo est impossibilis. Minor est certa: nulla potentia reducitur ad actum secundum per id, per quod destruitur, & desinit esse potentia; sed per contractionem, & prædicationem destruitur potentia vniuersalis, vt prædicetur:ergo cum nullus alius sit actus secundus potentię,vt prędicetur vniuersale, quá actualis eius prædicatio,si per hanc destruitur,irreducibilis est ad actum.

555. Probatur secundo: adhuc intra hanc prędicationem: *Petrus est homo* ly *homo* retinet totam essentiam vniversalis:ergo non destruitur vniuersale. Probatur antecedens. Ad huc intra prædicationem ly *homo* est vnum aptum esse,& prædicari de pluribus: ergo ad huc intra prędicationem, *Petrus est homo*,ly *homo* retinet totam essentiam vniuersalis. Probatur antecedens: Ideo homo extra prædicationem est vnum aptum esse, & prædicari de pluribus, quia in conceptu obiectiuo illius nulla datur vnitas,ratione cuius sit ineptus, vt prædicetur de pluribus, sed similiter intra prædicationem nulla concipitur vnitas,ratione cuius sit ineptus, vt de pluribus prædicetur: ergo ad huc intra prædicationem est vnum aptum prædicari de pluribus. Item nulla attingitur pluralitas opposita vnitati pręscissiuæ vniuersalis. Probatur: multiplicitas,quę advenit naturę vniuersali abstractæ vi prędicationis,est multiplicitas subiectiua,& materialis;non verò formalis in ratione hominis v.g.Sed multiplicitas subiectiua, & materialis non opponitur vnitati pręscissiuæ vniuersalis: ergo per contractionem nil ponitur,ratione cuius non maneat vniuersale in esse talis,sicut ante contractionem.

556. Confirmatur primo. Distinctæ sunt hę prædicationes, *Ioannes est homo:homo est animal* ab his *Ioannes est hic homo,homines sunt animalia*. Sed per has vltimas destruitur vniuersale: ergo per primam non destruitur.

557 Confirmatur secundo. In hac prędicatione *homo est animal*: ly *animal* non prędicatur vt æquale, non prędicatur vt inferius; ergo prędicitur vt superius: ergo illic remanet in esse vniuersalis.

558 Nota. Quod licet maneat natura vniuersalis ad huc intra prædicationem, non tamen vi, & efficacia ipsius contractionis; sed abstractionis antecedentis. Aliud enim est, quod non destruatur vniuersale per prædicationem, & aliud, quod per prędicationem conficiatur. Sicut producibilitas rei non destruitur per actualem productionem talis rei, non tamen constituitur per productionem in esse producibilis: item existentia adiectiua, seu esse actuale rei non destruit possibilitatem ipsius, & tamen eam non constituit; vnde sicut esse adiectivum supponit possibile, & productio actualis supponit producibile, ita prædicatio actualis naturæ supponit eam prædicabilem, eam tamen non constituit in esse prędicabilis; eam namquè in esse prędicabilis sola abstractio antecedens constituit, & suppositá hac prędicabilitate, eam prædicat.

559 Et ratio vlterior est: quia non

non destruere vniuersale, solum est non ponere aliquid oppositum ipsi, sed non ponere aliquid oppositum ipsi, nō est efficere illud, sic forma non ponit quid oppositum appetitui materiæ primæ, cum illam actuat; non tamen illum appetitum constituit, sed supponit: ergo etiam si contractio nil ponat oppositum vniuersali, quod actuat, illud non constituit, sed supponit constitutum.

560 Hinc inferes primò. Prædicationem non esse formam constitutiuam vniuersalis, vnde casu, quo sine prævia abstractione diceret intellectus: *Petrus est homo*, ly *homo* non esset vniuersale. Patet: nam cum saltim vulgariter loquēdo, vt dicat intellectus: *Petrus est homo* debeat præcedere homo apprehensus, rogabo: vel ly *Homo*, qui præcedit apprehensus, fuit solū quoad prędicata essentialia nulla cognita differentia formali, vel fuit hic homo singularis? Si primum? Hæc est abstractio, á qua cōstituitus fuit in esse vniuersalis. Si secundum? Ergo nec in prædicatione erit vniuersalis. Idem enim est dicere: *Petrus est homo*, ac *Petrus est hic homo*, vbi nulla datur prędicatio vniuersalis: ergo si est vniuersalis, necessario præcedet abstractio, & si non præcedit, non est vniuersalis: ergo prædicatio non est forma vniuersalitatis.

561. Inferes secundo. Re ipsa nobis non opponi plures ex Aduersarijs, præcipuè omnium acerrimum Alphonsum, recentemque Peynadum, ex quibus, Primus disp. 5. de constitutione vniuersalis sect. 5. n. 54. Fatetur, naturam vt obiectum abstractionis manere vniuersalem; negat tamen, esse vniuersalem, vt obiectum prædicationis; hoc est, prędicationem non constituere illam in esse vniuersalis. Secundus num. 31. Explicans titulum quæstionis ait, *alijs* terminis est inquirere: vtrum iudicium prędicans actualiter de inferioribus naturam antecedenter ab eis præscissam sit forma constituens vniuersalem naturam, quam prædicat? Ergo si in hoc sensu ab eis negatur, nobis re ipsa non opponuntur.

562. Hinc denique inferes: prædicationem nec esse factiuam vniuersalis, nec destructiuam, sed naturam qualem invenit, talem relinquit, si invenit vniuersalem, eo quod præcesserit abstractio, relinquit vniuersalem; si particularem invenit, eo quod abstractio non præcedat, vtique & particularem relinquit.

SVBSECTIO UNICA.

OBIECTIONES SOLVUNTUR.

563. OBjic. 1. Contra primam conclusionem. Abstractio & contractio opponuntur: ergo nequeunt simul coexistere. Probatur antecedens: abstractio est separatio vnius rei ab alia, contractio est coniunctio talis rei cum alia, sed separatio, & coniunctio opponuntur: ergo.

564. Resp. Distinguo antecedens: abstractio & cōtractio opponuntur simul in eodem intellectu, nego, simul in eodem actu respectu eiusdem termini *qui* & *a quo*, concedo: Solutionem explico. Abstractio, & contractio non opponuntur, licet distinguantur, vt constat ex nostris probationibus, sicut enim iuxta aliquos, & si non repugnent, coadunari in eodem intellectu respectu eiusdem obiecti plures actus, ex quibus vnus sit scientię, alter fidei, & alter opinionis; repugnat tamen coadunari in eodem actu, ita vt idem actus sit simul scientiæ, fidei, & opinionis; ita nos dicimus, in eodem intellectu posse simul coexistere abstractionem, & contractionem eiusdem termini, non tamen coad-

coadunari ad eumdem actum, ita vt idemmet actus sit simul abstractio, & contractio eiusdem termini, qui abstrahitur ab eodem termino, á quo abstrahitur. Sic idemmet actus nequit animal abstrahere á rationali, & contrahere ad illud, nam cum abstractio nil aliud sit, quam cognoscere vnum sine alio, & contractio cognoscere vnum cum alio, implicat per eumdem actum cognosci vnum sine alio, & cognosci vnum cum alio; non tamen repugnat, quod intellectus vi vnius actus cognoscat vnum, & non aliud, & quod vi alterius vnu & aliud cognoscat, ex quo solum sequitur, vnū actum esse inadæquatum, alterum verò adequatum obiecto.

565 Objic. secundo contra secundam conclusionem: hic actus: *Petrus est hic homo*, destruit vniuersale: ergo, & hic: *Petrus est homo*; probatur consequentia. Ideo primus actus destruit vniuersale, quia illud cum aliqua differentia coniungit, sed secundus cum eadem differentiā illud coniungit, idem namque prædicat vterque: ergo.

566 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens. Ideo destruit vniuersale, quia illud coniungit cum aliqua differentia formali, concedo; materiali, nego. Solutionem explico: datur duplex differentia materialis, & formalis; differentia, materialis est vltima rei indiuiduatio, nempe *Petreitas*, *Pauleitas*, *&c.* Quæ materiales dicuntur, quia supponunt totam essentiam metaphysicam hominis constitutam. Differentiæ formales sunt, vel *rationale*, aut *irrationale*, vel etiam hecseitates incompletæ, quæ etiam differentiæ formales possunt apellari, quæ non supponunt essentiam hominis constitutam metaphysicè, & ipsum animal in ratione animalis plurificant. Pluralitas adueniens animali ratione differentiarum materialium est pluralitas subiectiua, aut terminatiua, quæ vniuersalitati non officit; potest enim concipi totum animal secundum intensiuum in Petro, in Paulo, & reliquis indiuiduis, quin multiplicetur animal in ratione animalis, ac proinde quin destruatur, eius vnitas, ad modumque (liceat parva componere magnis) natura Diuina tota communicatur tribus Diuinis Personis, quin ipsa natura multiplicetur, & vniuersale Platonicum idem intrinsece tale pluribus indiuiduis communicaretur.

567 Pluralitas vero formalis ratione hecseitatum vniuersale destruit, siquidem multiplicat ipsum animal in esse animalis, vnde hoc animal non est positiuè illud animal ratione illius hecseitatis, aut vnitatis formalis; cùm ergo illi apponitur ly *hoc*, iam non manet commune pluribus, & ly *hoc* ablato, commune manet, sic non est verum dicere: *Petrus est hoc animal*, & *Paulus est hoc animal*. Si de eodem loquamur, verum tamen est: *Petrus est animal*: & *Paulus est animal* etiam si de eodem præscissiuè loquamur: ergo quid mirum, quod hæc propositio *Petrus est hoc animal* destruat vniuersale ratione illius hecseitatis additæ, & quod hæc: *Petrus est animal*, illud non destruat, sed conseruet?

568 Nota pro prima conclusione ly *hoc* destruere vniuersale intra prædicationem, non verò extra prædicationem: hoc est, licet ab illa propositionē cognoscatur determinatum animal non impedit quominus aliás detur in intellectu cognitio animalis vi abstractionis, quin vllius hecseitas attingatur.

569 Objic. 3. Uniuersale vt tale constituitur per priuationem differentiarum, sed per prædicationem adueniunt differentiæ; ergo per prædicatio-

nem destruitur vniuersale. Patet consequentia: nam adueniente formá destruitur eius priuatio; ergo adueniente differentiá destruitur priuatio differentiarum, ac proinde ipsum vniuersale ex tali priuatione constitutum.

570 Resp. Vniuersale ante contractionem duas priuationes dicere, non positiuas, sed præscissiuas, & priuationem differentiarum materialium, & priuationem differentiarum formalium, hoc est cognoscitur sine Petreitate, Pauleitate, &c. Et etiam cognoscitur sine hac, vel illa hecseitate, prima privatio scilicet differentiarum materialium non est de essentia vniuersalis. Unde, & si hæc per contractionem deficiat, non destruitur vniuersale, secunda privatio est de essentia vniuersalis, ideoque ha deficiente per hanc prædicationem, v.g. *Petrus est hoc animal: Paulus est illud animal*, destrueretur vniuersale intra prædicationem, ratio iam supra dicta manet: nam ratione differentiarum materialium non plurificatur animal in ratione animalis, ratione verò differentiarum formalium multiplicatur, & diuiditur.

571. Replicas. Maior est in esse differentiæ differentia materialis, quam formalis; nam illa facit, vnum Hominem non esse sicut alius; hæc vero solum facit, vnum hominem non esse alium; si ergo maior differentia non officit vniuersalitati, cur minor officiet?

572. Resp. In ordine ad destructionem vniuersalis maiorem esse differentiam formalem, quam materialem, licet vniuersaliter hęc sit maior illa ob rationem argumenti; & ratio est, quia ex differentia materiali non plurificatur vniuersale, & ex differentia formali plurificatur positiuè, sic á differentijs personarum, quibus communicatur, nō multiplicatur natura Diuina, ita vt addita personalitate filij non plurificatur natura, quæ est in Patre, & Spiritu Sancto, & si addæretur naturæ Patris aliqua hecseitas distincta in Filio, multiplicaretur natura.

573. Objic. 4. Angelicum Doctorem opusc. 56. paulò ante medium dicentem; *homo qui prædicatur de Sorte, idem est quod Sortes; & qui prædicatur de Platone, idem est quod Plato, cum prædicatum insit subiecto*; sic arguis: homo, qui est idem, quod Plato, non est vniuersalis; si quidem non est communis pluribus, sed homo, qui per contractionem prædicatur de Platone iuxta Angelicum Doctorem, idem est, quod Plato; ergo non est vniuersalis.

574. Confirmatur primo: per actum, quo homo fit idem cum aliquo inferiori, destruitur eius aptitudo ad alia inferiora, sed per prædicationem homo fit idem cum Platone: ergo per prædicationem destruitur eius aptitudo.

575. Confirmatur secundo: hic actus: *Plato est homo*, attingit ex parte obiecti naturam, quam prædicat de Platone, sed naturā, quam prædicat de Platone, nō est vniuersalis, ergo non attingit vniuersale ex parte obiecti.

576. Admitto Authoritatem Diui Thomę, & ad argumentum ex ea deductum, distinguo maiorem; homo, qui est idem, quod Plato, non est vniuersalis: si sint idem positiuè, tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati, concedo. Si sit idem positiuè ex parte subiecti, & solum præcisiuè ex parte prædicati, nego, & similiter distinguo minorem, homo, qui prædicatur de Platone, est idem, quod Plato; est idem identitate positiua ex parte Platonis, & præscissiuá tantum ex parte hominis, concedo; identitate positiua mutua, nego. De hac identitate iam supra locuti sumus. Plato est idem cum homine, qui de ipso prędicatur identitate positiua; valet enim: *Est Plato, ergo homo*, homo verò, qui prędicatur de Platone, est solum præscisivè idem cum eo, hoc est, non dicit repugnantiam, vt cum eo identificetur, & cum omni alio, qui fuerit eiusdem speciei; hæc autem non repugnantia est aptitudo vniuersalis ad omnes; hinc est, quod per prędicationē nō destruatur eius vniuersalitas, non enim valet: *Est homo, ergo est Plato*: ergo non datur mutua positiua identitas.

577. Hinc ad primam confirmationem respondetur; per actum, per quem homo fit idem identitate positiva mutua cum alio inferiori, destrui vniuersale, sicut per hunc actum destrueretur: *Plato est hic homo*; nam inter Platonem, & hunc hominem poneretur mutua positiva identitas; valeret enim: *Est Plato, ergo hic homo: est hic homo, ergo est Plato*, non vero per actum, quo poneret intellectus identitatem positivam ex parte subiecti, & præscisiuam ex parte prædicati, vt se habet hic; *Plato est homo*.

578. Ad secundam confirmationem concede maiorem, & nega minorem: nam natura, quam intellectus prædicat de Platone per illum actum: *Plato est homo*, est animal rationale, quod vniuersale est & aptum ad omnes homines.

579. Obj. 5. Per hanc prædicationem *Omnis homo est animal* attingitur obiectivê identitas animalis cum pluribus: ergo attingitur pluralitas animalis.

580. Resp. Distinguo antecedens: attingitur identitas animalis positiva, nego; præscisiva, concedo: etiam distinguo consequens: ergo attingitur pluralitas materialis, & terminativa, concedo; formalis, & in ratione animalis, nego.

581. Objic. 6. Intellectus optimè scit, in creatis repugnare Misterium Trinitatis, ac proinde animal Petri non esse animal Pauli: ergo cum prædicat de Petro, & de Paulo esse animal, distincta prædicat animalia.

582. Retorqueo: ergo nec de eis præscindit idem Animal.

583. Resp. Quod licet aliàs certè sciat intellectus; non esse realiter idem animal Petri, ac animal Pauli, vi tamen abstractionis, & prædicationis hoc non discernit, cum solum discernat, quod cognoscit, & solum cognoscat viuens sensibile, & nil amplius.

584. Objic. 7. Vniuersale est status separationis; sed status separationis destruitur per coniunctionem: ergo & vniuersale per contractionem, quæ est coniunctio.

585. Confirmatur: status purę possibilitatis destruitur per actualitatem: ergo & status separationis per coniunctionem.

586. Resp. Distinguo maiorem. Vniuersale est status separationis à differentijs formalibus, & hecseitatibus illud plurificantibus, concedo; á differentijs materialibus illud non plurificantibus, nego.

587. Ad confirmationem Dico: Vniuersale non esse comparandum cū pūrê possibili; sed cum possibili, & sicut hoc non destruitur, sed potius perficitur per actualitatem, sic vniuersale non destruitur, sed perficitur per prædicationem. Purè possibile, & purè vniversale comparanda sunt; & sicut purê possibile per actualitatem destruitur, sic purê vniuersale per contractionem, nam per contractionem non est purè vniuersale, sed iam est ad exercitium redactum.

588. Obj. 8. In hac prædicatione: *Petrus est homo* ly *homo* non prędicatur vt vnum aptum prædicari de pluribus: ergo non prędicatur vt vniuersalis. Probatur antecens. Id non se habet vt prædicabile de pluribus formaliter, quod de pluribus non prædicatur, sed solum homo in hac prædicatione non prędicatur de pluribus: ergo.

589 Resp. Nego antecedens, ad pro-

probationem distinguo maiorem: id sehabet vt prædicabile, &c. In actu exercito totius suæ prædicetionis, concedo; in potentiá, & aptitudine ex modo prædicandi, nego; sic omnipotentia cum producit aliquam creaturam in particulari, formicam v.g. licet in actu exercito non exerceat totam, & adequatam vim, non tamen infertur, non producere formicam, vt omnipotentia, quia ad hoc sufficit, vt ita illam producat, quod possit simul simultate potentię omnes creaturas producere. Ita licet, cum prædicatur homo de aliquo inferiori, non exerceat totam suam pręedicabilitatem, prædicatur vt vniuersalis, quia potest de omnibus alijs pręedicari.

590 Objic. 9. Si intellectus non præscinderet vniuersale á differentijs materialibus, animal v.g. á Petro, & Paulo, non efficeret vniuersale: ergo requiritur necessariò præscissio á talibus differentijs; sed per contractionem tales differentiæ attinguntur; ergo & vniuersale destruitur.

591 Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo requiritur ea pręscissio immediatè, formaliter, & ratione sui, nego: mediatè, & ratione alterius; concedo. Explico solutionem: animal potest pręscindi primo à differentijs materialibus tantúm, v.g. á Petreitate, & Paulitate, quin præscindatur á differentijs formaliter diuersificantibus, nempe á rationali, & irrationali: secundo etiam ab his differentijs, non tamen ab vnitatibus formalibus, seu hecseitatibus, quæ & si non diuersificent, plurificant illud: non tamen potest præscindi ab hecseitate, quin pręscindatur etiam à differentiá diuersificante, & á differentiá materiali; & ratio est, quia hecseitas est gradus superior, & á gradu superiori nequit abstrahi res, nisi atiam abstrahatur ab inferiori. Cum ergo ad vniuersale requiratur immediate, & formaliter præscissio ab hecseitatibus plurificantibus, & hæc nequeat dari sine præscissione á differentijs materialibus, hæc præscissio requiritur mediatè non ratione sui, sed ratione præscissionis ab hecseitate, cum autem in contractione maneat vi abstractionis antecedentis natura præscissa ab hecseitate, licet ad differentias materiales contrahatur, manet in esse vniuersalis, licet non constituatur in esse talis ab ipsá contractione, & hæc potest esse alia ratio, quare nequeat vniuersale fieri per contractionem, licet per eam non destruatur.

592 Objic. 10. Continuum est diuisibile, & destruitur per diuisionem per quam in plura partitur; v.g. Si manus diuidatur in partes, non manet manus: ergo similiter vniuersale diuisibile, dum diuiditur in inferiora, destruetur.

593 Resp. Assignando disparitatem inter continuum, & vniuersale: continuum est totum actuale actualiter partes continens: vnde per quamcumque diuisionem tollitur illi aliquod prædicatum essentiale, nempe vnio continuatiua partium, quę diuiduntur; at verò vniuersalê est totum potestiuum participabile à pluribus, vnde ipsum non partitur formaliter, cum participatur ab vno indiuiduo, sed vlteriús totum manet participabile ab alio. Comparandum ergo est vniuersale cum natura *Diuina*, quæ á pluribus participatur, quin ipsa multiplicetur, sed sicut tota á Patre, tota á filio, tota ab spiritu Sancto participatur, sic tota natura vniuersalis secundum intẽsiuum ipsius prædicatur de Petro tota, de Paulo tota, quin multiplicetur in esse talis; natura autem vniuersalis comparanda est cum continuo in disibilitate formali; nam sicut continuum destrueretur per diuisionem partium,

tium, sic vniuersale per vnitates formales, quibus diceretur; *Petrus est hic homo*: *Paulus est iste homo*, *& c.*

594 Objc. 11. Hic syllogismus non valet: *Petrus est homo*, *Paulus est homo*, ergo *Petrus est Paulus*: ergo quia non est idem vniuersale homo, qui prædicatur de Petro, & qui prædicatur de Paulo; aliás, si esset idem, cum Petrus, & Paulus essent idem vni tertio, consequenter essent idem interse.

595 Sectione antecedenti hanc difficultati satisfeci dicens; vt duo sint idem interse, non sufficere, quod sint idem vni tertio præscissiuè, quale est vniuersale, sed requiri, quod tale tertium sit vnum positiue, quale non est vniuersale.

596 Objic. 12. Ex ingeniosissimo Neoterico. Si uniuersale non destrueretur per contractionem, fieret per comparationem anteccedentem: ergo destruitur per contractionem, probatur sequela. Ideo non destruitur per contractionem, nec destruitur eius vnitas, quia & si attingatur pluralitas, & differentię ex parte subiecti, tamen hæc non attingitur ex parte prædicati, sed solùm prædicata essentialia animalis v.g. ex se indifferentia ad omnia inferiora, sed per comparationem antecedentem idem euenit: ergo si vniuersale non destrueretur per contractionem, fieret per comparationem antecedentem. Probatur minor. En actus comparationis antecedentis: *Petrus, & Paulus sunt similes in natura*: en actus comparationis subsequentis, compositæ, seu contractionis: *Petrus, & Paulus sunt homo*: sicut enim in hoc, Petrus, Paulus se habent ex parte subiecti, & ex parte prædicati solum se habet homo, ita & in illo similiter, Petrus, & Paulus se habent ex parte subiecti, & natura humana ex parte prædicati: ergo

597 Resp. hunc actum: *Petrus, & Paulus sunt similes in natura*, non esse vt cumque comparationis antecedentis, sed ita vt ex parte ipsius naturę cõcipiantur hecseitates, & differentiæ eam plurificantes, nam cum, comparatio antecedens non sit præscissiua concipit Petrum, & suam naturam similem Paulo, & naturę Pauli, vnde ipsas naturas similes inter se concipit: ergo non solum ex parte subiectorum, sed etiam ex parte prædicati pluralitatem concipit. Non sic comparatio subsequens; nam hæc naturam predicat eo modo, quo præcedit in apprehensione cognita; si verò ille actus: *Petrus, & Paulus sunt similes in natura*, solum attingit naturam humanam secundum se, & ex parte prædicati, non erit actus comparationis antecedentis, sed subsequentis conseruatiuę vniuersalis ab astractione præscissæ, & constitutæ in esse talis, quod propositioni illi non repugnat; nam sicut concipimus, & reipsa euenit, Patrem æternum, & filium Diuinum similes in natura, quin ipsa natura multiplicetur in esse naturæ, & sicut casu quo eadem albedo diuinitus in duplici subiecto poneretur, duplex illud subiectum esset simile in albedine, quin plurificetur albedo, ita possent Petrus, & Paulus concipi similes in natura abstracta, quin vnitas ab abstractione illi communicata destrueretur.

TRACTATVS IV.

DE PRÆDICAILBIBVS

MAlcus cognomento Porphyrius Platonicus Philoſophus nobilis ingenio, veræ Christianæ religionis apoſtata, vt diſcipulum quendam ſibi oculiſsimum inſtrueret, tractatum inſtituit, quem Iſagogen de prędicabilibus appellavit. Hunc, poſtquam de vniuerſali, ſeu prædicabili in communi egi, iam vobis proponere licet. Quinque prædicabilia á Porphyrio annumerantur, *Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens*, de quibus ſingillatim per quinque diſputationes agemus. Deinde eis, quæ ad omnia in communi pertinent, acturi.

DISPUTATIO I.

DE GENERE.

1. GEnus varie accipitur. Nunc prout ad logicam pertinet, pro quodam particulari vniuerſali, ſeu prędicabili ſumitur.

SECTIO I.

QVID SIT GENVS?

2. NOta primò. Prædicari aliquid in *quid* de alio, eſſe prædicari, vel vt totum, vel vt partem eſſentię illius; quę quidem eſſentia *Quidditas* rei appellatur, fortaſſe, quia cum ab aliquo rogatur: quid eſt hoc? Reſpondere tenemur per prædicata eſſentialia rei; v. g. Si rogatur. Quid eſt homo? Reſpondimus. Animal rationale. Prædicari in *quale* eſt prędicari per modum alteri adjacentis, vel determinantis ad aliquid componendum. Quod communiter per nomē adiectivum explicari ſolet. Nam ita etiam reſpondetur, cum rogatur per *quale*, v.g. Qualis eſt homo? Reſpondebimus: Eſt Nobilis, vel Plebeius, &c.

3. Nota ſecundò. Prædicari in *quid*, & prędicari in *quale*, non ſe excludere eſſentialiter, ſed potius ſępe coadunari, quando ſcilicet aliquid prædicatur per modum formę alteri adiacentis, & ſimul vt pars eſſentialis illius, de qua prædicatur, opponitur tamen prædicari in *quid* puré, & prædicari in *quale* pure.

4. Nota tertiò. Idem eſſe, duo differre notabiliter, ac differre eſſentialiter, ſeu ſpecifice; eam tamen vocari notabilem differentiam, quę apud prudentium ex'ſtimationem talis iudicatur vt ingreſſa ad rei primariam conſtitutionem, eam diverſam faciat ab alia re. Hæc autem notabilis differentia ponitur inter Hominem, & Brutum; non vero inter homines inter ſe, quia licet ſæpe plus videatur diſtare hominem ſumme ignarum (qualis fuit ille filius Quarti Metelli, de quo Scipionem dixiſſe, refertur; ſi Quintum pareret Mater eius, aſinum fore parituram) ab homine Sapientiſsimo (qualis fuit Salomon, aut *D.* Auguſt.) quam à Bruto Elephante v.g. qui plura diſcit, vel Cane, qui Callide ſępe plura ratione ductus, videtur diſponere, tamen prudentum exiſtimatio inter Quintum ſtupidum, & Canem poni diverſitatem ſpecificam; non vero inter Quintum, & Auguſtinum.

5. His prænotatis ex mente Porphyrij hanc generis definitionem cōficio. *Genus eſt prædicabile in quid pure de differentibus notabiliter.* Explicatur: *ly prædicabile.* Eſt ratio communis, per quam convenit genus cum reliquis prędicabilibus. Per *ly in quid*; differt ab accidenti, & proprio, quæ prædicantur in *quale*. Per ly *pure* differt á differentia, quæ & ſi prædicetur in *quid*, non pure, nan etiam prædicatur in *quale*. Et licet à nemine addatur ly *pure*, eo quod iudicent ſatis differre differentiam á genere per *quale* poſitum in definitione differentię, ego neceſſarium illud additamētum iudico, nam licet differentia ſufficienter differat á genere per *quale* additum in ſua propria definitione, genus tamen non differt ſufficienter á differentia, niſi addatur ly *pure* in ſua definitione. Nam totum hoc, quod eſt eſſe prædicabile in quid de pluribus differentibus notabiliter convenit differentiæ ſubalternæ. Per ly *differentibus notabiliter*, differt genus ab ſpecie, quæ ſolum prædicatur de pluribus differentibus numero, quę differentia in nume-

ro, materialis, ſeu non notabilis appellatur.

6. Non addidi de pluribus differentibus, quia ly *pluribus* eſt omnino ſuperfluum, cum dicatur *differentibus*, ſi enim differentes ſunt, iam ſupponitur eſſe plures. Item nec in *quid incomplete.* Tum quia per ly *differentibus notabiliter* ſufficienter diſtingitur genus ab ſpecie. Tum quia eo ipſo, quod genus prędicetur de differentibus, prędicatur in quid incomplete, cum in inferioribus remaneat differentia, vt cum eo, quod prædicatur concretum differens conſtituat.

7. Obj. 1. Genus etiam prędicatur de pluribus differentibus numero. Ergo non differt ab ſpecie, neque eius eſſentia ſufficienter explicatur, per eſſe prędicabile de pluribus notabiliter differentibus: ſic animal, quod eſt genus, prędicatur de Petro, & Paulo.

Reſp. Aſſignando quatuor differentias, & ſimul diſparitates inter genus, & ſpeciem. Prima. Species tantum eſt prædicabilis de pluribus differentibus numero; genus eſt prædicabile de differentibus numero, & ſimul de differentibus notabiliter. Secunda. Species prædicatur de differentibus numero immediate; genus vero non prædicatur immediate, ſed ſolum mediate de differentibus numero. Tertia. Species prædicatur in quid complete, vt tota ſcilicet eſſentia metaphyſica; genus prędicatur in quid incomplete, vt pars eſſentia, quod per ly differentibus notabiliter ſignificatur.

8 Objic. 2. Hæc definitio convenit accidenti quinto prædicabili. Probatur. In his prędicationibus *Albedo eſt color. Nigredo eſt color.* ly *color* prædicatur in quid de notabiliter differentibus; ſed color eſt accidens. Ergo hæc definitio convenit accidenti.

Reſp. Colorem poſſe conſiderari, vel reſpectu ſpecierum coloris, Nigredinis,

dinis, albedinis v.g. Vt patet in prædicationibus iam positis, & tunc est proprium genus, non minus, quam animal respectu hominis, & bruti. Vel potest considerari respectu subjectorum, quibus inhæret v.g. in his prædicationibus: *Petrus est albus. Paulus est niger.* Et respectu horum est accidens, de jisque non prædicatur in quid, sed solum in quale.

9 Objic. 3. Si redderetur impossibilis species bruti, & solum maneret species hominis, animal maneret genus, vt nunc est, cum maneret ejus essentia invariata; sed tunc non esset prædicabile de pluribus notabiliter differentibus, cum solum esset prædicabile de hominibus, qui inter se non differunt notabiliter. Ergo definitio illa non convenit omni generi.

Resp. In ea hypotesi animal non manere genus, nec ex eo variaretur ejus essentia, cum maneret viuens sensibile, sicut nunc est. Nam esse *genus, speciem, &c.* sunt denominationes extrincesæ logicæ prouenientes á consideratione intellectus; tunc deficeret illi denominatio generis, non vero aliquod prædicatum animalis.

10 Si roges: ad quod prędicabile tunc animal pertineret? Respondebit Lynceus, animal tunc fore speciem resultantem ex viuenti, vt ex ratione communi, & sensibili vt differentiali, & rationale tunc se habere vt proprietatem, sicut nunc se habet risibile. Compt. dicet. Tunc se haberet animal vt differentia, & rationale, seu intellectivum esset ratio communis ad hominem, & Angelum. Tu vero dic, quod tūc animal esset quoddam prædicabile anonymum, nam non esset genus ob rationem argumenti, non esset differentia, quia non prædicaretur per modum formæ alteri adjacentis; non esset species, quia non esset tota essentia metaphysica hominis, rationale namque non includeretur in animali, vt male Atri ga, nam licet tunc valeret *est animal*; ergo *est rationale*, etiam nunc valet: est risibile, & admirativum: ergo rationale: & è contra; quin rationale includatur formaliter in risibili) rationale insuper nequit esse proprietas sensibilis, cum sit perfectius sensibili: ergo esset rationale tunc de essentia hominis: ergo animal non prædicaretur vt tota essentia. Et ratio est, quia etiam si vi alicuius prædicati prioris res sufficienter differat ab omni alio, si tale prædicatum est imperfectius altero prædicato, quod subsequitur; ex vtroque differentia adęquata rei resultat, vt videre est in homine, qui per apprehensivum sufficienter diversificatur á bruto, & tamen differentia hominis essentialiter constituitur ex iudicativo, & discursivo, vt pote prædicatis perfectoribus. Neque esset proprium, & accidens, cum non prędicaretur in *quale*; ergo solum restat, quod sit prædicatum innominatum.

11 Objic. 4. Ens est prædicabile in *quid* de notabiliter differentibus: sed non est genus, nam genus debet esse compars cum differentia ad componendam speciem, & compars debet esse extra aliam compartem, quod in ente vtpotè transcendenti nequit verificari: ergo hæc definitio convenit alijs á definito.

Resp. Uel ens non transcendere vltimas differentias, vel transcendentiam non officere, quominus sit propriè genus, cum non officiat, quominus illi tota generis definitio conveniat. Vnde ad probationem dico, vel ad rationem generis non requiri conceptum partis, si differentia nequit dici compars, eo quod sit implicite ens; vel sufficere quod differentia explicite non sit ens, vt dicatur compars cum ipso ad constitutionem speciei.

12. Objic. 5. Si genus definiretur, ly

ly *prædicabile* esset genus respectu illius; ergo esset simul superius, & inferius respectu generis. Prob. conseq. Esset superius, quia de illo, & de reliquis prædicabilibus prædicaretur; esset inferius, quia contineretur sub genere prædicabili.

De hac difficultate non parum æquivoca suo proprio loco agendum est. Nunc scias; non esse inconveniens quod idem secundum diversos respectus sit superius, & inferius respectu eiusdem. Sic Rex est superior Sacerdote vt Rex, & inferior vt pœnitens.

13. Objic. 6. Si genus definiretur, esset species, cum coustaret genere, & differentia, quibus definitur, quomodo ergo poterit simul esse genus, & species?

Resp. Non repugnare esse simul genus, & speciem respectu diversorum. Est species quatenus concipitur constans genere, & differentia; est genus respectu suorum inferiorum. Sic similiter species vt sic est species, quia constat genere, & differentia, & genus, quia respicit plures species notabiliter diversas vt inferiores.

14. Obj. 7. Totum per accidens nequit definire; sed genus est totum per accidens, cum resultet ex natura, & secunda intentione. Ergo.

Resp. Ens per accidens posse definiri, non secundum eam rationem, qua partes illud componentes differunt, sed secundum illam, qua adunantur ad aliquid constituendum. Sic exercitus, Respublica, & acervus lapidum definiri possunt, nam cum definitio sit explicatio rei, quid impedit posse ita exercitum explicari, vt eius explicatio significet essentiam exercitus, prout ab omni alio, quod non est exercitus, differt? Insuper genus non est ens omnino per accidens, licet sit concretum accidentale, sicut concretum album, nigrum, &c.

SECTIO II.

QVID SIT DEFINITVM IN DEFINITIONE GENERIS.

15. Cum genus resultet ex natura abstracta, & secunda intentione, inquirimus in præsenti, quale ex his constitutivis sit, quod principaliter definitur in definitione generis? An secunda intentio? An natura? Uel an natura in obliquo, & secunda intentio in recto, aut ê contra, vel denique an vtraque in recto?

16. Prima sententia tenet; Naturam vnice definiri in definitione generis, se habente secunda intentione vt prerequisito necessario. Ita Scotistæ aliqui, & Spinula d.7.sect.1.conclus.3.

Secunda sententia tenet; definiri solam secundam intentionem. Ita Caiet. & aliqui Scotistæ.

Tertia sententia tenet; vtrumque definiri, sed secundam intentionem in recto, & naturam in obliquo; ita communiter Thomistæ cum Ioanne de S. Thoma, & alij, quos sequitur M. Linc.

Quarta sententia tenet, definiri in recto naturam, & secundam intentionem in obliquo. Ita P. Hurt. P. Arriag. Peyn. d. 1. n. 17. & communiter RR. cum P. Olea d.38.num.9.l.2.q.1.art.4. num.17.

Quinta sententia. Vtrumque, tam naturam, quam secundam intentionem statuit ęque in recto definiri. Ita aliqui ingeniosi Neoterici cum P. Rub. pro ea citato à P. Pein. disp. sup. num. 16. Pr. Massa hic sec. 2.

17 Dico: definitum in definitione generis est concretum ex natura, & secunda intentione, ita tamen vt naturam dicat in recto, & secundam intentionem in obliquo.

Prob. & simul reliquę sententiæ improbantur. Id est de finitum definitionis generis, de quo verificatur generis definitio; nempe *Prædicabile in quid de differentibus notabiliter.* Atqui definitio tantum verificatur de concreto, prout dicit naturam in recto, & secundam intentionem in obliquo. Ergo. Prob. min. Hæc definitio non verificatur de sola natura independenter á secunda intentione; nam independenter ab ea non est prædicabilis, sicut subjectum independenter ab albedine non est album. Nec de secunda intentione, excludendo naturam, quia sola secunda intentio falso prædicaretur de speciebus; falso enim diceretur de homine, & equo, esse cognitionem abstractivam denominantem naturam genus. Nec de concreto, prout dicit secundam intentionem inrecto, & naturam in obliquo; falso namque prædicaretur, *homo* est secunda intentio abstrahens animal, seu denominatiua animalis in esse generis. Nec denique de concreto, prout dicit naturam, & secundam intentionem in recto, nam podem modo esset falsissima hæc prędicatio. *Homo est secunda intentio, & animal,* Sicut falsum esset dicere. Homo est subiectum, & albedo; conuenit tamen concreto, prout dicit in recto naturam, & in obliquo secundam intentionem. Est namque verissima hęc prædicatio. *Homo est animal abstractū, seu dicens abstractionem;* sicut est verum dicere. *Album est subiectum habens albedinem*, quia adveritatem propositionis solum requiritur, quod rectum subiecti identificetur cum recto prædicati: ergo definitum in definitione generis solum est concretum dicens in recto naturam, & secundam intentionem in obliquo.

18 Prob. secundo Supponiendo, concretum dupliciter posse defineri, vel concretiue, vel specificatiue. Sic album potest definiri concretiue sumptum, & tunc omnes eius partes debent in recto ingredi in definitionem, ita. *Album est subiectum, & albedo.* Vel absolute, & specificatiue sumptum, & tunc subiectum sehabebit in recto, & forma in obliquo, quia est concretum accidentale, & in omni concreto accidentali forma importatur in obliquo, & sic definire ur. *Album est subiectum habens albedinem.* Vnde genus, quod similiter est concretum accidentale potest definiri, vel concretiue, vel specificatiue. Qualiter autem de facto sit definitum per hanc definitionem generis ab omnibus admissam, colligendum est ex modo, quo illi talis definitio competit, sicut ex modo, quo competeret concreto *albi* definitio albi, deducendum esset, quo modo album definiatur. An concretiue, an specificatiue? Sic, si audiremus aliquem ita dicentem. *Album est subiectum habens albedinem.* Statim diceremus. Hic definit concretum album, non concretiue, sed specificatiue, quia esse subiectum habens albedinem, non verificatur de albedide in recto.

19 Tunc sic, Ergo ex modo, quo competit concreto *genus* definitio tradita generis, deducendum est, qualiter definiatur: sed definitio tradita generis non competit generi concretiue sumpto, dicenti scilicet in recto naturam, & secundam intentionem, sed solum specificatiuè sumpto, naturæ scilicet dicenti abstractionemnatura nam: que ita affecta est prædicabilis in quid de differentibus notabiliter: ergo definitum per definitionem generis de facto traditam est genus specificatiue sūptum; sed genus specificatiue sumptum, vt pote concretum accidentale, solum dicit in recto naturam, & in obliquo secundam intentionem: ergo definitum indefinitione generis est concretū ex natura in recto, & secunda intentione obliquo.

Con-

20. Confirm. Id explicatur in recto per definitionem generis, quod significatur in recto; & id explicatur in obliquo, quod significatur in obliquo per hoc nomen *genus*: definitur namque genus prout hoc nomine significatur; sed hoc nomine *genus* significatur in recto natura, & secunda intentio in obliquo; genus enim significat naturam terminantem cognitionem, vel naturam habentem se vt obiectum abstractionis; sicut per *album* significatur *subiectum habens albedinem*: Ergo.

21. Obj. 1. Nomine abstracto, & concreto accidentali idem significatur formaliter, sed nomine abstracto accidentali *generis*, nempe *genereitas.* Solum, vel saltem primario significatur secunda intentio; sicut nomine abstracto *albedo* sola forma albi significatur: ergo nomine concreto *genus* significatur, vel sola secunda intentio, vel hæc sola in recto; sed per nos id, quod significatur per vocem *genus* definitur per definitionem generis: ergo.

22. Resp. Transeat maior, & neg. min. Nam eodem modo, ac per genus concretive significatur natura in recto, & secunda intentio in obliquo, idem significatur per genereitatem abstractive sumptam. Nota tamen, communiter vsurpari apud Authores pro secunda intentione, sed hic est abusus vocis, & ita sumpta non est abstractum generis. Nota item albedinem non esse abstractum desumptum á concreto *album*, sed forma talis concreti, abstractum enim ita deberet formari *albedeitas*, sed non est in vsu.

23. Objic. 2. Duę res diversæ nequeunt vnica definitione definiri; sed natura, & secunda intentio sunt duę res diversæ: ergo vel sola natura, vel sola secunda intentio per definitionem generis debet definiri. Prob. maior. Vna definitione vna quidditas solum definiri potest, sed duæ res diversæ non sunt vna, sed duæ quidditates: Ergo.

24 Retorq. Ergo nec homo potest vna definitione definiri, quia etiam homo est duplex res diversa, nempe materia, & forma, & sic duplex quiddi as.

Resp. Distinguo mai. *Duæ res diversæ*, prout diversæ: conced. Prout coadunantur ad vnum quid componendum, neg. Sic enim non sunt duplex quidditas, sed vna, resultans tamen ex duplici re diversa, sicut homo ex materia, & forma, & sicut per definitionem hominis non definiuntur materia, & forma secundum quod diversæ sunt, sed vt coadunatæ, hoc est, definitur compositum ex eis resultans; ita per definitionem generis non definiuntur natura, & secunda intentio, vt diversæ sunt, sed vt coadunatæ, hoc est definitur genus, quod ex natura, & secunda intentione resultat.

25. Objic. 3. Per definitionem generis, quæ est actus logicæ, id attingitur in recto, quod logica considerat; sed logica solum considerat secundas intentiones, vel saltem eas primario attingit, & non naturas rerum: ergo per definitionem generis attingitur in recto secunda intentio.

Resp. Tract. 1. præcipue num. 424. dixi, logicam æque primario considerare naturas rerum; immò per aliquos eius actus secundario, & minus principaliter secundas intentiones, & ex his vnus erit definitio generis.

26. Objic 4. Si genus diceret in recto naturam non posset dari vna ratio vniuoca omnibus generibus. Prob. Naturæ genericæ diversæ sunt inter se; aliæ namque substantiæ, aliæ accidentia aliæ entia realia, aliæ entia rationis; sed datur de facto ratio communi pro omnibus: ergo signum est, quod non dicunt in recto naturas.

25. Retorq. Nam etiam secundæ intentiones iuxta diversitatem obiectorum

rum

rum diversæ sunt: ergo etiam genus diceret in recto secundam intentionem, genera essent diversa. Si tamen respondeas, tales cognitiones convenire in ratione cognitionum denominatiuum naturas genera, licet vt tales cognitiones differant. Idem respondeo, quod licet omnes naturę differant materialiter inter se, tamen hic conveniunt in esse prędicabilium de differentibus notabiliter, cum æque omnes hanc denominationem accipiant, vnde omnes conveniunt in ratione generis; exceptis illis, quæ ab entibus rationis abstrahuntur, de quibus suo loco mentem apperiem.

18 Objic. 5. Id solúm definitur in definitione generis, quod est prædicabile de multis; sed sola natura, & non secunda intentio est prædicabilis de multis: ergo. Prob. min. Illud solum est prædicabile de multis, quod realiter identificatur cum multis, sed sola natura, & non secunda intentio realiter identificatur cum multis: ergo sola natura est, quæ definitur in definitione generis.

29 Rep. Argumentum probare; secundam intentionem non definiri in recto, non vero non definiri obliquo. Distinguo maiorem. Quod est prædicaqile tam vt *quod*, quam vt *quo* concedo: quod est prædicabile tantum vt *quod*; nego. Ad probationem distinguo maiorem. Illud solum est prædicabile vt *quod* quod identificatur, & c. Concedo; illud est prædicabile, tam vt *quod*, quam vt *quo* nego. Natura est prædicabilis, vt *quod* & in recto, ideoque cum multis identificatur, secunda intentio est prædicabilis vt *quo* & in obliquo, & ideo non identificatur cum multis; non enim requiritur, quod id quod prædicatur in obliquo identifitur cum subiecto prędicationis. Exemplum apponam. Idem est dicere. *Petrus est albus*, *ac Petrus est subiectum habens albedinem*. En prædicatum huius propositionis constituitur per albedinem in obliquo, & vt quo, qoia est id, quo subiectum redditur album; Prædicatur etiam vt quo, & tamen non identificatur cum subiecto. Item dic: totum illud concretum *album* prædicari de Petro, similiter cum dicimus. *Homo est animal* ly *animal*, vt pote genus constituitur ex natura in recto, & secunda intentione in obliquo, vt pote, qua redditur prædicabile totum concretum, sed non identificatur homine totum concretum, sed solum natura, quæ dicitur in recto, & vt quod.

30 Replic. Sed secunda intentio, nec vt *quo* est prædicabilis: ergo: prob. antecedens. Sicut ad prædicabile, vt *quod* requiritur quod identificetur cum subiecto, ita ad prædicabile vt *quo* requiritur quod sit id ratione cuius prædicatum identificetur cum subiecto, sed secunda intentio nequit esse id quo natura generica identificatur cum subiecto; animal scilicet cum homine: ergo.

31 Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem. Sicut ad prædicabile, vt *quod*, & c. requiritur quod sit id ratione cuius prędicatum identificetur cum subiecto realiter, & physice neg. Intentionaliter, & metaphysice concedo. Est namque secunda intentio id, ratione cuius natura redditur apta, vt prædicetur de inferioribus; cum enim prædicatio vnius de alio sit identitas intentionalis, & metaphysica vnius cum alio, secunda intentio est id, ratione cuius genus cum inferioribus identificatur intentionaliter, quod sufficit ad hoc vt dicatur prædicabilis, vt *quo*.

32 Replic. 2. Secunda intentio nullo modo identificatur: ergo nequit esse id, ratione cuius natura identificatur. Nil enim quod sibi non habet alteri comunicat.

Resp. Concedo antecedens, & nego

nego consequentiã. Sic cognitio non cognoscitur, & est id, ratione cuius obiectum cognoscitur. Amor non amatur, & tamen est id ratione cuius amatur obiectum. Hæc, sicut & denominatio identificabilis, sunt de nominationes hæterogeneę, quas formæ, & partes seorsim non participant, continent tamen illas non formaliter, sed virtualiter. Hoc est, non habent in se, sed habent in se virtutem causandi eas.

33 Objic. 6. Cum definio animal per viuens sensibile, non definio illud, prout est aparte rei, sed prout est præscissum, quia prout est aparte rei, non est solum viuens sensibile, sed etiam rationale, & tamen in eius definitionem non ingreditur abstractio, sed supponitur: ergo licet cum definio genus, definiam naturam, prout præscissam per secundam intentionem, non vero prout est aparte rei, tamen in definitionem generis non ingreditur secunda intentio, supponetur tamen.

Resp. Animal non constitui intrinsece in esse animalis per præscisionem, sed solum extrinsece in esse præscissi, vnde cum in esse animalis definiatur, supponitur præscisio, non tamen ingreditur in eius definitionem, at vero natura intrinsece constituitur in esse generis per secundam intentionem; natura namque secundum se non est genus, nec vniuersalis, nec prędicabilis, vnde in eius definitionem secunda intentio ingredi debet.

34. Objic. 7. Intendens probare secundam intentionem debere ingredi in recto in definitionem generis, ita definitum prędicabile, & in recto alicuius definitionis est id, quod se habet vt subiectum talis definitionis; sed in definitione generis subiectum est concretum ex natura, & secunda intentione: ergo non solum natura, sed etiam secunda intentio debet esse rectum definitionis generis.

35. Resp. *Disting*. mai. Definitum, &c. est id, quod se habet vt subiectum in recto, & vt quod. Concedo; in obliquo, & vt *quo* nego. Et disting. min. Subiectum est concretum ex natura, & secunda intentione; ex natura in recto, & secunda intentione in obliquo, conced. Ex natura, & secunda intentione in recto, neg. Genus enim est definitum talis definitionis non concretive, sed specificative sumptum, vnde idem erit subiectum illius; sed genus specificative sumptum, vt pote concretum accidentale, solum dicit in obliquo secundam intentionem: ergo in definitione generis solum in obliquo importabitur secunda intentio.

36. Objic. 8. Hęc propositio. *Genus est prædicabile de pluribus*. Distinctum rectum habet ab hac. *Animal est prædicabile de pluribus*. Prima namque est propositio essentialis, secunda accidentalis, sed rectum secundæ propositionis est sola natura dicens in obliquo secundam intentionem: ergo rectum primę erit non solum natura, sed etiam secunda intentio.

37. Confirm. primò. Hæ propositiones. *Petrus est albus*, *Album est coloratum*, sunt diversę, eo quod prima est accidentalis, secunda vero essentialis, & ideo rectum vtriusque distinguitur, eo quod rectum primę sit solum Petrus dicens in obliquo albedinem, & rectum secūdę sit simul Petrus & albedo: ergo similiter eveniet in illis propositionibus.

38. Confirm. secundò. Hæc propositio. *Genus est prædicabile de differentibus*. Ita exponitur. *Secunda intentio, & natura substans secundæ intentioni sunt aptitudo ad prædicandum de pluribus, & subiectum substans aptitudini*. Sicut ista *Album est coloratum*. Ita exponitur. *Subiectum substans albedini, & albedo est subiectum substans coloris, & color*. Sed propositio

sitio exponens dicit in recto tam subiectum, quam secundam intentionem: ergo similiter propositio exposita.

39. Hoc argumentum, & eius confirmationes probabilem reddunt opinionem, cui patrocinatur. Ad illud tamen respondetur. Disting. mai. Hæc propositio genus, &c. distinctum rectum habet ab hac *animal est prædicabile*, &c. Si sumatur animal dicens in obliquo secundam intentionem; neg. Si sumatur animal secundum se. Conced. Sicut enim hę proposiones *Petrus est albus.* Hoc *subiectum albedinis est album*, idem rectum habent, si Petrus sumatur, vt dicens in obliquo albedinem, non vero si sumatur Petrus secundum se, quia secundum se non est albus, sed tale animal rationale; ita si animal sumatur vt dicens in obliquo secundam intentionem idem erit rectum duplicis illius propositionis, non vero si sumatur secundum se, nam secundum se solum est viuens sensibile; & ratio est, quia quoties prædicatum conuenit concreto ratione subiecti, idem est rectum, siue in propositionibus exprimatur totum concretum, siue solum subiectum exprimatur; vt patet in his propositionibus. *Petrus est subiectum albedinis, Hoc album est subiectum albedinis.* Sed generi solum competit esse prædicabile ratione naturæ: ergo siue exprimatur natura, vt in hac propositione, *Animal est prædicabile.* Siue totum concretum exprimatur, ve in hac, *genus est prædicabile*, idem erit rectum.

40 Nota, me loqui casu, quo in hac propositione. *Genus est prædicabile.* Sermo sit de hoc genere particulari *animal*; nam si sermo sit de genere vt sic ab omnibus generibus præscisso, ita debet distingui prima propositio. Hęc propositio habet distinctum rectum positiue, neg pręscissiue, concedo. Sicut enim rectum rationis communis distinguitur solum præscissiue à recto inferioris v.g. hoc subiectum album á subiecto vt sic albedinis, ita distinguetur rectum huius propositionis, *animal est prædicabile*, a recto huius. *Genus est prædicabile*; & sicut subiectum vt sic albedinis, seu album vt sic non distinguitur in eo, quod rectum albi *vt sic* sit simul albedo, & subiectum; & rectum albi particularis sit solum subiectum, ita genus vt sic quod, est subiectum primæ propositionis non distinguitur ab animali, quod est genus particulare, & subiectum secundæ propositionis, in eo quod genus *vt sic* dicat in recto secundam intentionem: & animal illam dicat in obliquo, sed solum in eo, quod genus vt *sic* pręscissiue se habeat ad quodcumque genus particulare.

41 Ad primam confirmationem respondetur admittendo illas propositiones *Petrus est albus; albũ est coloratum.* Distingui essentialiter, eo quod secunda dicat in recto albedinem, quam prima non dicit, nisi solum in obliquo. Nunc restat aduersarijs probandum, hanc propositionem. *Genus est prædicabile*; ita se habere, dicere que in recto secundam intentionem, quam prima solum dicit in obliquo. Hoc ne[g]o ob rationem nostræ conclusionis, & hæc est disparitas inter primas, & secundas propositiones.

42 Ad secundam propositionem respondetur, hanc propositionem, *album est coloratum*, etiam habere hanc expositionem. *Subiectum habens albedinem est subiectum habens colorem*, Ergo sicut, quia prima habet primam expositionem, asseris ex parte subiecti dici albedinem in recto, ob hanc secundam, dicam ego, ex parte subiecti dici albedinem in obliquo, & similiter discurram in hac propositione, *genus est prædicabile*. Dico tamen admittendo, tales propositiones posse habere expositiones positas in argumento, in quibus sumitur, tam génus, quam album concretiue,

etiam

etiam posse habere expositiones sæpe á nobis dictas, in quibus tam genus, quam animal specificatiue sumantur. Quo modo autem se habeat genus respectu huius definitionis ab omnibus acceptę, si attendatur *D. D.* placito, vidistis, tam plures, & grauiores pronobis stare. Si vero ipsi definitioni ex hibenda est fides, audistis iam; non posse congrue verificari de secunda intentione in recto.

43 Objic. 9. Ex quodam ingenioso Neoterico. Nequit esse definitum alicuius definitionis id, cui accidentaliter conuenit definitio, nam cum definitio sit essentia definiti, nulli potest sua essentia accidentaliter conuenire, sed definitio generis accidentaliter conuenit animali, & solum conuenit essentialiter concreto ex animali, & secunda intentione. Ergo hoc concretum, & non solum illud, erit definitum in definitione generis.

44 Resp. Argumento optime conuinci definitum definitionis generis non esse naturam tan[t]um, cum naturæ, scilicet animali, omnino accidentaliter adueniat esse prædicabilem, cum secundum se, & indepedenter á secũda intentione non sit prędicabilis; non tamen infertur talem secundam intentionem dici in recto. Vnde licet animali secundum se accidentaliter conueniat esse prędicabile, non vero animali vt substanti secundę intentioni. Animal enim vt substans secundæ intentioni essentialiter est prędicabile, sicut subiectum vt albedine informatum, essentialiter est subiectum habens albedinem.

45. Objic. 10. ex eodem. Omnis prædicatio in qua definitio prædicatur est prædicatio definitionis de definito; sed in nulla prędicatione, in qua definitio prædicatur potest importari vna pars in recto, & altera in obliquo: ergo. Prob. min. primo á paritate definitionis hominis, scilicet, *animal rationale*, cuius omnes partes dicuntur in recto ab homine, quia est definitum talis definitionis. Prob. secundo, quia cum vtraque pars identificetur cum definito, vtraque dicitur in recto, nam obliqua sunt in ordine ad prędicationem, non in ordine ad identitatem. Prob tertio. Quia nulla apparet ratio cur potius vna pars dicatur in recto, qnam alia, cum vtraque rem constituat.

46. Resp. Conced. mai. & disting. min. Sed in nulla prædicatione, &c. importatur vna pars in recto, & altera in obliquo, si in definito vtraque importetur in recto. Conced. Si in definito similiter vna importetur in recto, & altera in obliquo. neg. Definitio debet conformari cum definito, & illud eo modo quo est, explicare; si ergo genus, quod est definitum dicit in recto vnam partem, nempe naturam, & alteram in obliquo, nempe secundam intentionem; quid mirum, quod eius definitio non dicat vtramque partem in recto? Sic definitio albi dicit in recto subiectum, & albedinem in obliquo, alias si albedinem diceret in recto non posset de Petro prædicari esse album, cum de eo nequeat prædicari in recto, quod sit albedo.

47. Hinc patet solutio ad primam probationem minoris; ideo namque tan animal, quam rationale importantur in recto ab homine, quia de homine vtrumque in recto verificari potest, sic dicitur homo est animal rationale; sed de secunda intentione nequit verificari in recto, quod sit prædicabilis de pluribus; sic dici nequit, *homo est viuens sensibile, & secunda intentio*; sed esse prędicabile in recto solum verificatur de natura affecta secunda intentione: ergo licet vtraque pars, quæ ingreditur definitionem hominis de eo verificetur in recto, non tamen vtraque pars, quæ ingreditur definitionem generis, de eo in recto verificari debet.

Ad

48. Ad secundam probationem respondetur, ex ea inferri solutionem. Nam sicut per vos in ordine ad identitatem non dantur obliqua, ita nec recta, vnde physice, & realiter vtrumque prædicatum includitur, quin vnum dicatur in recto, & alterum in obliquo; sicut album physice, & realiter tam subiectum, quam albedinem essentialiter includit, attamen cum inquiritur. Quale sit definitum in definitione generis iam loquimur de genere in ordine ad prædicationem, & ad modum nostrum concipiendi, iuxta quem modum concipiendi, licet genus constituatur ex natura, & secunda intentione, hæc concipitur in obliquo, illa vero in recto. Et hæc est solutio tertiæ probationis, & ratio cur potius secunda intentio, quam natura dicatur á genere in obliquo est, quia genus est concretum accidentale, & in concretis accidentalibus forma dicitur in obliquo, & subiectum in recto, cum ergo secunda intentio sit forma, & natura sit subiectum, natura importatur in recto, & secunda intentio in obliquo.

49. Objic. 11. Ex eodem Neoterico. Partes, ex quibus physice cōponitur genus, sunt natura, & secunda intentio: ergo ly *prædicabile* positum vt genus in definitione generis identificatur cū natura, & secunda intentione, nam vt iam videbimus, genus sumitur á tota rei entitate. Nunc rogo. Si cum vtraque parte identificatur, cur vnam dicet in recto, & alteram in obliquo? Ergo ly *Prædicabile*, vel vtramque dicet in recto, vel vtramque in obliquo.

50 Resp. Concedo antecedente, & consequensia. Ad rogatum roga, partes ex quibus physice componitur album sunt subiectum, & albedo, cur ergo tale concretum (et sic de omnibus accidentalibus) dicit in recto subiectū, et in obliquo albedinem? Nonne respondebis, quia est concretum accidentale, et in ordine ad prædicationem ita concipitur? Certe. Idem tibi respondeo, quia licet ly *prædicabile* identificetur cum natura, et secunda intentione physicê, tamen in ordine ad prædicationem de natura verificitur in recto, et de secunda intentione in obliquo.

51. Pro calce quæstionis nota; ly *prædicabile* esse denominationem heterogeneam, et complexæ significationis compositam ex natura, et secunda intentione, ex natura vt subiecto, et ex secunda intentione vt forma, sicut concretum *cognitum* ex obiecto, & cognitione, vnde nec natura se sola, nec secunda intentio se sola sunt *prædicabile*. Constituitur tamen hoc concretum *prædicabile* ex vtraque, in quo, vtpotè accidentali, natura dicitur in recto, & vt *quod*, secunda intentio in obliquo & vt *quo*. Vnde cum secunda intentio dicitur esse prędicabilis vt *quo*, non est quia ipsa sit proprie prædicabilis, sed quia constituit naturam prædicabilem, & cum dicitur natura prædicabilis vt quod, non est, quia ipsa natura secundum se sit propriè prædicabilis, sed quia constituitur in esse talis per secundam intentionem.

SECTIO III.

AN GENVS PRÆDICETVR VT totum, vel vt pars?

52. PRima sententia tenet, genus prædicari de inferioribus vt totum potestativum; Ita P. Hurt. P. Compt. P. Arriag. P. Lync. Sequuti Exim. Doctorem. P. Olea d. 90. num. 3.

Secunda sententia tenet, prædicari vt totum actuale. Ita aliqui Moderni, præcipue non suppositis pręscisionibus obiectivis.

Ter-

Tertia sententia tenet, prædicari vt partem, vel actualem, vt tenent Caietan. P. Ovied. & alij: vel potentialem vt placet P. Alph. Compt. & alij communiter.

53. Noto primo. Totum; vel esse actuale, vel potestativum totum actuale est, quod actu continet partes, vt homo est totum actuale physicum continens materiam, & formam; & metaphysicum continens animal, & rationale. Totum potentiale, quod est impropriè totum, est quod sua sub potestate, seu in differentia plura continet inferiora, de quibus possit prædicari. Sic animal est totum potentiale, quia sub se continet hominem, & brutum, de quibus potest prædicari. Partes item aliæ sunt actuales, illę scilicet, quæ actu cum alijs totum componens; sic materia actu componit cum forma compositum physicum dicitur pars actualis. Aliæ potestativæ; illæ scilicet, quæ licet actu cū alia comparte non componant, possunt tamen componere; sic dicitur pars exercitus homo armatus, antequam cum alijs exercitum constituat.

54. Nota 2. Idem simul posse esse totum potestativum, & partem metaphysicam; immo esse vnum ex requisitis necessarijs, vt aliquid sit totum potestativum, quod sit pars metphysica illius entitatis physicę, respectu cuius dicitur totum; & ratio est, quia cum tale totum sit præscissum, debet in inferiori manere aliquid quod se habeat vt terminus, á quo præscisionis: ergo si inferius pręter rationem pręscissam aliam continet, ratio præscissa superior erit necessario pars metaphysica inferioris. Sic animal præscinditur à rationali, & homo, qui est inferior animalis, illud, & rationale continet, vnde animal necessario est pars metaphysica hominis.

55 Nota 3. Totum potestatium debere esse superius; hoc est, quod ita participetur ab inferioribus, vt á nullo; seorsim eius participabilitas exhauriatur, sicut animal, quod ita participatur ab homine, vt simul remanet á bruto participabile.

56 Dico. 1. Genus prædicatur de suis inferioribus vt totum potestativum. Prob. Id, quod prædicatur vt ratio superior latius patet, quam subiectum, de quo prædicatur, ideo que, quin vi talis prædicationis eius communicabilitas exhauriatur, prędicatur vt totum potestativum; sed ita prædicatur genus de inferioribus, vt patet in animali respectu specierū, & individuorum: ergo prædicatur vt totum potestativum.

57 Dico. 2. Genus prædicatur etiam vt pars metaphysica, non vt totum actuale. Probatur quoad vtrāque partem. Id prædicatur vt totum actuale, quod in se includit, quidquid includit subiectum, de quo prędicatur, vt patet in definitione, quæ ideo prædicatur vt totum actuale de definito, quia nil habet definitum, quod indefinitione non includatur; sed genus, v.g. Animal, non includit metaphysice, quidquid includit homo, nō enim includit rationale: ergo animal non prædicatur vt totum actuale de homine. Tunc sic. Id, quod non prædicatur vt totum actuale, & prædicatur, debet adminus prædicari vt pars metaphysica: ergo animal vt pars metaphysica prædicatur.

58 Confirm. Animal distinguitur ab homine, aliás ab eo non præscinderetur; sed non distinguitur distinctione excludentis ab excluso, essentialiter namque homo ex animali constituitur: ergo includentis ab incluso. Tunc sic. Sed inclusum non est tota essentia includentis, sic anima non est totus homo, sed pars illius: ergo animal non est tota essentia, sed pars metaphysica speciei: ergo cum prædicatur, prædicatur vt pars.

 Dico

59 Dico. 3. contra P. Ovied. & alios: genus non prædicatur vt pars actualis, sed vt pars potentialis. Prob. quidquid prædicatur vt pars actualis, prędicatur vt compars; sed genus nequit prædicari vt compars: ergo neque vt pars actualis. Probatur maior id solum prædicatur, vt pars actualis, quod actu coniunctum est cum alia comparte ad componendum totum; sed quod actu coniunctum est cum alia comparte ad componendum totum, prædicatur vt compars:, ergo quod prædicatur vt pars actualis prædicatur vt compars. Probatur minor primi syllogismi: si genus v.g. prædicaretur, hoc est vt coniunctum cum rationali, non prædicaretur vt genus. Tum quia genus ab omni differentia adminus pręscindere debet. Tum quia animal coniunctum cum rationali non posset prædicari de differentibus notabiliter, cum iam esset ad vnam speciem contractum: ergo non esset genus. Nunc sic. Non prædicatur vt pars actualis, & tamen prædicatur: ergo prędicatur vt pars potentialis, hoc est, potens cum rationali totum metaphysicum componere.

60 Objic. 1. contra primam conclusionem. Genus vt tale continet naturas inferiorum: ergo est totum actuale. Respondeo. Distinguo antecedens. Continet naturas inferiorum in se, nego; sub se, concedo: quæ continentia illud totum potentiale, non actuale, constituit.

91 Replic. Genus definitur per prædicabile de pluribus differentibus: ergo in se continet partes metaphysicas, rationem scilicet genericam, & differentialem. Item componitur ex natura, & secunda intentione; ergo est totum actuale ex eis partibus resultans.

Resp. In hoc sensu á nemine posse negari, genus esse totum actuale, cum actualiter contineat in se genus, & differentiam, naturam, & secundam intentionem: sed solum negari, esse totum actuale, respectu suorum inferiorum, quæ cum non contineat in se, sed sub se, & in potentia, non respicit vt totum actuale, sed vt totum potestativum.

62. Obiic. 2. Genus in statu pręscisionis est totum potentiale, quia potest prædicari de pluribus: ergo in statu contractionis per prędicationem erit totum actuale; cum actualiter prędicetur de pluribus. Prob. conseq. Taliter est ens in actu, qualiter fuit in potentia; sed genus in potentia ad prædicandum fuit totum potentiale: ergo in actu prædicationis erit totum actuale.

63 Resp. Distinguo antecedens. Quia potest prædicari de pluribus, ita vt latius pateat, quam quodlibet particulare inferius, concedo; aliter, nego. Et nego consequentiam. Nam cum per statum contractionis non destruatur, sed maneat natura vniuersalis, manet etiam in statu contractionis totum potentiale potens etiam de pluribus prædicari. Totum enim potentiale non transit ad totum actuale per prædicationem, sumpto toto actuali, vt hic sumitur, pro eo, quod in se continet plures partes; licet enim de inferioribus prædicetur, ea non continet in se, sed sub se: Ex probatione consequentię non infertur illa consequentia: ergo *in actu prædicationis erit totum actuale*; sed hæc. Ergo *in actu prædicationis erit totum potentiale actuale*, hoc est, actu prædicatum, nam exeo quod taliter sit ens in actu, qualiter fuit in potentia, sequitur, quod si in potentia fuit ens potentiale non dum prædicatum, in actu sit ens potentiale prædicatum; nam per prędicari, & per actum, sicut non destruitur vniuersalitas generis, ita nec potentialitas illius, solum enim sequitur,

tur, quod id, quod ante prædicationem erat ens potentiale pure possibile post prędicationem sit ens potentiale in actu, seu actuale, cadente, ly *actuale* supra prædicationem, non supra genus.

64 Objic. 3. contra secundam conclusionem: hæc est vera prædicatio, *Homo est animal*: ergo genus non prædicatur vt pars. Probatur consequentia. Pars nequit per prędicationem veram de toto enuntiari. *Ergo*. Probatur antecedens primò. Hæc prædicatio. *Homo est animal*. Est falsa, quia anima, quæ est pars hominis, prædicatur de homine, qui est totum. secundo. Inter prędicatum, & subiectum debet dari adæquata identitas, vt propositio verificetur, iuxta Philosophorum acceptionem; sed inter partem, & totum non datur adæquata identitas: ergo nec vera prædicatio. 3. Hæ propositiones Ioannis Huz. *Christus est diuinitas. Christus est humanitas*, damnantur in concilio constantiensi; sed nulla alia ratione, nisi quia partem de toto prędicant: ergo. Item ad hoc aliquas Angelici Præceptoris authoritates afferunt aduersarij.

65 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiã. Ad probationem, distinguo maiorem. Pars nequit prædicari de toto, pars physica de toto physico, transeat. Pars metaphysica de toto metaphysico, nego. Dixi transeat, quia pars physica potest saltim cum aliqua limitatione prædicari de toto, dicique homo inadæquatè anima, cadente ly inadæquatè supra hominem, & sensus propositionis erit. Inadæquatum hominis est anima. Quod verissimum est. Non tamen fit prædicatio absoluta. *Homo est anima*, quia ita non est vsu recepta, & hoc solum negat S. Thom. dicens. *non posse prædicari de homine albo vt albo esse albedinem*. Hoc item solum damnat concilium in propositionibus Ioannis Huz; hic namque absolute illas propositiones admittebat. *Christus est humanitas. Christus est Diuinitas*, sine vllo addito. Si ergo addatur inadæquatè, propositiones illæ sunt veræ, & Catholicæ. Catholicè namque Sanctum est, Christum anima, & Corpore, humanitate, est Diuinitate constitui. Vide P. Vazq. tom. 1. in tertiam part. quæst. 2. art. 4. d. 16. cap. 5. Insuper damnatus fuit, vt optimè citatus P. Vazq. quia iudicabat humanitatem seorsim sumptam, & Diuinitatem seorsim sumptam esse Christum.

66. Sed hoc præmisso; assigno disparitatem inter partem physicam, & metaphysicam; pars physica nequit prædicari de toto physico, vt *homo est anima*, quia in nullo sensu habet adæquatam identitatem cum subiecto, at vero pars metaphysica prædicatur de toto, quia pars metaphysica nempe *animal*, cum sumatur á tota rei entitate, adæquatè identificatur cum toto physico constante materia, & forma, cumque veritas sensus formalis fundetur in veritate physica reali, iuxta illud, *Aliud est quod prædicatur, aliud id, merito cuius prædicatio verificetur*. Sufficit vt in sensu formali verificetur pars metaphysica de toto, quod in sensu reali sit adæquatê idem cum toto. Et ratio huius doctrinę deducenda est ex communi rerum acceptione, nam sicut ex hac infertur, quod per verbum *est* in sensu reali denotetur identitas adæquata, & realis inter prædicatum, & subiectum, ita ex eadem deduci debet, quod ly *est* in sensu formali non requirit adæquatam identitatem formalem, & metaphysicam, sed contentum est cum identitate metaphysica inadæquata, & physica reali adæquata.

67. Objic. 4. Contra 3. conclus. Per nos genus prædicatur vt totum potentiale: ergo non prædicatur, vt pars potentialis. Prob. Pars est totum eodem

dem modo, & respectu eiusdem termini repugnant in eadem entitate: ergo in eodem genere repugnabit respectu inferiorum conceptus partis, & totius eodem modo potentiali.

68. Resp. In eodem ente non repugnere conceptum totius, & partis eodem modo potentiali, sed potius se inferre, cum non sint in eodem sensu. Est enim genus totum potentiele, quia latius patet, quam quodlibet inferius, seu quia prędicatur, vt vniuersale de omnibus. Est pars potentialis, quia non componit cum alia comparte, differentia scilicet, v.g. in hac prædicatione *homo est animal* ly *animal* prædicatur vt totum potentiale, quia ita prædicatur de homine, vt simul maneat prædicabile de bruto, etiam prædicatur vt pars, quia non includit formaliter quidquid subiectum includit. Prædicatur vt pars potentialis, & non actualis, quia actu non componit cum rationali, quod est compars ad constitutionem hominis.

69 Objic. 5. Cum prædicatur genus, datur prædicatio, seu enuntiatio prædicati de subiecto; sed omnis enuntiatio prædicati de subiecto est compositio prædicati cum subiecto: ergo genus prædicatur vt pars componens, ergo vt pars actualis.

Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Sed omnis enuntiatio prædicati de subiecto est compositio logica. Concedo. Est compositio physica, aut metaphysica, nego. Compositio, quæ facit partem actualem genus in prędicatione, non est cōpositio logica, quæ consistit in enuntiatione, sed compositio metaphysica generis cum differentia animalis, scilicet cum rationali; sed cum prædicatur genus, non componit cum differentie, nam ab ea supponitur præscindere: ergo non prædicatur vt pars actualis.

70. Objic. 6. Ante actualem prædicationem, seu comparationem compositam supponitur comparatio simplex subsequens apprehensionem, qua natura intelligibiliter concipitur in inferioribus: ergo concipitur genus vt actu componens speciem cum differentijs. Prob. conseq. Nil aliud est vnam partem componere actu cum alia, quam esse vnitam illi, sed per comparationem simplicem subsequentem concipitur natura vnita differentijs: ergo concipitur, vt componens cum ipsis.

71. Resp. Conced. antec. & disting. conseq. Ita vt concipiatur ex parte naturę aliqua differentia. Nego: ita vt ex parte inferiorum materialiter, & subiectiue, transeat. Hoc est, concipiuntur inferiora, & natura in illis, non vero concipitur ex parte naturæ aliqua differentia, cum qua natura componat speciem inferiorem. Ad prob. conseq. Transeat maior. & disting. min. Concipitur vt natura vnita differentijs, ita vt hæ differentiæ se teneant ex parte ipsius naturæ, nego; se teneant ex parte subiecti, concedo. Vnde cum non se teneant ex parte naturæ, natura manet integra; v.g. Si rationale non se teneat ex parte animalis, hoc modo. *Homo est animal rationale.* Animal cum eo non componit actu, licet se teneat ex parte subiectiua, *Rationale est animal* qualiter se tenet in omni prædicatione generica.

()

(o)

SEC-

SECTIO IV.

DE MODO, QVO GENVS PRÆdicatur de individuis.

72. SVb hoc titulo triplex continetur difficultas 1. quomodo prędicetur genus de individuis completis? 2. Vtrum dentur individua incompleta immediata generi? 3. Quomodo prædicetur genus de individuis incompletis, casu quo dentur.

SVBSECTIO I.

QVOMODO PRÆDICETVR GENUS de individuis completis?

73. INndividuum completum est quod continet omnes gradus metaphysicos contractos per vltimam differentiam materialem, vt *Petrus, Ioannes, equus*, &c. Supponitur nunc de eis prædicari genus; v.g. *Petrus est animal.* Et quęritur primo. Vtrum genus de eis prædicetur vt genus? Secundo. Vtrū prædicetur immediatè, vel non? Dico 1. Genus prędicatur vt genus de individuis completis. Prob. Genus est, quod prædicatur inquid de notabiliter differentibus; sed dum animal v. g. prędicatur de individuis cōpletis, de Petro scilicet, & equo, prædicatur inquid, quia prædicatur vt quid essentiale subiectis, item prædicatur de differentibus notabiliter, cum Petrus, & equus notabiliter differant: ergo prædicatur vt genus.

74. Dico 2. Stando communi ordini logicæ prędicationis. Genus prædicatur mediate de individuis completis. Ita communiter fere omnes. DD. cum Exim. Suarez. P. Arriag. P. Hurt. &c. Et licet contrarium videantur asserere. PP. Ovied. Compr. & Alph. re tamen non deviant à communi vsu loquendi; semper enim fatentur; in subsistendi consequentia, stando logicæ prędicationi iuxta constitutionem, & seriem prædicabilium, solum mediatè prædicari.

75. Prob. conclus. Non datur transitus de supremo ad infimum, quin fiat per medium; sed genus, & individuum completum sunt supremum, & infimum, quorum medium est species: ergo genus prius quam descendat ad individuum completum, ad speciem descendere debet: ergo non immediatè, sed mediate prędicatur genus de individuis completis.

76 Confirm. primo. Stando recto ordini prędicationis, eo modo debent prædicari generi, quo diuiduntur; sed genera suprema non diuiduntur immediate in indiuidua completa; hęc enim esset aliena diuissio, & extra omnem regulam logicalem. Ens diuiditur in Deum, Michaelem, Petrum, &c. Ergo neque prædicantur immediate de indiuiduis completis.

77 Confirm. secundo. Stando ordini rerum genera vniuersalissima debent contrahi iuxta formam arboris prædicamentalis per vniuersaliora, priusquam per minus vniuersalia. Ens v.g. per substantiam, substantia per corpus, Corpus per viuens, Uiuens per animal. Animal per hominem. Homo per Petrum: ergo ita debent prædicari; vnde cum genus de indiuiduis prædicetur, erit prædicatio mediata, non immediata.

78 Objic. 1. Contra 1. Conclus. Adæquatum correlatiuum generis sunt species: ergo genus vt tale non refertur ad indiuidua, nec de eis prædicabitur vt genus. Probatur antecedens 1. quia si indiuidua essent correlatiua generis, species esset etiam

Ccccc ge-

genus, cum ad indiuidua refertur. Prob. 2. quia per nos si redderentur impossibilia alia animalia distincta ab homine, rationale non maneret genus; sed ideo solum quia deficerent aliæ species, & si manerent plura indiuidua. Ergo solum species, non vero indiuidua se habent de formali ad genus, vt tale.

79 Resp. Genus per nos definiri in ordine ad differentes notabiliter, non in ordine ad species, vnde cum indiuidua notabiliter differant, vt patet in Petro, & equo, genus, quod de eis prædicatur, prædicabitur vt genus. Fateor indiuiduis completis provenire notabilem differentiam ab speciebus, nam vt optime probat argumentum, possunt dari, & de facto dantur indiuidua completa, de quibus species prędicantur, quin tales species genera constituant. Ex quo solum infertur, genus prius descendere ad species; quam ad indiuidua completa, & prædicationem generis de indiuiduis completis esse mediatam, genericam tamen.

80 Hinc claret solutio primę probationis antecedentis. Species ideo non sunt genera, quia respiciunt immediate indiuidua completa non differentia notabiliter. Genus vero respicit indiuidua completa notabiliter differentia. Ad secundam probationem idem respondetur. In eo casu cum solum maneret homo, qui esset animal, non darentur indiuidua notabiliter diuersa, de quibus posset animal prædicari, & sic non esset genus, indiuidua enim, quæ formaliter se habent ad prędicationem generis, non sunt quęcumque indiuidua, sed notabiliter differentia.

71 Objic. 2. Contra. 2. Conclus. Totum physicum, vlna v. g. diuidi potest immediatè vel induas semi vlnas, vel in quatuor palmos, quia constat vt partibus physicis ęque ex duabus semivlnis, ac quatuor palmis, sed totum metaphysicum potestativū, quale est genus, æque continet vt partes potestatiuas tam species, quam indiuidua completa, ergo sicut immediate diuiditur in species, & de illis immediate prædicatur, poterit etiam immediate diuidi in individua, & de illis immediate prædicari.

82 Resp. Distinguo causalem maioris; quia constat vt partibus physicis ęque duabus semivlnis, ac quatuor palmis, ęque, & sine dependentia partium á partibus. Concedo, ęque & cum dependentia. Nego. Et distinguo minorem. Sed totum metaphysicum æque continet species, & indiuidua; æque, & sine dependentia. Nego; æque, & cum dependentia. Concedo. Disparitas est manifesta. Totum physicum, quale est vlna, ita continet quatuor palmos, vt non dependeant aliqua prioritate, & ordine á duabus semivlnis; inde que potest, sive induas semivlnas, sive in quatuor palmos diuidi; at vero genus, seu totum metaphycum, ita suq se continet indiuidua cōpleta, vt hęc dependeant aliqua prioritate logica, attento ordine prædicationis logicæ, ab speciebus, quę inter ea indiuidua, & inter gradus mediant; nam inde attenta logica prædicatione probamus, Petrum, & Paulum esse animalia, quia sunt homines; ergo prius descendit animal genus ad hominem speciem, quam ad Petrum, & Paulum indiuidua completa.

83 Replic. Sed sicut probamus, Petrum esse animal, quia est homo, ita etiam probamus, hominem esse animal, quia homo est Petrus, Paulus, & reliqui, & hi sunt animal. Ergo sicut, quia valet *Petrus est animal, quia est homo*, dicimus, genus immediate descendere ad speciem, ita quia valet, *homo est animvl, quia Petrus, Paulus, &c. Et hi sūt animal*, dicere tenebimur genus immediate descēdere ad individua cōpleta.

Resp.

84 Resp. Disting. antecedens. Sicut, & eodem modo. Nego: sicut & distincto modo, concedo, certum est; me posse probare, hominem esse animal, quia est Petrus, Paulus, &c. qui quidem sunt homines, & etiam animal; ast hęc probatio esset à posteriori, sicut probatur existentia causę ab existentia effectus. V.g. *existit lux*. Ergo *existit sol*, cum autem probatur, Petrum esse animal, quia est homo, est probatio á priori, sicut probatur existentia effectus ab existentia causæ. V. g. Existit sol; ergo existit lux. Ergo sicut solum á posteriori probamus, speciei convenire genus, quia hoc convenit indiuiduis completis, absque dubio prius convenit genus speciei, quam indiuiduis, sicut prius est existentia solis, quam existentia lucis, quia ab existentia lucis probatur à posteriori existentia solis, & ab existentia solis probatur á priori existentia lucis.

85 Objic. 3. Sicut Petrus est animal, quia est homo, ita est rationalis, quia est homo; sed non ideo inter Petrum, & rationale mediat homo, cum rationale immediate prædicetur de Petro: ergo neque inter animal, & Petrum mediat homo, sed animal immediate prædicabitur de ipso.

86 Resp. Disting. mai. Sicut & eodem modo nego, sicut & distincto modo, Concedo. Solutionem explico. Species non est ratio inferior respectu differentię, sed æqualis, sic valet; *Est rationalis : ergo est homo. Est homo* : ergo *est rationalis*. Vnde nec inter Petrum, & rationale mediat homo, nec inter Petrum, & hominem mediat rationale. At vero species est inferior respectu generis, & individua inferiora respectu speciei. Ergo inter indiuidua infimo loco posita, & inter genus supremo loco collocatum intermediat species medium occupans.

87 Objic. 4. hæc est immediata prædicatio, *Petrus est animal rationale*. quia inter definitionem, & definitum nil mediat; sed ly animal est genus: ergo genus prædicatur immediate de individuo completo.

Resp. Concedo mai. & disting. min. ly animal est genus, vt contractum ad differentias, constituensque speciem. Concedo. Solitarie sumptum, neg. Hic enim loquimur de genere solitarie sumpto, de eo que dicimus; mediate prædicari de indiuiduis completis, non vero de genere vt contracto iam ad differentias; nam vt sic iam constituit speciem, quę immediate prędicatur de individuis completis.

88. Objic. 5. Inter subiectum, & prædicatum huius prædicationis *Petrus est animal*, non mediat homo qua animal, quia sic non distinguitur á prędicato, nec qua rationalis, nam qua rationalis Petrus non est animal: ergo nil mediat: ergo prædicatio est immediata.

Resp. Hominem mediare, non qua animal, nec qua rationale reduplicative, aut solitarie sumptum ly animal, & rationale, sed qua animal rationale, seu qua homo specificative sumptus.

89. Objic. 6. Animal immediate præscinditur ab individuis completis: ergo immediate prędicatur de illis.

Resp. Dist. antec. immediate secundum differentias rationalis, & hinnibilis, iuxta quas specie differunt, concedo; secundum differentias individuales Petreitatis, & equinitatis, nego. Genus namque prędicatur de pluribus differentibus notabiliter: ergo præscinditur immediate á notabiliter differentibus: Sed Petrus, & equus non differunt notabiliter secundum differentias individuales, sed secundum differentias hinnibilis, & rationalis: ergo non præscinditur

ditur immediate ab eis secundum differentias individuales, sed secundum formales, per quas constituuntur in esse notabiliter differentibus, de quibus solum immediate prædicatur genus.

90. Objic. 7. Si Rex per se ipsum alicui comiti supra totum Peruvium potestatem conferret, & similiter alicui Duci supra vnam tantum civitatem, licet hęc potestas esset minus lata, quã alia, vtraque tamen esset immediatè accepta á Rege: ergo genus ęque immediaté participabitur ab specie, quam ab individuo, quamvis in hoc magis, imitetur eius potestas, quam in illa.

Resp. Casum non dubito, sed nego ita se habere genus respectu individui, ac se haberet Rex respectu Ducis, nam potestas Regia in sui communicatione respectu Ducis non dependet necessario á communicatione respectu Proregis, vnde potest communicari immediate Duci; at vero potestas generis in communicatione ad individua dependet logice iuxta ordinem optimæ prædicationis á communicatione ad speciem, ideoque nequit individuo communicari, quin prius communicetur speciei.

SVBSECTIO II.

AN DENTVR INDIVIDVA INcompleta immediata generis?

91. IAm supra notavi, individuum completum vocari, quod continet omnes gradus metaphysicos contractos per differentiam vltimam, vt *Petrus*. Nunc noto, individuum incompletum esse, quod non continet omnes, sed solum aliquem, vel aliquos gradus contractos per differentiam non vltimam; vt *hoc ens, hac substantia, hoc vivens*, &c.

92. Noto primo, individuationem, seu differentiam individualem non esse idem, ac vnitatem formalem; vnitas formalis est id, ratione cuius vnum non est aliud. Differentia individualis est id, ratione cuius vnum non est sicut aliud, non aliqua differentia notabili, sed aliqua non notabili. *D*ifferentia individualis supponit vnitatem formalem, nam vt vnum non sit sicut aliud necessario debet non esse aliud; iam diximus pro vnoquoque gradu metaphysico assignari suam propriam vnitatem formalem, ratione cuius ens, quod est in Petro, non sit ens, quod est in Paulo, & sic de reliquis gradibus, ex quibus omnibus vnitas completa resultat. Nunc quærimus, an similiter pro vnoquoque gradu metaphysico entis debeat assignari propria differentia individualis, seu individuatio partialis, ex quibus vna totalis, & completa individuatio resultet? Hoc est an sicut pro substantia, quæ est in Petro assignatur vnitas formalis ratione cuius dicitur; *hæc substantia non est illa*; ita assignari debeat etiam individuatio, seu differentia individualis ratione cuius dicatur: Hæc substantia non est sicut illa?

93. Prima sententia negat. Ita Exim. Doct. Thomistæ, & Spinula.

Secunda sententia affirmat. Ita P. Hurt. P. Arriag. Ovied. Compt. Peinad. & communiter. RR. Suar. Lusit. & Olea.

94. Prob. Individuatio est id, ratione cuius vna entitas non est sicut alia; sed cuilibet gradui metaphysico reperto in Petro v. g. convenit hoc, quod est non esse sicut alius gradus repertus in Paulo: ergo cuilibet gradui convenit sua propria individuatio, seu individualis differentia. Mai. est certa, & patet á paritate individuationis completæ. Prob. min. Cuilibet gradui metaphysico reperto in Petro competunt aliquæ modales perfectiones, quarum aliud quodcumque individuum non est capax; v. g. ens hoc, quod est in Petro, petit has numero vbicationes, & durationes, has numero cognitiones, & amores, quorum quodlibet aliud individuum non est capax. Item hanc numero actionem creativam Dei, quam nullus alius gradus terminare potest. Similiter hęc substantia Petri petit hãc numero subsistentiam, has actiones productivas accidentium. Hoc viuens Petri postulat has numero actiones vitales. *D*enique hoc rationale Petri sibi exigit has ratiocinationes numero, &c. Sed hæc omnia arguunt cuilibet gradui competere non esse sicut aliud: ergo.

95. Prob. min. Inde inferimus Petrum non esse sicut Paulum ratione Petreitatis, quia Petrus exigit operationes diuersas, quarum incapax est Paulus, sed quilibet gradus metaphysicus exigit operationes diuersas, quarum quicumque alius gradus est incapax: ergo.

96. Confirm. Indiuiduatio ingenere metaphysico se habet vt subsistentia ingenere physico: ergo sicut ingenere physico pro quacumque partiali substantia partialis subsistentia probabiliter assignatur, ex quibus subsistentia totalis, & completa resultet, ita pro quocumque gradu metaphysico partialis indiuiduatio debet assignari, ex quibus vna resultet indiuiduatio totalis.

97. Nota, tam vnitates formales trascendentales, quam differentias indiuiduales ob penuriam vocum significari pronomine demonstratiuo *hic, hæc hoc*, appellarique hæcseitates incompletas, sed cum hac differentia, quod vnitates formales appellantur hęcseitates homogeneæ, quia sunt similes, licet distinctę; Differentię tamen indiuiduales, hæcseitates hæterogeneæ, quia dicunt dissimilitudinem.

98. Hinc infertur, quod sicut diuersitas specifica inter Petrum, & equum oritur ex operationibus, modis, & perfectionibus notabiliter differentibus, quæ Petro, & equo correspondent, ita diuersitas indiuidualis inter Petrum & Paulum, inter hoc animal Petri, & hoc animal Pauli, provenit ex diuersis modis, perfectionibus, & operationibus non differentibus notabiliter, iuxta prudentum existimationem, ita tamen differentibus, vt arguant dissimilitudinem in principijs.

99 Obijc. 1. cum Spinul. Cum dicitur *hoc animal*, vel ly *hoc* cadit supra animal secundum se, & aparte rei xistens, vel supra animal, vt mente conceptum, & præcissum? Si primum, ergo non est indiuiduum incompletum, sed completum, cum sit tota entitas rei. Si secundum, etiam non est indiuiduum incompletum, sed completum, cum sit ipsa cognitio: ergo per ly hoc animal non significatur indiuiduum completum.

100 Retorq. *E*rgo animal non est vniuersale obiectivum. Prob. Nam per ly *animal*, vel significatur animal, vt est á parte rei, & sic est singulare, vel prout præscissum, & sic est singularis cognitio.

Resp. ly *hoc* cadere supra animal aparte rei, sed inadæquate, non vero adæquate cognitum, sicut dum dicitur animal præscissum, ly præscissum non cadit supra præscissionem, sed supra animal, non vt est aparte rei vt cumque, sed supra animal existens á parte rei inadæquate conceptum, ideoque dicens, & connotans in obliquo cognitionem.

101 Objic. 2. Si daretur indiuiduum incompletnm generi immediatum, daretur etiam individuum incompletum immediatum speciei; sed hoc á nemine conceditur; ergo nec illud debet concedi. Probatur sequella. Inde potest inferri, dari indiuiduum

dum incompletum immediatum generi quia cum á longe video aliquid remouens, cognosco individuum incompletum animalis, quin cognoscam, an sit Petrus, vel equus? Ac proinde quin cognoscam individuationem cōpletam; sed similiter possum á longe aliquem esse hominem cognoscere, quin cognoscam, an sit Petrus, vel Paulus? Ergo quin cognoscam individuationes completas, cognoscerem hominem, secundum incompletam individuationem.

102 Resp. Nego, sequelam. Ad probationem dic, quod si solum respiciam sensationes, tantum cognoscam vnitatem transcendentalem, hoc est, illud esse vnum animal, si tamen per comparationem ad aliud animal etiam alonge conspectum cognoscam diversitatem sensationum, tum cognoscam differentiam individualem incompletam. Similiter si video alonge aliquem hominem, si cognosco tantum ratiocinationes, cognoscam solum vnitatem transcendentalem, non individuum incompletum, hoc est, cognoscam, esse vnum hominem. Si tamen per comparationem ad alium hominem cogosco diversitatem in ipsis ratiocinationibus, tunc cognoscam individuum completum, præscissum tamen a taleitate individui, vel non cognosco illum sub nomine Petri, cum ergo taleitas indiuidui non sit aliquis gradus vltimus, licet nō cognoscatur, totum individuum cognoscitur. Non tamen totum cognoscitur, quando solum attingitur hoc animal, cum alij remaneant gradus complentes individuum.

103. Obj. 3. Cuilibet gradui metaphysico non correspondet partialis differentia rationalis, sed vna differentia indivisibilis, scilicet rationale cōtrahit omnes gradus entis, viuentis, substātiæ, &c. ad vnam speciem completam: ergo neque cuilibet gradui metaphysico correspondet partialis individuatio, sed vna differentia indivisibilis omnes gradus ad vnum completum individuum contraher.

104. Resp. Assignando maximam disparitatem inter rationale, & differentiam indiuidualem, illud namque est rationale, cui correspondet vt effectus ratiocinatio, illud vero est individuum, cui correspondent operationes non necessario notabiliter differentes, dissimiles tamen, cum ergo cuilibet gradui hominis non correspondeat ratiocinatio, neque enim hoc ens, neque hæc substantia, neque hoc viuens ex suo conceptu connotant, exigunt ve ratiocinationes, inde est, quod pro quolibet gradu non assignetur rationalitas partialis; at vero cum quilibet gradus exigat suas peculiares actiones, effectus, & proprietates, vt probavimus, inde est, quod pro quolibet gradu peculiarem, partialemque assignamus differentiam individualem.

105 Objic. 4. Maxima incommunicabilitas, & vnitas supponit minorem incommunicabilitatem, & vnitatem; sed individualis est maxima vnitas, & incommunicabilitas, & specifica est minor: ergo individualis vnitas supponit specificam. Tunc sic; sed vnitas, quę supponit vnitatem specificam non est incompleta, sed completa; ergo non datur incompleta individuatio.

106 Confirm. Genus nōn potest multiplicari in individua, nisi prius multiplicetur in species: ergo omnis vnitas individualis debet supponere specificam, ac proinde debet esse completa.

107 Resp. Disting. mai. Supponit minorem incommunicabilitatem eiusdem lineæ. Concedo, alterius lineæ, nego. Concedo min. & Disting. conseq. Ergo individualis vnitas supponit specificam suæ lineæ, concedo alterius lineæ, nego. Nego item minorem subsumptam. Certum est, ordinem descensus servari inquocumque gradu, hoc est, quod genus propriæ lineæ prius descendat ad speciem, postea vero ad indiuiduum, v.g. sicut animal prius descendit ad hominem, postea ad Petrum, quia Petrus supponit animal vt genus suæ propriæ lineæ, ita viuens, quod est genus lineæ indiuidui incompleti prius descendit ad animal, postea vero ad hoc animal, nam genus huius lineæ non est animal, sed viuens; Animal enim, vt subsectione sequenti videbimus, se habet vt species huius lineæ. Hinc patet solutio confirmationis, ad quam concedo totum, sed nego vltimā deductionem, & suppositum illius, quod omnis indiuiduatio supponens gradum specificum suę lineæ debeat esse completa, cum non sit vltimus gradus vlterius non contrahibilis per alias differentias.

SUBSECT. III.

QVOMODO PRÆDICETVR Genus de individuis incompletis?

108. Quæstio supponit indiuidua incompleta. Item genus de eis prędicari; v.g. *Hoc animal est animal*, & quærit quomodo prædicetur?

Prima sententia tenet, prædicari vt genus formaliter tale. Ita P. Hurt. & P. Compt. & M. Linc. lib. 2. q. 1. art. 6. n. 10

Secunda sententia tenet, prædicari vt speciem. Ita PP. Arriag. Ovied. Sancta Cruz. Peyn. & communiter.

109. Dico primo. Genus prædicatur immediate de indiuiduis incompletis. Prob. Inter animal genus, & hoc animal individuum incompletum nil mediat: ergo prædicatio animalis de hoc animali est immediata. Prob. antec. Si aliquid mediaret, vel esset differentia essentialis, scilicet rationale, vel species scilicet homo; sed inter animal, & hoc animal non mediat differentia, nec species, cum possit concipi hoc animal, quin rationale, aut homo concipiantur, hi enim gradus sunt posteriores: ergo nil mediat: ergo hęc prædicatio, *hoc animal est animal*, est immediata.

110. Dico 2. Genus non prædicatur vt genus, sed vt species de individuis incompletis. Prob. Genus prędicatur de differentibus specie, & species de differentibus numero; sed individua incompleta non differunt specie sed solum numero; ergo genus dum prædicatur de illis, non prædicatur vt genus, sed vt species. Prob. min. Individua completa. U.g. Petrus, Paulus, non differunt specie sed solum numero: ergo neque individua incompleta v. g. hoc animal, & illud animal differunt specie, sed solum numero. Patet consequentia. Tota differentia specifica inter hominem, & leonem v. g. non oritur ab animali, sed á differentia rationalis. & rugibilis; sed differentiæ rationalis, & rugibilis nullo modo ingrediuntur in individua incompleta, huius, & illius animalis: ergo hæc non distinguntur specie.

111 Confirm. Illud non prædicatur, vt genus sed vt formaliter species, quod prædicatur vt tota essentia logica, sed genus prędicatur de individuis incompletis vt tota essentia logica: ergo. Prob. min. Species prędicatur de individuis completis v. g. homo de Petro, & Paulo vt tota essentia logica. Ergo, & genus prædicatur de individuis incompletis v. g. animal de hoc, & illo animali, vt tota essentia logica. Prob. conseq. Ideo species prædicatur vt tota essentia logica de individuis incompletis, quia Pe-

Petreitas, & Pauleitas, quæ sunt individuationes completę non constituunt, sed supponunt essentiam logicam constitutam; sed similiter hæcseitates, & individuationes incompletæ non constituunt, sed supponunt totam essentiam logicam constitutam: ergo etiam genus prædicatur vt tota essentia.

112 Objic. 1. contra primam conclus. Gradus vltimus supponit non vltimum; sed gradus individualis est vltimus, & specificus non vltimus: ergo gradus individualis supponit specificum. Tunc sic: ergo gradus genericus prius debet descendere ad specificum, vt pote non vltimum, quam ad individualem vltimum: ergo prædicatio generis de individuis incompletis non est immediata.

113 Iam supra subsect. antec. n. 103. ad simile argumentum respondi. Nunc dic, individuum incompletum non esse vltimum gradum eorum, quæ sunt in Petro, hic autem est indiuiduatio completa, indiuiduum incompletum supponit specificum suæ lineæ, gradus vero specificus suæ lineæ est gradus genericus respectu lineæ individui completi, v.g. animal est species respectu lineæ indiuidui completi, huius scilicet animalis, & est genus respectu lineæ indiuidui completi, Petri videlicet.

114. Objic. 2. Si genus prædicaretur immediate de individuis incompletis, non prædicaretur immediate de specie; atqui de specie immediatè prædicatur: ergo non prædicatur immediatè de indiuiduis incompletis. Prob. Sequela. Ideo prædicatur genus mediate de indiuiduis completis, quia prius prędicatur de specie, quæ est media inter genus, & indiuiduum completum. Sed indiuiduum incompletum est medium inter genus, & speciem: ergo.

115. Resp. Neg. Sequel. Ad prob. Disting. mai. Ideo prædicatur genus, &c. quia prius prædicatur de specie, quam de indiuiduis completis, & de specie, & indiuiduis prædicatur vt genus; concedo, & de indiuiduis prædicatur vt species, & de specie vt genus; sicut prædicatur genus de specie, & indiuiduis incompletis. Neg. Non repugnat, quod idem genus immediatè per indiuiduationem incompletam contrahatur, vt species ad indiuiduum incompletum, & etiam immediate per differentiam, vt genus ad speciem; sicut enim materia prima determinatur immediate ad compositum per formam, & ad suppositum etiam immediate per subsistentiam, sic genus, quod est quasi materia logica, contrahitur per differentiam, quæ est quasi forma, ad speciem, & per individuationem incompletam, quæ est quasi subsistentia logica ad indiuiduū incompletum. Ratio est, quia id, quod mediat in vno genere non tollit immediationem in alio.

116 Objic. 3. Genus definitur immediate in ordine ad species: ergo non contrahitur immediate ad indiuidua.

Resp. *Disting.* antec. genus vt genus, conced. genus vt species. neg. solutio constat ex dictis, & ex dicendis constabit.

117 Objic. 4. contra 2. conclus. ex P. compt. Si hoc, & illud animal solo numero distinguerentur, sequeretur, quod in Petro daretur aliquid á parte rei, quod specie differret ab equo, & aliquid, quod non differret specie, sed solo numero. Assumptum quoad primam partem est certum; quoad secundam partem probatur, quia si in Petro non esset aliquid, quod solo numero differret ab equo, non posset in eo talis ratio reperiri.

118 Resp. neg. Assumptum, & suppositum eius, quod à parte rei detur in Petro aliquid, & aliquid realiter actualiter, aut individuum incompletum, prout hoc nomine significatur. A parte rei solum datur vna entitas realis, quę simul convenit, & disconvenit cum equo, in hac autem reali entitate intellectus vi, & efficacia propria dividit, & præscindit illud, per quod conveniunt Petrus, & equus, ab illo, per quod differunt, & sicut separat animal ab omni differentia, & hæcseitate, ita separat hoc animal, & illud animal adifferentijs Petri, & equi, cum autem hoc, & illud animal specie differant per differentias, & ab his separetur, manent formaliter solo numero distincta.

119 Objic. 5. Implicat, duo solo numero distincta identificari realiter duobus specie diversis: ergo cum hoc, & illud animal identificentur Petro, & equo specie diversis, implicabit, quod solo numero distinguantur interse. Ergo si specie distinguntur, genus prædicabitur de eis vt genus.

120 Resp. Disting. antec. implicat duo solo numero distincta, &c. Duo positive, & realiter solo numero distincta, conced. Duo solum præscissive, & formaliter distincta. Neg. Sicut animal, quod, prout præscissum nullam dicit diversitatem, realiter identificatur cum prædicaris diversis, sic hoc, & illud animal, quæ prout præscissa nullam diversitatem involvunt, solo que numero distinguntur, realiter possunt cum speciebus diversis identificari quia conceptus pręscissus, licet diversitatem non importet, eam tamen positive non excludit, vnde cum ea potest identificari, sicut animal pręscissum, licet non dicat rationale, illud non excludit positive, ideoque cum eo potest realiter identificari.

121 Objic. 6. Cum dicitur, hoc animal, vel ly *hoc* determinat ad aliquã speciem, & sic iam erit prædicatio specifica hæc, *hoc animal est animal*; vel relinquid illud indifferẽs ad plures species, & sic iam erit genus, & non individuum incompletum, nam genus est, quod habet indifferentiam ad plures species.

Resp. ly *hoc* nec determinare animal ad aliquam speciem, cum non sit differentia, nec relinquere animal cum sua vniversali vnitate, nam hæc denudatur ab omni, non solum individuali differentia, verum etiam ab vnitate formali, seu attributali, sed determinare animal ad aliquam individuationem in linea incompletæ.

122. Obj. 7. Indiuiduatio incompleta indiuidui humani exigit essentialiter naturam humanam, & excludit naturam equinam; similiter indiuiduatio incompleta indiuidui equini exigit essentialiter naturam equinam, & excludit humanam; sed individuationes exigentes essentialiter terminos specie diuersos, & se invicem excludentes specie differunt inter se: ergo. Prob. mai. quia quęcumque indiuiduatio est singularis, ac proinde suas proprietates, & naturam exigens.

123. Resp. Neg. mai. & suppositum, quod indiuiduatio incompleta concipiatur vt indiuidui humani, aut equini, alias iam cognoscerentur differentię; solum cognoscitur hoc animal, & illud animal ab omni exigentia positiva, & exclusione positiua denudatum, & licet quælibet indiniduatio sit singularis, non est singularis intra speciem hominis, aut equi, sed intra rationem gradus indiuidui incompleti, hoc est intra lineam animalis exigentem non ratiocinationes, sed sensationes speciales, quæ intra lineam etiam sensationis non sunt operationes notabiliter diversæ.

124 Objic. 8. Plus differunt differentię individuales Petri, & equi, quam Petri, & Pauli, sed hę solo nu-

meo-

mero differunt : ergo illæ differunt specie.

Resp. Disting. mai. differentiæ completæ ratione differentiarum essentialium, quas contrahunt. Concedo. Ratione differentiarum individualium incompletarum. Neg. Certum est differentias completas Petri, & equi differre specie iterse ratione rationalis, & hinnibilis, quę contrahunt, ac pro inde plusquam differentiæ individuales Petri, & Pauli, quę differentias essentiales diversas non contrahunt, sed hoc non habent eo, quod sint differentiæ individuales vt cumque, sed eo quod sint differentię individuales completæ, de quibus non loquimur, sed de incompletis, quæ vt tales non conrrahunt, sed supponuntur ante speciem.

125 Objic. 9. Hæc prædicatio, *hoc ens est ens*. Non est prædicatio specifica; ergo nec hæc *hoc animal est animal*. Prob. antec. Ens non est species, cum nullum genus superius ante se supponat, exquo, & ex differentia in esse speciei componatur. Ergo.

Resp. 1, ex probatione antecedentis constare, disparitatem inter ens, & animal, nam si ens non admittit genus ante se, hoc admittit animal; ergo licet ens nequeat vt species prædicari, hoc in animali neutiquam evenier.

Resp. 2. Cum P. Arriag. Argumentum solum probare, ens non esse speciem subijcibilem, cum non habeat genus superius, cui subiectetur, non vero non esse speciem prædicabilem, ad quam solum requiritur, quod sit prædicabilis in quid complete de differentibus numero, qualiter est ens.

SECTIO V.

ANGENVS, ET DIFFERENTIA sumatur à tota rei entitate.

126 THomistę omnes negant afferentes genus sumi á materia, & differentiam á forma. Iesuitę omnes affirmant tam genus, quã differentiam sumi á tota rei entitate.

127. Prob. Si genus sumeretur á sola materia, sola materia esset animal, vnde in lapide vbi est materia esset animal, & in Deo, & Angelo, vbi non est materia non esset genus. Si differentia sumeretur á sola forma, in anima separata maneret rationale, & consequenter homo, implicat enim, manere differentiam, & speciem non manere. Item sicut materia distinguitur realiter à forma, genus distingueretur realiter à differentia, quę omnia repugnant.

128. Stet ergo, tam genus, quam differentiam á tota rei entitate sumi, cum toti rei entitati identificetur, totus enim homo convenit cum bruto, & totus disconvenit cum bruto; ergo id, per quod convenit, quod est genus, & id, per quod disconvenit, quod est differentia, á toto homine sumitur, cum toto que identificatur.

129. Nec valet dici, genus sumi á materia connotãte forma, & differentiam á forma connotante materiam. Nequit enim esse pure connotatum, & non constitutivum id, quo ablato, manentibus omnibus alijs non manet res; sed ablata forma, Anima v. g. manente materia, non manet animal, vt patet incadavere, inquo manet eadem materia, & ex sola ablatione formæ, non manet animal; ergo hoc tamquam á constitutivo desumitur etiam á forma.

Si

130. Si opponas 1. D. Thomam. Dic solum dixisse genus metaphysicè assimilari materiæ physicæ, & differentiam formę physicæ, nam sicut materia physicè est indifferens ad hanc, vel illam formam, & per formas determinatur ad hoc, vel illud compositum, sic genus metaphysicè est indifferens ad species, & per differentiam determinatur ad vnam potius, quam ad aliam.

131. Si opponas 2. Rationem materiæ abstractam á pluribus materijs specie diversis possibilibus esse genus, quin desumatur ab vlla forma. Respondebo, me; non defendere omne genus debere desumi á forma, sed debere desumi á tota entitate rei, sive hæc habeat, sive non habeat formam, sic á Deo sumuntur plura genera, quin á materia sumantur.

132. Si opponas 3. Materiam nec partialiter esse viuentem, sensitivam, & rationalem, cum nec partialiter viuat, aut ratiocinetur: ergo gradus viuentis, sensitivi, & rationalis non desumuntur á materia, sicut è contra gradus corporei non desumitur ab anima rationali, quæ spiritualis est: ergo à sola materia.

Resp. Quod licet materia non sit partialiter viuens, sentiens, &c. constituit tamen hos gradus, & has denominationes heterogeneas resultantes ex principio activo, quod est anima, & etiam ex passivo recipiente actus vitales, quod etiam constituit materia. Vnde ex vtraque resultat animal, quod non solum est principium activum, sed etiam passivum. Idem dico de gradu corporei, quod ab anima spirituali desumitur heterogeneè, gradus enim corporis completi, quod est genus respectu hominis, animam onvolvit, neque est corpus purum, sed mixtum ex corporeo, & in corporeo.

133. Si opponas 4. Quod iam genus includeret formam, si ex ea constitueretur, vnde non esset vniuocum, item includeret inferius, nam inferius est totum physicum, quod essentialiter involveret, si cum eo adæquatè identificaretur.

Resp. Genus non includere forman sub conceptu talis formæ, sed sub conceptu formæ præscindentis ab hac, vel illa in particulari, vnde maneret vniuocum, item nec includeret inferius, nam hoc est totum physicum, & vt tale à genere non includitur, sed vt totum.

134 Si opp. 5. Animal, & rationale distingui formaliter oiectivè; ergo si vtrumque desumeretur à materia, forma, & vnione, materia, forma, & vnio distinguerentur obiectiue formaliter á se ipsis, nam eo modo, quo constituta distinguntur, debent constitutiva distingui.

Resp. materiam, formam, & vnionem inadæquate sumptas, vt constituunt principium sensationum obiective formaliter distingui á se ipsis inadæquate sumptis, vt constituunt principium ratiocinationum, in quo nulla apparet repugnantia.

135 Si Deniqae opponas. Materiam primam esse radicem totius potentialitatis. Ergo cum genus in ordine metaphysico sit potentia, á materia, & non aforma desumitur. Resp. denique negando antec. Nam nec materia prima est ita pura potentia, vt non habeat actum entitativum, & existentialem, vt dicitur in physicis, nec totius potentialitatis est radix, quia in Deo, & Angelis, in quibus uon datur materia, datur genus, quod est potentia metaphysica. Item radix potentialitatis metaphysicæ est convenientia, & actualitatis disconvenientia; sed totus homo convenit, & disconvenit; ergo tous homo est radix potentialitatis, & actualitatis.

136 Rogas. 1. Angenus requirat essentialiter plures species? Resp. affir-

ma-

matiue; vt patet ex generis definitione. Nam vt sit prędicabile de pluribus notabiliter differentibus, plura notabiliter differentia requiruntur, vnde iam supradixi, quod si redderetur impossibile omne brutum, ratio animalis non esset genus.

137. Rogas 2. An tales species debeāt esse actualiter existētes? Resp. Negatiue, sufficit enim, quod sint possibiles species, vt ab eis abstrahatur aliqua ratio generica.

138. Rogas 3. Quotuplex sit genus? Resp. Triplex esse genus. Supremum, medium, & infimum. Supremum, quod sub alio genere non continetur, & hoc appellatur subalternum. Infimum, quod continetur sub alio, & subse solum continet species, non vero aliud genus, et appellatur subalternatum. Medium, quod continetur sub alio genere, et ipsum alia sub se continet, et appellatur subalternans, et subalternatum.

DISPUTATIO II.

DE SPECIE SECVNDO PRÆDICABILI, & de individuo eius correlativo.

139. SPecies est duplex, subjicibilis, & prædicabilis. Subjicibilis dicitur, prout respicit genus, & illi subiectatur. Prædicabilis prout respicit inferiora, & de illis prædicatur. Sit nunc.

SECTIO I.

DEFINITVR SPECIES PRÆdicabilis.

140. HÆc est definitio. Species prædicabilis est. *Prædicabile tantum inquid immediatè de differentibus numero.* Ly *Prædicabile.* Est ratio generica ad quinque prædicabilia. Per ly *tantum inquid.* Secernitur â differentia, quæ non solum in *quid* sed in *quale* prædicatur. Additur ly *tantum* ob eandem rationem, ac dicitur in definitione generis. Dicitur *immediate de differentibus numero*, quia etiam genus prædicatur de differentibus numero, mediate tamen; vnde necessarium duxi addere particulam illam *immediate.* Etiam per ly in *quid* differt â proprio, & accidenti, quæ in *quale* tantum prædicatur; non ponitur in quid complete, quia ex ipso quod differentibus solo numero dicatur prędicabilis, iam supponitur hoc dictum. Non dicitur de pluribus, quia in differentibus pluralitas includitur.

141 Objic. 1. Personalitates diuinæ sunt species, cum notabiliter differant, & tamen non prædicantur de pluribus differentibus numero. Persona namque Patris, & sic de alijs, de solo Patre est prædicabilis.

142 Resp. Personalitates diuinas esse species metaphysicas, non tamen logicas, seu prędicabiles. Unde illis hæc definitio non competit, vel esse species tantum subijcibiles, hoc est, sub aliquo genere contentas, nempe sub ratione personæ vt sic ab eis abstractæ.

143. Objic. 2. Deus prædicatur de tribus diuinis personis solo numero distinctis; sed non est species: ergo non

non quidquid est prædicabile de differentibus numero, est species.

144 Resp. neg. Suppositum, quod Deus sit vniuersalis, cum non sit plura, seu multiplicabilis sub eodem nomine, & ratione, vt ad vniversale requiritur; si enim ratio vniuersalissima ad omnia prædicabilia illi deficit, quid mirum quod species non sit?

145 Objic. 5. Ratio speciei abstractę ab omnibus speciebus esset species; sed non prædicaretur de differentibus tantum numero, sed de differentibus specie, nam species inter se specie differunt: ergo.

146 Resp. Disting. mai. est species signate, conced. exercite. neg. Hoc est ratio speciei ab omnibus speciebus abstracta, significaret, & sonaret speciem; exercite tamen esset genus, cum prædicatur de pluribus differentibus specie.

147 Obj. 4. Species est prędicabilis de differentibus plusquam numero: ergo non recte definitur per Prædicabile de differentibus numero. Prob. antec. ratio vnionis abstracta ab omnibus vnionibus, quibus materia, & forma hominis vniri possunt, est species; sed hæc ratio prędicabilis est de plusquam numero differentibus. Ergo. Probatur min. Hæc ratio prædicabilis est de vnione existente, & de vnionibus possibilibus inter materiam, & formam Petri, & etiam de vnionibus possibilibus inter materiam, & formam Pauli. Sed vniones inter materiam, & formam Petri, & inter materiam, & formam Pauli plusquam numero differunt inter se. Ergo. Prob. vninor. Plus differunt vniones Petri ab vnionibus Pauli, quem vniones Petri interse, sed vniones Petri differunt interse numero. Ergo illæ plusquam numero.

148 Confirm. genus potest prædicari de differentibus plusquam specie: ergo species de differentibus plusquam numero. Antec. prob. In animali plus differunt homo, & equus, quam equus, & leo; sed equus, & leo differunt specie: ergo homo, & equs differnnt plusquam specie. Ergo animal, quod de homine, & equo prędicatur, de differentibus plusquam specie prædicatur.

149 Resp. Certum esse, plus differre vniones Petri ab vnionibus Pauli, quam vniones Petri inter se, sicut plus differt sapiens ab stulto, quam sapiens á sapiente, at sicut hic maior excessus sapientis respectu stulti, quam sapientis ad sapientem sufficient non est, vt plusquam numero differant, ita illa maior diversitas vnionum Petri ab vnionibus Pauli eas plusquam numero distinctas non constituit; *magis enim, & minus non variant species.* Sic intra eamdem speciem individua substantialiter inæqualia Philosophi communiter defendunt.

110. Ad confirm. Resp. Quod licet homo, & equus plus differant inter se, quam equus, & leo, hæc tamen differentia non extrahitur á ratione specifica, nam homo, & equus non differunt generice, sed tantum specifice, differentia namque desumitur à prædicato rationali, & irrationali.

111. Rogas: an definitio prædicetur vt species de definito. Affirmant P. Izquierd. & P. Sancta Cruz, quia prædicatur tota essentia. Negant communiter RR, quia licet prædicetur tota essentia, non prædicatur *inquid tantum* vt requiritur ad speciem, sed in *quid* ratione generis, & in *quale* ratione differentiæ. Res est denomine, sed vltimum probabilius.

SECTIO II.

AN SPECIES PLURA REQUIRAT individua, vt sit vniversalis.

112. HIc supponitur, dari aliquam speciem, quæ ita tota salvetur in vnico individuo, vt illi multiplicitas individuorum repugnet; & ita se habere de facto Angelos ex S. Thom. defendunt Thomistæ. Ideoque in natura Michaelis vt in determinato exemplo disputari solet præsens quæstio. Quærit enim vtrum hęc natura Michaelis (idem de alijs immultiplicabilibus dic) quam in plura individua immultiplicabilem supponimus, sit vniversalis, nec ne?

113. Fere omnes Thomistę pro Caietano D. Thomam deserentes ita tenent, talem naturam esse vniuersalem, vt Galleg. nomine Thomistæ indignum dicat eum, qui contrarium defendere tentaverit; sed huic honori fere renuntiat problematicus Ortiz tract. 3. conf. 4 §. 3. immo re ipsa eo sese libenter pro veritate privant Recentiores Thomistæ M. M. Pradus, & Lince, pro se alios in manuscriptis referentes apud nostrum Peyn. tract. 2. de prędicabilibus. d. 2. n. 17. Sed vt nomen retineant ad nova confugiunt. Dicunt enim naturam Michaelis á sua singularitate abstractam esse vniuersalem non positive, sed negative, hoc est, non esse prędicabilem de pluribus, cum ad plura referibilis non sit, sed tantum ita præscissam non esse singularem, cum á singularitate sit abstracta, & hoc vocant vniuersale negative. Quod certe á nemine negabitur.

114. Omnes nostri *DD.* (vno excepto P. Izquierdo in præsenti Thomistarum sectatore) contrarium tenent & etiam Scotistę apud Ponz. d. 3. q. 4. quibus adde Spinulam. d. 7. sect. 4.

115. Dico primo. Stando principijs adversariorum. Natura Michaelis nequit esse vniuersalis adhuc negative. Hoc militat contra Pradum, & Lync. Prob. primo. Ideo talis natura esset vniversalis negative, quia præscinderetur á singularitate, sed in Thomistarum principijs nequit à singularitate præscindi; ergo neque esse vniuersalis negative. Prob. min. in Thomistarũ principijs singularitas, & immultiplicabilitas est de essentia naturæ Angelicæ, sed nil potest præscindi ab eo, quod est de eius essentia, sic homo nequit præscindi ab animali nec animal á viuente; ergo. Prob. 2. Singularitas Michaelis est Michaeleitas, sicut singularitas Petri est Petreitas; sed quia de essentia Petri est singularitas, Petrus á Petreitate non pręscinditur; ergo quia de essentia naturæ Michaelis est singularitas á Michaelitate non præscinditur. Tunc sic; sed natura Michaelis á Michaelitate non præscissa nequit esse vniuersalis ad huc negative: ergo.

116 *Dico.* 2. Ad huc admisso, quod natura Michaelis á sua singularitate præscinderetur non esset vniuersalis. Prob. 1. Angelici *Doctoris* authoritate. 1. p, q. 3. art. 9. in corpore, vbi ait, *nomen Deus non esse vniuersale, quia incommunicabile*; vbi manifeste ad vniuersale requirit pluralitatem, lib. 1. sententiarum dist. 19. q. 4. art. 2. In corpore ad vniuersale requirit pluralitatem in his, quę sub ipso continentur, vel actu, vel potentia. Tunc sic; sed natura Michaelis, nec plurificatur, nec sub se continet plura actu, & potentia. Ergo nullo modo est vniversalis.

117 Prob. 2. ratione. Natura vniuersalis, vt ex eius definitione constat debet esse prædicabilis de pluribus, ac consequenter identificabilis cum pluribus, debet esse vna, & plures; sed natura Michaelis non est prædicabilis, nec identificabilis cum pluribus, nec item est plures: ergo non est vniuersalis. Prob. min. Solum est prædicabilis natura de eo, â quo fuit abstracta, & tantum identificabilis cum eo, quocum realiter identificatur; sed natura Michaelis solum fuit abstracta ab eo, & cum eo tantum realiter identificata: ergo.

118 Prob. 3. Sicut se habet genus ad species, ita se habet species ad individua; sed iuxta Thomistas non datur genus prædicabile, vbi non sunt plures species; ergo nec species prædicabilis, vbi non fuerint plura individua. Ab hac efficacissima paritate per peram se expediunt adversarij.

119 Prob. 4. etiam ad hominem. Eatenus illa natura pręscissa á singularitate esset vniuersalis, quatenus ita præscissa non diceret repugnantiam multiplicitatis; sed ita præscissa dicit repugnantiam multiplicitatis. Ergo. Prob. min. Ita præscissa est essentialiter immaterialis, & spiritualis; ergo ita præscissa dicit repugnantiam multiplicitatis. Patet conseq. Tota multiplicitas indiuidualis iuxta Thomistas provenit á materia signata quãtitate; sed naturæ essentialiter spirituali essentialiter repugnat materia signata quantitate. Ergo & multiplicitas.

120 Confirm. illi speciei realiter repugnat multiplicitas individualis, vt supponitur. Rogo, vel præscindatur secundum illam rationem, qua illi repugnat multiplicitas, & materialitas, vel secundum aliam, qua illi materialitas, & multiplicitas non repugnat? Si primum? Ergo non erit vniuersalis; si secundum? Erit vniuersalis, sed non erit species immultiplicabilis, de qua in præsenti loquimur. Patet; nam id, quod multiplicatur, immultiplicabile non est.

121 Obj. 1. & simul respondebis pro Thomistis. Naturam Michaelis esse prædicabilem de pluribus, ergo & vniuersalem. Prob. antec. Natura Michaelis prædicabilis est de Michaele existente & de alijs, quos fingere potest intellectus, vt possibiles: ergo.

122. Resp. Hanc prædicabilitatem fictitiam sufficientem non esse, vt tali natura dicatur positivè prędicabilis; alias Deus respectu Dei possibilis, & impossibilis erit vniuersalis. Item quare similiter non dabitur genus respectu vnius speciei possibilis, & aliarum impossibilium? Item Michael possibilis, & impossibilis differunt in ratione Michaelis. Ergo respectu possibilis, & impossibilis nequit esse vniuoca ratio Michaelis: ergo nec vniuersalis. Insuper responsio destruit suppositũ quęstionis: 1. hic namque supponimus talem naturam esse immultiplicabilem: ergo dum illi multiplicitas apponitur, idem quod supponitur, evertitur. 2. Quia iam illa natura Michaelis non esset species, sed genus. Prob. animal est genus respectu hominis, & bruti, quia homo, & brutum notabiliter differunt, sed plus differunt Michael possibilis, & impossibilis, plus enim differunt ens, & non ens, repugnans, & non repugnans, quam ens, & ens, &c. Ergo natura Michaelis, vt prædicabilis de vero Michaele, & ficto, non erit species, sed genus, vtpotè prædicabilis de differentibus notabiliter.

123. Replic. 1. Natura abstracta ab vnico individuo existente, & alijs possibilibus est vniuersalis per nos; ergo & abstracta ab vnico existente, & alijs impossibilibus. Prob. conseq. Quia non datur maior convenientia inter pure possibile, et existens, quam inter existens, et impossibile. Ergo:

Res

124. Resp. Conced. antec. Ad probationem disting. Quoad prædicata essentialia. Nego. Quoad actualem terminationem actionis productivæ conced. Homo possibilis tam animal rationale est, quam homo existens, vnde in prædicatis essentialibus proprissime cum existenti convenit, non ita possibile, et impossibile; verum, et fictum; ens et non ens; repugnans, et non repugnans. At possibile non terminat actualem productionem, qua ab statu meræ possibilitatis extrahatur, quam terminat existens, et sic in ratione existentis actualiter, in qua non conveniunt non præscinditur ab eis vlla ratio.

125. Replic. 2. Ergo licet natura hæc non sit vniuersalis respectu Michaelis possibilis, et impossibilis vt impossibilis, erit tamen respectu Michaelis possibilis, et impossibilis non vt impossibilis, sed subconditione, quod esset possibilis. Sic respondent plures Thomistæ.

126. Resp. Neg. conseq alias Deus erit vniuersalis respectu huius Dei, et alterius ex suppositione quod sit possibilis. Homo respectu Petri, et equi, ex suppositione, quod esset homo. Quis non videat hoc á ratione absonum! Nō enim datur potentia ad terminum absolute impossibilem sub aliqua conditione impossibili, alias liceret dicere; Deum nunc posse producere Chimęram, ex suppositione quod esset possibilis, vt contra P. Vazq. ipsi tenent Thomistæ: ergo nec potentia, vt prædicetur in natura Michaelis, respectu alterius Michaelis impossibilis ex suppositione, quod possibilis esset?

127. Obj. 2. Cum M. Ioanne á S. Thom. Natura humana præscissa á sua singularitate est vniuersalis: ergo natura Michaelis á sua singularitate p●scisa erit etiā vniuersalis. Pro cōseq. Ideo natura humana est vniuersalis, quia prout ita præscissa illi multiplicitas nō repugnat; sed naturæ Angelicæ prout præscissę multiplicitas non repugnat: ergo.

128 Confirm. 1. illi naturæ ita præscissæ non repugnat multiplicitas ratione sui, sed ratione indiuiduorum, quæ multiplicari nequeunt.

129 Confirm. 2. Licet illi repugnet multiplicitas ex conceptu talis speciei, non ex conceptu speciei vniuersaliter sumptę: ergo ipsa secundum se erit vniuersalis.

130 Resp. Assignando maximā disparitatem inter naturam humanam præscissam, & naturam Michaelis, adhuc permisso, quod hæc possit à sua singularitate præscindi. Natura namque humana sic præcissa est vna, & plures, habet aptitudinem ad essendum, & prædicandum de pluribus, est referibilis ad plura, quę omnia naturę Michaelis abstractæ deficiunt, vnde & illi vniuersalitas deficit. Item iuxta Thomistas cum illa natura abstracta maneat essentialiter immaterialis, manet essentialiter immultiplicabilis, cum iuxta ipsos tota indiuidualis multiplitas á materia proveniat; at naturę humanæ cum non á materialitate, sed ab vnitatibus proveniat sua immultiplicabilitas, & per præscissionem ab eis denudatur manet ex se communis, & multiplicabilis.

131 Ad. 1. Confirm. Resp. Illi naturæ ratione sui repugnare materialitatem cum sit essentialiter spiritualis: ergo ratione sui repugnat illi multiplicitas per vos á materialitate vnice proveniens. In super si impossibilia sunt indiuidua, in quibus talis natura multiplicetur, ergo potentia illius, vt multiplicetur in eis erit vtique impossibilis, nam ad impossibile impossibilis est potentia.

132 Ad. 2. Confirm. Resp. adhuc ex conceptu communi speciei spiritualis illi repugnare multiplicitatem in principijs Thomisticis, cum illi repugnet materialitas, insuper ergo licet dicere; naturam diuinam esse vniuersalem: quia licet ex conceptu talis naturæ repugnet illi multiplicitas, non repugnat ex conceptu animalis; sed nihil ominus dicimus homini hinnibilitatem repugnare absolute, quia si alicui subiecto ratione conceptus specifici repugnat aliquod prædicatum illi absolute repugnat, licet præscissiue secundum communem aliquem gradum non repugnet. Ergo cum naturæ Michaelis multiplicitas repugnet per vos ratione conceptus specifici, licet secundum conceptum naturæ præscissive illi non repugnaret multiplitas, tamen absolute loquendo, hæc illi repugnat. Revoca hic in memoriam vltimam nostram probationem.

133 Replic. 1. Hęc natura abstracta á singularitate non est singularis: ergo est vniuersalis. Confirm. Hæc natura ita abstracta nullam habet ineptitudinem, vt prædicetur de pluribus, cum nullum habeat prædicatum pluralitatis exclusivum: ergo.

134 Resp; transf. antec. Nego conseq. Nam illa natura non esset singularis, quia esset á singularitate præscissa, neque esset vniuersalis, quia non esset apta, vt prædicetur de pluribus; prædicaretur enim de Angelo, á quo præscinditur; tamquam æqualis de æquali, cum latius non pateret. Ad confirm. Resp. Talem naturam ineptitudinem habere ad prædicationem, nam ita præscissa esset spiritualis: ergo, & positiue immultiplicabilis, cum positive careret materialitate qua solum per vos multiplicari poterat. Nota ad omnia argumenta vltimam probationem conclusionis.

135. Replic. 2. Per nos natura abstracta ab vnico indiuiduo est vniuersalis; ergo natura abstracta á solo Michaele vniuersalis erit.

136. Resp. A me non defendi naturam abstractam ab vnico tantum indiuiduo esse vniuersalem, sed potius contrarium. Negatur tamen suppositum, quod possit natura abstrahi ab vno tantum, si dentur alia individua convenientia, sed eo ipso, quod ab vno, ab omnibus etiam abstrahitur, & sic est vniuersalis, at vero, cum vt supponimus, non dentur plures convenientes in natura Michaelis, sed vnicum tantum individuum, natura ab eo pręscissa vniuersalis non erit.

137. Obj. 3. In hac prædicatione, *Michael est Angelus*, Ly Angelus non prędicatur, vt ęqualis de æquali, nec est prædicatio identica: ergo erit vniuersalis de inferiori.

138. Resp. Quod si loquamur de natura specifica Michaelis, antecedens quoad primam partem est omnino falsum, natura namque Michaelis latius non patet quam Michael; valet enim: *Est Michael, ergo est hic Angelus, est hic Angelus; ergo est Michael.* Ergo tale prædicatum est æquale subiecto, si vero loquatur de natura Angelica omni Angelo communi, certè est prædicatio vniuersalis de inferiori, sed etiam certe est extra quæstionis suppositum; loquimur enim de hac natura immultiplicabili. Insuper certum est; prædicationem illam non esse identicam, ad hoc enim sufficit quod prędicatum, & subiectum non proferantur eisdem vocibus.

139. Obj. 4. Natura Michaelis ponitur in prędicamento, non vt genus, aut indiuiduum; ergo vt species.

140. Resp. Poni in prædicamento non vt species prędicabilis, sed subjicibilis, sicut ponitur Deus: etiam ponitur vt indiuiduum non inferius, sed æquale suæ speciei.

141. Replic. Angeli distinguntur specie inter se. Item definiuntur: ergo

 constat

constant genere,& differentiia,sed differentia est vniuersalis: ergo & natura Michaelis prout differt ab alijs erit vniuersalis.

142. Resp.Conced. antec. & disting. conseq. Differentia physica de vno tantum prædicabili,conced.Differentia logica vniuersali.Neg. & similiter disting.minorem subsumptam.

143. Objic. 5. Natura Angelica concipitur instar corporeę;sed hæc est vniuersalis:ergo & illa.

144. Retorq.Angelus concipitur instar iuvenis,hic est homo;ergo & ille. Videas tuum argumentum; ad quod respondetur,non concipi instar corporeæ in omnibus,sed in pulchritudine, agilitate,alijsque conceptibus non repugnantibus naturæ Angelicæ, alias quia concipitur instar corporeæ, esset impenetrabilis,cum corpus impenetrabile sit.Insuper neque ex eo, quod illa natura concipiatur vt vniuersalis, sequitur,esse re ipsa vniuersalem, quod solum negamus.

145. Replic. Natura Michaelis ita confusè potest attingi ab intellectu,vt ignoretur, an sit multiplicabilis, vel non:ergo saltem tunc erit talis natura vniuersalis.

146 Resp. Admitto casum, & neg. conseq.Nam tunc solum sequeretur,intellectum non discernere, an natura illa sit vniversalis, nec ne? Non vero esse positive vniuersalem. Et sicut ex eo quod intellectus non cognoscat, illam naturam esse immultiplicabilem infertur,esse vniuersalem, cum ex eo quod intellectus non cognoscat,illam naturam esse multiplicabilem,non infereтur,esse singularem.

147 Obj. 6. S. Thomam oppositum nobis docentē in nomine *Deus*.

148 Resp. S. Thomam pro nobis stare locis in conclusionis probatione allegatis, & alibi, *Dixit* nomen *Deus* esse vniuersale non absolute, sed iuxta opinionem Gentilium illum multiplicantium. Vt videre est apud P. Hurtad. d. 5. Logicæ. 5, 3. subs. 1, §. 9. sect. 3.

SECTIO. III.

QVID SID SPECIES SVBIICIBILIS, & per quem actum constituatur.

149 SIcut,quod potest esse prędicatum in prędicatione vniuersali dicitur prædicabile,ita quod potest esse subiectum in prædicatione vniversali,dicitur subjicibile.Hinc est, quod genus supremum nequit dici subjicibile,quia nequit esse subjectum in vlla prædicatione vniuersali; aliás iam non esset supremum. Hinc item est,quod individuum completum est subjicibile respectu omnium prędicabilium, cum possit esse subiectum respectu omnium. Est ergo species subjicibilis. *Terminus, de quo genus vt genus prædicari potest, immediate.* Est recta definitio. Per ly *terminus* convenit cum specie prædicabili. Per ly *de quo genus prædicari potest* differt ab ea. Per ly *immediate* differt ab indiuiduo completo, dequo licet genus prædicetur vt genus, prædicatur mediate. Per ly *vt genus* differt ab individuo incompleto, dequo genus prædicatur nō vt genus, sed vt species.

150 Obj. 1. Hic circulum committi. Genus namque per ordinem ad speciem, & speciem per ordinem ad genus definiendo.

151 Resp. Genus á me non difiniri nisi in ordine ad notabiliter diversa. Insuper in correlativis non esse vitium, vnum per ordinem ad aliud mutui definire; sic omnipotentia per ordinem ad possibile, & possibile per ordinem ad omnipotentiam definitur.

152 Obj. 2. In hac prædicatione, *Homo est substantia*, Homo est species subjicibilis, sed non est, dequo immediate prædicatur substantia, quę est genus; ergo Species subjicibilis nō est, dequa genus immediate prædicatur.

153 Resp. Quod, vt aliqua sit species subjicibilis,absolute non requiritur, quod respectu omnis generis, cui subjicitur, sit immediata, sed quod sit immediata respectu alicuius, cum ergo homo sit immediatus respectu animalis participat rationem speciei subjicibilis etiam comparatione ad substantiam mediate de eo prędicabilem.

154 Rogas. Vtrum possit assignari aliqua communis definitio pro vtraque specie prędicabili, & subjicibili?Stando definitionibus speciei prædicabilis cōmuniter traditis à Doctoribus nequit asignari. Nam cū in definitione speciei prædicabilis apponatur tamquam genus *prædicabile*, iam excluditur species subjicibilis in cuius definitione *prædicabile* nequit ingredi; dantur enim plures species subjicibiles non prædicabiles,ita tamen potest species vt sic ab vtraque præscindens, & vtrique conveniens definiri: *Terminus constitutus ex conceptu communi vnivoco, & differentiali.*

155. Rogas 3. Per quem actum constituatur formaliter species subjcibilis in esse tal s? P. Compt. asserit, constitui per actum, quo ipsa species ab indiuiduis abstrahitur. P. Herize tenet,constitui per actum, quo genus abstrahitur ab ipsa specie.

156. *Dico* 1. Species non constituitur in esse subjicibilis per abstractionem ipsius ab indiuiduis. Prob. 1. Per abstractionem speciei ab indiuiduis redditur superior, & relata ad individua vt ad inferiora; ergo non redditur subjicibilis. Patet conseq. Quia per illum actum redditur subjicibilis per quem respicit genus vt superius, sed per actum,per quem respicit indiuidua vt inferiora, non respicit genus vt superius.Ergo. Confirm. Actus,quo species abstrahitur ab indiuiduis non cognoscit genus; ergo nequit speciei conferre positivam inferioritatem, & subjicibilitatem respectu generis.

157. Prob.2.Omnes species subjicibiles vnivoce conveniunt in esse subjicibilium;ergo in esse subjicibiliū debent per eandem formam constitui, & non per diversas; sed omnes species immultiplicabiles non constituuntur in esse subjicibilium per abstractionem ipsarum ab indiuiduis,vt patet in filiatione Divina,quæ est species subjicibilis respectu relationis,& nequit à pluribus indiuiduis abstrahi, vt de fide constat:ergo.

158. *Dico* 2. Species subjicibilis non constituitur in esse talis per abstractionem generis ab ipsa. Prob. ratione á priori. Genus per abstractionem ipsius ab specie est solum præscissive superius,quatenus scilicet nil cognoscitur ex parte obiecti positiue repugnans contractioni ipsius generis ad inferiora. Species est potitiue inferior respectu generis. Ergo per distinctas formas constituuntur genus in esse superioris, & species in esse inferioris, cum distincto modo se habeant.

159. Dico 3. Species in esse subiecibilis constituitur per comparationem simplicem subsequentem ad abstractionem generis,qua concipitur genus identificabile cum ipsis speciebus. Ita P.Peynad. d. 2. de vniuersalibus, sect. 1 n.2.& aliqui RR. Prob. 1. species non præscissiue, sed positiue est interior,& subjicibilis generi;sed nullus est actus,per quem constituatur species in esse positiue inferioris respectu generis,nisi hæc comparatio subsequens,per quam

quam attingitur positiva identitas speciei ad genus,& præscissiua generis ad speciem;ergo per hunc in esse subjicibilis constituitur.

160. Confirm. Per illã formã cõstituitur species formaliter subjicibilis, per quam constituitur est, & proxime capax, vt de ea genus prædicetur; sed per talem comparationem subsequentem, ita constituitur. Ergo. Unde infer, per actualem prædicationem nec constitui in esse subjicibilis speciem, nec destrui eius subjicibilitatem. Non constituitur, quia ab actu per quem subiectatur iam supponitur subjicibilis, non destruitur, quia per actum secundum subiectionis actus primus seu sujicibilitas non destruitur, sicut per prędicationem non destruitur prædicabilitas.

161 Obj. 1. pro P. Compt. Per eandem quantitatem, homo est maior lepore, & minor boue; ergo per eandem abstractionem erit species superior indiuiduis, & inferior generi.

162 Confirm. Per idem de retum, quo aliquis Princeps extraueus constitueretur Peruvij Prorex, & superior, constitueretur Regis Hispaniæ inferior. Ergo similiter.

163 Resp. Deducendo solutionem ex eodem quantitatis exemplo; certum est; eandem quantitatem esse simul maiorem lepore, & minorem boue, ita eadem species est simul superior, indiuiduis, & inferior generi, ati tamen quantitas non constituitur per idem in esse maioris, & minoris, si enim relatio æqualitatis sit ab extremis indistincta, in esse minoris constituitur per bovem, in esse maioris per leporem. Si vero sit distincta ab extremis pro distinctione reali terminorum, relationes etiam realiter distinguentur. Ergo similiter non constituitur species per eundem actum in esse superioris, & inferioris.

164 Ad confirm. admisso exemplo, quod negari posset dicendo; talem Principem constitui in esse inferioris per aliam legem statutam, nempe quod nullus non inferior, & subditus Regi munus regale exerceat, cui legi se voluntarie submisit Princeps ille acceptando tale munus. Admisso, inquam, nego paritatem nam tale decretum proportionato modo attinget Principem illum, regem hispanum,& subditos Peruanos, vt vtramque denominationem præbeat. At præscissio illa speciei ab individuis non attingit speciem proportinato modo, vt illi conferat denominationem positive inferioris respectu generis, cum nõ attingat identitatem positivam speciei cum genere, nec ipsum genus, quod ad talem denominationem necessario reqeiritur, est namque denominatio intentionalis, quæ in esse cognitæ debet conferri.

165 Obj. 2. Cum cognoscitur species, nempe homo implicite cognoscitur genus, nempe animal, & positiva identitas vtrusque. Ergo reddetur species generi subjicibilis.

166 Resp. Disting, antec. cognoscitur genus vt genus, & superius prędicabile, neg. vt pars constitutiva non superior. Conced. Quid ergo mirum, quod per talem actum inferior, & subjicibilis non constituatur species?

167 Obj. 3. pro P. Herize. Per abstractionem generis ab specie constituitur genus in esse superioris; ergo & species in esse inferioris.

168 Confirm. 1. Superius vt tale est respectu inferioris vt talis; sed vi solius abstractionis ante comparationem genus est superius, vt tale respectu speciei, ergo & hæc erit inferior, vt talis respectu generis, vi ipsius abstractionis, & ante comparationem.

Con-

169. Confirm. 2. Per eandem actionem generativam, qua Ioannes constituitur Pater prior, & superior Francisco Franciscus constituitur filius, inferior,& posterior Ioanne. Ergo similiter per eandem abstractionem, qua genus constituitur superior, species inferior constituitur.

170. Pro solutione nota, in omni prædicatione requiri identitatem positivam ad minus ex parte subiecti, licet ex parte prędicati identitas pręscissiva sufficiat. Vnde ex parte subiecti debet positive attingi iddentitas determinata erga prędicatum, licet in hoc solum requiratur non attingi aliqua positiva repugnantia erga subiectum. Hinc inferes, per abstractionem generis ab specie posse genus constitui superius respectu speciei, quia eius superioritas est mere præscissiua consistens in eo, quod per illam abstractionem non cognoscatur aliqua differentia, ratione cuius non maneat genus aptum ad species diversas, non tamen potest per talem abstractionem constitui species in esse inferioris, nam eius inferioritas debet esse positiua, ideoque in comparatione attingentis identitatem ex parte speciei collocantis illam sub genere.

171. Ad primam confirm. Resp. Disting. antec. Superius vt tale si sit positive superius. Concedo; Si sit solum pręscissive superius. Nego. Præscissivè superius, cum non habeat veram respicientiam, respectum, seu correlationem, non requirit inferius vt tale, & cum consistat in eo, quod in obiectivo conceptu non attingatur aliqua differentia, solum requirit terminum á quo præscissionis, quod est quasi inferioritas pręscisiva, seu fundamentalis, quæ formalis redditur per actum comparãrem ipsam speciem cum genere, attingentemque positivam identitatem subiectivam. Ex quo iam vides, cur per abstractionem, quin attingatur species aut differentia, fiat genus superius, non vero fit speciesis inferior nisi per comparationem attingentem ipsam speciem, & ipsorum genus.

172. Ad secundam confirm. Resp. Quod sicut non valer, per eandem actionem generativam Pater producit, & filius producitur, & vterque attingitur. Ergo per eandem præscissionem abstrahitur genus, & attingitur species; ita nec valet. Per eandem formam. Pater constituitur superior, & filius inferior. Ergo per eandem præscissionrm constituetur genus superius, & species inferior. Ratio disparitatis est, quia actio est forma physica vtrumque terminum in ordine ad denominationes debito modo attingens, non vero præscisio, vt iam dixi.

173. Replic. Inferius formaliter non da ur sine superiori formaliter; ergo neque superior sine inferiori.

174. Resp. Neg. Conseq. Quia cum inferius sit positive tale. respicit superius vt tale, non ita superius, quod est solum præscisive tale.

SECTIO IV.

VTRVM SPECIES. SVBJICIBILIS inquantum subiicibilis sit vniversalis?

175. PRima sententia affirmat. Ita Caietan. Toletus, & aliqui RR. Secuti Sapientissimos Nostrates Gregor. Lopez, & Fran. de la Massa.

176. Secunda sententia negat. Ita Thomistæ, & Scotistæ, nostrique communiter cum Olea. d. 97.

177 Dico. 1. Species subjicibilis in quantum subjicibilis non est vniuersalis. Prob. 1. species in quantium subjicibilis respicit genus superius, sed in quantum vniuersalis non ref-

respicit genus superius; ergo inquantum subjicibilis non est vniuersalis Maior constat ex definitione speciei subjicibilis. Minor probatur. Inquantum vniuersalis respicit indiuidua inferiora; sed inquantum respicit individua inferiora non respicit genus superius. Ergo.

178 Confirm. Licet idem homo sit simul animal, & rationale, hæc est falsa reduppicatio. *Homo inquantum animal est rationale*, quia animal respicit pro connotato sensationes, & rationale ratiocinationes, & prout respicit sensationes, non respicit ratiocinationes: ergo licet eadem species esset simul prædicabilis, & subjicibilis, hæc prædicatio, species in quantum subjicibilis est vniuersalis, erit falsa, quia prædicabile respicit inferiora, subjicibile superius, & prout respicit superius, non respicit inferius.

179 Prob. 2. Species constituitur in esse vniuersalis per abstractionem ab indiuiduis, & in esse subjicibilis per comparationem ad genus, sicut sacharum in esse dulcis per dulcedinem, & in esse albi, per albedinem; ergo sicut non valet sacharum in quãtum album est dulce ita nec species in quantum subjicibilis est vniuersalis, & ratio est, quia licet idem sit subiectum, dummodo per distinctas formas duplicem denominationem accipiat non valet reduplicative ab vna denominatione ad aliam, vt patet in exemplo posito. Ergo.

180 *Dico* 2. Nec subjicibilitas est radix prędicabilitatis, vt tenet Caietanus, nec prædicabilitas radix subjicibilitatis, vt defendit toletus, vnde nec causaliter valet: Ideo species est subjicibilis, quia est prædicabilis, nec è contra, ideo est prædicabilis, quia subjicibilis. Prob. Conclus. Quoad vtramque partem; ea nequeunt se habere vt essentia, & proprietas, quę omnino disparate se habent, nec se ad invicem inferunt, sed prædicabilitas, & subjicibilitas ita se habent. Ergo, Prop. min. Datur aliquod prædicabile, quod non sit subjicibile, vt patet in genere supremo, sive sit ens, sive sit substantia. Datur etiam aliquod subjicibile, quod non sit prædicabile, vt patet in specie immultiplicabili, natura v.g. Michaelis, filiatione divina, & c. Ergo Prædicabile, & subjicibile, prædicabilitas, & subjicibilitas disparate se habent, & nullo modo se inferunt.

181 Confirm. Ideo rationale est radix risibilis, quia à rationali ad risibile, & á risibili ad rationale valet illatio; ita *est rationale* ergo *risibile. Est risibile* ergo *rationale*. Sed non valet: *est subjicibile*, ergo *prædicabile* quia individuum completum est subjicibile, & nõ est prædicabile, neque e contra. *Est prædicabile*: ergo *subjicibile*. Quia genus supremum est prędicabile, & non est subjicibile. Ergo. Confirm. 2. species in esse prædicabilis constituitur per abstractionem, & in esse subjicibilis per comparationem subsequentem ad abstractionem generis; sed nec abstractio est proprietas comparationis, nec comparatio proprietas abstractionis. Ergo.

182 Obj. 1. Per eandem formam cõstituitur species in esse subjicibilis, & prædicabilis. Ergo est prædicabilis in quantum subjicibilis. Nego antecedens, vt constat ex sectione antecedenti.

183. Obj. 2. Ab omni specie subjicibili abstrahibilis est ratio communis speciei subjicibilis, cum conveniant simpliciter Ergo hęc ratio speciei subjicibilis abstracta esset prædicabilis, sed talis ratio est subjicibilis, vt subjicibilis. Ergo vt subjicibilis esset prædicabilis.

184. Resp. Conced. antec. conseq.

&

& minorem subsumptam, & nego vltimam consequentiam, quia talis ratio est essentialiter subjicibilis, & accidentaliter prædicabilis, nam accidentale est naturę, quod ab intellectu abstrahatur hic & nunc, cum autem alicui entitati est accidentale aliquod prędicatum, nequit prædicari de illa cum particula reduplicativa *vt*, &c. Sic nequit dici *homo vt homo est vniuersalis*. Homo vt homo est albus. Quia licet verum sit, hominem esse vniuersalem, & esse album, & specificative valeret. *Homo est vniuersalis. Homo est albus*. At cum vniversalitas, et albedo accidentaliter homini conveniant, nequeunt de eo prædicari cum reduplicatione illa *vt*. Ratio est, quia illa particula denotat rationem, propter quam necessario convenit prædicatum subiecto, vnde dicere: Homo vt homo est vniuersalis, idem est ac dicere: ratio propter quam hic, et nunc est vniuersalis non est, quia sit subjicibilis, sed quia est abstracta ab omnibus speciebus, & prędicabilis de illis. Vnde signate est subjicibilis, exercite tamen non est subjicibilis. Hoc est licet species subjicibilis ita abstracta sonet subjicibilitatem in prędicatione, non tamen exercet officium subjicibilis, cum prædicetur de inferioribus sic. Hæc species subjicibilis est subjicibilis.

485 Obj. 3. Species subiicibilis est vniuersalis, inquantum participat rationem superiorem vniuersalis vt sic, sed inquantum participat rationem superiorem vniuersalis vt sic est subiicibilis. Ergo inquantum subiicibilis est vniuersalis. Confirm. homo est animal in quantum participat animal vt sic. Ergo species est vniuersalis inquantum participat vniuersale vt sic.

186 Resp. Nego. mai. & similiter antecedens confirmationis. Nam homo non ideo est animal, quia participat animal vt sic, sed quia est principium sensationis, & potius quia homo est in se animal, abstrahitur ab eo animal vt sic. Similiter species subiicibilis ideo est vniuersalis, non quia participat vniuersale vt sic, sed quia in se est vniuersalis vi abstractionis ab indiuiduis, & potius ab ea abstrahitur vniuersale vt sic, quia ipsa in se est vniuersalis. Ratio, est quia prædicata primæ intentionis supponuntur ad prædicata secundæ intentionis, & prędicata secundæ intentionis ad prædicata tertiæ intentionis. Sic esse hominem animal est prædicatum primę intentionis. Hominem participare rationem animalis vt, sic est secundæ intentionis; ergo prius est esse hominem animal, & postea participare rationem animalis vt sic. Speciem subjicibilem esse vniuersalem est prædicatum secundæ intentionis; participare rationem vniuersalis vt sic: est prędicatum tertiæ intentionis. Ergo illud debet supponi ad hoc.

187 Obj. 4. Species subjicibilis vt subjicibilis est species; sed vt est species est vniuersalis. Ergo vt subjicibilis est vniuersalis.

188 Resp. Neg. min. Nam species immultiplicabilis, vt Paternitas, Filiatio diuina, Natura Angelica, &c. Sunt species, & non sunt vniuersales.

189 Replic. 1. Vt species habet indiuidua inferiora. Ergo vt species est vniuersalis.

190. Resp. Neg. antec. vt patet in exemplis appositis.

191. Repl. 2. Vt species involuit constitutive genus; sed genus habet individua inferiora; ergo vt species habet individua inferiora. Prob. hæc conseq. Quidquid convenit constitutivo, constituto etiam convenire debet, sed generi constitutivo speciei convenit habere individua inferiora; ergo speciei constitutæ habere individua inferiora convenire debet.

Resp.

192. Resp. Nego primam conseq. alias ipsa species, cum sit inferior genere se ipsam vt inferiorem respiceret. Ad probationem resp. Disting. mai. Quidquid convenit constitutivo primo intentionaliter, conced. Secundo intentionaliter. Neg. Aliás species non solum esset vniuersalis, sed etiam genus, quia á quo constituitur non solum est vniuersale, sed genus. Vnde iam speciei conveniret esse prædicabilem de bruto, quia animali constitutivo ipsius hoc convenit. Stet ergo quod prędicata, quæ secundo intentionaliter conveniunt constitutivis, non conveniunt constitutis, sed solum ea, quæ primo intentionaliter conveniunt. Sic speciei humanæ convenit prædicatum viuentis sensibilis, quia animali primo intentionaliter hoc cōvenit, nō vero vniuersalitas, quia vniversalitas est prædicatum conveniens animali secundo intentionaliter per abstractionem ipsius ab omni differentia.

193. Obj. 5. Ex RR. Species est subjicibilis prout respicit sibi superius, et vniuersalis prout respicit sibi inferiora; sed prout respicit superius respicit etiam inferiora: ergo prout subjicibilis est vniuersalis. Prob. min. Insuperiori nempe genere continentur virtualiter, tam ipsius generis, quam speciei inferiora, hoc scilicet, & illud indiuiduum. Ergo cum respicit species genus, in illo respicit individua sibi inferiora, quod probant exemplo visionis beatę, quæ respiciens omnipotentiam respicit possibilia, quia hæc contenta sunt in omnipotentia, sed ingenere contenta sunt indiuidua, ergo species ingenere ea respiciet.

194. Retorq. Ergo species se ipsam respicit ingenere. Patet conseq. Ideo respicit indiuidua, quia vtpotè inferiora continentur ingenere, sed species etiam est inferior immò immediatior indiuiduo: ergo se respicit. Sic aliqui affirmant, visionem Beatam se ipsam reflexè cognoscere in Omnipotentia.

195. Resp. Disting. mai. prout respicit sibi superius, est vniversalis. Superius, quod sit præscisive tale, concedo; quod sit positiuè tale, nego. Ad probationem distinguo antecedens: insuperiori continentur inferiora, insuperiori prçscissiuè tali, nego: positiue tali concedo. Genus est superius solum potestativé, & præscissiuè respectu indiuiduorum, quæ superioritas tantum consistit in eo, quod non cognoscatur in natura aliqua differentia ratione cuius sit inepta, vt prædicetur de indiuiduis, vnde in illa solum positive respiciuntur prædicata essentialia nude sumpta. Quomodo ergo species respiciens prædicata essentialia nude sumpta, in eis respicere poterit individua, aut aliquid ratione cuius in notitiam indiuiduorum deveniat?

196. Ideo enim superius, positive tale, aut correlativum positivum ducit in notitiam inferiorum aut correllativi, quia dicunt positiuum ordinem, positivam tendentiam, aut virtutem productivam. Sic in Omnipotentia possibilia cōspiciuntur, quia attingitur â visione beata, vt est virtus productiva possibilium positive talis. Quod totum ingenere respectu indiuiduorum deficit. Item vt in vno correlativo aliud conspiciatur debet attingi reduplicative vt correlativum, sed ab specie subjicibili non attingitur genus vt superius. Ergo nec in eo inferiora cognoscentur. Et ratio est, quia id solum attingitur positive ab specie, quod acomparatione eius constitueta attingitur; sed ab hac non attingitur genus vt superius positive. Ergo nec ab illa.

197. Obj. 6. Species multiplicabilis subjicibilis inquantum taliter subjicibilis est vniuersalis. Ergo species subjicibilis vt subjicilis erit vniuersalis. Prob. antec. Homo inquantum homo est animal. Ergo similiter.

198 Nota, ab aliquibus Modernis ita affirmativam sententiam defensari a sensu quæstionis exorbitantes: loquuntur enim non de omni specie prout præscindit á pure sujicibili, & prædicabili, sed de specie quę simul sit subjicibilis, & multiplicabilis.

199 Resp. Disting. antec. species multiplicabilis subjicibilis, inquãtum taliter subjicibilis est vniuersalis, si sensus sit vniuersalitatem illi provenire, vel totaliter, vel partialiter á subjicibilitate. Nego. Si sensus sit eam speciem esse simul subjicibilem, & vniversalem, concedo. Propositio hæc duplicem potest habere sensum. *Primus.* Eo ipso quod detur species multiplicabilis abstracta ab inferioribus, est simul subjicibilis generi, non tamem per eandem formam, nec inferendo prædicabilitatem ex subjicibilitate, sed simul concurrunt in eadem specie, & subjicibilitas, & prędicabilitas, & ideo cum vtrumque concurrat verum est dicere. *Species multiplicabilis inquantum taliter subiicibilis* (cadente reduplicatione non supra subjicibilitatem tantum; sed supra totum concretum. Vnde additur inquantum taliter subjicibilis) est vniuersalis, sicut homo *inquantum homo est animal.* hoc est: homo includit animal, & simul rationale. In hoc sensu est vera illa propositio, & anemine negari potest. Nam cum affirmatio vnius non sit negatio alterius, dicere, est inquantum homo animal, non est dicere quod ratio essendi animal sit rationale, sed quia vtrumque includit homo. Et sicut falsum est dicere; *Sacharum inquantum album est dulce.* Ita falsum esset dicere; *species subjicibilis multiplicabilis inquantum subiicibilis est vniuersalis.* Et sicut verum est dicere. *Sacharum inquantum taliter album est dulce*, nam est idem ac dicere; sacharum quod est album, & dulce est dulce, ita verum est dicere. Species subjicibilis multiplicabilis in quantum taliter subjicibilis est vniuersalis, quia est idem, at species, quæ simul est subjicibilis, & prædicabilis, est vniuersalis.

200 Secundus sensus, ita vt vniuersalitas proveniat partialiter á subjicibilitate, & ratio quare sit species vniuersalis, non solum sit eius prędicabilitas, sed etiam eius subjicibilitas, qui quidem sensus ommino falsus est. Vniuersalitas enim speciei, nec partialiter provenit á subjicibilitate ipsius, nam si per possibile non esset genus, cui subiectaretur, dummodo prædicabilis esset de pluribus, esset vniuersalis formaliter, vt patet in genere supremo, quod est vniuersale, eo quod sit prædicabile, quin alteri sujectetur.

201. Obj. 5. Species prędicabilis v.g. provt subjicibilis, vel est singularis, vel vniversalis? Si primum, habemus intentum, si secundum? Ergo non differt ab specie immultiplicabili.

202. Resp. Speciem prædicabilem prout subjicibilem facta reduplicatione supra subjicibile non differre ab specie immultiplicabili vt subjicibili sicut homo prout animal facta reduplicatione supra animal non differt á bruto, prout animali. Ex quo non sequitur quod non differant absolutè.

203. Obj. 8. Contra 2. conclus. Licet ratio spiritus, & cognoscitivi nec se inferant, nec se excludant, nam in gratia reperitur spiritus sine cognoscitivo, & in bruto cognoscivum sine spiritu, tamen cum coadunantur in eodem ente ratio spiritus est radix cognoscitivi, vt tenet S. Thom. Ergo licet prædicabile, & subjicibile nec se inferant,

rant,nec se excludant,cum condunantur in specie multiplicabili,erit subjicibile radix vniuersalis.

204. Exemplum communiter cōtra Thomistas á nostris negatur, vt videre est apud P.Arriag.1.p.d.10.n.15. Immaterialitas namque neque in Deo est radix cognoscitivi. Thomistę, qui tenent immaterialitatem esse radicem cognoscitivi, non loquuntur de omni immaterialitate,sed de illa, quæ ob excessum ad omne ens materiale,ita inducit cognoscitivum, vt in quocumque reperiatur,ratio etiam cognoscitiui debeat reperiri,& á qua ad cognoscitivum non valeat mutua consequentia, vt optimè notat P.Ruiz d.1.de scientia, sect.3. At vero cum inter subjicibile,& prædicabile non valeat mutuo consequentia,nec subjcibile est radix prædicabilis,nec prædicabile radix subjicibilis. Sicut licet practicum,& speculativum in eodem actu sæpe reperiantur, quia non valet mutua consequentia nec practicum est radix speculatiui, nec speculativum radix practici.

SECTIO V.

ALIQVID DE INDIVIDVO sciendum.

205. INdiuiduum dupliciter sumitur. Primo, & secundo intentionaliter,seu quod idem est, secundum quod in se realiter,& independenter ab intellectu habet, & secundum quod habet dependenter ab intellectu.

206. Indiuiduum primo intentionaliter definitur á Porphirio per id, *Cuius collectio proprietatum alteri convenire non potest.* Proprietates autem in hoc disticho collocantur.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, Patria tempus.
Dividuum certa reddere lege solent.

Communiter rejci solet hæc definitio, quia descriptiva, & quia proprietates assignatæ non conveniunt omni individuo rationali, & irrationali, quibus solum vulgo Patria, nomen, & stirps attribui solent,licet nimis violenta explicatione hanc Porphyrij definitionē defendere tentet quidam Sapientissim. R.Mag.

207. Alij indiuiduum definiunt, per *Indivisum in se & divisum á quolibet alio.* Sed hæc potius videtur definitio *Vnius*, quam indiuidui. Res enim ratione vnitatis transcendentalis non est alia,ratione vero indiuiduationis non est sicut alia. Vnde ante quam indiuiduatio concipiatur, dum concipitur vnitas, iam concipitur res indiuisa in se,& diuisa á quolibet alio, sed de hoc in Metaphysica.

208. Ideoque ita definiendum est indiuiduum primo intentionaliter sumptum. *Id quod vltimo completum est in suo esse metaphysico.* Vnde indiuiduatio est vltimum complementum metaphysicum speciei.Convenit omni indiuiduo,tam completo, quam incompleto, nam licet *hoc animal* v.g sit vlterius complebile per rationale, &c. in suo esse metaphysico,seu in ratione huius animalis vlterius complebile non est. Convenit item omni indiuiduo, tam creato,quam increato, tam accidentali,quam substantiali; sicut enim subsistētia in esse physico est vltimum complementum physicum naturæ, ita indiuiduatio in esse metaphysico est vltimum complementum speciei, & sicut subsistens est vltimo complementum,ita indiuiduum. Maximam namque proportionem habent in esse physico subsistentia,& in esse metaphysico indiuiduatio.

209. Rogas 1. An indiuiduatio sit de essentia subiecti? Esse de essentia Petri vt talis Petreitatem, & indiuidua-

tionem

tionem,non dubitatur, sicut de essentia albi vt albi est albedo. Inquiritur, an sicut rationale dicitur absolute de essentia hominis,ita indiuiduatio sit absolute de essentia subiecti? Esse extra speciem vt talem individuationem mihi certum est. Tum quia cum Petrus, & Paulus differant indiuiduatione non differunt specie. Ergo indiuiduatio nō ingreditur conceptum speciei. Tum quia cum dicitur de Petro. *Petrus est homo* tota essentia speciei prædicatur de illo: Ergo Pauleitas non ingreditur conceptum speciei, aliás cum de Petro Pauleitas non prædicetur,non prædicabitur de eo tota species. Tum denique, quia si Petreitas pertineret ad essentiam hominis, Paulus esset Petrus, cum totam essentiam hominis participet. Tunc sic; sed essentia, & species iuxta communem loquendi modum confunduntur: ergo si indiuiduatio est extra speciem, similiter erit extra essentiam subiecti.

210 Non tamen ideo absolute dicenda est accidens metaphysicum,aliàs Petrus metaphysice diceretur concretum accidentale, nam omne concretum eo modo,quo constituitur aliqua forma accidentali, accidentale est. Item nec poneretur in prędicamento substantiæ, vnde vt optime adnotant PP. Hurtad. & Arriag. cum grano salis intelligendum est, indiuiduum esse accidens metaphysicum, hon est, quia formaliter advenit essentiæ tam in suo esse constitutæ, non quia sit absolute forma accidentalis.

211. Rogas 2. Quomodo definiatur indiuiduum secundo intentionaliter sumptum? á Porphyrio definitur per *Id quod immediate subjicitur speciei*,sed hic non loquitur de indiuiduo, quod convertitur cum specie, vt filiatio Diuina, Paternitas Diuina, & natura Michaelis,nam hæc omnia subjiciuntur immediate generi. Nec loquitur de indiuiduo vt prædicabili,sed vt subjicibili; ita ergo communiter indiuiduum secundo intentionaliter sumptum definitur. Est *prædicabile de vno tantum*; vnde recte dicitur, *Petrus est hoc individuum.* Nec talis propositio est identica,sufficit enim quod aliter ex parte prædicati significetur subiectum, vt propositio identica non sit, licet idem significetur.

212 Rogas. 3. Quid sint individuum determinatum, & vagum? Individuum determinatum, quod signis demonstrativis. *Hic, hæc, hoc,* significamus, vt *hic homo, hoc animal.* Individuum vagum, quod terminis indifferentibus, *quidam, aliquis*, & alijs similibus significamus, vt *aliquis homo currit.*

213 Rogas. 4. An detur aparte rei individuum vagum? Resp. Aparte rei non dari individuum vagum in essēdo,nam quodcumque existens aparte rei in singulari existit. Ita ergo vaguitas se tenet ex parte intellectus, & modi significandi confuse obiectivam entitatem. Datur tamen aparte rei individuum vagum in ordine ad aliquem determinatum effectum, & finem. Ita P. Arriag. disp. 7. n, 64. Nam licet ignis; v. g. habeat virtutem determinate productivam caloris independenter ab operatione intellectus, verum est hanc virtutem non requiri determinate ad productionem caloris, cum hic possit á sole provenire. Item licet Petrus habeat virtutem generativam Ioannis illa non requiritur determinate, vt Ioannes existat, cum possit à Didaco generari: ergo in ordine ad hos, & alios similes determinatos effectus datur individuum vagum,seu virtus non determinate requisita.

214 Rogas. 5. VtrumDeus cognoscat individuum vagum? Deum non cognoscere individuum vagum in essendo, certum est, nam Deus non cog-

cog-

cognoscit, quod non est. Item in *Deo* individuum vagum in repræsentando non dari, certissimum est, cum Deus non confusè, sed clarissimè, & perfectissimè res cognoscat. Cognoscere tamen individuum vagum in operando, non dubito. Nam Deus cognoscit quidquid existit aparte rei, & sine vlla imperfectione cognosci potest, sed aparte rei existit indiuiduum vagum in operando, in cuius cognitione nulla relucet imperfectio: ergo. Exemplis explicatur hoc. Deus certo scit calorem requirere aliquam actionem productivam, & aliquam vbicationem vt existat, scit etiam non requirere potius actionem *A* quam *B*, vbicationem *A*, quam *B*. cum ab vtraque actione, & vbicatione possit æque vbicatum reddi: ergo.

215 Rogas. 6. An indiuiduum vagum sit vniuersale? Negative Resp. cum P. Hurtad. Nam *aliquis homo* plura vt plura licet disiunctive attingit. Est enim idem ac, vel *hic*, *vel ille*, *vel isti homo*: sed vniuersale non attingit plura, vt plura: ergo individuum vagum non est vniuersale.

SECTIO. VI.

AN AB INDIVIDVIS PRIMO intentionaliter sumptis possit abstrahi vna ratio communis indiuidui?

210 RAtio dubitandi est, quia ex vna parte omnia conveniunt in esse individui, & cum connenientia sit fundamentum præscissionis, videtur posse prescindi. Ex alia, ratio individui est, qua res vltimo determinatur, & completur, qua vltimo differt ab omni alio, vnde videtur non posse esse rationem conveniendi, cum sit ratio differendi, ac proinde nec posse prescindi.

217 Prima sententia negat. Ita ex nostris Toletus. Fons. Alarcon. P. Alphon. Lync. Ovied. controv. 5. punct. 3. qui solum negat præscissionem objectivam, non vero formalem. Ex exteris Poz. d. 6. q. 2. plures Thomistę, quos sequitur M. Lync. lib. 2. q. 2. art. 3.

218. Secunda sententia tenet, posse præscindi ab omnibus indiuiduis vnam rationem indiuidui, quę esset ratio communis, non tamen vniuersalis, cum ratione transcendentiæ minori gauderet vnitate, quam illa, quæ necessaria est ad proprium vniuersale. Hanc sententiam á se primo fuisse defensatam maximé gloriatur noster Olzin. num. 1373. asserens, eam postea plures propugnasse præcipue Spinulam, & quendam Pasqualigum, sed parum, dum de solo nomine gloriatur.

219. Tertia sententia affirmat. Ita Exim. Doctor Sæpius, PP. Hurtad. Rubio, Arriag. Tellez. Ioanniz. Compt. licet hic vniuocationem neget ex transcendentia. Ex Thomistis M. Ioannes á S. Thoma & Mag. Pradus cum eo apud Peynad. tract. 3. de prædicabilibus d. 2. n. 28.

220. *Dico* ab omnibus indiuiduis primo intentionaliter sumptis potest abstrahi vna ratio communis vniuoca indiuidui. Prob. 1. *A* convenientibus simpliciter secundum eamdem definitionem vna ratio communis vniuoca simpliciter præscindibilis est; sed omnia indiuidua primo intentionaliter sumpta, Petrus scilicet Paulus, & Bucephalus simpliciter conveniunt in ratione indiuidui secundum eandem definitionem: ergo. Maior est fundamentum prescissionis simpliciter. Prob. min. Definitio indiuidui per nos est: *Vltimo completum in suo esse metaphysico*, vel iuxta alios. *Cuius collectio proprietatũ alteri convenire nequit*. Vel *indivisum in se & divisum á quolibet alio*. Sed omnia individua sunt vltimo completa in suo esse, indiuisa in se. & diuisa á quibuslibet aliis, & vniuscuiusque collectio proprietatum alteri convenire nequit: ergo omnia conveniunt secundum eandem definitionem.

221. Confirm. primò. Potest concipi homo, quin concipiatur talis homo, ac proinde abstrahi homo, vt ratio communis ad omnia individua; ergo & poterit abstrahi ratio indiuidui, quin concipiatur taleitas indiuidui, & consequenter vt ratio communis ad omnia indiuidua. Prob. conseq. Ideo potest concipi homo, quin concipiatur talis homo, quia potest concipi animal rationale in quo salvatur tota hominis essentia, quin concipiantur Petrus, vel Paulus, quæ sunt extra essentiam hominis; sed similiter potest concipi indivisum in se, & diuisum á quolibet alio, in quo per vos salvatur tota essentia indiuidui, quin concipiatur Petreitas, vel Pauleitas, quæ sunt extra essentiam metaphysicam indiuidui: ergo.

222. Confirm. 2. Cum á longe vidimus aliquem se moventem, quem cognoscimus esse hominem, quin cognoscamus, an sit Petrus, seu Paulus? Cognoscimus, esse individuum, cum cognoscamus, esse hominem singulariter existentem completum in suo esse, & non cognoscimus taleitatem eius. Ergo potest præscindi indiuiduum á taleitate indiuidui.

223. Prob. 2. conclus. Omnes differentiæ indiuiduales assimilantur in hoc, quo est facere differre, nam sicut differentia Petri facit differre, ita & differentia Pauli similiter facit differre; sed quoties duo, vel plura conveniunt, & assimilantur in aliquo, possunt ab intellectu vnico conceptu confundi per prescissionem talis rationis conveniendi ab eis, vt patet in omni præscissione. Ergo.

224 Confirm. 1. Ab omni differentia specifica abstrehitur ratio differentię specificæ, quæ sit tertium prędicabile; sicut ab omni genere ratio generis, quæ sit primum prædicabile; & ab omni specie ratio speciei, quæ sit secundum: ergo & ab omni differentia individuali ratio differentiæ indiuidualis præscindetur, cum non minus differant inter se differentiæ specificæ, quam individuales.

225 Confirm. 2. Non minus distant, & diversitatem involvunt dissimilitudines, distinctiones, & æquivoca inter se, quam differentię indiuiduales; sed potest abstrahi ratio communis dissimilitudinis, distinctionis, & æquivoci á dissimilitudinibus, distinctionibus, & æquivocis; ergo & ratio differentiæ indiuidualis ab omnibus differentijs.

SVBSECTIO. VNICA.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

226 OBj. 1. Si præscinderetur ratio communis indiuidui, talis ratio esset individuum, & non esset individuum, esset indiv iduum, vt supponitur, & non esset indiuiduum, quia individuum est incommnicabile pluribus, indivisibile in plura, & prædicabile de vno tantum; sed illa ratio individui, vt pote vniuersalis esset communicabilis pluribus, divisibilis in plura, & prędicabilis de pluribus: ergo non esset individuum.

227 Retorq. Si præscinderetur ratio *incommunicabilis* ab omnibus incommunicabilibus, vel ratio *indivisibilis* ab omnibus indivisibilibus, talis ratio esset incommunicabilis, & indivisibilis, & non esset incommunicabilis,

bilis, & indiuifibilis, effet incommunicabilis, & indiuifibilis, vt fupponitur, non effet incommunicabilis, & indivifibilis, quia effet vniuerfalis; fed per vos poteft præfcindi ratio incommunicabilis, & ratio indivifibilis: ergo.

228 Refp. directè. Difting. mai. effet individuum *fignate*, & non effet individuum *exercité*, concedo. Effet individuum, & non effet individuum eodem modo, nego. Talis ratio præfciffa effet indiuiduum fignate, quia fignaret indiuiduum, quod eft talis rationis abftractum, at non exerceret munus indiuidui, fed vniuerfalis, quæ quidem non opponuntur, vt patet in exẽplis *incommunicabilis, & indiuifibilis*, & in ratione *æquivoci*, ab omnibus æquivocis abftracta, quę fignatè effet ęquivoca, & exercité vniuoca in prædicatione ipfius de omnibus æquivocis, fic illa ratio indiuidui effet incommunicabilis, indiuifibilis in plura, & prædicabilis de vno tantum fignate, exercitè tamen effet communicabilis diuifibilis, & prædicabilis de pluribus.

229. Replic. 1. Ratio Perfonæ Divinæ nequit præfcindi, quia eft vltima incommunicabilitas. Ergo nec ratio individui.

230. Refp. Neg. antec. cum S. Thom. 1. p. q. 29. art. 4. Exim. Doctore Arriag. Tellez, & alijs pro noftra fententia allegatis; immò ex conceptu perfonæ arguo fic ad rationem individui. Ariftoteles docet nomen Perfona communitatem vniuerfalitatis habere. Tũc fic: ratio perfonæ idem eft ac ratio indiuiduæ fubftantię, feu indiuiduum; fed iuxta Ariftotelem poteft dari ratio perfonę communis communitate vniverfalitatis: ergo & ratio indiuidui.

231 Replic. 2. Porphyrius definivit, & nos cum eo individum per Prędicabile de vno tantum; ergo quod eft prædicabile de pluribus individuum non erit, ficut quia homo definitur per animal rationale, quod animal rationale non eft, confequenter non eft homo.

232 Refp. Non cum Porphyrio definiviffe individuum fingulare, & exercitè tale. Petrus enim clarè cognitus, vt Petrus eft, folum eft prędibile de hoc homine, at Individuum folum fignate tale, & exercite vniuerfale, de pluribus prædicabile eft, & hoc non definivimus in definitione illa. Hoc eft, non diffinimus individuum vt vniuerfale, fed individuum, vt individuum. Hoc tamen quod eft prædicabile de vno tantum de plurribus prædicatur, nam de Petro dicitur, effe Prædicabile de vno tantum, de Paulo, Didaco, &c.

233 Obj. 2. Nullum eft prædicabile, ad quod poffit pertinere individuum, vt fic; ergo non datur tale individuum, quod fit vniuerfale.

234 Eximius Doctor. Et P. Compt. concedunt antec. & negant confeq. Putant enim, conceptus tranfcendentes, qualis eft ratio individui poffe præfcindi, quin ad vllum ex quinque pręedicabilibus pertineant forte, quia extranfcendentia eorum vnivocatio tollitur. Tu vero nega antec. nam fi prædicatio ita fiat, *hoc individuum eft individuum* pertinet ad fpeciem, quia prædicatur vt tota effentia, ficut diximus de animali in hac prædicatione. *Hoc animal eft animal.* Si vero ita fiat prædicatio, *hoc ens eft individuum*, iuxta probabilem fententiam pertinebit ad proprium, quia ficut vnitas, ita individuatio, eft proprietas entis, & ficut hæc prædicatio *hoc ens eft vnum*, pertinet ad proprium, ita & hęc *hoc ens eft individuum*.

235 Obj. 3. Canis terreftris, & canis marinus funt fimpliciter canes, & tamen ab vtroque ratio *canis* præfcindi nequit, quia in ratione canis dicunt diverfitatem: ergo licet Petrus, & Paulus fint fimpliciter individuum, nequit ab eis ratio individui præfcindi, quia in ratione individui dicunt diverfitatem.

236 Refp. Conced. antec. & neg. confeq. & fuppofitum, quod in ratione individui vlla intrinfeca diverfitas invalvatur. Canis Terreftris effentialiter eft animal latrabile, canis marinus eft tale animal æquoreum; latrabile, & æquoreum taliter dicunt exercitam diverfitatem, vnde vnica definitione explicari nequeunt, at vero Petrus in effe individui, conftituitur per effe indivifum in fe, & c. Paulus per idem effe individui conftituitur, eadem que definitione explicantur. Nam licet Petreitas, & Pauleitas diverfitatem dicant, non ingrediuntur conceptum individui vt talis: ergo á cane ad individuum nulla eft paritas.

237 Obj. 4. Ratio differendi nequit effe ratio conveniendi, fed individuatio vt talis eft ratio differendi: ergo. Confirm. Individuatio eft id, per quod res vltimo differt, fed fi effet ratio conveniendi, & vniuerfalis, non effet id, per quod res vltimo differt, cũ vlterius effet per aliam differentiam inferiorum contrahibilis: ergo.

238 Refp. Diftidg. mai. ratio differendi tam fignate, quam exercitè, concedo; ratio differendi folum fignate, nego. Sicut enim ratio *æquivoci* eft vniuoca, ratio *indivifibilis* eft diuifibilis, ratio *incommunicabilis* eft communicabilis exercitè, licet fignate contrarium dicant, ita ratio differendi fignate, exercite eft ratio conveniendi. Ad confirmationem idem dic: Individuationem effe vltimam rationem differendi fignate, non vero exercite. Hæc eft licet ipfa ratio abftracta ab omnibus indiuiduis fit ratio vltimo differendi, hæc eadem ratio de omnibus indiuiduis prædicabilis eft; quia omnia habent hoc, quod eft effe rationem vltimo differendi, vnde in hoc conveniunt, & affimilantur.

239. Inftas: vltima differentia nõ admittit convenientiam, aliàs non effet vltima, fed penultima; fed individuatio eft vltima differentia; ergo

240. Refp. Difting. mai. Vltima differentia exercita, & fignata, concedo; vltima differentia fignata tantum, nego, & Difting. min. Sed indiuiduatio eft vltima differentia fignate, concedo, exercite, nego. Petrus, & Paulus non conveniunt in effe Petri, & in effe Pauli; conveniunt tamen in effe indiuidui, Petrus & Paulus fecundum explicitum, quod dicunt, quod nomine Petreitatis & Pauleitatis fignificatur, dicuntur indiuiduationes explicitę. Petrus, & Paulus fecundum implicitum, quod important, quod nomine indiuidui explicatur, dicuntur, indiuiduationes implicitæ, quæ quidem cum fint indiuifiones in fe, & divifiones à quolibet alio, conveniunt, & poffunt ab intellectu fub hoc conceptu indiuidui confundi.

241. Replic. Per nos Petrus non convenit in effe Petri cum Paulo, nec Paulus in effe Pauli cum Petro, fed Petrus conftituitur in effe Petri, & Paulus in effe Pauli per differentias individuales: ergo nec in differentijs individualibus conveniunt.

242. Hanc Replicam Patris Alphonfi contra eum ita Retorqueo, concedit enim hic author á Petro, et Paulo poffe præfcindi rationem vnius numero. Non minus conftituuntur Petrus, et Paulus per differentias indiuiduales, quam per vnitates numericas; ergo fi per te hoc non obftante, poteft á Petro, et Paulo ratio vnius numero præf-

præſcindi,ſimiliter poterit ratio vnius indiuidui præſcindi.

243. Reſp.Conced.mai.et diſting minorem.Conſtituitur per differentias individuales explicitas nomine Petre s tatis,et Pauleitatis,conced. Per differentias indiuiduales confuſe cognitas nomine differentiæ induali s, nego:per Petrum in eſſe Petri, & Paulum in eſſe Pauli denotamus differentias individuales ſecundum expreſſum, quod dicunt, non vero ſecundum implicitum, quod important, ideo que dicimus, non conſtitui per differentias individuales confuſe cognitas, nam licet vt Petrus, & Paulus explicite eas differentias dicant, implicite tamen eas non dicunt, ideoque Petrus, & Paulus licet ſecundum explicitum non con veniant, conveniunt tamen ſecundum implicitum.

244 Obj. 5. Si daretur ratio individui, mediaret inter ſpeciem, & individuum, indeque hęc non eſſet prædicatio immediata, *Petrus eſt homo*, cum prius poſſet dici, *hoc individuum eſt homo*: ergo homo prius deſcendit ad individuum, quam ad Petrum.

245 Reſp. Individuum æque late patere ac ens, nam omne ens, ſicut eſt vnum, ita eſt individuum, & ſicut vnum,reliquaque entis attributa non mediant, ita nec individum. Hoc individuum ſcilicet humanum, & homo ſuut ęqualia, ſicut homo, & rationale; ergo ſicut rationale non impedit immediatam prædicationem hominis de Petro, ita nec hoc individuum.

246. Replic. Individuum vt tale pro eodem accipitur ac *hoc*, ſed ly *hoc* nequit vniuocè Petrum,& Paulum ſignificare,nam adiunctum Petro diuerſam rationem individui ſignificat, ac adiunctum Paulo, ergo neque ly *Individuum* vniuoce ſignificat Petrum, & Paulum.

247. Reſp.Ly *hoc* poſſe ſumi ſubſtantiue,ita vt ſignificet idem,ac ſingularis homo,aut ſingulare indiuiduum, aut adiectiue,ita vt demonſtratiue cadat ſupra Petrum,vel Paulum vt tales, ſi primo modo ſumatur,vniuoce ſignificat Petrum,& Paulum,vterque enim eſt ſingularis homo, & tunc ly *hoc* idem eſt ac indiuiduum; ſi ſumatur ſecundo modo, non ſignificat vniuocè Petrum, & Paulum,nam tunc ſignificat non indiuiduum vt cumque, ſed tale indiuiduum taleitatem importans.

248. Obj 6.Si præſcinderetur ratio indiuidui,daretur proceſſus in infinitum, ſed hic admitti nequit; ergo. Prob.mai.primo. Abſtrahatur á Petro, & Paulo ratio indiuidui adhuc Petrus, & Paulus remanent indiuidua. Ergo vlterius poterit ſecundo ab eis ratio individui abſtrahi, & vlterius tertio, & quarto, & ſic in infinitum, cum ſemper individua remaneant. Prob. 2.Illa ratio individui abſtractæ eſt individuum; ergo á Petro, & Paulo,& ab illa ratione individui poterit abſtrahi alia ratio ſecunda individui, rurſus hæc ſecunda ratio abſtracta eſſentiam individuum; ergo ab hac ſecunda, & prima, & à Petro, & Paulo abſtrahibilis eſt alia tertia ratio individui, & ſic in infinitum.

249 Argumentum improbat omnem præſciſſionem termini tranſcendentis; v.g. entis, vnius, veri, &c. In quo idem argumentum fit. Si vis potes cum eximio D. 5. Metaphy. ſ. 2. num. 18. P. Lynce, & cęteris RR cōmuniter hunc proceſſum in infenitum formalitatum abſque vllo abſurdo concedere. Sic perſeitas eſt ens, & aliquid amplius; hoc amplius ſimiliter eſt ens, & aliquid emplius vſque in infiitum. Sic Cardin, de Lugo. d. 15. de Incarnat. num. 14. P. Quiroz. Et alij admittunt in ſcientia divina, qua Deus ſe ipſum, & ſuam ſcientiam cognoſcit proceſſum in infiitum reflexivum. Reſp.

250 Reſp. Neg. Sequelam. Ad primam probationem dic, quod licet poſt primam, & ſecundam, & infinitas abſtractiones, ſi poſibiles ſint, ad huc remaneant Petrus, & Paulus individua, non remanent diſtincta, ſed eadem individua: ergo licet ſecundo, tertio, & quarto abſtrahatur ab eis ratio individui; eadem ratio, & non diſtincta abſtrahetur, ſolum enim abſtractione erunt diſtinctæ; quas vſque dum fatigatione impediaris repetere iterum atque iterum poteris; ſed idem iterum, atque iterum præſcindis. Ad ſecundam probationem maioris dic, ab illa ratione individui, & à Petro, & Paulo non poſſe vlterius prędcindi aliqua ſecunda ratio individui, quia illa ratio abſtracta,cum non ſit diſtinctum idiuiduum á Petro, & Paulo,non convenit cum eis in ratione individui, nam convenientia arguit diſtinctionem, vnde cum non conveniat, deficit fundamentum præſciſſionis; ſic ſi á Petro abſtraheretur ratio animalis ab ipſa ratione animalis abſtracta, & ab ipſo Petro non poſſet præſcindi alia ſecunda ratio animalis, quia prima ratio animalis abſtracta non eſt aliud, ſed idem animal, ac animal Petri,licet non cognoſcatur vt tale, nec cum animali Petri convenit, aliás ſecum ipſo conveniret.

251. Obj.7. Siprę́ſcinderetur á Petro & Paulo ratio indiuidui. Petrus,& Paulus non manerent indiuidua, ſed hoc eſt abſurdum:ergo. Prob.Sequela, id,quod ſeparatur ab alio,non manet in termino,á quo ſeparatur, alias ſepararetur, & non ſepararetur, ſed omnis præſciſſio eſt ſeparatio: ergo ſi præſcinderetur á Petro,& Paulo ratio individui,Petrus,& Paulus non manerent indiuidua.

252. Hoc argumentum etiam impugnat omnem præſciſſionem termini tranſcendentis. Nam ſi ens præſcinderetur á perſeitate, hęc non maneret ens,cum ab ea eſſet præſciſſum, & ſimul maneret, cum ab eo eſſet tranſcenſſa.Reſp. aſsignando diſparitatem inter præſciſsionem phyſicam, et intentionalem. Præſciſsio phyſica eſt ſeparatio mutua, ſic ſi ramus præſcinditur ab arbore, arbor manet ſine ramo, non ita præſciſsio intentionalis, nam hæc ſolum conſiſtit in eo, quod poſsit vnum concipi ſine alio, cum autem poſſet indiuiduum concipi ſine Petreitate,aut Pauleitate, hoc præſcinditur ab eis;at cum Petreitas,et Pauleitas ſine indiviuo concipi non poſſint, non præſcinduntur ab illo, daturque præciſſio,& ſeparatio non mutua,ſicut animal poteſt concipi ſine homine,homo tamen ſine animali concipi non poteſt.

253. Replic.1.Impoſſible eſt,quod Petrus diſtinguatur à Paulo, & quod Paulus non diſtinguatur á Petro; ergo impoſſibile erit,quod indiuiduum diſtinguatur á Petro,& quod Petrus non diſtinguatur ab indiuiduo.

254. Reſp. Conced. antec. Nego conſeq.Ratio diſparitatis eſt, quod diſtinctio inter Petrum, & Paulum eſt diſtinctio realis,& phyſica, quę neceſſario debet eſſe mutua; diſtinctio vero inter Petrum,& indiuiduum eſt diſtinctio formalis,& per mentem, quæ cum conſiſtat in eo,quod concipiatur vnum ſine alio, poteſt eſſe non mutua, quia poteſt hoc ſine illo concipi,non tamen illud ſine hoc,vt patet in ente,& perſeitate; Perſeitas nequit concipi ſine ente, & ens poteſt concipi ſine perſeitate, & ratio eſt, quia præſciſſio formalis potius debet aſſimilari ſeparationi,quam diſtinctioni,ſicut ergo plura ſeparantur ad invicem,vt Petrus, & Paulus, quia Petrus ſine Paulo, & Paulus ſine Petro exiſtere poſſunt, plura vero nequeunt ad invicem ſeparari. Sic Deus poteſt ſeparari á creatura, creatura

 autem

autem non potest separari á Deo; res potest separari á modo; modus autem nequit separari á re. Ita plura formaliter possunt mutuo separari; quædam vero mutuo separari, & præscindi nequeunt.

255. Replic 2. Non stat distinctio non mutua inter duo sine distinctione mutua aliquorum; v.g. quia animal, & homo non mutuo distinguuntur, animal, & rationale distinguuntur mutuo inter se; sed individuum, & Petrus non mutuo distinguntur: ergo saltem individuum, & Petreitas mutuo debent distingui.

256. Confirm. Omnis distinctio non mutua est distinctio includentis ab incluso; sed omnis distinctio includentis ab incluso fundatur in distinctione excludentis ab excluso. V.g. Homo distinguitur á materia distinctione includentis ab incluso, quia habet formam, quæ distinctione excludentis ab excluso distinguitur à materia: ergo non stat distinctio non mutua sine distinctione mutua aliquorum.

357 Resp. Hanc replicam, & alia argumenta, quæ potius faciunt contra transcendentiam rationis individui in vltimas differentias, me con vincent in metaphysica ad negandam transcedentiam entis; sed hic, sicut & ibi supponimus transcendentiam, qua supposita, inquirimus: an individuum possit præscindi? Unde argumenta, quæ faciunt contra suppositũ sunt abs re, eis que respondere non tenemur. Vt tamen interim scias, quomodo respondeant huic argumento DD. defendentes transendentiam ita se habent. Iam ad replicam, quam ad confirmationem negant mai. Ens enim non mutuo distinguitur á perseitate, quin detur vlla mutua distinctio inter ens, & perseitatem, cum hæc sit adęquate transcendẽtia abente, quod non evenit in animali respectu hominis quem adæquate non transcendit, ideo que mutuo animal á rationali distinguitur, & sicut datur inseparabilitas non mutua sine vlla mutua separabilitate, sic dabitur distinctio non mutua sine vlla mutua distinctione. Idem dicunt ad confirm. Non omnem distinctionem includentis ab incluso fundari in distinctione excludentis ab excluso, ob rationem supra dictam, ideo que licet individuum separetur, pręscindatur, & distinguatur à Petreitate, non inde infertur, Petreitatem distingui, præscindi, aut separari ab individuo.

258 Obj. 8. Vltima differentia non est resolubilis in duos conceptus, aliás non esset vltima: Ergo neque in rationem individui, & taleitatem individui.

259 Resp. Disting. antec. In duos conceptus mutuo, & adæquate distinctos, concedo: non mutuo, & inadæquate distinctos. Nego. Solutio patet ex dictis. Neque ex eo quod sit resolubilis in duos conceptus, ex quibus vnus implicitè sit ratio conveniendi, & alius explicite ratio differendi, sequitur non esse vltimam differentiam, Sufficit namque, quod secundum explicitum, quod dicit non sit explicite resolubilis, vt absolute, & adæquate dicatur vltima differentia.

260 Replic. Ad vnam rationem formalem non datur alia ratio fomalis: ergo nec ad vnam rationem differendi alia ratio differendi, sed individuum est ratio differendi; ergo respectu individui non datur aliqua ratio differendi; sed si posset præscindi, & resolvi in duos conceptus ratio individui daretur respectu illius ratio differendi, nempe taleitas individui: ergo.

261 Aliter efformatur instantia in nostris principijs. Per nos individuum est,

est vltimo completum, & determinatum in suo esse metaphysico, sicut subsistens in esse physico; ergo non est vlterius complebile, & determinabile in suo esse metaphysico, sicut subsistens non est vlterius complebile, & determinabile in suo esse physico; sed si ratio individui esset ratio communis abstracta, esset vlterius determinabilis, & complebilis in suo esse metaphysico, nam individuum per taleitatem individui completur; ergo.

262 Resp. Ex Replica inferri; nec genus, nec differentiam specificam posse definiri, nam cum omnis definitio constet genere, & differentia, si genus definiretur, iam ad vnum genus daretur aliud, & si differentia definiretur, iam ad vnam differentiam alia daretur.

263. Resp. Ad vnam rationem formalem exercite talem non dari aliam, sicut ad vnam actionem V.g. vt actio formaliter est, non datur alia actio; at vero ad vnam rationem formalem signate talem, aut materialiter talem potest alia ratio formalis assignaris, sic ad vnã actionem potest dari alia actio, & ad vnam vnionem alia, vt patet in vnione naturali inter animam, & corpus Christi D. quæ media alia vnione hypostatica vnita fuit personalitati divinę. Ratio ergo communis individui respectu suorum inferiorum, vt vniversalis est, non est exercite ratio differendi, sed solum signate; exercite tamen se habet vel vt genus, vel vt species, vel vt proprium, vnde respectu illius potest assignari ratio differendi.

264. Ad instantiam contra nostra principia respond. Individuum esse vltimo completum in suo esse metaphysico, cum autem individuatio subsequatur gradus entis, vnusquisque in suo esse metaphysico completus est. Sic animal per individuationem, completum est vltimo in esse animalis, quin vlterius in esse animalis compleatur, homo per individuationem vltimo completus est in esse hominis, quin in esse hominis possit compleri. Non tamen ex hoc infertur; quod absolutè animal non compleatur per rationale ad constituendum hominem, & homo per Petreitatem ad constituendum Petrum; sicut in communiori sententia licet materia prima per partialem subsistentiam vltimo compleatur in esse subsistentis, non infertur, quod non possit vlterius compleri per formam ad constituendum compositum humanum, nec quod subsistentia non rectè definiatur per vltimum complementum naturę, & subsistens per vltimo completum in suo esse physico, quia non impedit, quod aliquid sit vltimo completum in vna linea, & vlterius in alia sit complebile. Sic individuum est vltimo completum in esse individui, nec in esse individui vlterius complebile, completur tamen per taleitatẽ in esse talis individui.

265. Obj. 9. Ex Sapientissimo P. Massa. A prędicato supremo primo intentionaliter, nequit præscindi aliqua ratio, quæ sit superior respectu illius, quia sequeretur, tale prædicatum esse superius, vt supponitur, et non esse superius, quia iam haberet supra se rationem superiorem, ergo nec á prædicato vltimo ea ratione, qua est vltimũ, poterit abstrahi ratio *vltimi*, quia iam esset vltima, vt supponitur, et non esset vltima, cum haberet aliam rationem infra se, sed nomine individuationis nil aliud significamus, quam prædicatum vltimum ea ratione, qua est formaliter vltimum: ergo non potest præscindi ratio individui.

266. Resp. Transeat antec. & Nego conseq. Ad inconveniens, scilicet, quod talis ratio esset vltima, & non esset vltima, iam supradixi; non implicare

care, talem rationem esse vltimam signate,& non esse vltimam exercite; illa enim ratio abstracta ab vltimis differentijs,seu individuis esset vltima differentia signate,exercite tamen non esset vltima differentia, cum vlterius esset contrahibilis per taleitates, scilicet per Petreitatem,& Pauleitatem.

267. Nota tamen non ideo præscisse non abstrahi à prędicato omnium supremo aliquam rationem superiorem, quia sequeretur,tale prædicatum esse, & non esse omnium supremum, nam eodem modo ac salvatur, quod nulla sit contradictio in prędicato vltimo,asserendo prædicatum abstractũ, esse vltimum signate, & exercite non vltimum,ita poterat dici,tale prædicatum supremum manere supremum signate, & non supremum exercite, sed quia cum supponatur omnium supremum supponitur non dari aliud prædicatum simile quocum conveniat, vt detur fundamẽtum abstractionis,quod est cõvenientia, & similitudo plurium: At vero cum dentur plura individua, conveniunt in prædicato vltimæ differentiæ, vt ab eis ratio vltimæ differentiæ abstrahatur. Si vero ita ponantur plura prædicata suprema, sicut ponuntur plura infima, & vltima, eo modo quo ratio *vltimi* abstrahitur, & ratio supremi abstraheretur.

268 Replic. Ergo talis ratio abstracta non esset exercite individuum. Prob. conseq. Eo modo, quo aliquid non participat essentiam alicuius rei, non est talis res, sed si talis ratio abstracta,non esset exercite vltima differentia non participaret exercite essentiam individui,nam essentia individui est esse vltimam differentiam:ergo.

269 Resp. Conced. totum; sicut enim ratio abstracta ab omnibus generibus non esset genus exercite,sed species; ratio abstracta ab omnibus æquivocis non esset æquivoca exercite, sed vnivoca, ratio abstracta ab omni indivisibili non esset indivisibilis exercite, sed divisibilis, solum enim signate esset genus, æquivoca, & indivisibilis, idest, materia seu abstractum illius vniuersalis est genus, ęquivocum, indivisibile; ita ratio abstracta ab omni individuo esset solum signate, aut materia liter individuum, formaliter vero esset, vel species, vel genus, vel proprium.

270 Obj. 10. Individua conveniunt, quia disconveniunt, sunt similia, quia sunt dissimilia: ergo conveniunt, quia non conveniunt, quod est idem ac dicere, Petrum esse hominem, quia non est homo. Aliqui, quos suppresso nomine citat, & optime impugnat P. Arriag. d. 7. num. 93. dicunt; in ipsa formalissima disconvenientia esse convenientiam. V.g. Albedo est dissimilis nigredini, & quia nigredo est dissimilis albedini, albedo est similis illi, in eo quod vtraque sit dissimilis; vnde fatentur, ab ipsa formali, & explicita ratione differendi posse abstrahi rationem conveniendi. Resp, Non ideo convenire, & esse similia individua, quia disconveniunt, & sunt dissimilia, sed quia in esse individuorum eandem essentiam, eandem que definitionem participant, vt patet ex nostris probationibus.

271 Obj. 11. Ratio individui, quæ est in Petro,non est similis rationi individui, quæ est in Paulo: ergo vtraque nequit confundi per vnum conceptum vnivocum. Prob. antec. Ratio individui, quæ est in Petro negat omnem similitudinem cum ratione individui,quæ est in Paulo. Ergo. Prob. antec. Negat omnem sicuitatem cum alio individuo: ergo negat omnem similitudinem. Prob, antec. In hoc distinguitur per nos ratio individui à ratione vnius, quod vnum negat

gat

gat esse aliud, individuum vero negat, vnum esse sicut aliud: ergo ratio individui, quæ est in Petro,nengat omnem sicu, tamen cum omni alio individuo.

272 Resp. Disting. antec. non est similis, vt est ratio individui Petri involvendo ipsam Petreitatem explicite, concedo: Vt est ratio pręscisse individui. Nego. Et similiter distinguo reliquas probationes. Certum est individuum prout ab vno distinctum negere esse sicut aliud. At vero individuum, vt individuum est præscissive,non negat esse sicut Petrus, vel sicut Paulus, sed ab omnibus præscindit, & solum negat esse sicut aliud,in quo quidem Petrus, & Palus conveniunt, nam tam ratio individui, quę est in Petro, quam ratio individui,quæ est in Paulo,negat,esse sicut aliud; si vero iam sumatur ratio individui,quæ est in Petro, prout est Petri ipsam Petreitatem involvens, negat determinate similitudinem, & sicuitatem cum ratione individui, quę est in Paulo, sed ab eis ita explicite sumptis ratio individui non præscinditur.

273. Replic. Indivisio,quę convenit Petro,nõ est indivisio,quæ convenit Paulo; ergo non conveniunt in indivisione, & consequenter nec in ratione indiuidui, quæ in indivisione consistit.Prob.antec. Indivisio, quæ convenit Petro,est indivisio in plures Petros,& divisio á Paulo ratione identitas Petri secum ipso; sed Paulo non cõvenit hæc indivisio in plures Petros ratione idẽtitatis cum Petro,sed potius indivisio in pluresPaulos ratione identitas cum Paulo:ergo.

274. Resp. Nego antec. Ad probationem dic; indivisionem in plures Petros,&c.non convenire Petro ex cõceptu communi individui, sed extaleitate individui. Ex conceptu enim individui solum competit illi esse indivisum in se,& divisum à quolibet alio, quod quidem etiam Paulo competit;ergo vtrique eadem indivisio per similitudinem competit,reliqua proveniunt ex taleitate,quę non præscinditur.

275. Obj. 12. Ex ingeniosissimo Neotherico Aurelianæ familię. Si cõceptus individuationis, & ipsius taleitas sunt duo conceptus inter se formaliter non mutuo distincti. Rogo, vel primus,vel secundus, vel neuter est essentia adęquata individuationis? Si vterque:Ergo ratio individui adæquatè non salvatur in conceptu communi præscisse sumpto,sed vltra superaddẽda est taleitas,inqua per nos non datur convenientia. Si in primo conceptu tota essentia individui salvatur? Ergo superfluit secundus,scilicet taleitas, si quidem omne id, quod per secundum præstandum erat, præstatur per primum. Si salvatur in solo secundo, scilicet taleitate: ergo superfluit primus. Si neuter, in alio conceptu objectivo individuatio consister.

276. Resp. Totam essentiam metaphysicam individui formaliter adęquate salvari in primo conceptu individui,cui tota definitio,scilicet indivisum in se, & divisum à quolibet alio, correspondet, quin taleitas illud metaphysice constituat. Ex hoc tamen non sequitur,taleitatem esse superfluã; licet enim salvetur tota essentia metaphysica hominis in animali rationali, non sequitur rationem individui esse otiosam, & ex eo,quod salvetur tota essentia entis in non repugnantia ad existendum,non infertur; perseitatem esse otiosam. Non enim ratio individui præstat quidquid á taleitate præstatur. Taleitas namque determinat, & contrahit individuum ad Petrum, potius quam ad Paulum, facit diversum, seu diuersificat vnum ab alio, quod ratione indiuidui determinate non diuersificabatur, & alia pleraque.

Mmmmm Obj.

277. Obj. 13. Indiuidua primo intentionaliter non conueniunt in ratione vnius: ergo nec in ratione indiuidui. Prob. antec. *Primo*: hęc consequentia est bona. Petrus est vnus: ergo non est Ioannes, nec Franciscus: ergo quia hi omnes non conueniunt in ratione vnius. Prob conseq. Ideo hæc consequentia non est bona: *Est* homo: ergo nec Petrus, nec Franciscus, quia Petrus & Franciscus in ratione hominis conueniunt: Ergo si prima consequentia est bona, ideo est, quia Petrus, Ioannes, & Franciscus non conueniunt in ratione vnius.

278. Prob. antec. *secundo*. Ideo valet Petrus est homo: Ergo nō est *equus*; quia Petrus, & equus nō conueniunt in ratione hominis: ergo similiter ideo valet Petrus est vnus. Ergo nō est Frācifcus: quia Petrus, & Frācifcus nō cōueniunt in ratione vnius. Probatur *Tertio*. Ratio superior potest affirmari de omnibus inferroribus collectiue sumptis, vt videre est, in hac prædicatione. Petrus, & Paulus, & Ioannes, &c, sunt homo. Sed ratio *vnius* nequit affirmari de omnibus collectiue sumptis, ita: Petrus, Ioannes, & Franciscus sunt vnum: ergo quia ly *vnum* non est vniuersale.

279 Resp. Neg. Antec. Ad primam probationem dic. Non ideo præscisse non esse rectam illam consequentiam: *Est homo*: Ergo nec Petrus, nec Paulus, quia Petrus, & Paulus conueniunt in ratione hominis, sed quia in antecedenti nil ponitur in homine, ratione cuius positiue excludat, esse Petrum, vel Paulum. Vnde ly *homo* potest esse vel Petrus, vel Paulus; at vero in illa alia consequentia: *Petrus est vnus*: ergo *nec Ioannes*, nec Franciscilcus: in antecedenti ponitur identitas realis prædicati vnius cum Petro, ratione cuius positiue excludit, esse Ioannem, vel Franciscum, & prædicatio fit in sensu reali, in quo sensu si fieret prima prædicatio, esset etiam falsa, vt iam dicam. Si vero hęc prædicatio fiat in sensu formali, ita vt ex eo, quod Petrus sit vnus, inferatur non esse Ioannem nec Franciscum, tam falsa est vna, quam alia.

280 Ad secundam probat. Resp. Concesso antecedenti. Nego conseq. Hęc consequentia: *Petrus est vnus*: ergo *non est Ioannes*: ideo valet, quia ly *vnum* sumitur in sensu reali; habet enim hunc sensum: *Petrus, quia est singularis, est vnus*; *quia est Petrus non est Ioannes*, in quo sensu recte etiam infertur: *Petrus est homo*: ergo *non est Ioannes*. Id est, quia Petrus est singularis homo, qui est Petrus, non est Ioannes. Si vero in sensu formali sumatur illa deductio habens hūc sensum, *quia Petrus est vnus, non est Ioannes*: est falsa, sicut & hec, *quia Petrus est homo non est Ioannes*: Nam tam vniuoca est ratio vnius, quam ratio hominis. Hinc ad tertiam probationem respondetur, quod eodem modo ac de omnibus hominibus collectiue prædicatur ratio hominis, ita: *Petrus, Franciscus, Ioannes, &c. sunt homo*: ita de omnibus collectiue sumptis prædicari poterit ratio *vnius*: *Ioannes Petrus Froncifcus sunt vnum*, idest participant rationem *vnius*, sicut participant rationem hominis.

281 Obj. 14. Actus attingens rationem *diuisi*, seu *distincti* á quolibet alio necessario attingit plura, vt plura, ac proinde nequit efficere vniuersale: sed actus, qui abstraheret rationem indiuidui, necessario attingeret rationem *diuisi*, seu *distincti* á quolibet alio, cum sit de essentia indiuidui: ergo talis actus non efficeret vniuersale. Prob. mi. talis actus attingit distinctionem vnius á quolibet alio: ergo attingit vnum, & quodlibet aliud vt distincta interse: ergo ut plura.

282 Resp. Negando mai. Ad probationem. Conced. antec. & disting. conseq. Ita vt quod libet aliud attingat terminatiue, & in obliquo, & diuisum, seu distinctum formaliter in recto, concedo. Vtrumque in recto, nego. Non impedit constitutionem vniuersalis attingentia plurium in obliquo, & terminatiue; sic hic actus, causa est productiua plurium effectuum, & alij similes sunt vniuersales; dummodo ergo pluralitas non se teneat ex parte recti, vniuersalitas non impeditur. Et ratio á priori est; quia pluralitas ex parte obliqui non impedit, quod ratio sit prædicabilis de pluribus; sic verum est dicere. Petrus est diuisus á quolibet alio. Ioannes est diuisus á quolibet alio: ergo non impedit quod sit vniuersalis.

283. Obj. 15. Omne distinctum reale est indiuiduum, vt nunc supponimus, admittendo communem definitionem, vel saltem est vnum: ergo actus attingens distinctionem á quolibet alio nequit vniuocare indiuidua. Prob. conseq. Actus attingens distinctionem, & diuersitatem inter duo, ea nequit vitalis conceptus vniuocare, vt per se patet: sed actus attingens diuisum á quolibet alio attingit distinctionem, seu diuersitatem vnius indiuidui, nempe distincti realiter ab alio indiuidui nempe distincto realiter: ergo.

285. Resp. Admitto antec. & nego conseq. Ad probationem nego min. & suppositum ipsius, quod in ly *quolibet alio* attingatur distinctum reale. Ly enim *quodlibet aliud* præscindit ab eo quod sit quid Chymæricum, vel reale, nam á quolibet alio tam reali, quam ficto distinguitur indiuiduum, vnde nullo modo attingit diuersitatem inter distinctum reale, & distinctum reale, seu inter indiuiduum, & indiuiduum: ergo ea possunt per illum actum vniuocari. Sicut enim per actum. *homo distinguitur aliquo modo ab omni animali*; vniuocatur ratio hominis vt talis, quia licet per illum actum attingatur distinctio inter hominem, & omne animal, in quo includitur etiam animal ipsius hominis in obliquo, non multiplicatur animal hominis vt animal hominis, ac consequenter non multiplicatur homo, vt homo, sed solum animal præscindendo ab animali hominis, & equi, ita cum ly *quod libet aliud* prescindat á distincto reali, & Chymærico, vi illius non multiplicatur distinctum reale vt distinctum reale, sed solum distinctum præscindendo á distincto reali, & Chymærico.

285 Replic. Sed talis actus multiplicat in obliquo non solum distinctum præscissiue, sed distinctum reale positiuum, quod est illius significatum rectum; ergo per illum nequit vniuocari ratio distincti realis, cum attingātur plura distincta realia Prob. min. primo. Illud obliquum, *quodlibet aliud* ęquiuoce significat distincta realia, & distincta Chymærica, cum distinctum reale, & Chymæricum æquiuoce conueniant: ergo ea attingit vt distincta, quin possit aliquo communi conceptu confundi. Prob. 2. Obliquum illud distribuit omne, distinctum, sicut terminus *omnis homo* distribuit omnem hominem, ita vt idem sit dicere diuisum á quolibet alio, ac diuisum ab hoc, & illo, & isto, & sic de cæteris: ergo attingit plura distincta realia, ergo plura indiuidua.

286 Resp. Nego min. Ad primam probationem nego antec. Nam licet æquiuoce significet omnia distincta, & sic attingat plura vt plura; non tamen significat ea distincta secundum proprias rationes specificas reales, vel chymæricas, sed ab eis præscindit, sicut hic actus *omne animal*. Licet attingat plura, vt plura in ratione anima-

animalis,non tamen attingit conceptus specificos hominis, & equi, sed ab iis præscindit. Ad secundam probationē. Dic,ly *omnis homo* distribuit hominem sub ratione hominis,at vero ly *quelibet aliud* non distribuit distinctum reale sub ratione distincti realis, sed sub ratione distincti, ac proinde licet idem sit diuisum á quolibet alio, ac diuisum ab hoc, & illo, & isto, non tamen attingit hoc, & illud, & istud sub ratione distincti realis,sed sub ratione distincti.Hoc dictum sit supponendo definitionem communem indiuidui per indiuisum in se,& diuisum á quolibet alio,in nostra vero sententia aliter rationem indiuidui definiente argumentum vltimum, & eius instantia nullam vim habet,vel iuxta nostra principia facilé posset ei solutio applicari.

DISPUTATIO III.

DE DIFFERENTIA TERTIO prædicabili.

287. Differentia est triplex. *Communis,* quæ est accidens, ratione cuius vnum ab altero accidentaliter differt,vt albedo,qua Hispanus differt ab Ætiope,& pertinet ad Quintum prædicabile. *Secunda propria*, & est proprietas secundario diversificans rem,vt risibile respectu rationalis, hæc pertinet ad quartum prædicabile. *Tertia proprijssima,* qua vnum differt essentialiter ab alio, & hæc est,quæ ad tertium hoc prædicabile attinet; hæc habet triplicem respectum; ad genus, quod diuidit,& contrahit,& ita dicitur *diuisiva*, ad speciem, quam constituit, & dicitur *constitutiva*; & ad indiuidua, de quibus prædicatur, & dicitur *prædicabilis.* Nota,nullam esse differentiam diuisiuam generis, quæ non sit simul constitutiva speciei,bene tamen posse esse divisiuam generis,& constitutivam speciei,quin sit prædicabilis, quia potest dari aliqua differentia non vniversalis,nec prędicabilis de pluribus, vt in Diuinis ratio *personæ, filiatio, & Paternitas*, & omnis differentia constituens speciem subjicibilem.

SECTIO I.

QVID SIT DIFFERENTIA prædicabilis? & alia scienda.

288. Porphyrius sic definit differentiam.*Prædicabile in quale quid de pluribus differentibus specie.* Male equidem, quia solum competit differentij subalternis, non infimis, quæ de differentibus tantum numero possunt prædicari.

289. Differentiam ergo prout præscindit á differentia subalterna, & infima ita definio:Est *prædicabile in quale quid de differentibus.* Per ly *Prædicabile de differentibus* convenit cum reliquis prædicabilibus. Per ly *in quale* differt ab specie, & genere. Per ly *in quid* á proprio,& accidenti. Nota per ly *inquale* non denotari prędicationem accidentalem, sed prædicationem per modum rationis determinatiuæ alicuius rationis communis,quare non prædicatur *in quale* accidentaliter, sed *in quale* notabiliter. Convenit omni differentiæ subalternę, & infimæ; non convenit definitioni,quia licet hæc ratione generis prædicetur *in quid*, & ra-

tione differentię in *quale* non prędicatur per modum vnius, sed per modum duplicis termini.

290. Diuiditur in subalternam, & infimam,*Subalterna* est,quæ sub se continet alias differentias, vt sensibile, quod continet hinnibile, rugibile,&c. *Infima*,quæ sub se alias differentias non continet,vt rationale. Item diuiditur in differentiam contrahentem, quę cōtrahit genus intra eandem lineam, vt rugibile respectu sensibilis, quod contrahit ad tales sensationes,& extrahentem,seu elevantem,quæ extrahit genus ad operationes alterius lineæ, vt rationale respectu sensibilis,quod ad ratiocinationes elevat.

291 Rogas. 1. Per quem actum constituitur differentia in esse vniuersalis? Resp. Per actum, quo ab indiuiduis abstrahitur ipsa sola, nam si simul cum genere abstrahatur, erit cum eo species.

292 Rogas. 2. An tria munera illa constitutivæ, diuisiuæ, & prædicabilis competant defferentiæ primo, vel secundo intentionaliter? Resp. Quod cum primo intentionaliter non detur differentia, prout hoc nomine significatur,consequenter nullum obtinebit munus; insuper constituere, diuiduere, & prædicari aliquam sonant distinctionem,& compositionem, quę solum secundo intentionaliter locum habet in rebus realiter identificatis.

293 Rogas. 3. Vtrum eadem differentia possit esse contractiua duplicis generis? Resp. Affirmatiue. Sic rationale est contractivum animalis,& intellectiui. Idem actus intellectus contractivus practici, & speculatiui. Nota,tales actus esse species mistas ex duplici specie, alia complera, & tunc genera, quę seorsim respectu suorum actuum sunt adæquata, esse in adæquata respectu illius speciei, quæ vtrunque genis ad sui constitutionem requirit.

SECTIO II.

AN DIFERENTIA SIT VNIVERsalis, & respectu cuius?

294 Prima sententia tenet, differentiam esse vniuersalem respectu speciei. Ita aliqui Thomistæ cum Caietano, & Cerna. d. 6. 5. 4. art. 1. quos citat & sequitur Mag. Prad. lib. 1. quæst. 25.

295 Secunda sententia tenet, esse vniuersalem respectu indiuiduorum. Ita fere omnes nostri. Est etiam communior inter Thomistas, quos sequitur Magister Lync. lib. 2. quęst. 3. art.3.

296 Prob. 1. Vniuersale vt tale respectu illius, cuius est vniuersale est superius; sed differentia non est superior respectu speciei, sed respectu indiuiduorum. Ergo nec vniuersalis respectu speciei, sed respectu indiuiduorum. Confirmatur. Differentia æque late patet, ac species,valet enim ad conuertētiam á differentia ad speciē, & ab specie ad differentiā,ita.*Est rationale*: ergo *homo*. *Est homo*: ergo *rationalis*. Ergo rationale non est superius respectu hominis, nec differentia respectu specie. Prob, 2. Vniuersale debet esset Prędicabile de pluribus;sed species non est plura. Ergo respectu speciei non est differentia vniuersalis.

297 Obj. 1. Differentia Rationale; v.g. non facit differre indiuidua speciei humanæ, & respectu illorum potius est conueniencia, quam differentia, sed solum facit differre speciē; sed solum est differentia respectu illius, quod facit differre: ergo solum est dif-

differentia respectu speciei, & non respectu indiuiduorum. Resp. Disting. m.i. Non facit differre indiuidua speciei humanæ inter se, conced. Ab alijs indiuiduis alterius speciei. neg. Tam speciem, quam indiuidua facit differre, sed speciem vt æqualem, indiuidua vt inferiora; non ergo respectu omnis termini, quem facit differre se habet vt vniuersalis, sed solum respectu illius, quem facit differre vt ratio superior.

298 Obj. 2. Hæc est prędicatio formalis, & directa, *homo est rationalis.* Sed non est prædicatio singularis: ergo vniuersalis. Tunc sic, sed non alterius Predicabilis, generis, speciei, proprij, aut accidentis. Ergo differentiæ; ergo differentia prædicatur vt vniuersalis de specie Resp. Conced. mai. min. & neg. consequentiam: inter prædicatum singulare, & vniversale datur prædicatum æquale, quod nec vt singulare, nec vt vniuersale prædicatur. Sic de definitione prędicatur animal rationale, vt quid æquale, non tamen vt vniuersale, aut singulare; neque ex eo, quod prædicatio sit directa sequitur quod sit vniuersalis. Hinc inferes tale prædicatum ad nullum Prędicabile spectare, cum non gaudeat vniuersalitate.

299 Obj. 3. Species est terminus immediatus differentiæ, & hæc non respicit inferiora speciei, nisi medio respectu, quo immediate respicit speciem: ergo prius exercet vniuersalitatem respectu speciei, quam respectu indiuiduorum. Prob. conseq. Ideo genus prius exercet vniuersalitatem respectu speciei, quam respectu indiuiduorum completorum, quia terminus immediatus generi est species, & non respicit inferiora speciei nisi medio respectu ad speciem: ergo.

300 Resp. Disting. antec. Quoad primam partem. Species est terminus immediatus differentiæ, terminus inferior, nego; terminus æqualis, concedo. Vnde habet differentia duplicem terminum immediatum, vnum æquale, qui est species, & alterum inferiorem, qui est indiuiduum. Distinguo etiam secundam partem antecedentis. Differentia non respicit inferiora speciei, nisi medio respectu, quo respicit speciem, vt inferiorem, nego; vt æqualem transeat. Ad eius probationem dico; genus non respicere, vt vniuersale speciem, quia medio respectu ad ipsam respicit indiuidua completa, vt inferiora, sed quia species ipsa est inferior, & non æqualis respectu generis, sed species non est inferior, sed æqualis respectu differentiæ: ergo licet differentia medio respectu ad ipsam speciem respiceret indiuidua speciei, non ideo esset vniuersalis respectu illius.

301 Obj. 4. Differentia non prædicatur vt quid æquale speciei: ergo iam cessat tota ratio, cur non prædicetur de illa ut vniuersale. Prob. antec. 1. Quia de pluribus prædicatur differentia formaliter, quam species; ergo species, & differentia non sunt ęquales interse: Prob. antec. Differentia prædicatur de indiuiduis, & de ipsa specie, species vero licet prædicetur de indiuiduis, non prędicatur de se ipsa: ergo. Prob. Idem antec. 2. quia si prædicaretur vt æquale, sicut species est vniuersalis, ita, & differentia esset etiam vniuersalis, sicut vt linea sit æqualis palmo, debet esse palmaris.

302 Resp. Nego antec. Ad primam probationem respondetur. Concedo de pluribus prædicari, & ad plura se extẽdere differentiã, quã speciẽ, sed non ideo species non est æqualis differentiæ in vsurpatione logica, nam logice loquendo, quoties ab vno ad aliud mutuo valet consequentia, ea di-

cuntur ęqualia, cum autem inter differentiam, & speciem valeat hæc mutua illatio. *Est rationale*: ergo *homo. Est homo*: ergo *rationale.* Æqualia dici debent. Ad secundam probationem respondetur, quod vt species, & differẽtia sint ęquales, nõ requiritur, quod differẽtia sit vniuersalis respectu speciei, nã cũ species nõ sit vniuersalis respectu differentię, potius ex ea vniuersalitate differentię ad speciem argueretur inęqualitas, sed solum requiritur, quod sit vniuersalis respectu eorum, ad quæ est vniuersalis species, cum autem species non sit vniuersalis respectu differentię, sed respectu inferiorum speciei, differentia solum erit vniuersalis non respectu speciei, sed respectu inferiorum speciei.

303 Obj. 5. Respectu illius se habet differentia vt vniuersalis, dequo prædicatur in quale; sed de indiuiduis non prædicatur in quale: ergo respectu indiuiduorum non se habet differentia vt vniuersalis. Prob. min. De illo solum prædicatur differentia in quale, quod qualificat, & cui contingenter aduenit: Sed non qualificat indiuiduũ, nec illi contingenter aduenit, cum sit de essentia indiuidui. Ergo.

304. Argumentum probat; differentiam nullo modo esse vniuersalem, non respectu indiuidui, quia de eo non prędicatur in quale, non respectu generis, quia de eo non prædicatur in quid, non respectu speciei, quia ob eandem rationem, ob quam non prædicatur de indiuiduo in quale, nec prædicatur de specie, cum speciem non qualificet, nec illi contingenter adueniat, cum eam constituat. Ergo. Resp. Differentiam prædicari de genere in quale logicè accidentaliter, non vero in quid nam differentia est extra essentiam metaphysicam generis, de illo ergo prædicatur differentia in qualequid, quod constituit vt pars formalis simul qualificans, & determinans aliam compartem ad constitutionem totius, vnde tam respectu speciei, quam respectu indiuiduorum prædicatur in qualequid, sed cum solum respectu indiuiduorum habeat superioritatem, respectu illorum tantum est vniuersalis.

305. Rogas. Quomodo prædicetur differentia vt sic de differentijs particularibus v.g. *Rugibile est differentia?* Resp. Prædicari, vt genus, nam prędicatur de notabiliter differentibus.

SECTIO III.

AN DIFFERENTIA SIT perfectior genere?

305. NOta, hic supponi cum sola distinctione formali posse dari maiorem, vel minorem, aut æqualem perfectionem, cum pluribus defendentibus, attributa Diuina inter se comparata esse æqualia, vel inæqualia in perfectione, sine vlla distinctione reali, nam si hoc non supponatur, iudicarem dicendum; *Differentiam* nec esse perfectiorem, imperfectiorem ve genere, nec æqualem, inæqualem ve generi, nam cum prædicatum minoritatis, maioritatis, aut ęqualitatis inperfectione sit prędicatum primę intentionis, cum sola distinctione formali, seu secundę intentionis non saluatur sufficienter, sed vlterius requiritur distinctio realis, seu primæ intentionis. Sic discurrunt aliqui RR. in attributis *Diuinis* negantes, esse æqualia, vel inęqualia, sic etiam aliqui negant intellectui *Diuino* prædicatum actus primi comparatione intellectionis essentialis, &c. hoc tamen supposito.

306. Dico 1. *Differentia*, inqua genus includitur est, perfectior genere incluso, quoad modum essendi. Conclu-

clusionem tenet P. Oved. P. Arriag. & Moderni communiter. Prob. primo., Id quod est determinatum, perfectius est, ceteris paribus eo, quod est indeterminatum, hoc est, cum in termino indeterminato non datur aliqua perfectio compensans excessum determinationis, perfectius est determinatum, quam indeterminatum; sed genus est quid indeterminrtum, & differentia est quid determinatum, & aliunde genus inclusum in differentia non habet perfectionem peculiarem, qua excessum determinationis compenset: ergo. Maior est certa. Ideoque in Physicis, forma est perfectior materia, quia materia est indeterminata, & Forma determinata. Quod non habeat genus inclusum prædicatum peculiare compensans, patet, nam cum includatur in differentia, quidquid continet genus, differentia etiam continet: ergo illud non habet prędicatum peculiare.

307 Prob. 2. Tantum, & aliquid amplius faciunt magis. Sed differentia includens dicit omnia generis prædicata, & addit propriam ipsius differentię perfectionem, nam Perseitas; v.g. dicit ens, & propriam ipsius perseitatis perfectionem, quam non dicit ens: ergo differentia perfectior est genere transcendente.

308 Dico. 2. Si differentiæ subalternæ non includantur in infimis, perfectus est genus quoad modum essendi, quam differentia illud non includens, si differentia sit purè contrahens. Ita aliqui ingeniosi RR. qui hanc tenent conclusionem, & alij, qui eam vt inconveniens ex non inclusione differentiæ subalternæ in infimam deducunt. Prob. 1. Licet aliqua entitas habeat aliquod prædicatum, inquo aliam entitatem excedat, si hæc habet alia pradicata, quibus compenset & superet excessum alterius, hæc est illa absolute perfectior. Patet in intellectione, quæ in prędicato actualitatis excedit principium intellectivum, & tamen hoc est absolute perfectius intellectione ob alia prædicata, quibus compensat, & excedit illam perfectionem actualitatis; sed licet differentia excedat genus in prædicato *determinatæ*, tamen si non transcendatur á genere, & differentijs subalternis, genus habet alia plura prędicata, quibus compenset, & excedat perfectionem determinatæ in differentia: ergo. Prob. min. Genus animal. V.g. est formaliter viuens, corpus, substantia, & ens, differentia vero rugibile v.g. neque est formaliter vivens, neque substantia, neque ens, sed solum terminative talis; sed esse formaliter vivens, substantia, & ens sunt prædicata, quibus non solum compensatur, verum quam plurimum exceditur perfectio determinatę in defferentia; ergo.

309 Dico. 3. Etiam si differentiæ subalternæ non includantur in infimis, perfectior est quoad modum essendi differentia elevans, quam genus transcendens, U.g. rationale, quam animal. Prob. Etiamsi in casu posito rationale non sit formalitea viuens, corporeum, substantir, & c. est tamen terminatiue tale, & vlterius licet non sit formaliter intelligens, est tamen terminative tale, quod non habet genus animal, sed esse terminatiue intelligens, quod est perfectio peculiaris differentiæ, compensat, & excedit perfectionem habendi formaliter prędicata viuentis, substantiæ, & c. quod est perfectio peculiaris generis: ergo. Prob. min. explicando assumptum, pro quo.

310 Sicas. 1, Perfectionem intelligentis fere in infinitum excedere perfectionem viuentis, substantiæ, corporis, &c. Scias. 2. habere terminative aliquid, nil aliud esse, quam habere exigentiam, seu ius irrevocabile (vt ita dicam) illius. Habere tamen aliquid formaliter, nil aliud esse, quam habere actualē possessionē illius. Scias. 3 Quod cum differentia infima habeat terminativè prædicata superiora, & genus ea habeat formaliter, excessus generis erga differentiam stat in eo, quod genus habeat actualem possessionem eorum prædicatorum, quorum differentia habet ius. Scias 4. Differentiam elevantem excedere in eo, quod differentia elevans habeat ius ad aliud genus multo perfectius genere contracto, quo iure caret ipsum genus contractum. V. g. Rationale habet ius prædicati intellectiui, quo caret animal. Nūc ergo & fit probatio minoris. Quis dubitabit rationale esse perfectius animali, cum videat, rationale habere ius indefectibile ad omnem perfectionem animalis, & simul ad omnem perfectionem intellectivi, & animal solum habere possessionem prædicatorum animalis. Plus enim est ius ad perfectionem intelligentis in quo excedit differentia elevans genus, quam possessio viuentis, substantię, &c. in quo excedit genus differentiam.

311. Rem politicam, quę ex existimatione morali dependet, exemplo politico declaro. Si filius hæres Comitis del Castellar v. g. adoptaretur in filium á Carolo Rege Hispanię adhuc viuente Parente ipsius naturali, maiorem dignitatem, & digniorem personam filius ageret, quam parens, quia licet Parens possessionem haberet comitatus, qua careret filius, tamen filius haberet ius hæreditarium ad illum, & aliunde haberet etiam ius ad Regnum Hispaniæ, quo careret Pater. & plus censetur in existimatione morali habere ius ad comitatum, & Regnum, qam habere solum possessionem comitatus. Cum ergo differentia habeat ius ad perfectiones, quas possidet animal, licet eas actu non possideat, & alias etiam ius habeat ad perfectionem intelligentis, absque dubio plus erit in existimatione morali differentia elevans, quam genus contractum.

312. Dico 4. Omnis differentia, tam contrahens, quam elevans in quacumque suppositione est perfectior genere, quoad modum prædicandi. Est expresse contra P. Oved. & RR. Prob. 1. vniversaliter ad hominem. Ideo per vos modus essendi differentiæ est perfectior modo essendi generis, quia modus essendi generis est per modum subiecti indeterminati, & modus essendi differentiæ per modum formæ determinatæ, sed similiter modus prædicandi generis est per modum subiecti indeterminati, & modus prædicandi differentiæ per modum formæ determinatæ: ergo differentia quoad modum prędicandi est perfectior genere.

313. Prob. 2. Tota perfectio in modo prędicandi generis stat in eo quod prædicetur in quid, sed etiam differentia prędicatur in quid, & vlterius prædicatur in quale; ergo in modo prædicandi habet, quidquid habet genus, & aliquid amplius. Confirm. Per prędicationem in quale non inficitur prędicatio in quid, sicut per pictum inficitur ratio hominis in homine picto. Nec minuitur, sicut per *secundum dentes* minuitur ratio *albi* in æthiope, sed remanet in sua vi, & virtute, sicut per rationale remanet animal in sua propria essentia, & virtute; ergo cum in prædicatione differentiæ detur tota virtus prædicationis inquid, & aliunde addatur prædicatio in quale, perfectior erit modus prædicandi differentiam, quam genus.

314. Obj. 1. contra primam conclusionem. Volitio libera est ratio generica ad operationem peccaminosam, & honestam, sed licet differentia ho-

nestæ addat perfectionem, differentia peccaminosæ inficit rationem genericam: ergo non omnis differentia addit perfectionem, & est perfectior genere. Resp. Conced. mai. & disting. min. quoad secundam partem. Inficit rationem genericam physice, nego; moraliter, concedo. Physice enim potius perficit, cum contrahat, & determinet indifferentiam actus liberi.

315 Obj. 2. Rationes genericæ substantiæ, viuentis, &c. Sunt perfectiones simpliciter simplices, ideoque competunt Deo, differentiæ vero *sensibile, rationale, &c*, in Deo non collocantur, quia non sunt simpliciter simplices: ergo rationes genericæ perfectiores sunt difentialibus.

316 Resp. Transeat antec. quoad primam partem, & nego conseq. *Dixi* transeat antec., quia si per perfectionem simpliciter simplicem intelligatur ea, quę solum præscissive non dicit imperfectionem, ita se habent rationes genericæ substantiæ, & viuentis, sed ita præscindere ab imperfectione, non est perfectius pluribus perfectionibus, quę ob aliquam minimam imperfectionem simpliciter simplices non dicuntur; vnde falsum est absolute, perfectionē simpliciter simplicem perfectiorem esse omni perfectione simpliciter non simplici tantum; si vero per perfectionem simpliciter simplicem intelligatur ea, quæ positive excludit omnem imperfectionem, non sunt perfectiones simpliciter simplices rationes genericæ substantiæ, & viuentis, cum non excludant coniunctionem cum differentia creata dicente positivam imperfectionem. Denique argumentum est contra suppositum; supponimus enim, genus imbibi in differentijs. Ergo si genus est perfectius simpliciter simplex, etiam differentia ita erit, cum includat totum genus, & aliquid amplius.

317 Obj. 3. Personalitas Divina vt sic est genus, Filiatio divina est differentia; sed filiatio divina non est perfectior personalitate divina; ergo non omnis differentia est perfectior genere.

P. Arr. Et alij defendentes inęqualitatem in perfectio nibus divinis negabunt minorem. Ego vero vt difficultates Theologicas vitem, dico: hic non loquimur de genere, & differentia divinis, vbi ratione infinitatis trāscendentis tam genus, quam differentiam, omnia adæquantur, & quodlibet prædicatum ratione divinitatis inclusę pręcontinet perfectionem alterius, non ita in perfectionibus creatis, vt per se constat.

318 Obj. 4. Genus dicitur materia metaphysica insimilitudine materię physicæ, & differentia forma metaphysica in similitudine formę physicæ; sed materia physica est perfectior saltem forma materiali, cum forma ab ea dependeat: ergo & genus perfectius differentia.

319 Resp. Conced. mai. Transf. min, & ratio in qua fundatur. Nam re ipsa forma physica est perfectior materia, cum forma eam determinet, nec ex dependentia arguitur maior, vel minor perfectio; sic Anima rationalis, saltem in prima productione, dependet à materia, & nemine dubitante est perfectior illa. Nega denique consequentiam, nam forma physica ideo esset minus perfecta, quia non imbibit, & includit omnem perfectionem materiæ, quam in hypothesi imbibit differentia in ordine metaphysico, cum supponamus includere genus.

320 Obj. 5. Licet differentia elevans sit perfectior genere, non tamen differentia contrahens. Prob. assumptum. Genus v.g. animal ex se est potens omnes sensationes elicere, sed per differentiam, v. g. hinnibile determinatur ad teles sensationes, v. g. hinnitus, cum alias posset visum, gustum, & tactum elicere. Ergo per illam differentiam potius inficitur; quam perficitur.

321. Resp Neg. assumptum. Ad probat. Disting. mai. Genus animal est potens omnes sensationes elicere, præscisiue, concedo, positivè, nego. Animal enim ex se solum est potens producere sensationem in communi, per differentiam determinatur ad has, vel illas sensationes in particulari, & per determinationem ad quamcumque sensationem in particulari perficitur illa virtus in communi. Quod animal ex se non dicat positivam exigentiam ad omnes sensationes, patet. Alias iam destrueretur essentia animalis, dum cōtraheretur ad aliquas differentias, vbi nequiret omnes sensationes elicere, v. g. ad talpam, quæ visionem elicere nequit, & ad Ostream, quæ solo tactu gaudet. Nota, argumentum supponere hinnitum connotatum ab hinnibili vltima differentia æque esse illam externam actionem non vitalem, quod vt optime advertit P. Lync. falsum est, nam per hinnitum ob penuriam vocum significamus perfectiores actiones vitales equi Agentis vitalis.

322. Obj. 6. Contra 2. conclus. Actus est perfectior potentia, sed licet non includat differentia vltima subalternas, & genus, est tamen actus, & genus est potentia. Ergo.

323. Resp. Dist. mai. Actus est perfectior potentia, cæteris paribus, concedo; absolute, nego. Sic principium intellectivum est perfectius intellectione; quia licet hęc sit actus, & illud sit potentia, principium intellectivum est substantia, & intellectio accidens. Sic cum genus sit formaliter substantia, viuens, & differentia solum terminative, hæc exceditur ab illo.

324. Obj. 7. Contra eandem. Eo sunt perfectiora prædicata, quo magis distant ab ente; sed differentiæ, quomodocumque magis distant ab ente, quam genus. Ergo.

325. Resp. Vel neg. mai. absolute, vel disting. Si sint prædicata lineæ rectæ prædicamentalis. Conced. Si lineæ transversalis, neg. Ratio est, quia cum prædicata lineæ rectæ inferiora includant superiora eiusdem lineæ, quo magis distant ab ente, plura includunt prædicata, & perfectiones, at vero cum prædicata lineæ transversalis non includant superiora, vt supponimus, non eo quod plus distent ab ente, eo perfectiora sunt, si comparentur cum prædicatis lineæ rectæ.

326. Obj. 8. Contra 4. conclus. Modus prædicandi sequitur modum essendi; sed modus essendi generis non transcendentis est perfectior differentia contrahente; ergo & modus prædicandi erit etiam perfectior; ergo vniversaliter non est verum, omnem differentiam esse perfectiorem omni genere quoad modum prædicandi.

327. Resp. Proloquium maioris propositionis, ita esse intelligendum. Modus prædicandi sequitur modum essendi: Id est, *Res quæ est à parte rei* eo modo, quo est, & non aliter ac est in se, debet prędicari, vt propositio sit vera; non tamen intelligendum est ita, vt res eo ipso, quod sit perfectior alia debeat perfectiori modo prædicari. Cum autem genus, licet sit perfectius, prædicetur solum in quid, & differentia licet sit minus perfecta, prædicetur in quid, & simul prædicetur inquale, hoc est vt forma essentialis, essentialiter perficiens genus, est perfectior in modo prædicandi, licet minus perfecta in essendo.

328. Obj. 9. Differentia prædicatur nomine adiectivo, & per modum alteri adiacentis; genus vero nomine substantivo, & per modum per se stan-

stantis;ergo perfectior est modus, quo prædicatur genus, quam quo prędicatur differentia.

329 Resp. Trans. antec. & neg. conseq. Nam prædicari nomine substantivo, vel adiectivo non arguit plus, minus ve perfectionis in modo prædicandi. Sic accidentia sæpe nomine substantivo prędicantur, vt Petrus est Dux, Poëta, aut Rex, &c. Et substactia nomine ediectiuo, vt Petrus est humanus, quin ex hoc arguatur maior perfectio in modo prædicandi accidentis, quam in modo prædicandi substantiæ. Item etiam genus nomine adiectivo prædicari solet, vt patet in hac prædicatione generica, rationale sensitivum est sensitivum, & alijs similibus.

330. Repl. Licet differentia prædicetur in quid, eo quod prædicetur simul in quale redditur eius prædicatio minus perfecta, quam prædicatio generis, quæ tantum est in quid. Prob. Intellectivum hominis, quid simul est sensitivum, & minus perfectum intellectivo Angeli, quod est intellectivum tantum. Ergo similiter.

331. Resp. Assignando disparitatem. Ideo enim intellectivum hominis est minus perfectum ex consortio sensitivi, quia sensitivum inficit perfectionem intellectivi impediens, ex dependentia á phantasmatibus, perfectionem, quam haberet, si non dependeret. Vnde si intellectivum hominis simul esset intellectivum, & sensitivum sine dependentia á phantasmatibus, perfectius esset intellectivo Angeli, cum haberet intellectivum ęque perfectum & adderet aliunde sensitivum. Cum autem prędicatio in quale non impediat perfectissimam prędicationem in quid differentiæ, nam tam vt pars essentialis prædicatur differentia, quam genus, inde est, quod ex mistione vtriusque modi prædicandi, non solum non redatur minus perfectus modus prædicandi differentiæ modo prædicandi generis, verum sit absolutè perfectior. Pro calce questionis, nota. Me in hac questione non esse locutum ex propria mente, aperienda, dum Theologus egero de æqualite Divinorum attributorum. Vbi dicam ad æqualitatem intrinsecam obiectivam sufficere distintionem formalem, non tamen ad in æqualitatem. Vnde licet inter prædicata realiter identificata possit reperiri æqualitas intrinseca, & obiectiva; non tamen inæqualitas. Hoc advertas pro doctrinæ consequentia.

SECTIO IV.

VTRVM DIFFERENTIA SVBalterna, & genus includatur formaliter in infima?

332. PRima sententia vniuersaliter affirmat. Ita Averroes, Sonzinas, Gabriel, Ochamus, & Nominales apud P. Linc.

333. Secunda sententia affirmat de differentijs purè contrahentibus, negat q de differentijs extrahentibus. Ita Arr. Aversa, Spinul. d. 70. n. 5. & 51. & N. Olea. d. 100. n. 3.

334. Tertia sententia vniuersaliter negat. Ita communiter Eximius D. Acutissimus P. Gabriel Vazq. PP. Hurt. Tellez, Compton. Ovied. Alphons. Ioan. S. Thom. Ponz. Sequuti communes MM. Arist. S. Thom. & Scotum, apud Peyn. tract. 2. de vniuersalibus. d. 3. sect. 1. á n. 1. Item Olzin. num. 1443. Magistri. Prado, Parra, & Linc. l. 2. q. 3. art. 4. n. 7. quibus adde RR. cum P. Maza.

335. Scias 1. Hic supponendas esse præcissiones obiectivas, nam si non supponantur, cum omnia prædicata obiective sint idem, includi obiective; certum erit.

336. Scias 2. Unum prædicatum includi formaliter in alio idem esse formalissimé, ac esse de conceptu definitivo illius, seu per ipsum definiri. Ex quo inferes 1. Genera, & differentias superiores includi formaliter in speciebus. V. g. animal substantia, &c. in homine, cum per eas essentialiter definiatur. Inferes 2. Differentias inferiores non includi in superioribus v. g. rationale in sensibili, & sensibile in substantia, cum per eas nullatenus definiatur.

337. Tota ergo quæstio in hoc stat. An scilicet differentiæ superiores, & genera includantur formaliter in inferioribus. Hoc est, an sensibile v. g. quod est differentia superior, & animal quod est genus ad rationale, & irrationale, includantur formaliter in eis, nam realiter cum omnia sint idem, nemo dubitat mutuam inclusionem, sumpta inclusione, (vt aliquorum scrupulus vitetur) pro eodem, ac identitate.

338. Dico. Nulla differentia, sive contrahens, sive extrahens includit formaliter subalternam, aut genus. Prob. primo authoritate Aristotelis, l. 4. Topic. c. 2. *Sic omne quod participat genus, vel species, vel individuum est. Differentia autem, nec est species, nec individuum; Manifestum igitur est, quod differentia non participat genus.* Idem tenet Angelic. Precep. apusc. 42. c. 1. *Vbi differentia non participat genus, quia, cum dico rationale signa aliquid quod habet rationem, nec est de conceptu rationalis, quod sit animal.* Quid clarius verbis vtriusque Magistri?

339 Prob. 2. ratione, *Sensibile* est differentia subalterna, & *rugibile* differentia infima, *Animal* est genus, & *rationale* differentia, sed nec sensibile includitur in rugibili, nec animal in rationali; ergo nec differentiæ subalternæ nec genus includentur in infima. est certa. Prob. min. Nec rugibile, nec rationale, vt differentiæ infimę sunt respectu sensibilis, & animalis definuntur per sensibile, & animal in recto, tanquam pergræduata definitiva; sed quoties vnum non definitur per aliud, illud formaliter non includit, nec est idem cum eo formalissime; ergo. Prob. mai. Rugibile, vt est differentia infima animalis definitur per taleitatem contractivam sensibilis, & rationale per taleitatem contractivam animalis ad taleitates aperationem; sed in taleitate contractiva animalis ad taleitatem operationem nulla cenus ingreduntur animal, & aut sensibile in recto, tamquam prædicata definitiva. Ergo.

340 Prob. 3. Ab absurdis, quæ ex contraria sententia sequerentur. *Primam*; Iam differentia, rationale. V. g. esset tota species. Prob. Si animal transcendit formaliter rationale, rationale erit formaliter animal, & formaliter rationale, sed nil alud est tota species homo, quam *animal rationale*; ergo. *Secundum*. Iam hęc non erit recta hominis definitio, *animal rationale*. Prob. Hęc non est recta definitio hominis. *Animal viuens substantia rationalis*, nulla alia ratione nisi quia cum viuens includatur in animali, talis repetitio est vitiosa, sed non minus includitur per vos viuens in animali, quam animal in rationali; ergo hæc etiam non erit recta difinitio animal rationale. 3. Iam Prædicabilia confunderentur, nam differentia esset idem ac species. 4. Iam non daretur mutuæ compositio metaphysica inter genus, & differentiam, quod est contra recepissimam omnium fere Phylosophorum mentem. Prob. Omnis mutua compositio supponit mutuam distinctionem, eo modo quo est compositio, sed si animal includeretur in ratio-

tionali inter animal, & rationale non daretur mutua distinctio. Ergo

SVBSECT. VNICA.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

341 OBI. 1. Rugibile est differentia infima, & sensibile subalterna; sed rugibile essentialiter includit sensibile: ergo. Prob. min. rugibile formaliter est principipium rugitus; sed rugitus essentialiter includit sensationem, & sensatio formaliter requirit principium formaliter sensibile; ergo Rugibile est formaliter sensibile. Idem argumentum fit in rationali respectu viventis, nam rationale est formaliter principium rati ocinationis, sed ratiocinatio est formaliter vitalis, ideoque exigens formaliter viuens: ergo.

342 Resp. Conc. mai. & neg. min. Ad probationem disting. min. rugibile, vt vltima differentia est, est principium rugitus, vt rugitus est vltima differentia sensationis. *Concedo*; vt rugitus est species sensationis, contenta subsensatione vt sic, *nego*. Solutionem explico. Rugibile, sicut & rugitus, dupliciter potest accipi, nam cum voces inventæ fuerint à Politicis, & non á metaphysicis, sæpe metaphysica duos conceptus distinguit, & vna voce eos significat. Sic per rugitus sæpe intelligimus quandam speciem sensationis contentam sub sensatione vt sic, & per rugibile quandam speciem animalis contentam sub animali vt sic. In hac acceptione, certum est; rugibile includere animal, & rugitus sensationem. Item rugitus exigere principium formaliter sensibile, nam vt supra notavimus, certum est, species includere formaiter genera. Sepe etiam per rugitum intelligimus vltimam differentiam, qua sensatio Leonis V. g. distinguitur ab omni alia sensatione, & per rugibile vltimam differentiam Leonis, qua hoc animal á reliquis differt animalibus, in hac acceptione rugitus non est formaliter sensatio, sed quædam taleitas, & modificatio sensationis, scilicet quod sensatio fiat tali affectu proprio ipsius Leonis, qui quidem affectus nobis inexplicabilis est. Et rugibile non est formaliter sensibile, sed taleitas, & modificatio distinctiua sensibilis. Item in hoc sensu rugitus non exigit principium formaliter sensibile. In hoc ergo secundo sensu loquimur, cum defendimus, differentiam subalternam in infima non includi formaliter.

343 Idem dicendum est de rationali, & ratiocinatione, si specifice sumantur, includere genera, & differentias viuentis, & vitalis, si vero sumantur differentialiter, nec rationale esse formaliter viuens, aut animal, sed taleitatem animalis determinantem illud ad speciem constituendam, nec ratiocinationem esse formaliter vitalem, sed taleitatem cognitionis.

344 Respl. Rugibile adhuc secundum inadæquatum ipsius, & vt vltima differentia, est formaliter vitale. Ergo. Prob. antec. Ad huc vt vltima differentia rugibile est principium operationis formaliter vitalis. Ergo. Prob. antec. Adhuc vt vltima differentia, est principium rugitus, sed rugitus ad huc secundum vltimã differentiam est actio vitalis, cum sit immanens, & ab intrinseco, aliás esset transiens, & ab extrinseco. ergo.

345 Confirm. Rugibile connotat vltimam taleitatem rugitus, vt principium, & causa illius, sed non vt principium non viuens per illam. Ergo vt pricipium viuens. Prob. min Alter connotat Rugibile vltimam taleitatem rugitus, ac *Deus*, sed Deus connotat illam vt principium, & causa non vivens. Ergo rugibile illam connotat vt principium, & causa viuens.

346 Resp. Neg. antec. Ad probat. Neg. antec. ad prob. t. Transeat mai. & disting. min. Est actio vitalis immanens, & ab intrinseco, formaliter, nego. Identice possessive, & materialiter, concedo. Quod sufficit ad hoc, vt non sit formaliter transiens, & ab extrinseco. Ratio est, quia vt optime sapientiss. P. Leonard. Vna forma, vel quasi forma, potest de alio dupliciter prędicari, vel formaliter, vel præsuppositive, identice, aut materialiter (hi omnes termini idem significant) Prędicatur aliquid formaliter de aliquo ratione inclusionis, & identitatis formalis cum eo. Sic prædicatur aseitas de natura diuina vt pote vltimum illius constitutiuum in huius Doctoris sententia. Prędicatur aliquid præsuppositiue de alio, cum non includitur formaliter in eo, sed ita illud connotat, vt indispensabiliter ad illud pertineat, illi sit affixum, & modificans, sic prędicatur aseitas de attributis, non quia ipsa includatur formaliter in illis, cum potius formaliter distinguatur, sed quia attributa diuina ita pertinent ad aeistatem, vt illi sint essentialiter affixa. Vnde licet attributa diuina nõ sint formaliter à se, nõ infertur; esse formaliter ab alio, quia vt aliquid non pertineat formaliter ad lineam oppositam, sufficit quod identice, & materialiter pertineat ad talem lineam.

347. Sic taleitas rugitus non est formaliter vitalis immanens, & ab intrinseco, sed non ideo infertur, esse formaliter non vitalem transeuntem, & ab extrinseco, quia est præsuppositive, & identice vitalis, immanens, quatenus ita pertinet ad lineam actionis vitalis, vt indispensabiliter sit quædam illius taleitas, & modificatio. Hac doctrina, quam plurima solves argumenta.

348. Obj. 2 Rugibile est formaliter ens, ergo vel formaliter accidens, vel formaliter substantia; non formaliter accidens; ergo substantia formaliter. Vlterius, vel viuens formaliter, vel non viuens formaliter, sed non est viuens formaliter, ergo viuens. Insuper, vel sensibile formaliter, vel formaliter insensibile; non insensibile formaliter, ergo formaliter sensibile. Ergo de primo ad vltimum rugibile, sicut est formaliter ens, est formaliter substantia, viuens, sensibile, & consequenter animal.

349. Ad hoc argumentum respondetur pro nunc admittendo antecedes, quod eadem doctrina vtentes plures negant dicendo, rugibile non esse formaliter, sed solum identice, & materialiter ens, quod sufficit, vt non sit formaliter non ens, seu nihil; admitto inquam antecedens; & nego cęteras consequentias. Nam rugibile neque est formaliter substantia, neque formaliter accidens, neque formaliter viuens aut ex eo non sequitur; esse formaliter non viuens, formaliter accidens, aut formaliter insensibile, quia est præsuppositive, & identice substantia viuens, & sensibile.

350. Replic. Ergo similiter non erit formaliter, sed pręsuppositive, aut materialiter ens.

351. Resp. Nego conseq. & paritatem, nam inter esse formaliter ens, & non esse formaliter ens, aut esse formaliter nihil, non datur medium, ens enim formaliter, & non ens formaliter contradictorie opponuntur, eo quod inter esse, & non esse non datur medium; eo enim ipso quod rugibile concipiatur pertinens, & modificans ens, iam concipitur vt aliquid, v t non repugnans existere: ergo vt ens formali

ter;

ter; Non ita evenit in reliquis prædicatis viuentis,& non viuentis, substantiæ,& accidentis,quæ vtpotè positiva non opponuntur contradictorie , sed solum contrariè, admittuntque mediũ, Nam inter formaliter sensibile, & formaliter insensibile medium erit esse identice,& materialiter sensibile , vel insensibile,& sic de reliquis.

352. Sed contra hanc doctrinam instas 1. Intellectus præscindere nequit ab ente,& non ente, quia contradictoria sunt. Ergo nec á vita, & carentia vitæ , quæ etiam contradictoria sunt. Ergo vel rugibile erit viuens obiective,vel obiective carens vita.

353. Resp. Viuens obiectiue , & carens vita obiectiue non opponi contradictorie formaliter , vnde rugibile,neque est viuens formaliter , neque carens formaliter vita , sed est viuens identice,& materialiter; propositiones enim , vt contradictoriæ essent, ita deberent disponi: Rugibile vel est formaliter viuens,vel non est formaliter viuens;sic prima propositio est vera,secunda falsa.

354. Instas 2.Ergo licet ita dispositis propositionibus,Rugibile vel est formaliter ens, vel non est formaliter ens,sint contradictoriæ,& secunda propositio vera; si tamen ita disponantur: Rugibile vel est *formaliter ens* , vel est formaliter non ens, non opponentur contradictoriè,ac proinde rugibile neque erit formaliter ens , nec formaliter non ens.

355. Resp.Repetendo dicta. Quomodocumque disponantur nullum dari medium inter ens , & non ens,vnde idem valet in ente, non est formaliter ens,ac est formaliter non ens ,quia nihil potest concipi,quod non concipiatur vt aliquid,vel vt nihil,ac proinde, quod nõ sit formaliter ens,aut nihil formaliter, attamen bene potest concipi taleitas viuentis , quin concipiatur viuens,aut non viuens.

356. Replic.2. Quidquid est formaliter ens,est formaliter in aliqua differentia entis;sed rugibile est formaliter ens:ergo in aliqua differentia, Non in differentia inalietatis , ergo in differentia perseitatis; ergo & erit formaliter substantia.

357. Resp. Quod ex eo, quod sit ens formaliter , solum infertur,esse id quod ens formaliter est,nempe non repugnans existere formaliter , & præscindere ab omni eo , a quo præscindit ens;sed ens præscindit á perseitate,hoc est,eam non involvit;ergo ex eo quod rugibile involvat ens, non sequitur involvere perseitatem. Erit autem realiter in aliqua differentia entis; formaliter vero ab omni entis differentia præscindet. Ni velis dicere. Ens dividi in substantiam formaliter talem,& accidens formaliter tale, & simul in substantiam , & accidens materialiter , & identice talia. Similiterque omnia genera prędicamentalia ita dividi, v. g. viuens in sensibile formaliter, & in insensibile formaliter, & in materialiter, & identice sensibile;vnde iam rugibile concipietur in aliqua entis determinata differentia,nempe in substantia materiali,& identica.

358. Ad confirm.positam. n.345. Resp.Rugibile connotare , vt principium vltimam differentiam rugitus,eo modo, quo illi ratio principij formaliter convenire potest , aliter ac Deus illam connotat. Quia Deus non connotat illam vt principium immaterialiter,& identice viuens per eam,nec vt principium materialiter,& identicé viuens,sed solum vt causa physica , eam simul cum Agente creato producens, at vero rugibile eam respicit, vt materialiter,& identice vitalem, & vt identice per eam viuens.

359. Replic. 1. contra hanc doctrinam. Sed rugibile est formaliter viuens. Ergo. Prob. min. Rugibile for-

formaliter est principium intrinsecum rugitus.Ergo.Prob.antec. Ratio principij adæquate diuiditur in extrinsecum,& intrinsecum, sed rugibile non est principium extrinsecum. Ergo intrinsecum.

360. Resp.Neg.antec.Ad probat. Neg.antec.Ad eius probationem dico, rationẽ principij diuidi in intrinsecũ, & extrinsecum realiter, ad quod sufficit,quod nullum detur principium reale,quod vel extrinsecum, vel intrinsecum non sit.At vero ipsum principium intrinsecum potest ab intellectu formaliter diuidi in duas formalitates, ex quibus vna participet rationem principij in recto,& alia sit solum taleitas, & modificatio principij intrinseci; & ita se habet rugibile, cum concipitur vt vltima differentia talis speciei animalis.

361. Obj.3. Ex hucusque dictis cõstat rugibile adhuc vt vltimam differentiam esse principium productivum taleitas sensationis,nempe rugitus.Ergo participat formaliter rationem principij , sed ratio principij est ratio superior.Ergo participat formaliter aliquã rationem superiorem,& similiter rugitus rationem effectus , quæ etiam est ratio superior.

362 Resp. Rugibile vt vltimam differentiam principij non esse formaliter principium , sicut rugitum vt vltimam differentirm effectus non esse formaliter effectum , sed rugibile erit taleitas principij , & rugitus taleitas effectus , & eodem modo discurrendum est in hoc , & in reliquis prædicatis huiusce modi.

363 Obj. 4. Ex sapientiss. P. Olea. Per nos Rugibile adæquate sumptum dicit,esse viuens , & esse sensibile , sicut rugitus esse sensationem, & talem sensationem. Tunc sic: ideo per nos differentia Rngibilis , vt differentia est non includit viuens sensibile , quia includeret animal , & consequenter male definiectur Leo per animal rugibile . quia superfluit illud animal , vtpote imbibitum indifferentia rugibilis; esset enim idem , ac dicere Leo est animal viuens rugibile; atqui per nos in rugibili secundum adæquatum, quod dicit involuitur viuens sensibile,& consequenter animal. ergo male defineretur Leo per animal rugibile , cum in rugibili sit iam animal involutum.

364 Argumentum eisdem fere verbis apposui , ac illud apponit sapientiss. hic meus Mag. sed certe in eo *mauros facit vt necet*; cum enim nostram sententiam defensantes dicunt in rugibili includi viuens sensibile , & consequenter animal secundum adæquatum , quod dicit, loquuntur de rugibili specifice sumpto, hoc est,prout hoc nomine *rugibile*, talem speciem animalis significamus; & similiter dicunt de rugitu; non vero loquuntur de rugibili , prout est differentia , alias summe inconsequenter loquerentur, & duobus verbis duo contradictoria proferrent; cum autem Leo definitur per animal rugibile , Iy rugibile non sumitur specifice , seu adæquate , sed secundum quod est vltima differentia Leonis , secundum quem conceptum non includit animal.

365 Obj. 5. Ex eodem Mag. Si differentia *rationale* v.g. non includeret formaliter conceptum intellectivi , esset minus perfecta , quam genus , nempe animal, cum hoc includat formaliter conceptum viventis , & viuens vt formaliter viuens perfectius sit, eo quod non est formaliter viuens.

366 Confirm. Differentia elevans v. g. *rationale* , secundum quod differentia est, debet habere , conceptum elevativum animalis ,illoque perfectius, sed hoc aliud esse non potest

 quam

quam intellectivum; ergo in differentia infima rationalis, ratio superior intellectivi includitur.

367 Resp. Nego sequelam, si loquatur de differentia elevante, & concedo illam si loquatur de differentia pure contrahente ob vim, & efficaciam argumenti positi. At vero differentia elevans vt rationale est perfectior genere nempe animali, non quia rationale imbibat formaliter conceptum intellectivi, sed quia illud dicit identice, & terminatiue, seu habetius ad illud, & cum aliás dicat etiã identice, & terminatiue prædicatum viuentis, inquo solum formaliter habendo ab animali exceditur vi alterius prædicati, nempe iuris ad intellectivum, æquat, & superat animal. Vide dicta sect.antec. à n.310.

368 Ad confirm. Resp. Differentiam elevantem non denominari elevantem, eo quod in se formaliter contineat genus perfectius, ad quod elevat, sed quia est taleitas quædam immediate contractiva duplicis generis, alterius minus perfecti, & alterius perfectoris, ad quod propterea dicitur elevare genus minus perfectum. Vnde rationale, licet sit differentia elevans animal, non includit formaliter intellectivum, sed solum identice, & materialiter eodem modo, ac est animal, quatenus vtrumque prædicatum contrahit, & determinat ad speciem hominis constituendam. In forma disting. mai. Debet habere prædicatum elevativum animalis, illoque perfectius identice, & materialiter *concedo*, formaliter, *nego*. Hoc est debet esse contractiua generis perfectioris genere animalis, non tamen debet illud formaliter includere.

369. Obj.6. Ex eodem. Taleitas intellectionis est formaliter intellectio. Ergo. Antec. prob pluribus exemplis. *Primum.* Cognitio practica differt ab speculativa in taleitate cognitionis, sed differt ab ea in quantum cognoscitiva, ergo in taleitate cognitionis est formaliter cognoscitiva. Prob. min. differ ab ea inquantum practica, & consequenter inquantum directiua, sed inquantum practica, & directa est cognoscitiva. Ergo. *Secundum*: affirmatio, & negatio differunt in taleitatibus cognitionis, nempe secundum, quod sint affimatio, & negatio; sed secundum quod sunt affirmatio, & negatio sunt cognitiones, nam affirmare, & negare formalissime est cognoscere. Ergo. Tertium: directio passiua logicæ est formalissime ipsa intrinseca repræsentatio actuum intellectus, quia est taleitas repræsentationis; ergo quæcumque taleitas repræsentationis est formalissime repræsentatio.

370. *Quartum.* Cognitio evidens, & cognitio obscura differunt in maiori, vel minori claritate, quæ sunt taleitates talium cognitionum, sed hæc maior, vel minor claritas est formalissim è cognitio. Ergo. Prob. minor. Maioritas claritatis facit intensionem in claritate; sed iuxta communem sententiam, intensio quæcũque sit, fit per additionẽ gradus homogenei. V.g. intensio lucis per additionem lucis; ergo & intensio claritatis expressiuæ obiective per expressionem obiecti, ac proinde per cognitionem formaliter talem. *Quintum.* Plures vltimæ differentiæ coalescunt ex simultate duorum prædicatorum, quorum, alterum secundum se est ratio generica v.g. differentia actussimul practici, & speculativi, actus simul scientiæ fidei, & opinionis; sed talis simultas formrlissime includit vtrumque prædicatum genericum, nam simultas, qua talis, nil aliud est formalissime, quam ea prædicata, quorum est simultas, v.g. simultas duorum hominum, nil aliud est, quam ipsi duo homines: ergo.

Respon-

371 Respondeo nego antecedens, ad primum exemplum concedo maiorem, & nego min. ad probationẽm conc. mai. neg. consequentiam. Syllogismus enim ita sehabet; *homo differt abruto, in quantum homo, sed homo inquantum homo est animal; ergo differt á bruto in quantum animal,* sicut enim defectus huius syllogismi stat in eo quod transeat á sensu adæquato ad inadæquatum; hoc est, in maiori propositione reduplicat supra totum hominem, & in minori supra vnam partem metaphysicam hominis; áliás si supra totum hominem reduplicaret, propositio esset falsa; nam totus homo, non solum est animal, sed etiam rationale. Ita defectus illius syllogismi stat in eo quod in maiori reduplicatio fit supra cognitionem practicam vt talem, & per ly *practica, & directiva*, non solum intelligitur vltima differentia cognitionis, sed etiam ipsa cognitio significatur; in minori vero fit reduplicatio supra cognitionem illam inadæquate sumptam, nempe supra ipsam, vt cognitio est, vnde consequentia non infertur. Si tamen ita disponatur hic syllogismus: *homo in quantum homo differt á bruto, sed in quantum homo est animal rationale; ergo in quantum animal, & rationale differt á bruto.* Si, inquam, ita disponatur, valet, quia iam in minori reduplicatio fit supra hominẽ adæquatè sumptum: sic similiter si syllogismus nobis ojectus ita disponeretur; *cognitio* practica, in quantum practica differt ab speculativa, sed in quantum practica, est cognitio, & directiva; ergo in quantum cognitio, & directiva differt ab speculativa, rectê valeret, sed ex consequentia quid contra nos?

372 Sed vt paucis verbis, & vna solutione omnibus exemplis respondeas, dic: has voces *practicum, & speculativum, affirmationem, & negationem, directionem passivam Logicæ, cognitionem evidentem, & obscuram* significari communiter non vltimam differentiam cognitionis, sed speciem cognitionis. Quid ergo mirum, quod includant cognitionem? Si tamen ob penuriam vocum eis, velis vltimas differentias, vt vltimæ differentiæ sunt, significare, firmiter tene; Rationem practici non esse directivam, imo nec practicam formaliter, sed solum possessive, & identice, & cognitionem practicam non differre ab speculava per directivum formaliter, sed per taleitatem directivi; nam directivum formaliter vtrumque, & taleitatem, & cognitionem involvit.

373 Affirmationem non differre á negatione per affirmationem, sed per taleitatem cognitionis determinantem cognitionem, ad talem speciem, quę affirmatio dicitur, constituendam. Directionem passivam Logicę non esse taleitatem cognitionis, prout taleitatę significamus vltimam differentiam, sed prout significamus tales cognitiones specificè sumptas, quę sint definitio, divisio, & argumentatio; Denique cognitionem claram, & obscuram non differre penes maiorem, & minorem claritatem, nam his nominibus: *maior, & minor claritas* species adæquata cognitionum significatur, sed per taleitates cognitionum, quę formaliter nec sunt magis claræ, minus claræ, nec claræ nec obscuræ, sed taleitates cognitionum rationem cognitionis ad hanc, vel illam speciem claræ, vel obscuræ cognitiones constituendam determinantes.

374. Hæc eadem solutio aliis exemplis ab ipso Magistro allatis applicari debet. Nempe ratiocinationi hominis, cuius vltima differentia non est formaliter cognitio, sed taleitas cogni-

tio-

tionis similiter vltima differentia Dei non est formaliter intellectiua, sed taleitas cognitionis compræhensivæ omnis entis. Ad vltimum exemplum cognitionis sub duplici genere constitutæ practicæ simul, & speculatiuę scientię, fidei, & opinionis, &c. Dic: vltimam differentiam non esse simulitatem, sed taleitas cognitionis determinans duo genera in ordine ad quamdam speciem mixtam ex vtraque constituendam.

375. Obj. 7. Petreitas formaliter est Petrus, sed Petrus formaliter est homo, animal sensibile, &c. Ergo Petreitas includit formaliter genera, & differentias superiores. Probatur maior. Petreitas formaliter est id, quo Petrus differt á non Petro, sed Petrus se ipso differt áon Petro; ergo. Prob. 2. Petreitas ita definitur; *Est id, quo homo contrahitur ad Petrum*; ergo indefinitione Petreitatis ingreditur homo in recto; ergo includitur in Petreitate.

376. Resp. Neg. ma. ad probationem conc. ma. & dist. min. Petrus se ipso differt á non Petro, id est, secundum totum, quod formaliter est, differt á non Petro. Nego: id est, secundum aliquod, quod formaliter est, concedo. Petrus formaliter dicit & speciem hominis, & Petreitatem, secundum speciem hominis non differt, sed potius convenit cum alijs hominibus, secundũ Petreitatem ab omnibus differt, ideoque dicitur absoluté, Petrum differre se ipso ab omni non Petro, quia se ipso habet id, ratione cuius ab omni non Petro differt. Ad secundam probationem resp. Concedo antecedens, & dist. conseq. ingreditur homo in recto, id est, in nominandi casu, transeat; id est, vt prædicatum rectum definitivum Petreitatis, nego. Ideoque in Petreitate non includitur.

377. Obj. 8. Rationale formaliter est sensibile; ergo. Antecedens probatur hoc syllogismo in Darapti: *Omnis homo formaliter est sensibilis, sed omnis homo formaliter est rationalis*; ergo *aliquod rationale formaliter est sensibile*. En quomodo ex præmissis veris deducitur, rationale esse formaliter sensibile.

378. Retorqueo. Ergo etiam differentia infima *Rationale* v.g. includitur in subalterna *sensibili* v.g. Probatur eodem syllogismo: *Omnis homo formaliter est rationalis, sed omnis homo formaliter est sensibilis; ergo aliquod sensibile formaliter est rationale.* Videas tuum syllogismum in Darapti in te evidenter efformatum.

379. Resp. Syllogismum in multis peccare 1. quia ab identitate formali duorum cum aliquo 3. infert identitatem eorũ inter se, quæ illatio falsissima est. Nam cum identitas formalis possit esse non mutua, possunt *A.* & *B.* V.g. esse idem cum *C.* quin sint idem *A* & *B*, vt patet in perseitate, & in alietate, quæ sunt idem formaliter cum ente, quin ens sit idem formaliter cum perseitate, & inalietate. Si ergo hoc potest evenire, quanto magis poterunt esse idem cum 3. quin sint idem inter se.

380. Peccat 2. Quia, vel ly *formaliter* se tenet ex parte medii, vel ex parte extremorum? Si primum, repeti non debet in conclusione, in quam nil medij ingredi debet, & ita deducetur; ergo *aliquod rationale est sensibile*, quod non renuo concedere. Si secundum? Ne aliquod extremum habeat in conclusione diversam supositionem, ac in præmissis, & consequenter ne constet syllogismus quatuor terminis, dupliciter repeti debet ly formaliter sic; ergo *Aliquod formaliter rationale est formaliter sensibile*, quæ consequentia verissima est, nam homo est aliquod formaliter rationale, & cum sit formaliter animal, est vtrique formaliter sensibile.

381 Peccat 3. Quia in maiore reduplicat supra vnam partem hominis, & in minori supra aliam, pro qua in maiori non erat suppositio. Vnde consequens non infertur ex præmissis è quibus solum infertur identitas formalis hominis cum rationali, & sensibili, non vero identitas formalis sensibilis cum rationali; & in sensu metaphysico se habet ac hic syllogismus in sesu reali; *omnis homo est realiter materia, sed omnis homo est realiter anima; ergo anima realiter est materia.*

382 Obj. 9. Quoties aliquod prædicatum conuenit essentialiter alicui subiecto, id quod conuenit accidentaliter tali prędicato, accidentaliter convenit etiam subiecto, sed rationale cõvenit essẽtialiter homini, & per nos sensibile convenit accidentaliter rationali; ergo sensibile etiam convenit accidentaliter homini.

383 Resp. dist. mai: accidentaliter etiam convenit subiecto, si illi aliàs essentialiter non conveniat, concedo; si aliunde essentialiter conveniat, nego; cum ergo aliunde homini, qua animal est, essentialiter conveniat sensibile, licet accidentaliter conveniat rationali, homo essentialiter, & non accidentaliter est sensibilis.

384 Obj. 10. Peccatum commissionis est genus ad omnia peccata, de quibus prædicatur, sed includitur in vltimis differentijs v. g. odij Dei, ergo. Prob. min. Peccatum odij Dei quoad differentiam odij Dei est formaliter peccatum; ergo. Antecedens probat. 1. Hæc vltima differentia odij Dei debet iuxta Tridentinum concilium in confessione aperiri; sed in confessione solum debent aperiri peccata; ergo.

385 Probatur 2. Odium Dei est maius peccatum, quam furtum, sed non est maius peccatum ratione peccati, quia in esse peccati omnia peccata sunt æqualia; ergo ratione vltimę differentiæ odij Dei; ergo vltima differentia odij Dei est formaliter peccatum. Probatur hæc consequentia. Nequit fieri maius peccatum in linea malitiæ, & peccati, nisi additione malitię, & peccati formaliter talis, sicut nequit fieri maior quãtitas, nisi additione novę quantitatis, & ideo palmus sola additione puncti non fit maior, quia punctum non est quantitas.

386 Probatur 3. Maior pena solum correspondet maiori culpę, maiori, in quam, in esse culpę; sed maior pæna correspondet odio Dei, quam furto; ergo odium Dei est maior culpa, & in esse maioris est formaliter culpa, sed in esse maioris solum constituitur per vltimam differentiam odij; ergo vltima differentia odij est formaliter culpa.

387 Prob. 4. Culpa formaliter consistit in oppositione cum natura rationali, aut aliqua virtute; atqui odium Dei secundum vltimam differentiam odij Dei opponitur naturę rationali, & virtuti Religionis; ergo.

388 Huic argumento, quod apud neminem ex nostris vidi, ab exteris tamen sępe decantatum audiui. Resp. concedo mai. & nego min: ad probationem nego antecedens. Ad primam probationem dico. In confessione aperienda sunt peccata specificè sumpta, hoc est, iuxta propriam ipsorum speciem, non enim confessio inventa est pro formalitatibus, sed pro realitatibus. Vnde odium Dei, furtum, &c aperienda sunt quia peccata realiter, & specifice sumpta. Item ea, quæ augent peccatum, licet peccata formaliter non sint, aperienda sunt in confessione. Sic maior, vel minor cognitio obiecti prohibiti, quia peccatum auget, quin sit formaliter peccatum, debet in confessione aperiri.

389. Ad secundam probationem respondetur, odium Dei esse maius pecca-

catum furto, ſed hanc denominationem maioris peccati eſſe denominationem etherogeneam, quæ nec provenit â ratione peccati ſeorſim ſumpta, nec á differentia odij Dei ſeorſim, ſed reſultat ex vtraque, ſicut ipſum peccatum reſultat ex indifferentia voluntatis, ex lege Dei prohibente, ex concurſu indifferenti Omnipotentiæ, quin lex, concurſus Dei, & indifferentia voluntatis ſint peccatum. Immò maior, & clarior cognitio auget peccatum, quin ipſa cognitio ſit peccatum; ergo odium *D*ei peccatum augebit, quin odium ſecundum vltimam differentiam odij ſit formaliter peccatum, ſed ſolum poſſeſive, & identice.

390. Et ratio eſt, quia ſicut adhoc vt aliqua forma tribuat effectum formalem Etherogeneum non requiritur quod ipſa in ſe formaliter contineat talem effectum, ſicut albedo, quę reddit ſubiectum album, quin ipſa ſit formaliter alba, ita poteſt reddere differentia aliquod ſubiectum maius in aliqua denominatione, quin ipſa talem denominationem præcontineat formaliter, vt patet incognitione reddēte peccatum maius, quin ipſa ſit formaliter peccatum; ergo vltima differentia odij Dei, quin ſit formatiter odium Dei, reddet maius & gravius furto peccatum odij Dei. Hinc colligitur diſparitas adquantitatem materialem. Ideo hæc nequit reddi maior, niſi per additionem quantitatis, quia hæc eſt denominatio homogenea, quæ partibus ſeorſim ſumptis ęque ac toti debet convenire.

391. Nota 1. In ſententia Zenonis, licet punctum non ſit quantitas auget palmum; ergo licet differentia odij non ſit formaliter peccatum, peccatum augebit. Nota 2. exemplum nobis favere, ex eo hoc argumentum efformo; quanitas vt augeatua, requirit, quod pars augens non penetretur cum parte aucta, ſed requiritur mutua excluſio penetrationis inter augentem, & auctum; ergo vt peccatum augeatur, inter partem augentem, & auctam debet dari mutua excluſio penetrationis, ſeu incluſionis formalis.

392 Ad ſecundam probationem reſpondeo, maiorem pænam convenire maiori culpæ, quæ quidem maioritas culpæ non eſt culpa formaliter, ſed ſolum identice. Culpæ correſpondet pæna, maioritati culpę maioritas pænæ, ſed nec maioritas pænę eſt formaliter pæna, nec maioritas culpæ eſt formaliter culpa. A maiori tamen culpæ, quę eſt quædam ſpecies culpę, & rationem culpæ, & rationem maioritatis involuens, maior pæna correſpondet, quæ etiam eſt ſpecies, & pænam, & maioritatem pęnæ includens.

393 Ad quartam probationem reſpondeo; odium *D*ei ſpecifice ſumptum opponi naturę rationali, & virtuti Religionis, at vero ſecundum vltimam differentiam odij non opponi virtuti religionis, quę non eſt virtus formaliter, ſicut nec vltima differentia odij Dei culpa formaliter.

394 Obj. 11. *D*ifferentia vltima eſt definibilis per genus, & differentiam, ſed nequit eſſe aliud genus, niſi genus ſuperius v. g. hinnibile nequit definiri niſi per genus animal; ergo illud includit.

295 Reſpondeo. Vltimam differentiam vt tale v. g. hinnibile non definiri per genus animal, ſed per aliud genus, nempe per taleitatem animalis determinantem illud adtalem ſpeciem equi conſtituendam. Vel faciliùs reſp nde non eſſe definibilem definitione propria, & rigoroſa conſtante genere propiê tali, ſicut de ente indefinibilè per aliud genus ſuperius plures diſcurrunt.

396. Inſtas contra primam ſolutionem. Ly *taleitas determinans animal* includitur formaliter in vltima differentia vt tali, quia per illud definitur, ſed ly taleitas determinans animal eſt ratio ſuperior, & de pluribus prędicabilis, de omnibus ſcilicet differentijs infimis animalis; ergo iam indifferentià vltima formaliter includitur aliqua ratio ſuperior.

397. Reſp. Conc. ma. & diſt. min. Eſt ratio ſuperior prædicamentalis, nego; eſt ratio ſuperior propria, & eſſentialis ipſius differentiæ vt talis, concedo. Quod enim in præſenti defendimus, eſt, differentiam infimam non includere aliquod genus, vel differentiam ſubalternam prædicamentaliter ſuperiorem v.g. hinnibile non includere ſenſibile, & rationale animal, non vero non includere ſuum proprium genus, per quod ipſa eſſentialiter definitur.

398. Obj. 12. Vel differentia infima continetur ſub alijs differentijs, vel non continetur? Si primum; ergo non eſt infima, quia de ratione infimi eſt contineri ſub alio ſuperiori. Si continetur ſub illis? Ergo eas includit, nam ideo homo includit animal, quia continetur ſub animali; ergo. Reſp. differentiam infimam ſub alijs contineri tranſverſaliter, non vero in linea directa arboris prędicamentalis, & hæc eſt ratio, quare homo, quia continetur ſub animali, illud includit, quia ſcilicet continetur in linea recta, non vero illud includit rationale, quia ſub illo continetur tranſverſaliter.

399. Obj. vltimò Ariſtotelem ſępe dicentem; vltimam differentiam continere ſuperiores. Reſp. Locutum fuiſſe non de continentia per incluſionem formalem, ſed de continentia per illationem, quatenus valet, eſt rationale; ergo eſt animal; ergo ſenſibile, &c.

DISPUTATIO IIII.

DE PROPRIO.

400. PRoprium ſumitur, vel primò, vel ſecundò, intentionaliter. Proprium primo intentionaliter ita definitur: *quod, cum ſit extra eſſentiam rei, tamen ipſi neceſſariô convenit*, per ly *quod cum ſit extra eſſentiam rei.* convenit cum accidenti, per ly *illi. neceſſariô convenit*, ab accidenti differt. Secundò intentionaliter ſumptum, hoc eſt, vt prædicabile ita definitur: *Prædicabile in quale de pluribus neceſſariò*. Per ly *prædicabile* convenit cum reliquis prædicabilibus, per ly *in quale* differt á genere, & ſpecie. Per ly *neceſſaria* differt ab accidenti, quod non prædicatur neceſſario, ſed contingenter.

401. Quadruplex proprium aſſignavit Porphyrius. Primum, quod convenit ſolis individuis ſpeciei, ſed non omnibus, vt in ſpecie hominis eſſe *Grammaticum*, aut *logicum*. Secundum, quod convenit omni individuo ſpeciei, ſe non ſoli, vt eſſe *bipedem*, quod convenit omni homini, & alijs etiam præter hominem. Tertium, quod convenit ſoli, ſed non ſemper, vt *actu ridens*. Quartum, quod convenit omni, ſoli, & ſemper, vt *eſſe riſibile* in homine. Prima ſpecies proprij potius ad accidens, quá ad proprium ſpectat. Quarta eſt, de qua in præſenti loquimur, & ſupra definivimus. Conſtat ex Ariſtotele 4. Topic.

403. Proprium ita rigoroſé acceptum, aliud eſt phyſicum, & aliud Metaphyſi-

hysicum est proprietas realiter distincta ab essentia, ita tamen essentiam comitatur, vt solum, divinitus, vel præternaturaliter superiori agente virtute ab ea separari possit. Ita se habet *Calor* respectu ignis, *frigiditas* respectu aquę v.g. Metaphysicum, quod est attributum, & proprietas Metaphysica, nec Divinitus separabilis ab essentia, & solum ab ea Metaphysicè distincta. Sic se habet *risibilitas* respectu hominis, bonitas respectu entis, iustitia respectu *Dei*, & c. Proprium metaphysicum, si consequatur gradum genericum, se habet, vt genus, diciturque cum genere ad convertentiam, vt esse locomotivum, quod consequitur genus animal, & convertitur cum eo. Valet enim: *est animal*; ergo *est locomotivum*; *est locomotivum*; ergo *animal*, quod quidem est genus respectu hominis, & bruti. Si consequitur gradum specificum, est species, & cum ea convertitur. Sic se habet *risibile* in homine. Ualet enim *est homo* ergo *est risibilis*; *est risibilis*, *ergo homo*.

403 Rogas, respectu cuius exerceat suam virtutem proprium. Iam disputatione superiori, dum loquimur de differentia, manet hæc difficultas determinata. *Dico*: propium est vniversale non respectu essentiæ, cuius est proprium, sed respectu inferiorum talis essentiæ, v.g. risibile non est vniversale respectu essentiæ hominis, cuius est proprium, sed respectu individuorum naturæ humanæ Petri, & Pauli, & c. quia cum dicatur ad convertentiam cum essentia, cuius est proprium, nequit exercere vniversalitatem respectu illius, cum omnis convertentia arguat æqualitatem; at vero de individuis prædicabitur vt vniversale, cum ea respiciat vt inferiora, & licet sit proprium respectu essentiæ, v.g. risibile respectu hominis, attamen cum homo multiplicetur in individuis ratione essentię in eis multiplicatæ, respiciet, vt proprium, & simul vt vniuersale. Reliqua, quę ad proprium spectant, vide in *DD*. prælodatis.

DISPVTATIO V.

DE ACCIDENTIS QVINTO PRÆdicabili.

404. Accidens item dupliciter sumitur vel primò, vel secundò intentionaliter. Accidens primò intentionaliter à Porphyrio definitur per id; *quod potest ad esse, vel abesse absque subiecti corruptione*; pessima definitio, nam mors, anihilatio, & corruptio sunt accidentia, & nequeunt ad esse absque subiecti corruptione. Accidens ergo primò intentionaliter ita definio: *Est quod contingenter convenit subiecto*. Convenit omni Accidenti vt per se patet.

405. *Dices*, esse animatum contingenter convenit corpori, sed esse animatum non est accidens; ergo convenit definitio alijs à definitio. *Resp*. definitionem convenire pluribus rebus substantialibus, quæ dummodo alicui contingenter adveniant, respectu illius dicuntur accidentia.

406. Accidens secundo intentionaliter est. *Prædicabile de pluribus in quale contingenter*, convenit per ly *Prædicabile* cum reliquis prædicabilibus, differt per ly *in quale* ab aliquibus, & vltimo per ly *contingenter* á proprio.

407. Hinc infero 1. cum Oviedo contra Arriagam, & Hurtado, quartum, & quintum prædicabile formaliter differre diverso modo, quo prædican-

cantur. Accidens contingenter, & proprium necessario, & vt diversa ea constituamus maximè Porphyrij authoritas conducit.

408. Infero 2. contra Conimbricenses, & Alphonsum cum Arriaga; accidens, vt sit vniuersale non requirere plura subiecta existentia. Sufficiunt enim possibilia, quia licet non prædicetur de subiecto, nisi sit existens, potest tamen prædicari antequam existat, dummodo sit possibilis. Videatur Lince lib. 9. num. 16. Alia de Accidenti videantur apud Arriagam disputatione 8. sect. 3. per totam.

DISPVTATIO VI.

DE EIS, QVÆ AD PRÆDICAbilia incommuni spectant.

SECTIO I.

AN PRÆDICABILE SIT GENVS ad quinque pradicabilia.

409. IN definitione vnius cuiusque prædicabilis apposita manet tamquam ratio communis hæc vox *Prædicabile*, nunc inquiritur, an sit genus respectu quinque prædicabilium. Idem intelligendum est de hac voce vniuersalis.

410 Prima sententia negat. Ita aliqui Thomistæ in suo Clypeo, Boetius, & antiqui plures nostri. Tellez, & Aversa negant de vniuersali, & prędicabili concretivè sumpto, licet affirment de vniuersali, & secundá intentione.

411 Secunda sententia vniuersaliter affirmat. Ita Exim. Doct. 5. metaphys. sect. 8. num. 6. & nostri communiter, Arri. compt. Santac. num. 779. Isquier. *Peynad*. num. 30. de prędicabilibus d. 5. sect. 2. Item Ioannes á S. Thom. & M. Lynz. lib. 2. q. 10. art. 2. item. *P*. Olea. d. 105. n. 2.

412 Hęc conclusio vnica ratione probatur. Quod prædicabile est de pluribus differentibus specie in quid, est formaliter genus; sed ratio vniuersalis prædicabilis est de pluribus differentibus specie in quid respectu quinque prædicabilium, ergo. Mai. est certa. Prob. minor. Quinque prædicabilia specie differunt inter se, vt patet. Insuper sunt essentialiter vniversalia; ergo ratio vniuersalis ab eis abstracta respectu ipsorum erit prædicabilis de pluribus differentibus specie in quid, seu vt pars essentialis.

413 Confirmatur. Ideò animal est genus respectu hominis, & bruti, quia homo, & brutum notabiliter differunt inter se, & aliás conveniunt in ratione animalis secundum eandem definitionem; inde ratio animalis ab eis abstracta prędicabilis est de pluribus differentibus specie in quid, & consequenter genus; sed similiter quinque prædicabilia differunt notabiliter inter se, conveniunt que aliunde in prædicato vniuersalis secundum eandem definitionem; ergo ratio vniuersalis ab eis abstracta erit genus respectu ipsorum.

414 Obj. 1. Substantia, & accidens inæqualiter participant rationem vniuersalis; ergo hæc non est vnivoca respectu ipsorum. Prob. antec. Substantia participat rationem vniuersalis sine dependentia ab accidenti, accidens cum dependentia á substantia; sed participare sine dependentia, & cum dependentia est inæqualiter partici-

pare; ergo. Tunc sic: sed genus, & species sunt substantiæ; & proprium, & accidens sunt accidentia; ergo ratio vniuersalis non est vniuoca respectu ipsorum.

415 Resp. dist. antec. Inæqualitate se tenente ex parte substantiæ, & accidentis participantium, concedo; ex parte vniuersalis participati, nego. Cum enim inequalitas non se teneat ex parte rationis communis, eius vniuocatio non officitur. Sic si intellectus realiter ab anima distinguatur, convenit vnivoce cum intellectione in ratione qualitatis, licet hæc tanquam à causa ab intellectu dependeat: sic creatura cum Deo convenit in pluribus prædicatis entis, substantiæ, &c. licet essentialiter dependeat á *Deo*. Nota tamen, quod licet in esse physico accidens dependeat á substantia, non tamen in esse logico, seu in ordine ad prædicationem.

416 Replic. Modus prædicandi sequitur modum essendi; sed modus essendi accidentis est cum dependentia á substantia; ergo & modus prædicandi.

417 Resp. Proloquium illud esse omnino falsum, nisi ita intelligatur: modus prædicandi sequitur modum essendi, hoc est; nihil potest prędicari verè, quod non sit. Vnde modus prædicandi, vt sit verus, debet representare rem sicuti est.

418 Obj. 2. Transcendentia impedit rationem generis in prædicato transcendente; sed ratio vniuersalis transcendit vltimas differentias; ergo non est genus. Prob. minor. Differentiæ prædicabilium sunt vniuersales, cum sint prædicabiles; ergo.

419. Resp. Neg. mai. de transcendentia non mutua, vt videbimus in Metaphysica; sed admissa mai, neg min. Vltimæ namque differentiæ prædicabilium vt tales non sunt formaliter vniuersales, sed taleitates vniuersalium, licet aliás si ipsæ abstrahantur, vi propriæ abstractionis possunt respectu suorum inferiorum vniuersales esse.

420. Objic. 3. Genus debet prædicari essentialiter de inferioribus; sed ratio vniuersalis non prędicatur essentialiter de suis inferioribus; ergo. Prob. min. Accidens, & proprium sunt accidentaliter vniuersalia, cum prædicentur in quale tantum; ergo de eis ratio vniuersalis non prædicatur essentialiter. Resp. conc. mai. & neg. min. Ad probat. dist. antec. Accidens, & proprium sunt accidentaliter vniuersalia primo intentionaliter sumpta respectu suorum inferiorum, concedo. 2. intentionaliter sumpta, hoc est vt vniuersalia, qualitec hic sumuntur, nego. Ita enim tam essentiale est accidenti prædicabilitas, quam genus. Ex doctrina iam tradenda solutio clarius patebit.

SVBSECTIO VNICA.

ÆQVIVOCVM VALDE ARGVmentum solvitur.

421. OBj 4. Si vniuersale vt sic esset genus adquinque prædicabilia, esset genus ad primum prædicabile; sed nequit esse genus ad primum prædicabile; ergo. Prob. min. Si esset genus ad primū prędicabile, primū prædicabile esset superius, & inferius respectu illius; esset superius, quia esset genus vt sic ab omni genere abstractum, & vniuersale vt sic esset genus particulare; esset inferius, quia ratio vniversalis vt sic ab illo præscinditur.

422. Prob. 2. Sequeretur, hanc prædicationem: *Vniuersale est genus* esse simul directam, & indirectam; esset directa, quia esset superioris de inferiori; esset indirecta, quia esset inferioris de superiori. Prob.

423. Prob. 3. Quia iam vniuersale vt sic esset superius respectu sui ipsius, tum quia est superius respectu omnis generis, & ipsum est aliquod genus, tum quia est superius respectu generis vt sic, in quo ipsum vtpotè genus particulare continetur.

424. Prob. 4. Quia iam primum prædicabile esset species; vnde confunderentur prædicabilia, quod patet, nam cum respectu illius se habeat vniuersale vt genus, sequitur, ipsum genus se habere vt speciem respectu vniuersalis.

425. Ad hoc argumentum varijs vocibus, idem tamen omnes respondent. Idem & ego, sed clarioribus vocibus respondebo. Ante suppono 1. Idem posse esse superius, & inferius respectu eiusdem termini, immò respectu sui ipsius secundum diversos respectus, & considerationes, quod communibus exemplis demostro. Idem Summus Pontifex est superior, & inferior respectu sui confessarij; superior, quia caput Ecclesiæ, inferior, quia pœnitens indigens peccatorum absolutione, immò conferens confessario iurisdictionem vt ipsum absolvat: est superior & inferior respectu sui ipsius; superior vt conferens ius, & iurisdictionem, inferior vt egens tali iurisdictione pro peccatis absolvendis. Item legislator vt persona publica est sibi superior vt persona privata, egetque propria dispensatione ad leges non observendas. Ita P. Sal. d. 14 de legibus sect. 1. & Arr. d. 15. de legib. Item Corpus Christi Domini in Cælo est Superius se ipso in Eucharistia ratione distinctarum vbicationum. Denique termini reflexi formales *vox*, *dictio*, *nomen* vt significatiui sunt superiores, & latius patent seipsis vt significatis, nam vt significatiui se ipsos, & omnes aliás voces, nomina, & distinctiones significant, vt significati sunt voces, nomina, & dictiones particulares.

426 Suppono 2. Omnia prædicabilia independenter ab abstractione rationis *vniuersalis* ab eis, convenire in ratione vniuersalis, seu *prædicabilis de pluribus*, sicut conveniunt homo, & brutum in ratione viuentis sensibilis, antequam ab eis ratio animalis abstrahatur; inde sicut accidentaliter advenit viuenti sensibili abstractio, vt ex ipsa abstractione, & viventi sensibili resultet genus; ita accidentaliter advenit vniuersali, quod abstrahatur, vt ex abstractione, & vniuersali resultet genus respectu quinque prædicabilium. Itaque sicut animal abstractum sumitur & primò, & secundo intentionaliter; & primò intentionaliter dicit esse viuens sensibile, quod habet independenter ab abstractione vtpote eius essentia, & secundo intentionaliter reduplicat supra denominationem generis, quam suscipit ab abstractione; ita vniuersale abstractum sumitur primo, vel secundo intentionaliter; primò intentionaliter dicit esse aptum ad multa, & prædicabile de multis, quod habet independenter ab abstratione vt pote eius essentia, secundo intentionaliter est genus, quam denominationem accipit ab actuali abstractione.

427 Suppono 3. Longè aliter se habere obiectum actus præscindentis hoc genus animal, ac obiectum actus præscindentis vniuersale vt sic à quinque prędicabilibus. Obiectum actus præsdindentis animal est essentialiter viuens sensibile, & accidentaliter vniversale, illi enim provenit esse vniversale ab actu prę scindente qui actus prę scindens omnino accidentalis est animali; at obiectum actus pœscindentis vniuersale á quinque prædicabilibùs est essentialiter vniuersale, nec illi est accidentalis, sed essentialis prœscissio á suis inferioribus, sicut est essentialirer animali, esse vivens sensibile,

bile, sed inferiora vniuersalis essentialis non sunt quinque prædicabilia, sed inferiora ipsorum quinque prædicabilium: vnde vniuersale vt sic duplicem habet vniuersalitatem; vnam essentialem, seu primô intentionaliter sumptam, quam non habet ratio vniversalis præscissa ab actu, quo abstrahitur á quinque prædicabilibus, & hæc est, que predicatur de prædicabilibus *vt quid*, hęc item non habet pro inferioribus ipsa prędicabilia, sed inferiora ipsorum prædicabilium: alteram vniuersalitatem habet accidentalē, seu secundo intentionalem, quam habet ab actu, quo abstrahitur á quinque prædicalibus; hæc vniuersalitas non prędicatur de ipsis *vt quod*, item ratione huius habet pro inferioribus ipsa prædicabilia. His suppositis, ad argumentum

428 Resp. Conc. mai. Et neg. min. Ad 1. probat dist. antec. Esset superius, & inferius respectu illius sub eadem consideratione, nego; sub diversa consideratione concedo. Esset enim primum prædicabile superius vniuersali vt sic secundo intentionaliter sumpto secundum denominationem generis, quam accipit accidentaliter ab actu, quo á quinque prædicabilibus abstrahitur. Esset inferius vniuersali vt sic primo intentionaliter sumpto secundum rationem vniversalis, quam habet independenter ab actu, quo à quinque prędicabilibus abstrahitur. Constat ex proximo notabili; non enim repugnat, idem respectu eiusdem esse superius, & inferius sub diversis considerationibus. Constat ex primo notabili.

429. Ad 2. probat. Respondet Lync. Nec esse directam, nec indirectam illam prœdicationem. Tu vero responde, esse directam, & etiam indirectam: respectu vniuersalis secundô intentionaliter sumpti erit directa. Respectu vniuersalis primô intentionaliter sumpti, vt vniuersale est, & superius respectu generis erit indirecta.

430. Ad 3. prob. Resp. Non repugnare idem esse superius, & inferius respectu sui ipsius sub diversis considerationibus. Constat ex 1. notabili. Vnde vniuersale vt sic esset superius primô intentionaliter sumptum respectu sui ipsius secundo intentionaliter sumpti. Hoc est vniuersale esset superius se ipso vt genere.

431. Ad 4. prob. Resp. Non solum genus, verum reliqua prædicabilia esse species respectu vniuersalis vt sic, licet quodlibet respectu suorum inferiorum suam peculiarem rationem conservet, generis, differentię, proprij, & accidentis, quin ex hoc confundantur prædicabilia, sicut non confunduntur ex eo quod idem animal respectu speciei sit genus, & respectu individui incompleti sit species, & sic de reliquis.

432. Replic. 1. Sed primum vniversale est superius, & inferius vniuersali vt sic secundum eandem considerationem; ergo. Prob. min. Per nos est superius respectu vniuersalis secundo intentionaliter sumpti, sed etiam est inferius respectu vniuersalis secundo intentionaliter sumpti; erg. Prob. min. Est inferius respectu vniuersalis vt vniuersalis; sed vniuersale vt tale nequit non esse prædicatum secundo intentionale, cum sit fabrica solius intellectus per nos repugnans á parte rei; ergo.

433. Resp. Neg. min. Ad probat. neg. min. Ad eius probat nimis æquivocam, conc. mai. & dist. min. Sed vniuersale vt tale nequit non esse prædicatum secundo intentionale, absolute, & comparatione inferiorū quinque prædicabilium, concedo, ex suppositione; & comparatione quinque prædicabilium, nego. Explico solutionem. Certum est absolutè loquendo, vniversale esse prædicatum secundo intentionale vtpoté solius intellectus fabrica repugnans existere á parte rei, vnde solum vi abstractionis, & secundę intentionis dantur genus, species, differentia, &c. quæ sunt vniversalia respectu suorum inferiorum, & in animali vt sic præscisso v. g. prædicatum primę intentionis erit viuens sensibile; prędicatum verò vniuersale erit secundæ intentionis: At ex suppositione, quod quinque prædicabilia sint vniuersalia, & quod vt vniuersalia considerentur, iam vniuersalitas, & consequenter abstractio, qua á suis inferioribus præscinduntur, se habet vt prædicatum primæ intentionis, vtpoté essentiale ipsorum reduplicativè sumptorum, sicut esse cognitum, esse formaliter distinctum, & esse apprehensum sunt prædicata primæ intentionis respectu actus reflectentis supra esse cognitum, esse formaliter distinctum, & esse apprehensum, licet alias esse cognitum, esse formaliter distinctum, esse apprehensum sint prędicata secundæ intentionis; ita esse vniuersale est prædicatum secundæ intentionis; esse tamen vniuersale respectu actus reflectentis supra vniuersale vt tale est prædicatū primæ intentionis. Hinc dixi, aliter se habere obiectum actus præscindentis animal, ac obiectum actus pręscindentis vniuersale; sed actus abstrahens á quinque prędicabilibus rationem vniuersalis est, actus reflectens supra vniuersale; ergo licet vniuersale absoluté sit prędicatum secundæ intentionis, vniuersale tamen ex suppositione, & comparatione ad talem actum reflexum erit prædicatum primæ intentionis.

434 Replic. 2. Ergo si vniuersale est superius primò intentionaliter sumptum, non habebit ab abstractione vlla esse superius; sicut quia animal est viuens sensibile primò intentionaliter sumptum, à nulla abstractione accipit esse viuens sensibile, sed esse superius accipit ab actu, quo á quinque prædicabilibus abstrahitur, vt per se patet; ergo esse superius non convenit illi primò, sed secundo intentionaliter sumpto; atqui esse inferius illi secundò intētionaliter sumpto convenit; ergo in eodem sensio convenit illi esse superius, & inferius.

435 Resp. Neg. conseq. Cum enim dicimus, vniuersale primo intentionaliter sumptum esse superius, non intendimus asserere, talem denominationem non accipi ab abstractione, sed solum, talem denominationem cadere supra prędicata primæ intentionis, hoc est, supra esse prædicabile, seu vniuersale, quod esse vniversale non accipit ab ipsa abstractione, qua genus, & superius denominatur, non verò cadere supra denominationem generis, quæ est denominatio secundæ intentionis; inde supra vniuersale cadit denominatio superioris, supra genus verò denominatio inferioris. Hoc esse vniuersale, non verò illa denominatio generis secundę intentionis, est quod prædicatur de inferioribus talis vniuersalis vt sic, aliás de quolibet prędicabili sicut prędicatur esse vniversale, prædicaretur etiam esse genus. Sicut ergo cum dicimus, animal esse superius ad hominem, & brutum primò intentionaliter sumptum, non verò secundò intentionaliter sumptum, solum significare intendimus, talem denominationem non cadere supra animal vt genus, quia vt genus non prædicatur de homine, & bruto, neque enim dicitur: *Homo est genus: Brutum est genus*, sed supra animal vt viuens sensibile, quia ita prædicatur; dicitur enim, *Homo est viuens sensibile, &c.* licet hoc prædicatum illi adveniat dependenter

ter ab abstractione; ita denominatio superioris non cadit supra vniuersale vt genus, quia vt genus non prædicatur de inferioribus, non enim dicitur: *species est genus* sed supra vniuersale vt vniuersale, quia ita prædicatur; dicitur nàque *Genus est universale: species est vniuersalis, &c.*

436 Replic. 3. Ratio vniversalis prescissa vel præsciuditur etiam á se ipsa, vel non? Si primum? Contra. Ergo illa abstractio, qua prescinderetur vniuersalis, & illam constueret, á se ipsa præscinderet, & se haberet vt obiectum. Si secundum? Contra 1. Ergo talis ratio vniuersalis non esset abstracta ab omni vniuersali, cum non sit abstracta à se ipsa, quæ est aliquod vniuersale. Contra 2. Ergo daretur processus in infinitum abstractionum; nam á ratione illa vniuersali, & ab alijs posset alia ratio vniuersalis prescindi, & ab hac alia et sic in infinitum.

437 Aliqui respondent; nec esse inconveniens, qood eadem abstractio seipsam cum alijs confundat habens se vt obiectum sui: sic cognitio vt sic ab omni cognitione abstracta á seipsa abstrahit secum alijs confundens, habens que pro obiecto. Item nec esse inconveniens in processu in infinitum reflexionum, si hæ sint possibiles; vnde in infinitum vna, & alia, & alia ratio vniuersalis abstrahi poterit. Sed non improbata doctrina, iudico hic non deseruire, nam ab vniuersali vt sic non solum nequit abstrahere rationem vniuersalis abstractio eadem, qua in esse vniuersalis constituitur, verum neque alia quæcunque abstractio ab ea distincta non minus, quam ab animali vt sic, & ab homine, & bruto nequit abstrahi ratio animalis. Nam ideo ab animali vt sic, & homine, & bruto nequit abstrahi ratio animalis, quia animal vt sic non est aliquod particulare animal conveniens cum homine, & bruto in ratione animalis, sed ipsum animal hominis, & bruti confusè cognitum, vnde cum non detur distinctio, nec convenientia, quæ est fundamentum præscissionis, dabitur; sed vniuersale vt sic non est aliquod particulare vniuersale cum reliquis in esse vniuersalis conveniens, sed omnia vniuersalia confusè cognita, vel melius, prædicata essentialia vniuersalis, quæ ab eis non distinguntur, nec cum eis convenit; ergo neque ab eo, & reliquis vniuersalibus ratio vniuersalis præscindi poterit.

438. Inst. Per nos ab vniuersali vt sic, & reliquis generibus abstrahi potest ratio generis, cum per nos sit particulare genus inferius primo prædicabile; ergo & ab illo, & reliquis vniversalibus ratio vniuersalis abstrahi poterit, cum non minus sit idem cum omnibus generibus ac est idem cum omnibus vniuersalibus. Confirm. Cognitio cognitionis vt sic á se ipsa, & à reliquis præscindit rationem cognitionis; ergo & vniuersale vt sic á se ipso, & á reliquis rationem vniuersalis prescindet.

439. Resp. Uniuersale vt sic esse quoddam particulare distinctum à reliquis in esse generis licet indistinctum in esse vniuersalis; vnde cum reliquis generibus convenit in esse generis, non tamen in esse vniuersalis. Quid ergo mirum, quod ab eo, & reliquis abstrahatur ratio generis, non verò ratio vniuersalis? Ad confirm. resp. Cognitionem abstractiuam cognitionis vt sic à se ipsa, & reliquis abstrahere rationem cognitionis, quia est quędam particularis cognitio cum reliquis conveniens vtpote ab eis distincta, licet habeat pro obiecto cognitionem vt sic. At verò vniuersale vt sic non est aliquod particulare vniuersale à reliquis distinctum. Non est ergo comparanda cognitio terminata ad cognitionem vt sic

sic cum vniuersali vt sic, sed vniuersale vt sic comparandum est cum cognitione vt sic. Et sicut cognitio illa nequit à se ipsa, & á cognitione vt sic aliã rationem cognitionis abstrahere ob rationem iam supra dictam, ita nec ab vniuersali vt sic, & reliquis vniuersalibus potest alia ratio vniuersalis abstrahi.

440. Replic. 4. Præter prædicabile vt sic non datur aliud prædicabile, sicut præter animal vt sic non datur aliud animal, quocum ratio animalis præcissa conveniat; ergo nec datur aliud genus, quocum possit prædicabile vt sic convenire. Patet conseq. Aliud genus est aliud prædicabile; sed præter prædicabile vt sic non datur aliud prædicabile; ergo nec aliud genus; ergo etiam vt genus, & secundo intentionaliter sumptum est superius, ad minus non est inferius, vt hucvsque diximus.

441. Confirm. 1. Prædicabile vt sic vtpoté vniuoca ratio conveniendi prædicabilium nullam habet rationem differendi ab eis; ergo ab eo, & singularibus prædicabilibus, nempè generibus nequit ratio generis abstrahi. Patet conseq. Nam ea, á quibus aliqua ratio conveniendi abstrahitur debent habere rationes differendi.

442. Confirm. 2. Ab his solum aliqua ratio prescinditur, in quibus talis ratio diuidi potest: sic animal quia diuidi potest in rationale, & irrationale, á rationali, & irrationali præscinditur; sed primum prædicabile, nempe genus nequit diuidi in vniuersale vt sic, & reliqua genera; ergo nequit ab vniuersali vt sic, & reliquis præscindi. Prob. min. Ad rectam divisionem requiritur, quod membra dividentia excludantur ad invicem, nec valeat a b vno ad aliud; sed hoc, & illud genus, &c. et vniuersale vt sic non excluduntur ad invicem, valet enim: *est genus, ergo vniversale*; ergo genus vt sic nequit dividi in vniuersale vt sic, & in hoc, & illud genus; ergo nec ab eis prescindi.

443 Resp. dist. antec. Præter prędicabile vt primo intentionaliter sumptum non datur aliud prędicabile, concedo; secundò intentionaliter sumptum, nego, & nego conseq. & simul supposieum, quod vniuersale vt sic in quantum genus sit prędicabile primò intentionaliter sumptum. Iam supra dixi, vniuersale, seu prædicabile vt sic primò intentionaliter, seu essentialiter sumptum esse superius respectu quinque prædicabilium, abstractumque ab omni prædicabili: vnde præter ipsum ita acceptum, aliud prędicabile, quocum conveniat non datur; at verò 2. intentionaliter sumptum vt genus est, & secundum hanc generis denominationem non est superius, convenitque cum omnibus generibus, à quibus, & ab ipso ratio generis abstrahitur.

444 Ad 1. confirm. resp. Vniuersale primò intentionaliter sumptum esse vniuocam rationem conveniendi prędicabilium, & ita ab eis nullam dicere differentiam; at verò secundò intentionaliter sumptum non est vniuoca ratio conveniendi prædicabilium, cum non omnia prędicabilia sint genus, & cum sit particulare genus á reliquis distinctum, suam peculiarem differentiam habet, vi cuius ab eo, & reliquis ratio generis potest abstrahi.

445 Ad 2. confirm. resp. conc. mai. & neg. min. Ad probat. conc. mai. & dist. min. hoc, & illud genus, & vniuersale vt sic non excluduntur, primò intentionaliter sumptum, conc. secundò intentionaliter sumptum, neg. Itaque à genere ad vniuersale primò intentionaliter sumptum valet ita: *est genus, ergo vniuersale*, sicut valet; *est homo, ergo animal*

nam á specie ad genus valet argumentum. Vnde in vniuersale vt sic primo intentionaliter sumptum, & in hoc, & illud genus nequit primum prædicabile tanquam in membra dividentia diuidi, cum ratio vniuersalis includatur in vnoquoque genere. At si vniversale sumatur secundò intentionaliter secundum denominationem generis, nullo modo valet á genere ad vniuersale, nam hoc genus *animal* v. g. non est hoc genus *universale*, sed mutuo se excludunt, & distingunt, ideòque rectè tanquam in membra dividentia potest in ea genus diuidi, ab eisque præscindi.

446 Obj. 5. Id, quod est essentialiter tale, nequit vniuocè convenire cũ eo, quod est accidentaliter tale, sed primum, secundum, & tertium prędicabile sunt essentialiter prædicabilia, & quartum, & quintum accidentaliter prædicabilia; ergo nequeunt vnivocè convenire.

447 Resp. Neg. mai. Nam cum id, quod est accidentaliter tale sit, proprie tale, potest vniuocè convenire cum eo, quod est essentialiter tale. Sic si aliqua entitas esset potens amare per suam met essentiam, & alia per potentiam superaddıtam accidentalem, vtraque vniuocè in esse potentis amare conveniret. Sed admissá mai. dist. min. quoad 2. partem: Quartum, & quintum prædicale sunt accidentaliter prædicabilia, id est, prædicabilitas vniuersalis convenit accidentaliter illis, vt constituĩt quartum, & quintum prædicabile, nego: sic enim tam essentialiter illi competit vniuersalitas, ac tribus primis prædicabilibus; id est, prædicantur accidentaliter de suis inferioribus, concedo, sed quod prędicentur accidentaliter, vel essentialiter de inferioribus, hoc se tenet ex parte differentiarum, & non officit vniuocationi, cum omnia sint essentialiter vniuersalia vt pręscissa, & constituentia suum proprium prædicabile.

448. Obj. 6. Genus vniuocum nõ dicit differentias, á quibus præscinditur; sed vniuersale vt sic præscinditur tanquam á differentia á genere; ergo vel non est genus, vel non est vnivocum ad speciem, differentiam, &c. Resp. dist. Non dicit differentiam primò intentionaliter sumptum, conc. secundò intentionaliter sumptum, nego. Sic vniversale primò intentionaliter sumptum quod est genus vniuocum non dicit, nec involuit in se rationem generis, sed solum rationem prędicabilis de pluribus; secundò intentionaliter sumptum exercitè accipit á cognitione præscindente denominationem generis secundum quam nec est genus respectu prędicabilium, nec prædicatur de illis.

449. Obj. 7. Vniuersale vt sic dicit totam essentiam primi prædicabilis, nempè esse prædicabile in quid de differentibus notabiliter; ergo non prędicatur vt genus, sed vt species de primo prædicabili. Resp. dist. mai. Vniuersale vt sic primò intentionaliter sumptum, nego; secundo intentionaliter sumptum, concedo: Vniuersale ergo primò intentionaliter sumptum solúm dicit rationem *prædicabilis de pluribus*, à reliquis tanquam á differentijs præscindit, ideòque est genus vniuocum respectu quinque prędicabilium. Vniversale autem secundò intentionaliter sumptum dicit totam essentiam primi prædicabilis, nempè, *esse prædicabile de pluribus differentibus specie in quid*, quia est species inferior contractiua rationis generis. Hinc inferes, vniuersale vt sic, si consideretur vt genus, esse speciem subijcibilem, & contractiuam generis vt sic, sicut animal, & reliqua genera. Si vero consideretur vt prædicabile, esse genus ad quinque prædicabilia.

SVBSECTIO II.

ALIÆ REPLICÆ, ET ARGVMENTA pro eodem intento soluuntur.

450. OBj. 1. Si posset præscindi ratio vniuoca vniuersalis á quinque prædicabilibus, posset præscindi ab vniuersali reali, & rationis, positiuo, & negatiuo, cum tam prædicabilis sit de pluribus ratio abstracta á pluribus entibus negativis, & rationis, quam abstracta á pluribus entibus positivis, & realibus; sed ab vniuersali reali, & rationis positiuo, & negatiuo præscindi nequit ratio vniuersalis, vt sic; ergo.

451. Resp. dist. mai. Posset præscindi ratio vniuersalis ab vniuersali reali, & rationis: si admittantur conceptus supra transcendentes, transeat. Si non admittantur, nego. Noster Lync. pro se citans Hurt. & alios, cum alias in metaphysica neget conceptus supra transcendentes, posseque præscindi ab ente reali, & rationis ratio communis vniuoca entis, obiecti, &c. hic tenet posse pręscindi, ab vniuersali reali, & vniversali rationis ratio communis vniuoca vniuersalis. Nam licet vtrumque non conveniat in eo, quod dicit de materiali intrinsece, convenit tamen extrinsecè, cum vtrumque abstractum reale, & rationis extrinsecè assimiletur per cognitionem confusam abstractivam, qua constituitur in esse vniuersalis, & in esse similis extrinsece, seu cogniti.

452. Si tamen negentur conceptus supratranscendentes, negatiuè respondendum. Nam vniuersale reale est propriè tale, vniuersale rationis est impropriè tale, & inter proprium, & improprium non datur convenientia sufficiens ad vniuocationem. Vniuersale enim constituitur ex secunda intentione, & ex natura abstracta, imo ex natura in recto, & ex secunda intentione in obliquo; sed natura rationis non est propriè natura; ergo nec vniuersale rationis ex ea constitutum propriè vniuersale. Item nec est propriè prædicabile de pluribus, nec identificabile cum pluribus. In super vniversale debet esse vnum extrinsecè, & plura intrinsecè proprié talia; sed vniversale rationis non est intrinsecè proprie plura; ergo. Vnde, ad rationem, Linz. dic. Actus abstrahens naturam rationis, & actus abstrahens naturam realem vniuocè conuenire in ratione actus abstrahentis, sicut & cognotio entis rationis cum cognitione entis realis in ratione cognitionis. Vnde vniuersale reale, & rationis vniuocè conueniunt, secundum quod dicunt de formali, seu de secunda intentione, sicut concretum cognitum resultans ex cognitione, & ente reali cum concreto cognitum resultans ex cognitione, & ente rationis; non vero in esse vniuersalis, quod non solum dicit talem secundam intentionem, sed etiam naturam. Hinc inferes, quod si conuenire extrinsecè solum sit convenire quoad cognitionem, & nil amplius, certê conveniunt, non tamen in ratione vniuersalis.

453 Vel, si vis, faciliùs huic argumento respondere: Dist. mai. Posset præscind ratio vniuersalis ab vniuersali rationis, & reali, si aliunde ex peculiari difficultate, & vniuocationis repugnantia inter ens reale, & rationis, non repugnet: Concedo; si aliunde ex peculiari difficultate á præsenti quęstione porsus aliena repugnet: Nego.

454 Obj. 2. Genus est magis vniuersale, quam species, cum plura in-

inferiora comprehendit: ergo genus & species participant inæqualiter rationem vniuersalis: ergo hæc non est vniuoca. Omnis enim inæqualitas officit vni communi.

455 Resp. Dist, antec. Est magis vniuersale; extensiuè; conc. intensiuè: Nego. Hoc est, genus ad plura inferiora se extendit, quam species; non tamen ideo prædicata essentialia vniuersalis, quæ participat, sunt intensiora, seu inæqualia in ipsis. Inęqualitas extensiua vniuoco communi non officit. Sic quantitas est ratio vniuoca respectu quantitatis palmaris, & bipalmaris, &c. Nam, licet hæc sit extensiuè maior, non tamen intensiuè, sed vtraque participat ratio nem quantitatis. Similiter. Hæc veritas: *Viginti homines currunt*, cõuenit vniuocè cum hac: *Duo homines currunt*, in ratione veritatis; licet prima sit extensiuè maior ex conformitate cum pluribus. Insuper, inæqualitas in modo participandi se tenens ex parte differentiarum, non officit vniuoco communi, cum non arguat inæqualitatem in re participata. Sic perfectiori, & inæquali modo participat homo rationem animalis, quam brutum, quin sit talis ratio non vniuoca respectu vtriusque. Alia exempla sunt obuia: ergo licet á genere, & specie participaretur inæqualiter ratio vniuersalis, &c.

456 Obj. 3. Si á quinque prædicabilibus ratio prædicabilis præscinderetur, differentia generis, speciei, &c. Esset prædicabilis, & non esset prædicabilis; hoc repugnat; ergo. Prob. mai. quoad primam partem. Tum quia omnis differentia vt talis, cum pertineat ad tertium prędicabile, prædicabilis est; vt videre est in rationali. Tum quia differentia vniuersalis debet esse vniuersalis: ergo. Prob. quoad secundam partem. Quia si esset vniuersalis, ratio prædicabilis vt sic, ab ipsa etiam præscinderetur, cum ab omni vniuersali vt tali præscindatur. Unde talis differentia, esset simul terminus *Qui*, & terminus á *Quo* pręscissionis. Esset terminus *Qui*, cum ipsa sit formaliter vniuersalis, & tota ratio vniuersalis est terminus *Qui* præscissionis. Esset terminus *á Quo*, cum ab ipsa vt á differentia abstrahatur ratio prędicabilis.

417. Confirm. Quia rationale est differentia, à qua præscinditur animal, ipsum non est terminus *Qui*, sed terminus *à quo* præscissionis, nec ipsum rationale ingreditur conceptum animalis: ergo si differentia generis v. g. est differentia, á qua præscinditur ratio prædicabilis, ipsa non debet esse terminus *Qui*, nec ingredi conceptum prædicabilis, sed tantum terminus á *Quo* præscissionis.

458. Hoc argumentum vnicè probat, transcendentiam officere præscissioni simpliciter, & consequenter conceptus transcendentes non posse á differentijs transcessis simpliciter pręscindi. Nam cum differentię entis v. g. participent formaliter conceptum entis, cum hoc præscinditur, erunt simul terminus *Qui*, & terminus *á Quo* pręscissionis ob probationem in argumento ponderatam. Vnde ab omnibus responderi debet. Dupliceť respondetur: primo, vltimas differentias generis, speciei, &c. á quibus ratio prædicabilis pręscinditur, non esse vniuersales formaliter, sed taleitates vniuersalium: sicut Petreitas, & Pauleitas, non sunt formaliter homo sed taleitas hominis; nec perseitas est formaliter ẽs; sed taleitas entis. Nec rugibile, formaliter viuens, sed taleitas viuentis. Vnde abstracta ab illis vt à differentijs, & terminis *à Quo* purè præscissionis, ratio vniuersalis; non manent vniuersales formaliter. Vnde differentiæ vniuersales non sunt formaliter vniuersales; sicut differentia viuentis, non est formaliter viuens; aut differentia entis non est formaliter ens, sed solum præscissiuè, identicè, & materialiter: nec participant formaliter conceptum differentię logicæ prædicabilis, sed differentię tantum metaphysicè diuersificatiuæ.

459. Resp. 2. Tales differentias esse formaliter prædicabiles, & consequenter esse terminum *Qui*, & terminum *á quo* præscissionis, sed non secundum eamdem formalitatẽ. Nãquælibet differẽtia est simul vniuersalis & aliquid amplius; & hoc aliquid amplius; est simul vniuersale, & aliquid amplius; sicut discurritur in perseitate, quæ est ens, & aliquid amplius, &c. Vnde, sicut pręscinditur ens á perseitate, ratione ly *aliquid amplius*, licet hoc sit simul formaliter ens. Ita præscinditur prędicabile á differentijs ratione ly *aliquid amplius*, licet hoc sit simul formaliter vniuersale.

460. Replic. Animal non definitur per tale animal, neque rationale per tale rationale: ergo neque genus difinitur per tale genus, neque differentia per talem differentiam: ergo vniuersale, per quod difinitur genus, non est genus erga ipsum, neque in differentia datur differentia, á qua possit ratio vniuersalis præscindi.

461 Resp. Conc. antec, & nego conseq. Ratio disparitatis est; quia omnis definitio præcisse debet constare aliquo genere, & aliqua differentia; cum autem tale animal non sit genus animalis, nec tale rationale, differentia rationalis, inde est, quod nec animal definiatur per tale animal, nec rationale per tale rationale. Definitur tamen tam animal, quam rationale per aliquod genus, & aliquam differentiam: sed tale genus est genus respectu generis vt sic; & talis differentia est differentia respectu differentiæ vt sic: ergo genus debet definiri per tale genus, & differentia debet habere talem differentiam. Insuper genus definitur per vniuersale; quod aliás est genus; non vero per tale genus secundum denominationem generis, nec in differentia datur differentia, quæ sub conceptu differentiæ participet rationem differentiæ, sed taleitas prædicabilis; quæ aliás est differentia, differentiam constituit.

462 Obj. 4. Si vniuersale esset genus ad quinque prædicabilia, esset inferius primo prędicabili, & consequenter pręscinderetur ab ipso; sed primum predicabile á se ipso præscindi nequit: ergo. Maior est certa. Nam primum prædicabile ab omni genere præscinditur. Prob. min. Vniuersale vt sic supponit ante se genus vt sic, ergo genus vt sic nequit præscindi ab vniuersali vt sic. Prob. antec. Vniuersale, vt sic præscinditur á genere vt sic: ergo supponit genus vt sic, vt ab eo præscindatur: ergo genus vt sic ab ipso non præscinditur. Prob. hæc vltima conseq. Omnis terminus præscissionis, necessario supponitur ad Præscissionem; sed vniuersale vt sic nequit supponi ante genus, cum ipsum supponat potius ante se genus: ergo.

463 Hoc argumentum simillimũ est illi, quasi ænigmati, quod Pueris objici solet, & in maximas eos angustias redigit. Rogamus enim ab ipsis? Quid prius extiterit, Ovum, an Galina? Si dicant, Galinam priorem extitisse. Contra; quia hoc Ovum aliqua parturiuit Galina; ergo hæc prior fuit ovo? Ita nunc objicitur. Quid prius extitit præscissum? Genus vt sic, an vniuersale vt sic? Si dicam, genus vt sic fuisse prius præcissum. Contra; quia cum pręscissum fuerit ab vniuersali vt sic, hoc prius est, & supponitur ante genus. Si vero dicam; fuisse prius

prius vniuersale vt sic præscissum. Contra; quia hoc præscissum fuit á genere vt sic: ergo illud supponit ante se, & prius extitit.

464 Resp. tamen vtrumque posse esse prius, & esse posterius alio. Hoc scimus. Quale autem ex eis de facto fuerit primus, quale vero posterius? Hoc nescimus. Vtrumque potuit esse in executione prius, & posterius alio, clare cognosces, si scias ad præscissionem simpliciter non requiri actualem existentiam termini *à quo* præscissionis, sed sufficere possibilitatem illius. Sic, dum de facto præscinditur ratio hominis vniuersalis, præscinditur etiam talis ratio ab Antichristo, & ab alijs hominibus possibilibus, & de facto nullatenus existentibus, Nam talis ratio præscinditur ab omnibus convenientibus in ratione hominis; sed non minus conveniunt in ratione hominis existentes, quam possibiles: ergo ab omnibus præscinditur; ergo, quin existat actu, sic potest ab ipso vniuersali præscindi genus vt sic, et è contra, quin existat actu genus vt sic, potest ab eo præscindi vniuersale vt sic: ergo, cum præscissio non supponat necessario ante se existentem terminum præscissionis, omnino accidentalis erit prioritas, vel posterioritas inter vniuersale vt sic, & genus vt sic.

465. Ratio á priori est; quia esse terminum præscissionis, solum est esse terminum cognitionis inadæquatæ; sed vt aliquid sit terminus cognitionis inadequatæ, non requiritur, quod actu existat, & patet à paritate cognitionis adæquatæ. Sic de facto Antichristus, & aliæ infinitæ creaturæ possibiles terminant cognitionem *D*iuinam, quin actu existant. Immò & ipsa impossibilia, & entia rationis, quin possint existere, terminant cognitionem. Ergo; vnde sicut inter hanc propositionem nunc à me elicitam: *Antichristus est homo* substantiue sumptam, & ipsam actualem Antichristi existentiam nulla intercedit necessaria suppositio. Poterat enim eodem modo elici, iam Antichristo existente; sicut nunc non existente, elicitur, & nunc de facto illi accidentale omnino est existere ante ipsius Antichristi actualem existentiam. Quia hæc propositio solum supponit possibilitatem illius. Ita inter actualem præscissionem generis ab vniuersali vt sic, & actualem vniuersalis vt sic existentiam nulla suppositio relucet, & si de facto prius præscinderetur, & extiterit, esset illi omnino accidentale, cum talis præscissio solum requireret possibilitatem talis vniuersalis.

466. In forma ergo resp. Conc. mai, & nego min. Ad probationem, dist. antec. Vniversale vt sic supponit ante se genus, vel vt possibile, vel vt existēs; concedo; vt existens necessario; nego. Ad probationem, conc. antec. & dist. consequens. Supponit genus vt sic, vel vt possibile, vel vt existens; concedo; vt existens necessariò; nego, & nego secundam consequentiam. Ad eius probationem, dist. mai. Omnis terminus præscissionis supponitur ad præscissionem vel vt existens, vel vt possibile; concedo; vt existens necessario; nego.

467. Replic. Repugnat, per nos mutua causalitas inter materiam v.g. & formam contra Thomistas, quia sequeretur mutua prioritas inter vtramque, ergo & repugnat hæc mutua præscissio inter vniuersale vt sic, & genus vt sic; cum eadem mutua prioritas sequeretur.

468. Resp. Conc. antec. & nego conseq. & suppositum ipsius, quod ad mutuam præscissionem requiratur mutua prioritas, sicut ad mutuam causationem. *D*isparitatis ratio est manifesta. Omnis effectus necessario supponit pro priori existētem suam causam,

non tamen omnis præscissio suum terminum præscissionis, sicut nec omnis cognitio suum obiectum, vt iam manet probatum. Hinc est, quod si materia, esset causa formę, supponeretur existens ante formam, & si forma esset causa materiæ supponeretur existens ante materiam, & consequenter ante se, quod repugnat. At vero si genus vt sic præscinditur ab vniuersali vt sic, non supponit illud existens ante se necessario, cum sufficiat, quod sit possibile, & è contra. Unde ex mutua præscisione, non sequitur mutua causalitas.

469. Obj. 5. Si vniuersale vt sic esset genus, primum prædicabile esset genus, & non esset. Item, tertium prædicabile esset differentia, & nō esset differentia. Essent genus, & differentia; vt supponitur. Non essent genus, & differentia, quia essent species illius vniversalis vt sic.

470. Resp. Primum prædicabile esse genus signatum, & exercitum, & speciem respectu diversorum. Esse genus exercitum respectu diuersorum inferiorum, cum prædicetur de differentibus notabiliter. Esse genus signatum, cum sonet, & exprimat genus, esse speciem subijcibilem respectu vniuersalis vt sic, in quo nulla datur implicantia. Sic animal est genus respectu inferiorum hominis, & bruti, & est species respectu viuentis vt sic. *D*ifferentia vero tertium prædicabile est species respectu vniuersalis vt sic. Est genus exercitum respectu suorum inferiorū, cum prædicetur de pluribus differentijs notabiliter differentibus inter se, & esset differentia signata, cum ipsum sonet, & prædicetur.

471. Obj. 6. Ergo tale vniuersale præscinderetur etiam á se ipso. Prob. conseq Præscinditur ab omni genere, sed ipsum est aliquod genus: ergo præscinditur á se ipso. Tum sic. Sed hoc repugnat: nam illa cognitio præscissiua supra se ipsam reflecteret, & se ipsam attingeret, quod repugnat.

472. Argumentum ab omnibus debet responderi in cognitione abstrahente conceptum cognitionis vt sic. Nam rogo. Vel talis cognitio etiam á se ipsa, præscindit illam rationem, & se ipsam sine vlla repugnantia attingit? & idem dicam de abstractione vniuersalis vt sic; vel ab omnibus cognitionibus præter se ipsam abstrahit rationem cognitionis? Et idem in nostro casu, illam scilicet cognitionem abstractivam ab omni vniuersali præter illud, quod ipsa constituit, rationem vniuersalis abstrahere. In quo, quid difficultatis? Resp. in forma. Dist. conseq. Præscinderetur á se ipso si repugnet, nego; si non repugnet, concedo, si repugnet, vel non repugnet ad me pro nunc non attinet.

473 Iudico tamen, talem reflexionem ad minús confusam, & inadequatam non repugnare: quapropter tale vniuersale primò intentionaliter sumptum á se ipso; etiam secundò intentionaliter sumpto præscindit. Nam secundo intencionaliter sumptum, & vt genus prædicabile est, conuenit vniuocé cum reliquis generibus in esse vniuersalis, & de ipso prædicabilis est ratio vniuersalis, ita: *vniversale vt sic est vniuersale.* Hoc explica exemplo cognitionis præscindentis rationem cognitionis vt sic á se ipsa vt particulari cognitione cum reliquis conueniente. In forma autem Resp. dist consequens. Præscinderetur à se ipso secundo intentionaliter sumpto, conc. primo intentionaliter sumpto, nego.

474 Obj. 7. Proprium, & accidens sunt impropriè prædicabilia. Genus vero, species, & differentiæ, sunt propriê talia: ergò non conue-

ueniunt vniuocè: ergo vniuersale vt sic nequit esse genus respectu illorum. Prob. antec quoad primam partem. Vniuersale definitur per vnum in multis; sed accidens, idem dic de proprio, non est vnum in multis: ergo. Prob. min. Esse vnum in multis, nil aliud est, quam identificari cum multis; sed accidens nō identificatur propriè cum multis; ergo. Prob. min. Nam accidens, vel comparatur cum substantijs inferioribus, v.g. album cum pariete, & sacharo, vel cum accidentibus etiam inferioribus; v.g. album cum hoc, & illo albo, sed cum sachro, & pariete non identificatur, & si comparatur cum hoc, & illo albo, iam non erit accidens, sed vel genus, vel species, cum prædicatio sit substantialis, hæc v.g. *Hoc album est album*: ergo accidens, & proprium sunt impropriè prædicabilia.

475 Resp. nego antec. Immo hinc potius supponendum est, quam probadum quinque prædicabilia; ac proinde etiam proprium, & accidens esse propriè prædicabilia, cum de omnibus æquè, & indiscriminatim loquantur omnes Philosophi ex mente Porphyrij, constat que ex eo, quod hęc prædicatio: *Petrus est albus, Ioannes est albus*, non est prædicatio singularis de singulari: ergo est prædicatio vniuersalis. Sed nego iterum antecedens. Ad eius probationem, concedo mai. & nego min. Ad probationem, conc. item maiorem, & nego minorem. Ad probationem; Dico: album, vt est accidens, comparari cum substātijs inferioribus, sacharo v.g. & pariete, quibus identificatur, non adæquatè, inadæquatè tamen, quod sufficit ad hoc, vt proprie dicatur esse in inferioribus; vt ad vniuersale requiritur; patet in sententia communi. Quod cumque vniuersale, v.g. animal, est pròprie, & diuisiuè in vno quoque inferiorum, Petro v.g. Paulo, &c. Et tamen cum vno quoque inferiorum diuisiue non identificatur adæquatè, sed solum inadæquatè. Quod identificetur inadæquatè cum substantijs, extra dubium est. Album enim pro subiecto, & de materiali constituitur ex ipsa substantia: vnde, tam propriè est in inferioribus genus nempe animal, quam accidens, nempe *album*.

476 Vt autem plura detegas in volucra, nota primo, vniuersale vt sic, habere pro immediatis inferioribus quinque prædicabilia secundò intentionaliter sumpta, sicut animal hominem, & brutum; vnde tam substantialis est hęc prædicatio: *Genus est vniversale*, quam hæc: *Accidens est vniversale*. Est enim vtraque prædicatio generica; ex quo solum sequitur, quinque prædicabilia se habere vt species exercitè respectu vniuersalis vt sic, licet signatè sint, genus, accidens, &c. Nota secundo, inferiora generis, sicut & accidentis, posse dupliciter considerari; vel concretiue, vel specificatiuè, seu quod idem est, vel primo, vel secundo intentionaliter. Si concretiué sumantur prædicationes, tam generis, quam accidentis; sunt prædicationes substantiales. Nā, tam substantialis est hæc propisitio: *Animmal est genus*, quam hęc: *Album est accidens*. Ex quo infertur; quinque prędicabilia, & consequenter genus, & accidens esse genera exercité respectu suorum inferiorum, licet signatê sint, accidens, species, &c. Si sumantur specificatiuê, seu primo intentionaliter, tam accidentaliter, prædicatur genus, quam accidens. Nam, tam accidentalis est hæc prædicatio: *Paries est albus*, quam hæc: *Animal est genus*. Sicut enim accidentaliter aduenit parieti albedo, qua redditur albus. Ita accidentaliter aduenit animali secunda intentio, qua redditur genus. Ex quo sequitur, ipsum genus signatum etiam esse accidens, si comparetur cum substantijs inferioribus, & quoad punctum præsens, nullam dari diuersitatem inter genus, & accidens.

SECTIO II.

DE DIVISIONE PRÆDICABILIVM.

477. QVeres primò: vtrum diuisio in quinque prædicabilia, de quibus egimus, sit adæquata? Communis sententia tenet, esse adęquatam; nam quidquid prædicatur, vel prędicatur vt tota essentia, & est species, vel prędicatur vt pars essētię & est genus, vel differetia. Si prędicetur *in quid* tantum erit genus. Si in *quale quid* erit differentia. Si prædicatum est extra essentiam, vel eam necessariò comitatur, & est *proprium*, vel nullo modo connectitur necessario cū subiecto, & est *accidens*, sed nequit ex cogitari alius modus præscindendi rem communem de suis inferioribus; ergo illa diuisio est adequata.

478. Nihilominus Patres Fonseca, & Tellez, quos problematicè sequitur Lince, alia prædicabilia, quæ assumptiva vocant, admittunt ad saluandas prædicationes, quæ fiunt de Christo Domino, Verbo, & Personalitate. Vtrumque est probabile, sed primum probabilius.

479. Obj 1. Hæc prædicatio: *Christus est homo* nequit esse speciei, quia prædicatum non dicit totam essentiam subiecti. Subiectum enim non solum est homo, sed Deus.

480. Confirm. primò: Hę prædicationes: *Christus est homo*: *Verbum est animal*, &c. nequeunt reduci ad quintum prædicabile, nam quæ reducuntur ad illud componunt cum subiecto totum aliquod per accidens, at *Deus*, & homo, Verbum & animal totum per se componunt.

481. Confirm. secundò: Hę prędicationes: *Christus est animal*: *Christus est rationalis*: non sunt generis, & differentiæ, non enim sunt partes totius essentię Christi cum non sint partes essentię Diuinæ.

482. Resp. Hanc prędicationem: *Christus est homo*: esse speciei: hasque: *Christus est animal, est rationalis*, generie, & differentiæ eodem modo ac si fierent de Petro, ac Paulo. Nam licet Christus duplicem habeat naturam, in his prædicationibus sumitur vt homo, & vt indiuiduum naturæ humanæ, ac si non haberet Diuinam, ac proinde cum homo sit tota essentia indiuidui humani, hæc erit specifica prædicatio: *Christus est homo*.

483. Ad illas prædicationes: *Deus est homo*: *Verbum est animal*: & alias, in quibus prædicata propria hominis dicuntur de Deo, aut è contra, prædicata Dei de homine, vt *Homo est Deus*, &c. dic ad quintum prædicabile pertinere, cum sint in materia contingenti, in qua prędicatum nullam habet connexionem cum subiecto. Et licet totum resultans sit totum per se ratione vnionis substantialis, qua partes, vel extrema vniuntur, cum vnum extremum alteri accidentaliter adveniat, accidentalis erit prędicatio.

484. Obj. 2. Hæc est prædicatio vniversalis: *Petrus est persona humana*, & ad nullum ex his prędicabilibus spectat; ergo.

485. Aliqui ad quartum spectare dicunt, quia personalitas est proprietas naturæ. Alij vero ad quintum, quia extra essentiam metaphysicā subiecti.

iecti. Probabilius cum Arriag. iudico, quod si ita fiat: *Petrus est persona*, ad genus esse reducendum, cum ly *persona* sit prædicabilis in quid de possibilibus differentibus specie, nempe *Deo*, Angelis, & hominibus, & sit de essentia Petri personalitas. Si ita fiat: *Natura humana est persona*: ita pertinebit ad proprium. Si ita: *Petrus est persona humana*: erit prædicatio mista ex genere, nempe persona, & differentiá, nempe humaná, quę in quale quid prædicatur. Non tamen esse specificam, quia non est prędicatio vnius termini. Alias maioris momenti difficultates vide apud Arrig. d. 9. s. prima á n. primo.

486 Quæres secundò: An hæc diuisio prædicabilium in quinque prædicabilia sit immediata? Respondetur negatiuè. Nam immediatiùs diuiditur in prædicabile in quid quod est superius generi, & speciei, & in prædicabile in quale, quod est superius proprio, & accidenti. Differentia vero de vtroque participat, cum prędicetur simul in quid, & in quale.

SECTIO III.

DE ACTVALI PRÆDICATIOne prædicabilium.

487 PRædicatio est *iudicium afirmans, vel negans vnum de alio.* Quidquid de affirmatiua, idem suo modo de negatiua intelligendum. Prædicatio vt sit vera rectum prædicati debet cum recto subiecti identificari. Prædicatio, dicitur essentialis, quando prędicatum est de essentia subiecti; accidentalis quando est extra essentiam illius. Alia est directa, indirecta alia. Prædicatio directa est quando superius dicitur de inferiori, vel æquale de ęquali, aut tota definitio, vel pars definitionis de definito, vt est *Petrus est homo*: *Homo est rationalis*: *Homo est animal rationale.* Prędicatio in directa est quando inferius dicitur de superiori, *vt animal est homo*: Item alia est identica, formalis alia; identica, cum prędicatum tam implicite, quam explicite dicit idem ac subiectum, vt *homo est homo*: formalis quando saltem voces distinguntur, vt *homo est animal rationale.*

488 Concretum vniuersaliter sumptum est compositum ex duplici parte, vel quasi parte resultans, vt *album*, ex pariete v. g. & albedine. Abstractum dicitur forma talis concreti, vt in dico concreto album *Albedo*. Concretum est duplex physicum, vel metaphysicum; physicum, quod ex partibus physicis componitur, vt *Petrus* ex natura rationali, & subsistentia. Metaphysicum, quod ex partibus metaphysicis componitur vt ex *animali, & rationali homo*. Similiter distingue abstracta physica, & metaphysica.

489 Còncreta, & abstracta quoad rupliciter possunt ad invicem se habere in actuali prædicatione. Primò prædicatur concretum de concreto. Secundò abstractum de abstracto. Tertiò concretum de abstracto. Quartò abstractum de concreto. De his breuiser, sed singulatim agemus.

490. Quæres primò: An quævis concreta de concretis quibusvis possint prędicari? Respondetur, posse prędicari concretum substantiale de altero substantiali, vt *Deus est homo. Petrus est persona*: Secundò: concretum accidentale de altero accidentali, vt *album est dulce*. Tertiò: concretum substantiale de accidentali, vt hoc *album est nix*. Quarto: concretum accidentale de substantiali, vt *paries est albus*. Et ratio est, quia cum ad veritatem propositionum

num

num solum requiratur, quod rectum subiecti, & prædicati identificentur, quid quid sit de obliquis, & in omnibus his prædicationibus ita se habeant, possunt omnimoda veritate fieri.

491. Quæres secundò: Vtrum abstracta de abstractis prædicari quæant

492. Dico primò: Abstractum generis non prædicatur in sensu formali de differentiali; neque abstractum differentiale de generico. Ita vere non dicitur: *Animalitas est rationalitas*: *rationalitas est animalitas*: prędicatur tamen in sensu reali, & identico. Quia cum solum realiter sint idem animal, & rationale, & formaliter distinguantur, realiter prædicantur non tamen formaliter. Si vero genus sit transcendens eius abstractum prędicatur de abstracto differentię, vtpotè in ea inclusum, vt *perseitas est entias*.

493. Dico secundò: Abstracta generica substantialia possunt verè prædicari de specificis. Ita Eximius Doct. Arr. & Hurtado d. 3. sect. 3. v. g. *humanitas est animalitas*: ratio est quia sicut animal de homine prædicatur, quę est pars metaphysica hominis, ita & animalitas, de humanitate, quia est pars metaphysica illius: & sicut vere dicitur: *Hæc animalitas est animalitas*: prædicatione abstracti specifici de indiuiduali, ita verè dicetur: *Humanitas est animalitas*: prædicatione abstracti generici de specifico.

494. Dices primò: Quæ concipiuntur separata, & distincta nequeunt prædicari, sed abstracta, eo ipso quod sint abstracta, concipiuntur vt seperata; ergo. Resp. dist. mai. Si sint separata, & distincta positiuè concedo: solum præscisiuè, nego: Sic animal quia solum præscisiue separatur ab homine potest de homine prędicari.

495. Dices secundò. Si animalitas esset genus, differentia contractiva illius, vel esset rationale, vel rationalitas; sed non est rationale, aliàs humanitas, quæ ex tali differentia constituitur, non esset purè abstractum, cum involveret nomen adiectivum; nec rationalitas, tum quia cum non sit nomen adiectivum, non prædicatur in quale. Tum item, quia iam homo posset ita definiri: *Homo est animalitas rationalitas*, quod absonat. Hæc obijcit pro suis Ponc. disp. 3. n. 89.

496. Sed resp. pro nostris. Differentiam contractivam illius esse *rationale*, nec ex hoc sequitur, humanitatem non esse purè abstractum. Sic humanitas est non repugnans existere, est possibilis, quę sunt termini adiectivi, quin ex eo à ratione abstracti deviet. Item esset eius differentia *rationalitas*, licet nomine adiectivo non significaretur, nam re ipsa prædicatur in quale, per modum scilicet formæ determinantis, quod sufficit ad rationem differentiæ. Immo illa hominis definitio: *Animalitas rationalitas* non absonat aliquibus, pręcipue Lynz. dissonat tamen, quia raró, vel nunquam sonat.

497 Dico 3. Abstracta physica de abstractis physicis nequeunt prędicari; *vt albedo est dulcedo*, quia realiter distinguntur.

498 Dico 4. Abstracta accidentalia metaphysica possunt de abstractis metaphysicis prędicari, vt *abedo est color*.

Quæres 3. An concreta prædicari queant de abstractis, & abstracta de concretis?

499 Resp. Si loquamur de abstractis, & concretis physicis, nullo modo queunt prędicari inter sè, sive sint substantialia, sine accidentalia. Ita hæ sunt falsæ prædicationes: *Album est albedo*: *Homo est humanitas*: *Humanitas est homo*, &c. Quia cum abstracta physica sint partes concretorum, realiter inadæquatè distinguntur

tur á concretis distinctione includentis ab incluso, & ratione huius realis distinctionis falsæ sunt omnino prædicationes.

500 Si verò de concretis, & abstractis metaphysicis loquamur, abstracta possunt prædicari directè de concretis, & concreta indirectè de abstractis; itaque hæ sunt veræ prædicationes: *Animal est animalitas*: *Animalitas est animal.* Ratio est, quia pars metaphysica directè potest prædicari de toto, vt *Homo est animal.* Sed abstractum est pars concreti; ergo cum concretum, & abstractum fuerint metaphysici, abstractum verè prędicabitur de concreto. Prędicatio concreti de abstracto est indirecta, quia vt vidimus supra, cum totum prędicatur de parte, qualiter se habet concretum respectu abstracti, reddetur prædicatio indirecta.

501 Nota vniuersaliter, aliqua abstracta metaphysica deducta â concretis metaphysicis, vt *humanitas* ab homine, *cognitio á cognito*, *generitas â genere*, *albedo* ab albo, quia confunduntur cum abstractis physicis, non esse in vsu. Et cum abstracta physica de concretis physicis non prædicentur, hæ prædicationes in Christo Domino: *Christus est humanitas*: *Christus est personalitas*, à Concilijs, & PP. damnatæ sunt. At verò si vt abstracta metaphysica sumerentur, posse vere prædicari de Christo, sicut & de omnibus alijs concretis metaphysicis, non dubito.

TRACTATVS V.

DE PRÆDICAMENTIS.

1 PRædicamentum latinè, quod Græcè *cathegoria*, & vtrumque idem valet ac *series prædicatorum ab vno supremo genere vsque ad infimum individuum*: ab Aristot. & Phhilosophis in decem dividitur, quæ suo ordine sunt substantia, Quantitas: Qualitas, relatio, Actio, Passio, Vbi, Situs, Quando, Habere. Vtrum autem sint plura, vel debeant esse pauciera? Est quæstio purè de nomine. Iudico cum Arria. hanc diuisionem in pluribus peccare, ideoque rudi Minerva, & non logico rigore esse accipiendam; videatur omnino ipse Arria. d. 7. metaph. sect. 1. vbi ea veritate, qua solet, hanc, & alias quęstiones puré de nomine discurrit, dum ego vt vobis proponam arborem, quæ prædicamentalis dici solet, prædicatorum á supremo ad infimum descensum explico.

2 Supremum prædicatorum arboris prædicamentalis est substantia, quia ens vtpote transcendens ab ea arbore relegatum fuit per Aristot. In fimum est indiuiduum completum, Petrus v.g. A substantia fit descensus ad corpus, á corpore ad viuens, á viuente ad animal, ab animali ad hominem, ab homine ad indiuiduum. Hæc arbor tres continet lineas: In linea directa collocantur genera, & species, quę directè, & immediatè ab inferioribus participantur; vt incipiendo ab vltimo: *est Petrus, ergo homo: est homo; ergo animal: est animal, ergo viuens: est viuens, ergo corpus: est corpus, ergo substantia.*

3. In linea laterali dextera collocantur differentię, quæ rationem superiorem dividunt, quin includant; & rationem inferiorem, cui æquales sunt, constituunt; v.g. *rationale* ponitur ad latus dextrum animalis, quod dividit, & non includit, & ad latus superius hominis, cui est ęquale, quemque constituit.

4. In linea laterali sinistra ponuntur differentiæ diuisivæ rationis superioris & nullo modo constitutivæ speciei inferioris, sed potius illi repugnantes. Quiescite ramos eius oculis lustrantes.

5. Conditiones, vt res in praedicamento collocentur, his carminibus comprehenduntur:

Vox vna, & simplex, proprijsque accommoda rebus,
Entia per se, finita, realia tota.

6. Prima conditio, quod sit vox *vna* in significato, ideòque æquivoca, & analoga excluduntur á prædicamento.

7. Secunda Quod sit *simplex*. Vnde integra definitio, quæ per duos terminos traditur, in prædicamento non collocatur.

8 Tertia. Quod sit *proprijs accommoda rebus*, hoc est, quod habeat congruum significādi modum. Hinc aliqui asserunt, accidentia in abstracto, non in concreto poni, in prædicamento, v.g. albedo, non album; è contra substantiæ in concreto, non verò in abstracto in prædicamento collocari, v.g homo, non humanitas; sed hoc vltimum falsum est, nam cum abstracta substantiæ possint de abstractis directè prædicari, cur á prædicamento relegantur? Alij è contra asserunt, accidentia non in abstracto, sed in concreto collocanda, v.g album, non albedo, quod etiam falsum est. Nam album non est qualitas, sed albedo; ergo albedo collocanda est in prædicamento qualitatis, immò & album etiam poterit collocari, etiam si sit accidentale concretum. Quod iam probo.

9. Quarta conclusio. Quod sit *ens per se*, hoc est, quod non sit ens per accidens. Hinc excluduntur á prędicamento *exercitus, Respublica*, &c. Iudico cum P. Lynz. Entia per accidens metaphysicè sumpta, vt constantia scilicet genere, & differentia posse in prædicamento collocari, quia metaphysicè accepta sunt entia per se. Si enim habitus, qui est ens ex homine, & veste resultans ponitur iuxta Arist. in prædicamento, & numeros iuxta *D.* Thomam, cur accidens in prędicamento collocandum non erit?

10. Quintò. Quod sit *finita*. Vnde Deus, & prędicata Diuina â prędicamento expunguntur. Hæc conditio est penitus arbitrariè á Philosophis posita. Nam cum Deus sit propriè substantia, de eoque, & de homine vniuocè ratio substantiæ prædicetur, ponendus erat in tali prædicamento. Ita Hurt. Linz. & communiter.

11. Sexta. Quod sint *realia*. Vnde entia negatiua, & rationis non ponuntur in prædicamento. Hæc item conditio est omninò arbitraria, cum entia negativa, sicut & positiva prædicabilibus, & prædicationibus subiaceat.

12. Septima conditio *Tota*, id est, quod res ponibilis in prædicamento sit ens

ens completum, quod complementum iuxta vulgarem intelligentiam accipiendum est de compleméto metaphysico per genus,& differentiam, aliás á prædicamento excluderentur materia, forma,& vnio,quæ dicuntur entia physicê incompleta, vtpotè ad componendum cum alio ordinata. His prænotatis,fit

DISPUTATIO I.

DE SVBSTANTIA PRIMO PRÆdicamento.

13. SVbstantia primò vsurpari potest pro essentia cuiusque rei,& sic etiam accidens erit substantia, sed hæc est latissima substantiæ vsurpatio 2. Pro eo quod sub est accidentibus,in quo sensu *Deum* non esse substantiam,tenet August.lib.7.de Trinit. cap. 5. 3. Pro eo quod subsistit, seu per se sistit, & non in alio, & hæc est propria substantia. Difficultas stat in explicanda ratione propria substantiæ prout ab accidenti distincta; cur scilicet forma materialis equina v.g.sit substantia,& non sit substantia calor?

SECTIO I.

DEFINITVR SVBSTANTIA.

14 Ratio dubitandi est, quia ab antiquioribus substãtia dicitur:*ens per se*,& accidens:*ens in alio*,cum autem forma materialis videatur tam esse in alio, quam calor, cum tam dependeat á materia prima, quam calor á substantia ignis, videtur tam esse accidens, quam calor. Item actio creatiua, qua accidentia Eucharistica extra subiectum conservantur, tam essentialiter non existit in alio, quam materia prima, videtur tam substantia, quám ipsá materia. Cur autem calor erit accidens, & forma materialis substantia? Cur item materia prima erit substantia, & actio creatiua accidentium Eucharisticorum accidens; hic opus, & labor est è difficilioribus totius philosophiæ inquit Arriaga noster.

15 Prima Thomistarum sententia ita substantiam definit: substantia est, *quæ subiecto non inhæret*; & ita accidens: Accidens est, *quod inhære subiecto.* Falsissima prima, nam forma materialis est substantia, & inhæret materiæ. Item actio productiua accidentium Eucharistorum est accidens, & nulli subiecto inhæret.

16 Secunda sententia tenet, substantiam esse, *quæ accidentibus substat.* Nimis displicet, quia Deus est substantia, & nulli substat accidenti. secundo, quia quodlibet aceidens substat proprié durationi, & vbicationi, alijsque proprijs accidentibus, & non ideò est substantia.

17 Tertia ita definit: substantia est *ens exigens existentiam absolutam, & independentem á subiecto*, seu subsistentiam. Hanc esse omnium Thomistarum mentem, asserit M. Linz. 3. p. lib. 3. quæst. 2. art. 4: Displicet, quia forma materialis licet exigat existentiam, & subsistentiam, non tamen illam exigit idependentem á subiecto, nempé á materia.

18 Ideò alij RR. cum P. Alph. secuti inter nostrates sapientiss. P. Didacum deEguilus meum in theol. Magistrum, huiusce Provinciæ, dum hæc scribo, dignissimum Provincialem. ablata illa particula, ita definiunt substantiam: *Est ens exigens subsistentiam.*

19 Vehementer displicent. Nam subsistentia est substantia, & tamen se ipsam exigere repugnat, omnis namque exigentia, cum sit relatio transcendentalis, est ad aliud. Nec valet distinguere in subsistentia duplicem formalitatem, vnam substantiæ, & aliam subsistentiæ, nam omnis propria obiectiua exigentia realem distinctionem requirit inter exigens,& exactum. Ratio est, quia talis exigentia vel est in ipso obiecto, vel non est, & ponitur ab actu intellectus concipiente illud? Si est in ipso obiecto? Ergo est physica, & realis exigens distinctionem realem. Si non est in obiecto, & ponitur ab actu? Ergo fingitur ab ipso. Quomodo ergo per exigentiam fictam definiri poterit entitas realis?

20 Si tamen dicas; talem exigentiam neque esse exparte obiecti, neque fingi ab actu, sed obiectum concipi ad instar exigentis, contra. Ergo talis conceptus exigentis in definitione positus non est vniuocus. Patet conseq. Ab exigentia reali, & propria, & ab exigentia impropria, & secundum dici nequit abstrahi conceptus vniuocus, sicut à relatione transcendentali, & prædicamentali impropria nequit præscindi conceptus vniuocus relationis, nec ab indifferentia propria materiæ primæ ad formas, & indifferentia impropria generis ad differentias vnus conceptus vniuocus indifferentiæ; sed exigentia materiæ v.g. ad substantiam est propria, & ex gentia subsitentiæ ad se ipsam impropria, & secundum dici; ergo.

21 Alias definitiones impugnatas vide apud Arria. disp. 4. metaph. sect. 2. 3. & 4. Ego vero iudico, Arriagam ipsum ita definientem:substantia est *quidquid intrinsecé constituit primam rem*, Hurt.& Compt. ita: substantia est,quod *propter se intenditur á natura, & non propter aliquid adæquaté distinctum*, aliquos RR. ita: *ens subsistens*, alios *ens essentiale supposito* in idem coincidere,nam vt se explicent, semper ad subsistentiam recurrunt.

22. Sed vt vites aliquam, licet non maximi momenti difficultatem, quæ, contra hos præcipuè RR. fieri solet desumptam ab ipsa subsistentia,& supposito,quę substantiæ sunt, & nec subsistentia vocari solet subsistens, sicut nec albedo alba,nec actio agens, sed solum, addito termino *vt quo*, nec suppositum, videtur congruè posse appellari essentiale supposito, quia cum dicitur aliquid alicui essentiale, aliquomodo ab illo distinguitur;vt autem has vites difficultates, eis tamen definitionibus adiutus,ita definitionem efforma cum P.Pein.tract.5.de predicatam d.2.sect. 1.n.6.

23. Substantia est: *Ens non distinctum adæquaté á supposito.* Unde accidens erit:*Ens distinctum adæquaté á supposito.* Bonitas definitionis constat, eo quod constet ratione communi, & ita se habet ly *ens*,& differentiali;ita se habent reliquæ particulæ. Item ex eo, quod conveniat omni,& soli definito. Quod conveniat omni, inductione facta, constabit:convenit Deo, Angelis, & hominibus,qui omnes cum suppositum sint,

sint, á supposito non distinguuntur. Convenit materiæ primæ, & formis substantialibus, item modis substantialibus, nempè vnioni, & ipsi subsistentiæ, quæ omnia cum essentialiter constituant suppositum, non distinguuntur adæquatê á supposito. Quod nulli á definito conveniat, constat ex eo quod omne accidens est extra essentiam suppositi, quia neque suppositum est, nec pars essentialis suppositi.

24. Obj. 1. Prędicta definitio non est recta, cum tradat substantiam per ordinem ad suppositum æque, immò & magis ignotum, quam ipsa substantia; antiqui enim substantiam cognoverunt, incognita subsistentia, quam per mysterium incarnationis cognovimus.

25. Resp. Quod licet suppositum absoluté sit minus notum quam substantia, immò ab antiquis Philosophis omnino ignotum; ast cum ex fide nobis subsistentia, & consequenter suppositum innotescat, saltem confusè clariorem notitiam habemus suppositi, quam substantiæ, quod sufficit, vt in ordine ad illud definiatur, sicut creatura in ordine ad Deum.

26. Obj. 2. Humanitas Christi est substantia, sed distinguitur adæquatè á supposito tum Verbi, á quo realiter separari potuit, tum á supposito humano, á quo realiter separata mansit; ergo.

27. Resp. Certum est, Humanitatem adæquatè distingui á subsistentia tum Divina, tum humana, non tamen distingui adequatè á supposito, quod de facto constituit, cum æquè ac ipsa subsistentia Divina componat hoc suppositum *Christus*. Etsi cum subsistentia humana coniungeretur, constitueret suppositum humanum. Item ex argumento solum infertur, humanitatem distingui adæquatê á subsistentia, non á supposito.

28. Obj. 3. Definitio substantiæ tradita fuit ab Aristot. & antiquis Philosophis, sed hi ignorarunt subsistentiam; ergo non benè traditur in ordine ad subsistentiam. Resp. Philosophos antiquos ignorata subsistentia non rectè, sed nimis confusè definire substantiam. Ideòque in hoc illucescente fide, opera tenebrarum abijcimus.

29. Obj. 4. Per negationem à nobis tradi substantiam; ergo non rectè. Resp. Tradi per negationem secundum dici, sicut traditur aseitas Dei, irrationale, & alia pleraque.

30. Obj. 5. Cur calor dicendus est adæquatè distinctus á supposito, non verò subsistentia? Resp. Hoc dependere ex prima hominum apprehensione, vt indubitatum affirmaciu, suppositum essentialiter resultare ex natura, & subsistentia, non verò ex natura, & calore, sicut ex prima hominum apprehensione colligitur, ignem resultare ex materia, & forma ignis, non verò ex materia & calore.

SECTIO II.

DE DIVISIONE ET PROPRIETATIBUS substantiæ.

31. SVbstantia 1. dividitur in completam, & in incompletam. Incompleta est materia, forma, & vnio secundum se. Completa totum compositum ex eis resultans. Hæc (notat Arria.) non est recta divisio, cùm vnum membrum dividens includatur in alio, nempè substantia incompleta in substantia completa. Item compositum ex materia, forma & vnione substantia incompleta apellari poterit, nam ideò materia est substantia incompleta, quia ordinatur ad componendum compositum cum forma; sed etiam compositum ordinatur ad componendum suppositum cum subsistentia; ergo.

32. Secundò. Dividi solet in substantiam primam, & secundam, quod idem est ac in vniuersalem, & particularem, substantia prima est individuum particulare, vt *Petrus*. Substantia secunda, natura vniversalis, vt *animal*. Hæc item divisio est quasi subiecti in accidentia.

33. Tertiò. Dividitur in creatam, & in increatam, materialem, & spiritualem, vivens, & non viuens, & sic vsque ad individuum.

34. Plures proprietates attribuit Aristot. substantiæ, quæ re ipsa proprietatum nomen, & munus non ad implent. 1. Quod careat subiecto. Hæc non competit substantiæ incompletæ, formæ materiali v. g. Item competit creationi accidentium Eucharisticorum, quę est accidens, ad summum enim competit substantiæ completę, contrarium assentientibus aliquibus cum Gabriele. 2. Quod substet accidentibus. Hæc non competit *Deo*. 3. Quod sit vniuoca respectu inferiorum. Hęc solum competit substantię vniuersali, quę solum habet inferiora. Item etiam competit accidenti vniversali, quod fuerit vniuocum.

35. Quartò. Quod non accipiat magis, & minus. Hæc competit substantiæ; vna enim substantia in prædicato substantiali non accipit intentionem, nec diminutionem; sic Petrus nequit esse magis, minusve homo, quã Paulus. 5. Quod careat contrario. Hæc competit accidenti, nempe luci, quæ caret contrario, solum namque per privationes destruitur, sicut etiam substantiæ per privationes reijciuntur 6. Quod sit incommunicabilis. Hæc etiam competit cuicunque individuo etiam accidentali.

(o)

DISPUTATIO II.

DE QVANTITATE SECVNDO Prædicamento.

SECTIO I.

AN QVANTITAS DISTINGVAtur á re quanta?

36. PRima sententia affirmat. Ita Thomist. & Scotist. immò fere omnes nostri cum Exim. *Doct.* Vasq. Ovied. Alphons. Peyn. tract. 5. de prædicam. sect. 2. & alijs, licet plures (ipsis testantibus) magis authoritate, quã ratione ducti: ita expresse Oved. & Compt.

37. Secunda sententia indistinctam esse quantitatem tenet. Ita Nominal. Ex nostris P. Lessius. P. Bernal. d. 38. de Euchar. sect. 2. n. 3. P. Lynz. lib. 3. tract. 4. c. 3. n. 11. P. Arriag. d. 6. metaphy. sect. 1. subsect. 5. á n. 74.

38. Dico. Quantitas non distinguitur á re quanta. Prob. 1. Non sunt multiplicandę entitates sine vrgenti necessitate; sed nulla datur vrgens necessitas, vt distincta quantitate á re quanta multiplicetur talis entitas; ergo hæc á re quanta non distinguitur. Mai. est principium, quo ad plura probanda vtuntur ipsi adversarij. Minor constabit ex solutione argumentorum. Conseq. patet.

39 Prob. 2. Quoties identificatur cum aliquo subiecto aliquis effectus formalis, forma, á qua talis effectus

tus prouenit cum ſubiecto illo identi-
ficari debet;ſed effectus formalis quan-
titatis identificatur cum qual.bet re
quanta , ergo & quantitas. Mai.conſ-
tat in Deo , cui quia conuenit per
identitatem effectus formalis intelli.
gentis , amantis , & c. Amor , & in-
tellectio , quæ ſunt formæ talium ef-
fectuum , illi per identitatem conue-
niunt. & ratio á pieri eſt , quia cum
effectus formalis includat formam,
neceſſum eſt , vt ei , quo cum effectus
formalis identificatur , forma vtique
identificetur. Min. prob. Effectus
formalis quantitatis eſt reddere ſub-
iectum inpenetrabile per meram co-
exiſtentiam in loco cum alio ente quan
to ; ergo cum quolibet identificabitur
quantitas. Prob. antec. Rem eſſe im-
penetrabilem cum alio ente quanto
& c. nil aliud eſt , quam rem eſſe
materialem , & corpoream ; ſed rem
eſſe materialem , & corpoream per
edentitatem conuenit cuilibet enti-
quanto ; ergo.

40 Di es. Quodlibet ens quan-
tum , eo quod ſit materiale , eſſe ra-
dicaliter impenetrabile , reddi tamen
formaliter impenetrabile per quanti-
tatem realiter ſuperadditam.

41 Fateor , hanc doctrinam de
impenetrabilitate radicali ita mihi
ſemper odibilem fuiſſe , vt ne in libris
de Anima in eam cogar incidere, quan-
titatem á re quanta indiſtinctam de-
fendere ſtatui , tunc latius in eam
gladium ſtringam. Nunc brevius con-
tra 1. Quodlibet ens quantum ſe ipſo
independenter à quantitate ſupperad-
dita eſt ita propriè impenetrabile , vt
quantitate ablata , nequeat naturali-
ter cum alio penetrari ; ergo ſe ipſo,
& independenter á quantitate eſt for-
maliter impenetrabile. Confirm. In
ſententia adverſariorum contra Tho-
miſtas non datur relatio ſimilitudinis
ſuperaddita duobus albis v. g. quia
poſitis præciſè duobus albis , ablato
quocunque ſuperaddito , impercepti-
bile eſt,quod dentur ſolú fundamenta-
liter , ſeu radicaliter ſimilia , & non
formaliter talia ; ergo imperceptibile
quoque erit , quod duo entia quanta
repugnent in eodem loco coexiſtere,
ab eo ſe expellant , nequeant etiam
penetrari , & quod ſolum ſint radica-
liter , & non formaliter impenetrabi-
lia.

42 Contra 2. Quodlibet ens
quantum ablata quantitate eſt forma-
liter corporeum , & materiale , ergo
& formaliter impenetrabile. Patet.Eo
modo , quo alicui enti conuenit eſſe
definitum alicuius definitionis , con-
venit illi , definitio talis definiti : ſic
homini picto impropr ê convenit de-
finitio hominis , quia eſt improprie
homo , & homini verô conuenit pro-
prie , quia eſt proprium definitum ta-
lis definitionis ; ſed definitio entis cor-
porei eſt eſſe impenetrabile ; ergo cui
competit eſſe formaliter ens corporeũ,
eſſe formaliter impenetrabile conue-
nire debet. Confirm. Non minus de-
finitur res ſpiritualis per eſſe penetra-
bilem,quam res materialis per eſſe im-
penetrabilem ; ſed quælibet res ſpiri-
tualis ſe ipſa independenter ab vllo
ſuperaddito eſt penetrabilis formaliter;
ergo quælibet res materialis ſe ipſa, &
independenter ab vllo ſuperaddito
erit impenetrabilis formaliter.

43 Nota contra P. Arria. ſupra
num. 35. non ſolum eſſe poſſibilem,
& de facto exiſtere rem materialem ſe
ipſa , & independenter á quantitate
realiter ſuperaddita formaliter impe-
netrabilem , verum neque eſſe poſſi-
bilem , ſed eſſentialiter repugnare
remmaterialem , quę reddatur for-
maliter impenetrabilis per aliquid ſi-
bi realiter ſuperadditum; talis enim
entitas eſſet materialis, vt ſupponitur,
& non eſſet materialis , quia illi eſſen-
tia

tia rei materialis, nempe impenetrabi-
litas non conveniret.

44 Obj. 1. Quantitas ſeparatur
á re quanta;ſed ſeparatio arguit diſtin-
ctionem,ergo quantitas diſtinguitur á
re quanta. Prob.mai. Deſtructa ſubſ-
tantia panis in Sacramento Euchariſ-
tiæ,manet eadem quantitas , quæ erat
antea , ſi quidem manent accidentia
cum eadem impenetrabilitate , & ex-
tenſione partium ac antea;ergo.

45. Huic argumento facillimè
reſp.neg.mai. Ad probat. diſt. antec.
Manet eadem quantitas ſubſtantialis,
nego;accidentalis,concedo.Cum quo-
libet ente quanto ſicut identificatur
propria ratio corporei, materialis , &
impenetrabilis,ita identificatur propria
quantitas ; vnde deſtructa ſubſtantia
panis , deſtruitur quantitas ſubſtnntiæ
panis,non verò deſtruuntur quantita-
tes accidentales accidentium , quæ re-
manent;quid ergo mirum, quod eadem
impenetrabilitas,& eadem extenſio ac-
tualis partium remaneat,ſi remanet ea-
dem accidentalis quantitas?

46. Replic.1.Accidentia illa non
ſunt formaliter impenetrabilia ex ſe;
ergo neque formaliter quanta. Prob.
antec. Tum quia ipſa inter ſe penetra-
ta ſunt, tum quia ante myſterium na-
turaliter cum ſubſtantia panis pene-
trabantur ; ergo etiam poſt myſterium
poterunt naturaliter cum alia ſubſtan-
tia penetrari,niſi remaneat aliqua quã-
titas realiter ipſis ſuperaddita, qua im-
penetrabilia reddantur.

47. Reſp.Neg.antec.quoad 1.pro-
bat. Miror equidem á viris aliás defen-
dentibus,ea accidentia reddi formali-
ter impenetrabilia per quantitatem,ta-
lem fieri obiectionem. Si ex eo, quod
ſint inter ſe penetrata poſt myſterium,
arguis non eſſe impenetrabilia ex ſe;
cum ergo etiam ante myſterium ſint
inter ſe penetrata , tenore conſequen-
tiæ infertur,neque ex ſe, neque ex alio
reddi impenetrabilia ante myſterium:
Vel reſpondeant , quomodo cum ſint
ante myſterium formaliter impenetra-
bilia , per quantitatem ſuperadditam
de facto penetrantur , & idem ego ad
penetrationem poſt myſterium reſpon-
deam.

48. Ad vtramque enim probatio-
nem primi antecedentis,reſp. Ea acci-
dentia naturaliter penetrari inter ſè
poſt myſterium,& ante illud inter ſe,&
etiam cum ſubſtantia panis, hoc tamen
non opponi impenetrabilitati conſtitu-
tivæ rei formaliter corporeæ, & quan-
tæ , nam hęc penetratio accidentium
inter ſe,& cum ſubſtantia eſt penetra-
tio per compoſitionem , non vero per
meram coexiſtentiam in loco, impene-
trabilitas verò conſtitutiva corporis,
quanti eſt impenetrabilitas per meram
coexiſtentiam in eodem loco, cui non
opponitur penetratio per compoſitio-
nem,ſed penetratio per meram coexiſ-
tentiam.Ex quo inferes,quodlicet ante
myſterium illa accidentia eſſent natu-
raliter cum ſubſtantia panis per com-
poſitionem penetrata , non tamen po-
terunt poſt myſterium cum qualibet
alia ſubſtantia per meram coexiſten-
tiam penetrari.Fateor,ablata ſubſtan-
tia panis,naturaliter deſtruenda eſſe ac-
cidentia. Vnde quod remaneant , &
componantur ſine ſubiecto communi,
miraculum eſt neceſſarium ad opulen-
dum myſterium Euchariſtię.

49. Replic.2.ex P.Peyn. Quanti-
tas identificata cum accidentibus , vel
convenit vniuocé cum quantitate iden
tificata cum ſubſtantia,vel non niſi ſo-
lum æquivocê,& metaphyſicè ? Si pri-
mum ? Ergo duæ quantitates eiuſdem
rationis penetrantur naturaliter in
ſubſtantia , nempê quantitas ſubſtan-
tiæ , & quantitas accidentium ; ergo &
poterit quævis ſubſtantia completa
cum alia naturaliter penetrari , quæ
enim poteſt eſſe diſparitatis ratio ? Si

ſecundum. Ergo cum accidentia ſeparata non ſolum metaphoricé, ſed propriè,& ſimpliciter maneant impenetrabilia,hoc erit ratione alicuius quantitatis illis realiter ſupperadditæ.

50 Reſp. Uniuocè conuenire quantitatem ſubſtantię cum quantitate accidentium, vnde non ſolum duę, ſed plures quantitates partiales tot, quot fuerint accidentia,penetrantur in ſubſtantia, nam eodem modo ac non repugnat,quod penetrentur cum ſubſtantia, & inter ſe plures res formaliter materiales, & corporeæ, ideòque in eſſe materialium, & corporearum vniuocè conuenientes, ita non eſt in eo, quod plures formaliter quãtæ, ideoque in eſſe quantitatis vniuocè conuenientes penetrentur. Non tamen ex eo infertur, ſubſtantiam completam, hoc eſt, non ordinatam ad componendum, nec componentem cum alia, poſſe cum ea penetrari. Et hęc eſt ratio diſparitatis. Nam illæ quantitates partiales componerent cum ſubſtantia, ideòque cum ea, & inter ſe penetrarentur naturaliter; at ſubſtantia completa vt talis cum alia non componit, ideoque cum ea penetrari naturaliter repugnat; ſicut licet forma materialis penetretur naturaliter cum materia, quacum componit compoſitum, repugnat tamen penetrari cum alia, quacum non componit.

51 Replic. 3. Sicut non ſunt multiplicandæ entitates ſine vrgenti neceſſitate, ita nec ſunt multiplicanda miracula; ſed ſi quantitas non diſtinguatur à re quanta,plura miracula multiplicarentur, quæ vitari poſſents ſi diſtingueretur; ergo. Primum miraculum; eſſent illa accidentia violenta, & quaſi ſcopa diſperſa ſine quantitate, in qua tamquam in communi ſubiecto reciperentur. 2. miraculum. Si ignis approximaretur ſpeciebus illis, in eis produceret calorẽ, ſed nõ ex præſuppoſito ſubiecto,quod non eſſet; ergo produceret illum per creationem, qui modus producendi iuxta S. Thom. ad huc diuinitus creaturæ repugnat. 3. miraculum. Talis calor productus miraculosè etiam penetraretur cum illis ſpeciebus, nulla enim tunc eſſet compoſitio, cum nullum daretur commune ſubiectum, quocum componerent accidentia.

52 Reſp. Quod cum in Sacramento Euchariſtię *Deus* theſauros ſuę *Diuinitatis* velut effuderit, in eo memoriam ſuorum mirabilium faciẽs miſericors, & miſerator *Dominus*, non eſt cur multitudinem miraculorum minuamus, cum aliunde ratio noſtræ concluſionis conuincat, ea omnia neceſſaria eſſe ex ſuppoſitione primi, & maioris omnium miraculorum, conuerſionis ſcilicet panis in Chriſti Corpus. Item Rub. & Thomiſt. cum S. Thom. pluresque aduerſarij, qui tenent, quantitatem non eſſe ſubiectum accidentium, ſed ea omnia in ſubſtantia panis ſubiectari, hæc tria miracula admittere tenentur.

53 Ad 1. miraculum, illud conc. & aduerſarij illud in quantitate concedere tenentur, quæ manet ſine ſubſtantia, nempe ſubſtantia panis, quæ deficit per conſecrationem; ergo hoc miraculum aduerſarij non vitant. Ad 2. etiam admitte, productionem caloris per creationem ab igne approximato, & nega, productionem per creationem repugnare potentiæ obedientali creaturæ, vel ſi repugnat,dic; Deum ad pręſentiam ignis ſe ſolo calorem creare, vt myſterium fidei oculis, & petitioni humanæ occultet. Ad 3. concedo, calorem illum tunc penetrari miraculosè, ſed hoc, ſicut & alia miracula concedere ratio,& neceſſitas rationis naturalis cõcedere cogit.

Replic.

54 Replic. 4. *Dum* corrumpuntur accidentia Euchariſtica, corrumpuntur naturaliter ad exigentiam accidentium contrariorũ, aliás miraculum foret, hoſtiam conſecratam in fidelium ſtomacho corrumpi; ſed pugna naturalis duarum formarum eſt propter commune aliquod ſubiectum, quod vna afficit, & alia intendit afficere;ergo accidentia hæc alicui communi ſubiecto inſunt, non ſubſtantiæ prius, vt certum eſt de fide, ergo quantitati deſtructa ſubſtantia remanenti, & conſequenter ab ea realiter diſtinctę.

55 Reſp. Ea accidentia naturaliter corrumpi poſitis contrarijs accidentibus non ad horum exigentiam; ſed ceſſatione miraculi, quo accidentia Euchariſtica conſervabantur ſine ſubiecto. Quod autem productis contrarijs accidentibus,ceſſet Deus in conſervatione miraculoſa facit occultationis gratia myſterij fidei, & augmentationis meriti noſtri in credendo, eodem namque modo ſe haberent illa accidentia, ac ſi in eodem loco, in quo eſſet anima cum peccato *Deus* gratiam produceret ſine vlla vnione cum anima, tunc enim ſi expelleretur peccatum non eſſet ad exigentiam gratiæ, quæ ſine vnione ad idem ſubiectum non exercetur.

56 Obj. 3. Eſſentia materię primæ eſt primum ſubiectum ſuſceptivũ formarum, & eſſentia formæ eſt actuare materiam, ſed in his conceptibus nulla fit mentio impenetrabilitatis; ergo hęc non eſt de eſſentia materię, & formæ, ſed accidens ipſis ſuperadditum.

57 Reſp. Ex argumento ſolum inferri impenetrabilitatem non eſſe de eſſentia metaphyſica materię, & formæ, non verò non eſſe de eſſentia phyſica, ſeu non identificari realiter cum materia, & forma, ſolum enim exprimuntur in definitione metaphyſica rei prędicata eſſentiæ metaphyſicæ ipſius, ſicut in definitione hominis riſibile, & admirativum non exprimuntur, quia non ſunt de eſſentia metaphyſica hominis, realiter tamen cum homine identificantur. Alias contra ipſos aduerſarios nec exigentia quantitatis, & vbicationis eſſent realiter idem cum materia, & forma, cum in harum definitione nil de tali exigentia ſonet.

58 Obj. 4. Quantitas eſt ſenſibilis; ſed omne ſenſibile eſt accidens; ergo quantitas eſt accidens. Reſp. Neg. antec. Nam obiectum tactus non eſt ipſa quantitas, ſed primæ qualitates, & impulſus, qui à quantitate ſolent provenire. Vnde ſi aliquod ens ſpirituale, Angelus v.g. te impellat, vel tibi reſiſtat, impulſum percipis, & in Angelo non datur quantitas, quam percipias.

59 Obj 5. Omni ſubſtantiæ creatæ concedenda eſt alicuius proprietatis, qua perficiatur productio; ſed materiæ primæ v.g. nullius proprietatis, niſi quantitatis productio concedi poteſt; ergo. Prob. min. Si præter quantitatem alia eſſet proprietas, quam produceret, eſſet vbicatio, ſed hanc non producit, cum non à ſe, ſed á forma, del alio extrinſeco ſeco moueatur; ergo.

60 Reſp. Materiam primam non producere quantitatem ſecum identificatam, producere tamen vbicationem, non enim eſt vlla ratio cur virtus productiua propriæ vbicationis illi auferamus, dicamus que ab alio moueri, vt ſuam vbicationem non producat. Si tamen hanc non producát, dic, materiam primam non habere virtutem productivam vllius proprietatis eam intrinsecè perficientis, cum nequeas ad quantitatem recurrere ob rationem noſtræ probationis, &

in

in tali negatione non neges vllum mysterium.

61 Obj. 6. SS. August. & Thom. dicentes, longitudinem, magnitudinem, & extensionem distingui á re longa, magna, & extensa; ergo distinguunt quantitatem á re quanta. Resp. Hos Sanctos locutos fuisse de formalia accidentali dimensione orta ab accidentalibus vbicationibus loci, non verò de radicali quantitate, seu radice talium dimensionum.

SECTIO II.

QVINAM SIT EFFECTVS FORmalis quantitatis?

62. DIco 1. Effectus formalis quãtitatis non est tribuere materiæ partes divisibiles actu entitativè distinctas. Est contra Sonsi. Capreol. Ioann. á S. Thom. & cursum Carmelitar. aliosque antiquiores Thomistas relatos á P. Suar. d. 40. metaph. Conclusioni favent Moderniores cum Magistris Prado, & Lyz.

63. Prob. conclusio 1. Partes materię, dum quantitate gaudent, sunt actu entitativè distinctæ; ergo si ab illis quantitas auferretur, manerent actu entitativè distinctæ. Patet conseq. Ea, quæ semel distinguntur, semper, & vbique distinguntur, & ea, quæ semel identificantur, semper, & pro semper identificantur, & è contra, vt lumine naturę certum est; ergo si partes materiæ semel distinguntur, dum quantitatem habent, ea carentes distingui necesse est; sed per vos ea carere potest, cum realiter distinguantur quantitas, & materia; ergo.

64. Confirm. Ea ratione, qua aliquid ens est vnum, cum vnitas sit attributum entis; sed nil potest ab aliquo accidenti superaddito reddi ens; ergo nec distinctum ab alio, cum idem sit esse vnum ac esse distinctum.

65. Prob. 2. Separatio realis est signum distinctionis realis, ideoque iuxta ipsos Thomistas realiter distinguitur quantitas á re quanta, quia iuxta ipsos realiter separantur in Eucharistia; sed partes materiæ possunt realiter esse separatæ sine quantitate; ergo & realiter distingui. Prob. min. Si pręscinderetur brachium hominis á corpore, tunc partes materiæ illius hominis essent separatæ, auferat Deus tunc ab illis quantitatem, nonne manebunt separatæ? Certe. Ergo & manebunt sine quantitate distinctæ.

66. Dico 2. Effectus formalis quantitatis non est reddere partes extensas, ita vt vna non sit intra, sed extra aliam. Est contra Thomist. & Scotistas aliquos allegantes pro se S. Thomam. & Scotum. Probatur 1. Habere partes extensas convenit rei spirituali carenti quantitate, nempè vbicationi Angelicæ; potest enim Angelus totum hoc gymnasium occupare; tunc enim eius vbicatio haberet vnam partem extra aliam; ergo habere partes extensas non est effectus formalis quantitatis. Confirm. Si Deus materię primæ auferret quantitatem permanente eadem vbicatione, quam nunc habet, haberet vtique eandem extensionem, partes scilicet extra partes, quam nunc habet, & non haberet quantitatem; ergo hæc extensio non est effectus formalis quãtitatis.

67. Si dicas 1. Cum aliquibus Thomistis, Materiam tunc nullibi fore? Contra 1 Quia quod existit, alicubi existit; sed materia sine quantitate existit, ergo alicubi. Contra 2. Quia vbicatio á quantitate non dependet, sic Deus & Angeli de facto sine quantitate vbicantur; ergo poterit eadem vbicatio materiæ ablata quantitate permanere.

68. Si dicas 2. Cum alijs, tunc materiam in punctum indivisibile confluere ablata quantitate, præter quam quod omninò voluntarium dicis, respondeas. Si Deus vnico instanti suspenderet concursum conservativum quantitatis aquarium maris, rogo: Extrema gutta littoris nostri maris pacifici, & extrema gutta maris rubri v. g. manerent extensę, vnaque extra aliam, vel in eodem puncto indivisibili ruerent? Si primum? Habeo intentum. Si secundum? Incredibile dictu; & contra erit. Quia pars extrema nequit locum, quem occupat deserere, & alium de novo acquirere in instanti, sed per motum localem, qui á fortiori fit in tempore; ergo saltem illo temporis spatio, quo aquæ confluebant vsquedum in punctum pervenirent, erant extra se, & sine quantitate; sed nec per vnicum instans potest dari effectus formalis sine forma; ergo extensio partium non est effectus formalis quantitatis.

69 Dico 3. Effectus formalis quãtitatis non est reddere materiam mensurabilem. Est contra aliquos Thomistas. Probatur. Esse aliquid mensurabile est conceptus secundarius extensionis; solum enim, quod extenditur mensuratur; si enim extensio non est effectus formalis quantitatis, quanto minus mensuratio? Item reddito impossibili termino, quo possit mensurari materia, adhuc hæc maneret quanta; ergo mensurabilitas non est quantitatis effectus.

70. Dico 4. Effectus formalis primarius quantitatis est impenetrabilitas pro omni statu connaturali per meram coexistentiam in loco cum omni ente eiusdem rationis. Ita omnes fere nostri DD. Suar. Hurt. Conim. Arri. Compt. & Peyn. d. 3. sect. 1. Ex qua quantitatis definitione, ita quantum definies: *Ens impenetrabile pro omni statu connaturali per meram coexistentiam in loco cum omni ente eiusdem rationis.*

71. Hunc esse effectum formalem quantitatis constat. Tum ex reiectione aliarum sententiarũ, aliquem enim effectum formalem habet quantitas, non mensurabilitatem, extensionem partium, aut earum actualem distinctionem, vt iam probatum manet; ergo impenetrabilitatem: tum ex eo, quod impenetrabilitas sit, quod primario in quantitate sese nobis offert, cum omni corpori quanto conveniat, & enti non quanto competere nequeat.

72. Dicitur impenetrabilitas *pro omni statu connaturali*, quia res materialis miraculosè potest cum alia re materiali penetrari, & de facto penetratum fuit Corpus Christi Domini cum vtero virgineo, lapide sepulchri, ianiusque cænaculi. Dicitur: *Per meram coexistentiam*, nam penetrabilitas per compositionem inter se, vel cum vno tertio opponitur quantitati; sic materia, & forma materialis penetrantur dum compositum constituunt, albedo, & dulcedo in saccharo, quocum componunt album, & dulce, & gradus lucis in aëre, in quo intensionem constituunt. Dicitur: *Cum omni ente eiusdem rationis*, quia cum ente spirituali, quod non est eiusdem rationis, naturaliter penetrari potest res materialis.

73. Obj. 1. Pro prima sententia. Si materia prima haberet independenter à quantitate partes actu distinctas, daretur inter eas compositio, sed nulla datur compositio; ergo Prob. min. Talis compositio non est prima inter materiam, & formam, neque secunda inter subiectum, & accidens, neque tertia ex partibus integralibus, hæc enim est propria solius quantitatis; ergo nulla datur compositio. Resp. Illam compositionem esse substantialem integralem, inter partes scilicet substantiales media vnione substantiali: hæc enim compositio non solum quantitatis, sed etiam substantię divisibilis propria est.

Et in nostra sententia non distinguente quantitatem á re quanta, nullius roboris est argumentum.

74. Replic. Omnis compositio provenit ab aliquo actu partes distinguente; sed ante quantitatem materia prima nullum habet actum, cum sit pura potentia, ergo neque compositionem, & partes distinctas. Resp. Conc. mai. & neg. min. Ad eius subsumptam probationem, dico; materiam primam ante quantitatem non habere formam physicam nec substãtialẽ, nec accidẽtalem: vnde cõpositio præcedens non est physica cõpositio ex materia, & forma, habet tamen actum entitativum, & indiuidualem, ratione cuius vna materia non est alia, nec vna pars, nempè pars capitis est alia, nempe pars pedis, cum autem sint distinctæ, componunt integraliter media vnione substantiali continuatiua.

75 Replic. 2. Partes integrantes substantiæ constituuntur in esse partium per accidentia; ergo etiam constituuntur in esse distinctarum per quantitatem. Prob. antec. Nam manus, pedes, caput, &c. solum dicunt de materiali substantiam, & de formali talem, vel talem figuram accidentalem; ergo in esse partium per accidentia constituuntur. Resp. Substantiam capitis sumi dupliciter, vel in esse substantiæ, vel in esse substantiæ organizatę; substantia primò modo sumpta independenter á quantitate, aliquoque accidenti est distincta á substantia pedis: secundo modo sumpta, tam substantialiter, quam accidentaliter non est alia, substantialiter ratione sui, accidentaliter ratione quantitatis, aliorumque accidentium; inde non eadem integraliter, sed distincta illis organizationibus diuersis informatur.

76 Obj. 2. pro 2. sent. Situs, & coordinatio partium interse, qua vna est caput, & alia manus cum ordine vnius ad aliud est accidentalis substantię, proueniensque illi á quantitate; sed vnam partem esse caput, aliam pedes, & c. est esse vnam partem extra aliam; ergo esse vnam partem extra aliam, seu extensio materiæ est ipsi accidentalis, & effectus primarius quantitatis.

77 Resp. Habere vnam partem extra aliam nequit esse effectus formalis quantitatis, cum vbicationi Angelicæ spirituali conuenire possit, vt vidimus supra; sed hoc potius ab vbicationibus provenit. Item vnam partem esse caput, & aliam pedes, & c. præstatur ab alijs qualitatibus, & organizationibus: vnde si hæ permanerent, & auferretur quantitas materiæ, maneret caput, pedes, & reliquę corporis partes eodem modo. Insuper falsum est, quod sit idem, vnam partem esse caput, & aliam pedes, ac habere partem extra partem; nam in toto homogeneo datur pars extra partem, nempe pars aquæ, & ignis extra partem aquæ, & ignis, quin vna sit caput, alia pedes, habeat vê vllas organizationes diuersas. Hinc inferes, quod si situs, & coordinatio partium substantiæ accipiatur pro eodem ac habere partes extra partes non est accidentale, sed identificatur cum partibus substantiæ corporeæ; quælibet enim pars corporea ex se, & ratione sui est impenetrabilis cum alia, vnde est extra aliã ratione sui; si verò sumatur pro eodem ac vnam partem esset caput, aliam verò pedes, est ipsi accidentale, cum proueniat non à quanrite, sed ab organizationibus, & qualitatibus extrinsecis.

78 Obj. 3. Si *Deus* tolleret á substantia corporea quantitatem, partes substantiæ confusę, & sine vllo ordine inter se, & cum toto maneret; ergo iste ordo partium extra partes á quan-

quantitate prouenit.

79 Resp. Admisso casu, tunc maneret substantia corporea cum eis vbicationibus, & præsentialitatibus diuisibilibus correspontibus toti, & singulis loci spatijs, quas antea habebat sub quantitate. Ita Ovied. contr. 5. metaph. punct. 2. & Compt. d. 9. sect. 4. Quidquid sit, an manerent illę partes potentes resistere alteri corpori ratione impenetrabilitatis radicalis, vt tenent plures, vel impotentes ad talem resistentiam, vt aliqui tenent. In nostris tamen principijs nullam vim argumentum habet.

80 Obj. 4. contra 4. conclusionem. Impenetrabilitas est prædicatum negativum; ergo quantitas positiua male per ipsam definitur. Resp. Impenetrabilitatem esse prędicatum negativum secundum dici sicut, irrationale, aseitas, insensibile, &c.

81 Obj. 5. Dum explicamus quantitatem per impenetrabilitatem cum alio eiusdem rationis, idem per idem explicamus, nempè quantitatem per quantitatem; ergo irrecta est explicatio. Resp. Idem per idem sub clariori expressione est recta explicatio, & definitio: Sic animal rationale est idem homo, qui explicatur; sed quia clariori expressione per vocem animal rationale, quam per vocem homo, tale ens cognoscitur, rectè per animal rationale explicatur. Sic se habet quantitatis explicatio.

82 Replic. Cum in definitione quanti dicitur: impenetrabile cum alio, ingreditur in definitionem ipsum definitum, nam ly aliud est etiam quantum. Item iam idem in ordine ad se ipsum definitur; ergo ex hoc duplici capite peccat prædicta definitio.

83 Resp. Omne ens relativum definiri in ordine ad aliud, & sæpè ipsum definitum, sub diuersa tamen expressione, ingreditur in obliquo ipsam definitionem. Sic vnum definitur per diuisionem ab alio, quod aliud etiam est vnum; sic simile per vnum in qualitate cum alio, quod simile etiam est. Quid ergo mirum, quod quantum definiatur per impenetrabile cum alio, licet hoc aliud etiam sit quantum? Ad secundum defectum eisdem exemplis vsus; dic, idem posse in ordine ad se sub diuersa expræssione definiri. Ni velis dicere cum Arri. Sensum definitionis hunc esse. Cum videris duo entia eiusdem rationis resistere in ordine ad eundem locum, scias, hoc provenire illis á quentitate.

84 Obj. 6. Impenetrabilitas convenit rebus non quantis, ergo non est effectus formalis quantitatis. Antec. prob. primo. Vbicatio Angelica Limana cum sit essentialiter affixa loco vt pote modus illius est impenetrabilis cum vbicatione Angelica Romana etiam essentialiter affixa suo proprio loco; sed tales vbicationes non sunt quantæ vtpote sperituales; ergo. 2. *Deus* verus est impenetrabilis cum *Deo* ficto; ergo impenetrabilitas á quantitate non prouenit, cum *Deus* fictus quantus non sit.

85 Resp. Has, & similes difficultates ad tractatum de Aniam spectare. Hic tamen breuiter ad 1. dico, quod licet vbicationi Limanæ conveniat esse impenetrabilem cum alia vbicatione, non tamen competit esse impenetrabilem cum omni ente eiusdem rationis: vnde si in eodem loco limano mille spiritus ponerentur, cum eis omnibus talis vbicatio naturaliter penetraretur, immò nec competit tali vbicationi esse impenetrabilem, cum alijs entibus alterius rationis; vnde si poneretur in eodem loco aliquod corpus, etiam cum eo penetraretur naturaliter: effectus ergo formalis quantitatis non est quæcumque impenetrabilitas, sed impenetrabilitas cum om-

in

ni ente eiusdem rationis. Ad 2. difficultatem dico, Deum non esse impenetrabilem cum *Deo* ficto, sed incompossibilem, quia esse impenetrabile cum alio, supponit, ly aliud aliquod esse habere.

86 Obj. 7. Corpus Christi in Eucharistia habet quantitatem, sed eius partes penetratæ sunt; ergo. 2. Corpora beatorum sunt quanta, & tamen penetrantur; ergo quantitas in impenetrabilitate non consistit.

87 Resp. Tam partes Corporis Christi in Eucharistia, quam corpora beatorum de facto penetrari, supernaturaliter tamē, & miraculosè, & licet de facto penetrentur, manent impenetrabilia naturaliter sine vlla oppositione. Ratio est, quia esse impenetrabile est actus primus, esse verò penetratum est actus secundus: Actus secundus oppositus non opponitur essentialiter actui primo: sic ignis Babylonicus non solum non combussit pueros, actu eius secundo impedito, verùm temperatę auræ rorem emisit, quod est actus secundus contrarius suo actui primo comburendi.

88. Obj.8. Partes aquæ concretæ penetrantur, nam eadem aqua, quę rara integrum vas occupat, concreta occupat dimidium vasis; ergo quia eius partes penetrantur. Item si in aliquod vas plenum aquæ pars cineris, vel aurei nummi inijciatur, aqua non effunditur; ergo signum est, quod tam cinis, quàm aurei numinicum aqua penetrantur; & tamen sunt corpora quanta, ergo.

89. Resp. Difficultatem hanc de rarefactione, & condensatione ad philosophiam spectare. Dico tamen, aquā concretam minus spatium occupare non quia eius partes penetrentur, nam si penetrantur, cur non reducuntur ad punctum, sed manent tale spatium determinatum occupantes? Sed quia cum rarefactio fiat per introductionem corpusculorum, & hæc per condensationem expellantur, ea spatia, quæ corpuscula antea occupabant inoccupata manent. Ad 2. experientiam dic; hoc evenire, vel quia plures partes aquæ, & cineris abeunt in vapores, vel quia plures partes aeris intra aquam, & cineres contentæ foras eijciuntur. Ad 2. experientiam aurei nummi etiam dic, quod aqua intumescit, & labrorum vasis siccitate contenta non effunditur vsquedum madefiant.

SECTIO. III.

DE PROPRIETATIBVS, ET divisione quantitatis.

99. QVantitas molis, de qua in præsenti loquimur, dividitur ab Aristot. 1. in continuam, & discretam: continua est, cuius partes vniuntur vinculo vtrique communi. *Discreta*, cuius partes non vniuntur vinculo vtrique communi, vt numerus ex vnitatibus non vnitis consurgens.

91. Quantitas continua in permanentem, & successivam dividitur. Permanens est, cuius partes simul durant, vt lignum; successiva, cuius partes simul non durant, vt tempus. Quantitas discreta dividitur in permanentem, cuius partes persistunt, vt numerus, qui est aggregatum ex vnitatibus separatis ab intellectu numerabilibus; & in successivum, cuius partes non persistunt, vt oratio, quæ est sonus articulatus ex syllabis brevibus, & longis successivè prolatis.

92. Quantitas continua permanens vlterius dividitur in lineam, superficiem, corpus, & locum. Linea est *continuatio punctorum versus latitudinem.* Corpus, *continuatio cunctorum versus profunditatem.* Locus (hic sumitur pro loco extrinseco) *est superficies ipsius corporis,* v. g. vltima superficies aëris me ambientis est locus, in quo existo.

93. Hic plura inquiri solent de linea, superficie, & corpore, quæ quia dependent á compositione continui, re certe captum mentis excedente, & quia per tempus non licet, ea ad philosophiā mitto. Non enim bis tractandum, quod semel tangere laboriosum est.

94. Plures proprietates attribui solent quantitati, quæ vix ipsarum vlla in quarto modo illi convenit. 1. Quod non accipiat magis, & minus, intellige in intensione, non enim est magis quantitas palmaris, quam semipalma is, sed illa proprietas etiam convenit substantiæ. 2. Quod careat contrario; esse parvum, vel magnum solum privativè opponuntur, sicut forma, & carentia formæ, sed hęc etiam competit alijs, nempè luci, quæ est qualitas. 3. Esse æqualem, vel inæqualem, mensurabilem, & mensuram; cum enim habeat quantitas extensionem, potest æquari, vel inæquari, potest mensurari per aliud, & esse mensuram alius. Hæc æqualitas nō in intensione, sed in extensione debet intelligi, quia ęqualitas, & inęqualitas in intensione substantijs etiam convenit. Alia de quantitate vide apud P. Lynz. hic à n. 84.

DISPUTATIO III.

DE QVALITATE TERtio Prædicamento.

SECTIO. I.

QVID SIT QVALITAS?

95. ARistot. cap. de qualitate, & ex eo Lynz. & alij sic qualitatem definiunt: Qualitas est, *qua quales dicimur.* Nugatoria quidem, & inanis definitio, ait Hurt. d. 14. sect. 1. n. 2. Reijcitur, nam ignotum per æquè ignotum tradit; sicut si aliquis albedinem definiret per id, quo albi dicimur, & intellectionem per id, quo intelligētes dicimur. Hoc est, quod inquirimus, quid est hoc, quo quales dicimur.

96. Secundo. P. Alphons. d. 88. n. 9 sic definit: Qualitas est, *accidens reale ex natura sua capax intensionis.* Reijcitur 1. quia character Sacramentalis qualitas est, & iuxta communiorem sententiam apud Exim. *Doct.* tom. 3. in 3. part. non est capax intensionis. 2. Potentię animę si ab ea distinguantur, sunt qualitates, & non intenduntur.

97. Tertio. Thomistæ sic: *Est accidens consequens formam.* Non placet 1. Quia intellectiones, & potentiæ Angelorum sunt qualitates iuxta Thomistas, & tamen non sequuntur formam, quia Angelus forma non constat. 2. Qualitates supernaturales vtporè nulli formæ debitæ non sequuntur formam. 3.

Quantitas etiam consequitur formam materialem, sicut consequitur materiam; ergo.

98. *D*ico cum Arria.d.6. metaph. sect.2.n.5. Qualitas est *accidens absolutum*. Per ly *accidens* convenit cum accidentibus modalibus; per ly *absolutum* ab eis distinguitur, nam omne accidens modale est affixum determinato subiecto, omnis autem qualitas nullam affectionem habet. Per ly *accidens* distinguitur á quantitate, quæ per nos non est accidens, sed substantia.

99 Obj. 1. Per ly *accidens absolutum* vel intelligitur non relativum prædicamentaliter; & sic actio erit qualitas, cum solum transcendentaliter referatur, vel requirimus, quod non sit transcendentaliter relata; & sic nec albedo, nec reliquæ qualitates erunt qualitates, cum omnes transcendentaliter referantur saltem ad Deum; vel intelligimus, quod non sit ens modale; & sic iam vbicatio, & intellectio, quæ iuxta probabilem sententiam non sunt modi, erunt qualitates. Resp. Per ly *absolutum* nec intelligi non relatum prædicamentaliter, nec requiri carentiam relationis transcendentalis, sed solum intelligi non alligatum, seu non modale: vnde si vbicatio, & intellectio non sunt modi, erunt absque dubio qualitates, vt optimé ipse Arria. contra Ovied. ita impugnantem numero. 62.

100 Obj. 2. Ex Lynz. Calor est qualitas, sed possibilis est calor essentialiter alligatus subiecto, ac proinde non absolutus; ergo. Resp. Eo casu calor ille non esset qualitas; sed idem dicendum de eo, ac de actibus vitalibus in sententia Hurt. & aliorum communiter dicitur; esse scilicet modos: cum dicimus, calorem esse qualitatem, loquimur de hoc calore ab omni subiecto absoluto.

101 Obj. 3. In *Deo* est propria qualitas, ratione cuius in symbolo dicitur: *Qualis Pater, talis Filius, talis spiritus sanctus*; ergo malè difinitur per accidens. Hoc argumentum omnes fere definitiones impugnat. Resp. In Deo non dari propriam qualitatem, sicut nec propriam quantitatem, solum enim in Deo datur quantitas perfectionis, qua Personę Diuinæ dicuntur æquales, ita datur qualitas etiam perfectionis, ratione cuius Personæ Diuinæ dicuntur quales, sed vtraque tam quantitas, quam qualitas est impropria.

SECTIO II.

DE DIVISIONE, ET PROprietatibus qualitatis.

102. QVadrupliciter divisit qualitatem Aristot. 1. in habitum, & dispositionem. 2. in potētiam, & in impotentiam. 3. in passionem, & passibilem qualitatem. 4. in figuram, & formam.

103. Habitus provt hic sumitur est qualitas difficile movilis á subiecto facilitans potentiam, quam iam completam supponit, ad operationem, vt habitus vitiosus, & scientificus. *D*ispositio est qualitas facile movilis á subiecto, vt ipse habitus dum remissus est. Vnde dispositio si intendatur, fit habitus, & habitus si remittatur fit dispositio.

104. Potentia est qualitas activa data substantiæ non ad faciliter, sed ad simpliciter posse, vt intellectus, & voluntas (casu quo ab anima realiter distinguantur) in ordine naturali; & fides, & spes in ordine, supernaturali, quę cumdent simpliciter posse, potentiæ appellantur á Theologis, licet ab Exim. & Acutiss. ad speciem habitus reducantur, eo quod supponant potentiam obedientialem. Impotentia non sumitur ab Aristot. pro carentia potentiæ, quia carentia non est qualitas, sed pro potentia debili, qualis est potentia visiva in senibus, & intellectiva in pueris.

105. Passio non sumitur ab Arist. pro proprietate, sed pro qualitate sensibili citò transeunte relicta ex aliquo accidenti, v. g. rubor ex verecundia, palor ex repentino metu. Passibilis qualitas est ipsa qualitas sensibilis pro aliquo tempore duratura, vt idem palor ex infirmitate proveniens, & idem rubor ex sanitate.

106. Figura est terminatio quantitatis, ratione cuius corpus quadratum, longum, vel rotundum evadit. Forma est ipsa figura tali dispositione partium discreta, vt corpus formosum, vel difforme appareat. Ita Exim. Doct.d.42. metaph. sect.5.n.6.

107. Rogas Utrum hæ qualitatis divisiones sint exactæ? Resp. cum Arria. Ovied & alijs, nullatenus esse exactas has divisiones. Prob. Membra dividentia solum accidentaliter differunt; ergo non sunt divisiones exactæ. Probatur in 1. Habitus idem si intendatur, dicitur habitus, & si remittatur, dispositio. In 2. Potentia, & impotentia solum differunt penes magis, & minus, ac proinde sine diversitate specifica. In 3. Passio, & passibilis qualitas differunt penes maiorem, & minorem durationem. In 4. forma continet figuram; ergo non sunt divisiones exactę.

108. Melius ergo dividitur qualitas in corpoream, & in incorpoream, & in habitum, & actum, in naturalem, & supernaturalem, in vitalem, & non vitalem.

109. Triplex proprietas qualitati affigitur ab Aristot. 1. est habere contrarium; contraria dicuntur ea, quæ sub eodem genere maximè distant, mutuoque á subiecto excluduntur, vt calor intensus, & frigus intensum, albedo, & nigredo, quæ sub eodem genere coloris ita pugnant, vt nequeant in eodem subiecto simul reperiri. Hæc non est proprietas qualitatis in quarto modo, tum quia non convenit luci, quæ qualitas est, tum quia iuxta aliquos etiam convenit pluribus substantijs, v.g. igni respectu aquæ, & è contra, tum quia iuxta P. Arri. repugnantia plurium qualitatum sępè provenit non ex oppositione earum inter se, sed ex incapacitate subiecti. Tum denique, quia si intensio fiat per gradus homogeneos, vt communior tenet sententia, hęc oppositio reducenda est ad incapacitatem subiecti, non verô ad pugnam determinatam graduum.

110. Secunda proprietas est suscipere magis, & minus, intellige physicè per intensionem, & remissionem.

111. Tertia est fundare similitudinem; verum hæc etiam substantię convenit, non enim minus est similis Petrus Paulo in esse albi, quam in esse hominis.

DISPVTATIO IV.

DE RELATIONE QVARTO prædicamento.

SECTIO I.

QVID SIT PRÆDICAMENtalis relatio?

112 RElatio ita ab Aristot. definitur: *Respectus, seu habitudo ad aliud.* Cōmuniter explicatur: *Est ratio forma-*

malis, qua vnum refertur, seu ordinatur ad aliud. Est duplex, vel secundum esse, vel secundum dici: prima est vera, & proprii relatio, quando scilicet in rebus ipsis datur talis respectus, seu ordo, qualiter se habent relationes transcendentales creaturæ ad omnipotentiam, effectusque ad causam: secunda est relatio impropria, quando scilicet non in rebus ipsis, sed tantum in intellectu concipiente vnũ ad instar relatiui, seu ordinati reperitur, qualiter se habent omnia vniuersalia respectu inferiorum. Relatio realis, & secundum esse diuiditur in mutuam, & non mutuam; relatio mutua versatur inter terminos, qui ad inuicem referuntur, vt relatio inter Patrem, & Filium. Relatio non mutua versatur inter terminos, quorum vnus refertur ad alium, non econuerso, vt in sententia P. Vasq. creaturæ referuntur ad omnipotentiam, non vero omnipotentia ad creaturas.

113 Triplex genus relationis prædicamentalis assignat Arist. Relatio primi generis est quæ fundatur in vnitate, & conuenientia, vel in pluralitate, & disconuenientia; si sit conuenientia in essentia, vt inter duos homines, dicitur *identitas*; si sit disconuenientia in essentia, vt inter hominem, & brutum dicitur *diversitas*. Si sit conuenientia in qualitate, vt inter duo alba, dicitur *similitudo*; si sit disconuenientia in qualitate, vt inter album, & nigrum, dicitur *dissimilitudo*. Si sit conuenientia in quantitate, vt inter duas virgas palmares, dicitur *æqualitas*; si disconuenientia in quantitate, vt inter vnam virgam palmarem, & aliam semipalmarem, dicitur *inæqualitas*.

114 Relatio secundi generis est, quæ fundatur in actione, vel quasi actione, siue physica, vt inter Patrem & Filium se habet generatio, siuè morali, vt inter Dominum, & seruum se habet dominium, seu ius. Hic etiam reducuntur relationes fundatæ in vnione, vbicatione, duratione, &c. Relatio tertij generis dicitur ab Aristot. relatio mensuræ ad mensurabile, & ad hanc reducitur relatio *scientiæ* ad scibile, & *actus ad obiectum*.

115 Hinc scies, ad omnem relationem prædicamentalem requiri fundamentum, terminum, & rationem fundandi, quia nec simile sine cõsimili, nec æquale sine coæquali, neque scibile sine scientia reperiri possunt, v.g. Pater est fundamentum, Filius est terminus, generatio est ratio fundandi relationem. Vnde nequit dari, neque concipi relatio sine his tribus. Vtrum scilicet hęc consistat in aliquo accidenti realiter superaddito his tribus? An in solo fundamento connotante terminum? An verò in aliquo actu intellectus conferente, & referente fundamentum ad terminum, an denique in coexistentia fundamenti, termini, & rationis fundandi? Sequentes sectiones ventilabunt.

SECTIO II.

AN RELATIO SIT ACCIDENS realiter supperadditum?

116 PRima sent. affirmat. Ita Thomistę omnes, & Scotist. PP. Vasq. Molin. Amic. Arrub. Gran. Alarc. Compt. d. 11. Met. sect. 12. Ponc. Ioan. á S.Th. q. 19. art. 4. M. Linc. l. 3. q. 4. art. 4. num. 1.

117 Secunda sent. negat. Ita Exim. Doct. d. 47. metaph. sect. 2. Arri. Ovied. Santac. á num. 831. vsque

vsque ad 867. afferentque plures authoritates Philosophi, SS. PP. & Scripturę sacrę, vt probet, eos modos superadditos esse chymericos, immo contra fidem, vt ipse, sed immerito, ait. Item P. Peyn. tract. 5. de prædic. sect. 2.

118 Ante conclusionem suponendum est, quæstionem non esse, an vt duo referantur, præter ipsorum entitates, & rationem fundandi aliud quid distinctum sit necessarium? nam certum est, requiri coexistentiam vtriusque extremi, & fortè simultaneam durationem, & si ea conduratio, & coexistentia constituantur per durationes distinctas ab extremis, revera ad relationem duorum necessarium etiam erit accidens durationis. Est ergo quæstio, an vltra fundamentum, & terminum, eorum coexistentiam, & rationem fundandi, necessarium sit, aut detur aliquod accidens speciale relativum nil aliud præstans, quam referre fundamentum ad terminum?

119 Dico. Relatio prædicamentalis non est accidens, sive absolutum, vt tenent Caiet. Ferrar. Capreol. & alij apud Exim. Doct. d. 47. Met. sect. 2. num. 2. siue modale, vt tenent Xabel. Soto apud eundem, & Ioann. à S. Th. q. 17. logic. art. 4. Prob. 1. ex S. Thom. q. 7. de potent. art. 8. corpore, vbi expresse ait, relationem non esse aliquod accidens manens in subiecto sic: *Respondeo, dicendum, quod relatio differt à qualitate, quia qualitas est accidens in subiecto manens, relatio autem non significat vt manens in subiecto.* Vide alias D. Thomæ authoritates apud Exim. Doct. d. 47. met. sect. 2. num.22. ita expressas, vt aliqui Thomistæ dicant, S. Doctorem suam retractasse sententiam, vel alij, vt complur. opusc. 48. afferant, tales authoritates non esse Angelici Præceptoris nulla alia ratione, nisi quia illis incommodant.

120. Prob. 2. ratione. Posita albedine in duplici pariete pręcisso quocunque alio accidenti, vel impedita à Deo eius productione, vterque paries esset formaliter similis; ergo & formaliter relatus, cum iuxta adversarios, quibuscum pugno, idem sit. Prob. antec. Similia iuxta Aristot. 5. metaph. c. 15. definiuntur: *Quorum qualitas est vna*, sed præscisso quocumque accidenti superaddito, posita albedine in duplici pariete, vtriusque parietis eadem esset qualitas, vt per se patet; ergo. Aliás si in alio accidẽti superaddito similitudo formalis consisteret, similia per illud, & non per vnitatem solum in qualitate deberent definiri ab Aristot.

121. Insuper positis duobus quantis præcisso quocumque accidenti superaddito, vel sunt æqualia, vel inæqualia inter se, quia vel habent tot partes, vel non? Si primum? Erunt ęqualia, quia æquale est, quod habeat easdem partes extensionis, ac aliud ęquale, vt vna quantitas palmaris respectu alterius etiam palmaris. Si secundum? erunt inæqualia, quia inæquale est, quod non habet easdem partes extensionis ac aliud, vt vna quantitas palmaris respectu semipalmaris. Idem argumentum fit in relatione identitatis: nam positis Petro, Paulo, & equo, præscisso quolibet alio, Petrus est eiusdem naturæ, & subsistentiæ cum Paulo, & diversæ naturæ ab equo; sed æqualitas, vel inæqualitas in extensione, similitudo, & dissimilitudo in essentia sunt relationes formaliter iuxta ipsos adversarios; ergo præscisso tali accidenti superaddito, datur relatio formalis.

122. Ad hoc argumentum communiter respondent Thomistæ præscisso accidenti superaddito, solum dari similitudinem, ęqualitatem &c. funda-

mentaliter, non vero formaliter. Ita expressè Ionn. á S. Thom. Lerm. P. Rub.&alij.

123. Contra 1. Posita in duplici subiecto albedine, præcisso quolibet superaddito, vnum subiectum esset sicut aliud, & convenirent propriè, & simpliciter in ratione albi; ergo esset propriè, & simpliciter illi simile; quid ergo est vnum esse formaliter simile alteri, quàm esse propriè, & simpliciter sicut illud. Insuper præscisso illo accidenti, sunt propriè, & simpliciter alba illa duo subiecta; ergo propriè, & simpliciter similia; vel dic etiam, non esse nisi solum fundamentaliter alba, posita albedine in illis, & reddi formaliter alba etiam vi accidentis supperadditi, quod incredibile est. Insuper Arist. definivit similia formaliter, & non solum fundamentaliter talia, quis enim aliter credet? Sed similia definivit Aristot. *Quorum qualitas est vna*; ergo ea, quorum qualitas est vna, sunt non solum fundamentaliter, sed formaliter talia; sed præscisso accidenti posita solum albedine in duobus subiectis vna est qualitas; ergo.

124. Contra 2. Pro priori ad resultantiam modorum duorum duo alba sunt formaliter similia in virtute, & potentia producendi eos modos; sed nequeunt fieri similia per ipsosmet modos, nam modi non constituunt virtutem, quæ ipsosmet modos præcedit, & producit, sicut licet actio constituat causam operantem in actu secundo, nō tamen virtutem operativam, quæ eam actionem præcedit; ergo iam datur formalis similitudo sine modis superadditis. Item sunt similia formaliter in exigentia talium modorum, si per aliquod tempus eorum productio impediretur; sed in esse exigentium talium modorum, per ipsos modos exactos nequeunt constitui, vt per se patet, ergo.

125. Contra 3. Nam si Deus ab vtroque albo tolleret omnem modum superadditum, vtrumque esset simile in hoc, quod est non habere modos superadditos, sed hęc similitudo non consisteret in modo superaddito, aliàs iam deficeret similitudo, neque esset similitudo fundamentalis per vos est quæ potest reddi formalis per modum superadditum, quod quidem hæc similitudo non haberet, nam per modum advenientem non redderetur formalis, sed destrueretur; ergo iam stat similitudo formalis sine modo superadito.

126. Prob. 2 Nostra conclusio ab aliquibus inconvenientibus, quæ sequerentur ex cōtraria. 1. inconveniens: si relatio prædicamentalis consisteret in accidenti realiter, & intrinsecè superaddito, sequeretur, quod producto v.g modo in Iaponia levissimo ente culice v.g. vel mure, totus orbis intrinsecè mutaretur, cœlum, Terra, aèr, homines, bruta, & Angeli; nam tale ens vel est simile, vel dissimile, æquale, vel inæquale cum omni alia re á se distincta; ergo per positionem talis entis in omni resultabit accidens aliquod intrinsecè eam immutans. Idem fiet ad leuissimum frondis, vel atomi motum; nam tali motu facto, resultabunt ferè infinitæ relationes distinctę, præsentiæ, similitudinis, & c. Et iam musca in tartaria v. g. deficiente, deficeret quoque in omnibus entibus toto orbe existentibus aliqua intrinseca perfectio. Insuper in quolibet minimo ente per singula momenta reperientur propè infinitæ mutationes, & nouæ productiones vel ad adventum, vel recessum alicuius entis á parte rei. Quod certè incredibile est, absonumque á sana Philosophiá.

127 Præsertim cum nullum detur principium, á quo possit productio talium accidentium provenire; non á Deo solo, tum quia etiam ablato per impossibile Deo, si darentur

duo subiecta alba, esset inter ea similitudo; ergo signum est tale accidens á solo *Deo* non produci, tum quia ex tali *Dei* productione partim enervaretur ratio concedendi creaturis actiuitatem, cum similiter posset eâdem ratione ductus quincunque dicere, reliqua alia accidentia, & effectus á solo *Deo* produci. Non ab ente de novo producto. Quia cum non sæpé distantissimum sit, nequit in distans operari. Non ab ipsis entitatibus, in quibus intrinsecè sunt, nam quis velificat illis aures, vt ad leuissimum frondis motum plerumque summè distantis evigilent, & tot nova entia in se producant? Instituisse ergo debuerat natura solicitos quosdam tabellarios, vt ait Ovied. controv. 9. metaphys. punct. 4. num. 3. emissarios curio, res, vt Bonesp. tract. 5. de prædicam. d. 3. resolut. 1. num. 207. qui quàm citissimè cętera entia talis motus recens facti certiora facerent, vt illicò in tot novas erumperent relationes, quod est plusquam delirium, & expresè contra Angelic. Prẹceptorem opusc. 48. tract. 5. de prędicamento ad aliquid cap. 2. vbi: *si quis in India modo fieret albus, fieret similis mihi, & ego sibi, nulla in me facta mutatione, similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter sit in me, vt patet* Quid clarius?

128 Secundum incōveniens, quod sequeretur ex contraria sententia est processus in infinitum; nam accidens superaditum Patri vt referatur ad filium, vel est simile, vel dissimile accidenti superaddito filio, vt referatur ad Patrem; ergo per aliud accidens superadditum, alias daretur similitudo formalis sine accidenti supetaddito. De hoc idem roga, & sic de alijs. Hic est processus in infinitum contra quē militant omnia argumenta contra infinitum in actu, quod fere omnes Thomistæ negant. Et licet aliqui DD. illud admittant de possibili, tamen de facto concedendum non esse, tenet communior sententia.

129 Tertium inconueniens ex antecedenti illatum, â quo non facilè se expediunt aduersarij, est, quod sequeretur, dari plures terminos relatos, quam relationes. Quia omnes relationes sunt termini relati, vt iam manet prob tum, & simul relationes, non verò omnes termini relati sunt relationes, vt patet in primo fundamento, & termino substantiæ scilicet Patris, & Filij; ergo iam dantur plures termini relati, quam relationes; tunc sic: ergo & aliqui termini relati sine relatione, quod tam absurdum est, quam dari album sine albedine, & concretum sine forma. Patet consequentia. Quivis terminus per suam peculiarem relationem refertur; ergo si dantur plures termini relati quam relationes, aliqui termini relati dantur sine relatione; sicut si hic essent duodecim homines, & decem equi aliqui homines essent sine equis, duo scilicet, in quibus erat excessus.

130 Quartum inconveniens. In *Deo* dantur relationes prædicamentales Patris erga Filium, spiratoris erga Spiritum Sanctum, creatoris, Domini, diversi, dissimilis, & perfectioris erga creaturas; ergo si omnis relatio prędicamentalis in accidenti intrinsecè superaddito consisteret, tale accidens Deo intrinsecè adveniret, indeque mutaretur. Et si in *Deo* sine tali accidenti eas denominationes formaliter, & non solum fundamentaliter tenentur admittere ex doctrina Cyril. August. Thomæ, Anselmi, & aliorum apud Santac. num. 845. cur etiam in creatura, vbi eadem ratio datur, & sic bene valet argumentum á ... *Deo*, idem non admittunt?

SUBSECTIO UNICA.

SATIS FIT ARGUMENTIS.

131. OBj.1.Et est responsio Advers.ad secundum inconveniens. Ad vnam rationem formalem non datur alia; sicut nec vnio ad vnionem; nec actio ad actionem, &c. tamen ex hoc non infertur, non requiri vnionem distinctam,vt materia, & forma vniantur; actionem distinctam, vt terminus producatur:ergo ad vnam relationem non dabitur alia, sed se ipsa referetur; quin ex hoc inferatur; non requiri relationem distinctam, vt fundamentum referatur ad terminum. Ita PP. Albertinus,& Comptonus.

Resp. Ad vnam rationem formalem, vt formaliter talem non datur alia ratio formalis,at verò,ad vnam rationem formalem non se habentem vt talem,sed vt terminum datur alia ratio formalis;vt patet in ipsa vnione inter Corpus, & animam Christi *Domini*, quæ licet non egeat alia vnione, vt vniatur cum extremis, respectu quorum se habet vt ratio formalis, eget vnione hypostatica, vt vniatur Personalitati Verbi,respectu cuius se habet vt terminus. Hæc enim constans est doctrina. Quod autem vna Paternitas;vt alteri Paternitati assimiletur, & vna relatio alteri non se habeant,vt rationes formales,sed vt termini,patet

132. Primo quia si illa Paternitas, ratio formalis esset referendi se vt similem alteri Paternitati,posita illa Paternitate poneretur formalis similitudo;sed potest poni illa Paternitas,quin formalis similitudo ponatur: si enim deficeret alia Paternitas cui sit similis, deficiet quoque similitudo, vt per se patet:ergo hæc non consistit in Paternitate. Sic posita Paternitate Adam antequam Cain esset Pater, Paternitas Adami neque erat similitudo, neque similis: nisi dicas hoc esse ex defectu termini; & incidis in primam sententiam connotatorum:quia iam sequeretur,posita tota ratione formali, seu similitudine in Paternitate capaci eo se ad denominationem similis, non reddi talem ex defectu alicuius termini extrinseci; ergo licet talis Paternitas sit ratio formalis, vt Patrem referat ad Filium,non est ratio formalis, sed terminus vt ipsa ad aliam Paternitatem referatur.

133. Prob.2. Ideo iuxta Advers. requiritur relatio superaddita fundamento,& termino, quia deficiente termino potest á fundamento separari;sed similiter deficiente vna Paternitate separatur relatio, & similitudo ab alia Paternite: ergo. In forma respondeo, dist.antec.ad vnam rationem formalem formaliter talem non requiritur alia, concedo:materialiter talem, & se habentem vt terminum,nego: & similiter dist. conseq. ergo ad vnam relationem non dabitur alia;ad vnam relationem vt formaliter talem,concedo;vt formaliter terminum, nego. Solutio constat ex dictis.

134. Obj.2. Et etiam est responsio ad idem inconveniens. Non repugnat hic processus in infinitum, immò illud admittere debemus pluribus in rebus:1. in compositione continui ex infinitis partibus proportionalibus,iuxta mentem Aristotelis. 2. Albedo producit speciem impressam sui per aliquã actionem distinctam;hęc actio,cum sit cognoscibilis saltem ab Angelo, vel anima separata,etiam producit per actionem distinctam speciem impressam: & rursus talis actio producit speciem per aliam actionem;& sic in infinitum. 3.In vbicationibus:vbicatio vtpotè cognoscibilis,producit speciẽ;hæc species vbi-

vbicatur;nã vbicatio est accidẽs cõmune omni enti existẽti in loco:hęc vbicatio speciei rursus etiam mittit speciem; quæ etiam vbicatur; & sic in infinitum. Ergo nullum erit inconveniens in processu in infinitum relationum. Ita aliqui RR. ex doctrina P. Telles.

135 Resp: Aristotelem neutiquam admisisse in continuo infinitu in actu, aut categorematicum, sed solum in potentiâ, & syncategorematicum; quod ipse Tellez in physicis disp, 31. num, 11. sibi parum constans tuetur. Ergo exemplum continui non favet Aduersarijs præterea licet alias hic processus in infinitum concederetur in compositione continuij, & exemplis allatis, hic admitti non deberet: nam in compositione continui, ad admittendam illã infinitam partium diuisibilitatem,multæ sunt rationes, & argumenta plurium iudicio euidentia; & aliter hæc summa difficultas evinci nequit: ast vero, quæ argumenta indissolubilia, quodve rationum pondus cogit admittere; relationem in accidenti superaddito consistere? Certe nulla. Insuper; sicut non licet extendere doctrinam de actibus liberis *Dei*, vel de Mysterio Trinitatis, & alijs captu difficilibus, quam rerum difficultas admittere nos cogit, ad aliás materias, in quibus plana, & facillima inueniri potest; ideo nec sententiam connotatorum, nec distinctionem rigorosam virtualem in creatis admittimus, ita doctrinam de compositione continui captum mentis superantem nullo modo debemus extendere ad alia, præcipue ad relationem, in qua planæ, & probabiles sunt plures viæ, & sententię.

136 Ad exemplum de speciebus impressis resp: cum P. Izquier:sensibilia cammunia; qualia sunt actio, vbicatio, motus, distincta, &c. Non cognosci per species aliquas speciales, sed per species ipsas sensibilis proprij. Vnde vbicationes per species ipsas coloris, & sonitus percipimus. Hinc est, quod per eandem speciem impressam albedinis, vbicationem albedinis, & actionem cognoscamus: idem que in Angelis; & animis separatis, (si per species ab obiectis emissas illud cognoscunt) euenit.

137 Obj. 3. Homo coexistens loco, & tempori, ablatá vbicatione, & duratione est solum fundam entaliter vbicatus, & durans; ergo similiter duplex homo albus ablato accidenti superaddito erit solum fundamentaliter relatus.

138 Respondent aliqui cum Nominal. Et P. Vvadingo: tam de vbicatione, quam duratione negantes esse accidentia superaddita homini coexistenti loco, & tempori. Alij communiter licet de vbicatione concedant, negant de duratione. Et loquendo de vbicatione, disparitas ad relationem est evidens: inde enim colligitur distinctio vbicationis á re vbicatá, & loco; quia res, & locus possunt ab vbicatione separari. Nunc enim ego sum Limæ, & datur locus Romæ, & tamen non datur vbicatio mei corporis Romæ: ast vero posito duplici albo inseparabilis est ab vtroque similitudo; vt iam manet probatum. De duratione, vel nega absolute esse accidens superadditum rei duranti, vel si aliquis assereret; esse accidens; eodem modo, ac de vbicatione, discurreret; posse scilicet existere hominem secundum se, & instans A, quin coexistant. Vnde assignata disparitas eodem modo valebit; tu vero, ne in alias quęstiones, quas adhuc ignoras, incidas, in formà dist: anteced: solum est fundamentaliter durans, & vbicatus, si vbicatio, & duratio distinguantur á re durante, & vbi-

vbicatá, concedo; ſi non diſtinguantur; ſicut non diſtinguitur ſimilitudo à fundamento, & termino; nego.

139 Obj. 4. Si non daretur aliquod accidens ſpeciale, quod eſſet relatio, non eſſet ſpeciale prædicamentum; ſed Ariſtoteles aſsignat relationem, vt ſpeciale prædicamentum; ergo.

140. Reſp. Diſt. mai. Aliquod accidens ſpeciale, vel intrinſecum, vel extrinſecum, concedo; intrinſecum neceſſario, nego. Poſtea videbimus relationem eſſe aliquod accidens ſpeciale, extrinſecum tamen. Inſuper, licet tale prædicamentum deſtrueretur, nec præcepeum Decalogi, nec ab Eccleſia auferetur aliquod Sacramentum, vt optime Arriaga; & illud de facto negant antiqui Durand: Aureo: & alij apud P. Tellez; idemque de prædicamento quantitatis aſſerunt qui quantitatem á re quanta non diſtinguunt.

141. Ad authoritates, quæ tibi obijci poſſunt Angelici Præceptoris reſponde; afferendo pro te illas iam á nobis in probatione allatas, dicendo, que Angelicum Præceptorem nunquam dixiſſe, relationem eſſe accidens intrinſecum; vnde Adverſarijs eius verba non favent.

SECTIO III.

VTRVM RELALIO SIT SOLVM fundamentum connotans terminum?

142. AFfirmant cum Ex. Doct. PP. Zuñiga, Meratius; item Cerna afferens Antiquos Herbæum, Ægidium, & alios. Non parum favent Raynaud: & Ioan. diſp. 16. n. 18.

143. Probabilius negant reliqui omnes Philoſophi apud Linze n. 311. Prob. 1. Ea, quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguntur; ſed relatio realiter ſeparatur á fundamento; ergo. Prob. min. Deficiente albo *A*, & Filio, deficit ſimilitudo in albo *B*, & Paternitas in Ioanne v. g. Sed album *B*. eſt fundamentum ſimilitudinis, & Ioannes fundamentum Paternitatis; ergo. 2. Ideo poſito animali rationali, ablato quocumque alio, actione ſcilicet productiva, immò & ipſo Deo, adhuc maneret homo, quia tota eſſentia hominis ſita eſt in animali rationali; ergo ſi tota eſſentia relationis ſita eſt in fundamento, poſito hoc, & ablato quocumque alio maneret relatio: implicat enim manere omnia conſtitutiva rei, & rem non manere.

144. Reſpondent 1. Ablato termino, & manente fundamento, manere relationem quoad intrinſecam ſuam entitatem, non vero quoad denominationem relatiuam *ſimilis*, vel *Patris*; quia relatio vt tribuat denominationem, dependet á termino, tamquam á conditione ſimpliciter, licet ſolum extrinſecè requiſitá.

145. Contra 1. Ablato termino, vel manet quoad eſſentiam totum; quod per hanc vocem; *Pater ſimilis*, ſignificatur, vel non? Si manet? Ergo manet ſimpliciter Pater non ſolum quoad entitatem, ſed etiam quoad denominationem. Patet conſe. quia denominatio nihil aliud eſt, quam ſubiectum capax, & forma exhibita ſubiecto; ſed ablato termino, per vos, ſubiectum eſt intrinſecè capax denominationis Patris; cum per terminum non capacitetur intrinſecè, & forma, relatio ſcilicet, illi communicatur; ergo. Si non manet? Ergo terminus non eſt ſolum conditio, ſed prædicatum eſſentiale conſtitutivum conceptus obiectivi, per hanc vocem, *Pater*, ſignificati.

146. Contra 2. Omnis forma poſita in aliquo ſubiecto illi tribuit ad minus

minus denominationem habentis talem formalem; ſic licet lapidi non tribuat gratia denominationem *grati*; illi tamen tribuit denominationem habentis gratiam; ergo ſi tota relatio eſſet in fundamento, ablato termino, ad minus illi tribuet denominationem habentis Paternitatem: vnde de facto erit verum dicere; *Petrum eſſe habentem Paternitatem* omnium hominum poſsibilium, quos numquam gignet. Inſuper poſſet quis defendere; materiam primã eſſe totum compoſitum, quoad entitatem, non quo ad denominationem; & adveniente formà tamquam conditione, reddi quoad denominationem compoſitum.

147 Contra 3. Nullum ſubiectum poteſt tranſire intrinſecé de vno contradictorio in aliud, niſi per additamentum, vel ablationem alicuius prædicati intrinſeci; vt de ſe patet; ſed fundamentum per ablationem Filij tranſit de Patre in non Patrem; de relato in non relatum; ergo per poſitionem, vel ablationem alicuius termini intrinſeci conſtitutivi talis denominationis. Hic eſt terminus; ergo terminus non ſolum requiritur, vt conditio extrinſeca, ſed vt conſtitutivum intrinſecum talis denominationis.

148 Contra 4. Quia ex hac doctrina euerteretur omne fundamentum diſtinctionis inter duas res; quod eſt ſeparabilitas; nam ſi non obſtante ſeparabilitate relationis Patris á fundamento, per vos, diſtinguitur realiter ab ipſo fundamento; ergo iam ſeparabilitas realis non erit fundamentum diſtinctionis, & licebit cuiquam dicere, quod licet materia prima ſeparetur á formà Leonis v. g. cum ipſâ quoad entitatem identificaretur, non vero quoad denominationem. Sic etiam poſſet quis defendere; intellectionem; & omnes actus vitales eſſe identificatos cum intellectu, & poſſunt egere etiam hoc, vel illo connotato extrinſeco ad denominationem conferendam; quod de facto dicere, eſt abſurdum Platonicorum aſſerentium; omnes ſcientias eſſe inſitas omnibus hominibus; non tamen denominari ſcientes ex defectu alicuius conditionis per ſe requiſitæ: immo ita ſe habere intellectiones Angelicas, quæ eſt ſententia Durandò attributa, & damnata ab AcademiáPariſienſi, oppoſita que Angelico Præceptori 1, p. quæſ, 51, á num, 1.

149 Reſpond: 2. Aduerſarij, talem relationem eſſe ſeparabilem á fũdamento ſecundum ſe, non vero á fundamento connotante terminum extrinſecum.

150 Contra. Rogo, talis connotatio eſt ne eſſentialis relationi, vel non? Si non eſt eſſentialis; ergo ablatà tali connotatione tota eſſentia relationis manet in fundamento, ac proinde tota relatio; & militant argumenta iam facta. Si talis connotatio eſt eſſentialis, vlterius rogo: hæc connotatio, vel identificatur adęquate cum fundamento; vel cum termino, vel ſaltim inadæquate? Si primũ? Ergo manente fundamento manet tota relatio, cum maneat tota connotatio cum fundamento identificata. Si ſecundum? Ergo præciſè deficiente termino non manet relatio; cum non maneat connotatio, ac proinde terminus ingreditur eſſentialiter denominationem relationis. Si tertium? Ergo iam relatio conſiſtit eſſentialiter in fundamento, & termino; cum per cuiuſque ablationem ipſa relatio auferatur ratione connotationis ablatæ.

His rationibus præiactis, quamque ſolutionem Adverſariorum impugnare poteris.

SVB-

SVBSECTIO VNICA.

ARGVMENTIS CONNOTANtium respondetur.

151 OBj. 1. Saltem in actibus liberis Dei, & scientia visionis futurorum debet hæc doctrina admitti. Nam volitio productionis alterius mundi, & scientia visionis de illo de facto sunt in Deo quoad entitatem, non vero quo ad denominationem volentis, & videntis; & transit de non odio habente peccatorem, sine vllà mutatione intrinsecâ, solum per positionem peccati, ad odio habentem peccatorem. Ergo in relatione similis, Patris, &c. poterit similiter discurri.

152 Si cum pluribus DD. dicerem; denominationes libere volentis in Deo partialiter constitui per terminum extrinsecum conotatum; argumentum potius in Adversatios verteretur. Resp. 1. hanc difficultatem actuum liberorum faciliùs componi, ponendo in Deo virtualem quamdam rigorosam contingentiam identificatam cum summâ eius necessitate, & immutabilitate; sicut ad salvanda prędicata contradictoria in Mysterio Trinitatis ponitur rigorosa distinctio virtualis, prastans eosdem effectus, ac si esset realis actualis distinctio. Vnde licet nolitio condendi alium mundum sit identificata cum Deo, est tamen virtualiter defectibilis; ratione cuius virtualis defectibilitatis Deus transiret de nolente producere alium mundum ad volentem illum producere; & nunc de facto de non odio habente peccatorem ad illum odio habentem.

153 Resp. 2. Admitto antec. & nego conseq. Nam ad res, quæ facili negatio possunt componi, & ad minutias physicas transferenda non est doctrina, quá materiam altissimam actuum liberorum Dei componimus; sicut non transfertur distinctio rigorosa virtualis sine notá. Et si ad alias difficultates ad ipsum Deum pertinentes; vt optime Arriag. 1. p. d, 1. sect, 1. num. 16. hæc doctrina de actibus liberis extendenda non est, si aliâ viâ componi possunt; quanto minus ad physicas difficultates transferri nullatenus debet. Quis autem dicat (ait Peinado disp. 5. de prędicam sect, 3. num, 45.) totam hanc difficultatem denotandam, pro componendá relatione prædicamentali coexistentię, aut similitudinis duplicis formæ.

154 Obj. 2. Sępe posita forma in subiecto illi non prębet denominationem, solum ex defectu extrinseci connotati; ergo poterit tota relatio reperiri in fundamento, & illi ex defectu termini connotati non conferre denominationem relati. Prob. antec. pluribus exemplis. Primum. Gratia habitualis non confert Christo Domino denominationem filij adoptiui, solum ex defectu carentiæ vnionis hypostbaticę, quæ est quid extrinsecum. Secundum. Licet ponatur qualitas vitalis in intellectu, non viuit, solum ex defectu concursus actiui, & passivi; quæ est mera conditio. Tertium. Si poneretur actus amoris in voluntate, absque præcedentiá cognitionis in intellectu, non redderetur voluntas amans; & cognitio solum est conditio ad amorem: ergo.

155 Ante solutionem scias; sæpe formam non tribuere effectum formalem ex incapacitate subiecti; vt patet in denominatione Sancti, quam non conferret gratia peccatori, si per possibile, vel impossibile concurreret cum peccato: quia scilicet peccator in sensu composito peccati incapax est talis denominationis. Inde forma capacitans subiectum ad denominationem non est connotatum extrinsecum, sed essentiale constitutivum denominationis; sic carentia peccati, licet gratiam non constituat, tamen constituit denominationem Sancti, & grati, quia est forma capacitans hominem ad tales denominationes: vnde potest concretum deficere ex defectu alicuius rei, quæ etiam si, nec se habeat vt forma denominans, neque vt subiectum denominatum; tamen se habet vt forma capacitans subiectū ad accipiendam denominationem; & sic essentialiter ingreditur denominationē concretivam: patet in cognitione, quæ in hanc denominationem amantis tanquam pars essentialis ingreditur; & tamen non constituit formam, scilicet amorem; neque est subiectum quod denominatur amans, nam hoc est solum voluntas; est tamen forma capacitans voluntatem ad accipiendam denominationem amantis. Sic carentia condonationis Divinæ non constituit malitiam peccati præteriti; neque est subiectum, quod denominatur habitualiter maculatum, & tamen essentialiter constituit denominationem concretivam maculati; quia talis carentia capacitat subiectum ad recipiendam talem denominationem á malitia pręterita. Hac doctrina facile ad omnia exempla apposita, & opponenda respondebis.

156. Ad primum dic; carentiam vnionis hypostaticæ essentialiter ingredi in denominationem filij adoptivi, nam essentialiter capacitat hominem ad talem denominationem accipiendam á gratia: vnde talis denominatio non deficit in Christo ex defectu extrinseci connotati, sed ex defectu alicuius prædicati essentialis. Ad secundum, quod si ponatur cum Arria. & Scotistis intellectio in sola qualitate, ad huc ablata actione et passione, intellectus vi illius qualitatis viueret, & denominaretur viuens. Si vero ponatur cum Hurt. in actione, & passione, neque intellectus viuet, neque denominabitur viuens, sed ex defectu alicuius constitutivi, qualiter se habet actio, & passio. Ad tertium, dico cum Arriaga, cognitionem ingredi essentialiter in denominationem amantis, licet solum sit conditio ad amorem: sic etiam in sententia P. Aderete disp. 30. de Incarn. sect. 2. num. 6. licet á proximatio sit conditio, vt ignis comburat, constituit tamen ignem in esse capacis habendi denominationem calefactivi.

157. Obj. 3. ex dictis. Ergo saltem poterit emolliri connotatorum doctrina, dicendo; quod licet terminus essentialiter ingrediatur denominationem connotativam *relati, similis*, &c. propter rationes iam dictas, & quia omnis denominatio connotativa, prout distinguitur ab absolutá, duplex subiectum requirit; fundamentum scilicet, & terminum; fundamentum, quod dicitur subiectum *In*, & terminum, qui dicitur subiectum *Ad*, attamen forma, seu relatio, similitudo, aut Paternitas tota se tenet ex parte subiecti connotando extrinsecè terminum. Probatur hoc pluribus exemplis. Prim. Denominatio *veri* includit obiectum; & veritas, quæ est forma talis denominationis, identificatur cum actu intellectus, dicente solum extrinsecè obiectum; cum sit tendentia actus in obiectum. Secund. Denominatio *Coexistentis*, in Deo includit essentialiter existentiam creaturæ, & tamen forma talis denominationis est existentia *Divina*, quę illam non includit. Tert. Denominatio *liberè volentis* in *Deo* partialiter constituitur per terminum, & tamen forma, scilicet libertas solum dicit vt connotatum terminum; ergo.

 Ita

158. Ita præsentem materiam magno ingenio, & probabilitate composuit Sapientiss. P. Gregorius Lopez de Aguilar huiusce Collegij Primarius quondam Theologiæ Professor; sed Resp. multas esse denominationes connotativas, quæ includant subiectum *In*, & *Ad*, v.g. denominationes intelligentis, amantis, &c. Insuper vt distinguatur denominatio connotativa á denominatione absolutá, non est necessaria inclusio duplicis subiecti; cum ratione formæ possent distingui, sicut de facto concreta viventia distinguuntur á non viventibus, non ratione materiæ, sed formæ. Item, per vos, relatio, seu similitudo, quæ est forma, ideo non identificatur cum termino, quia relatio est ad aliud, & iam esset ad se ipsam, & similitudo respectu sui ipsius; sed etiam simile est ad aliud, & si implicat similitudo sui ipsius, etiam simile respectu sui ipsius implicabit; ergo neque denominatio connotativa constituetur ex termino.

159. Ad 1. exemplum dic; vel denominationem veri esse adæquatè intrinsecam actui intellectus, vt docet Hurt. & alij; vel si est partim intrinseca, & partim extrinseca, idem dic de veritate, quæ est forma abstractiva, seu abstracta desumpta ex tendentia actus, & ex ipso obiecto; cum sit conformitas actus cum obiecto, tam actus, quam obiectum involuens; & ita se habet similitudo ab vtroque simili desumpta, & vtrumque involuens. Ad 2. dic; formam denominantem *Deum* coexistentem non esse eius existentiam solum, sed simul esse existentiam ipsius creaturæ: vnde hęc denominatio coexistentis est partim intrinseca, & partim extrinseca. Ad 3. exemplum iam supra respondi. Nunc addo; etiam libertatem Divinam in abstracto constitui partialiter per connotatum extrinsecum: vnde eodem modo se habet, ac denominatio libere volentis, & est partim intrinseca, & partim extrinseca *Deo*. Videas, si exempla potius tibi, quam Adverf. favent.

SECTIO IV.

NOSTRA SENTENTIA CIRCA relationes primi generis.

16. DIco. Relationes primi generis consistunt in actu intellectus comparante, seu referente fundamentum ad terminum; ita vt forma conferens denominationem relativam sit ipsa cognitio comparans vnum album v.g. alteri albo; ac proinde vtrumque album est subiectum denominationis, seu denominatum. Huiusce sententiæ meminit Scotus lib. 2. disp. 7. q. 4. & absolutè illam defendunt Basil. Pon. part. 1. varia: q. 8 cap. 3. pro se adducens plures SS. PP. & Philosophos. Insuper tribuitur Enrico quodlib. 7. q. 1. in resp. ad 2. *Deinde* expressè defenditur á Bonęspei, licet ea obscuritate, & confusione, qua solet disp. 3. de Relatione. Resolut. 2. & divis. 4. per totam. Spinula disp. 2. Metaph. sect. 3. á n. 19. & disp. 5. Physicor. art. vltimo. num. 67. P. Izquier. in Pharo disp. 16. q. 1. n. 2. & disp. 14. q. 1. n. 4. Favent PP. Martin. Quir. & alij. Ita denique duo huiusce Provinciæ Lumina PP. Maza, & Olea, quos alij Moderni secuti sunt.

161. Conclusio solum eget explicatione, vt eius vtilitas, & probabilitas clarescat. Communiter explicatur exemplo vniuersalis. Sicut enim ante actum intellectus præscindentem, á parte rei præcedit vnitas convenientię, quæ re ipsa est pluralitas, & dicitur vniuersale fundamentale, & vi actus præscisivi, concipientis que naturam ad instar relativæ ad inferiora, redditur vni-

vni-

vniuersale formaliter; ita independenter ab actu intellectus, quo refertur vnum album ad aliud dicens, *hoc est sicut illud*, præcedit in vtroque illa convenientia in eadem qualitate, quæ quidem dicitur relatio fundamentalis, & ipsa alba dicuntur fundamentaliter relata, redduntur tamen relata formaliter per illum actum referentem vnum ad aliud, concipientem que vnum instar entis relativi.

162 Ego verò facilius ita explico. Sicut in obiecto v.g. Petro præcedit cognoscibilitas, & antequam in actu 2. cognoscatur ipse, est formaliter cognoscibilis, redditurque formaliter cognitus per cognitionem actualem ad ipsum terminatam: sic duo alba ante quamcumque cognitionem præcedunt referibilia, hoc est, habent capacitatem, vt vere referantur, tamen nullo modo denominantur, vsquedum per actum intellectus dicentem, *hoc album est sicut illud album*, referantur; qui quidem actus, cum sit peculiaris cognitio, & ex modo tendendi comparet, aut referat, appellatur relatio, & est forma illius denominationis concretivæ *Relatum* Sicut cognitio est forma huius denominationis concretivæ *Cognitum*. Vnde relatio est accidens extrinsecum fundamento, & termino; sicut cognitio obiecto. Quid clarius?

163 Prob. 1. Ex refutatione aliarum sententiarum. Relatio namque non consistit in accidenti intrinseco realiter superaddito; vt manet probatum sect. 2. Nec in solo fundamento connotante terminum; vt etiam probatum manet, sect. antecedenti. Nec in coexistentiá fundamenti, & termini; vt iam probabo. Ergo in solo actu intellectus comparante consistit. Prob. antec. quoad 3. part. & simul prob. conseq. Posito fundamento, termino, & ratione fundandi; hoc scilicet, & illo pariete, & albedine, adhuc non datur relatio; ergo hęc in coexistentiá pręcisse fundamenti, & termini non consistit. Prob. antec. Relatio iuxta Aristotelem, & omnes Philosophos; *est habitudo, respectus, seu respicientia vnius ad aliud*; sed posito fundamento, & termino adhuc non datur habitudo, respectus, aut respicientia; ergo. Prob. Mino. Fundamentum, terminus, & ratio fundaudi; hic scilicet, & ille paries, & albedo sunt entitates absolutæ; ergo his omnibus positis, non datur habitudo, seu respectus.

164 Confir. Hic respectus vel proveniret á fundamento; & hoc non. Quia præterquam quod est entitas absoluta, ablato termino non datur respectus, vel fundamento adveniret ratione termini, & hoc non, quia terminus, non minus est entitas absoluta, quam fundamentum; & non minus repugnat, terminum absolutum conferre fundamento denominationem respectius; quam albedo denominationem dulcis: vel ratione complexi vtriusque? Et hoc minus. Quia vi complexi, neque fundamentum, neque terminus immutantur; & non minus repugnat ex duobus physice absolutis fieri vnum vere, & physice respectivum; quam ex duobus albis fieri vnum nigrum: non enim minus distant respectivum, & absolutum; quam abum, & nigrum.

165 Tuncsic. Ergo vt illæ entitates transeant de non relatis ad relatas, eget aliquo superaddito, seu determinativo vltra eas, hoc non est accidens Thomisticum; ergò erit actus intellectus comparans, seu referens extrinsece vnum ad aliud. Coseq. 1. prob. Eo mo, quo aliquæ entitates transeunt de vno contradictorio in aliud, egent aliquo superaddito: si tran-

tran-

transitus fit extrinsecus, accidens debet esse extrinsecum; vt homo, qui transiret de non amato ad amatum, eget amore sibi extrinsece abueniente; & qui transiret de non intelligente ad intelligentem, eget intellectione sibi intrinsecâ, quia transitus hominis de non amato ad amatum est extrinsecus: & de non intelligente ad intelligentem est intrinsecus: Ergo cum fundamentum, & terminus transeant de non relatis ad relata egent accidenti aliquo superaddito; non intrinseco, quia transitus est solum extrinsecus: ergo extrinseco; actu scilicet comparante, & referente.

166. Prob. 2. Conclus. directè. A parte rei, & in obiecto non datur rectum, & obliquum, sed tantum in modo cognoscendi; quia cum rectum sit, quod ponitur in Nominativo, & obliquum, quod ponitur in Genitivo, aut alio casu: sicut Nominativa, aut genitiva, &c. solum in modo cognoscendi, & significandi reperiuntur; ita recta, & obliqua solum ex modo concipiendi, & loquendi proveniunt: atqui denominationes relativæ dicunt fundamentum in recto, & terminum in obliquo, & in hoc fundamentum á termino distinguitur; ergo constituuntur essentialiter per modum cognoscendi, á quo provenit omne rectum, & obliquum.

167. *Dico* 2. Licet relatio formalis consistat in actu intellectus comparante, ac proinde non dentur formaliter relata á parte rei; similitudo formalis datur independenter ab intellectu, ac proinde â parte rei dantur non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter similia. Hæc conclusio est immediaté contra Bonespei, & Sapientiss. Mag. Sæpius, & meritò laudatos specialiter contra Patres Olea. Et nihilominus expresè favet Spinul. d. 2. Metaph. sect. n. 19. Partim favent omnes, qui in sola coexistentia fundamenti, & termini ponunt relationem, omnesque Thomistę, & Scotistę, eo quod non distinguant relationem formalem â similitudine formali. Insuper P. Compt. d. 11. Metaph. sect. 12. á n. 3. qui etiam si in accidenti intrinsecê superaddito ponat relationem formalem hanc distinguit, asserit que, quod posito duplici albo si per possibile, vel impossibile, non poneretur accidens superadditum, talia alba essent formaliter similia, & non essent formaliter relata idem dico ego de actu intellectus, & prob. efficaciter. 1. ex eodem Compt.

168. Similitudo est convenientia in prædicatis. Æqualitas est convenientia in quantitate, vel perfectione; sed duo homines non conveniunt in prędicatis, nec duæ virgæ palmares conveniunt in quantitate vi actus intellectus comparantis; nam idenpendenter á quocumque actu intellectus positis duobus hominibus, positis que duabus virgis palmaribus, datur conveniētia inter homines, et virgas: ergo & datur similitudo formalis.

169 Confir. Iuxta Aristot. Similitudo fundatur in vnitate; iuxta illud, *similia sunt, quorum qualitas est vna*, & æqualia, quorum quantitas est vna; sed independenter á quacunque consideratione intellectus datur hæc vnitas in duobus albis; cum detur eadem qualitas, scilicet albedo; & in duabus virgis eadem quantitas, scilicet palmaris extensio; ergo.

170. *Dicere*, illa duo alba esse solum fundamentaliter, & non formaliter similia, est omnino voluntarium, & contra ipsam rationem. Incredibile enim est, quod cum Aristot. similitudinem, & æqualitatem intendat definire, solum definiat similitudinem, & æqualitatem fundamentalem; & sicut cum vniversale definit, per *vnum in multis, & extra multa*, non definit vniversale fundamentale, sed formale, cur cum definit similitudinem, solum fundamentalem definiet? Insuper, quid addit ly *formalis* in similitudine, quod in *fundamentali* non reperiatur? Quid actus intellectus, quod in obiecto non prædicat? Certè nihil. Item similitudo vel est in obiecto, vel non? Si est in obiecto? Ergo independenter ab intellectu datur. Si non est? Ergo illam ponit actus intellectus, & sic est factivus entis rationis. Præterea. Nō ideo sunt similia duo alba, quia cognoscātur similia, sed è contra: ideo cognoscuntur similia, quia in se ipsis similia sunt: ergo similitudo non consistit in actu intellectus.

171 Prob. 2. cum P. Arriaga. Vox hæc *similitudo* non est vox physica, nec inuenta á Philosophis pro suis metaphysicis speculationibus, sicut voces, *vniversale Logicum, prædicabile, &c*, sed est vox vulgaris, vti voces, aqua, lapis, &c. Vnde significatio, & vis talis vocis debet desumi ab vsu, & intelligentia hominum etiam literatorum. Roga ergo quemcumque hominem; *est ne vnum ovum simile alteri*? Statim dicet certe, & omnino simile. *Est ne simile carboni*? Neutiquam dicet. Roga alteri; cur ouum ouo simile, & carboni dissimile? Recurret ne ad actum comparantem, & dicet: quia intellectus ouum ouo, & carboni comparavit? Nullatenus: sed dicet: quia ouum est album, & eiusdem figuræ, & formæ ac aliud ouum: & carbo est niger, nec habet eandem formam, & figuram: & hoc oculis percipitur. Vides ergo, nihil per vocem *similis* significari, nisi quod oculis, et sensibus manifestè apparet? Ergo male ad intellectum reccurris.

172 *Dicere*, omnes homines preter vnum Bonespei, & RR. aliquos, vsque nunc solum loquutos fuisse de similitudine fundamentali, non vero formali; est plane abuti terminis (Arriaga loquitur) quia hucusque veram, & propriam similitudinem conceperunt. Hæc autem alia, quam hic (de Bonespei loquitur) ponit, nec per somnium venit hominibus in mentem. Preterquam quod; eo sensu possemus dicere, nec lapidem esse lapidem á parte rei, sed fundamentaliter tantum; nec hominem hominem, nec aquam aquam, sed hæc omnia in ratione talis constitui per conceptus nostros circa illas res. Hoc enim esset nugari, (vt dici solet) in re seria.

173 Hinc dico. 3. Similitudo formalis (idem dic de æqualitate) consistit adæquate in coexistentiá fundamenti, & termini, & ratione fundandi; ob rationes iam supra dictas.

SECTIO V.

Nostra sententia circa relationes secundi, & tertij Generis.

174 Dico. 4. Relationes 2. Generis consistunt in sola actione, tamquam in formâ physica relativá. Ita v.g. vt denominatio prędicamentalis, *Pater*, desumatur á substantiá generante, vt á subiecto, & ab actione generativá, vt â formá. Similiter terminus, *Filius*, desumitur á substantiá Filij, vt á subiecto; & á generatione passivá, vt â formá. Ita Pont. d. 15. Logicę. q. 4. n. 64, & 65. P. Sancta Cruz num. 910, & 928. Ex parte favent Spin. d. 2. Metaph. sect. 3. num. 31. Item omnes

nes Theologi, qui non distingunt originem activam á Paternitate, nec originem passivam á Filiatione. Hæc etiam est contra Olea, sed favet Maza.

175 Prob. 1. Paternitas Diuina consistit adęquatè in actione generativá; ergo similiter Paternitas creata. Nam optime valet paritas á Deo ad creaturas, quando datur eadem ratio, vel nulla in contrarium relucet, vt in præsenti. Prob. antec. & paritas ex D. Hieronimo apud P. Cornel. in illiud Pauli ad Ephes. 3. vers. 15. *Flecto genua ad Patrem D. N. Iesu-Christi, in quo omnis Paternitas in cælis, & in terrá hæc habet: Paternitas in cælis est generatio Filij, Paternitas in terrâ est generatio hominum, & animalium, quæ omnia â Dei Paternitate manant; omnes enim ab eo habent vim generandi, vt sint, nominenturque Patres.* Quid clarius pro re nostra? Nota cum Cornel. Apostolum non solum loquutum de nomine *Patris*, sed de re significata per nomen; iuxta illud; *vt sint, nominentur que Patres.*

176. Prob. 2. Ad hom. contra Thomistas. Per vos accidens superadditum substantię Patris, & Filij requiritur, quia cum sint entitates absolutæ, vt se respiciant, & inter se referantur, egent aliquo modo respectivo; sed hoc totum pręstat actio generativa, vi que, & virtute illius se respiciunt, & referuntur; ergo in tali actione tota relatio 2. generis consistit, & omnino otiosum est accidens superadditum.

177. Prob. 3. Ad hom. contra ponentem relationem in coexistentia fundamenti, et termini. Posita relatione adęquatè in sola actione, optimè explicatur quomodo Paternitas distinguatur á Filiatione; nam iuxta Advers. cum Paternitas nihil aliud sit, quam substantia Patris, substantia Filij, et generatio simul sumptę, et Filiatio nihil aliud sit, quam substantia Filij, substantia Patris, et generatio; vel non distinguntur, cum habeant eadem prædicata; vel perperam distinguntur recurrendo ad recta, et obliqua, quæ solum dantur penes considerationem intellectus Ergo relatio 2. generis in sola actione consistit.

178. Prob. 4. Posita actione in substantia generante, præscisso quocumque alio, concipitur denominatio *agentis*, quin terminus intret constitutionem talis denominationis; et è contra. Posita actione in termino, et præscisso quocumque alio, resultat denominatio *producti, effecti, geniti*, etc. quin fundamentum intret constitutionem talis denominationis; sed *agens, generans, & producens actum, generatum, & productum* sunt denominationes formaliter relativæ se invicem respicientes vi actionis; ergo in tali actione tota relatio adæquatè consistet.

179. Dices; denominationem *generantis* esse transcendetalem, qua propter distinguitur à denominatione Patris, quæ, vtpotè prædicamentalis, non constituitur per actionem.

Contra 1. Generans, Genitor, et Pater sunt termini sinonomi, sicut Genitus, et Filius. Unde communiter Theologi cum Caiet. docent; formam baptismi sub his vocibus: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque*; validam esse; quia est sinonoma huic; Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, et Spiritus Sancti. Nam eo ipso, quod quis gignet, aut genuerit: præscisso quocumque alio: dicitur Pater, quin terminus intret eius constitutionem.

180. Contra 2. Licet generatio sit relatio transcendentalis sui ad terminum, quia secum ipsa adæquatè identificatur, ast est relatio prædicamentalis inter Patrem, et Filium, á quibus ipsa distinguitur: et non repugnat, eandem

dem entitatem esse simul relationem transcendentalem, & prædicamentalem secundum diversas considerationes; sed talis actio denominat substantiam *generativā, & generantem*; ergo denominatio *generantis* non est transcendentalis, sed prædicamentalis. Insuper, denominatio *generantis* est accidentalis substantiæ; cum tata possit sine tali denominatione salvari; ergo talis relatio est prædicamentalis; nam transcendentalis relatio est essentialis rei relatæ. Hinc

181. Infer. primò contra Spinul. generationem non solum referre prędicamentaliter effectus ad causas, sed etiam causas ad effectus; nam sicut actio generativa passivè sumpta constituit Filium, illum que prædicamentaliter refert ad Patrem; ita eademmet actio actiue sumpta constituit Patrem, illumque prædicamentaliter refert ad Filium. Sicut enim Filius, vt Filius est, est ad aliud; ita Pater, vt Pater; sed non est ad aliud transcendentaliter; ergo prædicamentaliter.

182 Infer. 2. Quod si aliqua causa per actionem á se indistinctam produceret aliquem effectum (quam esse possibilem tenent aliqui RR.) tunc causa non referretur prædicamentaliter ad effectum, effectus autem referretur ad causam. E contra, si effectus produceretur per actionem indistinctam ab ipso; vt Card. de Lugo, Ripalda, et alij censent, de facto evenire actibus vitalibus, quos per actiones ab ipsis indistinctas arbitrantur produci; Et Pater Valques et P. Hurt. id ex stimant de rebus naturaliter creabilibus, vt anima rationalis, Angeli, & c. non referretur talis effectus prædicamentaliter ad causam per talem actionem: bene tamen causa ad effectum. Quia sicut per ipsam denominatur producens, cur non denominabitur relata; cum alias ab ea distincta sit?

183 Infer. 3. Quod si generatio activa in Diuinis sit indistincta á passiuá, et consequenter realiter distincta á substantiá generante primæ personæ; vt docent nonulli cum Scoto, Enrico, & alijs; erit relatio prædicamentalis Patris ad Filium, & transcendentalis Filij ad Patrem. Si vero generatio activa sit indistincta á substantiá Patris, & similiter generatio passiva indistincta á substantiá Filij; vt communiter tenet Theologorum sententia; nec Pater ad Filium, nec Filius ad Patrem referrentur prædicamentaliter, sed solum transcendentaliter. At vero, si substantia generans denominatur *intrinsece generans* per generationem activam realiter identificatam, & *extrinsece generans* per generationem passivam realiter distinctam: & é contra substantia genita, denominetur *intrinsece genita* per generationem passivam, & *extrinsece genita* per activam; deturque duplex denominatio *generantis* in Patre, & *geniti* in Filio; vt tenet Arriaga d. 16. de Trinit. sec. 1. subs. 3. num. 8. & 9. Dabitur consequenter duplex relatio in Patre respectu Filij; & in hoc respectu Patris per generationem activam denominabitur Pater *relatus transcendentaliter*, & per generationem passivam *prædicamentaliter*: E contra vero Filius per generationem passivam denominabitur transcendentaliter relatus, & per activam relatus prędicamentaliter.

184 Dico 4. Relationes prædicamentales 3. Generis, quatenus prędicamentales sunt, consistunt adæquate in actibus vitalibus, v.g. relatio *cognoscentis, & cogniti* in sola cognitione. Prob. ex dictis. Quia posita cognitione, & præscisso quocumque alio intellectus dicitur cognoscens, quin intre-

grediatur obiectum essentialiter in talem denominationem: & obiectum etiam dicitur cognitum, quin intellectus ingrediatur in hanc; sed esse cognitum, & cognoscens, sunt denominationes prædicamentaliter relativæ; ergo tota prædicamentalis relatio in cognitione consistit; cum alias hæc sit forma respectiua, faciens que respicere. Hic etiam nota idem, quod supra. Quod intellectus Diuinus realiter cum suá intellectione identificatus, & si esset possibilis aliquis intellectus creatus, saltem cum aliquá intellectione similiter identificatus; nullo modo referentur prædicamentaliter ad obiectum per talem cognitionem. Item, si sit possibilis cognitio supra se ipsam reflectens, etiam non refertur prædicamentaliter ad obiectum, ob rationes iam dictas.

SVBSECTIO I.

ARGVMENTA CONTRA PRImam conclusionem.

185. OBj. 1. Cognitio pertinet ad prędicamentum qualitatis; ergo non est relatio: cum relatio iuxta Aristot. Sit diversum prædicamentum.

186. Resp. Dist. Antec. Pertinet ad prædicamentum qualitatis, secundum conceptum *In*, concedo; secundum conceptum *Ad*, nego. Eadem enim cognitio secundum diversas considerationes pertinet ad diversa prędicamenta; vt est accidens, & recipitur in termino, pertinet ad prædicamentum qualitatis; vt est respectus vnius ad aliud conferensque fundamentum cum termino, & referens ad illud tale fundamentum, pertinet ad prędicamentum relationis. Sicut eadē met actio, quatenus actio, pertinet ad vnum; & vt passio, pertinet ad aliud prædicamentum. Et præsentia, quæ est situs, & continetur in *vbi*, diversum etiam prædicamentum constituit.

187. Obj. 2. Deus cognoscit, vnum album dicere relationem similitudinis cum alio albo independenter à quacunque operatione intellectus creati; ergo relatio non constituitur per operationem intellectus. Prob. Antec. Independenter ab omni intellectu creato cognoscit Deus, vnum album se habere sicut aliud album; sed hoc est dicere relationem similitudinis; ergo.

188. Resp. Dist. Antec. Relationem similitudinis fundamentalem, concedo; formalem, nego; & nego conseq. Ad prob. dist. mai. Cognoscit Deus, vnum album se habere sicut aliud; hoc est, habere eadem prędicata, seu vtraque esse alba, concedo; hoc est, dicere aliquem respectum, seu ordinem inter se, nego. Ex argumento solum infertur, Deum cognoscere, illa duo alba esse formaliter similia independenter ab intellectu creato; cum cognoscat vtraque habere albedinem, & eandem qualitatem: quod libenter fateor: ast non probat, Deum illa cognoscere vt formaliter relata, nam hoc involuit iam considerationem intellectus concipientis fundamentum ad instar relati ad terminum. Non enim est idem, esse formaliter similia, ac esse formaliter relata, sicut non est idem, esse formaliter cognoscibilia, ac esse formaliter cognita: quia esse formaliter cognoscibilia, est habere capacitatem, vt adveniente cognitione actuali reddatur formaliter cognita per cognitionem, tanquam per formam. Ita similiter esse formaliter similia duo alba, est habere capacitatem, vt intellectus comparet vnum ad aliud, conferat que fundamentum cum termino; & ratione huius collocationis, aut comparationis redduntur formaliter relata ab ipsa comparatione, tanquam á forma, quæ relatio dicitur. Et sicut repugnat, Deum cognoscere hoc concretum *cognitum* sine cognitione: hoc concretum *vniversale* sine secunda intentione, ita repugnat cognoscere concretum hoc *relatum* sine relatione, quæ est consideratio intellectus.

189 Vnde si illa particula *sicut* denotat aliquem respectum vnius ad aliud; dico, non dari hanc sicuitatem á parte rei, cum à parte rei non detur respectus hic. Si tamen denotat, vt denotare videtur, illos duos parietes habere albedinem; duos illos homines habere naturam humanam; dico, talem sicuitatem dari à parte rei, sicut datur similitudo, sed tunc talis particula ad summum denotat, illa esse fundamentaliter relativa, hoc est, præbere fundamentum intellectui, vt concipiat illa ad modum relativorum; quod quidem fundamentum solum cognoscit Deus independenter á consideratione intellectus.

190 Obj. 3. Prædicatum affirmatum nequit esse modus extrinsecus cognoscendi se tenens ex parte actus: Ideo enim cum dico, *Petrus est homo*, *ly homo* non est modus extrinsecus cognoscendi, quia est prędicatum affirmatum per talem actum; sed sicuitas, convenientia, æqualitas, ordo, & relatio sunt prædicata saltem virtualiter affirmata per actum comparativum; ergo ea omnia non sunt modus extrinsecus se tenens ex parte actus comparantis.

191 Resp. hoc argumentum vrgere Bonesp; & RR, qui dicunt, non dari similitudinem, æqualitatem, & convenientiam formaliter tales independenter ab actu comparativo; nos autem ob hoc, & alia argumenta contrarium diximus; sed quia argumentum confundit sicuitatem, æqualitatem, &c. Resp. ordinem, seu respectum non esse prædicata affirmata per actum comparantem; non actus comparans solum affirmat, quod attingit ex parte obiecti; sed ex parte obiecti solum attingit sicuitatem, non vero respectum, seu ordinem, qui ex parte obiecti non datur; ergo respectus, seu ordo non affirmatur, neque formaliter, neque virtualiter per actum comparantem. Sicut enim cognitio, quá dico, Petrum esse hominem, solum attingit humanitatem Petri, quam affirmat, non vero se ipsam; quia non attingit Petrum vt cognitum, & tamen se ipsam exhibendo vt formam Petrum cognitum denominat: ita cognitio comparativa solum attingit sicuitatem extremorum, non vero respectum, seu ordinem; alias se ipsam respiceret, sed se ipsam exhibendo vt forma denominat extrema relata.

192 Replic. Actus, quo dicerem *hoc album dicit respectum ad aliud*, est verus actus, & respectus est prędicatum affirmatum; ergo hic non provenit ex modo cognoscendi. Respondeo. Nego antec. talis namque actus est falsus, sicut actus, quo dicerem *natura humana dicit ex se vnitatem realem*; quia sicut vnitas vniuersalis consistit in actu præscindente, & est omnino extrinseca naturæ, quæ solum est vniuersalis fundamentaliter, ita respectus, seu relatio consistit in actu comparante extrinseco extremis comparatis, quæ solum fundamentaliter dicunt relationem: vnde independenter ab actu comparante, falsum est dicere, vnum album dicere respectum ad aliud, cum vtraque alba sint in se entitates absolutæ.

193 Obj. 4. Actus comparans vnum album cum alio albo, vel ponit, vel supponit sicuitatem? Si illam ponit, Ens rationis efformat: & si illam supponit, etiam supponet rela-

relationem, quæ certe in tali sicuitate consistit; ergo actus comparans non est relatio.

194 Resp. actum comparantem sicuitatem supponere sicuitatem, illamque vt obiectum directum attingere, sed non ideo supponit relationem, immo illam ponit, cum se ipsam ex hibeat, quæ est relatio. Hinc deduces distinctionem inter sicuitatem, & relationem. Sicuitas conuertitur cum similitudine, aut convenientiá; relatio cum respectu, & ordine. Vtraque, tam sicuitas, quam relatio importat pluralitatem. Sicuitas includit plura, in quibus sit eadem qualitas, quantitas, vel natura; non vero quæ sint ad invicem ordinata. Relatio supponit tanquam fundamentum ea plura, in quibus sit eadem qualitas, & ea ordinat, refert que advicem, denominatque relata.

SVBSECT. II.

ARGVMENTA CONTRA *secundam conclusionem.*

195. OBj.5. Ideo, per nos, denominatio relativa consistit in actu intellectus, & nequit vnum album denominari relatum ad aliud, nisi beneficio intellectus, quia vtrumque album est entitas absoluta, & ex parte obiecti nulla datur entitas respectiva; sed simile, in quantum tale, est etiam essentialiter relativum; ergo præter entitates absolutas vtriusque albi aliquid respectivum requiritur. Hoc non datur ex parte obiecti; ergo neque simile.

196. Huic argumento tenentur respondere, qui ponunt relationem in coexistentia fundamenti, & termini: Insuper, qui distingunt similitudinem à relatione formali. Resp. Simile vt tale esse solum respectivum secundum dici, non vero secundum esse; hoc est, explicari nomine sonante respectum, illum tamen non dicere. Sicut innascibilitas, irrationalitas significantur nominibus negationem sonantibus, re tamen sunt entitates positivæ. Ita simile, & similitudo sonant respectum, re tamen ipsa sunt entitates absolutæ, & nullo modo se invicem respicientes; nihil enim aliud est, duo alba esse similia, quam vtraque habere eandem qualitatem, iuxta Arist. definitionem, & sine vlla respicientia, aut respectu, vtraque eandem qualitatem habet. Vnde nulla est paritas inter vniuersale, & relatum.

197. Obj.6. Similia, iuxta Aristotelem est quorum qualitas est vna; sed independenter ab intellectu non datur in duobus albis vna qualitas; ergo nec similitudo. Prob. min. Unitas in qualitate, seu vnicitas qualitatis solum datur per præscisionem qualitatis ab omni differentia; nam re ipsa in duobus albis non datur vna, sed duplex qualitas, seu albedo; ergo independenter ab actu prescindente non datur in duobus albis vna qualitas; ergo nec independenter à tali actu erunt formaliter similia.

198. Resp. In definitione similium vnitas non sumitur in sensu rigoroso, & metaphysico, & prout opponitur pluralitati, sed solum sumitur pro convenientia, & sicuitate prædicati vnius cum prędicato alterius, quæ vnitas exigit essentialiter pluralitatē convenientium, & optimè componitur cum pluralitate in ipsa ratione, inqua conveniunt. Sic posita albedine *A* in Petro, & albedine *B* in Paulo dicimus esse similes, habere que eandem qualitatem, non eandem, prout opponitur pluralitati, sed eandem prout opponitur diversitati. Sic communiter dicere solemus de duobus hominibus *Tienen vn mismo natural, ô son de vn mismo genio,* idem, non prout opponitur pluralitati, sed prout opponitur diversitati. Informa resp. concedo mai. & dist. min. Non datur vna qualitas, prout opponitur pluralitati, concedo: prout opponitur diversitati, nego. Solutio constat ex dictis.

199. Obj.7. Conceptus *albi*, & *albi: palmi*, & *palmi* diversus est á conceptu *similis*, & *aqualis.* Item conceptus *palmi*, & *semipalmi* diversus est á conceptu maioris, & minoris; sed conceptus albi, & albi, palmi, & palmi, palmi, & semipalmi sunt ipsæ res absolutæ: ergo conceptus similis, æqualis, maioris, & minoris addunt aliquid supra illa: ergo vel reale, & incidimus in Thomistarum sententiam; vel formale, & incidimus in sententiam Bonespei.

200. Resp. Neg. maior. Si aliás tales conceptus supponantur coexistentes, Nihil aliud est similitudo, quā duo homines, duo alba, & c. Nihil aliud est *æquale*, quam duo entitates habentes eandem quantitatem; vnde conceptus palmi, & palmi simul coexistentes non distinguitur, â conceptu æqualis. Nihil aliud est conceptus *maioris*, quam duæ entitates, ex quibus vna habeat tantum extensionis, vel perfectionis, alia vero non tantum. Vnde conceptus palmi, & semipalmi non sunt diversi á conceptibus maioris, & minoris. Maioritas, & minoritas sunt conceptus relativi secundum dici, hoc est sonant relationem; re tamen ipsá, & quoad esse sunt entitates absolutę, vt iam diximus de similitudine.

201 Obj. 8. Quæ realiter separantur, realiter distinguntur; sed similitudo realiter separatur á fundamento; ergo ab eo realiter distinguitur. Sic arguunt Thomistę.

202 Resp. Concedo totum, eo quod solum infertur, similitudinem constitui etiam ex termino, ratione cuius realiter distinguitur tan fundamentum â similitudine distinctione inclusi ab includente, quam similitudo à fundamento distinctione includentis ab incluso. Sicut homo physicus realiter distinguitur á materiá ratione formę, & materia realiter distinguitur ab homine. Ex hoc tamen no infertur; hominem non constitui essentialiter ex materiá, & formá. Ita licet similitudo realiter distinguitur á fundamento, & termino seorsim sumptis, tamex ex hoc non licet inferre distinctionem á fundamento, & termino simul sumptis. Simile enim, vt iam diximus, nihil aliud est, quam esse duos homines, quare esse duos, distinguitur inadequate á quolibet, ab vtroque auten nullo modo, & sicut posito Petro, & Paulo adueniente, datur numerus binarius, qui antea non erat; & tamen numerus ex vtroque constituitur. Ita posito fundamento, hoc scilicet albo, per aduentum termini, alterius scilicet albi, dátur similitudo, quæ antea non dabatur, & tamen similitudo ex vtroque albo consurgit.

203 Obj. 9. Si similitudo consisteret in coexistentia fundamenti, & termini, eadem esset similitudo Petri ad Ioannem, ac Ioannis ad Petrum, ergo sicut reddit Petrum similem Ioanni, ita reddet Ioannem similem sibi.

204 Resp. Similitudinem Petri ad Ioannem, & Ioannis ad Petrum esse eandem; nam hæc similitudo nihil aliud est, quam Petrum, & Ioannem esse duos homines, ex hoc tamen non infertur, quod sicut Ioannes redditur vi illius coexistentiæ similis Petro, ita reddatur similis sibi; quia omnis similitudo dicit ad minus dualitatem, quam secum ipso non componit Petrus. Et sicut eadem et cognitio

nitio denominat Petrum *videntem* albedinem, & ipsam albedinem visam, quin denominet ipsam albedinem videntem sui; ita eadem similitudo denominabit Petrum similem Ioanni, non vero similem sibi.

205 Obj. 1. Si simile constitueretur ex fundamento, & termino, ita maius, & minus v.g. quantitas palmaris constitueretur in esse maioris, per quantitatem semipalmarem, & hæc in esse minoris, per quantitatem palmarem, quod certe repugnat; nam incredibile est, aliquid reddi maius formaliter per id, quod est minus: & ê contra aliquid reddi minus formaliter per id, quod est maius.

206 Sic arguit P. Linzeus, vt probet similitudinem, & alias denominationes relativas consistere in quadam formalitate, non realiter, virtualiter tamen rigorosè distincta á fundamento, & termino. Retorqueo in primis contra ipsum argumentum. Rogo; vtrum illa virtualitas tenens se ex parte mei, qui quinque cubitos habeo, me constituat maiorem formaliter Ioanne habente quator cubitos, vel simul ingrediatur talem denominationem virtualitas se tenens ex parte Ioannis? Si primũ: Ergo nunc sum maior respectu omnium hominum, etiam illorum, qui longe me altiores sunt. Patet conseq. De facto habeo totam illam essentiam denominationis, quæ me adæquatè denominat maiorem, quando omnes homines solum haberent quatuor cubitos; ergo de facto maior denominor, cum iuxta ipsum Linze, qui doctrinam connotatorum rejicit, posita tota essentia denominationis, implicat, totam denominationem non poni. Si secundũ: En tota vis argumenti contra te: Ergo illam virtualitatem, qua Ioannes denominatur minor, ego maior denominor.

207 Resp. Quod sicut ipsæmet vbicationes me faciunt dexterum, & Petrum sinistrum; eademmet libertas, quæ in se est bona, iam constituit bonum morale, iam malum morale constituit; ita eademmet maioritas, & minoritas constituet quantitatem palmarem in esse maioris, & semipalmarem in esse minoris. Sic prioritas diei hodierni ad crastinum, & posterioritas crastini ad hodiernum adęquatè identificantur cum vtroque, cum nihil aliud sit, quam vterque dies, & tamen solus dies hodiernus prior est, & crastinus posterior.

208. Inst. 1. Maioritas, & minoritas sunt idem realiter: ergo fundamentum maioritatis erit quantitas minor; quod certè repugnat.

209. Resp. maioritatem, & minoritatem ita esse realiter idem, vt vnam quantitatem reddant maiorem, aliam vero minorem. Vnde fundamentum maioritatis, quod ab ipsa maius denominatur, est quantitas maior. Fundamentum vero maioritatis, quod ab ipsa minus denominatur, est quantitas minor. Si tamen roges; cur maioritas, & minoritas denominent quantitatem palmarem maiorem, & quantitatem semipalmarem minorem. Resp. quia palmaris habet palmum, & semipalmaris diminium palmi; & ipsis oculis cernitur, palmum esse maius semipalmo.

210. Inst. 2. Ergo quantitas maior est simul quantitas minor, & simul maior. Prob. conseq. Illa quantitas est minor, quę habet minoritatem, & illa maior, quæ habet maioritatem: sed si maioritas sit realiter minoritas, & è contra, quantitas minor habebit maioritatem, & minoritatem, & quantitas maior maioritatem, & minoritatem: ergo.

211. Resp. Neg. conseq. Ad prob. dist. maior. quoad vtramque partem. Illa quantitas est minor, quæ habet minoritatem sui ad aliam, concedo: alterius ad se, nego. Et illa est maior, quę habet

habet maioritatem sui ad aliam, concedo; alterius ad se, nego. & dist. min. Quãtitas minor habet maioritatem sui ad aliam, nego; alterius ad se, cõcedo. Cum enim tota maioritas, & minoritas inter quantitatem palmarem, & semipalmarem, nihil aliud sit, quã duo quantitates, ex quibus vna habet palmum, alia semipalmum; inde est, quod maioritas quantitatis palmaris sit maioritas sui ad aliam; hoc est, datur alia quantitas, quæ palmum non implet, quæ quidem minoritas, non denominat, sed potius confirmat (vt ita dicam) quantitatem palmarem in esse maioris. E contra minoritas, quam habet quantitas semipalmaris est minoritas sui ad aliam; hoc est, habet semipalmum, quem alia superat; & maioritas est alterius ad se, hoc est, simul coexistit quantitas alia, quę palmum integrum habet: quæ maioritas potius illam in esse minoris stabilit.

212 Obj. 11. Si similitudo diceret duas entitates, sequeretur, quod dum dico, *Petrus est similis Ioanni*, de Petro prędicarem entitatem Petri, & Ioannis; cum prædicem similitudinem; sed hoc excogitari nequit; ergo.

213 Retorq. contra Thomistas argumentum. Similitudo adæquata per vos consistit in illis duobus modis superadditis; ergo dum dico; *Petrus est similis Ioanni*, dico Petrum habere illos duos modos superadditos. Resp. Quod dum dico *Petrus est similis Ioanni*, licet videar simplicem propositionem proferre, hypòteticam profero, quia sensus illius ita se habet; *Petrus habet talia prædicata, qualia Ioannes habet*. Vnde de Petro non prædico entitatem Ioannis. Vel si vis dic; in illis propositionibus non prædicari similitudinem adæquatam, quę vtrumque extremum inuoluit, sed inadæquatam.

214 Obj. 12. Si Ioannes constitueret Petrum in esse similis, dum dico, *Petrus est similis Ioanni*, dicerem, *Ioannes est similis sibi*; quod repugnat; ergo tota similitudo constitit in fundamento.

215 Resp. Maio. nego. Dum enim dico, *Petrus est similis Ioanni*, loquor de Petro specifice sumpto, de quo dico, habere eadem predicata, ac Ioannes; non vero de Petro reduplicative sumpto in esse similis; in quá reduplicatione inuoluitur ipse Ioannes: vnde hæc propositio nequit admitti, *Petrus vt similis est similis Ioanni vt simili*: Sic enim sequeretur inconveniens argumenti; Ioannem scilicet esse similem sibi. Nec in sententiá ponente relationem in similitudine, hæc, & similis propositiones, *Petrus vt similis refertur ad Ioannem vt similem*, admitti possunt.

216 Obj. 13. Similitudo duplicis albedinis est, quà vna est sicut alia; sed coniunctum non est id, quo vna est sicut alia; ergo similitudo non consistit in coniuncto. Prob. min. Quælibet vt distincta ab aliá est sicut alia; sed quælibet vt distincta ab alia non est coniunctum ex vná, & aliá; ergo.

217 Resp. Dist. Maior. Est quà adæquate, concedo; est quá inadæquate, nego. Et sic dist. etiam minor. & conseq. Cum enim similitudo nihil aliud sit, quam vtraque albedo, ideo est id, quo adæquate; quælibet autem seosim est id, quo inadæquate. Vnde licet quælibet seorsim non sit coniunctum, tamen quælibet vt distincta ab aliá est sicut aliá vt quo inadæquate, & etiam vt quod, id est, id quod simile denominatur per ipsam similitudinem, quã inadęquate constituit.

218 Obj. 14. Si similitudo, & dissimilitudo dicerent duo extrema,

requireretur, quod qui vult dissimilitudinem vellet duo extrema, v. g. qui vult Petrum esse dissimilem moribus Pauli hominis impij, vellet non solum bonos mores Petri, sed etiam mores ipsos Pauli: quod certe dissonat. Ergo dissimilitudo non involuit vtrunque extremum.

219 Confir. Cum Deus cognoscit Petrum peccare, amat veritatem, & similitudinem sui actus cum obiecto; sed nequit amare peccatum; ergo similitudo non est conjunctum ex vtroque.

220. Resp. Negando assumptum argumenti. Nam qui vult dissimilitudinem, non vult eam secundum adęquatum, quod dicit, sed vnam partem supponit, & aliam vult. Supponit malos mores Pauli, & vult mores Petri ita non se habere: & sicut confessarius, qui vult confessionem peccatorum, Prędicator pœnitentiam eorum, & Iudex declarationem criminis, supponunt peccata, & crimina, non vero illa intendunt: ita qui dissimilitudinem morum Petri a pravis moribus Pauli desiderat, supponit pravos mores Pauli, & bonos mores Petri solum amat, dicitur tamen velle dissimilitudinem: quia vult talis dissimilitudinis complementum. Ad confir. eodem modo respondetur: Deum velle non adęquatam similitudinem prædicamentalem actuum cum obiecto, sed solum inadæquatam; vult enim cognoscere ipsa peccata casu, quo dentur, sicut vult ea punire.

221. Obj. 15 ex Linze. Similitudo duorum hominum est æqualis similitudini duorum Angelorum, sed duo homines non sunt æquales duobus Angelis, sed longe inferiores in perfectione; ergo duo homines ad minus rigorosè virtualiter distinguntur á similitudine; cum verificetur de similitudine, & de duobus hominibus duplex contradictorium.

223. Retorq. Argum. in binario hominum simili binario Angelorum, & tamen duo homines longe dissimiles sunt duobus Angelis; ergo binarium hominum rigorosè virtualiter ab ipsis hominibus distinguitur, quod non concedit Linze.

224. Resp. Dissimilitudinem duorum hominum esse æqualem, &c. id est, sicut homo habet eadem prędicata, ac homo, ita Angelus habet eadem prædicata, ac Angelus, conced. id est, æqualis in perfectione, nego. Sicut enim vna libra plumbi tantum ponderis habet, ac vna libra auri, & tamen vna libra auri longe perfectior est vna libra plumbi sine talibus chimæricis virtualitatibus superadditis; ita similitudo duorum hominum tam similitudo est, quam similitudo duorum Angelorum, id est, hi duo homines tam sunt homines, quam illi duo Angeli sunt Angeli, & tamen non sunt tam perfecti homines, quam Angeli, quin ad hoc aliqua virtualitas superaddita requiratur.

225. Vnde si similitudo, & duo homines eodem modo sumantur, idem, quod de similitudine, verificatur de duobus hominibus, nam sicut similitudo hominum est æqualis in esse similitudinis formaliter similitudini duorum Angelorum, ita duo homines in esse similium sunt formaliter æquales duobus Angelis in esse similium formaliter. Sicut vero duo homines sunt inæquales in perfectione duobus Angelis; ita similitudo est inæqualis in perfectione similitudini duorum Angelorum. Argumentum, vel mutat suppositum; supponit namque in Maiori pro similitudine in esse similitudinis, & in minori pro similitudine in esse perfectioris: vel etiam æquivoco laborat desumpto ex ipsa comparatione similitudinis; nam similitudo inter duos homines, si comparetur cum ipsis hominibus inter se, est similitudo summa, seu numerica, hoc est, duo homines solo numero differunt, & similiter similitudo duorum Angelorum inter se. Si vero comparetur similitudo hominum cum similitudine Angelorum, iam non numero tantum, sed specie immò, & genere differunt inter se, hoc est, duo homines specie, & genere differunt à duobus Angelis.

226 Obj. 16. ex eodem Linze. Viso à longe duplici ligno non dubito de vtriusque existentia, & dubito de vtriusque æqualitate; immo etiam proximè viso, si parvus sit excessus; ergo æqualitas aliquid aliud est, quam duplex lignum.

227 Resp. Quod sicut de homine á longe veniente ex defectu specierum adæquatarum obiecti, non dubito esse animal, dubito tamen an sit rationale, & tamen non infertur animal á rationali rigorosè virtualiter distingui; sed solum vi illius modi cognoscendi non posse intellectum reddere rationem de rationali, bene tamen de animali; ita visâ longe, vel proxime, si parva sit differentia, possum dubitare, vtrum talia ligna sint æqualia, nec ne? Non quia reipsá æqualia non sint, sed quia aliàs non habeo notitiam, seu speciem certam de extensione determinatá duplicis illius ligni. Quando enim excessus in extensione percipitur, viso vtroque ligno, statim inæqualitas sine dubitatione asseritur.

228 Obj. 17 Dentur duo intensiones caloris vt quatuor, crescat deinde quivis, & fiat vt quinque. Tunc sic, eadem similitudo datur nunc, ac antea inter duos illos calores; sed non datur eadem entitas, sed maior; ergo similitudo distinguitur ab entitate.

229 Resp. Nego Maior. Nam cum similitudo nihil aliud sit, quã illi duo calores vt quatuor simul existentes, cum iam non dentur calores vt quatuor, sed vt quinque, iam non datur eadem similitudo, licet absolutè detur similitudo, sed alia, sicut alia intensio.

230. Objic. 18. Ponamus duas intensiones caloris vt quatuor, addatur vnus gradus alteri ex eis, quo fiet vt quinque; alia vt quatuor remanente: tunc deficiet prima similitudo; sed non deficiet intensio, & entitas prior, cum potius augeatur; ergo signum est, quod similitudo prior non identificabatur cum entitate priori.

231. Resp. Intensiones caloris vt quatuor duas similitudines habere, vnã adæquatè positivam, consistentem in eo, quod vtraque sit vt quatuor, & hęc etiam superaddito alteri ex eis vno gradu caloris manet, quia verum est dicere, *hæ duæ intensiones habent quatuor gradus caloris*, & si vna ex eis habeat quinque: alteram partem negativam consistentem in eo, quod vtraque habeat tantum quatuor gradus, seu non habeat alios supra quatuor; hæc ergo similitudo destruitur adventu illius novi gradus, quia destruitur illa carentia, in qua fundata erat talis similitudo.

232. Obj. 19. Similitudo inter duas substantias fundatur in ipsis substantijs; sed quod fundatur in alio distinguitur ab illo; ergo. Resp. dist. mai. fundatur proprie, & rigorosè; nego: metaphysicè, & in subsistendi conseq. quatenus valet, hic homo est, illeque est homo; ergo sunt similes, concedo. Solum proprium, & physicum fundamentum distingui debet á re fundata.

233. Obj. 20. Possunt perfectè cognosci duæ res per duas cognitiones, quin cognoscantur coexistere; ergo coexistentia est modus distinctus ab ipsis rebus. Idem argumentum fit in similitudine. Possunt cognosci duæ entitates in re similes, quin cognoscantur esse formaliter similes; cum possint cog-

nosci absque eo quod vna cognoscatur sicut alia; ergo similitudo erit quid distinctum á fundamento, & termino.

234 Resp. Quod licet coexistentia sit modus distinctis ab ipsis, non est modus relationis, nec modus similitudinis, sed correspondentia rerum eidem tempori intrinseco, inquo coexistit duratio. Suppositis tamen rebus coexistentibus, & durantibus; quid quid sit, an durationes distinguantur ab extremis? Inquirimus an similitudo, vel relatio sint separabiles ab ipsis rebus? Sint modi realiter superadditi, nec ne? Ad argumentum respondetur ex eo solum inferri; aliquam distinctionem formalem inter ipsa extremâ, & sicuitatem; quia scilicet possunt concipi extrema sine illa sicuitate; sicut animal potest concipi sine rationali, & tamen ab eo formaliter tantũ distinguitur, quia re ipsá animal identificatum est cum rationali; ita similiter, si duo homines habeant eamdem qualitatem, albedinem v. g. re ipsá sunt similes; ergo similitudo numquam est separabilis realiter ab extremis.

235 Obj. 2. Omnis oppositio, quá talis est, est relatio; sed omnis dissimilitudo est oppositio; ergo omnis dissimilitudo est relatio. Resp. Nego Maior. Nam opositio ex se solum dicit extrema physicè incompossibilia, & relatio vltra dicit respectum, seu respicientiam vnius ad aliud.

236 Nota Quod si vis confundere relationem formalem cum similitudine, aut æqualitate formali, vt plerique confundant, doctrina in 2. conclusione posita, & horum argumentorum solutione nihil desiderandum ibi relinquitur, vt defendas: relationem 1. Generis in coexistentia fundamenti, & termini.

Item, si dicas, Patrem in denominationem Patris constitui per Filium, & è contra, etiam in Divinis cum P. Arriagá, Insuper etiam Patrem non producere Filium, vt Filium reduplicative, sed solum specificative, dicentem scilicet in recto substantiam generantem, & in obliquo terminum, & idem dicas de Filio, scilicet non generari vt Filium reduplicative, sed specificative, dicentem scilicet in recto substantiam genitam, & in obliquo Patrem; facillimé etiam poteris defendere relationes 2. Generis similiter in coexistentiá fundamenti, & termini. Vide appendicem in vltimo Logicę appositum.

SVBSECTIO III.

CONTRA TERTIAM CONCLVSIOnem soluuntur argumenta.

237 OBj. 1. Actio pertinet ad prędicamentum actionis; ergo in ea non consistit relatio: aliás duo hæc prædicamenta non differrent.

238 Relationes 2. Generis non pertinere ad prædicamentum relationis, sed ad prædicamentum actionis, tenent Pont. Santa Cr. & alij, dicentes; solum relationes 1. Generis ad prædicamentum relationis pertinere. Resp. dist. antec. Pertinet ad prędicamentum actionis sub nomine, & munere actionis; concedo: sub nomine, & numere relationis, nego. Nam cum actio sub nomine actionis sit relatio transcendentalis sui ad principium, & terminus, iuxta hoc munus, pertinet ad prędicamentum actionis; & cum etiam sub nomine relationis prædicamentalis referat principium ad terminum, iuxta hoc munus pertinet ad prædicamentum relationis; & hoc sufficit, vt prædicamenta distincta constituat; vt supra deximus de actione, & actu intellectus comparanti.

239 Obj. 2. Transactâ actione generativa, manentibus solum substantijs generante, & genita, manet actualis Paternitas, & Filiatio, ergo non consistunt inctione generativa.

240. Resp. Dist. Antec. Manet physicè, & ex parte obiecti, nego: moraliter, concedo. Transacta enim physica actione, physicè nec datur Paternitas, nec Filiatio, nec relatio: attamen vulgò dicitur Pater Petrus v.g. respectu Ioannis, & hic Filius transacta actione solum physicè, & permanente moraliter. Sicut qui ex furto, & homicidio præteritis dicitur actualiter fur, & homicida; quia scilicet talia crimina censentur permanere in ordine ad has denominationes. Vnde eo modo, quo dicitur Paternitas, & Filiatio, datur actio generativa. Si detur Paternitas physicè, vt in 1. instanti generationis, ipsa generatio physicè existit; si detur moraliter, moraliter etiam existit, hoc est, existimatur ac si existeret.

241. Obj. 3. Ille dicitur Pater actu physice, cuius Filius actu physicè existit; sed transacta actione generativa Petri, Ioanne eius Filio existente, Filius Petri actu physicè existit; ergo Petrus actu physice est Pater.

242. Resp. conc. maior, & nego minor. Nam transacta actione Ioannes v.g. nec est actu physicè Filius Petri, sed solum moraliter, & ampliative; quia scilicet ille dicitur Filius actualis, qui exstit, & fuit aliquando Filius physicè vi actionis generativæ physice existentis. Fateor substantiam generantem posse habere physice á Filio denominationem coexistentis cum ipso sed hæc denominatio non est denominatio Patris, quæ solum á generatione desumitur, vnde vniuersaliter loquendo, iuxta communem acceptionem, hæ voces *Pater, & Mater* significant etiam eos, qui genuerunt, & Filius, & Filia, eos etiam, qui geniti fuerunt. Sic Virginem Sanctissimam nunc *Dei*param, Matrem que Dei compellamus; sic Christus D. sæpè Filium hominis se appelavit.

243. Replic. 1. Si ratione generationis præteritę Petrus dicitur Pater respectu Ioannis; ergo & ratione generationis futuræ; immò & possibilis dicetur etiam actualiter Pater. Prob. conseq. Quia id, quod est preteritum tam nihil est, quam id, quod est futurum, aut possibile; ergo.

244. Resp. Physice loquendo; neque ratione generationis futuræ, vel possibilis, neque ratione generationis preter tæ aliquem posse dici Patrem, aut Filium, & valet argumentum. Vnde solum debemus recurrere ad denominationes ampliativas, & morales; hæ ergo cum dependeat á communi vsu loquendi, & á prudentum locutione, quæ debet attendi, quæque non denominat aliquem Patrem ratione generationis futurę, vel possibilis; sic neminem antequam habeat Filium, vel habuerit, Patrem appellat: attamen nomen Patris attribuit ei, qui genuit aliquando, adhuc generatione transacta: ita ergo debemus loqui, dicereque; denominationem Patris non desumi á generatione possibili, licet aliç denominationes á rebus possibilibus desumantur, sicut denominatio *prioris*: existentia enim Antichristi solum possibilis me priorem denominat respectu illius.

245. Replic. 2. Non minus de

essentia denominationũ *Patris, & Filij* est generatio, quam fundamentum, & terminus; sed translacta physice generatione, solum moraliter existente, dantur denominationes Patris, & Filij; ergo ablato fundamento dabitur denominatio Filij, & ablato termino dabitur denominatio Patris.

246. Totum hoc est de nomine, dependet que á communi vsu loquendi. Stando rationi paritas cõvincit; sed argumentum non convincit, nam loquutiones hæ non introducuntur ratione, sed authoritate, quæ sæpe ratione caret; cum habeat pro ratione voluntatem. Resp. sæpe ablato fundamento, Patre scilicet, datur denominatio Filij; sic de facto dicuntur filij Adami homines: Carolus secundus dicitur Filius Philipi Quarti, ei similis, &c. Sed ablato termino, non ita communiter datur denominatio Patris, iuxta illud Ovidij de Dedalo; & Icaro.

247. *At Pater infelix, iam non Pater, Icare clamat.* At vero si in toto rigore loquamur, nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre actualiter existentibus possunt dari. Audiatur Sanct. Cirilus de Trinit. cap. 7. *Non erat vnus Pater, quando Filius non erat, sed simul Pater, & simul Filius ex ipso generitus, quippe Pater, qui caret Filio, nemo vocatur.*

248 Obj. 4. *Relativa sunt simul naturâ, & cognitione*; sed Pater, & Filius sunt relativi; ergo. Tunc sic; sed si Pater constituitur per generationem, non erit simul naturâ cum Filio; nam generatio est prior naturá generato: ergo.

249 Resp. Si vis, nega maior, vniuersaliter de omnibus relativis, quæ licet sint simul cognitione, non tamen natura: vel ita explica axioma; *sunt simul naturá*; hoc est, eo ipso quod detur vnum relativum aliud correlativum necessariò debet dari. Si autem aliter intelligatur axioma, falsum est.

250 Obj. 5. Ex Spinulá. d. 5. physic. num. 16. Conceptus formalis actionis est referre effectum ad causam, non vero causam ad effectum. Prob. Actio est dependentia, seu fluxus effectus á causá; ergo non causam, sed effectum refert. Resp. Nego antec. Ad prob. dico; actionem esse fluxũ effectus à causá, & ideo illum refert, & simul esse viam causæ ad effectum, & ideo illam refert.

251 Obj. 6. Ex eodem. Actio solum est intrinseca effectui, & extrinseca causæ; ergo solum effectum, & non causam refert. Resp. Admitto anteced. & nego conseq. solum enim sequitur; causam extrinsece referri ad effectum, & effectum intrinsece referri ad causam; non vero sequitur absolute; causam non referri ad effectum.

252 Obj. 7. Ex eodem cum Ioannis. Causa, quę per actionem indistinctam ab effectu illum producet non referretur prædicamentaliter per ipsam actionem: Prob. Relatio est ad aliud: ergo debet distingui á termino: alioquin ipse effectus referretur ad se ipsuam. Respond. Nego assumptum. Ad prob. Disting. antec. Relatio est ad aliud distinctum á fundamento, concedo; distinctum á se, nego. Sicut enim actio non est ad effectum distinctum ab ipsá actione, sed ad effectum distinctum ab ipsá causá; sic relatio non est ad aliud distinctum ab ipsá relatione, est tamen ad aliud distinctum á fundamento; quod sufficit, vt vt illius actionis, quá accidentaliter agens redditur causa, reddatur etiam prædicamentaliter relatum.

253 Obj. 8. & Replic. ex Ioan. Relatio saltem vt *quo* refertur ad terminum: ergo actio identificata cum termino nequit esse relatio. Prob. conseq. Vnio solum vnitur vt *quo*, & tamen vere, & proprie vnitur. Actio item solum producit vt *quo*, & tamen vere, & proprie producit: ergo licet relatio solum referatur vt *quo*, vere, & proprie refertur. Tunc sic: sed id, quod propre, & vere refertur, propriè distinguitur: ergo relatio debet esse ad ad aliud distinctum á se ipsá.

254. Resp. Nego antec. quo ruit argumentum. Non enim est de conceptu essentiali relationis referri vt *quo* vnde licet talis actio identificata non referatur vt *quo* ad terminum, referret tamen vt *quo* fundamentum ad terminum. Exempla actionis, & vnionis nobis favent; nam vnio, quæ esset vni extremo identificata, non vniretur vt quo illi, sed illum vniret vt quo alteri extremo, & actio identificata cum termino, non produceret vt *quo* illum, sed esset id, quo terminus produceretur.

255. Obj. 9. Si duæ causæ per eandem numero actionem concurrant ad eundem numero effectum (quod saltem Divinitus non repugnat) habebunt duas relationes prædicamentales distinctas; sed non haberent duas actiones; ergo relatio in actione non consistit. Resp. Nego Maior. Sicut duplex causa illa per vnicam actionem effectum producit, ita per vnicam relationem refertur ad terminum; tunc enim solum daretur duo fundamenta relata per eandem relationem; sicut casu quo eadem albedo in duplici subiecto poneretur, daretur duplex album, &c.

256. Obj. 10. Et è contra efformatur argumentum. Si eadem causa Divinitus per duplicem actionem eundem effectum generarent, haberet duas generationes; sed non haberet duas Paternitates; ergo. Resp. Minor. Nego. Nam eisdem rationibus, quibus probatur, non repugnare duplicem actionem totalem in vnica causa respectu vnici effectus; probatur etiam, non repugnare duplicem Paternitatem; duplicemque relationem vnius causę ad eundem numero effectum; ex hoc tamen non inferretur; dari duplicem Patrem, cum fundamentum non multiplicetur.

257. Obj. 11. Multiplicatis terminis, debet multiplicari relatio; vt postea videbimus, sed possunt multiplicari termini, quin multiplicetur actiones, ca su quo Divinitus duplx terminus per eandem numero actionem produceretur; ergo relatio ab actione distinguitur. Confir. In composito dantur duo termini: ergo & duę relationes; sed vnica tantum datur vnio: ergo relatio in esse vniti non consistit in vnione.

258. Resp. Dist. Maior. Naturaliter, concedo; Divinitus, nego, & in Minori stat solutio. Naturaliter loquendo multiplicatis terminis, multiplicantur actiones, & consequenter relationes; cum enim in casu posito actio non multiplicaretur ad terminorum multiplicationem, nec relationes multiplicarentur, sed per eandem et relationem referretur causa ad illos duos effectus. Ad confir. dico: quod licet dentur duo termini in composito, ambo per eandem et relationem referuntur, sicut per eandem vnionem vniuntur.

259. Obj. 12. & Replic. Implicat, quod per eandem relationem referatur fundamentum ad terminum, & terminus ad fundamentum; ergo si actio, & vnio essent relationes prædicamentales, deberet poni actio ex parte fundamenti, & passio distincta ex parte termini; vna vnio ex parte materiæ, & alia ex parte formę: quod á nobis non admittitur. Prob. antec. 1. Pater, & Filius opponuntur relativè: ergo implicat, quod per eandem relationem re-

referantur. Aliàs per eandem formam constitueretur duplex subiectum oppositum, in esse oppositi, quod certè repugnat. Prob. 2. Nam idem subiectum esset simul Pater, & Filius. Ponamus; v.g. Petrum generantem, & Paulum genitum; vterque habet capacitatē vt denominetur Pater, & Filius. Generatio est etiam forma ex se capax vtramque denominationem conferendi. Cur ergo eademmet generatio posita inter Petrum, & Paulum, Petrum denominabit Patrem, & non Filium? Et è contra. Cur posita in Paulo illum denominabit Filium, & non Patrem? Ergo pręter actionem aliquid aliud requiritur, vt hic, & nunc Petrus dicatur Pater, & Paulus dicatur Filius.

260 Confir. In generatione Divina, ideo ponitur duplex origo, activa, & passiva; actiua, quæ se teneat ex parte Patris, & passiua, quæ ex pate Filij se teneat, quia per generationem referuntur Pater, & Filius, & eadem origo ad vtrumque non sufficeret; ergo ponenda est actio in Petro, & passio distincta in Paulo, vt referantur relatione Patris, & Filij, vel supra actionem ponendum est aliquid distinctum; sive sit accidens Thomisticum, sive sit actus intellectus comparans.

261. Omnes tenentur quærere huic argumento solutionem, nam sive relatio consistat in accidenti superaddito, sive in actu comparante, certum est actionem generativam distinctum effectum præbere fundamento ac termino, illud denominat producens, generans, aut genitorem; hunc denominat productum, aut generatum; cum enim eadem forma confert hos viros effectus fundamento, & termino; cur tam fundamentum, quam terminus ex se sit vtriusque effectus formalis capaces? Præterea: tota relationis oppositio relucet inter producens, & productum, iuxta illud, *omnia in Divinis sunt idem, vbi non obstat relationis oppositio producentis, & producti*; sed eademmet productio præbet vtramque denominationem; ergo eadem forma constituit duplex subiectum oppositum in esse talis. Insuper vt Pater dicatur generans (quid quid sit de relatione) & Filius Divinis dicatur genitus ponitur illa duplex origo actiua, & passiva, vtraque identificata; actiua cum principio, passiva cum termino; ergo vt Pater creatus dicatur generans, & vt Filius creatus dicatur genitus duplex etiam requiritur generatio, vna activa identificata cum Patre, & alia passiua identificata cum Filio. Certe teneris respondere, á Diuinis ad creata nullum esse in puncto præsenti paritatem. Idē, & ego dicam.

263. Resp. ad Argum. Nego anteced. Ad 1. Prob. Concedo antec. & nego conseq. Ad eius prob. Disting. Per eamdem formam constitueretur duplex subiectum oppositum in esse oppositi, relative, concedo; alia oppositione, nego. Oppositio relativa non est propria oppositio, sicut oppositio inter calorem, & frigus, inter lucem, & tenebras; sed est quædam impropria oppositio, quæ potius appellanda est illatio, quia consistit in eo, quod posito, vel concepto vno correlativo, aliud poni, & concipi, necesse est. Vnde nullo modo repugnat per eandem formam, per eandem scilicet generationem constitui vtrumque oppositum, generans, & generatum, Patrem, & Filium.

263. Resp. ad 2. prob. Quod licet Petrus v.g. sit capx vt Filius, & etiam Pater denominetur, & licet actio generativa sit forma ad vtrunque; attamen solum est capax denominari Filius per actionem ad ipsum terminatam, receptam que ab ipso, non vero per actionem ab ipso egredientem. E contra solum est capax denominari Pater per actionem egredientem ab ipso, non vero per actionem terminatam ad ipsum. Qua propter absque vllo superaddito actio generativa egrediens á Petro, & terminata ad Paulum, Petrum denominat Patrem, & non Filiū: & Paulum Filium, & non Patrem. Sicut eadem cognitio intellectum denominat intelligentem, & obiectum cognitum. Eadem actio principium agens, & terminum actum, &c.

264. Resp. ad confir, non ideo poni in Divinis duplicem originem, activam, & passivam, quia per generationem Pater, & Filius referuntur, sed quia solum requiritur actio distincta à termino producto, quando terminus habet aliquam indifferentiam in suâ productione; & similiter solum requiritur actio distincta á producente quādo habet similiter aliquam indifferentiam in producendo; at quando terminus essentialiter producitur, & quando producens essentialiter, & necessario producit, nulla actio requiritur distincta, sed causa se ipsá producit, & effectus est sua productio; cum ergo in Divinis Pater essentialiter producat, ideo origo, seu productio actiua identificatur cum Paternitate; & cum Filius essentialiter producatur, ideo origo, seu productio passiva essentialiter identificatur cum Filiatione; & consequenter datur duplex origo, duplex que productio.

265 Rogas: in quo distinguatur relatio prædicamentalis á transcendentali? Varias huius duplicis relationis diuersificationes vide apud Etiā. D. d. 47. Metaph. sect. 4. Linze. lib. 5. metaphic. tom. 6. cap. 2. Arriaga d. 12. Logicæ. sect. 4. in quibus non parum denomine miscetur. Ego vero, vt cum pluribus loquar. *Dico*, relationem prædicamentalem differre a transcendentali in eo, quòd relatio prædicamentalis sit habitudo distincta vel adęquatè, vel inadæquatè ab eo, quod refertur. Relatio vero transcendentalis est habitudo adęquate identificata cum eo, quod refertur. *Diversitas* hæc patet ab inductione; omnis enim relatio prædicamentalis distinguitur ab eo quod refert; præcipue in mea sententiá defendente relationem prædicamentalem 1. Generis in actu comparativo, & relationem 2. Generis in actione. Omnis actus comparans, omnis que actio, quę sit prædicamentalis relatio distinguuntur ab entibus relatis; nam licet non repugnet causa se ipsá producens, effectus se ipso productus, nec illa causa, nec iste effectus tunc prædicamentaliter referrentur: vt iam supra diximus.

266 Quod relatio transcendentalis identificetur cum ente, quod refert, etiam patet. Nam relatio transcendentalis est connexio, ratione cuius reddito impossibili termino, redditur impossibile fundamentum; sed quid quid transcendentaliter refertur, habet hoc per suam essentiam; ergo & transcendentaliter referri. Prob. min. causa per suammet essentiam habet hoc, quod est, esse productivam effectus, & effectus habet hoc, quod est, esse producibilem á causá; sed reddito impossibili effectu, redderetur impossibilis virtus productiva illius; & redditá impossibi causa rederetur etiam impossibilis producibilitas effectus; ergo hoc, quod est, reddi impossibile fundamentum, impossibili reddito termino, & è contra; est de essentiâ tam termini, quam fundamenti; ergo & relatio transcendentalis.

SECTIO VI.

VTRUM RELATIO TERMINETUR AD ABSOLUTUM, VEL AD RESPECTIVUM?

267 HOC est, an terminus, quem fundamentum respicit sit relatio, terminus vt reduplicative vt relatus; an vero sit entitas ipsius termini, terminus vt specificative relatus?

268 Antiqui omnes Thomistæ cum Caietano, & Medina asserunt; omnem relationem ad respectivum terminari. Alij cum nostro Rubio, & Sancta Cruz, num. 944. Tenent tantum hoc in relationibus mutuis. PP. Arriaga, & Linz. in relationibus mutuis ad vtrunque terminari, affirmant. In relationibus vero 2 Generis; aliter discurrendum esse, affirmat Arriaga; scilicet ad absolutum terminari. Vnde meo videri in 1. conclusione intendit vnam relationem similitudinis se ipsa ad aliam relationem referri.

269. Omnes fere Nostri DD. cum Exim. Doct. Oviedo. Compt. & alijs defendunt; omnem relationem, sive mutuam, sive non mutuam ad absolutum terminari; sed quia quęstio potest procedere de vtraque relatione, tam prædicamentali, quam transcendentali,

270. *Dico* 1. Relatio transcendentalis mutua ad respectivum terminatur. Non mutua ad absolutum. Ita expressè Arriaga, n. 170. & Compt. disp. 11. Metaphy sect. 14. n. 1.

271. Prob. quoad 1. partem in materia v.g. quæ trascendentaliter refertur ad formam. Materia per suam essentiam respicit essentiam formæ, sed essentia formæ est relatio transcendentalis ad materiam; cum relatio transcendentalis identificetur essentialiter cum rebus relatis; ergo relatio transcendentalis terminatur ad respectivum. Prob. quoad 2. part. in cognitione, quæ iuxta communiorem sententiam refertur ad obiectum, quin hoc ad cognitionem referatur; & in creatura relata ad Deum non relatum ad creaturam, in sententia P. Vasq. Deus nullum dicit respectum ad creaturam; ergo non est respectivus; ergo cum creatura terminatur ad Deum, non terminatur ad respectivum, sed ad absolutum.

272. Dico 2. Nulla relatio prædicamentalis, sive mutua, sive non mutua terminatur ad respectivum vt tale, sed omnis terminatur ad absolutum. Ante prob. nota; me præscindere ab eo, quod sit possibilis, vel non relatio non mutua; probabilissimam namque iudico sententiam Linz. asserentis, omnem relationem esse mutuam.

273. Prob. conclus. 1. In relationibus non mutuis certissimum est; vnam relationem non terminari ad aliam, nam cum terminus relationem non habeat, neque relatio terminetur ad se ipsam, nulla datur relatio ad quam relatio fundamenti terminari possit. Hinc; Ergo non est de conceptu relationis prędicamentalis vt talis terminari ad respectivum; ergo nec relatio mutua ad respectivum terminabitur.

275. Prob. 2. Petrus non est similis similitudini Ioannis, sed Ioanni; nec Paulus est dissimilis dissimilitudini lapidis, cum conveniant in ratione dissimilitudinis. Item virga non est æqualis ęqualitati alterius virgæ, sed virgæ ipsi; ergo Petrus in esse similis, Paulus in esse dissimilis, virga in esse ęqualis non

non terminatur ad respectivum, sed ad absolutum: ad respectivum reduplicativè, sed ad respectivum specificativé. In relationibus secundi generis hoc etiam patet. Nam Pater tantum refertur vt Pater ad terminum, cuius est Pater, & quem generat: sed tantum est Pater substantiæ Filij, Filiumque tantum generat, & non Filiationem, seu respectum Filij erga Patrem, qui est quid resultans: ergo Pater vt talis solum terminatur ad Filium, & ad substantiam Filij, non vero ad relationem.

275. Viget. 1. Petrus non est similis Ioanni, quia Ioannes est similis ipsi, sed quia est albus, vel homo: ergo Petrus in esse similis non terminatur ad Ioannem vt similem, sed ad Ioannem vt album.

276. Uirgetur 2. Si *Deus* destrueret accidens, quo Filius refertur ad Patrem, permanente accidenti, quo Pater refertur ad Filium, Pater maneret relatus, sed tunc in Filio relatio non daretur: ergo relatio Patris non terminatur ad relationem.

277. Nota cum Arriaga. Solum in sententia Thomistica statuente relationem realiter distinctam á fundamento, & termino, in accidenti superaddito vtrique dari locum questioni; nam in sententia ponente relationem in coexistentiá fundamenti, & termini; & in nostra ponente relationem 1. Generis in actu comparante; & 2. Generis in actione, extra controversiam est, relationem non terminari ad relationem. Iuxta primam sententiam, quia relatio est vtrumque extremum; cum auten ad se ipsam non terminetur, relatio non terminatur ad relationem. Nec fundamentum terminatur ad terminum vt respectivum; quia vt respectivum, cum inoluat respectum, seu relationem, involvit iam ipsum fundamentum, quod ad se ipsum nequit terminari.

278 In nostra sententia, quia non datur duplex relatio, seu duplex cognitio, aut actio, sed eademmet cognitio, & eademmet actio refert fundamentum ad terminum, & terminum ad fundamentum, vtrumque relatum denominans; ergo sicut cognitio Petri non terminatur ad Petrum vt cognitum, nec actio productiua Francisci terminatur ad Franciscum vt productum sed ad Petrum, & Franciscum specificative, quos exercite denominat, ita neque cognitio referens, neque actio terminantur ad terminos vt relatos, sed ad terminos entitative, quos relatos exercite faciunt.

279 Obj. 1. Pater refertur ad Filium, quatenus relative oppositum est Patri; sed Filius non entitative, sed vt Filius, est relatiue oppositus Patri; ergo. Vrgetur. Relatio solum refertur ad terminum, cui opponitur; sed solum opponitur relationi; ergo solum refertur ad relationem. Confir. In *Divinis* vna relatio refertur ad aliam; argo idem in creatis.

280 Resp. Nego maior. Pater namque solum refertur ad Filium, quem producit mediá generatione, quá & Pater in esse Patris, & Filius in esse Filij oppositi relative constituitur. Vnde cum Pater respiciens Filium, illum secundum denominationem geniti vt talis non respiciat, sed solum ipsum specificative, quem genuit; nec actio respiciat denominationem producti, quã formaliter per exhibitionem sui communicat; & solum opponatur relative Filius Patri, vt productus, & genitus; inde est quod Pater non referatur ad Filium vt sibi relative oppositum, nec vna relatio aliam relationem respiciat.

Hinc

281 Hinc ad vrgentiam solutio. Nego suppositum quod relatio opponatur relationi, immo & quod detur duplex relatio; cum solum detur eadem cognitio referens fundamentum ad terminum, & eadem actio generans, & genitum constituens; dicuntur tamen Pater, & Filius relative oppositi, quatenus scilicet ita vi eiusdem actionis comparantur, vt neque Pater possit esse Filius; neque Filius possit esse Pater. Inferuntur tamen. Ad Confir. Assigno disparitatem. Relationes Divinæ realiter distinguntur inter se. Eadem relatio Patris realiter identificatur cum Patre, & relatio Filij cum Filio, ideo que potest vna relatio ad aliam terminari, & eo ipso quod Pater Filium respiciat, respicit relationem, sicut in relatione tran scendentali discurrimus.

282 Sed ad huc iu Thomistarū princi pijs. Resp. Neg. ant. Nam Filius constituitur relative oppositus Patri per accidens superadditum Filio, quod quidē accidens Pater nec generat, nec producit; ergo vt Pater non respicit Filium vt relative oppositum sibi formaliter, sed solum fundamentaliter, quatenus scilicet est fundamentum talis accidentis, quod relatio dicitur. Vnde relatio (& est solutio vrgentiæ) solum refertur ad terminum, cui opponitur fundamentaliter, nempe ad entitatem Filij, non ad terminum, cui formaliter opponitur, nempe ad aliud accidens. Ad confir. applica secundā solutionem num. antec.

283. Obj. Aristotelem afferentem, servum non referri ad hominem, sed ad *Dominum*; ergo respectivum ad respectivum. Resp. Aristotelem solum intendisse, servum non referri ad quemcunque hominem, sed ad illum, qui dominium habet ipsius; sicut nec Petrus est Filius cuiuscunque hominis, sed illius, qui illum genuit, ex quo solum sequitur, relationem terminari ad terminum respectivū specificative.

284. Obj. 3. Relativa sunt simul natura definitione, & cognitione; hoc est, debent simul cognosci, & vnum in ordine ad aliud definiri, ergo quia vna relatio ad aliam terminatur.

285. Resp. Concedo antec. & nego conseq. Nam esse simul cognitione, tantum significat, quod sicut vtrumque accidens (loquor in Thomist. sententia) simul resultat, ideoque est simul natura, ita vtrumque simul cognoscitur, & ideo est simul cognitione; quin ex hoc inferatur, Patrem vt talem respicere accidens superadditum Filio, sed solam entitatem Filij, quam producit. Esse simul definitione, solum sibi vult, vnum definiri in ordine ad aliud, non reduplicative vt relatum, sed specificative; nam eo modo vnum in ordine ad aliud definitur, quo aliud respicit, sed aliud solum specificative, & non reduplicative respicit; ergo.

286. Obji. 4. Si ralatio non terminaretur ad respectivum; sequeretur quod Petrus v. g. prius esset Pater, quam Ioannes esset Filius: quod repugnat; ergo. Prob. sequela. Ioannes prius est homo, quam Filius; ergo si Paternitas ad Ioannem vt hominem, & non vt Filium terminatur, prius erit Petrus Pater Ioannis, quam Ioannes Filius Petri.

287. In nostra sententia nullam habet difficultatem argumentum. Nam in eodem instanti reali, & rationis, quo ponitur actio generativa, Petrus est Pater, & Ioannes Filius; nam in eodem instanti rationis, in quo concipitur causa actualiter generans, concipitur terminus actualiter genitus. In sensu vero Thomistarum iuxta eorum principia; in illo priori antequam accidentia in Patre, & Filio resultent, quo vterque est homo, nec Petrus est Pater formaliter, sed solum fundamentaliter; nec Ioannes est formaliter, sed solum fundamentaliter Filius. Unde nec pro priori est *Pater*, & non *Filius*, sed in eodem instanti rationis resultat vtrunque accidens, simul denominans *Petrum Patrem*, & Ioannem *Filium*.

SECTIO VII.

VTRVM MVLTIPLICATIS terminis multiplicentur relationes?

228. IN omni sententiā certum est; multiplicato fundamento, relationes multipcari. An eodem modo multiplicatis numero terminis, debeat etiam multiplicari relatio? dissidium est: v. g. an Petrus habens Paternitatem erga primum Filium, alio secundo Filio producto, aliam novam Paternitatem adquirat? Thomistę omnes negant. Scotistę, & Iesuitæ omnes affirmant.

289. *Dico*. Multiplicatis numero terminis multiplicantur relationes, tam formaliter, quam obiectivè.

Prob. 1. in relationibus primi generis. Hæc per nos formaliter consistit in cognitione, & obiective in coexistentia fundamenti & termini; sed multiplicato obiecto, necessario multiplicatur cognitio, nam cognitio, quæ semel ad vnum obiectum non terminatur, nec Divinitus ad illud terminari potest: & multiplicato constitutivo, necessario multiplicatur constitutum; ergo multiplicato termino multiplicatur relatio formalis; nempe cognitio comparans, & relatio obiectiva, nempe distinctus terminus constituens distinctam coexistentiam.

290. Prob. 2. in relationibus secundi generis. Hæc per nos consistit in actione; sed sicut cognitio, quæ semel terminata non fuit ad aliquod obiectum, nec Divinitus terminari potest ad illud; ita actio, quæ terminum semel non producit, nec Divinitus illum producere potest; cum sit modus essentialis sui termini, ergo. Hinc patet probatio ad relationem tertij generis, quæ in cognitione consistit; cognitio enim, quæ semel non fuit cognitio huius obiecti, nunquam potest illius esse cognitio; ergo multiplicato obiecto cognitio debet multiplicari.

291. Obj. 1. Eadem cognitio ad plura obiecta potest terminari; ergo eadem relatio ad plures terminos.

292. Resp. Dist. Antec. Si ea plura obiecta simul proponantur, ita vi fit eorum omnium cognitio, concedo. Si ea obiecta non proponantur simul, sed prius terminetur ad vnum, postea vero ad aliud, nego. Non dubito, eamdem cognitionem posse ad plura obiecta simul terminari, ac proinde idem fundamentum ad plures terminos referri; quidquid sit an diceretur talis cognitio plures relationes, nec ne: dicerentur tamen plures termini relati, sed ex hoc non sequitur, quod cognitio semel terminata ad aliquod obiectum, vel actio ad aliquem terminum, posito de novo alio, vel multiplicato termino alio, possint non multiplicari: in quo sensu præsens quæstio disquiritur.

293. Obj. 2. Bene potest relatio terminata ad vnum terminum, sine nova entitate, nova solum extensione sui alium terminum respicere. Sicut eadem species Angelica inuariata terminos de novo advenientes repræsentat; & eadem cognitio Divina cognoscit nunc Petrum existentem, quem antea vt existentem non cognoscebat.

294. Resp. Impossibile esse, quod modus extendatur ad esse modi alicuius termini, cuius semel non fuit modus

 sed

sed omnis relatio, sive primi, sive secundi, sive tertii generis est modus; ergo impossibile est eius extensio. Item nequit fieri extensio sine nova entitate reali, cum ea extensio sit ens reale. Ad 1. paritatem de speciebus Angelicis repręsentativis, si cum Sancto Thoma teneas, Angelis á Deo fuisse infusas species omnium rerum, ipsos que per species vniversales intelligere; dic, species, quę semel repræsentant quatuor obiecti, nunquam ea non repræsentare, & è contra, quę semel non repræsentant, nuuquam ea repręsentare. Si vero cum Scoto teneas; Angelos species haurire à rebus; dic, speciem vnius obiecti non extendi ad aliud, sed solum correspondere suo obiecto, cuius tantum est semen. Ad illud de scientia Dei respondeo: quod talis scientia non mutetur per adventum novi obiecti, est mysterium infinitatis, & libertatis *Dei*, quod ad discurrendum in rebus creatis non debet esse exemplar.

295 Obj. 3. Per additionem novæ partis relationis cum prima componentis, poterit Pater ad secundum Filium referri; ergo non est multiplicenda nova relatio; cum non detur vrgens necessitas.

296 Resp. talem compositionem novæ partis relationis esse chimæricam; quiá non est subiecti, & formæ, vt patet. Non est intensionis; nam in esse Patris nequit magis, & minus accipere. Non extensionis; quia est in eodem subiecto. Non denique continui, quia per vos hæc compositio est propria quantitatis, ergo.

297 Obj. 4. Producto secundo Filio perijt relatio prima, & alia, datur, quæ terminetur ad vtrumque; ergo. Resp. hac solutione multiplicationem terminorum non vitari. Insuper sine illo fundamento tot relationum strages per instans apponi. Quis vnquam probabile iudicavit per produtionem, aut mortem vnius hominis, immo per motum vnius paleæ totum orbem mutari, infinitas que relationes deperdi, & adquiri?

298 Obj. 5. Si multiplicatis Filijs Paternitates multiplicarentur, iam idem homo esset plures Patres; ergo. Sequela conceditur ab aliquibus cum P. Tellez, sed tu nega illam; nam vt multiplicentur concreta accidentalia, subiectum multiplicari debet, qualiter hic non multiplicatur; cum sit idem homo.

299 Obj. 6. Duo accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem subiecto; v. g. duæ albedines; aut duæ vbicationes; ergo neque duę relationes. Resp. Dist. antec. Duo accidentia ad idem munus ordinata, concedo; ad distinctum, nego. Ideo nequeunt coexistere duæ albedines, & vbicationes; at vero duę relationes reddunt distinctas denominationes, *Patris* iam respectu vnius, iam respectu alterius Filij; sicut duæ cognitiones, & duo amores solum numero distincti circa idem obiectum optime compatiuntur.

300 Ob. 7. Eadem potentia potest terminari ad plura obiecta; ergo eadem relatio ad plures terminos. Pessima paritas; aliás sicut sufficit vnus intellectus, & vna voluntas ad cognoscendum, & amandum omnia obiecta, ita vna cognitio, & vnus amor etiam sufficeret; ergo si non sufficiunt, quia potentia non est alligata termino illi determinato, aliter cognitio; ita in relatione discurre, vt pote modus essentialiter alligatus determinato termino.

SECTIO VIII.

ALIQUA DE RELATIONE necessarió scienda, & eius proprietates.

301 Rogas 1. Vtrum vna relatio possit esse fundamentum alterius? Thomistę cum Caiet. & Ioanne à Sancto Thom. & ex NN Vesq. Molina, & alij apud Linz. negant. Affirmant Scotistæ, & NN. communiter apud eundem Linz. Prob. Non minus sunt similes duę albedines, quam duæ relationes; sed duę albedines fundare possunt Relationes; ergo & duę relationes. Nec ex hoc sequeretur processus in infinitum cathegorematicus, sed solum sequeretur; posse intellectum iterum, iterumque reflectere supra similitudines formales, eas conferens interse, vsquedum fatigatus quiescat: cum tota formalis relatio in actibus ipsis intellectus consistat. Nec ad vnam rationem formalem detur alia: quia tunc prima relatio non se habet vt formaliter relatio, sed vt terminus, vel fundamentum.

302 Rogas. 2. Vtrum ratio fundandi semper debeat á fundamento distingui? Resp. affirmative, exceptá ratione fundandi relationem identitatis, quæ est essentia ipsius fundamenti; nam rationes fundandi relationes primi generis sunt qualitates, vel quantitates; sed ipsæ non sunt fundamentum; ergo fundamentum á ratione fundandi distinguitur. Prob. minor. Fundamentum relationis similitudinis, est quod refertur relatione similitudinis, & fundamentum relationis æqualitatis est, quod refertur relatione æqualitatis; sed ipsæ qualitates, & quantitates non referuntur relatione similitudinis, & ęqualitatis, sed relatione identitatis. Sicut duo homines, & duæ substantiæ. Ea enim relatione identitatis, quorum eadem est essentia, qualiter in duplici albedine, & induplici palmari reperitur; ergo. Pręterea; iuxta Aristot. ea sunt similia, quorum qualitas est vna, & ea ęqualia, quorum quantitas est vna; ergo iuxta Aristot. fundamenta relationis qualitatis; & quantitatis, non sunt qualitates, & quantitates, sed ea, quæ habent qualitatem, & quantitatem.

303 Ratio fundandi relationes secundi generis est actio; hanc autem á principio, quod est ratio fundandi distingui, non est dubium. Ratio fundandi relationem tertij Generis est cognitio: fundamentum vero huius relationis est cognoscens; hoc autem á cognitione distingui, quis dubitare poterit?

304 Rogas 3. Quid sit relatio *Ad*, & relatio *In*? Thomistæ ita relationem diuidunt in conceptum *Ad*, & in conceptum *In*. Conceptus *In* est ipsa relatio, vt inest fundamento. Conceptus *Ad* est ipsa relatio respiciens terminum. Thomistæ communiter asserunt; in relatione conceptum *Ad* esse ens reale; conceptum vero *In* esse ens rationis; sed immerito, quia vere, & realiter datur relatio, & similitudo; ergo tota eius essentia est vera, & realis; sed non minus est de essentiá relationis conceptus *In*, quam conceptus *Ad*; ergo vterque est ens reale.

305 Rogas 4. Quid sit relatio extrinsecus, & intrinsecus adueniens? Ita diuidunt Scotistæ relationem. Per relationem intrinsecus aduenientem intelligunt eam, quæ posito fundamen-

mento, & termino, necessario resultat; vt positis duobus albis relatio similitudinis. Per relationem extrinsecus aduenientem intilligunt eam, quę adhuc posito fundamento, & termino, aliquo alio indiget, vt resultet. Ita dicunt se habere vnionem, & actionem. Nam vnio est relatio materiæ ad formam, quia positâ materiá, & formá, non resultat necessario; & actio est relatio agentis ad passum, quibus positis, non resultaltat usquedum detur appoximatio. Contra hanc diuisionẽ inuehuntur communiter NN DD. Videas Linz. â num. 29.

306 Proprietates, quæ communiter attribuuntur relationi, sunt. 1. habere contrarium, hæc etiam competit qualitati, immo iuxta aliquos etiam substantię. 2. est accipere magis, & minus; hęc solum competit relationi similitudinis, reliquis vero non competit. 3. dici ad conuertentiam v. g. est Pater; ergo habet Filium: est Filius: ergo habet Patrem: hæc alijs, quæ non sunt relatiua prædicamentaliter, etiam competit.

DISPUTATIO U.

DE RELIQVIS PRÆDIcamentis.

307. ACTIO est exercitium, quo virtus activa producit in actu secundo effectum, denominatur que actualiter agens. Dividitur in creativam, quæ est productio rei ex nihilo; & eductivam, quæ est productio rei ex præsupposito subiecto. Item dividitur in immanentem, & est quę manet in eodem principio á quo fit; & in transeuntem, quæ non manet in eodem principio. In quo recipiatur actio. Item an omnis actio distinguatur á termino? Et alia ad Physicos pertinet.

308. *Passio*, est exercitium, quo virtus passiva, seu subiectum receptivum in se recipit effectum. Passionem realiter non distingui ab actione, sed solum ratione ratiocinata, vel ratiocinante tenent Nostri communiter contra Scotistas, & Thomistas hanc qualem qualem distinctionem sufficere ad constituenda diversa prædicamenta Aristotelis authoritate constricti dicere tenemur.

309. *Quando*, est ea forma vi cuius res existit in tempore, & dicitur duratio. An á re durante distingu tur? Physicus agam. *Dividitur* etiam in æternitatem á parte antea, & á parte post; æternitas á parte antea est duratio Dei; & æternitas á parte post, quæ non initio, sed fine caret, & est duratio Angelorum, & animæ rationalis. Item etiam dividitur in tempus sublunare, quod finem, & initium habet, & est duratio bruti. v.g.

310. *Vbi*, est ea forma, vi cuius res existit in loco, & appellatur *præsentia*. An distinguatur á re vbicata? Ad Phylosophiam attinet. Dividitur in definitivum, & circunscriptivum. Ubi definitivum est præsentia illa, per quam locatum est totum in toto spatio, & totum in qualibet parte; sic anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte; est propria rei spiritualis, miraculo è tamen ea gaudet Corpus Christi in Hostia consecarata. Vbi circunscriptivum est pręsentia illa, per quam res est in toto spatio, & quælibet pars in parte spatij; est propria rei corporeæ.

311. *Situs* est modus ille specialis; quo quis est in loco cum tali partium dispositione, vi cuius dicitur sedere, & stare, vel recumbere. Convenit solum rebus corporeis, & in hoc distinguitur ab *vbi*, quod etiam rebus spiritualibus competit. Unde non omne vbi est situs, attamen omnis situs est vbi. Si vero quis eadem dispositione partium perseverans ab aliquo extrinseco noveatur v.g. dum qui sedens ob navis, vel curriculi cursum spatium mutat, sicut mutat vbicationes, ita & situs mutare dicitur, moraliter tamen cum maneat eodem modo quoad se, censetur situm non mutare, ast vero cum non maneat eodem modo quoad locum, situm physicè mutat.

312. *Habere*, seu *habitus* est exercitium habendi circa se aliquid ab habente distinctum. V.g. habendi vestem, arma, &c. Vnde vestitum, et armatum resultat. Aliqui dicunt, solum denominationes extrinsecas artificiosas ad hoc prędicamentum spectare. Alij ad omnes extrinsecas denominationes, tam artificiosas, quam non artificiosas illud extendunt, v.g. esse amatum, cognitum, &c. resultat ex coexistentia subiecti habentis, & rei habitę; nempe in præsentia corporis, & vestis inter se approximatorum: ideo *habere* distinguitur â *situ*. Nam *situs* est præsentia partium corporis hoc, vel illo modo inter se localiter dispositarum; ast vero *habere* est præsentia corporis, & pręsentia vestis se ipsis approximantes corpus, & vestem. Non vero consistit in aliquo accidenti superaddito subiecto, & rei habitæ, vt tenent Thomistæ, Rubi. & Vallius; quia ablato á Deo tali accidenti permanente subiecto, & vestitu cum sufficiente approximatione dabitur formaliter vestitum; ergo & habere.

(o)

DISPVTATIO VI.

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

313. POstprædicamentorum tractatum quinque capita subiunxit Aristot. quæ postprædicamenta vocantur. In 1. egit de oppositione, de qua nos satis egimus in Summulis.

314. In 2. egit de modis essendi prius, & posterius, est quintuplex: primus tempore; sic Avus est prior tempore Nepotè. secundus in subsistendi consequentia; quando scilicet valet ab vno ad aliud, non vero è contra, hinc prioritatem habent rationes superiores respectu inferiorum; sic valet, *est homo; ergo animal*, nõ vero ê contra. Tertius dignitate; sic Princeps respectu vasalli, & Superior respectu subditi: quartus ordine; sic exordiũ orationis est prius epilogo: quintus causalitate, & hæc dicitur simpliciter prioritas naturæ. Hanc habent causę respectu effectuum. Ad hanc etiam reducitur prioritas originis, qua cum omnem causalitatem principium principiato præcedit; sic Pater Æternus est prior respectu Filij, & vterque respectu Spiritus Sancti. Tot modi posterioritatis, quot prioritatis sunt, sunt namque correlativi.

315. In 3. egit de simultate essendi. Hęc est triplex, temporis, naturæ, & divisionis generis. Simul tempore dicuntur ea, quę in eodem tempore simul durant, v.g. Petrus, & Paulus in hac die. Simul natura dicuntur ea, quæ mutuo inferuntur sine vllá causalitate mutua, vel non mutua v. g. inter duo alba simila, nam valet hoc album existit simile illi; ergo illud existit si-

mile

mille hic. Simul divisione generis dicuntur ea, quæ simul genus dicunt, vt species, & differentiæ.

316. In 4. egit de motu, qui communiter definitur actus entis in potentia prout in potentia. *Pro motu* speciale prędicamentum non datur, pertinet namque ad prædicamentum actionis, & passionis.

317. In 5. egit de varijs modis habendi. Septem assignavit, & potuit assignare septem millia. Primus, habere dispositionem, seu affectionem qualitatis, vt habere scientiam. Secundus habere aliquid circum positum, vt habere vestem. Tertius habere quantitatem. Quartus habere partem integrantem, vt habere manus. Quintus habere aliquid in alio contentum, vt aurum in scrinio. Sextus habere amicos. Septimus habere bona, vt divitias, & honores.

TRACTATVS VI.

IN LIBROS DE PERYHERMENIJS, SEU DE INTERPRETATIONE.

1 DVOBVS libris, qui gręcè peryhermenias, latine de interpretatione dicũtur, egit Aristoteles de propositione, & eius partibus, de signo, nomine, verbo, loquutione & Scriptura. Item de veritate, & falsitate propositionum, de propositione, & eius partibus. De nomine & verbo satis egimus in Summulis. De veritate, & falsitate in libris de anima agi solet; sed quia maximè vtile est veritatem scire, & falsitatem dignoscere, de eis ea, qua conamur veritate, agere decrevi; sed prius sit

SECTIO I

IN QVA ALIQVA DE *Scripturá, & locutione prælibantur.*

2 ROgas 1. Quid sit locutio? Dico. *Locutio est manifestatio, quâ intelligens intelligenti aliquid, quod in mente habet significat.* Convenit omni locutioni angelicæ, & humanæ. Hinc colliges 1. contra P. Compt. in loquente requiri propriam cognitionem significationis vocum, & rei per voces significatæ, ideo que amentes, & qui penitus ignarus linguæ grecæ v. g. aliquas voces grecas proferret, non loqui proprie, & simpliciter, quia amentes non

non percipiunt rem significatam, & ignarus linguæ grecæ nescit vocum significationem. Colliges 2. Requiri etiam ad locutionem humanam vocem arcticulatam; dixi ad locutionem humanam, quia ad locutionem angelicam sonus articulatus non requiritur.

3 Colliges 3. cum P. Hurt. d. 8. Log. sect. 2. contra P. Compt. ad propriam locutionem requiri intelligentiam, vel adminus capacitatem intelligentię in eo, ad quem dirigitur locutio: aliás diceretur nos loqui ad parietes, lapides, & c. Unde cum dicitur Christum imperasse ventis, & mare; Iosue Soli, & Lunæ fuisse locutum, & c. intelligendum est de impropriá locutione. Colliges 4. Requiri in loquente voluntatem, qua dirigat locutionem in audientem animo rem manifestandi: ideoque si audiat voces aliquis, ad quem verba non diriguntur à loquente, & forte respondeat, illi communiter, qui loquitur, dicere solet: *Tecum non loquor.*

4 Rogas 2. Quid sit locutionis obiectum; res scilicet, an conceptus? Scotus asserit, solam remesse locutionis obiectum, quia si quis monet aliquem v. g. parietem iam in ipsum imminere; non conceptum mentis, sed periculum imminens significare intendit. Thomistę dicunt, esse mixtum resultans ex conceptu, & re ipsá. Dico cum Hurt. Attentá vocum naturá obiectum primarium locutionis est res, secundarium tamen, & minus principale est conceptus mentis, Dum enim res manifestatur á loquente, etiam manifestat, se talem rem mente concepisse. Si tamen attendatur finis loquentis, sæpe solet esse obiectum pręcipiuum locutionis conceptus mentis, nam sępe quod intenditur manifestare potius est conceptus loquentis, quam res per voces significatæ.

5 Rogas. 3. Quid sit scriptura? Resp. *esse ordinata elementorum dispositio.* Differt á hyeroglíphicis, & simbolis, quibus Cinæ vtuntur, Romanis que in vsu ętis retro seculis erant, quę sunt improprie scriptura. Hanc immediate significare res, & non voces, patet, quia se habent vt pictura, & figura rerum, quę sine vocum notitiá possunt certe in rerum noticiam ducere. Vtrum autem scriptura significet immediate res, aut voces, iure optimo dubitatur. P. Arriaga, conimbric. Et alij dicunt, immediatè significare voces, & mediate res, quia, & si aliquis legat voces gręcas scriptas v. g. si ignorat quid, voces illę significent, res nullo modo cognoscit; ergo vt per scripturam in rerum cognitionem deueniat, prius in vocum significationem devenire debet; ergo scriptura res nõ immediate, sed mediate significat.

6 P. Compt. asserit, scripturam de facto res, & non voces immediate significare; tum, quia homines ita possent scripturam instituere vt immediate res, & non voces significarent; cum totum hoc ab hominum placito dependeat; ergo de facto ita institutam fuisse verisimilius est; frustra namque fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora, ad quid ergo ambages scripturę ad voces, à vocibus ad res, cum immediate ex ipsá scripturá ad res possit dari significatio? Tum paritate simboli, figuræ, & hyeroglíphici, quæ immediate significant res; ergo similiter scriptura. Uterque hic modus discurrendi est probalis.

SEC

SECTIO II.

QVID SIT SIGNUM, AN conueniat termino Logico?

7 Signum vniuersaliter est id, *quod ducit nos in notitiam alicuius.* Ponitur *alicuius*, & non *alterius* ne excludatur á ratione signi, signum sui ipsius reflexivum, quod non ducit in cognitionem alterius, cum ipse non sit alterum á se, & an detur sect. sequenti videbimus. Ly *alicuius* non sumitur strictè, nam cognitio entis rationis, quod non est aliquid strictè, est signum. Est duplex: formale, quod se ipso, quin prius reflexè cognoscatur, ducit immediatè in cognitionem alicuius. Ita se habent omnes cognitiones, & actus vitales, qui absque eo, quod cognoscantur reflexè per aliam cognitionem, ducunt intellectum in notitiam obiecti. Et instrumentale, quod prius reflexe cognitum ducit nos in notitiam alicuius; sic fumus ducit in notitiam ignis: Imago ducit in notitiam prototipi. Et hoc solum definit Augustinus. l. 2. de doctrina Christi, cap. 1. Sic: signum *est quod præpter speciem sui, quam ingerit sensibus facit al quid aliud in cognitionem venire.*

8 Signum instrumentale diuiditur in naturale, & ad placitum. Signum naturale est, quod independenter ab hominum arbitrio significat, vt gemitus dolorem; lacrimæ animi pressuram. Signum ad placitum est, quod ab hominum voluntate, & arbitrio significat: vt ramus pendulus in nostra civitate nivem vendibilem.

9 Signum etiã diuiditur in practicũ, & est quod causat rẽ, quam significat: Sic sacramenta novæ legis sunt signũ gratiæ. Et in speculativum, vt est quod non causat rem quam significat: Sic Sacramenta veteris legis non caussabant gratiam, cuius signum erant.

10 Item diuiditur in memorativum, quod rem præteritam in memoriam revocat: vt Iris signum fæderis Dñi circa pacem vniuersi. Demonstrativum, quod rem præsentem demonstrat: vt fumus ignem. Prognosticon, quod rem futuram ostendit: vt nubila tempestatem.

11 Hinc inferto 1. omnes actus intellectus, ac proinde terminos Logicos mentales esse signa formalia, & naturalia obiectorum: formalia, quia se ipsis absque vlla reflexione alterius cognitionis supra ipsos ducũt in notitiam obiectorum: naturalia, quia ex naturá suá absque hominum arbitrio ea significant, & repræsentant.

12 Infer. 2. Voces esse signum naturale instrumentale conceptus mẽtis de ipsis efformati proferentis eas, & actus voluntatis, quo vult talem prolationem. Dum enim voces audio, cognosco prius mente fuisse conceptas tales voces, esse aliquam personam eas proferentem, & voluntatem proferendi eas; licet raró hæc reflexio ab audientibus fiat. Est instrumentale, quia prius cognitis, & auditis vocibus devenim in cognitionem actus, proferentis, & voluntatis.

13. Inferes 3. Voces esse signa ad placitum obiectorum, ad quæ significanda sunt institutæ, cum tota earum significatio ab hominum placito dependeat. Si enim hęc vox homo ad significandum animal rationale applicata est, poterat ad lapidem significandum applicari, & è contra. An autem preter hanc arbitrariam significationem, iuxta quam sunt absque dubio termini formales, & illam naturalem, num. antec. positam, detur in vocibus alia naturalis sui ipsarum significatio, & an hæc sufficiens sit, vt termini formales dicantur; erit

SECTIO III.

AN VOCES NON SIGNIFIcativæ sint termini formales?

14. Prima sententia negat. Ita Damasc. Fonseca. Complut. Ioannes à S. Tho. Ioannis. Cern. Ortiz, & Cabrera.

15. Secunda sententia affirmat. Ita P. Arriaga num. 5. vterque P. Peñafiel. P. Oviedo. P. Francisc. Alphons. Ponce. Bonesp. Spinula, & P. Olea d. 11. num. 2.

16. Suppono, dari aliquas voces non significativas. Statim se se ingerunt celebres illæ *Blictiri, & sindapsus*, quę velut quædam spectra, laruaria que monstra pueriles tyronum mentes terrent. Licet vt terrorem excutiat Sapientiss. P. Martinus del Rio; sindapsum musicum instrumentum, fidium que sonum blictiri significari, asserat. Sed vt detur quæstioni locus, nil significare ad placitum, suppone, vel alias non significativas tibi finge.

17. Hinc cognosces, quæsito non satisfacere ingeniosissimum quēdam Neothericus in Platensi Vniversitate Lectorẽ, qui vt defendat voces non significativas esse terminos, asserit in suis principijs subiectum formale, sicut & prædicatum, constitui in esse subiecti, & prædicati per vnionem formalem; ac proinde subiectum huius propositionis *blictiri est vox* significare ad placitum ratione vnionis, qua constituitur, ideo que esse terminum formalem. Non inquam satisfacit, quia hic debet supponi nihil significare talem vocem, quid quid sit an alias significet, nec ne. Vnde destruit suppositum quæstionis. Audias, si interrogatum tua satisfiat responsione. Rogatum est. In hac propositione *blictiri est vox*, ly blictiri, vt est vox nihil ad placitum significans, est ne terminus formalis? Responsio. *Est terminus formalis, quia significat ad placitum.* Certè meo videri non satisfacis, nec directê respondes. Itaque vel dic, in tuis principijs non dari locum quæstioni, quia nequit in eis concipi subiectum formale non significativum saltem inadæquatè ad placitum, vel suppone exercitij gratia, non constitui subiectum per vnionem.

18. Minus satisfacit quidam nostras ingeniosus Recens, qui vt asserat voces non significativas esse terminos formales, prius probat, vocem non significativam esse significativam ad placitum non rei á se distinctæ, sicut *homo, leo*, &c. sed sui ipsius. Quod probat 1. Cum concipit intellectus vocem non significativam v.g. *Blictiri*, & ego profero illam vocem, ad repræsentandum obiectum actus intellectus profero; sed pro ferre vocem repręsentati, vam obiecti actus intellectus pro libito proferentis fit, poterat enim talem vocem non proferre; ergo saltem ex intentione loquentis illa vox erit significativa ad placitum sui ipsius; sicut enim vox significativa ad placitum constituitur per voluntatem, & intentionem imponentium vocibus significationem arbitrariam, qui volunt has voces v.g. *omne nomen, omnis vox*, significare omnia nomina, & voces ratione tendentię intentionalis actus voluntatis in ipsas; ita *Blictiri*, & quævis vox non significatiua constituitur per voluntatem, & intentionem vtentis ad manifestandum obiectum actus intellectus eam habentis vt obiectum.

119 Probat. 2. Quia hic, & nunc *Blictiri*, vt constituens hanc propositionem *Blictiri est sonus* est signum ad placitum propositionis mentalis affirmantis de *Blictiri* esse sonum, poterat enim repræsentare aliam propositionem mentalem, qua diceretur *Blictiri est animal rationale*, si ad significandum hominem institueretur, vt institui poterat, & tunc non repræsentaret vt obiectum se ipsam, sed hominem; ergo quod nunc seipsam, & non hominem repręsentet à libito hominis pendet.

120 Probat 3. Impossibile est, quod vox non significatiua ad placitum non significet saltim, se ipsam, nihil á se distinctum significare; sed hoc est pro libito hominum; ergo. Prob. Mai. poterat ex placito hominum aliquid à se distinctum significare; ergo significate nihil á se distinctum est significatio ad placitum.

121 His fundamentis, quæ certe passim apud Neothericos manu scribentes inuenies, sitam, quam specialem conclusionem vocant; tuetur ingeniosus Nodernus, scilicet; quod Blictiri sit terminus Logicus, quia est significativum ad placitum sui ipsius. Vide iam infundamento ipso suppositum quæstionis eversum.

122. Sed vt videas probationum falsitatem, & necessariam pro æquivocis soluendis doctrinam accipias. Scias; aliud esse significationem, & aliud exercitium significationis. Significatio naturalis ab hominum voluntate non pendet, ast vero exercitium talis significationis subiacet hominum arbitrio. Significatio ad placitum ab hominum placito pendet, sicut & eius exercitium. Vnde licet in significatione quasi in actu primo, naturalis, & artificialis differant, in eo quod naturalis est independens, artificialis vero dependens ab hominum arbitrio; in significatione in actu 2. hic, & nunc, & in exercitio talis significationis in actu 2. æque á voluntate applicantis, & vtentis, naturalis, & artificialis dependet significatio. Ideo que certum est, dependere ab arbitrio concipientis *Blictiri*, proferre illam vocem significativam obiecti, & expressivam talis conceptus, poterat namque illam non proferre. Sed hac voluntas nullo modo constituit talem vocem in esse significativę, sed solum in esse, hic, & nunc significantis, sicut nec voluntas illa, qua vellem proferre hanc vocem *homo* ad significandum conceptum mentis de animali rationali constitueret illam vocem in esse significativæ ad placitum, quia hoc iam supponitur per voluntates instituentium constitutum, sed in esse significantis hic, & nunc. Vnde aliud est *significat ad placitum*; quod quidem inuoluit exercitium significationis, & aliud esse significativam ad placitum. Ex probationibus ergo solum infertur; Blictiri, & cęteras voces non significatiuas significare ad placitum, quod certe á nemine, nec negatum, nec dubitatum est; non vero infertur, esse significativas ad placitum sui ipsarum.

123. Ad 2. prob. Dico. Certum est, illam vocem *Blictiri* habere non repugnantiam, vt ex hominum instituto significet hominem. Vnde quod talis vox non sit significativa hominis, dependet á voluntate saltem omissiva hominum, qui talem significationem illi non imposuerunt, & etiam si talem significationem illi imposuissent, vt hic & nunc in illa vsurparetur, dependeret á voluntate particulari loquentis, nam cum quælibet vox significativa ad placitum ad minus habeat duplicem significationem, naturalem vnam, artificialem aliam, quod autem in hac, vel illa vtatur, dependet á voluntate vtentis. Ex voluntate enim hominum pēdet, quod de hac voce *homo* dicatur esse hic *vocem*, quod est significatio eius naturalis; & esse *animal rationale*, quod est significatio artificialis. Vnde casu quo applicata esset ad significandum *hominem* talis vox *Blictiri*, dependeret â voluntate hominis, quod acciperet hic, & nunc pro homine, & non pro se, non tamen dependeret á tali voluntate, quod in actu primo esset significava sui, hoc enim invariabiliter, & ex se habet.

124. Ad 3. Prob. Dico, quod si maior prima esset vera, totum argumentum convinceret nullam dari vocem non significativam ad placitum, quod est contra suppositum quæstionis. Sed falsissimum est vocem non significativam habere pro significato, se non significare aliquid á se distinctum; sicut nec vox significativa ad placitum habet pro significato, se significare aliquid distinctum à se; neque datur aliqua vox ad hoc significandum instituta; talis enim vox iam non esset significativa, sed significativa ad placitum vocis non significativæ. Vnde si *Blictiri* esset instituta ad hoc, iam Blictiri esset significativum ad placitum; & de eo quæstio non procederet. Blictiri ergo significat sonum ex talibus syllabis compositum, & nihil aliud. Iam dixi; dependere ab hominum placito saltem omissivo, quod talis vox non significativa sit alterius á se distincti. Ex quo solum infertur; esse non significativam ad placitum, non vero esse significativam ad placitum sui ipsorum. His suppositis.

125. *Dico* 1. Voces non significativæ non sunt termini formales. Prob. Si voces non significativæ essent termini, maximè quia se naturaliter significarent in his, & similibus propositionibus v.g. *Blictiri est vox*: *sindapsus est sonus*, &c. Sed tales voces nequeunt esse signa naturalia sui, nec se naturaliter significare; ergo Maior est certa. & certè miror, Neothericum ingeniosum de illa aliquo modo dubitare, cum alias iuxta ipsum, & omnes, subiectum formale sit, quod repræsentat subiectū obiectivum, & in illis propositionibus *Blictiri* se habeat vt subiectum formale; ergo debet esse repræsentatio subiecti obiectiui. Prob. Minor. 1. á qua tota quęstionis decisio pendet. Omne signum ducit in cognitionem rei significatæ, vel ratione tendentię intentionalis in ipsam, vel ratione connexionis cū ipsa. primū patet in actibus vitalibus ducentibus potentias in obiectum ratione tendentiæ; & etiam in omni signo ad placitum ducente in significatum ratione actuum voluntatis instituentium. Secundum constat in omni signo naturali causarum respectu effectuum, effectuum respectu causarum, &c. Sed Blictiri non ducit in cognitionem sui ratione tendentiæ intentionalis, vt per se patet: si quidem non est actus vitalis; nec ratione connexionis, quia connexio requirit distinctionem, quæ non reperitur inter vocem, & se ipsam; ergo. Invenire, & fingere alium modum ducendi in cognitionem, vt verificetur de hac, & similibus vocibus, est manifestestè petere principium.

126. Prob. 2. eadem Minor. Blictiri, & sindapsus sunt quidam sonus taliter prolati; sed sonus vt sonus, taliter prolatus nullo modo se significat; alias quilibet sonus, vel strepitus coelorum, manuum, timpani, pedum, &c. essent reflexe significativi sui ipsorum, quod omnino voluntarium est absque vllo fundamento, & contra communem modum loquendi, & cum vix talis reflexio concedatur cognitioni ab Authoribus, quomodo tot rebus concedenda erit?

127. Insuper. Ideo Blictiri, vt signum duceret in notitiā sui, quia qui audiret talem sonum in notitiam Blictiri de-

deueniret, vel quia vi talis sonus ipsummet Blictiri præsens se faceret perceptui; sed hoc non sufficit, vt ducat tanquam signum in notitiam sui. 1. quia ex eo sequeretur, omne obiectum visus, auditus, odoratus, & tactus esse signa reflexa naturalia sui ipsorum; quod quisquam, nisi omnino voluntariè dicet. Qui enim percipit talia obiecta statim in notitiam ipsorum venit, ipsa que se ipsis, eo modo, quo Blictiri præsentia faciunt intellectui. 2. quia inde solum sequitur, cognitis talibus vocibus, ipsas non ignorari, non quia ipsa sunt signa, sed quia cum sint idem secum ipsis, eo ipso quod cognoscantur, ignorari nequeunt; ergo tales voces signa non sunt; ergo neque termini.

28. Consulto alias probationes allatas à P. Quiroz, & alijs omitto, vel quia non probant, vel quia facillimê ab eis se expediunt Aduersarij.

29. Dico. 2. In illa propositione *Blictiri est vox*, & similibus: ly *Blictiri* non est subiectum formale, quia non est repræsentatio subiecti obiectivi, vt probatum manet. Est tamen subiectum obiectivum, quia de illo dicitur, & prædicatur, esse vocem, & id, de quo aliquid dicitur est subiectum obiectivum vt ex eius definitione constat. Subiectum vero formale est aliud sub intellectum scilicet *Hæc dictio, Hæc, vox Hæc particula*. Vnde sensus illius propositionis *Blictiri est vox* ita se habet *Hæc vox Blictiri est vox*, ita enim vitatur talis obscura reflexio vocum, & facilius sensus propositionis percipitur. Et licet contraria sententia esset æquè probabilis, hæc clarior, ideoque defensanda. Uide P. Fonsecam lib. 1. instr. *Dial.* c. 16. asserentem semper Dialecticos tales voces eis propositionibus addidisse, vel si aliquid brevitatis ergo omiserunt, eas semper subintelligi voluisse.

30 Prob. Hoc ab inconvenienti. Si non esset addenda *hæc vox*, &c. pro subiecto formali illius propositionis *Blictiri est vox*, sed se ipso ingrederetur obiectivum Blictiri in illius constitutionem, sequeretur, & esse subiectum formale quælibet res physica, v. g. *Petrus* si illo viso, digito signans dicerem *En homo*, & quilibet strepitus esset terminus formalis, si illo audito, dicerem *en sonus*. Vnde iam propositio esset mixtum quoddã chimæricum ex rebus, & vocibus; ergo sicut in sensu logico, in illis propositionibus *En homo En sonus*, etsi sint integræ propositiones, subintelligitur in prima *Hic Petrus*, in secunda *Hic sonus*; ita in hac propositione *Blictiri est vox* debet subintelligi *Hæc vox Hæc particula*.

31. Si tamen dicas cum P. Linze, & P. Quiroz, res non esse in casu posito terminos formales, quia esse terminum est proprium, vel conceptuum mentis, vel vocum. Pulchre petis principium. Hoc enim inquiro, cur de *Blictiri* ore prolato, & non de re digito signata dicetur esse terminum: cum tam de re, quam de voce æque dicatur aliquid? Respondere, quia res non est vox, & quia vox est vox, vides iam esse petitionem principij.

32. Si tamen dicas cum P Linzeo, & ingenioso Neotherico (vnde miror; alium satis ingeniosum Neothericum Disp. 1. sum. sect. 5. num. 58. dixisse. Hoc ab Aduersarijs non admitti) res ipsas esse terminos formales, Oneri succumbis: contra communem sensum loqueris: omnino voluntarie procedis; & contra te argumentum, quo probo, signum debere distingui a re significata, iterum instituam.

()()
()

SVBSECTIO VNICA.

ARGVMENTA SOLvuntur.

33. OBj. 1. Contra 1. conclus. Blictiri etiam significat aliud à se; nempe prolatorem, conceptum mentis, voluntatem proferentis, & omnia Blictiria possibilia; ergo potest esse terminus.

Resp. Transeat. Anteced. & nego conseq. In Blictiri significatio prolatoris, actus voluntatis, & intellectus proferentis omnino materialiter se habent, vt illud in ratione termini constituat; hæc enim significat vt terminos connexionis, non vt obiectum, sed solum significatio obiecti formaliter se habet, vt aliquid constituatur in ratione termini; quia id solum formaliter se habet ad rationem termini formalis, constituit aliquid in esse subiecti, vel prædicati formalis, quod solum est repræsentatio subiecti, & prædicati obiectivi: nam subiectum formale est, quod repræsentat subiectum obiectivum, & similiter prædicatum; quæ quidem repræsentatio non datur in Blictiri, vt iam probatum manet. Ergo etiamsi repræsentet vt terminos prolatorem, actus intellectus, & voluntatis proferentis, non inde infertur esse terminum formalem. Et sicut in hac propositione, *Homo est vox*, materialiter se habet significatio ad placitum, quia homo non est vox, quatenus significat ad placitum, & ablata per impossibile tali significatione adhuc maneret vox; ita in hac propositione *Blictiri est vox*, significatio prolatoris v.g. omnino materialiter se habet, cum adhuc per impossibile tali significatione ablatâ ęque maneret vox.

34. Præterea. Blictiri nullo modo potest sortiri rationem signi, neque respectu sui, neque respectu aliorum Blictiri, quia non esset ratione tendentiæ, cum non sit actus intentionalis, nec ratione connexionis, quam cum omnibus *Blictirijs* non habet. Nescio ergo quomodo talis vox particularis omnia Blictiria similia repræsentet, & significet.

35. Obj 2. In his propositionibus: *Homo est vox: Leo est nomen*, ly *homo*, & *Leo* voces aliás significativæ ad placitũ solum habent naturalem significationem sui; sed sunt termini formales; quia alioquin nec voces significativæ ad placitum essent termini; ergo significatio naturalis sui sufficit, vt Blictiri sit terminus formalis.

36. Resp. Concedo Maior. & nego Minor. & dist. probationem ab inconvenienti. Alias voces non significativę ad placitum non essent termini; vt significativæ ad placitum, nego: vt non significativæ ad placitum, concedo. In illis propositionibus *Homo est vox* v.g. ly *homo* materialiter se habet vt significatiua ad placitum, hanc enim significationem non exercet illic. Vnde de illis propositionibus eodem modo, ac de hac *Blictiri est vox*, discurrendum est; dicendum quę, quod ly *homo*, & *Leo* se habent vt subiecta obiectiua, subiectum vero formale esse aliud subintellectum, scilicet *hac vox: hac dictio*, &c. Idem dic de illis propositionibus *Amo est verbum*: *Nomen est neutrius generis*, *hac vox amo*: *hac vox nomen*, &c. Vnde miror, aliquos Doctores tali argumento niti, præcipue sapientissimum Magistrum eo, vt appositum est ame, vtentem.

37 Obj. 3. In illa propositione Blictiri est subiectum formale; ergo est terminus. Prob. antec. Quia supponit pro subiecto mentali; quę est

proprietas termini vocalis: ergo.

38 Resp. Nego antec. Blictiri enim solum est subiectum obiectivum, subiectum vero formale est *hac vox* quæ subintelligitur. Sicut enim Petrus obiective existens repræsentatus per hanc propositionem formalem *Petrus est homo* non esset terminus, nec subiectum formale, sed terminus, & subiectum obiective, ita Blictiri repręsentatum per hanc propositionem formalem *Hac vox Blictiri est vox*, solum est terminus, & subiectum obiectivum.

39 Ad probationem nego etiam illam. Nam ly *Blictiri* non supponit pro conceptu mentis, sicut Petrus obiective sumptus non supponit pro actu intellectus illum repræsentante, solum enim supponit pro subiecto mentali illo sub intellecto, scilicet *hac vox*, vel *hac particula*. Nam supponere vnum pro alio est poni loco illius ad præstandum id, quid ipsum erat facturum, & solum ly *hac vox*, & non ly *Blictiri* præstat id, quod subiectum formale erat facturum, quia solum ly *hac vox* repręsentat subiectum obiectivum *Blictiri*, & ipsum se nequit repræsentare, vt iam manet probatum.

40 Obj. 4. Vox significatiua ad placitum potest supra se ipsam reflectere, & esse simul terminus formalis, & obiectivus v. g. *Omnis vox*, *omne nomen*; ergo etiam non significativa.

41 Resp. conc. antec, & nego conseq. Vox enim ad placitum significatiua dicit pro formali voluntatem instituentium iuxta probabiliorem sententiam. Vnde ratione talis voluntatis dicit tendentiam in rem significatam, constituitur que in ratione signi etiam sui ipsius per illam. ast vero vox nõ significatiua nullam habet tendentiam in se, ratione cuius possit supra se reflectere.

42 Obj. 5. Actus intellectus potest supra se reflectere, vel adæquate, vt hic, *ego sum qualitas*, vel saltem inadæquate, vt hic, *omnis cognitio est repræsentatiua obiecti*; ergo & Blictiri poterit supra se ipsum reflectere.

43 Resp. transeat antec. præcipue circa reflexionem adæquatam, in qua datur specialis difficultas in libris de Anima tractanda, & nego conseq. Quia actus intellectus cum sit tendentia intentionalis in obiectū poterit esse signum sui, seque significare; ast vero Blictiri, neque ratione tendentiæ, neque ratione connexionis se ipsam repræsentare potest.

44. Objic. 6. & Repl. Quamvis Petrus se non repræsentet, & si tamen per se ipsum præsens fiat huic loco, erit pars connexionis, & concursus hic accidentis; ergo pariter licet Blictiri se non repræsentet, si per se ipsum præsens fiat propositioni, illam vt pars constituet; ergo vt terminus.

45 Iam hoc impugnatum est supra, vide probationem 2. Secudæ conclus. Reddo disparitatem. De essentia connexionis, eius que partium non est repręsentare, nec significare, sed solum hic accidere, vnde Petrus per se ipsum accedendo potest fieri pars concursus, & connexionis: de essentia vero propositionis formalis est, quod eius termini, prędicatum scilicet, & subiectum sint signa, & repræsentationes prędicati, & subiecti obiectivi. Hinc inferes, quod licet Blictiri coexistat cum partibus constituentibus propositionem, non tamen coexistit vt pars constitutiva, sicut licet Angelus dum producitur aliquod compositum, coexistat penetratus cum eius partibus, non constituit illud, neque coexistit vt pars; pars namque propositionis, vt talis debet esse repræsentativa.

46. Obj. 7. Blictiri est signum sub-

subiecti formalis illud repræsentantis: ergo supponit pro ipso. Prob. Antec. Audito *Blictiri* statim venimus in notitiam actus intellectus repræsentantis Blictiri; ergo.

47. Resp. Nego Antec. Sicut enim *Petrus* non est signum actus intellectus repræsentantis ipsum, ita nec Blictiri est signum, sed obiectum subiecti formalis, illud repræsentantis, signum vero talis subiecti est illud subintellectum *hac vox*. Ast vero cum præter rationem subiecti obiectivi habeat etiã Blictiri rationem vocis tunc prolatæ, quatenus vox erit signum, non subiecti materialis, sed alterius actus intellectus, qui potest esse aliqua apprehensio illuminans voluntatem (ne feratur in incognitum) vt imperet prolationem vocis, applicando potentiam extrinsecam elocutivam.

48 Obj. 8. & est Replica ad quartum argumentum. Per nos ly *omne nomen* est signum ad placitum sui ipsius ratione voluntatis constituentis illud in esse significativæ ad placitum; ergo ly *Blictiri* poterit ad minus cum illo subintellecto *hæc vox* esse signum sincathegorematicum ratione voluntatis constituentis ly *hanc vocem* in esse signi ad placitum omnis vocis.

49. Resp. Concedo Antec. & nego conseq. Nam solum accipit denominationem ab aliqua forma subiectum, cui talis forma vnitur, non vero alterum materialiter coexistens. Sic licet Angelus esset penetratus cum materia, cum informatur forma, materia denominaretur informata, & non Angelus, cui forma non vnitur. Cum autem voluntas instituentium voces in esse significativarum vniatur ly *huic voci* subintellectæ, & non ly *Blictiri*, etiamsi hoc coexistat, nunquam, nec partialiter, denominabitur signum.

50. Obj 9. Illud est subiectum formale, de quo enuntiatur prædicatum; sed de Blictiri enuntiatur, esse vocem, ergo.

51. Resp. dist. Maio. De quo enuntiatur prædicatum vt *quod*, & in essendo, nego: vt *quo*, & in repræsentando, concedo. De Blictiri enuntiatur prædicatum vt quod, & in essendo, ideo est subiectum obiectivum. De subaudito illo *Hac vox* prædicatur vt *quo*, & in repræsentando, ideo est subiectum formale.

52. Objic. 10. Non repugnat idem esse subiectum vt *quod*, & vt *quo* in essendo, & in repręsentando; ergo Blictiri ita se habebit. Prob. Antec. Eademmet vbicatio vbicatur vt quod per se ipsam, & vt quo respectu subiecti. Eademmet vnio vnitur vt quod, & est vnio respectu extremorum. Et eadem cognitio reflexa est cognita vt quod, & etiam vt quo; ergo similiter.

53 Resp. transeat antec, & nego conseq. Iam supra dixi, ly *omne nomen*, *omnis vox* esse simul subiectum in essendo, & in repræsentando vt *quo*, & vt *quod*, idem quæ admisi in cognitione reflexa; ast vero, cum in Blictiri non detur tendentia intentionalis in se ipsum, vel connexio, sicut habent ly *omnis vox*, & *cognitio reflexa*; ratione cuius erat constituendum in ratione subiecti vt *quo*, scilicet esse repręsentatiui subiecti vt *quod*, non participat talem denominationem; ast vero vbicatio, vnio, &c. habent quid quid requiritur, vt sint vbicata, & vnita vt *quo*, & vt *quod*.

54 Obj. 11. contra 2. conclus. In hac propositione *Petrus est homo*, ly *Petrus* est subiectum, & non aliud subintellectum; ergo in hac *Blictiri est vox*, ly *Blictiri* erit subiectum, & non vox sub intellecta.

55 Resp. Quod *Petrus* est signum ad placitum ex se subiecti obiectivi, vnde non est aliud sub intelligendum: ast vero Blictiri se signifi-

care

care nequit; vnde, vt detur subiectum formale in illa propositione, sub intelligenda est *hæc vox*.

56 Obj. 12. In hac propositione *Blictiri est vox non significativa ad placitum*, nequit subaudiri vt subiectum formale *hæc vox*; ergo. Prob. antec. Illud est subiectum formale in illa propositione, de quo verificatur prędicatum, scilicet non esse significativam ad placitum; sed de ly *hæc vox* non verificatur, non esse significativum ad placitum; cum sit significativum ad placitum omnis vocis; ergo solum verificatur de Blictiri.

57 Resp. nego antec. ad probationem distinguo maiorem: De quo verificatur vt *quo*, concedo: de quo verificatur *vt quod*, nego. Solutio claret ex definitione vtriusque subiecti formalis, & obiectivi. Subiectum obiectivum est, de quo prędicatum debet verificari vt quod, ideo que de Blictiri, quod est subiectum obiectivum illius propositionis verificatur vt quod, non esse vocem significativam ad placitum. Subiectum formale est, de quo verificatur vt quo, id est, de quo verificatur, esse repræsentativum illius, de quo verificatur prædicatum, ideo que de illo subaudito, scilicet *hæc vox*, verificatur repræsentare Blictiri, cui competit re ipsa prædicatum non significativi ad placitum. Hoc patet in quacumque prędicatione. Dũ dico *Petrus est homo*, de Petro, vt est subiectum formale, non verificatur esse hominem, sed solum repræsentare Petrum obiectivum, de quo reipsa verificatur.

58 Obj. 13. Vnum contrarium non ponitur loco alterius, v.g. calor summus loco frigoris; ergo neque ly *hæc vox* loco Blictiri; cum ly *hæc vox* sit significatiua, & Blictiri non sit significativum.

59 Resp. Transf. antec. Frigus enim, & calor opponuntur in ordine ad coexistendum in eodem subiecto, & nego conseq. & suppositum, quod ly *hæc vox* ponatur loco Blictiri; solum enim ponitur loco subiecti mentalis, licet repręsentet ipsum Blictiri, quod se habet vt subiectum obiectivum. Non enim repugnat, vocem significativam repræsentare vt obiectum vocem non significativam. Sicut non repugnat, quod vox, quæ est quoddam accidens repræsentet vt obiectum substantiam.

60 Obj. 14. Subiectum formale debet determinate significare subiectum obiectivum; sed ly *hæc vox* non significat determinatè subiectum obiectum *Blictiri*, sed indeterminatê quamlibet vocem; ergo.

61 Resp. Quod vi illius adiectivi *hæc*, quod quidem demostrativum est, determinatè significatur subiectum obiectivum, nequit que applicari cuilibet voci; sicut licet homo sit ex se indifferens ad significandum omnem hominem, cum additur, dicitur que *hic homo est Petrus*, ratione illius adiectiui demostratiui *hic* determinate significat Petrum: & per verba consecrationis *hoc est corpus*: *hic est sanguis*: ly corpus, & ly sanguis ratione demostrationis *hoc*, & *hic* non quodcumque corpus, & quemque sanguinem, sed determinate corpus, & sanguis Christi significantur.

62 Obj. 15. Subiectum formale vocale debet esse vox, sed ly *hæc vox* sub intellectum non est vox; ergo. Prob. mi. Uox eit, quod ore profertur; sed ly *hæc vox* ore non profertur; alias non esset subauditum, sed expręssum; ergo.

63 Resp. dist. minorem. Non est vox prolata, concedo; subintellecta, nego; & etiam nego suppositum quod ly *Blictiri est vox* sit integra propositio vocalis, nisi intelligatur subaudita *hæc vox*, ita enim careret subiecto formali. Unde illa propositio est figurata, indiget que ad eius plenam compositionem, quod supleatur *hæc vox*, & quia iam censetur subintellecta, vocamus vnam propositionem illam *Blictiri est vox*. Hinc inferes; non esse voluntarie additam talem vocem, quia alias propositio maneret trunca.

64. Obj. 16. Uoces conceptæ supponunt pro conceptibus; sed in nostro casu vox concepta est *Blictiri*, & non *hæc vox* subintellecta; ergo *Blictiri*, & non *hæc vox* supponet pro subiecto mentali erit subiectum vocale.

65 Resp. dist. mai. Si significent idem, quod conceptus, concedo: si non significet, nego: & dist. mino. Vox concepta est Blictiri, & significat, quod conceptus, nego; & non significat, concedo. Vnde cum vox *Blictiri* nequeat se ipsam significare, nequit supponi pro conceptu reprętante illam, vt subiectum obiectivum, & necessaria est ly *hæc vox*.

66 Obj. 17. Quoties termini obiectivi sint distincti, distinctis vocibus debent significari, si aliunde eadem vox non sit vtrique imposita; sed *Blictiri* obiectivum, & *hæc vox* obiectiua sunt distincti termini obiectiui, & aliunde vna, eadem que vox non est vtrique imposita; ergo distinctis vocibus debent significari; sed hæc vox obiectiua significatur per ly *hæc vox*; ergo ly *Blictiri* obiectivum per illam vocem *Blictiri* significari debet.

67 Resp. concedo maio. Et nego min. Nam ly *hæc vox* obiectiua est ipsum met obiectivum *Blictiri*, vt iam manet probatum.

68 Obj. 18. & replic. in Resp. primi, & secundi argumenti. In hac propositione, quæ vera est *Blictiri non est vox subintellecta*, *sed expræssa* prædicatum nequit verificari de ly *hæc vox*, nam ly *hæc vox* illic non est expræssa, sed sub intellecta; ergo.

69 Resp. dist. antec. nequit verificari vt *quod*, concedo; vt quo, nego. Vide ibi dicta, & hic eodem modo loquere

70 Hinc inferes, literas non esse terminos propositionis formalis, sed obiectivæ. Vnde cum Aristoteles vsus fuit illa propositione *A non est B* brevitatis gratia egit, & ita debet intelligi *Litera A non est litera B*.

71. Dico 3 Si permittatur, *Blictiri* se significare, est terminus formalis in hac propositione *Blictiri est vox*. Hęc conclusio est contra ingeniosum Recentem, qui licet nobiscum consentiat in superioribus, in hac ei consentire non possum.

72. Prob. In hac propositione *Blictiri* est extremum constitutivum totius logicalis, vt patet, est etiam subiectum formale, cum sit repræsentatio subiecti obiectiui, vt supponitur. Supponit pro subiecto mentali, si quidem facit illud, quod subiectum mentale, nempe repręsentat subiectum obiectivum: ergo.

73. Sed objiciet Modernus. Vt vox sit terminus, prout aliquid significat, non sufficit, quod illud significet vt cumque, scilicet vt terminum, sed requiritur, quod illud significet vt obiectum, de quo verificationis; sed Blictiri licet se naturaliter significaret, non tamen vt obiectum, de quo verificationis; ergo. Prob. Min. Quod vox naturaliter significat, semper, & eodem modo naturaliter significat, quamvis ad aliud significandum instituatur; sed Blictiri se non ita significat; nam si institueretur ad significandum parietem in hac propositione v.g. *Blictiri est paries*, se non significaret vt obiectum, de quo verificationis; aliás esset propositio falsa, cum Blictiri vocale

non sit paries; ergo.

74. Argumentum destruit idem, quod supponitur. Supponitur, Blictiri respicere ob obiectum se ipsum, & idem intendit destruere, sed nec consequitur. Resp. Conc. Maio. & nego Min. Ad probationem dist. Maiorem. Semper, & eodem modo significat in actu primo, & etiam in actu secundo, si non impediatur; concedo: necessariò in actu secundo, cum aliunde impeditur, nego: Non ex eo quod impediatur per voluntariam impositionem novæ significationis tali voci *Blictiri*, ideoque in illa propositione *Blictiri est paries* non se ipsam quoad exercitium significet, bene infertur se ipsam non respicere vt obiectum de quo verificationis in alia propositione in qua se ipsam significet v.g *Blictiri est vox*. Ex hoc enim solum infertur; exercitium significationis dependere ab hominum arbitrio, vt iam dixi: Ibi dicta vide. & præcludes aliam huius Moderni instantiam.

75. Poterat tamen instare sic. Eo quod fumus naturaliter significat ignem, nunquam potest ex voluntate hominum impediri, vt significet ignem; ergo si voces naturaliter se significarent, nunquam possent non se significare ex hominum arbitrio.

76. Resp. instantia melius explicari conclusio. Fumus potest vsurpari ad placitum in signum aduentus hostium, tunc prout significans aduentum hostium exercet ne munus significationis naturalis? Nequiquam, & tamen non dependet á voluntate hominum, quod ignis sit significativus; ergo licet illa vox *Blictiri* in casu posito vt exercens voluntariam significationem parietis non se significet; ac tamen ex hoc non infertur; significationem naturalem sui ipsius esse arbitrariam.

SECTIO IV.

QVID SIT VERITAS, ET quibus actibus conveniat?

77. TRiplex est veritas. Transcendentalis prima, seu in essendo, quæ est proprietas entis, ideoque etiam falsæ propositioni conveniens, quæ dicitur vera propositio hac veritate transcendentali. Secunda in significando; hæc omni signo respectu sui significati convenit, ideoque etiam propositioni falsę. Tertia in cognoscendo, quæ dicitur veritas formalis, & propria, de quia loquimur; hanc que esse conformitatem cum suo obiecto fere extra dubium est inter Doctores. Unde falsitas est disconformitas actus cum suo obiecto.

78. Rogas. Vtrum apprehensionibus veritas conueniat? Resp. apprehensioni tam complexæ, quam incomplexę conuenire veritatem formalem. Prob. esse aliquem actum formaliter verum est esse conformem cum suo obiecto; sed omni apprehensioni, tam complexæ, quam incomplexæ conuenit esse conformem cum suo obiecto; ergo & esse formaliter veram. Maior est certa. Prob. Min. Omnis apprehensio, vel repræsentat aliquid reale, vel fictum? Si aliquid reale, ergo est vera, quia vere aliquid reale repręsentat. Si aliquid fictum? Ergo etiam est vera, cum illud repræsentet sicuti est in se.

79. *Dico tamen*, nullam apprehensionem, siue complexam, siue incomplexam esse formaliter falsam.

80 Prob. quoad primam partem, in qua convenio cum P. Arriaga, P. Hurt. P. Ouie. P. Peina. & alijs. Nulla apprehensio incomplexa potest esse suo obiecto disconformis; ergo neque formaliter falsa. Prob. antec. Quia si aliqua esset obiecto disconformis, maxime apprehensio impossibilis v.g. chimeræ; sed hęc non est suo obiecto disconformis; ergo. Prob. Hæc apprehensio *homo* non est suo obiecto disconformis, neque falsa, quia repræsentat obiectum reale possibile; ergo neque *chimæra*, quia repræsentat obiectum reale impossibile.

81 Quoad apprehensiones complexas, in quibus ab Authoribus supra citatis dissentior. Prob. 1. Quia ideo iuxta illos apprehensio incomplexa chimæræ non est falsa, quia repręsentat obiectum reale impossibile, quin illi conferat aliquod prædicatum repugnans; sed etiam apprehensio compldxa v. g. *homo irrationalis* repræsentat aliquod obiectum reale impossibile, quin illi conferat aliquod prædicatum repugnans; ergo. Prob. 2. ideo per vos hæc apprehensio complexa *homo rationalis* non est falsa, quia repræsentat obiectum possibile reale, sicuti est in se; sed hęc *homo irrationalis* repręsentat obiectum impossibile reale sicuti est in se; ergo.

82 Nota tamen cum Arriga, iuxta communem modum loquendi in apprehensionibus veritatem non dari, quia per veritatem communiter intelligitur id, quo scire dicimur; sicut per falsitatem id, quo fallimur.

83 Obj. 1. cum Bonespei. tract. 7. qui tenet omnem apprehensionem esse falsitatis capacem. Si quis volens aurum apprehendere, apprehendat auricalcum, decipitur; ergo habet falsam apprehensionem.

84 Resp. ex argumento solum sequi, subiectum hoc non consequi suum intentum, quod est aurum apprehendere, non vero habere falsam apprehensionem; nam illa apprehensio vere auricalcum apprehenderet, sicuti est in se.

85 Obj. 2. Si apprehendat aurum existere, & durante hac apprehensione, aurum desinat esse, erit absque dubio falsa illa apprehensio; ergo.

86 Resp. rogando, vel per talem actum auro tribuitur existentia, & iam non erit apprehensio, sed iudicium? Vel non tribuitur, sed quasi separatim ab auro existentia concipitur? Et tunc, siue duret, siue non duret, existente, vel destructo auro, manet eodem modo vera talis apprehensio.

87 Obj. 3. Veritas, & falsitas opponuntur; ergo si apprehensio est capax veritatis, etiam & falsitatis capax erit.

88 Resp. concedo antec. & nego conseq. ex argumento enim solum infertur, quod intellectus, qui est subiectum actus veri, & falsi, vtriusque actus sit capax; non vero, quod eadem apprehensio sit capax veritatis, & falsitatis; aliàs idem actum iudicij verus esset capax falsitatis, quia veritas, & falsitas opponuntur.

89 Obj. 4. Ad veritatem requiritur affirmatio, vel negatio; sed neque apprehensio complexa, aut incomplexa est capax affirmationis, vel negationis; ergo. Confir. Ad actum falsum requiritur affirmatio, vel negatio; ergo & ad actum verum, quia contrariorum eadem est conditio.

90. Resp. nego Maio. Ad actum enim verum solum requiritur conformitas illius cum obiecto; cum tamen vt probatum manet detur conformitas sine affirmatione, vel negatione, inde est, quod sine affirmatione vel negatione detur veritas. Ad confirm. respondeo concedendo Antec. & negando conseq. Quia sine affirmatione, vel negatione nequit dari disconformitas,

nitas, ideoque nec actus falsus. Ad illud nempe, quod contrariorum eadem sit conditio, respondeo; in pluribus contraria eandem habere conditionem, in pluribus autem neutiquam: hic tamen ob rationes à nobis allegatas eandem conditionem habere nequeunt.

SECTIO V.

VTRVM OMNIS PROPOpositio sit determinatè vera, vel falsa?

91. SVppono 1. propositionem posse fieri, vel in materia contingenti, quæ scilicet non habeat determinatam connexionem cum suo obiecto, vt *Petrus est albus. Ioannes est doctus*: vel in materia necessaria, quę scilicet cum subiecto determinatam habeat connexionem, vt *Petrus est homo*. secundo possunt esse de pręterito, vt *Petrus vixit*; de præsenti, vt *Petrus viuit*, de futuro, vt *Petrus viuet*.

92. Suppono 2. Omnem propositionem de præterito, & de pręsenti in quacumque materia, siue contingenti, siue necessaria, esse determinatè veram, vel falsam; quod patet, nam propositio de præsenti est vera, quia res est; & falsa, quia res non est. Propositio de præterito est vera, quia res fuit; & falsa, quia res non fuit; sed quęlibet es vel est, vel non est; vel fuit, vel non fuit determinatè; ergo quælibet propositio de præsenti, & præterito in quacumque materia est determinatè vera, vel falsa.

93. Suppono 3. propositiones de futuro in materia necessaria esse determinatè veras, quia hæ sunt propositiones contradictoriæ *Petrus est homo*: *Petrus non est homo*; ergo vna ex eis debet esse determinatè vera; cum hæc sit contradictoriorum conditio. Hinc inferes, totam disputationem reduci ad propositiones de futuro in materia contingenti.

94. Suppono 4. Futurum, vel est absolutum, cum scilicet affirmatur aliquid faciendum sine vlla conditione, vt *Petrus cras peccabit*, vel conditionatum; quando scilicet sub aliqua conditione faciendum aliquid asseritur, vt *Si Petrus responderit vocationi Diuinæ, saluabitur*. In vtroque futuro datur specialis difficultas; ideoque de vtroque separatim agemus.

SVBSECTIO I.

AN PROPOSITIONES DE futuro contingenti absoluto sint determinatè veræ.

95. ARistoteles, quem secutus est Tullius, vt libero hominis arbitrio provideret, negauit Deũ cognoscere certò propositiones contingentes dependentes à libera voluntate, de quibus S. Augustinus, lib. 5. de Civitate *Dei* asserit; vt homines facere t liberos, eos fecisse sacrilegos. Quapropter de fide, immò & lumine naturę certum est, Deum certo cognoscere quælibet futura contingentia.

96 PP. Molina, Fonseca, Valentia, & alij apud P. Arriagam Disp. 14. Logicæ. sect. 5. subsect. 5. n. 119. cum Thomistis communiter Aureolo, Ricardo, Caietano, & alijs tenent; propositiones de futuro contingenti non esse determinate veras, vel falsas. Sed iudico cum eodem Arriagá; (quid quid sit de Thomistis) nostros Doctores tantum negasse, eas propositiones esse determinate veras quoad nos, hoc est, nos non cognoscere determinate, an sint veræ, vel falsę; quod certissimum est.

Co-

97. Communior omnium Doctorum societatis, & Scotistarum, & aliorum sententia est; propositiones de futuro contigenti esse determinatè veras, vel falsas.

98 Prob. 1. Quodlibet est, vel non est: Ergo vel obiectum erit sicut per propositionem affirmatur, & sic erit determinate vera; vel non erit, & sicerit propositio determinate falsa. Explicatur: vel Petrus est cras peccaturus, vel non? In hoc enim non datur medium, nec quid oppositum libertati, ergo hodie hęc propositio *Petrus cras peccabit* est determinatè vera, vel falsa: si peccaverit, erit determinate vera; si non peccaverit, erit determinate falsa.

99 Confirm: vel peccatum Petri nunc est determinate futurum, vel non est determinate futurum? Si nunc est determinatè futurum? Ergo affirmare nunc eius futuritionem, erit determinate verum. Si non est determitate futurum, ergo eius futuritionem nunc affirmare, erit determinate falsum.

100 Prob. 2. Deus certo scit has veritates futuras; cum plures de facto reuelaverit. Sic reuelavit peccatum Antichristi, trinam negationem Diui Petri, traditionem Iudæ, & c. Ergo omnes cognitiones de futuro contingenti sunt determinate verę, vel falsæ. Prob. conseq. Omnes cognitiones nostræ de futuro contingenti, vel affirmant id, quod *Deus* cognoscit eventurum, vel negant? Si affirmant id, quod *Deus* cognoscit euenturum, sunt determinate veræ, vt pote conformes infallibili cognitioni: & si negant, sunt determinate falsæ; vt pote infallibili veritati disconformes; ergo.

101 Confirm. Deus habet modo cognitionem de peccato futuro Petri, qua dicit, *Petrus peccabit*, quę iuxta omnes est determinate vera. Supponamus; me nunc dicere etiam *Petrus peccabit*; absque dubio hæc etiam determinate erit vera; cum hęc idem affirmet, quod cognitio Diuina: tum sic; sed nullam propositionem de futuro possumus dicere, quin habeat Deus aliam similem; vel non similem; quia de omni futuro dicit Deus erit, vel non erit; ergo omnes nostræ propositiones de futuro erunt determinate veræ, vel falsæ: Si habeat *Deus* similem, erunt veræ, si habeat dissimilem, erunt falsæ.

102 Obj. 1. fundamentum Aristotelis ad negandum, Deum determinate cognoscere futura contingentia. Si *Deus* determinate cognosceret hodie, Petrum cras peccaturum, Petrum cras peccare esset necessarium, & infallibile. Prob. Scientia Diuina est necessaria, & infallibilis; ergo eius obiectum; ergo si Deus dicit hodie, *Petrus cras peccabit*, cras nequit Petrus non peccare; vel poterit scientia Diuina frustrari, quod impossibile est; ergo.

103. Confirm. Propositio de futuro contingenti est determinatè vera; ergo est necessario vera, ergo eius obiectum erit necessarium, sed est contingens; ergo propositio determinatè vera non est.

104. Resp. Nego assumptum. Ad prob. distin. Anteced. Erit necessarium absolutè, & intrinsecè, nego; ex suppositione, & consequenter, concedo, & primam conseq. & nego secundam quoad vtrumque cornu. Sed vt solutionem percipias, scire debes; dari duplicem necessitatem, vnam antecedentem & absolutam, & aliam consequentem, & ex suppositione: antecedens est, quæ oritur á causa, vel principio, vel conditione se tenente ex parte principij, illud ve complente, pręcedente necessario effectum. Sic amoris beatifici necessitas est absoluta, & antecedens, quia

Rrrrrr oritur

oritur ex visione beata ad amorem, necessario præcedente, tenente que se ex parte principij. Necessitas consequens est, quæ consequitur rem ipsam, seu effectum, quæ licet absolutè possit esse, vel non esse, tamen ex suppositione, quod sit, nequit non esse. Sic liberum est mihi sedere, vel non sedere, possum que pro meo libito ex vtroque quod libuerit, eligere, & tamen ex suppositione, quod sedeam, nequeo non sedere. Necessitas prima antecedens libertatem tollit. Necessitas secunda consequens nullatenus libertati lædit.

105. Hinc ad argumentum. Vt Deus determinatè sciat scientia infallibili: *Petrus cras peccabit*, sufficit; futuritionem Peccati Petri, quæ est talis scientię obiectum, esse infallibilem, & necessariam necessitate consequenti, & ex suppositione, quod Petrus libere se determinaverit ad peccandum; si enim Petrus, vt potuit, non se determinasset ad peccandum, certe Deus non præsciret, illum peccaturum. Vnde hæc propositio est vera: *Ideo videt Deus Petrum cras peccaturum; quia se determinabit ad cras peccandum*; non è contra; scientia enim Diuina, vtpotè speculatiua, suum obiectum supponit, hæc autem necessitas consequens creatę liberti nō officit, cum potius ab exercitio ipsius libertatis oriatur.

106. Ad confir. Concedo Antec. & dist. conseq. Ergo necessario erit vera, id est, non supponens libertatem, & contingentiam absolutam, nego: supponens libertatem, & absolutam contingentiam, concedo: & similiter dist. secundum conseq. Erit necessarium absolutè, & antecedenter; nego; ex suppositione, & consequenter, concedo. Unde absolutè est contingens, ex suppositione est necessarium; cum autem scientia Diuina illud non respiciat antecedenter, & absolutè, sed ex suppositione, & consequenter, inde est, quod eius infallibilitas componatur optimè cum libertate.

107. Replic. Scientia *Diuina* de peccato crastino existit hodie, existit ab Æterno, peccatum vero cras existet; ergo scientia pręcedit peccatum; ergo est suppositio antecedens, & non consequens.

108. Resp. Cond. Antec. & dist. primum conseq. Ergo scientia præcedit peccatum, præcedentia temporis, cōcedo; præcedentia naturæ, nego. Certum est scientiā Dei precedere tempore peccatum, non tamen præcedit præcedentia naturæ, & dependentiæ; hoc est, neque est causa, nec requisitum tenens se ex parte causę, vnde non tollit libertatem, nam præcedentia temporis omnino materialiter se habet respectu operationis, & libertatis ipsius. Dummodo enim positis omnibus requiris, possit aliqua operatio poni, vel non poni; quid quid sit de his, quæ tempore præcendunt; semper manet libera; imo licet scientia Dei tempore præcendat operationem, est posterior poterioritate dependentiæ respectu illius; cum verum sit; ideo Deum præuidere operationem, quia volūtas creata talem operationem ponere decreuit, non è contra.

109 Instabis. Ergo scientia Dei pendet á nobis, & Deus talem scientiam non haberet, si nos non pecaremus.

110 Resp. Dist. conseq. Si per dependentiam scientię *Dei* á nobis intelligatur, nos aliquem influxum habere in talem scientiam, nego conseq. Si intelligatur ita se habere scientiam Dei, vt si nos non peccaremus, talis scientia non daretur, concedo conseq. Hanc enim quasi determinationem scientię *Diuinæ*, quæ in nobis residet, dependentiam ipsius scientiæ á nobis appellamus, non quia habeamus aliquem influxum in eam, sed quia ita spectat operationem, vt pote obiectum speculabile ipsius, vt prius sit operatio, quam existat scientia operationis; hinc

111. Inferes; scientiam visionis nihil ponere in rebus, sed respectu earum se habere tanquam si non esset, v. g. tanquam speculum in quo delineatur motus obiectorum, vel tanquam vigil, qui ex turri eminenti videt in planitie hos currere, illos cadere, illos stare. &c. Quid enim speculum ponit in motibus? Quid vigil in hominum actionibus? Certe nihil, sed tantum eas, quæ ponuntur, repręsentat; ita scientia visionis operationes, quæ ab homine ponuntur, videt, & ea, quæ non ponuntur, non cognoscit.

112 Obj. 2. Accedente tempore crastino, pro quo *Petrus* peccaturus dicitur; rogo, vel potest non peccare pro suo libito, vel tenetur peccare? Si secundum? Ergo non est liber. Si primum? Demus, non peccare; en propositio illa *Petrus cras peccabit*, erit vera, vt supponimus, & simul falsa, quia de facto non peccauit.

113 Argumentum magna æquivocatione laborare affirmat P. Arriaga. Ad eius solutionem nota. Petrus indifferens est ad peccandum, vel non peccandum diuisiue, non vero ad peccandum, & non peccandum simul. Unde propositio Petrus cras peccabit, nequit esse vera, & falsa simul, licet possit esse, vel vera, vel falsa: cum dicimus, esse determinate veram, supponimus determinationem ipsius Petri, & supposita Petri determinatione ad peccandum, nequit iam non peccare, nec falsificare illam. Vnde ex suppositione, quod sit vera, nequit esse falsa, quin hoc officiat libertati; cum sit suppositio consequens.

114 Obj. Tertiò Futurum non est ab Æterno; sed quod non est, non scitur determinate: ergo cognitio *Di*vina de futuro non habet ab Æterno determinatam veritatem.

115 Retorqueo. Ergo nec cognitio Diuina de pręterito habet determinatam veritatem. Prob. quia quod non est, non scitur: sed nunc non est præteritum: ergo nec scitur determinate.

116 Resp. Dist. maio. Futurum non est ab Æterno existens, concedo: futurum, nego: & dist. min. sed quod non est non scitur, quod non est, vel futurum, vel præteritum, vel existens, concedo: quod non est existens, nego. Licet futurum ab Æterno non existat actualiter, tamen ab Æterno est futurum, & hoc esse, quod habet ab Æterno, sufficiens est, vt ab Æterno terminet actualem cognitionem Diuinam, sicut præteritum nunc non existit, & hoc esse pręteritum, quod nunc habet sufficit, vt nunc terminet cognitionem actualem.

117. Objic. 4. Veritas non est magis determinata, quam eius obiectum; sed futurum contingens, quod est obiectum propositionis, determinatum nō est: ergo neque veritas determinata erit. Prob. Min. Futurum est contingens, & indifferens: ergo non est determinatum, sed determinandum, & consequenter veritas ad illud terminata non erit determinata, sed determinanda.

118. Resp. Cum P. Arriaga, duplicem dari determinationem, vnam provenientem ab ipsa existentia effectus, quæ est suppositio consequens, nō officiēs libertati; aliam provenientē ab aliqua causa determinēte, quæ libertati oppponitur. Vt veritas sit determinata nō requiritur quod obiectū sit determinatum determinatione se tenente ex parte alicuius causę determinantis, sed suf-

sufficit,quod sit determinatum determinatione proveniente ab ipso effectu, quæ determinatio non tollit,quod obiectum sit absolutè contingens, & indifferens. Vnde licet obiectum veritatis ad futurum terminatæ sit contingens absolute, ipsa tamen veritas erit determinata,& nó determinanda:quod enim affirmat,non est,peccatum Petri esse determinatum,sed præscisse esse determinandum.

SVBSECTIO II.

AN PROPOSITIONES DE *futuro contingenti conditionato sint determinatè veræ?*

119. Dico de futuro conditionato contingenti,quia dantur aliç propositiones de futuro conditionato necessario, in quibus á conditione ad effectum datur connexio necessaria,vt in hac,*si Petrus currit, movetur*,& de his non datur quæstio;certum namque est determinata gaudere veritate. Loquimur enim de alijs, in quibus inter conditionem, & effectum non datur necessaria connexio, vt in hac, *si Petrus vocetur à Deo tali auxilio consentiet.*

120. Prima sententia Thomistarum omnium asserit;has propositiones determinata non gaudere veritate. Ideo scientiam mediam ad ea cognoscenda negant.

121. Secunda sententia Iesuadum omnium sequentium omnes Magistros Suarez. Vasquez. Molina, & Valentia affirmat;eas propositiones determinatam habere veritatem, eas que scientiam Mediam in Deo appellant. Quæstio potius ad Theologos, quam ad logicos spectat, sed vt nihil in nostra logica,quod in alijs inueneris, desiderare possis, quæ necessaria, vt præsentem materiam intelligas, & defendas breuiter pertingam.

122. Prob. 1. *Deus* habet scientiam infallibilem de his futuris liberis conditionatis;ergo Dei propositiones circa ea habebunt determinatam veritatem; ergo propositiones nostræ, quę propositionibus *Divinis* fuerint conformes etiam determinata gaudebunt veritate. Maior á Nostris Doctoribus, præcipue Suarez defenditur. in opuscul. lib. 2. de Præsci. *Diuiná* cap. 1. Vasquez p. p. disp.6. contr. 2. & alijs pluribus Sacrę paginę locis. Interim vnum, vel alterum afferam; primus, & præcipuus sit ex Math. cap. 11. vbi Christus Dominus contra Corosain, & Bethsaida loquutus ait, *væ tibi Corosain, væ tibi Bethsaida quiæ si in Tiro, & Sidone, factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egissent*, quibus verbis ostendit Christus, se scire determinate Tiros, & Sydones conuertendos sub conditione, quod vocati fuissent. Secundus sit Ezech. 3. Vbi Deus ad Ezechielem sic: *Non ad populum profundi sermonis tu mitteris, & si ad illos mittereris audirent te.*

123 Si tamen cum aliquibus Adversarijs respondeas: Deum id asservisse, non quia certo metaphysice id sciret, sed probabiliter, & coniecturaliter.

124 Contra: Ergo *Deo* non cóceditur plusquam Diabolo, immo & homini conceditur; hi enim, & coniecturaliter, & probabiliter circa futura conditionata libera possunt discurrere. Contra 2. Verbum ambiguum, & probabile *forsan Deo* indignum est. Constat, tum è primo rerum aspectu, tum ex D. Hieron. in cap. 2. Ezech. & in 22. Ieremiæ,bene docente,quod si aliquando eo *Deus* vtitur, hoc est nostro loquendi affectu,

tu, & stilo. Tertio. Ergo cognitiones diuinæ aliqua incertitudine inficiuntur; quod indignum est.

125 Prob. 2. Hæ sunt propositiones contradictoriæ: *Si Petrus vocetur, consentiet: Si Petrus vocetur non consenti* & ergo vna ex illis debet esse determinate vera, & altera determinate falsa.

126 Confirm. 1. Adueniente instanti,in quo ponatur vocatio Diuina, Petrus vel consentiet, vel non consentiet? Non enim datur medium, quia quodlibet est, vel non est; ergo antequam adueniat instans,erit determinate verum, vel determinate falsum dicere, *si vocetur in tali instanti consentiet*, si consentiat erit determinate verum, si non consentiat determinate falsum.

127 Confir. 2. Hæc propositio Christi Domini ad D. Petrum, *ter me negabis*,fuit determinate vera; ergo si aliquis tunc diceret, *si Petrus viuat hac nocte, ter negabit suum Magistrum*, etiam erit determinate vera; implicat enim esse veram determinate affirmationem absolutam obiecti, & non esse etiam determinate veram affirmationem ipsius sub aliqua conditione.

128 Obj. 1. Vt vera sit conditionalis propositio requiritur talis cónexio inter conditionem, & effectum, vt posita conditione effectus necessario sequatur; sed ita non se habent propositiones de futuro conditionato libero: positâ namque vocatione Diuina, non sequitur necessario consensus; alias non esset liber; ergo non habent determinatam veritatem. Maior prob. In hac propositione; *si Turca dormit, Petrus scribet*,non datur determinata veritas, quia posita Turcę dormitione, non sequitur necessario, Petrum scribere.

129 Resp. maiorem, in qua totum argumentum fundatur,esse omnino falsam, & eius probationem. Vnde ad hoc, vt aliqua conditionalis propositio sit vera, nec requiritur necessario tanta connexio, vt posita conditione necessario sequatur effectus, nec sufficit nulla connexio. Requiritur enim aliqualis connexio, vel dispositionis, vel excitationis voluntatis ad effectum, vel comprincipij aliquo modo influentis in illum, qualis datur inter vocationem Diuinam, & determinationem liberam Petri. Hinc colligitur disparitas inter propositionem conditionalem hypotheticam,& propositionem causalem,& etiam propositionem disparatam. Propositio causalis requirit necessariam connexionem,ita vt necessario per modum communem effectus inferatur, vt patet in hac, *Ideo Petrus sentit, quia est animal*,valet *sentit*;ergo est *animal*.Non se habent ita propositiones conditionales,non enim valet *Petrus vocatur; ergo consentiet*,potest enim non consentire; aliás omnes propositiones conditionales in materia contingenti essent determinate falsæ,& argumentum non probaret nec esse determinate veras,nec determinate falsas, sed ad summum esse determinate falsas,quod nec probat.

130. Propositiones disparatæ, qualis est illa: *si Turca dormit, Petrus scribet*, nulla connexione gaudet inter conditionem, & effectum, quæ enim connexio datur inter dormitionem Turcæ, & scribere Petri,nec dispositionis,nec comprincipij, &c. Vnde falsę omnino sunt. Nota tamen, si propositiones disparatæ in sensu copulatiuo accipiantur,ita *Dum Turca dormit, Petrus scribit*, vel posse esse veras, vel falsas. Si vero accipiantur in sensu conditionali,esse determinate falsas.

131. Obj.2. Argumentum desumptum á læsione libertatis creaturæ; si propositiones conditionales essent determinatê veræ. Resp. tales proposi-

tiones,& præuisiones Diuinas esse suppositiones consequentes ad liberum voluntatis vsum. Vide dicta n. 103. huius sectionis.

132. Obj 3. Licet à re actu non existente possim denominari prior, & posterior, talis res ad minimum debet esse præterita, vel futura; ergo similiter, vt actus denominetur verus determinate, licet non requiratur necessario obiectum existens, ad minimum, vel præteritum, vel futurum, vel extitisse, vel exititurum requiritur; sed sæpè effectus liber conditionatus exiturus nō est; ergo nec propositionem conditionalem denominabit determinate veram.

133. Resp. assignando maximam disparitatem inter denominationem *prioris, & posterioris*, & denominationem *veri*, & *falsi*; quare licet denominationes prioris, & posterioris requirant existētiam absolutam, præteritam, vel futuram, non vero denominationes veri, & falsi. In esse possibili Petrus, & Paulus indifferenter omnino se habent ad existendum prius, vel posterius; potest enim Petrus esse Pater Pauli, ac proinde prior; & etiam Paulus potest esse Pater Petri, & consequenter prior Petro. Unde vt Petrus dicatur determinate prior, vel posterior Paulo, vltra possibilitatem requirit aliquam existentiam sui, & Petri, vel præteritam, vel futuram absolute, ratione cuius, vel sit determinate prior, vel determinate posterior. At vero vt actus dicatur determinate verus, non requiritur, quod obiectum existat, extiterit, vel exiturum sit absolute, sed sufficit, quod se habeat, sicut per actum asseritur, vel repræsentatur; sed per actum conditionate futurum non asseritur effectum existere, nec extitisse, nec absolute exiturum; sed tantum exiturum sub tali conditione; ergo dummodo sub tali conditione exiturus sit, erit propositio determinate vera. Sic Tirij, & Sidones nec conversi fuerant, nec, conuertendi erant in posterum, & vera determinate fuit propositio Christi Dñi. Sic Ezechiel nec missus fuit, neque mittendus erat ad Gentes profundi sermonis, & vera determinatè fuit Spiritus Sancti propositio, *& si ad illos mitteretis audirent te.* Hinc constat, nullam dari propositionem, quæ non sit, vel determinate vera, vel determinate falsa.

SECTIO VI.

VTRVM IDEM ACTVS POSSIT esse simul verus, & falsus?

134 AFfirmant P. Valentia, P. Ripalda. Cardin. Lugo disp. 4. defi. num. 103. Linze Disp. 11. num. 87. Quiros, Ouiedo. Complut. *D*isp. 45. sect. 1. n. 2.

135. Negant Eximius Doctor Disp. 9. Metaphy: sect, 1. num, 23. P. Arriaga, P. Hurtado, & omnes fere *D*ialectici.

136 Nota, quæstionem esse pure de nomine, in qua quo ad rem idem dicunt, & dicere tenentur omnes. Duplici conclusione rem componam.

137 Prima conclusio. Idem numero actus respectu diuersorum obiectorum, in ea disparatè tendens potest esse simul verus, & falsus.

138 Prob. 1. Veritas est conformitas, & falsitas difformitas actus cum obiecto; sed potest idem numero actus esse conformis vni obiecto, & disconformis alteri; ergo si in plura obiecta disparate tendat, poterit idem numero actus esse simul verus, & falsus. Maior est certa. Prob. minor.

Hic

Hic actus *Petrus currit, Ioannes loquitur*, si re ipsa Petrus currat, & Ioannes non loquatur, vni obiecto erit conformis, & alteri disconformis; sed potest Petrus currere, & Ioannes non loqui, dum talis actus elicitur; ergo poterit idem numero actus esse conformis, & disconformis duplici obiecto, in quod disparate tendit.

139 Confir. 1. Angelus, in probabili sententia, eodem actu potest plura intuitiue, plura vero abstractiue respicere; ergo circa ea, quæ videt intuitiue actus necessario erit verus; circa ea vero, quæ videt abstractive poterit esse verus, & falsus.

140 Confir. 2. Idem actus potest esse clarus, & obscurus respectu diversorum. Item, in probabili sententia, potest esse simul scientię, fidei, & opinionis; ergo idem numero actus poterit esse simul verus, & falsus respectu diuersorum obiectorum.

141 Confir. 3. Ad hominem contra aliquos, qui tenent, apprehensiones posse esse falsas, casu scilicet quo, intendens apprehendere aurum, apprehenderet aurichalcum, eā eadem apprehensio, meo videri, evidenter est simul vera, & falsa; vera respectu sui obiecti, nempe aurichalci, & falsa respectu obiecti intenti ab apprehendente, nempe auri; ergo.

142. Secunda conclusio. Idem numero actus respectu vnius obiecti, vel respectu plurium, si in ea disparate non tendat, nequit esse simul verus, & falsus.

143 Prob. Quoad primā partem. Idem actus nequit esse conformis, & disconformis, æqualis, & inæqualis eidem entitati; sed veritas est conformitas, & ęqualitas, & falsitas disconformitas, & inæqualitas actus; ergo nequit idem actus esse simul verus, & falsus respectu eiusdem obiecti. Hinc probatur quoad secundam partem. Licet obiecta sint plura, dummo actus in ea disparate non tendat, idem obiectum constituunt, & se habent per modum vnius respectu actus; sed respectu eiusdem obiecti nequit actus esse conformis, & disconformis, æqualis, & inæqualis; ergo.

144. Obj. 1. contra 1. concl. Ergo hic actus *Omnes homines currunt*, si curat aliquis, & aliquis non currat erit simul verus, & falsus; cum in plura obiecta terminetur.

145. Resp. Nego conseq. Quia etsi hic actus terminetur ad plures homines, non tamen ad plura obiecta, cum ad ea non terminetur disparitate, sed potius omnes respiciat per modum vnius collectionis, de qua affirmat, currere: vnde aliquo non currente, talis actus redditur disconformis obiecto, ac proinde talis actus erit falsus tantum. Exemplo res clarescet. Comparetur lignum palmare duobus alijs lignis, è quibus vnum habeat palmum, & aliud duos palmos, si comparetur illis disiunctim, & separatim sumptis, certe vni, nempe palmari est æquale, & alteri nempe bipalmari est inæquale; at vero si ea duo ligna per modum vnius apponantur, certe est illis inæquale, quia tunc non faciunt duas mensuras, sed vnam: ita in nostro casu.

146. Obj. 2. Talis actus est disconformis suo obiecto adæquato; ergo est simpliciter falsus, & nullo modo verus.

147. Resp. Nego suppositum Anteced. quod talis actus habeat vnum obiectum adæquatum, non enim habet vnum, sed plura obiecta ita plura, vt nec per modum vnius sumantur, sed omnino disparate se habeant, sicut omnino disparate se haberent duæ illæ mensurę, vna palmaris, & alia bipalmaris, cum comparantur alteri palmari, quin ex illis duabus vna mensura resultet, nam si resultaret vna mensura, & ex illis duobus obiectis consequenter

ter

ter vnum obiectum, esset extra casum primæ conclusionis, & iuxta secundam discurrere liceret. Vt autem scias, quando plura faciunt vnum obiectum respectu actus, & non se habeant respectu illius disparate, attendi debet, non coniunctio obiectorum à parte rei, sed modus tendendi actus.

148. Objic. 3. Hęc propositio *Petrus currit, & Ioannes loquitur*, loquente Ioanne, & Petro non currente esset tantum falsa, & nullatenus vera; ergo hæc *Petrus currit, Ioannes loquitur* eodem modo erit tantum falsa, si Petrus non currat: vel assigna disparitatem.

149. Resp. Assignando disparitatem. Quia prima propositio hypothetica vi copulę & vtrumque obiectum coniungit, & vtramque actionem, & cursum Petri, & loquelam Ioannis attingit non disparate, sed per modum vnius: at vero secunda propositio non est hypothetica, vocari tamen potest mista, vel virtualiter duplex cathegorematica, cum sit ęquivalenter duplex. Vnde sicut si Paulus eliceret hunc actum, *Petrus currit*, qui esset verus; & Franciscus hunc *Ioannes loquitur*, qui esset falsus, tales actus in ea obiecta disparate tenderent: ita in ea obiecta disparate tenderet hic actus, *Petrus currit, Ioannes loquitur* ab eodem Francisco elicitus; & hic actus illis æquivaleret in tendentia; ergo similiter illis æquivaleret in veritate, & falsitate.

150. Obj. 4. *Bonum ex integra causa; malum ex quocumque deffectu*; ergo quæcumque difformitas actus sufficiet, vt sit falsus, non vero quæcumque conformitas, vt sit verus, hęc enim debet esse totalis. Prob. Quia conformitas est æqualitas, ęqualitas enim dum non est totalis, non est ęqualitas, sed inæqualitas; sed æqualitas talis actus non est totalis; ergo neque æqualitas.

151 Resp. Quod si proloquium illud valeret in actibus etiam respectu distinctorum obiectorum, vt deterius induerent, nequiret idem actus esse simul clarus, & obscurus, sed esset obscurus tantum, nec scientię opinionis que, sed opinionis tantum. Vnde licet plura, dũ idem obiectum constituunt, vealeat proloquium, vt ex non conformitate cum aliquibus, vel cum aliquo disconformis, & nullo modo conformis denominetur actus, non vero cum obiecta sunt distincta.

152 Hinc inferes, veritatem esse æqualitatem respectu obiecti, cui conformatur, non vero respectu alterius, cui non conformatur. Unde idem actus est conformis, & disconformis respectu distinctorum obiectorum, sicut eadem mensura palmaris æqualis, & inęqualis respectu distinctorum; æqualis respectu vnius mensuræ palmaris, & inęqualis respectu bipalmaris.

153 Obj. 5. Contradictoria illius propositionis veræ, & falsæ simul, vel esset vera, vel falsa? Si veras ergo duplex contradictoria simul vera. Si falsa? ergo duplex contradictoria simul falsa. Vel assigna contradictoriam illius.

154 Propositio illa *Petrus currit, Ioannes loquitur* hanc habet pro contradictoria *Petrus non currit, Ioannes non loquitur*. Hæc nec esset vera tantum, nec falsa tantum, sed etiam simul vera, & falsa. Ea parte, qua prima est vera, hæc secunda est falsa; & ea parte, qua prima est falsa, hæc secunda est vera. Non assigno pro contradictoria hanc; *nec Petrus currit, nec Ioannes loquitur*, quia particula *nec* negat duo per modum vnius, sicut particula & annectit etiam in vnum; vnde hæc vltima propositio, *nec Petrus currit, nec Ioannes loquitur*, est tantum falsa licet Ioannes non loquatur, eo quod Petrus currat; negat namq. vtrum-

vtrumque, quod falsum est. Prima vero *Petrus non currit, Ioannes non loquitur* non negat vtrumque, sed negat vnum, & alterum disparate, non per modum vnius obiecti exclusi.

SECTIO III.

VTRUM VERITAS, ET FALsitas actuum consistat in indiuisibili?

155 HOC est, vtrum veritas, & falsitas possit augeri? Clarius: vtrum sicut datur vna similitudo, & vna dissimilitudo maior aliá, detur etiam vna veritas, vna ve falsitas aliá maior?

156 Suppono 1. vnam veritatem posse esse magis necessariam aliá; & similiter de falsitate discurre; quia magis necessaria veritas est; Deum esse Trinum, & vnum, quam Petrum currere; & in creatis magis necessaria est veritas, Petrum esse hominem, quam esse album. Ratio est; quia magis necessarium est id, quod magis distat á contigentia; sed magis distat á contingentia, Deum esse Trinum, & Petrum esse hominem, quam Petrum currere, & esse album; potuit namque Petrus, nec currere, nec esse albus; ac proinde potuerunt illę propositiones esse falsæ; ergo.

157. Suppono 2. Vnam veritatem posse esse perfectiorem altera, eo quod actus sit perfectior ex obiecto perfectiori; vt veritas actus, quo Deus asserit esse Trinum, multo perfectior est veritate, qua Petrus asserit, se esse hominem

158. *Dico* 1. Vna veritas nequit esse maior aliá in ratione veritatis formaliter, ac proinde in indivisibili consistit. Ita Eximius Noster *Doctor*. P. Hurtado, P. Arriaga. d. 14. sect. 3. n. 84. Compot. d. 45. sect. 6. n. 4.

159. Prob. Essentia veritatis stat in eo, quod actus repræsentet obiectum sicuti est in se; sed vnus actus verus nõ repręsentat obiectum magis sicuti est in se, quam alius; ergo. Prob. Min. Repræsentare obiectum sicuti est in se, consistit in indibisibili: nam si aliquid demas, addas ve, iam non repręsentatur obiectum sicuti est, & actus est falsus.

160. Confir. 1. Si duæ lineæ sint omnino rectæ, licet vna excedat aliam in materia, nequit esse magis recta, quã alia; sed veritas est linea recta intentionalis excludens omnem curvitatem, ergo vna veritas nequit esse maior alia.

161. Confir. 2. Ueritas se habet vt æqualitas; sed æqualitas non admittit magis, & minus; nam si addas, demas ve, iam non manet æqualitas; ergo & veritas.

162. *Dico* 2. Cum eisdem PP. Arriaga, & Oviedo contra Compt. Linze, & Hurtad. Si obiectum actus sit divisibile, falsitas maior, vel minor esse potest, v. g. magis falsus erit actus, qui dixerit, *hi centum homines currunt*, currente tantum vno, quam actus idem affirmans, currentibus nonaginta novẽ.

163. Prob. Ueritas se habet sicut ęqualitas; & falsitas sicut inæqualitas, sed licet æqualitas consistat in indivisibili, inæqualitas tamen magis, & minus accipit; sic magis inæqualis est virgę palmari linea tripalmaris, quam bipalmaris. Item ea propositio magis distat á vero, quæ minus adæquatur veritati; sed prima propositio minus adæquatur veritati; ergo magis distat á vero, & consequenter est magis falsa.

164. Confir. Licet si attingatur punctum indivisibile centri, nequeat magis, vel minus attingi, potest tamen magis, vel minus distari, & aberrari á cen-

centro; ergo licet veritas, quia indiuisibilis est, magis, & minus non accipiat, falsitas, quæ est à puncto veritatis distans, poterit magis, & minus accipere.

165. *Dico* tertiò cum PP. Arriaga, & Compton. Falsitas nequit esse maior aliá, si sit circa indiuisibile obiectum. V.g. actus hic, *Petrus non existit*, existente Petro, non est magis falsus formaliter, quam hic, *Deus non existit*.

166. Prob. Nam, cum vtrumque obiectum in indivisibili consistat, vterque actus ęque aberrat á vero; & cum vterque actus totaliter disconformetur cum obiecto, non magis disconformatur vnus, quam alius; sed falsitas in disconformitate consistit; ergo neque est magis falsus vnus, quam alius.

167 Obj. 1. cum P. Arriaga, num. 91. conta 1. conclus. Per nos idem actus potest esse simul verus, & falsus, si plura obiecta disparate respiciat; ergo veritas in indiuisibili non consistit. Prob. conseq. Per nos vt propositio sit vera non requiritur, quod totum obiectum existat, sicut per ipsam repræsentatur, sed sufficit, quod existat pars aliqua obiecti; ergo si aliqua pars obiecti sufficit, vt propositio sit vera, quo maior fuerit pars obiecti existens, maior erit veritas, ac proinde maior veritas erit dicere, *hi centum homines currunt*, currentibus nonaginta nouem, quam currentibus Viginti, & maior currentibus viginti, quam currentibus decem; ergo.

18 Resp. concedo antec. & nego consequent. Ad probat. dico maiorem veritatem materialiter esse dicere; hi centum homines currunt, currentibus nonaginta uovem, quam currentibus viginti; hoc est; materiam vnius veritatis esse maiorem, quam materiam alterius, non vero esse maiorem formaliter in esse veritatis: nec ex eo quod eadem propositio possit esse simul vera, & falsa, sequitur posse esse magis veram; nam vt sit simul vera, & falsa, duplex obiectum disparatum ponitur, ê quibus vni potest conformari, & disconformari alteri, non vero potest vni, & eidem obiecto conformari magis, & minus, esse que magis, & minus ęqualis illi; conformitas enim actus cum illo obiecto, ratione cuius verus dicitur, consistit in indiuisibili, licet simul sit disconformis alteri obiecto, ratione cuius dicitur falsus. Sic licet eadem linea palmaris sit simul ęqualis, & inæqualis; æqualis respectu lineæ palmaris, & inæqualis respectu lineæ bipalmaris, at respectu lineæ palmaris nequit esse magis, vel minus æqualis, sed eius æqualitas in indiuisibili consistit.

169. Vnde illa propositio nobis obiecta: per nos vt propositio sit vera non requiritur, quod totum obiectum existat sicut per ipsam reprę́sentatur: ita distinguenda est; quod totum obiectum verificativum, nego; quod totum obiectum falsificativum, concedo; & nego suppositum, quod obiectum verificativum possit dici pars obiecti, nam pars est correlativa compartis in ordine ad constituendum vnum totum, cum autem ex obiectis actus positi á nobis, tanquam simul veri, & falsi, nequeat vnum obiectum resultare, cum supponantur omnino disparata, inde est, quod nequeant dici partes alicuius obiecti, quod vnum obiectum dicatur, sunt namque non vnum, sed plura obiecta, alias si per modum vnius se haberent, propositio esset tantum falsa; vt diximus sect. anteced.

170. Obj. 2. Hęc propositio *homo est animal rationale* magis reprę́sentat hominem sicuti est in se, quam hæc *homo est animal*; ergo est magis vera.

171 Resp. Dist. antec. Magis repræsentat hominem sicuti est in se, id est, magis adæquate, concedo; magis vere, nego: Nam tam verum est, hominem esse animal, quam esse animal rationale, licet hęc secunda veritas ad plura se extendat, & hominem maiori adæquatione attingat.

172. Obj. 3. contra 2. concl. Per nos falsitas accipit magis, & minus; ergo & veritas. Prob. conseq. Ideo falsitas accipit magis, & minus, quia hic actus *hi centum homines currunt* est magis falsus currentibus decem tantum, quam currentibus nonaginta nouem, cum plus disconformetur; ergo hic actus *mille homines currunt*, *currentibus* totidem, erit magis verus, quam hic *duo homines currunt*, eisdem currentibus; cum primus plus conformetur, quam secundus.

173 Resp. veritatem consistere, non inquacumque conformitate, sed in conformitate cum suo obiecto; sed actus dicens *mille homines currunt* non est magis conformis cum suo obiecto, quam actus dicens duo homines currunt; ergo non est magis verus. Licet enim obiectum primi actus sit maius materialiter, & veritas cum pluribus conformetur, non ideo magis conformatur cum suo obiecto, quam secundus actus cum suo. At vero falsitas in disconformitate, & in inæqualitate consistit, et eo ipso quod actus disconformis, et inæqualis sit pluribus obiecti partibus, magis disconformis, et inæqualis est obiecto, magis que aberrat ab eo.

174 Obj. 4. Tam non est Limæ, qui est Romæ, quam qui est Callai; & tam distat ab hoc gimnatio qui est in foro, quam qui est in Ecclesiá. Item, qui verum non dicit, tam absolute non dicit verum, si in vno, ac si in pluribus deficiat. In super carentia obiecti sicut repræsentatur, falsitatem constituit; sed carentia non accipit magis, & minus; ergo nec falsitas.

175 Resp. Disting. primas propositiones. Tam non est Limę, & c. Tam non est in hoc gimnatio, &c. Tam absolute non dicit verum essentialiter metaphysice, cōcedo; integraliter, seu intensiuè, nego. Certum est, totam essentiam metaphysicam non essendi Limę, & sic de reliquis, habere tam qui est Romæ, quam qui est Callai, sed non habere tantam distantiam; etiam qui aberrat in vno, totam essentiam metaphysicam mendacij contrahere, sed minús mendacij dicere, quam qui in pluribus deficit. Sic tam est albedo essentialiter albedo vt vnum, quam albedo vt octo, non tamen est tam intensa albedo: Tam est inæqualis quantitas bipalmaris semipalmari, quam palmari, & tamen maior est vna inęqualitas, quam alia; ergo similiter licet tam falsitas sit essentialiter metaphysice defectio in vno, quam in pluribus, erit tamen vna maior, & intensior falsitas, quam alia. Ad illud de carentia idem dic; carentiam essentialiter non accipere magis, & minus, carentiam vero integraliter, & intensiue magis, & minus accipere.

SECTIO VIII.

AN VERITAS SIT INtrinseca, & essentialis cognitionis?

176. PRima sententia affirmat, esse adęquatè intrinsecam, & essentialem actibus. Ita Aureolus,

lus. Gràn.controv. de Actibus humanis.tract.9.d.4.n.6. Smising. Linzeus. problem.lib.10.tract.1.n.44. Hurtado d.9.de Anima sect.3.sub.4.& 5.

177. Secunda sententia negat. Ita S.Thomas 1.p.Quæst.14.art.15.ad 3. Eximius Noster Doctor. P. Vasquez. Molina. Rubius. Arriaga. Compton. Oviedo.Quiroz. Alphonsus. S.Cruz. Ioannis,&Spinula:hi tamen duo vltimi,aliqui que cum eis,licet hoc teneant in actibus probabilibus, & incretis, in actibus tamen metaphysice certis, & evidentibus, quales sunt actus scientiæ,& supernaturales fidei, &c. tenent veritatem intrinsecam,& essentialem.

178. Conclusio. Ueritas est denominatio partim intrinseca, & partim extrinseca actui. Intrinseca, quatenus dicit ipsam repræsentationem, affirmationem scilicet,& negationem: Extrinseca,quatenus dicit ipsum obiectum eo modo existens,quo per propositionem affirmatur, si sit vera; vel aliter ac est affirmatum,si sit falsa.

179. Prob.1.Aristotelis authorit. c.1.de substantia dicentis. *Ab eo quo res est,vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*; sed quod res sit, vel non sit, est actui extrinsecum; ergo ab aliquo extrinseco,obiecto nempe sumitur veritas,vel falsitas propositionis.

180. Confir. Posito hoc actu *Petrus currit*,si Petrus re ipsa currat,erit verus; si non currat erit falsus; ergo à cursu Petri, qui est talis actus obiectum, denominatur verus. Tum aliter; ergo talis actus est indifferens ad veritatem, vel falsitatem, iuxta indifferentiam cursus, sed nihil est indifferens ad id, quod adæquatè secum identificatur; ergo veritas, & falsitas non identificantur cum actibus adæquate.

184. Prob.2. Ueritas est quædam similitudo,& falsitas quędam dissimilitudo actus cum obiecto; sed per nos, & iuxta plures ex Adversarijs, similitudo est quædam denominatio partim extrinseca,resultans scilicet ex fundamento,& termino; ergo similiter veritas,& falsitas. Ratio à priori est. Quia propositionem esse veram, nihil aliud est,quam ipsam affirmar cursum Petri v.g.& hunc dari à parte rei, & propositionem esse falsam nihil aliud est, quam ipsam affirmari cursum Petri, & hunc non dari à parte rei; sed hoc dicit duo,& propositionem,& obiectum vt est in se,vel aliter ac est in se repręsentatum; ergo veritas, & falsitas in vtroque consistit.

182. Confir.ad hominem ex Arriaga. Vt probent Adversarij,propositionem de futuro esse determinate veram; ita arguunt: *Deus vidit, me affirmare cursum futurum, & videt ipsum cursum futurum; ergo videt propositionem esse veram*. Eniam supponunt, veritatem non aliter cognosci, quam cognoscendo ea duo; ergo in illis consistit. Si enim in sola entitate actus veritas sisteret, frustra requireretur cognosci à Deo ipsum futurum; nam solo actu cognito cognosceretur ordo trancendentalis,in quo iuxta ipsos veritas consistit.

183 Confir. 2. Posita repræsentatione actus v.g. cursus Petri, & posito cursu Petri,ablato quocumque respectu intrinseco,propositio illa vera formaliter intelligitur; ergo eius veritas in vtroque consistit.

184. Pręcipua nostræ conclusionis probatio ex impugnatione contrarię desumitur communiter, morem sequar. Ait enim Hurt.& contrarij; cognitionem ita esse cum obiecto connexam, vt nec Divinitus possit poni hæc numero propositio *Petrus currit*, quæ essentialiter est vera, Petro non currente; vnde ly *Petrus currit* falsa non currente Petro, esse essentialiter diversam à prima, licet illi similem.

185. Contra 1. Hæc alligatio propositionum est omnino voluntaria. Quis vnquam excogitare potest ex duabus propositionibus idem,& eodem modo respicientibus v. g. *Petrus currit Petrus currit* vnam esse essentialiter veram, & alteram esse essentialiter falsam,& inter se essentialiter distinctas?

186. Contra 2. Ponamus per possibile,vel impossibile, quod currente Petro ex illis duabus propositionibus vna essentialiter vera,et altera essentialiter falsa,eliciatur falsa *Petrus currit*, et quod ex negatiuis similiter vna vera,et alia falsa,eliciatur vera *Petrus non currit*; ergo Petro currente propositio negans illum currere esset vera, et affirmans illum currere esset falsa.

187. Contra 3. Pone eam propositionem affirmatiuam essentialiter falsam *Petrus currit*. Pone item negatiuam essentialiter item falsam, *Petrus non currit*, Rogo hæ duæ propositiones *Petrus currit Petrus non currit*, vel sunt cōtradictoriæ, vel non? Si primum? Ergo duplex cōtradictoriū est simul falsum. Si secundum? Ergo evertitur contradictoriorum definitio; cum duæ propositiones,ex quibus vna affirmat, et alia negat idem prędicatum de eodem subiecto,omnibus seruatis,non opponuntur contradictorie.

188. Si dicas, eas propositiones idem obiectum non habere, quia vera habet pro obiecto cursum possibilem, falsam vero cursum impossibilem, & fictitium. Contra erit. Ergo propositiones contradictoriæ idem obiectum non habent. Patet. Cursus possibilis, & impossibilis,verus, & fictitius idem non sunt; sed ex propositionibus contradictorijs vna debet esse falsa, & ideo per vos respicere obiectum impossibile, & alia vera, ac proinde respicere obiectum possibile; ergo respicere obiectum distinctum. Vide contra hanc solutionem dicta tract. de Ente rationis sect.1.

189. Denique ex absurdo, quod ex ea sequeretur, impugnatur contraria sententia. Nam Angelus futura contingentia posset naturaliter cognoscere,quia posset,vel à me forte eici, vel ab ipso Angelo hic actus *Petrus cras peccabit*. Si tunc supra illum reflecteret,illum intuitiue, & comprehensiue attingeret; ergo cognosceret quid quid est de eius essentia,esse scilicet verum, vel falsum,& consequenter sciret certo,vtrum Petrus sit cras peccaturus,vel non peccaturus.

190. Nec valet dici,tunc Angelum futura non cognoscere, quia illi ad futura cognoscenda non debetur concursus; Nam Adversarij sibi ipsis opponuntur; cum ex vna parte Angelo negent concursum ad cognoscenda futura, & ex aliá illi concedant pricipium proximum ea cognoscendi, nempe penetratio actus essentialiter veri, vel falsi. Si enim hoc principium cognoscit evidenter, etiam infertur, ipsum futurum cognoscere. Nec Angelo intuitiua illorum actuum cognitio negari rationaliter potest; ergo.

SVBSECTIO UNICA.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

191 OBj. 1. Propositionem repræsentare cursum verum, qui de facto datur, est propositionem esse veram; sed repræsentare cursum verum, qui de facto datur,est propositioni adæquate intrinsecum, & essentiale; ergo & veritas.

292 Resp. concedo maio. Et nego minor. Nam licet propositioni sit intrinsecum, & essentiale repręsentare cursum,illi tamen est extrinsecum,

& accidentale, quod cursus actualiter existat, vel non existat; sed veritas stat non solum in repræsentatione cursus; potest enim cursus ræpræsentari per actum falsum, sed in repræsentatione cursus, et in ipso cursu existente, seu repræsentato sicuti est in se; ergo veritas non est actui adequate intrinseca.

293 Replic. 1. Propositioni est intrinsecum, et essentiale repręsentare cursum verum, et reale; ergo et repræsentare cursum existentem vt talem. Prob. conseq. solus cursus existens est verus, et realis, cursus vero non existens est cursus fictitius; ergo si propositioni est intrinsecum repræsentare cursum verum, etiam erit intrinsecum repræsentare cursum existentem.

194. Resp. Concedo antec. et nego conseq. Ad probat. nego antecéd. Nam cursus possibilis non est actualiter existens, et est cursus verus, et realis: vnde licet propositioni sit essentiale repræsentare cursum realem, illi tamen accidentale est, quod talis cursus realis existat, sicut per ipsam asseritur, quod requiritur necessario, vt propositio sit vera. Falsa enim, per nos, vt diximus tract de Ente rationis non respicit cursum fictum, sed eundem cursum realem, quem respicit vera, & tamen quia ipse cursus non existit sicut per ipsam repræsentatur, est falsa; ergo vltra repræsentationem cursus realis, quę est propositioni essentialis aliquid aliud est veritas, quod ipsi essentiale non est.

195 Replic. 2. Actus in ratione veri non magis dependet ab obiecto, quam in ratione repræsentationis; sed in esse repræsentationis nihil sibi extrinsecum habet; ergo nec in esse veri.

196 Resp. Nego maior. Nam tota ratio repræsentationis præscindit á conformitate, vel disconformitate cum obiecto, & saluatur in respicentia tendente ad obiectum, quæ actui est adequate intrinseca; ast vero veritas vltra respicentiam dicit conformitatem, seu obiectum ita se habere, sicuti repræsentatur, quod est actui extrinsecum, & accidentale; sicut imagini Cæsaris essentiale est repræsentare hanc figuram, ast vero quod hęc figura ita se habeat, ac repręsentatur est imagini accidentale; sed hoc includit conformitas, & omnis veritas est conformitas; ergo veritas aliter dependet ab obiecto, ac repręsentatio; nam repræsentatio dependet ab illo, vt ab obiecto, veritas vt à constitutiuo.

197 Obj. 2. Actus, qui respicit hominem possibilem, non respiceret illum si redderetur impossibilis; ergo actus, qui respicit cursum existentem non respiceret illum, si redderetur non existens; ergo idem actus *Petrus currit* non est indifferens ad esse verum respiciens cursum existentem, & ad esse falsum cursum non existentem respiciens.

198. PP. Arriaga, & Oviedo negant antec. asserentes; cognitionem non referri transcendentaliter ad obiectum. Tu vero cum P. Comptono, & Alijs illud concede, & simul relationem transcendentalem; nam si obiectum redderetur impossibile, etiam cognitio, quæ est tendentia in illud, impossibilis redderetur. Possibile enim, & impossibile realiter distinguntur, ideo quæ nequit esse indifferens ad attingendum possibile, vel impossibile, nec reddito obiecto possibili impossibili, eadem permanere potest: at possibile, & existens realiter non distinguntur; vnde ille actus *Petrus currit* indifferens est ex se ad respiciendum cursum possibilem tantum, & sic ad esse falsum; vel existentem, & sic ad esse verum, cum siue existat, siue non existat cursus affirmatus idem cursus est.

199 Obj. 3. Omnis propositio affirmans cursum v. g. Petri respicit illum ex suppositione, quod sit; sed ex suppositione, quod sit, essentialiter est; ergo omnis propositio affirmans respicit obiectum vt existens essentialiter.

200 Resp. maiorem esse omnino falsam; solum enim respicit obiectum, vt obiectum affirmatum est, non vt existens; sed licet respiciat illud vt obiectum affirmatum, potest esse falsa, si non existat; ergo talis propositio non est essentialiter vera.

201 Obj. 4. Omnis propositio, vel intrinsece, & essentialiter repræsentat obiectum sicuti est in se, vel intrinsece, & essentialiter non repræsentat obiectum, sicuti est in se; vel per suam essentiam assimilatur obiecto, vel non assimilatur; sed si primum, est essentialiter vera, si secundum, est essentialiter falsa; ergo.

202. Confir. Nulla propositio potest esse indifferens vt sit conformis, vel disconformis obiecto; ergo nec vt sit vera, vel falsa. Prob. antecedens. Nulla propopositio potest esse indifferens vt mutet obiectum; cũ sit imago ipsius; aliás iam non esset eadem, sicut nec eadem imago; sed si esset indifferens, vt sit conformis, vel disconformis, esset indifferens, vt mutaret obiectum; nam si esset conformis, haberet pro obiecto cursum reale, si disconformis cursum fictum.

203 Resp. Omnem propositionem ex se, & essentialiter solum habere hoc, quod est, repręsentare obiectum, & esse illi inadæquate, & quasi fundamentaliter similem; at vero ipsam ex se neque repræsentare obiectum, sicuti est in se, nec aliter ac est in se, neque esse similem, neque esse dissimilem. Nam repręsentare obiectum sicuti est in se, vel aliter ac est in se, dicit simul, & repræsentationem, & ipsum obiectum ita se habens, vel ita non se habens, sicut repræsentatur; sed propositio ex se, & essentialiter solum dicit repræsentationem, & pręscindit ab, eo quod obiectum ita, vel aliter se habeat; ergo ex se, & essentialiter nec repræsentat obiectum, sicuti est in se, nec aliter ac est in se. Patet doctrina in denominatione similis. Per vos, hæc albedo ex se, & essentialiter non dicitur similis adæquatè alteri albedini, nec tantum licet inferre; *Ergo ex se & essentialiter est alteri dissimilis*; nulla alia ratione, nisi quia tam similitudo, quam dissimilitudo ex vtraq albedine resultat; ergo cum conformitas, vel disconformitas ex repræsentatione, & obiecto, ita vel aliter se habente resultet, non licebit inferre: repræsentatio ex se non est conformis adæquate; ergo ex se est disconformis: quia nec est conformis, nec disconformis: dicitur tamen ex se non esse conformem, neque esse similem; non tamen ideo est falsa ex se, quia fallitas non stat in non similitudine, sed in dissimilitudine. Sicut animal ex se, neque est rationale, nec irrationale.

204. Ad confir. Nego Anteced. Ad probationem concedo Maior, & nego Minor. Ad implicitam probationem iam supra respondi, obiectum illius propositionis *Petrus currit* esse cursum verum, & realem, siue propositio sit conformis, siue sit disconformis. Si sit conformis cursus vt est in se repræsentatus, si sit disconformis repręsentatus aliter ac est in se.

205. Obj. 5. Si veritas includeret obiectum, sequeretur 1. hunc actum verum *Deus est Æternus* elicitum á creatura esse Diuinum, cum Deum includat. Secundo veritatem Diuinam, qua me-

me cognoscit Deus existentem, non esse perfectiorem veritate creata, qua ego Deum existentem cognosco, cum vtraque veritas eisdem gaudeat veritatis constitutivis. 3. Si actus circa Deum esset falsus, v.g. *Deus non est Omnipotens* habebit falsitatem infinitam. 4. hic actus falsus esset perfectior, quam quilibet alius verus ad creaturam terminatus; cum constitueretur ex *Deo* in esse falsi.

206. Resp. Dist. sequelam primi inconuenientis. Sequeretur, hunc actum esse *Diuinum*, id est, terminatum ad Deum vt obiectum, & per ipsum in esse veri constitutum, concede: id est, elicitum á Deo, nega. Ideo absolutè non est dicendus Diuinus, quia hæc denominatio solum convenit actibus à Deo elicitis, vt á principio, non actibus elicitis á creaturis, & terminatis tantum ad *Deum* vt ad obiectum. Ad secundum inconveniens respondeo cũ P. Arriaga n. 44. veritatem creatam terminatam ad Deum concretiue sumptam æque perfectam esse, ac veritatem Divinam ob rationem argumenti; at vero secundum quod dicunt in recto, nempe secundum repræsentationem infinite perfectiorem esse veritatem Diuinam veritate creata. Idem evenit in similitudine mei ad Deum, æque perfecta concretiue ac similitudo Dei ad me, cum vtraque Deo, & me constet.

207. Ad tertium inconueniens etiam distingue, illud habebit falsitatem infinitam, id est, terminaretur ad obiectum infinitum, eo quod constitueretur, concedo; aliter, nego. In his ergo, & similibus denominationibus communi vsui loquendi maximè attendendum est. Non enim dicitur falsitas infinita, neque similitudo infinita: sicut nec actus liber creatus, licet per concursum Dei indifferentem in esse liberi constituatur dicitur infinitus, nec denique actus in esse praui per prohibitionem Diuinam infinitam constitui dicitur infinitus. Ad quartum respondetur, talem actum falsum esse perfectiorem materialiter actu vero, id est, constituitur in esse falsi ex obiecto perfectiori illo, per quod in esse veri constitueretur actus terminatus ad ens creatũ, non vero in existimatione morali esset formaliter perfectior, sicut licet actus pravus per prohibitionem Diuinam in esse pravi constituatur, non ideo in extimatione morali censetur formaliter perfectior actu honesto temperantiæ alterius que virtutis moralis, quę ex *Deo* non constituuntur. Tunc enim in illis actibus se habet omnino materialiter infinitudo Dei; cum eos non constituat ea intensione, vt eos dignificet.

208. Obj. 6. Amor Dei circa creaturas non constituitur in ratione boni formaliter per ipsas creaturas, sed perse ipsum; ergo nec actus verus constituitur in esse veri per obiectum, sed per se ipsum. Confir. Bonitas actus voluntatis non constituitur per obiectum; ergo neque veritas actus intellectus. Id enim quod est veritas, & falsitas in intellectu, est bonitas, & malitia in actibus voluntatis.

209. Resp. Bonitatem moralem actus voluntatis, & amoris Dei circa creaturas non constitui ex obiectis; nam circa obiectum malum potest dari actus bonus, vt odium peccati, immò & voluntas homicidij, si homicidium invincibili ignorantia bonum iudicaretur; sicut ê contra potest dari actus malus circa obiectum bonum, vt odium Dei; immò & auditio Sacri, si ignoranter iudicaretur mala; cum ergo ex conformitate cum obiecto bonitas moralis actuum voluntatis non sumatur, & ex tali conformitate sumatur veritas actuum intellectus nulla in hoc paritas datur. Sumitur ergo bonitas moralis per conformitatem cum regula rectæ rationis, ideo que per talem regulam constituitur. Scio P. Coninc 1. p. disp. 3. dub. 3. & P. Amicum ibidem dis. 13. n. 8. defendere tales actus voluntatis per obiecta in esse morali constitui.

210. Obj. 7. Veritas est perfectio actum, & falsitas imperfectio: ergo est illis intrinseca; perfectio namque, & imperfectio rei semper est illi intrinseca.

211. Resp. dist. anteced. Veritas adæquatê sumpta est perfectio intrinseca; nego: inadęquatè sumpta, concedo. Id est quoad repręsentationem dicit perfectionem intrinsecam, non vero quoad conformitatem, vnde intrinsece non est perfectior actus verus actu falso, cum esse verum, vel falsum sit extrinsecum actui: sicut esse similem nõ est perfectio intrinseca albedini, sed solum extrinseca.

212. Obj. 8. Propositiones de futuro sunt actualiter veræ; sed obiectum earum non est actualiter, cum sit futurum, ergo per illud veritas non constituitur; quia constitutum actuale exigit actualiter constitutiva.

213. Resp. Concedo Maior, & dist. Minor. Obiectum earum non est actualiter futurum, nego: existens, concedo. Ad veritatem actualem solum requiritur, quod obiectum sit eo modo, quo per propositionem affirmatur, cum enim per propositionem de futuro non affirmetur futurum vt existens, sed vt futurum, inde est, quod sufficiat eius actualis futuritio, vt propositiones sint actualiter veræ. Sic dicitur domus hæc actualiter antiqua, & in esse talis per tempus præteritum constituitur. Sic nos dicimus actualiter priores Antichristo futuro, posteriores actualiter Adamo præterito, quia in his, & similibus denominationibus actualibus solum significatur, & requiritur existentia actualis recti, non obliqui, licet in alijs denominationibus, in quibus datur vnio physica inter subiectum, & formam, vt in denominatione calidi, albi, & c. Existentia actualis, & exercita vtriusque partis requiratur.

214. Obj. 9. Propositiones necessariæ, quæ dicuntur Æternę veritatis, vt *homo est animal rationale: Deus existit*. Item actus scientiæ Divinæ, & fidei supernaturalis essentialiter petunt, vt obiecta sint eo modo, quo ab ipsis repręsentantur, nullam indifferentiam habent ad falsitatem; ergo sunt essentialiter verę.

215. Totum concedunt Linze, Ioannis, Spinula, immò & P. Comptonus admittit in his propositionibus, quibus falsitas repugnat, esse veritatem intrinsecam, licet sit extrinseca propositionibus in materia contingenti. Tu vero cum P. Arriaga in omnibus eodem modo discurre, distinguens inter propositiones necessario veras, & intrinsecè veras, non enim quodcumque necessarium est intrinsecum. Sic creatura necessario est coexistens Deo, similis illi, ad minus in ratione substantiæ, subdita, cognita á *Deo*, &c. Et tamen omnes hę denominationes non sunt illi adæquate intrinsecæ, sed partim extrinsecæ; vbi nota cum P. Compt. sect. 5. num. 1. dari duplicem veritatem; formalem, quæ est conformitas actus cum obiecto; & radicalem, quę est exigentia intrinseca, & essentialis propositioni, vt obiectum sit sicut per ipsam enunciatur. P. Linze hanc exigentiam, & connexionem vocat *veritatem ad quam* (verba sunt Arriagæ num. 57) Ego autem, & alij plures nolumus vocare veritatem, sed exigentiam veritatis, quod aliud Longe est. Hæc veritas radicalis, seu exigentia veritatis conuenit actibus in materia necessaria intrin-

trinsece, & essentialiter, & ratione huius illius falsitas repugnat, non ratione veritatis formalis, quæ sicut actibus in materia contingenti est extrinseca, ita & his extrinseca erit.

216 Obj. 10. Verba consecrationis causant corpus Christi vt vera; ergo per ipsum vt vera non constituuntur; alias ipse Christus se ipsum causaret; sed est obiectum verificatiuum illorum; ergo eorum veritas ex obiecto non constituitur.

217 Quæstio hæc pertinet ad Eucharistiam; vtrum scilicet verba consecrationis causent corpus Christi Domini vt vera? Resp. 1. cum Exim. D. tertia parte disp. 5. ipsum Christum se causere per aliam actionem. Resp. 2. facilius cum P. Compt. Disp. 8. de Eucharistiá; sect. 3. verba consecrationis vt radicaliter vera causare corpus Christi Dñi, per quod non constituuntur in esse formaliter vera. Ex institutione enim Christi Domini habent vim reddendi se ipsa forma formaliter vera.

218 Obj. 11. Si obiectum esset pars veritatis, vel falsitatis, ipsum obiectum diceretur esse etiam verum, vel falsum. 2. Deus diceretur pars erroris, cum est obiectum huius actus *Deus non est Trinus*. 3. Cum obiectum sit mensura veritatis, si esset pars illius, pars esset mẽsura totius, & ęqualis toti.

219 Resp. Nego sequelam. Sic Filius est pars denominationis Patris iuxta plures, & è contra, & tamen, nec Filius dicitur Pater, nec Pater Filius: sic creatura partialiter constituit in Deo denominationem Domini, & creatoris, & ipsa nec Dominus, nec creatos dicitur. Ratio est, quia hę denominationes solum recto vt *quod* conveniunt, non obliquo, ideoque solum actui, non vero obiecto. Ad secundum concede, Deum dici partem obiectivam erroris, hoc est, obiectum erroris. Inquo sit inconveniens? Vel dic; hanc denominationem erroris actui solum attribui; vnde cum Deus non sit pars actus, nec pars erroris. Ad tertiũ respondeo, obiectum non esse mensuram veritatis formalis, & adæquatæ, cum ipsam constituat, sed veritatis fundamentalis, & inadæquatę, nempe repræsentationis actus, cuius non est pars.

220. Obj. 12. Actus verus, & falsus differunt specie; nam actus verus natura sua est perfectior falso, perficit namque intellectum, falsus vero illum inficit; ergo veritas illi est intrinseca. Nihil enim differt ab alio specie per aliquid sibi extrinsecum, vt per se patet.

221. Resp. Quod si loquamur de actibus ad essentias rerum terminatis, hi essentialiter differunt ab actu falso, non ratione veritatis formalis, sed ratione exigentiæ essentialis, quam habent, vt obiectum aliter non se habeat, ac per ipsos repræsentatur, & hi absolute dicuntur perfectiores actu falso. Si tamen loquamur de actibus terminatis ad contingentem materiam respondeo; nullo modo distingui specifice inter se ratione sui; cum hęc repræsentatio sit indifferens ad veritatem, vel falsitatem. Nec veritas, aut falsitas formalis perficiunt, vel inficiunt intrinsece illum; cum sit extra illum. Dicitur tamen actus verus melior falso, non in se, sed occasionaliter, hoc est, quod actus verus plerumque boni alicuius, falsus vero mali sit occasio,

222. Replic. Ergo si actus falsus non est formaliter imperfectus, non est vnde probemus Deo actum falsum repugnare.

223. Resp. Deo non repugnare actum falsum, eo quod in se sit intrinseca, & formalis imperfectio, sed quia est arguitive imperfectio, hoc est, arguit in eliciente ignorantiam obiectorum, & fallibilitatem. Sic Deum esse crea-

creatorem Angeli, & illius Dominum actualem non est intrinseca perfectio Dei, cum constituatur ex aliquo extrinseco, esset tamen Deus imperfectus si Angelus existeret, & á Deo non esset creatus, vel Deus non esset illius Dominus, quia hoc argueret defectum alicuius perfectionis Deo intrinsecæ.

224. Obj. 13. Si propositio constitueretur per obiectum in esse veræ, hæc propositio vera *Petrus currit*, currente Petro nullo modo distingueretur ab hac propositione falsa *Petrus currit*, Petro non currente; cum eadem haberet constitutiva, nempe repræsentationem, & cursum Petri: ergo propositiones veræ, & falsæ nullo modo distinguuntur inter se.

225. Resp. propositiones veras, & falsas non distingui essentialiter inter se, sed solum accidentaliter, sicut Petrus albus distingueretur á se ipso non albo; nam sicut Petrus est indifferens ad albedinem, & eius carentiam, ita actus ad veritatem, & falsitatem.

226 Replic. Petrus albus reduplicative vt albus differt essentialiter á se ipso vt non albo; ergo saltem actus verus, vt verus reduppli atiue differt essentialiter ab actu falso; sed iuxta hucusque dicta, nec ita reduplicatiue distinguuntur: ergo. Prob. minor. Actus ille vt falsus reduplicatiue solum constituitur ex repræsentatione, & obiecto, nempe cursu Petri; sed ex eadem reprętatione, & eodem cursu constituitur vt verus; ergo adhuc reduplicatiue vt falsus á vero differt essentialiter.

227. Resp. Concedo. Antec. & conseq, & nego minor. Ad prob. dico, actum illum vt verum constitui ex cursu Petri re ipsa existente vt existente; vt falsus constitueretur ex eodem cursu re ipsa non existente, seu vt inuoluente carentiam existentię actualis; cum ergo cursus vt existens actualiter distinguatur essentialiter á se ipso vt carente existentia actuali, licet specificatiue cursus existens solum accidentaliter á non existente distinguatur. Inde est, quod propositio vera vt vera á falsa vt falsa essentialiter distinguatur; licet specificatiue sumpta solum accidentaliter distingueretur.

228 Sed instas. Sed propositio illa falsa *Petrus currit*, Petro non currente nequit in esse falsæ constitui per carentiam existentiæ cursus; ergo ruit solutio. Prob. minor. Propositio in esse falsæ, sicut in esse verę, solum constituitur per obiectum ipsius; sed carentia existentiæ cursus non est obiectum illius propositionis, cum potius sit ipse cursus actualis; ergo per illam carentiam non constitutur propositio in esse falsæ.

229 Resp. Quod licet ex parte obiecti idem attingeret, siue esset verâ, siue falsa sit illa propositio, cum vtraque attingeret cursum Petri, quem eodem modo affirmatiuo repręsentat; attamen cum carentia actualis existentiæ sit circunstantia cogniti cursus, licet ipsa non cognoscatur nomen obiecti obtinet, constituit que propositionem in esse falsæ. Sic volitio comedendi carnes die veneris, etiã si no velit earum prohibitionem; cum vitietur à prohibitione Diuina, ab ipso obiecto vitiari censetur, eo quod prohibitio sit circunstantia illius obiecti, in quod fertur voluntas, nempe essus carnis; ergo similiter.

230 Sed dices. Circunstantia obiectiua, vt vitiet actum, debet esse cognita. Patet in prohibitione, quæ si non cognosceretur, essum carnis non vitiaret; sed carentia cursus nullatenus cognoscitur per illum actum *Petrus currit*; ergo non est circunstantia vitians, seu falsificans actum.

Resp.

231 Resp. circunstantiam obiectivam vitiantem moraliter actũ, illum què è bono malum reddentem, qualiter se habet prohibitio respectu esus carnis, quem è bono malum moraliter reddit, necessario debere cognosci; at vero circunstantiam vitiantem formaliter, & intentionaliter actum, qualiter se habet carentia cursus respectu actus, quem falsum constituit, non debere cognosci, certum est.

232 Obj. 14. Actus reflexus supra se ipsum, ita *Ego sum cognotio* esset verus; sed in esse talis non constitueretur per quid sibi extrinsecum; ergo Prob. min. Constitueretur per obiectum, sed obiectum non est sibi extrinsecum, cum sit ipsemet actus; ergo.

233. Resp. Hic nos non loqui de actibus reflexis, vt ex contextu totius quæstionis constat, in quibus non est dubium, veritatem non addere quid ipsis extrinsecum, nõ eo quod sint veri, seu ex conceptu veri vt sic, sed ex eo, quod sint tales actus veri reflexi, seu ex conceptu talis veritatis.

234. Obj. 15. Actus verus terminatus ad ens rationis, & negativum vniuocè convenit cum actu vero terminato ad ens reale, & positivum; ergo vel non constituuntur in ratione veri per obiecta, vel dantur conceptus supra transcendentes; implicat enim constituta vniuocè convenire, & constitutiva non convenire; sed constitutiva talium actuum sunt ens reale, & rationis, ens positivum, & negativum; ergo.

235. Resp. Argumentum nullum esse si stemus nostræ sententiæ de constitutione entis rationis per entia realia, & entia negativa cum positivis identificentur; vel si admittantur supratranscendentes: sed his negatis respondetur, tales actus terminatos ad ens rationis, & negativum non convenire vniuocè cum terminatis ad entia positiva, & realia, ob rationem argumenti, quod totum ruit.

236. Objic. denique. Sequeretur, veritatem esse partem falsitatis, si esset obiectum alicuius actus falsi, & falsitatem partem veritatis, si esset similiter obiectum alicuius actus veri, quod dissonare videtur. Resp. concedo totum, quod solum dissonare poterit illi, qui sensum propositionum non percipiat.

SECTIO IX.

VTRVM IDEM NVMERO actus possit transire de vero in falsum?

237. PRimà sententia affirmat. Ita Caiet. Capreol. Palacios Ocham. Gregor. P. Suar. P. Salmer. P. Amic. P. Ualenc. Conimbr. & alij apud P. Lynz. lib. 1. Item P. Quiroz q. 19. n. 3. & P. Isquier. d. 3. n. 96.

238. Secunda sententia negat. Ita S. Thom. & Aristot. apud P. Santac. n. 1143. P. Hurt. P. Arriag. Complur. Spinula. Ponz. d. 19. logic. n. 21. & plurimi apud ipsum.

239. Noto 1. Quęstionem locum non habere in sententia asserente, veritatem esse intrinsecam, & essentialem actibus, in qua sicut homo in brutum transire nequit, ita neque actus falsus in verum. In nostra ergo sententia, veritatem extrinsecam actibus statuente, non parum celebris est.

240. Noto 2. Quod cum tota actuum mutatio solum possit ab obiecto provenire, propositiones veras, vel falsas, quorum obiectum mutuari nequit, certum etiam est, nec ipsas mutari posse. Vnde tota quęstio ad propositiones in materia contingenti debolvitur.

Noto

241 Noto 3. Hic supponi iudicium humanum, quod de facto datur, posse per aliquod successivum tempus durare; nam si vnico instanti tantum duret, quęstio erit inutilis.

242 Prob. 1. hæc secunda sententia. Nullus actus intellectus etiam in materia contingenti potest mutare suum obiectum; sed vt transiret de vero in falsum necessario suum obiectum deberet mutare; ergo. Prob. maior. Actus intellectus essent aliter est imago, & repræsentatio sui obiecti; ergo hic actus est imago huius obiecti, sicut hæc vnio nexus horum extremorum, & hęc actio productio huius termini, sed hæc vnio nequit esse nexus aliorum extremorum, nec hæc actio productio alterius termini; ergo nec imago huius obiecti potest esse alterius imago. Eo enim ipso iam non esset eadem, sed alia imago. Maior est certa, quia eo ipso, quod non mutet, sed habeat idem obiectum; si semel illud sicuti est inse, ac proinde vere repręsentavit, semper, & per semper vere repræsentare illud, necesse erit.

243 Prob. 2. Ratione apriori. Si aliqua propositio posset de vera in falsam transire, maxime hæc in materia contingenti: *Petrus currit*; sed hæc nequit in falsam transire; ergo. Prob. 1. Ea propositio, vel affirmat; Petrum currere in instanti *A*, vel in instanti *A. B. & C.* & reliquis vnius horæ v. g. Uel in instanti *A*, vel *B*? Si primum? Ergo vel Petrus currit in tali instanti, vel non? Si currit? Semper est vera propositio, siue currat, siue non currat in reliquis instantibus. Si non currit? Semper erit falsa propositio, etiam si Petrus in reliquis instantibus currat. Rursus affirmat Petrum currere in instantibus *A. B*, & *C*, & reliquis vnius horæ. Si in omnibus currit: propositio semper erit vera. Si in aliquo non currit, erit falsa. Denique si affirmat Petrum currere in instanti *A*, vel *B*, aut alio indeterminatè, vel currit in aliquo instanti, vel in nullo currit? Si secundum? Propositio semper erit falsa. Si primum? Semper erit vera Nam veritas propositionis disiunctivæ in vno solum saluatur; ergo de primo ad vltimum nulla datur propositio, quæ semel vera, possit transire in falsam.

SVBSECTIO I.

OBIICIVNTVR ALIQVI MODI, quibus contraria sententia defendi potest.

244 OBj. 1. Illa propositio *Petrus currit*, & sic de alijs pręscindit ab vllo tempore, & solum significat cursum. Unde si per duplex instans duret propositio, & in primo currat Petrus, & non currat in secundo; in primo est vera propositio, cum conformetur suo obiecto; in secundo vero erit falsa, cum disconformetur ei.

245 Sed contra. 1. Quia iuxta Aristotelem, omne iudicium includit aliquod verbum, verbum autem, iuxta ipsum Aristotelem, aliquod tempus determinatum significat, vel pręsens, vel pręteritum, vel futurum. Insuper propositio de verbo præterito, & futuro, sine alia nota temporis significat tempus determinate præteritum, vt *Petrus scripsit*, & futurum, vt *Petrus scribet*; ergo similiter propositio de verbo præsenti tempus determinate præsens sine indigentia alterius notæ significabit; ergo illa propositio *Petrus currit* determinate significat, Petrum currere in instanti

ti

in præſenti *A*, quo ipſa fuit elicita. Vnde reddit noſtra ratio probandi; vel Petrus in illo inſtanti currit vel non? Si primum ſemper eſt vera propoſitio, & ſi non currat in inſtanti *B* ſequenti, & ipſa tunc duret, quia in quocumque tempore verum eſt dicere; *Petrus currit*, ſi ſemel fuit verum. Sic quotannis, die Natiuitatis dicitur: *Hodie natus eſt Salvator mundi*, & in Martyrologio dicitur etiam *In Bethleem Iudæ naſcitur*, de præſenti, quia quod ſemel fuit verum, ſemper verum permanet: & illa propoſitio adhuc in ſecundo inſtanti, vel mille poſt annos, ſi duret, vel eadem reproducatur ſupponit pro illo inſtanti ſuæ veritatis.

246. Replic. Uerbum poteſt abſolui á tempore; ergo & á tempore præſcindere. Prob. Anteced. In hac propoſitione *homo eſt animal*, vbi ly *eſt* nullum tempus ſignificat.

247. Reſp. In his propoſitionibus in materia neceſſaria Verbum *eſt* ſumitur ſubſtantivè, & facit ſenſum conditionatum omne tempus indeterminatè ſignificantem, ita *si homo exiſtat erit animal rationale.* Demus ergo talem propoſitionem *Petrus currit* nullum tempus ſignificare; ergo quocumque tempore ponatur curſus, erit vera, & ſi nullo tempore ponitur erit falſa. Ac proinde, ſi ponatur 1. inſtanti curſus, iam propoſitio vera eſt, ſiue currat, ſiue non currat in ſecundo, & reliquis inſtantibus, in quo ipſa durat, & durare poſsit. Senſus enim illius erit. Petrus aliquo tempore currit, ſed primum inſtans eſt aliquod tempus; ergo curſus primi inſtantis curſum verificat.

248. Obj. 2. Si hic actus verus *Petrus currit*, eo quod Petrus currat cum elicitur, à Deo poſt vnam vnam horam reproducatur, iam tunc erit falſus; cum Petrus tunc non currat.

249. Reſp. Quod, vel talis propoſitio mutat obiectum, cum reproducitur, ac proinde non eſt eadem; cum non ſit eadem imago, neque eadem repræſentatio, vel non mutat? Si cum reproducitur habet pro obiecto inſtans illud ſuæ reproductionis, certè erit falſa, ſed quia mutat obiectum; nam cum primo producitur habet pro obiecto inſtans *A* ſuç primæ productionis; & cum reproducitur inſtans *B* ſuæ reproductionis, iam non erit eadem. Si cum reproducitur, obiectum non mutat? Tunc habebit pro obiecto inſtans primum, quod ſemel habuit, & ſemper erit vera ob rationem ſupra dictam, quia poſt tot annos verum eſt dicere die vigeſsima quinta Decembris *Hodie natus eſt Salvator mundi. Hodie ſalus mundi credentibus apparuit.*

250. Replic Senſus illius propoſitionis *Petrus currit eſt Petrus nunc currit*, ergo cum reproducitur falſa redditur, cum Petrus tunc non currat.

251. Reſp. Admittendo in illo ſenſu, propoſitionem eſſe veram; quia licet cum reproducitur Petrus nonn currat, & ipſa dicat nunc currere, ly *nunc* ſupponit non pro *nunc*, ſed pro *tunc*, hoc eſt, affirmat; Petrum currere in illo inſtanti, in quo fuit verum currere, quod habuit pro obiecto, aliás ſi affirmaret *nunc* pro *nunc*, ſeu in ſecundo inſtanti reproductionis currere, iam mutaret obiectum, & conſequenter non eſſet eadem propoſitio, & repræſentatio.

252. Obj. 3. Propoſitio illa ſignificat inſtans ſibi coexiſtens; ſed dum primo producitur coexiſtit inſtanti *A*, in quo Petrus currit, & cum reproducitur inſtanti *B* in quo Petrus non currit; ergo tranſit de vera in falſam. Sic cognitio dicens *hoc ovum*, eadem immutata manet, ſi loco vnius, aliud ponatur ſimile ovum; ergo ſi loco inſtantis *A* ſimile inſtans *B* ſupponatur, eadem immutata manebit propoſitio, reſpiciens inſtans ſibi coexiſtens tantum.

Con-

253. Confir. Triplici exemplo. Primum ſit. Lex obligans habitatores Limæ ad ſolvendum tributum v.g. quę non obligat Petrum, cum promulgatur, quia Limæ non eſt, aſt cum Limam venit, obligat illum immutata manens. Secundum. Hæc propoſitio. *Omnes qui ſunt in foro currunt*, iam Petrum non comprehendit dum non eſt in foro; iam illum dum forum ingreditur comprehendit. Tertium. Actus contritionis eſt voluntas ſaltim virtualis confeſsionis; cum ſit voluntas omnium eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem. Si tamen Deus, vt poteſt, tolleret præceptum confeſsionis, maneret immutatus idem actus contritionis, & non maneret voluntas confeſsionis. Ratio eſt, quia contritio, lex, & illa propoſitio non reſpiciunt determinate confeſsionem, & Petrum in particulari, ſed quatenus participant rationem, quaſi communem rei neceſſariæ ad ſalutem, civibus Limanis, & ingredientibus in forum; ſed illa propoſitio *Petrus currit* non ſignificat in particulari inſtans *A*, vel *B*, ſed inſtans ſibi coexiſtens; ergo omne inſtans, quod rationem ſibi coexiſtentis participauerit comprehenditur ſub illa, & licet primo inſtanti verificetur de illo, & non reſpiciat ſecundum, ſecundo inſtanti illud reſpicier, quin talis actus mutetur.

254. Hoc argumentum probabilem facit contrariam ſententiam. Reſp. Quod illa propoſitio tripliciter tantum poteſt tempus ſignificare, vel ſignificare, vel ſignificat indeterminate; Petrum currere aliquo tempore ſibi coexiſtenti, & ſic ſiue primo, ſiue ſecundo inſtanti currat, dummodo currat, ſemper erit vera; vel ſignificat, Petrum currere in inſtanti determinato *A*, & ſic, etſi non currat in iſtanti *B* erit vera; vel denique ſignificat, Petrum currere collective in omni inſtanti ſibi coexiſtenti, & ſic erit falſa; cum in ſecundo non currat. Ad exemplum ovi dic, falſiſsimum eſſe, eandem eſſe cognitionem, vel viſionem, ſi loco vnius aliud ſufficiatur. Tum, quia viſio non ſolum terminatur ad ovum ſpecifice ſumptum, ſed ad hoc ovum individualiter; ergo eſt imago, & repræſentatio huius indiuidualitis ovi; ergo nequit eadem viſio, & imago permanere, ſi aliud ſufficiatur. Tum quia ſpecies impreſſa concurrens loco obiecti ad productionem viſionis, cum ſit ſemen huius ovi, nequit concurrere ad viſionem alterius ovi, cuius non eſt ſemen. Variatur abſque dubio viſio, ſed inſenſibiliter propter ſimilitudinem viſionis, ſicut variatur fluvius lene fluens.

255. Ad exempla omnia reſpondeo; eſſe actus vniuerſales, quaſi conditionatos, lex enim obligat quoſcumque homines, ſi adſint Limæ, licet in præſenti ab ea abſint. Propoſitio illa reſpicit omnes homines ſub conditione, quod ſint in foro, licet in eo de facto non ſint. Contritio ſimiliter reſpicit omnia quæ Deus neceſſaria præceperit ad ſalutem, non tamen reſpicit determinate ex ſe potius confeſsionem, quam eius negationem, dicitur tamen iam confeſsionem reſpicere per denominationem extrinſecam dependentem á voluntate Dei, que de facto, iam ad ſalutem confeſsionem præcipit. Cōſtat ergo ex nullo exemplorum probari poſſe, eundem actum poſſe iam vnum, iam aliud obiectum reſpicere.

256 Dices. Etiam hæc proppſitio: *Petrus currit*, eſt conditionata, & ſenſus illius eſt: *Petrus currit in inſtanti A, ſi præſens ſit, in inſtanti B ſi præſens ſit, &c.* Ergo cum omnis propoſitio conditionalis, purificata conditione tranſeat in abſolutam, præſente inſtanti *A* illud abſolute ſignificat, & evadit propoſitio vera; poſtea, præſente inſtanti *B*, illud, &

non

non *A* significat, & propositio redditur falsa.

257 In primis: Illam propositionem *Petrus currit* non esse conditionatam, certum est; quid enim magis absolutum esse potest, quam *currit*, Aliás nulla erit propositio, quę conditionalis non possit prolibito fingi. Insuper. Etiam si sit conditionalis, de vera in falsam transire nequit, & reddit nostrum dilemma. Talis conditionalis, aut significat, Petrum currere in aliquo instanti determinato, si hoc existat, & in eo Petrus currit, vel non? Si primum? Semper est vera. Si secundum? Semper falsa. Si significat currere in omni instanti, vel in omnibus sub conditione, quod ipsi coexistant, & præsentia sint, & tunc si in aliquo eorum non currat, & si currat in reliquis, falsa erit propositio semper; nunquam tamen vera.

258 Obj. 4. Hæc propositio *conversio Petri futura est*, similiter hæc *Christus nascetur*, si eliciantur prima vna hora ante conuersionem Petri, & secunda vna hora item ante Christi natiuitatem, sunt veræ. Si vero vsque ad vltimum horæ continuentur in quo, & Petrus conuertitur, & Christus nascitur, vtraque redditur falsa, nam falsum est asserere conuertionem, & natiuitatem præsentes esse futuras.

259 Resp. Falsum esse asserere in instanti natiuitatis, & conuersionis eas esse futuras pro tunc, seu pro illo instanti, in quo fiunt præsentes, sed verissimum est, tunc asserere esse futuras, non pro tunc, sed pro illo instanti, in quo eliciti fuerunt illæ propositiones, quod vna hora antecessit ad conversionem, & natiuitatem, quod cum semel fuerit obiectum earum propositionum semper illud respiciunt, & pro eodem supponunt, alias mutabuntur, si obiectum muten.

SVBSECT. II.

ALIJS RESPONDETVR argumentis.

260. OBjic. 5. Propositio potest transire de simili prędicamentaliter suo obiecto, in non similem; ergo de vera in falsam. Prob. conseq. Sicut veritas est conformitas intentionalis actu cum obiecto, ita similitudo est conformitas physica; ergo.

261. Resp. Assignando maximam disparitatem inter veritatem, & similitudinem. Similitudo consistit in coexistentia fundamenti, & termini, vnde cum possit fundamentum permanere dextructo termino, potest eadem propositio transire de simili in non similem. At veritas consistit in conformitate actus cum obiecto in repræsentando, quę quidem conformitas in repræsentando non requirit obiectum existens, sed siue existat actualiter, siue extiterit, siue exiturum sit, siue denique sit impossibile, siue mere possibile, dummodo repræsentetur sicuti est in se, saluatur conformitas intentionalis, actus que, qui semel conformis fuit, impossibile quod eidem obiecto, vel sit disconformis, vel non sit conformis.

262 Obj. 6. Si veritas huius propositionis *Petrus existit* non posset mutari, Petrus non posset non existere, ac proinde nec destrui; alias si posset non existere posset propositio affirmans illum existere esse falsa. Vnde iam in Deo impossibilitas dextructionis non esset quid speciale.

263 Resp. argumentum æquiuoco laborare. Aliud namque est impossibile esse, quod si Petrus extitit aliquando

quando

quando nequeat non extitisse, & aliud, quod si Petrus semel extitit nequeat in posterum non durare, ac proinde nequeat destrui; sicut aliud est quod Petrus ex suppositione quod amet, nequeat non amare, & aliud quod nequeat cessare ab amore. Primum est verum, quod infertur ex eo quod dicamus; propositionem illam *Petrus existit* non posse in falsam mutari. Nam si semel fuit verum dicere *Petrus existit*, nequit vnquam non esse verum Petrum extitisse, neque Deus potest facere, quod id, quod semel fuit, non fuerit. Secundum est falsum, & nullatenus infertur; Potest enim Deus Petrum nunc existentem, verificantem que illam propositionem, postea destruere, quin talis destructio illam falsificet; non enim affirmat, Petrum existere tunc, licet tunc affirmet, Petrum existere. Deus enim ita necessario existit, vt neque potuerit non existere, neque destrui in posterum possit, & hoc est Dei proprium.

264 Obj. 7. Appetitus innatus potest in vno instanti satiari, & in altero non satiari, in vno violentari, & in altero non violentari; vt patet in materia prima, cuius appetitus cum forma satiatur, & si *Diuinitus* priuaretur forma non esset satiatus; ergo idem actus poterit in vno instanti esse verus, & in altero falsus.

265 Resp. Satietatem appetitus exigere actualem possessionem boni, v. g. Materiam exigere actualem existentiam formæ, vnde cum hac *Diuinitus* priuari possit, potest eius appetitus de satiato in non satiatum transire. Nec satietas in repræsentatione consistit, nec denique terminus satietatis est obiectum appetitus, sed terminus physicus; at veritas neque requirit actualem existentiam obiecti, vt vidimus, consistit saltem partialiter in repræsentatione, quę non esset eadem si transiret in falsam, ac denique obiectum non est pure terminus physicus, sed quoddam imaginatum, & ablato eodem imaginato, imaginem auferri necesse est.

266 Obj. 8. Per nos idem actus potest esse simul verus, & falsus respectu distinctorum obiectorum; ergo poterit transire de vero in falsum. Prob. conseq. Si ab hoc actu *Petrus currit, Ioannes loquitur*, Petro currente, & non loquente Ioanne, simul vero, & falso, auferretur ly *Petrus currit*, iam manet falsus tantum; sed antea erat verus; ergo transiret de vero in falsum.

267. Resp. Concedo antec. & nego conseq. Ad prob. Concedo Maior. & nego suppositum, quod maneret idem actus, nam antea erat virtualiter duplex, & iam est vnus tantum: antea cursum Petri habebat pro obiecto, & iam illum non habet; antea erat imago & repræsentatio cursus Petri, & loquelæ Ioannis, postea solum loquelæ Ioannis, & non cursus Petri; ergo non manet idem.

268. Obj. 9. Per nos diuisio actus in verum, & falsum non est generis in species, sed subiecti in accidentia; ergo sicut Petrus est indifferens ad esse album, vel nigrum, ita actus ad esse verum, vel falsum. Item; ergo sicut Petrus potest transire de albo in nigrum, idem actus potest transire de vero in falsum.

269. Resp. Concedo antec. & primam conseq. nego tamen secundam, & paritatem. Nam licet hic actus *Petrus currit* indifferens sit ad esse verum, si obiectum existat, vt ab ipso repræsentatur; & esse falsum, si non existat; nunquam tamen est indifferens ad esse repræsentationem huius, vel alterius obiecti, cum esse repræsentationem huius obiecti sit essentia actus, sicut esse vnio-

 vnio-

vnionem horum extremorum est essentia vnionis *A* v. g. ergo vt propositio semel vera mutetur, vel debet mutare obiectum,ac proinde transire de repræsentatione huius obiecti ad repræsentationem alterius,quod est impossibile, vel ipsum obiectum debet aliter se habere,ac per propositionem repræsentatur; sed licet absolutè posit aliter se habere,& per consequens facere, quod propositio nunquam fuerit vera; attamen supposito,quod ita se habeat, & quod propositio semel vera sit,impossibile est,quod ita non se habeat:nam id, quod est licet possit non esse, ex suppositione quod sit,necessario est; ergo impossibile est, quod propositio semel vera transeat in falsam, licet absolutè sit indifferens ad esse veram, vel falsam.

270. Obj. 10. Si Petro non currente produceretur primo hic actus *Petrus currit*,esset falsus; ergo si similis actus *Petrus currit* tunc reproduceretur,esset etiam falsus,licet in sua prima productione fuerit verus,eo quod tunc cucurrerit Petrus.Prob.consf.quia vterque actus est eiusdem speciei, & solum indiuidualiter distinctus; immò idem numero actus est indifferens,vt producatur,Petro currente,vel non currēte.

271. Resp. Nego conseq. Quia licet talis actus reproducatur Petro nō currente,non affirmat, Petrum tunc currere,sed currere in illo instanti suæ primæ productionis,quo vere cucurrit, quod que verum est;secundus vero actus est falsus, quia affirmat, Petrum tunc currere,cum ipse tunc non currat, vterque tamen in se est eiusdem speciei, immò vterque potuit primo,& secundo produci,esse falsus,vel verus;at ex suppositione,quod sit verus, nequit in falsum transire, ac proinde vt verus distinguitur specifice ab actu falso.

272. Obj. 11. Potest eadem propositio trāsire de affirmatione in nō affirmationem; immò in negationem eiusdem;ergo et de vera in falsam.Consequentia videtur á paritate legitima, quia æque repugnat, eundem actum esse affirmationem, & negationem eiusdem termini, ac esse repræsentationem, & non repræsentationem eiusdem obiecti. Antec. Prob. in visione beata, quæ iuxta meliorem Theologiam suam durationem repræsentet; ea eadem visio dum durat in instanti *A*, affirmat, se illi coexistere, & instanti *A* Lapso; veniente instanti *B* non affirmat, se illi coexistere, immo & negat; nam cum sit falsum in instanti *B* instans *A* coexistere, nequit affirmare, immo negare necesse est, in actu, cui falsitas repugnat, qualis est visio.

273 Confirm. Visio in instanti *A* nequit affimare se coexitisse illi; quia cum non sit preterita falsum assereret, id in instanti *B* id affirmat; ergo transit de non affirmante ad affirmantem.

274 Si stemus Doctrinæ Card. Lugo Disp. 19. de Incarn. sec. 1. num. 10. cui fauent Alderete Tract. 1. de Incarn. Insuper Isqui.in Pharo Disp. 2. Quæst. 4. & Alij: asserentes; visionem beatam, sicut, & alios actus intellectus,& voluntatis esse successiuos, & pro instanti, vtpote à duratione indistinctos, mutari, nullum est argumentum. Iam enim non esset eadem visio, sed distincta, quæ affirmaret, se durare in primo, & postea, se non durare in primo, sed in secundo instanti. Sed admisso, quod sit eadem visio; Respondeo. Idem in primo, & in secundo instanti affirmare, & negare. Nam in instanti *B* affirmat se coexistere instanti *A* sed non pro instanti *B*, & idem affirmat in instanti *A*, & sic de reliquis instantibus. Ad Confir. dico. In instanti *A* Visionem affirmare, se illi coe-

coexitisse pro instanti *B*,quod eodem modo in instanti *B* affirmat, & quod verum est in instanti *A*.

275. Obj. 12. Si intellectio consistat in sola qualitate hæc cognitio in me esset vera: *Roma distat à me*; pone illam in Petro Romæ degente,En iam esset falsa; cum á Petro Roma non distet.

276. Adhuc admisso,quod in qualitate consisteret intellectio,si ad denominationem intelligentis requiramus actionem cum Acutiis. Doctore ob hoc,& plura alia argumenta, hoc nullam vim haberet. Sed admissa sententia P. Arriage concedentis talem qualitatem,sine vlla actione, posse sub iectum intel igens denominare; respōdeo; talem qualitatem positam in intellectu Petri degentis Romæ cum sit eadem, ac ea,quę est in meo intellectu Limæ degente eundem effectum formalem causare in vtroque, & idem affirmare, nempe Romam esse distantem à me,& hoc Petrus per illam cognoscere, & affirmaret; non vero se esse distantem á Roma;aliás mutaret obiectum, & transiret á repræsentatione mei distantis ad repræsentationem Petri distantis. Si vis alias solutiones Theologicas,consule P. Quiroz disp.59.

277. Objic. 17. Propositio vocalis potest transire de vera in falsam ob mutationem physicam obiecti, quin ipsa illo modo mutetur; ergo similiter mentalis.

278. Resp. Concedo Antec. & nego conf.q. Quia hę voces *Petrus currit* non significant, Petrum currere in hoc instanti potius quam in alio, sicut nec potius Petrum Ferdinandez currentem, quam Petrum de Castro non currentem. Vnde Angelus videns hęc verba scripta, nec videt quem Petrum, vel quem cursum significent. Item, cum significatio vocum sit ad libitum hominum, possunt ędem voces nunc significare actionem currendi, & esse veras per cursum, postea vero quietem sedendi, & per ipsummet cursum falsificari. Aliter euenit in repræsentatione vitali, vt per se patet. Nota voces, cum successivæ sint, & permanere nequeant, mutari etiam nequeunt naturaliter, sed vel semel veræ, vel semel falsæ erunt. Si tamen ipsæmet á Deo reproducantur, mutari queunt ob rationes supra dictas.

(.)

TRACT

TRACT. VII.

DE PRIORI ANALYSI;

SEV RESOLVTIONE.

DVOBVS libris, quos Analiticorum, seu de resolutione (*Analysis* enim idem est græce, ac latine *resolutio*) appellat Aristoteles, agit de examine, & structura syllogismorum. Nos autem per aliquas sectiones eas quæstiones de quibus hic agi solet á *Doctoribus* breviter tempori cedentes, tractabimus.

SECTIO I.

QVID SIT SYLLOGISMVS, ET an in sola conclusione consistat?

2 SYLLOGISMVS ita definitur ab Aristotele *Oratio, in qua quibusdam positis aliquid quidpiam sequi, necesse est.* Clarius á nobis tract. 3. Sumularum Disp. Unica sect. 1. ita definitur: syllogismus est *modus sciendi, in quo ex duabus propositionibus tertia alia infertur.* Vnde tres propositiones requirit, vel formaliter, vel æquivalenter, è quibus duæ primæ appellantur præmissę; tertia, quę nota *ergo*, *vel igitur* insignitur, vocatur conclusio.

3 Hinc inferes contra Nominales, & aliquos Scotistas; ad syllogismum formalem requiri realem distinctionem inter præmissas, & conclusionem; cum inuoluat connexionem, & dependentiam realem conclusionis á præmissis, & consequenter in *Deo*, vbi talis distinctio actuum repugnat, non dari formalem discursum, seu syllogismum.

4 His solis duabus propositionibus pręmissis stare totam essentiam syllogismi, indicat Albertus Magnus. In sola conclusitione consistere tenent PP. Compt. Spinula Et Santa Cruz num. 1164. In omnibus propositionibus consistere adęquatè, defendunt probabilitùs PP. Arriaga. Hurtado, & Ioannis.

5 Prob. 1. Quia discursus est quasi cursus ab vno ad aliud; ergo sicut cursus corporeus plures motus requirit, ita syllogismus plures propositiones. Constat 2. ex definitione Aristotelis, in qua & id, quod sequitur, & ea, è quibus sequuntur includit. Prob. 3 Ex Sancto Thomá 2. Physicorum tex. 31. vbi ait; præmissas se habere vt materiam, conclusionem vero vt formam; ergo sicut compositum essentialiter resultat ex materia, & forma, ita syllogimus ex conclusione, & pręmissis.

6 Obj. 1. Quod est posterius non constituit, quod est prius, vt patet in risibili, quod rationale non constituit; sed conclusio est posterior, & præmissæ priores, ergo.

7. Consequentia, quæ deberet inferri, esset hęc: ergo conclusio nó constituit præmissas quod certissimum est, sicut quod præmissę non constituant conclusionem; Ex præmissis tamen præcedentibus, & ex cōclusione subsequenti syllogismus totus componitur, sicut compositum ex materia præcedenti, & ex forma materiali subsequenti; quia licet pręmissę præcedant conclusionem, constituunt syllogismum.

8. Obj. 2. Syllogismus facit scire; sed conclusio est scire, seu scientia; ergo fit á syllogismo, & ab eo distinguitur, sicut effectus a causa. Resp. dist. Maior. facit scire efficienter, nego: formaliter, concedo. Vnde totus syllogismus præmissis, & conclusione constans se ipso facit scire, seu denominat intellectum scientem.

9. Obj. 3. Si syllogismus consisteret in tribus propositionibus darentur quatuor modi sciendi, scilicet definitio, diuisio, argumentatio, & conclusio, quæ vt distincta á præmissis est ignoti manifestatiua; ergo.

10. Resp. Conclusionem vt separatam á præmissis, & similiter præmissas á conclusione separatas esse quædam particularia iudicia ad secundam speciem modi sciendi pertinentia. Vnde conclusio non constituit quartum modum sciendi, sed simul cum præmissis tertium modum constituit.

11. Pro hac, & alijs opinionibus á me defensandis, ne in consequentiæ arguar; Nota, quod, cum ego cractatu de Ente rationis disp. 2. sect. vltima defendi, hunc discursum *Omnis homo est arbor; sed Petrus est homo; ergo Petrus est arbor* vt formaliter discursum ens rationis non efficere, loquutus fui iuxta probabilia principia á varijs Doctoribus defensata, quibus suppositis, faciliter potest defendi: non tamen fui loquutus iuxta principia ame absolutè defendanda, v.g. Tunc dixi, discursum formaliter consistere in sola conclusione, quod ab Authoribus supra citatis defenditur, licet ego nunc contrarium teneam.

SECTIO II.

AN PRÆMISSÆ EFFECTIVE, VEL directiué concurrant ad conclusionem?

12 QVOD concurrant pręmissæ ad conclusionę, certissimum est; conclusio enim ab eis essentialiter dependet. Quæstio ergo pręsens est, vtrum concurrant in genere causę formalis, illuminando scilicet intellectum, & illi obiectum proponendo, sicut cognitio obiecti concurrit ad amorem? An concurrant influendo physice per modum comprincipij cum ipso intellectu sicut concurrunt habitus, & species impræssæ?

13 Nota, quæstionem non agere de præmissis obiectivis, sed solum de formalibus respectu conclusionis formalis. Certum enim est, vt ipsi fatentur Thomistæ; pręmissas obiectiuas in conclusionem formalem non influere.

14 Prima sententia tenet; præmissas effectiue concurrere. Ita Thomistę, Rubius, Conimbric. & P. Quiroz *Disp.* 26. Dè syllogismo sect. 5. num. 29. Maior. Linc. & apud ipsum Or-

Ortiz.Præd.& Parr. l. 4.quest.1.art. 1. num.5.

15. Secunda sententia, solum directiue concurrere, affirmat. Ita reliqui omnes Phylosophi apud Olea. d. 121.n.6.

16 Prob. 1. Nulla est necessitas statuendi hunc concursum effectiuu; cum sufficiat illuminatiuus, & intellectus specie impressa completa sit principium adæquatum sufficiēter pro ductiuum ; ergo hic non est multiplicandus. Antecedens ex solutione argumentorum constabit, Consequenti recte inferatur.

17 Prob. 2. Nullus actus intentionalis influit effectiue formaliter in actum, sed solum illuminatiue ; sed præmissæ, & conclusio sunt actus intentionales; ergo præmissę non effectiue, sed solum illuminatiue influunt in conclusionem. Maior constat ab inductione. Sic concurrunt apprehensio ad iudicium, cognitio ad amorem, regulæ Logicales ad actus, intentio finis ad electionem mediorum; immo & gratiæ auxiliantès ad actus supernaturales. Minor est certa consequentia á paritate infertur.

18. Confir. Sicut requiruntur prçmissæ ad conclusionem, requiritur cognitio ad amorem; sed cognitio non influit physice in amorem, nulla aliá ratione, nisi quia cum sit actus intentionalis,sufficit,quod illuminet voluntatem proponendo illi obiectum amádum; ergo cum præmissæ sint actus intentionales, physice non influent in conclusionem, sed solum illuminatiue, proponendo scilicet. & applicando obiectum, vt intellectus cōclusionem efficiat.

19 Obj. 1. In conclusione relucet triplex formalitas *cognitionis, imaginis, & illationis*; sed prima efficienter correspondet intellectui, secunda speciei impressę; ergo tertia efficienter correspondet præmissis; cum nulli alteri principio correspondere possit.

20 Resp. Intellectui etiam efficienter correspondere formalitatem illationis, sicut formalitatem cognitionis, quia sicut intellectus est cognoscitivus, ita & discursivus, & illativus; sed quia est cognoscitivus, illi per vos correspondet formalitas cognitionis; ergo quia est discursivus illi etiam formalitas illationis correspondebit.

21 Obj. 2. Prçmissę constituunt intellectum potentem in actu primo proximo producere conclusionem; ergo cum eo effectiue concurrunt. Prob. anteced. Intellectus sine præmissis nequit conclusionem elicere, & eis positis nequit eam non elicere; ergo.Confir. Variatis præmissis, variatur conclusio, ita vt si sint veræ, vera sit, si sint falsæ, falsa sit; ergo.

22 Resp. dist. antec. Constituunt per modum principij efficientis; nega: per modum principij determinantis, & proponentis obiectum;concede. Sic voluntas constituitur potens amare per cognitionem, quin cognitio pgysice influat in amorem. Intellectus potens iudicare per apprehensionem, quin apprehensio physice influat in iudicium; ergo. AdConfirmationem. *D*ist. antec. Variatis præmissis, variatur conclusio, ex præscissa variatione prçmissarum, nego: eo quod variatis præmissis necessario variantur motiua conclusionis,concedo. Sic cum præmissæ proponant intellectui motiva conclusionis. variatis præmissis.variantur etiam motiva. Si vero possent motiua non variari, etiam si præmissæ variarentur,non variaretur conclusio; hoc vero non arguit effectivum influxum. Sic variata cognitione, variaretur affectus voluntaris;si ponatur cognitio bonitatis elicitur amor; si cognitio malitiæ,elicitur odium ; si cognitio boni

boni absentis desiderium ; si cognitio boni præsentis gaudium;quin cognitio influat in amorem effectiue.

23. Obj. 3. Species impressa concurrit effectiuè ad conclusionem; ergo & prçmissæ. Prob.conseq. Species impressa effectiuè concurrit, quia determinat intellectum ad hanc potius cognitionem ; quam ad aliam;sed etiam prçmissæ determinant intellectum ad hanc potius conclusionem , quam ad aliam;ergo.

24. Confir. Magis dependet conclusio á præmissis , quam ab habitu; nam sine habitu potest elici,non tamen sine prçmissis;sed ab habitu efficienter prouenit;ergo similiter à præmissis.

25. Resp.Concedo Antec. & nego conseq. Ad prob. dist. Maior. Species effectiue concurrit , quia determinat præscissè, nego : quia determinat , & quia aliunde capax non est alterius concursus; concedo. Omne determinatiuum habet aliquem influxum; cum enim neque species impressa , neque habitus,vtpotè qualitates mortuę, possint habere influxum directivum,& illuminativum , necesse est inferre, habere influxum. Ast cum prçmissæ habeant directivum influxum, vtpotè actus formaliter repræsentatiui , & hic sufficiat,vt intellectus in conclusionem erumpta,alium influxum, vtpotè omnino otiosum , illis non concedimus. Idem dic de habitu,& doctrinam confirma in cognitione ita ad amorem necessaria,vt iuxta communiorem,& fere certam sententiam nec Diuinitus potest dari sine illa,quæ solum directive influit,etiam si habitus voluntatis minus necessarius influeret effectiue.

26. Obj.4.Saltem ad primam conclusionem,cum obiectum conclusionis ignoratur,ac proinde non datur species illius in intellectu , prçmissæ concurrent effective. Prob.Quia concurrunt loco obiecti, & intimè præsentes sunt intellectui;ergo.

27. Resp. Nego assumptum, vel quia cum obiectum præmissarum sit idem realiter cum obiecto conclusionis eadem specie prçmissarum obiecti vtitur intellectus ad conclusionem eliciendam. Sic aliqui cum P. Oviedo asserunt ; species apprehensionum ad iudicium effective concurrere; cum & apprehensionum , & iudicij idem sit obiectum realiter. Nec dicas ad novam veritatem conclusionis adquirendam novam speciem requiri , quia hæc iam antea præcessit in præmissis,licet illatiue , seu modo illativo in conclusione adquiratur,ad quod non requiritur noua species. Ita P. Arriaga,& P.Compt. Uel quia intellectus ad plures actus solum eget determinatiuo formali , seu illuminativo, & non speciei ; vt cum producit vnam cognitionem determinatus per aliam obiectum repræsentantem,licet ad alios per species determinetur,& ita se habent conclusiones.Sic Hurtado.

28. Replic. 1. Species præmissarum effectiue influunt in conclusionem;ergo etiam ipsæ præmissæ. Confir.1.Præmissę habent vim productivam physicè suarum specierum; ergo & conclusionis. Confir.2. Non solum species obiecti præmissarum , verum species efficienter productę á præmissis efficienter producunt conclusionem;ergo & ipsæ præmissæ potiori iure producent efficienter conclusionem. Tum quia quod est causa causæ est causa causati. Tum quia quod semen & substitutum efficit,radix,& persona principalis efficere poterit ; sed species est semen , & substitutum,& præmissæ sunt radix , & quasi persona principalis;ergo.

29. Resp. Transf. Antec. & nego conseq. ob rationem supra dictam. Resp. ad primam confirm. Conced. anteced. & nego conseq. quia ad hoc nulla

nulla datur necessitas; cum sufficiat illuminatiuus influxus præmissarum ad eliciendam conclusionem. Deinde minus est producere speciem, quam conclusionem. Sic omnis actus tam intellectus, quam voluntatis speciem sui producunt effectiuè, non tamen alios actus. Ad secundam confir. resp. Nego Anteced. Quia species effectiue influentes in conclusionem non producuntur effectiuè á præmissis formalibus, sed à præmissis obiectiuis. Sed adhuc admisso antecedenti, nego conseq. Ad probationem dico in aliquibus verum esse, quod causa causæ habet vim productiuam effectus causæ causatæ. Sic obiectum est causa speciei causantis cognitionem, & simul habet vim productivam cognitionis, & solum ex defectu intimæ præsentiæ eam non causat. Et in morali existimatione causa causæ censetur causa causati. Sic causa ignis est causa incendij, & quod efficit substitutum efficere potest persona principalis, vt quid quid prorex efficit Rex efficere potest: at in omnibus præcipue in physicis falsum est. Sic cognitio Petri effectiue producit speciem rememoratiuam ipsius, quæ ad Petri cognitionem effective producit: & tamen vna cognitio aliam effective producere nequit. Et ratio est, quia non quid quid producere potest effectum producere potest eius causa. Sic intellectus, & voluntas cognitionem, & amorem producunt, & nequeunt producere habitus, qui á cognitione, & amore producuntur.

30. Replic. 2. Specialiter. Si intellectus compleretur per species præmissarum in esse productivi conclusionis, non esset discursivus: ergo. Prob. Antec. Sequeretur quod propositio Minor foret indivisibiliter conclusio, & cognosceret totum, quod erat per conclusionem cognoscendum: sed hoc totam rationem discursus euerteret; iam enim vnum ex alio non inferetur; ergo. Prob. Maior. Posita causa necessaria completa, & cum omnibus requisitis necessarijs operatur quantum potest; ergo cum intellectus sit causa necessaria, si compleretur per speciem præmissarum in esse potentis elicere conclusionem, cum elicuit Minorem etiam per indiuisibilem actum repræsentaret tam minorem, quam conclusionem obiectiuam; ergo

31 Resp. Nego anteced. Ad probat. Nego maior. Ad eius probat. dist. anteced. operaretur quantum potest diuisibiliter, concedo; indiuisibiliter necessario; nego. De ratione causæ necessariæ est operari quantum potest, sed non necessario indiuisibiliter: patet in igne operante calorem vt octo, quia est causa necessaria, sed non indiuisibiliter, nam calor vt octo plures gradus caloris habet. Sic intellectus specie præmissarum completus operatur & præmissas, & conclusionem vtpote causa necessaria, at vero cum minor habeat aliquem influxum in conclusionem non efficit minorem, & conclusionem indiuisibiliter, sed minorem cum aliqua saltem naturæ prioritate respectu conclusionis.

32 Obj. 5. Possibiles sunt præmissæ physice influentes in conclusionem; ergo hæ, quæ defacto dantur, ita se habent. Prob. conseq. Ideo hæ, quæ de facto dantur, physice non influunt, quia intellectus cum specie impressa est sufficienter causa conclusionis effectiua; sed etiam de possibili intellectus esset specie impressa informatus, ac proinde causa sufficiens, & tamen præmissæ effectiue concurrent; ergo licet intellectus de facto ita se habeat, præmissæ effectiue influent.

33 Resp. Admitto antecedens, & nego conseq. Ad Prob. concedo maiorem, & minorem, & nego conseq. quia superfluitas, quæ sufficiens est ad negandum plura de facto, non obstat ad concedendum ea de possibili. Sic plures de facto negant, duplicem causam totalem producere eundem numero effectum, eo quod sufficienter producatur ab vna tantum, & de possibili adhuc naturaliter hoc concedunt.

34. Resp. 2. verius, & facilius. Nego anteced. Nam quod naturaliter est superfluum, naturaliter est impossibile, & sicut contradictio arguit impossibilitatem essentialem, ita superfluitas impossibilitatem naturalem; sed talis concursus effectiuus præmissarum est naturaliter superfluus; ergo.

SECTIO III.

AN PRÆMISSÆ EXISTERE debeant in intellectu in eodem instanti, quo infertur conclusio?

35. PRima sententia tenet, bene posse existere præmissas, & conclusionem in eodem instanti; attamen hoc non esse necessarium. Ita Exim. Doctor. Conimbric. & Quiroz disp. 32. de syllogismo sect. 5 n. 31.

36. Secunda sententia affirmat, in eodem instanti debere necessario concurrere. Ita P. Ouiedo, & P. Arriaga disp. 14. sect. 5. n. 54. & Olea d. 121 n. 2.

37. Prob. 1. Causa debet existere in eodem instanti, in quo effectus producitur; sed præmissæ sunt causæ conclusionis, vel efficientes, vel directivæ, iuxta varias sententias; ergo. Confir. exemplo aliarum causarum sic ignis extinctus in instanti *A* nequit in instanti *B*. alium ignem producere; quod autem præcesserit in instanti antecedenti est omnino extrinsecum, & accidentale, vt in instanti sequenti aliquid efficiat: ergo similiter præmissæ existentes in instanti *A*, in instanti *B* conclusionem non poterunt inferre.

38. Prob. 2. Præmissæ proponunt intellectui motiuum determinatiuum ad conclusionem; ergo coexistere debent in eodem instanti, in quo elicitur conclusio. Prob. conseq. In eodem instanti, in quo elicitur amor á voluntate debet existere cognitio obiecti amati, nulla alia ratione, nisi quia cognitio proponit voluntati obiectum formale motiuum, bonitatem scilicet obiecti; sed præmissæ proponunt intellectui obiectum formale motiuum conclusionis, nempe identitatem extremorum cum tertio ergo.

39. Obj. 1. Ad inferendam conclusionem sufficit, vel species impressa præmissarum, vel recordatio earum, vel habitus ab illis relictus, vel sola apprehensio identitatis extremorum, ergo sufficiet quod in instanti antecedenti extiterint præmissæ.

40. Resp. Non sufficere speciem impressam, quia licet hæc sit virtualis obiecti repræsentatio, hoc est, habeat virtutem effectiuam repræsentationis formalis, non tamen est repræsentatio formalis, ac proinde neque formaliter illuminat intellectum, neque illum determinat proponendo obiectum motivum. Sic ad amorem Petri species impressa ipsius non sufficit, sed requiritur cognitio formalis. Non sufficit recordatio, quia recordatio non est cognitio clara identitatis extremorum cum tertio; Alias si esset clara cognitio, iam non esset mera recordatio, sed ipsæ præmissæ formaliter. Non sufficit habitus relictus, quia & si producat illuminationem, ipse tamen non illuminat. Nec sufficit apprehensio identitatis extremorum cum tertio, quia vt intellectus inferat identitatem extremorum inter se, certus, & certificatus debet esse de identitate extremorum cum tertio, quam certitudinem per solam appre-

apprehensionem habere nequit.

41. Obj. 2. Postquam deduximus ex his præmissis: *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo* hanc conclusionem *ergo Petrus est animal* sæpè repetimus *Petrus est animal*, ergo manet & conservatur in intellectu conclusio.

42. Resp. Talem actum sæpe repetitum non existentibus præmissis nō esse conclusionem formaliter, sed materialiter, hoc est, terminari ad idem obiectum materiale conclusionis, sed esse diversum actum; cum non habeat idem motivum, nempe identitatem hominis cum animali, & Petri cum homine.

43. Obj 3. Non minus se habet vt motivum conclusionis identitas extremorum cum tertio, quam se habet vt motivum actus fidei authoritas Diuina revelans; sed plures actus fidei elicimus, quin meminerimus authritatis Divinæ revelantis, v. g. cum sine vlla reflexione Symbolum Apostolorum recitamus; ergo similiter plures conclusiones, quin identitatis extremorum cum tertio recordemur, ac proinde quin præmissę in eodem instanti existant.

44 Resp. Admittendo paritatem, ex qua potius confirmatur conclusio. Nullus enim actus fidei dari potest, quin attingat vt motivum authoritatem Diuinam reuelantem, ac proinde quin detur cognitio talis aucthoritatis; licet enim aliquando distracta mente quis dicat *Credo in vnum Deum*; idem valet ac dicere; affirmo Deum esse vnum, quia ipse revelat. Si autem ita non se habeat actus, & credat motus vel ratione naturali, vel aucthoritate humana, non erit actus fidei Diuinæ. Ita cum aliquis, etiam si aliquomodo non attendens videatur, cum dicit *Petrus est animal*, re ipsa præmissę in eo existunt; nam ille actus valet, ac si diceret *Petrus est animal, quia est homo, & homo est animal*, sin auctum ita se habeat, non erit conclusio.

SECTIO IV.

VTRVM PER ASSENSVM CONclusionis attingatur obiectum præmissarum?

45 INQVIRIT præsens quęstio, An conclusio, quę ex duplici præmissa inferri debet attingat non solum suum peculiare obiectum, v. g. identitatem extremorum inter se, sed etiam obiectum præmissarum, identitatem nempe extremorum cum tertio v. g. An hæc conclusio *ergo Petrus est animal* deducta ab hac duplici præmissa: *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo*, non solum attingat identitatem *Petri* cum *animali*, sed etiam identitatem *hominis* cum *animali*, & *animalis* cum *homine*; ita vt idem sit dicere *ergo Petrus est animal*, ac dicere, *ergo Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal*.

46 Prima sententia negat, conclusionem attingere obiectum præmissarum. Ita Eximius D. Acutiss. Doct. Hurt. Ponc. Ioannis. Spinula, & complutenses *Disp.* 47. sect. 4. n. 7.

47 Secunda sententia affirmat. Ita Caietano, Ferrara, Ocam, & Alij apud P. Arriagam, quos ipse sequitur Disp. 16. sect. 2. num. 51. P. Ouiedo, P. Quiroz, & Alij Recentes communiter. Item N. Olea disput. 125. num. 2.

48 Dico. Omnis conclusio attingit vt obiectum *Quo* intrinsecum motivum obiectum præmissarum.

49 Prob. 1. Cum P. Arriaga, & ad hominem contra aliquos ex Aduersarijs, qui iudicant, licet non necessario, posse tamen conclusionem attingere obiectum præmissarum. Posito assen-

sensu præmissarum intellectui proponitur euidenter, non solum identitas extremorum inter se, quæ est obiectum conclusionis, sed etiam motivum, & ratio talis identitatis, quę est identitas extremorum cum tertio; ergo necessario debet intellectus assentiri non solum veritati conclusionis, sed etiam motiuo talis veritatis. Prob. conseq. Intellectus est potentia necessaria, semperque efficiens quantum potest; ergo cum æque illi proponatur connexio extremorum inter se, & ratio huius connexionis, nempe extremorum cum tertio, æque debet assentiri & veritati, & motivo veritatis.

50 Prob. 2. Electio medij attingit finem, non solum vt obiectum extrinsece, sed intrinsece motivum, v.g. electio potionis amaræ sanitatem, quia potionem eligit propter sanitatem. Actus quo ex fide credo Mysterium Incarnationis vltra ipsam Incarnationem attingit vt obiectum intrinsece motivum, authoritatem *Diuinam* reuelantem, quia Mysterio credit propter revelationem; sed similiter intellectus assentitur obiecto conclusionis propter præmissarum obiectum, hoc est, *Petrum esse animal, quia omnis homo est Animal, & Petrus est homo*; ergo similiter conclusio non solum attingit suum obiectum terminativum, sed etiam obiectum præmissarum vt sui motivum.

51 Nec valet dicere cum P. Compt. medium non habere in se bonitatem, nisi relatiuam in ordine ad finem, ac proinde finem attingi per amorem medij; at vero obiectum cōclusionis ex se habere sufficientem veritatem, ideo que posse independenter á præmissis assensum terminare.

52 Quia contra erit. Bonitas medij, sicut & veritas obiecti conclusionis, dupliciter potest considerari, vel absolute, & specificative, vel respectiue, & reduplicatiue: sic potest aliquis eligere potum aquæ frigidæ, vel quia est bona secundum se, vel quia est bona ad sanitatem: cum sumitur quia est bona secundum se, non attingitur bonitas sanitatis; cum autem sumitur, quia est bona ad sanitatem, sanitas attingitur vt obiectum; ergo similiter hæc *Petrus est animal*, si hæc propositio sumatur absolute, & specificatiue, solum veritatem, & connexionem Petri cum animali attinget; Si tamen respectiue sumatur vt conclusio est, non solum veritatem ipsius, sed etiam veritatem obiecti præmissarum, vt motivum attinget. Confir. Sicut bonitas medij vt medij est bonitas relatiua, & propter finem, ita veritas consequentiæ vt talis est relatiua, & propter præmissas, in hoc enim distinguitur veritas consequentis, á veritate consequentiæ; ergo sicut electio medij vt talis attingit intrinsece finem, ita assensus consequētiæ attingit intrinsece præmissarum obiectum.

53 Prob. 3. Omnis conclusio vt talis nota illationis *ergo* insignitur; sed talis nota illationis est relatiua ad obiectum præmissarum vt motivum; idem enim significat *ergo*, ac *hinc sequitur, seu ex hac illatione colligitur*; ergo attingit illud, vnde sequitur, seu ex quo colligitur, nempe præmissarum obiectum.

54 Confir. 1. Li *ergo* constituit conclusionem in esse conclusionis; sed ly *ergo* non significat obiectum terminativum conclusionis pręcisè, quia sine vllo tale obiectum significaretur; ergo significat, motivum illius assensus esse obiectum præmissarum.

55. Confir. 2. Discursus ęquivalet propositioni causali: ly *Est homo, ergo est animal*, idem ac *est homo, quia est animal*; ergo sicut per ly *quia* attingitur mo-

motivum intrinsecum propositionis, ita per ly *ergo*.

SVBSECTIO VNICA.

RESPONDETVR ARGVmentis.

56. OBjic. 1. Cum Spinula. Si actus attingens identitatem extremorum inter se propter identitatem extremorum cum tertio esset conclusio, in Deo daretur discursus formalis, contra eius infinitam Sapientiam; cum in Deo possit dari hic actus *Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal.*

57. Argumentum omnes comprehendit: nam discursus iuxta omnes est cognitio identitatis extremorum inter se cum dependentia aliqua ab identitate extremorum cum tertio; sed hanc habet Deus; ergo. Resp pro omnibus. Ideo in Deo non dari discursum formalem, quia hic requirit distinctionem realem actuum, quę in Deo reperiri nequit; & etiam quod in pręmissis implicitè, & confusè cognoscatur obiectum conclusionis, cognitio autem implicita, & confusa Deo penitus repugnat, ideoque ille actus in Deo non est discursus formalis.

58. Obj. 2. Id attingitur essentialiter per actum, quod per illum cognoscitur, sed quod per illum actum cognoscitur, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod* tangitur; ergo vel obiectum pręmissarum tangitur vt *quod* per conclusionem, vel non tangitur essentialiter.

59. Resp. Dist. Maiorem. Quod per illum cognoscitur implicite, vel explicite, concedo; explicite necessario, nego maiorem; & Dist. minorem: sed quod per illum cognoscitur, non solum vt *quo*, sed vt *quod* tangitur, quod cognoscitur explicite, concedo; quod tantum cognoscitur implicite, nego. Duplici modo tangitur essentialiter obiectum, vel implicite, vel explicite: Tunc tangitur, vt *quod*, cum explicite cognoscitur, vel amatur; cum verò non cognoscitur, nec amatur explicite, sed vt ratio formalis seu motivum amandi, aut assentien, tangitur tantum vt *quo*, sed proprie, & essentialiter tangitur. Sic odium peccati propter Deū, vtpote actus Theologicus attingit Deum vt *quo*, non vt quod, quia non est obiectum explicitum. Sic Deus amat pœnam propter pæccatum, quia peccatum vt *quod*, sed solum vt quo, attingat. Sic cognoscibilitas per quācumque cognitionem, non vt *quod*, sed vt *quo* attingitur. Sic ergo conclusio attingit obiectum pręmissarum, non vt *quod*, sed vt *quo*, & vt motivum assentiend. suo obiecto terminativo, seu vt quod.

60. Obj. 3. Cum Comptono. Si staret nostra conclusio sequeretur, quod ex his præmissis: *Omne sensibile est viuens, Equus est sensibilis*, inferremus hanc conclusionem; *ergo Equus est viuens quia est sensibilis, & omne sensibile est viuens*; quod est contra experientiam. Tum, quia nec in conceptibus, nec in vocibus id vnquam experimur. Tum, quia positis præmissis necessario, & facile infertur conclusio; difficulter tamen si esset necessaria illa repetitio. Tum denique, quia iam medium præmissarum ingrederetur conclusionem, contra Aristotelis mentem.

61. Resp. Concedo sequelam. Nam licet explicite ita conclusio non deducatur, implicite tamen ita deducitur. Hinc ad primam probationem, dic, hoc nec in vocibus, nec in conceptibus explicite experiri, implicite in conceptibus ita evenit, & in vocibus hoc significatur per notam allationis

ergo.

ergo. Ad secundam probat. dico, quod cum talis implicita reflexio sit necessaria, facillime vtiq; & sine vlla difficultate evenit. Ad tertiam respondeo Aristotelem tantum prohibuisse medium præmissarum explicite ab ingressu in obiectum conclusionis, non vero ab ingressu implicito; cum hic sit necessarius ob rationes nostræ probationis.

62. Obj. 4. ex eodem. Syllogisgus vocalis hanc reflexionem vocibus non exprimit; ergo nec illam habet syllogismus mentalis. Antec. constat ex ipsa experientia. conseq. Prob. 1. quia syllogismus vocalis est imago, & expressio mentalis; ergo si imago fidelis hoc non exprimit, in imaginato seu prototypo non erit. 2. quia si in mente medium præmissarum conclusionem ingreditur, ad quid tanta cura, ne in vocibus ingrediatur, cum voces sint tantum imago actuum? Tertiò syllogismus vocalis est veluti exemplar, ad cuius similitudinem debet formari mentalis; ergo si exemplar non habet medium in conclusione, nec illud debet habere terminus assimilationis.

63. Resp. Concedo antec. & dist. conseq. Ergo neque illam habet syllogismus mentalis, implicite, nego: explicite, concedo. Et hinc ad primam prob. dico; syllogismum vocale esse imaginem expressam eorum, quæ expresse, & implicite attinguntur per actum, & imaginem implicitam eorum, quæ implicite attinguntur; cum ergo obiectum terminativum, nempe connexio extremorum inter se expressè attingatur â conclusione, & implicite vt, quo obiectum præmissarum, inde est quod in conclusione vocali obiectum explicitum explicite contineatur, & obiectum implicitum implicite in nota illationis *ergo*; Ideo q̄ est perfecta imago syllogismi mentalis. Hinc ad 3. Prob. respondeo; quod licet admittamus; syllogismum vocalem esse exemplar mentalis, vterque assimilatur; nam eo modo quo in syllogismo mentali implicite continetur illa reflexio, ita implicite se habet in syllogismo vocali. Ad 4. Prob. dico curam esse in excludendo medium præmissarum á conclusione vocali, quia necessaria non est vocum multiplicatio; cum in nota *ergo* sufficienter talis inuoluatur reflexio, & ab authoritate Phylosophi hoc asserentis.

64 Obj. 5. cum eodem. Sequeretur, hanc propositionem: *Christus est homo*, & sic de alijs, quæ de fide certæ sunt, esse aliquando falsas, cum possit ex vna falsa præmissa deduci; vt si quis diceret: *Omnis substantia est homo; sed Christus est substantia; ergo est homo*: immo numquam verificari posset hoc principium *ex falso aliquando verum*, semper enim esset falsum hoc motivum.

65. Resp. talem propositionem vt consequentiam formaliter non esse de fide, sed falsam, nam vt conclusio formalis ita se habet *Christus est homo, quia est substantia, & omnis substantia est homo*, quod absolutè falsum est; ast vt consequentiam materialiter talem, vel potius vt consequens esse veram, & de fide. Cum dicimus *ex falso aliquando verum*, intelligedum, non de veritate consequentię, sed de veritate consequentis; vt videre est in syllogismo iam posito.

66 Obj. 6. Si conclusio attingeret obiectum præmissarum, iam conclusio, & pręmissæ non essent actus diuersi, cum habeant idem obiectum.

67 Resp. eos actus diuersificari ex diuerso modo tendendi in idem obiectum. Sicut apprehensio non pura à iudicio diuersificatur; nam præmissæ immediate, & ratione sui essentiuntur obiecto, & propter identitatem cum tertio; at conclusio immediate

illatiue, & propter identitatem cum tertio, ei assentiuntur.

68 Obj. 7. Iam essent otiosę præmissæ ad discursum; nam si ad aliquid deseruirent, maxime ad attingendam identitatem extremorum cum tertio; sed hoc totum pręstat sola conclusio; ergo.

69 Resp. Nego anteced. Ad implicitam probationem dist. Si ad aliquid deseruirent maxime ad attingendam identitatem extremorum cum tertio, pręsuppositiue, & dispositiue, qualiter requiritur vt intellectus totali securitate conclusionem eliciat, concedo: aliter, nego. Vnde pręmissæ requiruntur per modum dispositionũ, & actuum applicantium obiectum intellectui, scilicet identitatem duorum extremorum cum tertio, vt intellectus certificetur ad assentiendum identitati eorum extremorum inter se. Sic licet apprehensio attingat idem obiectum, ac iudicium, illa non est otiosa, cum sit dispositio.

70 Obj. 8. Si intellectus assentiretur obiecto conclusionis præcedentibus pręmissis, & non propter ipsas præmissas, vel omnino distractus, vel quasi pręmissarum oblitus, ille assensus esset vera conclusio; ergo ad hanc non requiritur obiecti præmissarum Attingentia.

71 Resp. Casum esse impposiibilem, nam cum intellectus sit potentia necessaria proportionata veritati conclusionis, & rationi, seu motiuo talis veritatis, necessario debet & veritati, & rationi illius assentiri; nec ita potest distrahi, vt existentibus tunc pręmissis, earum obliuiscatur, vel eis non attendat; sed si hoc eueniret, scilicet intellectum assentiri obiecto conclusionis, quin obiectum præmissarum attingeret, vel ita distractus, vt illo motus non assentiretur, sed veritate propria ipsius colusionis, obiecti, illa non esset formaliter conclusio ob rationes nostrę probationis.

72. Objic. 9. In hoc syllisgo *quidquid Deus reuelat est verum, sed Deus reuelat Mysterium Incarnationis; ergo est verum*, conclusio non attingit obiectum præmissorum; ergo. Probatur anteced. Si illud attingeret haberet pro obiecto motiuo reuelationem Dei propositam per pręmissas, ac proinde conclusio esset de fide; sed hic actus vtpotè discursiuus nequit esse de fide, cum eius assensus in connexione obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum nitatur; ergo.

73. Resp. Nego antec. Eius probationis Maiorem concedunt PP. Hurtado, Ripalda, Arriaga disp. 15. de fide. sect. 5. & negant Minorem. Negant Maiorem, & concedunt Minorem Exi. Doct. Card. Lugo. disp. 7. de Fide. sect. 13 §. 2. Turrianus: Vtrumque probabile, nihil contra nos, & cum ad Theologos pertineat, vtrumque ad eos remitto.

74. Obj. 10. Eademmet numero conclusio potest ex varijs præmissis inferri; ergo hæc non inuoluit obiectum pręmissarum vt motiuum, non enim ex diuersis motiuis potest idem actus produci.

75. Resp. Dist. antec. Eadem conclusio materialis, transeat; eadem conclusio formalis, nego. Hoc est, circa idem obiectum potest elici aliquis actus, qui videatur idem ac alius, attamen vt conclusio formaliter, pręcisê mutatis præmissis, actus diuersi erunt, cum obiecta motiua diuersificentur. Sic hi actus diuersi sunt, *Credo Christum esse hominem, quia est animal rationale, Credo Christum esse hominem, quia Deus illud reuelat.* Solum ex diuersitate motiuorum.

76. Obj. 11. Ratio conclusionis saluatur si pręmissæ præcedant in intellectu, quin necessarium sit per conclu-

clusionem attingi; ergo. Prob. antec. Lux est conditio, vt color appareat, quo apparente ei assensum tribuit intellectus, quin lucem attingat per talem assensum; ergo similiter præmissæ conditio erunt, vt obiectum conclusionis appareat, quo apparenter ei tribuit intellectus assensum, quin obiectum præmissarum attingat.

77. Resp. Assignando disparitatem inter lucem, & præmissas. Lux enim vt color videatur, est pura conditio extrinseca: vnde quin attingatur lux, potest calor videri; ast obiectum præmissarum non est conditio extrinseca, sed motiuum intrinsecum assensus conclusionis, ac proinde nequit hic non attingere præmissarum obiectum.

78. Obj. 12. Si per assensum conclusionis attingeretur præmissarum obiectum habitus, seu species reliqua ex conclusione non potest efficere actum repræsentantem obiectum conclusionis, quin simul repręsentaret obiectum pręmissarum; Habitus namque, & species nequeunt producere, nisi actus similes illis á quibus geniti fuerunt; sed hoc opponitur experientię, sæpé enim recordamur obiecti conclusionis, & non præmissarum, sicut semel cognito Deo ex creaturis, postea solius Dei sine creaturis recordamur; ergo.

79. Resp. Ex doctrina Sapientissimi P. Leonardi de Peñafiel, cui fauere videtur P. Hurtado disp. 6. de Fide §. 27. Ex quacumque veritate completa duplicem gigni habitum, & speciem; aliam inconnexam vniuscuiusque obiecti, & aliam complexam, & connexam vtriusque: Hoc ipsa constat experientia; sæpe enim habetur simul notitia mortis Petri, & Francisci, & transacto tempore meminimus mortis vel vtriusque, vel alterius vtrius. Item dum memoriter aliquid dicimus, si sequentis periodi obliuiscamur, antecedens iterum repetimus, vsque dum illius recordamur, quia scilicet datur species connexa vtriusque periodi, & species inconnexa; & ratio est, quia cum vnumquodque obiectum duplicem habeat cognoscibilitatem, & ratione sui, & simul ratione alterius, duplicem similiter speciem in intellectu relinquit cum complexe attingitur. Nunc ad rem nostram. Ita cum obiectum conclusionis sit ex se cognoscibile si etiam cognoscibile propter pręmissarum obiectum, dum ita per conclusionem formalem attingitur, duplicem gignit habitum, & speciem; & quia recordamur illius simul cum obiecto præmissarum, & quia recordamur illius tantum, & solitarie sumpti.

SECTIO V.

VTRVM POSITO ASSENSU præmissarum necessitetur intellectus ad assensum conclusionis?

80. DVplex est necessitas, sicut & libertas, quoad speciem, & quoad exercitium prima versatur inter actus contrarios, amorem scilicet, & odium, assensum, & dissensum. Secunda inter contradictorios, amorem scilicet, & carentiam, seu omissionem amoris; assensum, & non assensum. Tunc potentia est libera quoad speciẽ, quando ita indifferens est ad amorem, vel odiũ, vt pro suo libito vnum, vel aliud possit elicere; vnde tunc quoad speciem erit necessitata, cum ita elicit amorem, vt non possit elicere odium. Tunc potentia est libera quoad exercitium cum pro suo libito potest elicere amorem, aut cesare ab amore. Vnde tunc quoad exercitium necessitata erit, cum ita elicit amorem, vt nequeat amorem nõ elicere. Rogatur nunc, vtrum posito assensu præmissarum ita necessitetur in-

intellectus ad assensum conclusionis, vt nequeat illi dissentiri? Secundo ita vt nequeat illi non assentiri?

81. Dico 1. Posito assensu præmissarũ necessitatur intellectus quoad speciem ad assensum conclusionis, ita vt posito tali assensu, nequeat intellectus dissentiri conclusioni: Vnde si aliquem actum eliciat, hic debet esse assensus, & non dissensus, & hoc adhuc Diuinitus. Ita præter vnum Linze tract. 4. c. 8. omnes Doctores.

82. Prob. Voluntas adhuc Diuinitus nequit odisse obiectum, quod repræsentatur vt bonum tantum, & non vt malum; ergo nec intellectus dissentiri obiecto, quod proponitur vt verum tantum, & non vt falsum. Antecedens est certum. Conseq. tenet á paritate rationis; tunc sic; sed proposito assẽsu præmissarũ proponitur intellectui obiectum conclusionis, vt evidenter verũ, & nullo modo falsũ, ergo. Prob. minor. Proponũtur intellectui extrema identificata vni tertio, sed eo ipso illi vt evidenter verum proponitur, ea extrema identificari inter se, iuxta illud principium lumine naturæ notum in creatis: *quæ identificantur vni tertio, identificantur inter se.* ergo.

83. Cofir. Si proposito assensu præmissarum posset intellectus dissentiri conclusioni, posset iudicare idem simul esse, & non esse, verum que esset duplex contradictorium; ergo. Prob. sequela. Si posito assensu harum præmissarum: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo* posset intellectus dissentiri huic conclusioni: *ergo Petrus est animal*, iudicaret simul Petrum esse animal, & non esse animal. Patet conseq. Iudicaret non esse animal, cum neget illam consequentiam: aliunde iudicaret esse animal, cum iudicet esse hominem, vt patet ex minori, & omnem hominem esse animal, vt patet ex maiori; ergo.

84 Dico 2. Posito assensu præmissarum, necessitatur intellectus etiam quoad exercitum ad assensum conclusionis; ita vt posito tali assensu nequeat cessare ab assensu, seu non assentiri conclusioni. Ita P. Hurtado, P. Arriaga, P. Compton, M. Linc. 2. part. l. 4. quest. 1. art. 2. num. 8 Oiea d. 122. num. 3. & Alij communiter contra P. Linze, & P. Quiroz Disp. 32. sect. 2. Rhodes. Telles. Olcin. n. 3001. & Alios.

85 Prob. Potentia necessaria positis omnibus requisitis ad operandum, nequit non operari, vt patet in igne a proximato, in causa vltimo disposita, & c; sed intellectus est potentia necessaria, & posito assensu præmissarum habet omnia requisita ad conclusionem eliciendam; ergo illam elicit necessario.

86 Obj 1. Contra Primam conclusionem. Si contineretur identitas extremorum inter se in identitate extremorum cum tertio, ita contineretur in vnitate Dei Trinitas ipsius; sed potest Gentilis assentiri vnitati Dei, & dissentiri Trinitati; ergo & assentiri identitati extremorum cum tertio, & dissentiri eorum identitati inter se.

85 Resp. Assignando maximam disparitatem. Nam cum Gentilis assentitur vnicitati Dei, non proponitur illi vt manifeste vera Trinitas, & vt manifeste falsa non Trinitas; vnde potest vnicitati assentiri, & dissentiri Trinitati; ast cum assentitur quis duabus præmissis, seu identati extremorum cum tertio, statim proponitur vt manifeste verum conclusionis obiectum: identitas scilicet extremorum inter se; & non identitas seu separatio extremorum inter se vt manifeste falsa; ac proinde collato assensu præmissis, nequit conferri dissensus conclusioni; licet dato assensu vnicitati, possit Trinitati dissentiri.

88 Obj. 2. Sæpe evenit in scholis, concessa maiori, & minori in forma negari consequentiam, & ei dissenteri; ergo.

89 Resp. Hoc prouenire ex obscura penetratione identitatis cum tertio, eo scilicet quod non bene percaleantur præmissæ, aut vltima significatio, vel materia syllogimi ignoretur. Si vero clare percipiatur identitas extremorum cum tertio, impossibilis est dissensus respectu identitatis eorum inter se. Loquor de intellectu bene disposito; nam si alias sit impeditus, vt intellectus amentis, aut rustici, per accidens ex defectu penetrationis principij illius, *quæ sunt eadem vni tertio, & c.* poterit concessa maiori, & minori, negare consequentiam; sed vt optime aduertit Arriaga, de hoc non loquitur.

90 Obj. 3. contra 2. conclusionem. Posito assensu præmissarum potest á voluntate impediri assensus conclusionis, quia licentia voluntatis ad illam diciendam est vnum ex requisitis; sed hæc potest non poni a voluntate, etiam posito assensu præmissarum; ergo potest impediri á voluntate.

91 Confirm. Posito assensu præmissarum, nequit non excitari apprehensio identitatis extremorum inter se; at vero si assensus subsequatur apprehensionem, esset imperio voluntatis; ergo ab hac potest impediri.

92 Resp. Nego, posse assensum conclusionis impediri â voluntate, & consequenter voluntatem esse vnum ex requisitis ad assentiendum obiecto clare, & evidenter proposito. Unde nec á voluntatis arbitrio dependere potest talis assensus; cum hæc dependentia nulla ratione, aut experientia probari possit. Quis vnquam excogitare potest, quod postquam aliquis cognovit Petrum esse mortuum, & eundem esse Regem, egeat imperio voluntatis ad deducendum, Regem esse mortuum? Potest ne voluntas dicere intellectui, cum illi proponitur euidenter aliquod obiectum, ne credas illi? vel si potentia visiua sit recte disposita, & obiectum sit præsens imperare oculis ne videant? certe non potest. Ergo cum posito assensu præmissarum, euidenter proponatur obiectum neqait voluntas impedire pro suo libito assensum. Item illa licentia voluntatis, quę est requisitum, vt intellectus assentiatur obiecto conclusionis, vel est libera, vel necessaria? Nequit esse libera; tum ob rationes proximè dictas; tum, quia voluntas non debet esse potentior in alienos, quam in proprios actus; sed posita intentione efficaci finis, nequit electionem mediorum suspendere; ergo neque posito assensu præmissarum poterit assensum conclusionis impedire. Si talis licencia est necessaria? Habeo intentum; ergo posito assensu præmissarum, nequit non elici assensus conclusionis.

93. Ad confir. resp. Eo modo, quo est necessaria apprehensio evidens obiecti conclusionis, est necessaria, & independens á voluntatis arbitrio assensus. Nam obiectum etiam obscure propositum necessitat intellectum ad apprehensionem; ergo obiectum clare propositum ad apprehensionem, & assensum. Patet consequentia; in hoc enim obiectum clare propositum, ab obiecto obscure proposito distinguitur, quod hoc non excitat necessario apprehensionem, sed quasi liberum relinquit intellectum ad assensum, vel dissensum, & ideo eget determinatione voluntatis; at obiectum clare propositum ad vtrumque necessitat.

94 Obj. 4. Saltem cum præmissæ

 solum-

solum probabiliter repræsentant identitatem extremorum cum tertio, cum consequenter solum probabiliter proponatur identitas extremorum inter se, non necessitabitur intellectus quoad exercitium.

95. Resp. Nego assumptum. Aliud enim est, quod possit intellectus præmissis non assentiri, ac proinde nec consequentiæ; aliud, quod postquam semel assentitus fuit præmissis, possit consequentię non assentiri. Primum verum est, & proprium materiæ probabilis, seu præmissarum probabilium Secundum neutiquam: ęque namque tenetur intellectus conclusioni assentiri posito assensu pręmissarum, siue materia sit probabilis, siue sit certa, & evidens. In hoc enim distinguitur syllogismus, cuius præmissæ sunt mere probabiles, ab eo, cuius præmissæ sunt evidentes, quod præmissis probabilibus potest intellectus assentiri, vel dissentiri, evidentibus tamen nequit non assentiri.

96. Ast semel posito earum assensu in ordine ad necessitatem intellectus erga consequentiam æque se habet vterque syllogismus, sicut licet voluntas absolutè possit non amare obiectū sibi propositū, in quo distinguitur á potentia visiva v.g. ast ex suppositione, quod se determinet ad amandum, ęque nequit obiectum non amare, ac potentia visiva obiectum propositum non videre.

97. Obj. 5. Si Deus has duas præmissas infunderet intellectui. *quid quid Deus revelat, est verum; sed Deus revelat in hoc instanti A, me non elicere tres propositiones*; tunc intellectus conclusionem non eliceret; ergo posito assensu præmissarum non semper tenetur conclusioni assentiri.

98. Resp. Admittendo casum, quem aliquis negat, sed nescio, quo fundamento. Deus enim potest revelare, quod potest facere; sed Deus potest facere, quod ego in tali instanti tres propositiones non eliciam, negando concursum ad tertiam; ergo. Hinc dico, de potentia absoluta, posse intellectum ex negatione concursus Dei suspendi in elicienda conclusione. Nos in secunda conclusione loquimur de potentia ordinaria, & de potentia alias non impedita ex defectu alicuius principij, qualiter se haberet casu posito, licet in prima adhuc de potentia absoluta loquamur ob rationem supra ponderatam.

99. Obj. 6. In hoc syllogismo *omne bonum est assequendum, sed erogare eleemosynam est bonum; ergo est assequendum*, consequentia non est necessaria, cum non omnes eleemosynam erogent; ergo.

100. Resp. Dist. Antec. Consequentia non est necessaria, speculativè, nego; practice, concedo. Hoc est, quod attinet ad intellectum est necessarium; quod attinet ad executionem est omnino liberum dependensque a voluntate, quæ sæpe in deterius contra mentem inclinatur.

101. Obj. 7. Potentia locomotiva est necessaria; sed subditur voluntatis imperio; ergo licet conclusio sit necessaria a voluntatis imperio subjiciendi, est.

102. Resp. Nego conseq. Quia potentia est incompleta, & per actum voluntatis completur, vt constat ex ipsa experientia; sæpe enim positis omnibus requisitis ex parte ipsius, solum ex defectu voluntatis imperij, ipsa non movetur, contrarium constat in intellectu potentia ex se completa, & tamen *in rebus, in quibus cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari certum est*. Verba sunt Sancti Protoparentis Nostri Ignatij in aurea Epistola de obedientia.

Obj.

103. Objic. 8. Ad actus necessarios non datur habitus; sed ad conclusionem datur habitus; ergo conclusio non est necessaria.

104. Resp. Maior communiter negatur, quia ad actus scientificos necessarios datur scientia habitualis, similiter in potentia loco motiua datur habitus saltandi, immò & in potentia visiua, non vt determinet, sed vt potentia in repetione actiuum minus fatigetur. Sotus, & Hurtado negant Minorem. De hoc in tractatu de Anima.

105. Obj 9 Non magis necessitat assensus pręmissarum ad assensum conclusionis, quam species obiecti præsentis ad visionem intuitivam ipsius; sed adhuc posita specie indiuidua obiecti ab nimiam attentionem ad aliud potest homo obiectum non videre, vt de D. Bernardo per integrum diem prope lacum ambulante, quin illum videret, vera refert historia; ergo.

106. Resp. Ob defectum attentionis posse obiectum pręsens non videri, vt in exemplo D. Bernardi alterius meditantis, & ad lacum proximum nullatenus attendentis constat; ast posito præmissarum assensu impossibilis est distractio, seu non attentio ad obiectum conclusionis. Nam cum identitas extremorū inter se idētitate extremorū cū medio cōnectatur, semel posito assensu extremorū cum tertio, nequit cohiberi aut impediri viua x apprehensio extremorum inter se, quæ necessitet ad sui assensum.

107. Obj. 10. Ex eisdem præmissis possunt inferri diuersæ conclusiones v.g. & c. duabus vniuersalibus affirmatiuis, iā vniuersalis affirmatiua, & directa in *Barbara*, iam particularis affirmatiua, & indirecta in *Baralipton*; ergo vt vna potius eliciatur, quam alia voluntatis requiritur imperium; ergo si hoc deficiat, nulla elicienda erit.

108. Resp. 1. Nego vltimam consequentiam. Sic licet necessarium sit voluntatis imperium, vt aliquis hoc potius, quam illo loco sit, nequit tamen nullibi esse. Item licet posita efficaci intentione finis, si detur duplex medium, huius potius, quam illius electio á voluntate dependeat; nequit tamen voluntas cessare ab alicuius electione.

109. Resp. 2. Tunc vnamquēque cōclusionem tam directam, quam indirectam fore eliciendam; cum enim quis assentitur his pręmissis *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo* æque assentitur huic, *ergo Petrus est animal*, ac isti; *ergo aliquod animal est Petrus*. Sic potentia visiua plura obiecta simul respicit, si simul proponantur sufficienter.

110. Resp. 3. Tunc intellectum teneri elicere eam conclusionem, cuius clariorem, & intentiorem habet speciem.

111 Obj. 11. Voluntas non necessitatur ad bonum particulare creatum; ergo nec intellectus ad verum creatum.

112 Resp. nego conseq. quia voluntas est potentia omnino libera, non ita intellectus, qui á vero rapitur. Item voluntas posita intentione finis necessitatur ad bonum particulare creatum eligendum; ergo similiter posito assensu præmissarum necessitabitur intellectus ad verum particulare creatum.

113 Obj. 12. Ex P. Quir. Non minus est connexus assensus pręmissarum cum assensu conclusionis, quam assensus vnius contradictorij cum dissensu alterius contradictorij oppositi; sed ex assensu vnius contradictorij nō infertur disensus formalis alterius contradictorij oppositi, ergo neque ex assensu præmissarum assensus formalis conclusionis.

114 Resp. Latam esse inter dissensum contradictorij, & pręmissarum disparitatem. Nam licet assensus con-

contradictorij virtualiter contineat dissensum contradictorij, non temen ex se ordinatur ad illud, vnde illum formaliter non infert; ast præmisse non solum continent virtualiter conclusionem, sed ex se ordinantur ad illam inferendam, vnde illam formaliter inferunt, & in hoc distinguitur propositio absolute sumpta á propositione sumpta, vt præmissa, & compræmissa. In hac enim propositione *omnis homo est animal* absolute sumpta virtualiter continetur hæc *Petrus est animal*, illam que formaliter non infert; ast sumpta, vt pręmissa, coniuncta que cum hac, *sed Petrus est homo* non solum virtualiter cōtinet illam propositionē; sed ad illam inferendam ordinatur, & hinc est, quod illam formaliter inferat.

115 Obj. 13. Ex P. Linc. Sola evidens obiecti propositio intellectum necessitat ad assensum: sed præmissæ non proponunt evidenter obiectum conclusionis, sed solum virtualiter, & confuse: ergo.

116 Resp. dist. Mino. non proponunt evidenter obiectum conclusionis, perse ipsas immediatè, concedo; per speciem ab ipsis necessario excitatam; nego. Pręmissæ non proponunt euidenter, & clare obiectum *quod* condusionis, sed solum virtualiter, & confusè; at eis positis, ita euidens obiecti conclusionis species excitatur, vt nequeat ei intellectus non assentiri, ideo que intellectum necessitari diximus.

117 Rogas. An cognitio de bonitate illationis pręcedere debeat ad assensum conclusionis? Resp. 1. Non requiritur reflexa cognitio de bonitate illationis formalis. Sic tract. 1. Proœmalium num. 705. dixi Logicam reflexionem non esse necessariā simpliciter ad perfectam scientiam, ipsa enim conclusio se ipsa reddit intellectum securum sine vlla reflexione de illius existentiá.

118 Resp. 2. Requiritur prævia apprehensio cognoscens bonitatem illationis obiectiuę, seu connexionis obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum: primo, quia quid quid per iudicium affirmatur debet apprehensive præcedere; sed per conclusionem non solum affirmatur obiectum, sed etiam connexio ipsius cum obiecto præmissarum, seu obiectum connexum. Ly namque *ergo* idem significat, ac hinc sequitur, quod connexionem vnius cum alio denotat; ergo. Secundo, quia etiam posita intentione finis vt eligatur medium, debet præcedere apprehensio connexionis medij cum fine; ergo posito assensu præmissarum, vt ponatur essensus conclusionis, debet præcedere apprehensio, & illa connexionis, & illationis obiecti conclusionis ex præmissarum obiecto.

TRACT. VIII.

DE PRIORI ANALYSI;

DE DEMOSTRATIONE SCILICET, ET EIVS CONTRARIJS.

1 DEmóstrationi opponi fidem, opinionem, & fallaciam certum est. De hisomnibus breviter agemus in hoc vltimo nostræ Logicæ tractatu.

DISPUTATIO I.

DE DEMONSTRATIONE,

SECTIO I.

DEFINITIO, ET DIVISIO demonstrationis.

2 VArie definivit demonstrationem Aristoteles; ex eo sic cum communi demonstrationem definio: *Est syllogismus constans præmissis certis, & evidentibus. Est syllogismus evidens.* Per ly *syllogismus* convenit cum topico, sophystico, & Theologico. Per ly *euidens* ab omnibus secernitur. Nam in ly *euidens* includitur omnimoda certitudo, qua caret topicus; veritas, quam non habet sophysticus; & claritas, quam non participat Theologicus.

3 Demonstratio est duplex: prima est propter *quid*, seu *á priori*: secunda est *quia*, seu á *posteriori*. Demonstratio propter quid est, syllogismus deducens effectum á causa necessaria, vel quasi causa, quæ ita se habeat ratione nostra; vt cum probo existentiam lucis á solis existentia, & existentia risibilis ab existentia rationalis. Demonstratio *quia* est quæ demonstrat causam per suum effectum, vel quasi effectum, vt cum probo existentiam Dei ab existentia creaturarum, existentiam rationalis ab existentia risibilis.

4 Rogas 1. Vtrum hęc diuisio demonstrationis sit adæquata? Negant aliqui; quia demonstratio definiti per definitionem, vt: *est animal rationale; ergo est homo*, neque est effectus à causa, nec causæ ab obiectu. Affirmant communiter cum P. Arriaga, & P. Comp-

Comprono intelligendo per demonstrationem, *quia*, quamcumque demonstrationem, quæ non fuerit á causa, & reducendo demonstrationem definiti á definitione ad demonstrationem propter quid, cum prædicata essentialia, quibus constat definitio sint quasi causæ intrinsece, & metaphysicę definiti. Hoc secundum probabilius iudico.

SECTIO II.

VTRVM PREMISSÆ DEMONStrationis debeant esse certiores, veriores, & evidentiores conclusione?

5 TRIA debent habere pręmissæ cuiuslibet demõstrationis, veritatem, certitudinem, & euidentiam; veritas est conformitas actus cum obiecto, ita vt hoc, sicuti est, in se repręsentetur. Certitudo est firma adhæsio actus ad obiectum sine vlla formidine de opposito. Evidentia est claritas quædam cognitionis ex modo tendendi, qua obiectum ita manifeste proponitur intellectui, vt ab eo negari non possit.

6 Certitudo est duplex, adhæsiva, & inhęsiua; adhæsiua est, quæ oritur, vel ex motiuo necessario, vel ex modo tendendi, vt certitudo de exstentia lucis cum comcipitur, vel de principio hoc *quodlibet est, vel non est*. Inhęsiva est connexio quædam entitatiua actus cum obiecto, ratione cuius impossibile est, quod obiectum aliter se habeat, ac per actum repręsentatur. Hæc est propria actuũ supernaturalium. Hinc docent Exim. Doct. d.6. de fide sect.5. P. Gran. P. Ripal. P. Arriaga, hunc actum *Christus est Deus* excedere in certitudine inhæsiua certitudinem actuum ęternæ veritatis v.g. quæ sunt eadem vni tertio, &c. Nota: hic non loquimur de certitudine inhæsiua, certum enim est, quod si vna præmissa sit de fide, non vero conclusio, illa erit conclusione certior, & è contra si conclusio sit de fide, non vero vna ex præmissis, quod conclusio erit certior hac certitudine.

7. Dico 1. Præmissę nequeunt esse veriores conclusione, nec è contra. Hęc conclusio manet probata, & etiam agitata tract.6 sect. 7. Ubi tenui veritatem in indiuisibili consistere; vide ibi dicta.

8. Dico 2. Si pręmissę sint inęquales in certitudine, & evidentia, quæ fuerit certior, & evidentior alia, erit certior, & evidentior conclusione.

9. Prob. Conclusio sequitur debiliorem partem; ergo ex minori certitudine vnius præmissæ, minor certitudo in conclusionem derivabitur. Ratio est; quia veritas, & certitudo conclusionis essentialiter dependet á præmissis; ergo nequit esse magis certa, quam fuerit vtraque præmissa.

10. Confir. Conclusio deducta ex vna præmissa evidenti, & altera probabili, probabilis tantum evadit; ergo conclusio deducta ex vna præmissa certiori, & alia minus certa, minus certam evadere, necesse erit.

11. *Dico* 3. Si præmissæ sint ęquales in certitudine, & evidentia inter se, non sunt certiores, & evidentiores conclusione; sed hæc est æque certa, & evidens, ac illa. Ita P. Hurt. d.11. logicæ, sect.3. P. Oviedo, & Recentes communiter. Contra Thomistas, Scotistas. Conim Compt. Tell. Rod. & Alios asserentes; pręmissas ce certiores, & evidentiores conclusione.

12. Prob. Omnis certitudo, & evidentia adhęsiua actuum oritur ex motiuo assentiendi; ergo actus habentes idem motivum, æqualem omnino certitudi-

tudinem, & evidentiam habebunt. Sic hic actus *Petrus est animal, Ioannes est animal* sunt ęquales in certitudine, & evidentia, quia gaudent eodem motivo, nempe quod *omnis* homo sit animal. Similiter omnes actus fidei æquali gaudent certitudine, quia eodem motivo, nempe authoritate Diuina revelante vtuntur: tunc sic, sed per nos, conclusio idem motivum habet, ac præmissæ; obiectum enim formale motivum conclusionis est identitas extremorum cum tertio, quæ quidem est obiectum motivum pręmissarum; ergo.

13. Ratio á priori est; quia cum certitudo sit adhærentia intellectus ad obiemum, eodem modo adhæret intellectus, quo determinatur a motivo; á motivo ergo æqualiter determinabitur; ergo.

14. Confir. 1. Naturali lumine ductus cognoscit intellectus quod ea, quę identificantur vni tertio, etiam identificantur inter se; ergo nequit certius assentiri identitati extremorum cum tertio, quam identitati eorum inter se; sicut non possum certius asserere *hominem esse compositum*, quam *constare partibus*; cum evidentissime sciam, compositum, vt tale partibus essentialiter componi

15. Confir. 2. Identitas extremorum cum tertio est formalissime identitas eorum inter se; si enim intellectus inter illas identitates non distinguit, quomodo circa vnam habebit maiorem, & circa aliam minorem certitudinem?

SVBSECT. VNICA.

RESPONDETVR ARGVmentis.

16. OBjic. 1. contra 2. concl. Conclusio Theologica, quæ sequitur ex vna pręmissa de fide, & alia naturali, est certior pręmissa naturali; ergo non sequitur debiliorem partem; ergo etiam si præmissæ sint inæquales, non ideo pręmissa certior alia erit certior conclusione.

17. P. Tannerus concedit, conclusionem Theologicam esse certiorem præmissa naturali, contra quem nostra ratione probandi munitus arguit P. Arriaga: impossibile enim est, quod conclusio hæc *Christus est animal* orta ex hac duplici pręmissa *Omnis homo est animal; sed Christus est homo*, sit certior propositione maiori naturali; cum certitudo ipsius essentialiter dependeat á certitudine illius. Si enim omnis homo non esset animal, certum non esset, Christum esse animal eo quod sit homo.

18 Resp. Nego anteced. absolutè. Nam, vel conclusio Theologica est supernaturalis? Ut tenet Gilius, & Fasolus, quos sequitur Ripalda *D.* 55. de ente supern. num. 41. Vel non? Vt tenet comunis sententia. Si primum? Ad summum conclusio Theologica erit certior inhæsive, non vero adhæsive. Si secundum? Nec adhæsive erit certior.

19. Obj. 2. contra 3. conclus. In hoc syllogismo *Christus est homo; sed homo constat anima immortali; ergo Christus constat anima imortali*, conclusio non est æquè certa, ac pręmissæ, etiam si habeat idem motivum, ac ipsę; ergo. Prob. anteced. Præmissæ sunt de fide, conclusio non est de fide, sed naturalis; ergo.

20 P. Arria. D. 15. de fide sect. 4. & Alij tenent; conclusionem deductam ex duplici præmissa de fide etiam esse de fide; vnde erit æque certa, ac pręmissæ. Card. de Lugo, & alij communiter tenent, esse naturalem. In horum sententia.

21 Resp. conclusionem illam esse ęque certam adhæsiue, ex motivo sci-

scilicet, ac præmissæ, licet non sit æque certa inhæsive, ratione scilicet supernaturalitatis, vi cuius præmissæ essentialiter exigunt, quod obiectum aliter nõ se habeat, ac per ipsa repræsentatur. Quod autem actus naturalis possit esse æque certus adhæsive, ac supernaturalis, probat Arriaga; tum quia nequit esse magis certus hic actus fidei *Christus est*, quam hic actus naturalis, á quo dependet, *quodlibet est, vel non est*. Nec actus naturalis, quo hereticus diceret *Deus est Trinus, quia ipse revelavit*, ac supernaturalis, quo Catholicus idem diceret; cum vterque idem habeat obiectum.

22. Nota, quod sicut potest dari præmissa certior inhæsiue conclusione, ita & conclusio certior inhesiue præmissa. Nam in sententia. P. Arriaga, P. Ripal. P. Granado, & Aliorum potest Deus circa quodvis obiectum naturale supernaturalem actum infundere; ac proinde positis his duabus præmissis naturalibus *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo*, potest infundere hanc conclusionem, *ergo Petrus est animal*, quę sit supernaturalis, ac consequenter certior inhæsiue pręmissis.

23. Obj. 3. Conclusio accipit certitudinem á pręmissis; ergo pręmissę certiores sunt conclusione; quia iuxta Aristotelem *propter quod vnum quoque tale, & illud magis*.

24. Responsio argumenti ab acceptione, & explicatione huius proloquij dependet, quod quidem in omnibus fere causis falsum est. Sic homo est propter Deum vt causam efficientem, & tamen Deus non est magis homo. Homo est propter animam, vt causam formalem, & anima non est magis homo. Cathedra est propter lignum vt causam materialem, & lignum non est magis cathedra. Ad summum enim locum habet in causa finali, & amore medij, vt medium est. Sic cum eligitur potio amara propter sanitatem, magis amatur sanitas, quam potio.

25 Replic. ex Arriaga. In causis motiuis locum habet axioma; sed præmissæ sunt causæ motivę conclusionis; ergo magis assentior eis, quam conclusioni, & consequenter erunt magis certæ. Prob. maior. Ideo in causa finali locum habet axioma, quia amor finis mouet ad amorem mediorum, ideoque magis amatur finis, quam amantur media; sed assensus pręmissarum movet ad assensum conclusionis; ergo magis mouent præmissæ, quam conclusio; ergo magis certæ sunt.

26 Confir. ex Aristotele dicente; conclusionem esse ex notioribus; ergo præmissæ, ex quibus est conclusio, notiores sunt conclusione.

27 Resp. nec in causis motiuis proloquium esse vniuersaliter verum; sic Deus amat Iustos propter gratiam, & non amat magis gratiam, quam iustos. Homines amore gratitudinis amant Deum propter beneficia, & non amant magis beneficia, quam Deum. Item credunt Mysterio Incarnationis v. g. propter revelationem, & non credunt magis revelationi, quam Mysterio. Etsi vniuersaliter in omni causa motiua valeret axioma, ac proinde in præmissis erga conclusionem, sequeretur; conclusionem ex duplici præmissa de fide deductam non esse de fide; contra ipsum Arriaga. Nam fides Diuina non accipit magis, & minus in certitudine, & veritas de qua essem minus certus, veritas scilicet conclusionis, per fidem Diuinam nullatenus crederetur.

28 Hinc colliges: Non ideo præscisse finem magis amari, quam medium, quia mouet ad amorem mediorum, sed quia medium, vt medium est, vel nullam habet amabilitatem, nisi in ordine ad finem, vt patet in potione amara, vel non absolute, aut hic, & nunc tantam amabilitatem, ac finis; ast obiectum conclusionis capacitatem habet terminandi tam certum assensum, quam habent obiectum præmissarum.

29 Hinc ad Confirm. dic, Aristotelem appellasse præmissas notiores conclusione, id est, per se notas, & á priori indemostrabiles, qualiter se habent prima principia, de quibus loquitur, & qualiter non se habet conclusio à priori demonstrabilis per præmissas, non vero significasse, esse absolute certiores, & evidentiores intellectui, cum habeant idem motivum, in quo tota certitudo fundatur.

30 Obj. 4. ex Arriaga. Omnis propositio immediata evidentior est, quam propositio mediata; sed conclusio est propositio mediata, & pręmissæ immediata; ergo.

31. Argumentum vniuersaliter non probat, quia potest vna præmissa ex alijs deduci, v. g. *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo; ergo est animal; sed omne animal est vivens sensibile; ergo Petrus est vivens sensibile*; ergo saltem in hoc casu, cum tam conclusio vltima, quam pręmissa subsumpta sit mediata, non erit euidentior conclusione.

32. Resp. Nego maior. Quia possunt dari propositiones immediatæ, immò & per se notę, quæ non sint evidentes, sed obscuræ, & mere probabiles, vt tenet Cardin. de Lugo d. 1. de fide n. 116 P. Hurr. P. Ripalda, & ipse Arriaga d. 3 de fide sect. 4. Primum patet in assensu fidei Diuinæ propter ipsam, & non propter aliud motivum: en assensus, immediatus, & obscurus. Secundum etiam patet. Quia conclusiones probabiles in aliquibus probabilibus præmissis nituntur; ergo ne aveamus in infinitum, tandem devenien dum est ad aliquas præmissas probabiles, quibus ratione aliarum non assentiatur intellectus: en propositiones immediatæ, & per se notæ, & merè probabiles. Item hæc conclusio mediata *Ergo homo est risibilis* deducta ex his præmissis *Omne admirativum est risibile; sed homo est admirativus*, certior & evidentior est hac propositione immediatá, & per se nota *nunc existit lux*; quia prima gaudet certitudine metaphysica; secunda vero solum certitudine physica: in prima nequit inveniri falsitas; secunda capax est falsitatis, si oculi fallantur, sicut in visione colorum oculi falluntur. Constet ergo, evidentiam tantum desumi ex motivo claro, propter quod intellectus obiecto assentitur, siue assensus sit immediatus, vel mediatus; cum enim idem sit præmissarum, ac conclusionis motivum eandem contrahent evidentiam.

33. Obj. 5. Quod magis accedit ad fontem alicuius perfectionis, participat magis de tali perfectione; sic lumen cælorum clarius est lumine sublunarium, quia magis accedit ad solem; sed præmissæ magis accedunt ad prima principia, quæ sunt fontes certitudinis, & evidentiæ, quam conclusio; ergo.

34. Confir. Infallibilitas plus afficit præmissas, quam cõclusionem; illas scilicet immediatê, hanc mediatè, cum huius infallibilitas à præmissis sumatur; ergo plus accipiunt infallibilitatis pręmissæ, quam conclusio. Hoc illustrat P. Compton exemplo sanctitatis Diuinæ, quæ magis Sanctum reddit Deum, quia immediate, & per identitatem illum afficit, quam humanitatem, quam media vnione sanctificat.

35. Resp. Dist. maior. Si perfectio sit in linea assensus, & quæ magis accedunt, & discedunt habeant idem motivum, nego: si sit in alia linea, transeat. Totus fons perfectionis infallibilitatis, & evidentię in assensu est motivum; cum autem idem sit conclusionis,

ſionis,ac præmiſſarum motivum, æque participant certitudinem, & evidentiam, licet concluſio á præmiſsis eam accipiat. Sic licet Filius Æternus habeat totum eſſe á Patre, & Spiritus Sanctus á Patre, & Filio, quia participant eandem Divinitatem, quæ fons eſt totius perfectionis, æque perfecti ſunt. Hinc lata patet diſparitas ad lucem. Non eſt enim lux eadem in inteſione, quę illuminat ſphęram, ac quæ orbem ſublunarem illuminat; nam cum ſol vniformiter difformiter illuminet, magis illuminat quæ proximiora ſunt. Aſt idem eſt motivum, & eadem claritate propoſitum concluſionis, & præmiſſarum; ergo æque certa erit concluſio.

36. Ad confirm. Reſp. Quod licet infallibilitas á præmiſsis derivetur in concluſionem; cum tam præmiſſæ, quam concluſio eam capacitatem habeant, idem motivum eodem modo applicatum, æque infallibilis erit, ac præmiſſæ. Hinc diſparitas ad ſanctitatem; hæc enim non participatur æqualiter á Deo, & ab humanitate, nec hæc habet ęqualem capacitatem, ac Deus in ordine ad denominationem ſancti.

37 Obj. 6. Medium manifeſtandi rem, certius, & euidentius debet eſſe re manifeſtata; ſic definitio clarior eſt definito, quia eſt definiti manifeſtatio; alias notum per æque notum manifeſtaretur, quod repugnat; ſed concluſio per pręmiſſas manifeſtatur; ergo hę notiores, & certiores debent eſſe concluſione.

38 Confirm. Quo aliqua propoſitio â paucioribus dependet, minori que eget indagine, eo clarior, & certior eſt; ſed præmiſſæ à nullo dependent, nulla que eget indagine: concluſio vero dependet ab ipſis prędmiſſis, egetque diſputatione per ipſas efformata: ergo.

39 Reſp. Diſt. maiorem. Si res manifeſtata induat claritatem medij manifeſtandi, & ab eo inferatur, nego: ſi aliter ſe habeat, tranſeat. Sic ſi definitum, ſeu cognitio definiti ſupponat, & inferatur ex definitione, æquè clara eſt ac ipſa definitio: cum æqua claritate proponatur ab intellectu definitio actu repręſentante definitionem, ac repræſentantè definitum, aut illatum ex definitione, ſeu indutum claritate definitionis. Cum ergo concluſio, licet ex præmiſſis eius obiectum manifeſtetur, inferatur ex præmiſſis, & eas eſſentialiter ſupponat, æque clara eſt ac ipſæ pręmiſſæ, licet alias, ſi ex eis non inferretur, non gauderet æquali certitudine, ſed minori, cum non haberet aquale motivum, & hoc tantum ſibi vult cum abſolute dicitur; pręmiſſas eſſe notiores concluſione; ſyllogiſmum eſſe deductionem minus noti ex notoribns, ſcilicet obiectum concluſionis abſolute eſſe minus notum obiecto præmiſſarum, pręmiſſas que ordinari ad ipſius manifeſtationem, at vero vt obiectum concluſionis eſt formaliter, nec minus notum, nec minus certum eſt, cum iam indutum ſit certitudine, & claritate præmiſſarum.

40 Ad confir. reſpondeo, concluſionem, vt concluſio eſt, non eſſe minus certam, nec minus evidentem præmiſſis, cum induat certitudinem, & euidentiam earum pręmiſſarum, licet egeat indagine, & diſputatione, ex quo ſolum infertur abſolute, & materialiter obiectum concluſionis non eſſe tam certum, ac obiectum præmiſſarum.

41 Obj. 4. Præmiſſæ, & concluſio ſpecie differunt; ergo ſunt inæquales, nam ſpecies ſunt iuxta Philoſophum ſicut numeri; ergo ſicut numeri ſunt inæquales, ita & ſpecies. Confir. 1. Habent diuerſum modum tendendi: præmiſſæ independentes, concluſio eſſentialiter dependens á præmiſſis; ergo minus certa. Confir. 2. Omnis cauſa ęquiuoca eſt perfectior effectu; ſed præmiſſæ ſunt cauſa æquiuocæ cōcluſionis; ergo.

42 Reſp. Concedo antec. nego conſeq. Diuerſitas ſpecifica licet arguat diſſimilitudinem, non arguit inæqualitatem. Sic relationes Diuinæ diuerſæ ſunt ſpecifice inter ſe, non vero inæquales in perfectione. Vnde cum Ariſtoteles aſſerit, ſpecies eſſe ſicut numeros, loquitur de eo, quod communiter accidit, vel quia ſicut numeri faciunt differre, ita & ſpecies. Ad 1. Conf. reſpondeo, neque diuerſitatem in modo tendendi, neque dependentiam concluſionis á præmiſſis, & præmiſſarum á concluſione arguere maiorem certitudinem, & claritatem in præmiſſis. Sic intellectio in via dependet eſſentialiter á phantaſmate, & tamen eſt certior, clarior, & evidentior phantaſmate. Ad 2. Confir. reſpondeo, cauſam dici æquiuocam eo quod ſit diſſimilis effectui, non eo quod ſit perfectior. Sic calor eſt cauſa ęquiuoca ignis, & tamē eſt minus perfectus igne.

43 Obj. 8. ex Arriaga probante in actibus naturalibus, in quibus poteſt augeri, & minui certitudo, certiorè eſſe quamlibet præmiſſam ſeorſim ſumptam ipſa concluſione. Quælibet præmiſſa vni tantum aſſentitur veritati, concluſio vero triplici veritati, ſcilicet ſui proprij obiecti, veritati Maioris, & veritati Minoris; ergo quælibet pręmiſſa certior eſt cōcluſione. Prob. conſeq. Firmius adhæret intellectus vni veritati, quam triplici, quia vna veritas minus fallibilis eſt, quā triplex; cum habeat vnicum tantum caput, vi cuius poſsit deficere, & triplex veritas á triplici capite deficere poſsit.

44. Reſp. Æqua firmitate adhærere intellectum vni, quam triplici veritati, cum triplex veritas per modum vnius, & ſub vnico motivo proponatur, ſicut proponitur obiectum concluſionis. Non enim minus firmiter aſſentior, Petrum eſſe hominem, quia omne individuum humanū eſt homo, quam, Petrum eſſe hominem. Item ita certo, & firmiter aſſero, Petrum currere, cum illum currentem video, ac Petrum, Paulum, & Ioannem currere, cum ſimiliter eos ſimul currentes conſpicio, nam motivum vtriuſque aſſenſus eſt idem, nempe quia ita video; neque ex eo quod â pluribus capitibus poſsit vna veritas, quam alia deficere, ideo erit minus certus intellectus de vna, quam de alia, cum ad vnam, & ad aliam idem motivum aſſentiendi habeat.

45. Objic. 9. Ex P. Olſina, qui n. 2953. eodem fundamento, quo P. Arriaga probat, præmiſſam eſſe certiorem concluſione, probat ipſe concluſionem eſſe certiorem præmiſsis; quod argumētum pro eodem aſſumpto excogitatum ab ingenioſo moderno legeram apud Sapientiſsimum Magiſtrum. Argumentum ita ſe habet. Ille actus eſt certior, qui ex pluribus capitibus certitudinem habet: ſed concluſio ex pluribus capitibus habet certitudinem, quam prę-miſſæ; ergo. Prob. Maior. Id alio perfectius cenſetur, quod ex pluribus capitibus perfectionem accipit; ergo ſimiliter. Prob. Minor. Concluſio haurit certitudinem ab obiecto duplicis præmiſſæ; item á ſuo proprio obiecto, nempe connexione ſeu illatione obiectiva, quę non eſt motivum præmiſſarum; ergo á pluribus capitibus certitudinem accipit concluſio, quam pręmiſſæ; ergo certior erit.

46. Reſp. Maiorem abſolutè eſſe falſiſsimam, nam poteſt ab vno tantū capite accipere aliquem actum talem certitudinem, vt excedat alios actus á mille capitibus certitudinem haurientes. Sic vna ſolum authoritas vnius An-

Angeli plus certitudinis conferret actui, quam mille hominum authoritates; & vna solum Exim. Doctoris authoritas, plus quam duo millia hominum. Sic in motivis claris, & evidentibus cōtingere potest; & probatur in principijs per se notis, quæ certiora sunt, quam plures cognitiones aliæ evidentes, & eo ipso, quod sint per se nota pauciores habent rationes probandi, seu pauciora motiva habet intellectus, vt eis assentiatur, quam vt assentiatur cognitionibus alijs evidentibus, immò & probabilibus; ergo non ex eo quod á pluribus capitibus acciperet conclusio certitudinem quam præmissæ rectè infertur; certiorem esse præmissis.

47. Insuper falsum est conclusionem à pluribus capitibus certitudinem accipere, obiectum namque motivum conclusionis est illatio obiectiua, non est aliquod speciale motivum distinctum ab obiecto præmissarum, sed idem met obiectum præmissarum, vt connexum cum obiecto terminativo conclusionis. Sic P. Arriaga d. 15. de fide, sect. 5. probat connexionem inter motivum formale, & obiectum terminativum materiale non esse aliquod speciale motivum, sed vnum motivum constituere cum obiecto formali. Ita cum credo Trinitati propter authoritatem Diuinam reuelantem, non credo propter authoritatem Diuinam vtcumque, sed propter authoritatem vt connexam cum Mysterio, resultante motivo adæquato ex reuelatione, & conexione. Vnde conclusio non habet aliquod motivum speciale ab obiecto præmissarum distincto, sed ipsummet vt connexum cum obiecto terminativo conclusionis, seu quod idemest, illatio obiectiua est obiectum adæquatum motivum ipsius.

48 Obj. 10. Præmissæ possunt esse æque certæ, ac conclusio; ergo & minus certę, cum eadem ratio datur pro vtroque. Confir. Præmissæ, & conclusio se habent sicut actus imperans, & imperatus, sed potest actus bonus imperari ab actu malo; ergo & conclusio certa à præmissis minus certis, immo & falsis.

49 Resp. concedo antec. & nego conseq. Nam tota conclusionis, vt conclusio est, certitudo á præmissarum certitudine dependet, quomodo ergo minor certitudo maiorem certitudinem pariet? Sic in physicis, licet causa principalis possit esse æque perfecta, ac effectus, nequit tamen esse minus perfecta; ergo simimiliter in præmissis, quæ sunt causæ conclusionis. Ad Confir. dic: actum imperantem, & imperatum habere distincta obiecta, quorum vnum potest esse bonum, & alterum malum, ideo que potest actus malus bonum imperare, at conclusio, & præmissæ idem obiectum realiter habent, idem que motivum: ergo ex præmissis falsis, falsam consequentiam inferri necesse erit.

SECTIO III.

DE SCIENTIA EFFECTV DEmonstrationis.

50. SCientia latê sumpta pro toto syllogismo evidenti sumitur. Stricte sumpta est conclusio evidens ex præmisis evidentibus deducta. Dividitur in actualem, & habitualem: actualis iuxta Aristotelem *est cognitio rei per causam, & quod illius est causa, & quæ aliter se habere non potest.* Clarius, & brevius *est cognitio certa & evidens habita per demonstrationem.* Scientia habitualis est habitus adquisitus per demonstrationem, seu facilitas quædam orta ex repetitione actuum scientię actualis; vnde talis habitus non est formaliter scientia, sed effective talis. De hoc sufficienter in Procemialibus.

Di-

51 Dividitur in practicam, speculativam, & mixtam, qualis per nos est logica. Item in subalternam, & subalternatam: subalterna est, quæ continet aliam sub se, vt Metaphysica logicam: subalternata est quæ continetur sub alia, vt logica su Metaphysica. De subalternatione, specificatione, & vnitate scientiarum agam in Metapyhsica.

52. Rogas: de quibus dari possit scientia? Primo dari potest scientia de singularibus, vt patet in syllogismis expositorijs. Secundo de contingentibus, quæ & si contingētia sint, habent connexionem prædicotorum essentialium; sic Philosophia naturalis, qua agit de creaturis in sua existentia contingentibus, & Philosophia moralis, quæ agit de actibus liberis voluntatis sunt scientia. Tertio de entibus per accidens, sic Arithmetica agit de numero, Politica de Republica, Militaris de exercitu, Philosophia de mundo, quæ omnia sunt entia per accidens.

DISPVTATIO II.

DE SYLLOGISMO PROBABILI; SEV in libros Topicorum.

53 POST syllogismum analiticum, seu demostrationem, syllogismus Topicus, seu probabilis recto ordine sequitur. Octo libros instituit Aristoteles, quos Topicorum appellat, in quibus modos, & materiam probrbiliter arguendi Dilectitis præbet, qui ad certa, & determinata loca, quæ græce *topica* vocantur, & latine argumentorum sedes, facili metodo reduxit; de quibus quia Rethoricus docui, & aliqui ex præsentibus á me Rethorici didiscistis, nunc agere otiosum erit.

SECTIO VNICA.

QVID SIT OPINIO, DVBIVM, suspicio, & fides?

54 OPINIO latè sumitur pro quauis cognitione non certa, sic etiam errori, & fidei humanæ competit. Stricte sumpta sic definitur: *Assensus ad determinatum obiectum propter motivum in se probabile.* Hoc est naturalem, & mere probabilem cōnexionem prædicati cū subiecto. Differt adubitatione, & suspicione, quia per has non fertur intellectus ad obiectum determinatum, sed dubius hæret, vt constabit ex definitione ipsarum.

55 Dubitatio *est iudicium persuadens neutram partem contradictionis.* Sufficienter ostenditur per rationes adductas. Differt ab opinione, quia nullam determinationem dicit.

36 Suspicio est *coniectura, qua opinamur hoc, aut illud fieri, quin determinemur ad obiectum*; & in hoc differt ab opinione.

57 Formido *est actus, quo reflectens supra iudicium probabile dubitat an fallatur, nec ne.* Aliqui iudicant, formidinem esse de essentia opinionis. Iudico, opinionem non excludere formidinem, cum nullam dicat certitudinem, non tamen dicere essentialiter formidinem formalem. Non enim est necessarium, vt omnes, qui probile iuditium habent actualiter reflexe dubitēt. Aliqui ita tenaciter suas amplectuntur opiniones, vt de eis nec dubitent. De essentia tamen opinionis est formido radicalis, quę sita est in eo, quod intellectus vi talis opinionis maneat dubius circa veritatem cognitam, si aliunde certitudinem non habeat.

58 Nota, duas propositiones contradic-

tradictorias posse esse simul probabiles, si pro vtraque parte se se offerant rationes; vnde tota probabilitas non est in ipsis rebus, sed in intellectu ita, vel ita iudicante; quælibet enim res, vel est, vel non est determinate á parte rei. Inde ad amplectendam vnam partem contradictorij pia affectio voluntatis ad illam potius, quam ad aliam inclinans necessario requiritur.

59 Opinio alia est probabilis, improbabilis alia. Probabilis, alia est ab intrinseco, quæ scilicet fundatur rationibus probabilibus assensum probabilem ellicientibus. Alia est ab extrinseco probabilis; quæ licet rationibus careat, authoritate sapientum, prudentumque munitur. Improbabilis est, quæ tam rationibus, quam authoritate est destituta, & appellatur temeraria.

60. Fides *est cognitio non evidens nitens authoritate dicentis.* Differt á sciétia, quia scientia est evidens, & fides nó evidens; ab onione, quia motivum fidei non est ratio, sed authoritas; á suspicione, & dubitatione, quia fides est assensus ad determinatum obiectum. Duplex est fides; naturalis, & supernaturalis: naturalis nititur authoritate hominis, vel Angeli, qui cum falsitatis sint capaces, fidei infallibilitatem non communicant. Sepernaturalis est, quæ nititur authoritate Dei revelantis, quę cũ non posit fallere, nec falli, infallibilitatem confert.

DISPVTATIO III.

IN LIBROS ELENCOrum, seu de Syllogismo sophystico.

61. IN his duobus libris Elencorum egit Philosophus de syllogismo sophystico, seu fallaci, qui græcè *elencus*, dicitur. Elencum diuisit in syllogismum psegdographum, & sophysticum proprie dictum; psegdographus est, qui latius, quam par est, vsurpat principia alicuius scientię, vt incautos decipiat; hic etiam appellatur *paralogismus*, sophysticus, qui etiam dicitur *litigiosus, & tentativus*, est qui ex apparenter probabilibus, etiam servata apparenter forma syllogistica, conclusionem infert.

62. Ad duplex genus omnis fallacia reducitur. Primum est fallacia dictionis. Secundum fallacia extra dictionem. In primo genere sex claudun-tur species, seu modi fallendi, in omnibus exemplar apponamus, vt alia similia vitentur. Primus modus provenit ab ęquivoco, cum eadem vox plura significat, v.g. *Canis latrat; sed stella est canis; ergo stella latrat.* Distinguo maiorem. Canis terrestris, concedo; cęlestis, nego.

63. Secundus provenit ab amphybologia, cum eadem phrasis multa significat v.g. *Quod est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; sed hæc logica est Aristotelis; ergo possidetur ab Aristotele.* Dist. maio. Quod est Aristotelis, vt Domini, concedo; vt inventoris, nego; & sic dist. minor.

64. Tertius est compositionis, cum á sensu composito arguitur ad divisum v.g. *Stantem sedere est impossibile; sed Petrus stat; ergo Petrum sedere est impossibile.* Dist. maior. In sensu composito stationis, concedo, in sensu diviso, nego.

65. Quartus est diuisionis, cum á sensu diuiso arguitur ad compositum, v.g. *homo peccat; sed iustus est homo; ergo iustus peccat.* Dist. maior. Homo peccat in sensu composito gratię, nego; in sensu diuiso; concedo.

66. Quintus provenit ab accentu; cum eadem iuxta varios syllabarum accentus varia significat v. g. Quod *Edis, comedis; sed edis librum; ergo comedis librum.* Dist. maior. Si ly *Edis* sumatur pro eodem, ac *manducas*, cum prima á brevi, concedo; si per eodem, ac si in lucem emitis cum prima e longa, nego.

67. Sexta provenit á conditionum similitudine v.g. *Qui manducat vuas in vite, manducat coacté; sed tu manducas vuas invite; ergo manducas coacté.* Dist. maior. Si ly *in vite* sit adverbium, concedo; Si sit nomen supposita præpositione *In*, nego.

In 2. fallaciæ genere, scilicet extradictionem septem clauduntur species. Prima cum tribuitur subiecto, quod proprium est accidentis; v.g. *Petrus est animal; sed animal est genus; ergo Petrus est genus.* Dist. maior. Petrus est animal, primo inteutionaliter sumptum, concedo; secundo intentionaliter sumptum, nego; & sic distingue minor.

68 Secunda est, quando variatur suppositio; vt *Alexander est Logicus; sed Alexander est Magnus; ergo Alexander est Magnus Logicus.* Dist. maior. ita ut ly *Magnus* cadat supra Alexandrum, concedo; ita vt cadat supra Logicum, nego.

69 Tertia est ab ignorantia sophysmatis, cum scilicet admissa vna propositione contra omnia infertur, v.g. *Per te, Petrus non currit velociter; ergo non currit.* Nego conseq. absolute.

70 Quarta est petition s principij, cum scilicet probatur idem per idem, & eandem conclusionem negatam rursus adducimus in probationem, v. g. Si postquam aliquis negavit, cęlum esse rotundum; probaretur, quia est sphęricum.

71 Quinta consequentis: cum non servata lege ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis v. g. *Si equus est homo est animal; ergo si non est homo, non est animal.* Nego conseq.

72 Sexta, cum non causę, tanquam causæ tribuitur effectus v g. *Qui habet pecuniam habet avaritiam, sed tu habes pecuniam, ergo habes avaritiam.* Nego absolute maior.

73 Septima provenit á simultanea plurium interrogatione, qui vnica responsione satisfieri nequit, v. g. Si aliquis simul rogaret *est ne Petrus homo? Et Ioannes equus?* Si affirmative respondeas, falleris, si negative, devias á veritate. Cum diuisione responde Petrus est homo, & Ioannes non est equus.

74. Duplicem modum evitandi has fallacias assignat Aristoteles. Primum; ad vnã fallaciam aliam pro solutione ex hibendo, non enim ęquivocum grauiori solutione dignum est. Secundum; distinguendo propositiones si fallacia sit in rebus; vel si sit in forma, concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, iuxta regulas formæ syllogisticæ: & Logicę satis.

75 Optimis á vibus incepi, optimis desino. Spiritus Santi Paschate incepi, Natiuitatis Paschate desino. *Ego sum alpha, & omega, initium, & finis,* ait Dominus. Initium, & finis, huius operis *Deus* est. Vidit Iacob in somnis scalam, Angelos ascendentes, & descendentes, Dominum innixum scalæ. Dominum non solum in summo, verum

rum etiam, in infimo scalæ gradu extitisse graves auspicantur interpretes, vt ascensus á *Deo* principium, & in Deo finem acciperet. Per gradus metaphysicos Logicæ á *Deo*, & in *Deum* vos ascendentes conspicio, certe Angelos apellare non erubescam, me & si fatigatum Iacobum somniantem erubescerem compellare, si Iacobi somnium scalę gradus meditationem non audierim interpretari. Pervigil pro vobis extiti, pro me pervigiles extitistis. Vigilátes servos beatos vocat Christus *Beati sunt servi illi*; & quare vigilantes Beati? *Et si venerit in secunda, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit*, quia duplici vigilia vigilantes invenit (liceat dicere) vigilia Spiritus Sancti, qua Summulis finem imposui; vigilia item Nativitatis, qua logicæ finem impono, vos vigilantes, hoc est, studiosos invenit Dominus; Beati ergo eritis.

76. Sed cur Spiritus Sanctus initium, Uerbum Divinum nostræ logicę finis? Mysterio non caret. Nam quod amor incipit Divinus, Sapientia perficit. Finitur in scientia, quod incipitur in charitate. Spiritus ille docuit vos omnem logicæ veritatem, & hucusque ad scientiam perduxit. Sileat ergo sermocinalis scientia, dum sermo Dei insonat in Orbe. Ipse vos erudiet: *Apparuit enim gratia salvatoris nostri erudiens nos*; hoc est, (ait Bernardus) *apparuit ad eruditionem: dum bifrontes Iani toto Orbe in pace composito clauduntur fores, multiformis Logicæ* claudantur portæ. Sit nostræ Logicæ natalis dies ipsa Domini Natalis. Erit die Vigesima Tertia Decembris Anno 1684. Domini.

†
IHS

APPEN.

PRO ALIQVIBVS argumentis pertinentibus ad quæstionem de constitutivo relationis predicamentalis.

OBIj. 1. Tota relatio saluatur sine actu intellectus. Prob. A relatione 1. & 2. generis præscindibilis est conceptus *habitudinis*, seu respectus vnius ad aliud; sed hic respectus saluaretur sine actu intellectus: ergo. Prob. mai. Vtraque relatio conuenit simpliciter in hoc, quod est dicere respectum, seu habitudinem ad aliud; sed a conuenientibus simpliciter pręscindibilis est ratio, in qua conveniunt: vt videre est in animali respectu hominis, & Bruti: ergo. Prob. nunc prima maior. Ratio præscissa non involuit differentiam, á qua præscinditur; alias non esset præscissa; sed ille respectus præscinditur ab actu intellectus, vt ab vna ex differentijs: ergo. Tunc sic: sed tota essentia relationis, iuxta propriam ipsius definitionem saluatur in respectu, seu habitudine ad aliud: ergo tota saluatur sine actu intellectus.

2. Argumentum militat etiā contra omnes illos, qui relationem 1. generis ponunt in coexistentia fundamēti, & termini; & relationem 2. generis, in actione, vel aliquomodo variant in constitutione relationum. Nam ab illis posset præscindi conceptus *habitudinis*, &c. qui pręscinderet, vt á differentijs ab actione, & á coexistentia fundamēti, & termini: ergo in illo conceptu præscisso saluaretur tota essentia relationis sine actione, & c. Resp. Nego primam propositionem: ad eius probationem, nego mai. si loquamur de pręcisione simpliciter. Eodem modo, ac á cane terrestri, & marino, nequit præscindi ratio canis. A vita physica, & intentionali, iuxta Arriaga, & iam communiorem Sententiam ratio vitæ, nec ab instrumento naturali, & obedientiali ratio instrumenti. Nam, sicut hæ entitates ęquivocè tantum conueniunt in ratione canis, in ratione vitę, & causæ instrumentalis; ita relatio 1. & 2. generis in ratione relationis: vox enim est communis. Ratio vero significata, est omnino diuersa in relationibus 1. generis actum comparantem vnum ad aliud. In relationibus 2. generis actionem, sed actio, & actus intellectus sunt conceptus primo diuersi: ergo. Et ideo Aristot. monitum suadens ęquiuoca prius esse diuidenda, postea definienda, sequutus prius diuisi relationem, postea vero vnam quamque definiui. Et hęc est disparitas inter relationem, & animal. Animali enim ex parte obiecti in homine, & bruto eadē prædicata respondent viuens sensibile, namque non ita relationi.

3. Replic. Sed, sicut animali respondet in homine, & bruto viuens sensibile, quin involvat rationale, aut irrationale; ita relationi respondet in relatione 1. & 2. generis, habitudo vnius ad aliud, quin involuat actum intellectus, aut actionem: ergo.

4. Resp. Habitudinem, seu respectum vnius ad aliud, esse puras voces, quæ significant idem, ac relatio; & hoc inquirimus, quid significetur ex parte obiecti, per hanc vocem: *Habitudo seu respectus vnius ad aliud*? De qua Nemo

dubitat, relationem significare; alias satis responderent omnes, dicentes: Relationem consistere in habitudine, seu respectu vnius ad aliud, & nihil amplius inquirerent, sed omnes aliquid amplius inquirunt, & respódét Thomistę, v.g. per hunc respectum significari ex parte obiecti accidens aliquod intrinsecé superadditum: Nostri communiter, significari coexistentiam fundamenti, termini, &c. Ergo signum est, quod ly, *Habitudo, seu respectus vnius ad aliud* est vox, & non conceptus obiectivus correspondens. Exemplo res clarescet. Rogatur; Quid sit causa instrumentalis? Communiter respondetur: Quæ indiget elevatione, ita vt ideo instrumentum naturale, calor v.g. respectu ignis, sit causa instrumentalis, quia indiget elevatione, & instrumentum obedientiale, Angelus, v. g. respectu Formicæ, ideo, quia indiget elevatione. Vlterius inquiritur; in vtroque instrumento est ne vnivoca ratio instrumenti? Communiter respondetur, negative. Nam licet in vtroque eadem elevationis indigentia videatur reperiri; non tamen idem conceptus obiectivus significatus per talem indigentiam, quę tantum est vox, idemque causa instrumentalis significat, cui in Angelo correspondet defectus virtutis connaturalis, & in calore defectus perfectionis: idem evenit in relatione, & habitudine, seu respectu, cui in relatione 1. generis correspondent actus intellectus, & in relatione secunda actio.

5. Objic. 2. Ideo, per nos, non datur relatio 1. generis á parte rei independenter ab operatione intellectus; quia relatio 1. generis dicit rectum, & obliquum, quæ non dantur, nisi per operationem intellectus, & quoadmodum concipiendi: ergo nec dantur concreta accidentalia á parte rei, cum omnia dicant in recto subiectum, & formam in obliquo. Nec materia prima, v.g. erit causa intrinseca compositi á parte rei, cum iuxta ferè omnes ipsa in recto dicens formam in obliquo sit causa; non vero, si tamen ipsa, quam forma, & vnio ponantur in recto. Insuper, ergo nec relatio 2. generis consistet in actione, nec dabitur á parte rei, cum non minus includat rectum, & obliquũ quam relatio 1. generis.

6. Argumentum saltem quoad primam, & secundam consequentiam videtur probare, á parte rei dari recta, & obliqua, quemadmodum á parte rei dantur concreta accidentalia, & causas intrinsecas compositi, quod, quam falsum sit, vel ipsis terminis patet. Quomodo enim á parte rei datur res posita in nominativo, aliovè casu? Sic impugnat Arriaga, Trac. de Trinit. d. 45. s. 3. n. 22. Acutissimum Doctorem asserentem, Principium *Quo* in Divinis consistere in intellectione connotata in obliquo relatione, cuius hęc sunt verba: Noto, quod sæpe dixi, in rebus ipsis non esse obliquum, nec rectum, sed hoc esse tantum ex modo nostro concipiendi, & explicandi vnum in nominativo, alterum in alio casu, re autem ipsa, vtrumque esse partem totius. Sic, licet album dicat in recto subiectum, & in obliquo albedinem, declaratur enim sic *Album est subiectum habens albedinem*: At re ipsa albedo tam est pars illius totius, quam ipsum subiectum. Ex quo contra Vasquium concludit. Vel relatio importata in obliquo est pars principij *Quo*, & iam coincidit in communem sententiam, vel non est pars, sed tantum conditio, & coincidit in sententiam Scoti. Hinc informa

7. Resp. Dist. causalem, quia relatio 1. generis dicit rectum, & obliquũ, tam quoad esse, quam quoad explicari, & cognosci; concedo. Quoad cognosci, & explicari tantum: Nego, & nego primam consequentiam, eiusque implicitam probationem dist. Cum involvant recta,

recta, & obliqua quoad cognosci, & explicari tantum; conc. Quoad esse, & constitui; nego. Communiter dicimus; vt notat Arriaga; concreta accidentalia dicere in recto subiectum, & in obliquo formam: ideoque album dicitur subiectum habens albedinem; sed hoc non est; quia re ipsa ita se habeant; nam re ipsa æque constituitur album ex subiecto, ac ex albedine, & ęquè est pars illius concreti subiectum, quam albedo; sed quia ita explicatur, & concipitur ab hominibus in ordine ad prædicationes; ideo verum est dicere: Album est dulce; hacque doctrina ductus teneo, quod si genus sumatur constitutiuè, & quoad se, æquè prædicabiliter dicit naturam, quam secundam intentionem. Si vero sumatur quoad prędicationes, vti debet sumi in eius definitione, dicit naturam in recto, & secundam intentionem in obliquo. Unde concreta accidentalia dantur á parte rei, quoad esse, & constitui. Et ideo quoad esse, & constitui, non gaudent rectis, & obliquis. Non vero dantur quoad cognosci, & explicari; nã quoad cognosci, & explicari, dicunt recta, & obliqua.

8. Et hæc eadem est solutio secundæ consequentiæ; adhuc admisso, quod dentur causæ intrinsecæ compositi, & quod materia, & forma sint verę causæ intrinsecæ compositi, quod à me negatur. Dico, recta illa, & obliqua solum esse quoad explicari, & cognosci modum, quo materia, & forma causant compositum, quin se ipsas causent; re tamen ipsa ita non esse, sed hoc modo explicandi, significamus materiam, & formam constituere compositum, ratione cuius constitutionis causæ intrinsecę appellantur.

9. Ad 3. consequentiam, & ad implicitam probationem, illam distingue; cũ nõ minus includat rectũ, & obliquum, quã relatio 1. generis. Non minus quoad explicari, & quoad cognosci; concedo: Non minus quoad esse: nego. Sicut concreta accidentalia, solum quoad explicari, & cognosci, dicunt recta, & obliqua: non vero quoad esse, quia á parte rei habent proprium esse, supra quod cadit talis explicatio, & cognitio. Ita relatio 2. generis solum quoad cognosci, & explicari dicit rectum, & obliquum. Nam á parte rei habet supra quod cadat explicatio; supra actionem nempe, in qua consistit relatio, & de qua verificatur illa explicatio, esse scilicet respectum vnius in recto ad aliud in obliquo; sicut de entitate parietis, et albedine verificatur, esse album, seu subiectum habens albedinem. Attamen relatio 1. generis consistit in ipsomet cognosci, seu explicari, dicente vnum in recto, et aliud in obliquo; cum non habeat á parte rei, supra quod cadat talis explicatio; nec enim cadere potest supra fundamentum, de quo nequit verificari, quod sit respectus vnius in recto, ad aliud in obliquo, neque de termino, neque de ratione fundandi ob eamdem rationem, neque de complexo; nam complexum non refertur ad se; et si recurras ad recta, et obliqua, iam incidis in meam impugnationem: ergo tota relatio primi generis in actu referente, et dicente rectum, et obliquum quoad esse consistit; non vero relatio 2. generis.

10. Replic. Ergo non omnis relatio, dicit rectum, et obliquum. Resp. Dist. Consequens: quoad esse; conc. Quoad explicari, & cognosci; nego. Relatio 1. generis, dicit rectum, & obliquum tam quoad esse, quam quoad explicari. Relatio vero 2. generis, solum quoad explicari hoc dicit, cum fundamento tamen in re tali, explicationi correspondente. Actio namque re ipsa physicè, nec dicit fundamentum in recto, nec terminũ in obliquo: nec ideo denotat fundamentum Pa-

Patrem, & terminum Filium; quia illud dicit in recto, & hūc in obliquo; sed quia egreditur ab illo vt a principio, & recipitur in hoc vt in termino, & actio generatiua viuentium fundamentum à *Quo* egreditur, denominat Patrem, & terminum, ad *Quem* terminatur Filium.

11 Obj. 3. Per nos á parte rei datur simile formaliter; ergo & relatum prędicamentale formaliter. Prob. conseq. Simile formaliter est relatum propriè, & formaliter; sed per nos â parte rei datur simile formaliter: ergo Prob. mai. effectus formaliter est relatus transendentaliter ad causam: ergo, & simile formaliter relatus, formaliter ad consimile. Prob. consequentia: Ideo effectus est relatus transcendentaliter ad causam; quia reddita impossibili causa, redderetur impossibilis effectus, & quia effectus nequit concipi nec definiri nisi in ordine ad causam; sed si redderetur impossibile consimile, simile redderetur impossibile, & simile neque concipi, neque definiri potest, nisi in ordine ad consimille; ergo.

12 Resp. Conc. antec. & nego consequentiam Ad probationem, nego mai. ad prob. conc. antec, & nego conseq. ad prob. dist, mai: quoad primam partem (de secunda vero, postea) Quia, reddita impossibili causa, redderetur impossibilis effectus, mediatè; concedo, immediatè, nego: minorem etiam ita dist. reddito impossibili consimili, redderetur impossibile simile: immediatè; conc. mediatè; nego. Dupliciter potest aliquid reddi impossibile, red dito impossibili alio, vel medatè, vel immediaté. Tunc redditur mediatè tātum impossibile, quando illud aliud non est constitutivum, sed terminus, alicuius tamen prædicati constitutivi, quod per consequentiam, reddito alio impossibili, ipsum etiam impossibile redditur, v. g, si redderetur impossibilis intellectio, intellectus redderetur impossibilis, non immediatè; quia intellectio non est constitutiua intellectus; redderetur tamen mediatè impossibilis; quia est terminus virtutis intellectiuæ, quæ virtus est constitutiua intellectus, & redderetur impossibilis, reddita impossibili intellectione. Tunc redditur aliquid immediate impossibile, ratione alterius, quando hoc elterum est constitutivum illius, v. g, reddito impossibili rationali, redderetur homo immediatè impossibilis; quia rationale est hominis constitutivum. Hac certissima distinctione supposita. Dico, ex eo quod aliquid reddatur impossibile primo modo, mediatè, scilicet, alio reddito impossibili, infertur, dicere relationem ad aliud; cum autem effectus mediatè tantum redderetur impossibilis, reddita impossibili causa; eo scilicet, quia reddita impossibili causa, redderetur impossibilis producibilitas, quæ est effectus constitutiua. Inde est, quod effectus transcendentaliter referatur ad causam.

13 At vero, ex eo quod aliquid reddatur impossibile secundo modo, immediatè nempe, non debet inferri, vnum referri ad aliud; sed vnum constitui per aliud. Sic homo non refertur ad rationale, sed constituitur ex rationali. Tunc sic: sed simile vt tale constituitur per consimile; & consequenter, reddito impossibili consimili, simile redderetur impossibile, non mediatè, sed immediatè; ergo simile formaliter nec est relatum formaliter, nec dicit relationem ad consimile. Minor subsumpta in codice satis probata manet. Simile namque formaliter, nil aliud est, quam duplex entitas habens eamdem qualitatem, iuxta Aristotelis definitionem, v. g, Petrum esse similem Ioanni in esse albi, nil aliud est, nisi vtrumque habre albedinem, sicut Petrum esse coexistentem Ioanni, nil aliud, quam vtrumque existere simul.

14 Vlterius hoc declaratur exēpl binarij. Sicut ablato Petro aufertur binarium homindm, quod resultabat ex ipso Petro, & Paulo, non ex defectu alicuius termini, ad quem binarium referatur; nam binarium ad aliud non refertur, sed ex defectu alicuius constitutiui. Ita, ablato consimili, non manet simile; non ex defectu termini, nam simile, licet sonet relationem, re ipsa relevativum non est, nec ad aliud refertur, sed ex defectu alicuius constitutiui. Nam sicut binarium hominum nil aliud est, quam duplex homo: ita simile, nil aliud est, quam duplex entitas habens eamdem qualitatem.

15 Replic. tamen: de Petro non prædicatur esse binarium, nec de materia, esse hominem; quia Petrus est tantum partiale constitutivum binarij; & materia hominis; & totum de parte prædicari nequit, sed de Petro prędicatur vere esse similem: ergo simile ex Petro, & Paulo non constituitur, nec est tantum partiale constitutivum illius.

16. Resp. Dist. mai. De Petro non prædicatur esse binarium, nec de materia esse hominem, quia sunt partialia constitutiva, & c. præscisse; nego, & quia alias tales propositiones, nullum haberent sensum congruum, & verum; conc. Si tamen vlterius dicas, ideo nō habere sensum congruum, & verum, quia sunt partialia constitutiva, & totum nequit congruè prædicari de partibus, nego; sed quia iuxta communem intelligentiam non datur propositio verè, & congruè illis æquivalens, per quam explicetur. At vero hæc datur, dum de Petro dicitur, esse similem Ioanni. Nam idem est dicere: Petrus est similis Ioanni in esse albi. Ac Petrus, & Ioannes sunt albi, vel Petrus habet albedinem, qualem Ioannes habet. Quę quidem propositiones exponentes congruum, & verissimum sensum habent, quin nostræ doctrinæ opponantur.

17. Nunc ad secundam partem causalis ita se habentis: Inde inferimus, effectum referri transcendentaliter ad causam, quia nec definiri, nec concipi potest, nisi in ordine ad causam, sed simile nec definiri, nec concipi potest, nisi in ordine ad consimile: ergo. Resp. dist. mai. Quia, nec concipi, nec definiri potest, nisi in ordine ad causam, vt ad terminum extrinsecum; concedo, vt ad partiale constitutivum, nego, & dist. min. Sed simile nequit concipi, nec definiri nisi in ordine ad consimile, vt ad terminum extrinsecum; nego: vt ad partiale constitutivum; concedo: Sicut homo nequit definiri, nec concipi, nisi in ordine ad rationale, quod non est terminus extrinsecus, sed hominis constitutivum. Si tamen vis conc. mai. & neg. min. Aliud enim est, vnum non posse concipi, nec definiri sine alio, quod denotat constitutionem, & ita se habet simile respectu consimilis, & aliud, vnum non posse definiri, nec cōcipi, nisi in ordine ad aliud, quod denotat, ly aliud se habere vt terminus extrinsecus: & ita se habet effectus respectu causæ, non tamen simile respectu consimilis. Sic homo non dicitur definiri in ordine ad rationale, sed per rationale. Dicitur tamen definiri in ordine ad sensationes, & ratiocinationes, à quibus distinguitur, quasque respicit vt terminum extrinsecum.

18. Obj. 4. Ideo per nos sine actu intellectus nequit dari relatio, quia neque fundamentum, neque terminus, neque ratio fundandi participant conceptum respectiui, potiusque sunt entitates absolutę; sed licet nulla ex partibus sit respectiva, potest totum esse respectivum. Ergo. Prob. min. Ideo ex partibus ab-

abſolutis,totum reſpectivum reſultare non poſſet,quia reſpectivum,& abſolutum opponuntur, ſed etiam ſi opponantur, poteſt reſultare: ergo. Prob. min.duplici exemplo: primo. Multo magis opponitur bonum & malum, quam abſolutum, & reſpectivum. Secundo,item multo magis opponitur nō repugnans exiſtere,& repugnans exiſtere,quam abſolutum, & reſpectivum, ſed ex rebus moraliter bonis, adminus non malis,poteſt reſultare totum malum;vt videre eſt in eſu carnis die veneris,quod eſt totum malum moraliter,& reſultat ex prohibitione, libertate,& concurſu Dei,quæ ſunt partes bonæ. Item ex partibus realibus, per nos, & non repugnantibus exiſtere, reſultat ens rationis,& repugnans exiſtere: ergo ex partibus abſolutis poterit totum reſpectivum reſultare.

19. Hoc argumentum ex veriſsima doctrina falſiſsimam infert conſequentiam, & ex ea eodem modo quodcumque delirium probari poteſt, v.g.Poteſt aliquis probare ex humanitate, & Perſonalitate creata reſultare ſuppoſitum Divinum,ſicut reſultat ex humanitate,& Perſonalitate Divina,hoc modo. Ideo ex humanitate, & Perſonalitate creata non reſultaret ſuppoſitum Divinum;quia nulla pars conſtitutiva talis ſuppoſiti eſt Diuina,nec humanitas, nec Perſonalitas(aliter in Chriſto, cuius Perſonalitas eſt Divina) & repugnat ex partibus vndequaque creatis totum Divinum reſultare; ſed non repugnat:ergo. Prob.min. Multo magis opponuntur bonum,& malum, repugnans,et non repugnans, quam humanum,et Divinum;ſed ex partibus vndequaque bonis,& non repugnantibus, reſultat totum malum, et repugnans: ergo.Videas tuum argumentum.

20. Reſp.tamen,conc. mai.et nego min. Ad probationem item conc.mai. et nego min. Ad huius probationem, diſt.mai.Multo magis opponuntur bonum,et malum,repugnans, et non repugnans,quam abſolutum,et reſpectivum;quoad alia;conc. quoad hoc; nego. Nam,licet bonum,et malum opponantur contrariè,et repugnans, et non repugnans contradictoriè, et abſolutum, et reſpectivum nec contrariè,nec contradictoriè opponantur, attamen quoad hoc,nempe vt ex eis reſultet totum,cui communicentur denominationes diſtinctę á denominationibus partium, multo magis opponuntur abſolutum,et reſpectivum, quam bonum, et malum;repugnans, et nō repugnans. Ratio eſt;quia vt probat argumentum, ex partibus bonis, poteſt reſultare totum malum, et ex partibus non repugnantibus,totum repugnans. At vero ex partibus abſolutis, totum reſpectivum reſultare nequit. Patet evidenter: Si totum, quod reſultaret ex fundamento, termino, et ratione fundandi eſſet reſpectivum,diceretque habitudinem;vel diceret habitudinem ad aliud; et hoc non, alias iam non ſe haberet t vtotum, ſed vt pars, & fundamentum ad aliam relatioaem:vel diceret habitudinem ad ſe; & hoc minus: alias á ſe ipſo diſtingueretur. Nil enim ad ſe ipſum refertur: vel totum reſultans æquè ex fundamento, termino, & ratione fundandi, vt exerceat munus relationis, diceret fundamentum in recto, & terminum in obliquo: & hoc (præterquam quod eſt chymerieum, nec percipio quomodo ſe habeat) iam eſt recurrere ad recta, & obliqua, quæ ſolum dantur penes varias intellectus conſiderationes, ac proinde in noſtram incidere ſententiam.

21 Ex quo manifeſta apparet diſparitas, & probatio noſtrę concluſionis clareſcit. Toti namque reſultanti ex partibus bonis, nempe comeſtioni carnis die veneris, competit definitio entis

entis mali moraliter, eſſe ſcilicet quid factum contra legem Dei, vel diſſonum dictamini rationis. Toti etiam reſultanti ex entibus non repugnantibus, homine nempe, equo, & cognitione fingente competit etiam definitio entis repugnantis eſſe, ſcilicet repugnans exiſtere á parte rei: At vero tóti reſultanti ex partibus abſolutis,nō competit definitio relationis, vt iam probauimus, neque ratione partium, neque ratione totius: ergo recurrendum eſt ad intellectum pro relatione quęrenda, cum non detur â parte rei, & hoc ſolum ſibi vult noſtra probatio.

22. Nota primo, argumentum ſolum probare, dari totum heterogeneum; cui conueniant denominationes partibus non conuenientes. Sic compoſito convenit denominatio *totius*, quæ partibus ſeorſim ſumptis non conuenit, immo & contrarię denominationibus toti conuenientibus; vt patet in ipſis nobis obiectis. Sic homini, equo, & cognitioni ſeorſim convenit eſſe entia realia, & toti,ex eis reſultanti competit eſſe ens rationis. Hæc extra dubium eſt. Aſt hæc denominatio *reſpectui* non eſt huius conditionis. Debet enim exerceri inter partes, nempe fundamentum, & terminum. Totum enim ad quem terminum reſpectivum diceretur? Nec ad ſe, nec ad aliud; vt iam manet probatum. Ergo. Nota ſecundo, argumentum nec contra concluſionem, nec contra rationem probandi facere. Non contra conclnſionem; vt ex ſe patet; non contra rationem probandi; quia ratio probandi non eſt vniverſalis,ita: Nequit competere toti vlla denominatio, quæ partibus ſeorſim ſumptis non competat.Nec ita:Nequeunt toti competere denominationes oppſitæ eis, quæ partibus conueniunt. Contra quas ſolum fæcit argumentum, ſed ita particulariter, & quaſi á paritate: Non minus repugnat ex duobus phyſicè abſolutis, fieri vnū reſpectivum, quam ex duobus albis fieri vnum nigrum. Non enim minus diſtant reſpectivum, & abſolutum, quam album, & nigrum.

23. Si tamen vis á prima propoſitione in nihilum redigere argumentum.Diſt. mai. Ideo ſine actu intellectus nequit dari relatio; quia neque fundamentum,neque terminus; neque ratio fundandi participant conceptus reſpectivi,præciſsè; nego; et quia, nec toti reſultanti poteſt talis conceptus adaptari; conc. Si tamen inſtetur ita. Ideo toti reſultanti nequit talis conceptus adaptari, quia partes omnes ſunt abſolutæ; nego cauſalem. Sed quia toti definitio reſpectus adaptari, & convenire nequit; vt patet ex dictis.

24. Rogo 1. Quid dicendum de denominatione *Prælati*, ſeu plus *dilecti*; quę datur in Beata Uirgine, v. g. prę Divo Petro vi amoris Dei? Dico, eſſe relationem prædicamentalem 3. generis,quæ conſiſtit in illo amore voluntatis *Divinę*, cui convenit relationis definitio. Nam eo ipſo, quod ſit pręlatio Virginis ad Divum Petrum,eſt habitudo vnius ad aliud.

25 Rogo. 2. Quid de denominationibus *Domini*, *& ſerni*; *ſuperioris*, *& inferioris*; Regis, *& Baſſalli*, *mariti*, *& Vxoris*; & de alijs huiuſcemodi? Dico; has eſſe denominationes formaliter relativas pertinentes ad ſecundum genus, idcoque conſiſtentes inactione vel quaſi actione morali. Prima inter ſeruum, & *D*ominum conſiſtit in *Dominio*.ſecunda inter ſuperiotem, & inferiorem; & 3. inter Regem, & Baſſallum,conſiſtunt in voluntaria traditione inferioris ad ſuperiorem, & Baſſalorum erga Regem.Quarta inter Maritum, & Vxorem in mutua vtriuſque traditione.

26 Rogo. 3. Quid de denominatio-

tione *vniti* physice, & moraliter? Dico, pertinere etiam ad secundum genus, & esse relatiuas formaliter. Relatio vniti physicè, consistit in ipsa vnione physica, quæ est quasi actio, ad minus causalitas, qua partes vnitæ causant totum ex eis resultans. Relatio vniti moraliter, si sit per amorem, est idem, ac relatio amantis, & amati; et consistit in ipso amore, videtur que ad tertium genus relationis pertinere. Relatio *Amati*, consistit in mutuo amore, seu amatione, et redamatione Nec ex hoc infertur, dari duplicem relationem, licet componatur ex duplici amore; quia vnius tantum mutuus amor est. Vnde vinca relatio resultans partialiter ex duplici amore.

27. Rogo 4. Quid de denominationibus *prioris*, *& posterioris* tempore, *antiquioris, & iunioris: Prioris, & Posterioris* dignitate, *Dextri*, *& sinistri coexistentis*, &c? Dico. Has non esse denominationes relatiuas secundum esse, & formaliter; sed solum secundum dici, & explicari, & ad summum fundamentaliter, sicut denominationes *similis*, *Æqualis*, *Maioris*, & c. Nam hęc denominatio *Prior tempore alio* constituitur ex entitate priori, ex tempore antecedenti, & consequenti; sed hęc sunt entitates absolutę, quin reperiatur aliqua, quæ possit exercere munus habitudinis, seu respectus; ego. Idem dico de Priori dignitate includente ipsas dignitates, quæ non sunt respectus. *Dextrum* similiter, & sinistrum constituuntur ex duplici entitate, & duplici vbicatione ita, vel ita collocata; Coexistens ex duplici existentia simultanea, sed in his omnibus nil respectiuum reperitur; ergo.

†

INDEX

TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET SVBSECTIONVM QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

Sub-

TRAC-

FINIS.

Litt.

CVRSVS PHILOSOPHICVS DICTATVS,

LIMÆ A P. IOSEPHO DE AGVILAR Societatis IESV, tunc liberalium Artium Professore, dein in Platensi Academia Primario, nunc in Maximo D. Pauli Collegio Vespertino Moderatore, Platensis Archiepiscopatus Examinatore Synodali, nec non Sanctæ Inquisitiones Qualificatore.

TOMVS PRIMVS

QVEM DICAVIT O. S.

ILLVSTRISSIMO DOMINO DOCTORI

D. EMMANVELI FERDINANDO DE SANCTA-CRVZ,

EPISCOPO ANGELO-POLITANO,

Regiæ Maiestatis Consiliario, &c.

Adhuc viventi.

Hispali. Ex Offic. IOANNIS FRANCISCI DE BLAS, eiusdem Civit. Typ. Mai.

74.&n.1752.& cap.9. refert.n.747.&
p.11.refert.n.700.& cap.12. ref.n.700.
cap.14. ref. n.708. & n.747.& cap.15.
f. n.1334.& cap.16. ref. n.743.& num.
34.& cap.17 refert.n.1743.& n.1752.
cap.20. ref. n.433.& n.485.& n.1385.
n.1385.& 1462. & cap.21. ref.num.
27. & n.1472 & cap 22. ref. n.1447.&
:.num.433.
o Arbitrio, cap.1
ef.n.17. & n.20.
7.& n.811.& cap.
f.n.811.& n.1500.
ap.7. ref.n.342.&
11. ref.n.1153.&
que ad n.1385.&
.15. n.807.&
n.369 & n.74.&
75.& n.617.& n.744 & cap.18. refert.
09.& cap.19. ref. n.142. & cap.20.
807.& cap.21. ref.n. 4.& cap.23.
n.1413. & cap. 5. refert.num.28.
e Correptione,& Gratia, cap.1. re-
09.& cap.2. ref.n.277.& n.329.&
& n.453.& n.1153.& cap.3.refert.
& n.1326.& cap.4. refert.n.659.&
5.& cap.5. refert.n.496.& n.659.&
& n.1326. & cap.6.refert.n.715.&
refert.n.463. & n.663. & n.797.&
n.1538.& n.1640.& cap.8.ref.
n.664.& n.700.& n.831.& n.956.& num.
1734.& n.1757.& cap.10. refer.n.645.&
cap.11. refert.n.223.& n.248.& n.250.&
n.435.& n.482.& n.49 .& n.617.& n.645.
& n.708.& n.798.& n.828. & n.103 &
n.1078. & n.1153.& n.1253.& n.1288.
& num.1356.cap.11.& 12. exponuntur à
n.419. vſque ad n.430.& à n.1189. vſque
ad n.1219.cap.12. ref.n.223.& n.224.&
num.278. & n.477.& n.482. & n.608.&
n.617. & n.957. & n.1035. & n.1078. &
n.1142.& n.1286.& n.1288.& n.1307.&
n.1356.& cap.14.refer.n.207.& n.605.&
num.626. & n.631. & n.919. & n.983. &
n.986.& n.1423.& n.1678.& cap.15.re-

in princip. refert.n.104. & n.105.& n.13.
cap.2.refert.n.32.& n.35.& n.36.& n.95.
& n.225.& n.249.& n.253.& n.772.
In libro de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium, reſp.16. refertur num.1339.
In libro de Geſtis Pelagij, cap.1.ref.n.487.& n.1420. & cap.3. ref.n.329. & n.1092.& n.1118.& n.1146.& n.1151. & n.1152.
... f.n.515.& cap.18.refert.num.
... & n.917.& n.1184.
... Creſconium, lib.1.cap.1. re-
... n.1599.
In Pſalmos: in ſeptimum refertur in n.729. & n.1340. In Pſal.54.ref.n.1598. In Pſal.61. ref.n.744. In Pſal.91.refer.n.1340.In Pſal. 102.refer.n.534. In Pſal.118. concione 4. refert.n.12 . concion.5.ref.n.1204.concion.10.ref.n.1267. concion.1 ref.num. 1267.concion.17.ref.n.1294.In Pſal.120. refert. n.500. In Pſal.144. refert.n.27.
In S.Ioannem, tract.1. circa medium, refert. num.222. Tract.4.col.4. ref.n.759.Tract. 26. refert.n.718. & n.1159.& n.1164. & n.1273.Tract.53.refert.num.27.& n.185; & n.443.& n.1063. Tract.72.ref.n.380.
In libris Meditationum, lib.2. cap.14. refert. num.342.
In Homilijs, Homilia 12. refert.n.1340. Homilia 29. ref.n.1228. Hom.53.ref.n.772.
In Sermonibus de Tempore, Sermon.88. refert. num.696. & n.1453. Sermon. 119. refert.n.147. Serm.124. refert.n.1296.
In Sermonibus de Verbis Domini, Serm.14. refert. n.1216. Serm.15.refert. num.749. Serm.27.refert.341. Serm.43.refert.num. 1113.& num.1151.& num.1152.
In Sermonibus de verbis Apoſtoli, Serm.2. cap.10. refert. n.548. & n.606.& cap.14. n.700.& Serm.3.ref.n.1118.& n.1119.& n.1120.& n.1297.& Serm.11. ref.n.266. & n.267.& n.1267.& Serm.12.ref.n.386. & Serm.13. ref.n.384.& n.443.& n.769. & n.1123. & n.1146. & n.1153. & num. 1273.& n. 1295.& n.1420. Serm. 14.ref. n.1364. Serm.20. refert. num.739.

Litt.

CVRSVS PHILOSOPHICVS DICTATVS,

LIMÆ A P. IOSEPHO DE AGVILAR Societatis IESV, tunc liberalium Artium Profeſſore, dein in Platenſi Academia Primario, nunc in Maximo D.Pauli Collegio Veſpertino Moderatore, Platenſis Archiepiſcopatus Examinatore Synodali, nec non Sanctæ Inquiſitiones Qualificatore.

TOMVS PRIMVS

QVEM DICAVIT O. S.

ILLVSTRISSIMO DOMINO DOCTORI
D. EMMANVELI FERDINANDO DE SANCTA-CRVZ,
EPISCOPO ANGELO-POLITANO, Regiæ Maieſtatis Conſiliario, &c.
Adhuc viventi.

Hiſpali. Ex Offic. IOANNIS FRANCISCI DE BLAS, eiuſdem Civit. Typ. Mai.

ILLVSTRISSIMO
A C
REVERENDISSIMO
DOMINO DOCTORI
D. EMMANVELI
FERDINANDO DE
SANCTA-CRVZ,
EPISCOPO ANGELO-POLITANO,
Catholicæ Maiestatis Consi-
liario.

CVM *Logica Caligo* sit, & sciẽtiæ, (quæ lumẽn est in deficiens) obscuritas inimica, ad quem se pro luce emẽdicãda, Logica nostra recipiet nisi ad luminum Primipilum, Sapientiæ iuratum Numen qui vsque adeo eleemosynas deperit, quod, quia emendicanti, lucem affatim caligini conferet, & offundet, cuius fulgore occiduæ Plagæ tenebras nesciunt, dum sparsa luce, meliori coma, sedulo recreantur *Aram Domino Iacob in itinere consecravit*, (Ita eloqueris Illustrissime Princeps, vt à Te verba, accipiam, & munimen) *tulit lapidem, quem supposuerat* *capiti suo, & erexit in titulum* Aræ Patronus Tutelaris est factus, sed illico

Sanctæ Cruz in c. 6. Lev. n. 22.

obligationem, qua tenebatur cognovit, oleum super lapidem abundanter tulit. Oleum super lapidem fundens, munus Patroni obijt, & adimplevit Iacob ille Scholiaster: *Qui habitabat in Tabernaculis*: seu in Scholis. Quare oleum? Vt tenebras quibus nocte circumfusus, capiti supponebatur, abigeret, tantique iubaris patrocinio suffultus luceret ipse, factus certè lapis adiutorij, dum illo feliceter fungeretur.

Gen. 25. v. 27.

Lapidem hunc Illustrissimè Domine, difficultatum duritie compactum, rudi manu scalptum capiti tuo suppono. Logicam, seu caliginem hanc, tuis pedibus sterno. Nec novum: nam *Caligo sub pedibus eius*, quasi fastigiatum Supremi Numinis solium. Oleum funde, vt lucem securè foveat. Fauorem explica, vt eo perculsus nycticorax Zoilus absistat. Munimen præfer, quo quasi in procinctu radijs catafracta in publicam arenam exiliat, tuisque perenniter auspicijs præmunita, Nomini tuo litetur.

Ps. 17 v. 10

Licet Nobilitas vera sit, atque vnica virtus Te id ipsum eruditè attestante: *Veram nobilitatem non originem ducere, à stirpis sanguine, sed ab heroicis actionibus censuere prudentes.* De Lysandro, inquit Plutarchus, *quod Græcia principatum non generis nobilitate, sed virtute comparaverat.* Sic Seneca de Mario septies Consule. *Inter tot Consulatus Marius, nil clarius, quam se authorem.* Faventibus tamen fatis, primaria fumosaque inter Hispanos nobilitate frueris, vt cognomen ipsum præsefert, nec sanguis Te magnũ redderet, si opera Te maximum non facerent, nam illum ab alijs accepisti, hæc à te. Sanguis in Hispaniæ aurifodinis retroactis temporibus coalitus, è purioribus Moiorum venis, ad tuas vsque protractus Salmãticæ Te inter maioris Collegij Conchensis Alumnos, vbi nil, nisi *aurum purgatum septuplum*, cooptavit.

in cap. 26. Lev. 12. 18

Quoties amomi flosculus, aut messis Casia (pulchre Ennodius) *per deprædationem lascivi pollicis radice viduantur, & ad dotem manuum humanarum, nobile germen adiungitur, meritum cæspitis odore significat, & natura genium, prima visione testatur. Occultari se non patitur fœtura sublimis, decus clari sanguinis non tenetur absconditio.* Ibi iam Collegij Maioris Maior inter Collegas, ita Sapientiæ Candidatus, Te totum litterarum studio medullitus addixisti, vt brevi, omnigena Sapientia, & eruditione apprimè imbutus, veluti inter viburna Cupressus emineres; auspicantibus iam inde cunctis ex laudum segete, dignitatum fructus in dies nascituros.

Ennod. in vita Epiph.

Qua Ætate periculorum grauida, haud Te cupiditatum lenocinijs, voluptatumve illecebris, quibus delicata iuventus deliniri solet, mulceri passus, nec ambitionis vento intumuisti ad naufregium, nec in delitiarum mollitudinem virtutis exitium prolapsus es; sed obstetricè Religione, tales scientiarum, modestiæ, prudentiæ, omniumque virtutum fructus edidisti, vt in te decus, in alijs admirationem pariant. Hos genitos adolescentiæ fructus, non luxuriantis ad vitiorum copiam, sed se se vegeta virtute ad gloriæ messem effundentis, quibus inconditam plerumque iuventam, stipendijs senectutis ornabas demiratus, dicerem cum Bernardo: *Senem induit cũ adolescens esset, relinquens quod erat, assumens quod non erat.* Et cum Ennodio: *Cana consilia in annis puerilibus meditatur.* Te cumque ipso concluderem: *Cani non tam oculis corporis, sed iudicio agnoscuntur rationis.*

Apud ipsũ S. Cruz. In c. 8. N. 3.

Cum

Cum igitur, Salmantica ipsa buccinante, Tuæ mirabilis Sapientiæ fama percrebesceret, Hispaniæ Cathedrales omnes, Te inter suos Canonicos pro coronidè adoptandum gestiebant; sed Segoviensis evicit, in qua omnium suffragijs in Canonicum Magistralem inauguraris, Sed cum (vt Tu scribis) *Nullus, nisi labore comparet gloriam; Ipsomet Xpto triplici tentatione, seu examine sibi gloriam præfigente;* Vtrumque examen pro vtroque suggestu; ita mirabiliter egisti, vt maior fieret encomiorum seges, quam mercedis emolumentum. Maiora canamus, *Sed quale erit eloquentiæ flumen, quod, non dicam, per cæteras tuas laudes excurrat, sed quod aliquam illorum pertingere queat?* Quid afferre possum, aut ornatùs ad eloquentiam, aut vbertatis ad copiam, aut ponderis ad rerum momenta, aut grauitatis ad dignitatem, quin multo maiora optimi Principis, & laudes poscant, & materiæ amplitudo mereatur. In Te vno spes omnes reponam, vt à quo materiam laudis pro debito, laudes ipsas pro solutione recipiam, ita, licet non lineamentis aut penicillo, ipsius tamen coloribus aliquantula dignitate ipse depingetur Apelles.

In vita Epiph. ibi.

Num. 33. n. 1.

Ennod. in vit. Epiph.

Cum nihil præclarius homini putares fore, quam in meditatione legis Diuinæ, scientiæque Sacræ, vitæ transigere curriculum; post Scholastica studia Theologiæ, quo occulto quodam impetu ferebaris, toto pectore in Sacra Scriptura vigilijs Te incumbendum decreuisti. Incubuisti, & radio Solis pro calamo primum Antilogiarum Genesis & Exodi, volumen luci, dein secundum Levitici, Numerorum, & Deutoronomij admirationi donasti. In quibus nescio an linguarum peritiam, eruditionis profunditatem, intelligentiæ acumen, antiquitatum notitiam, eloquentiæ raritatem; disponendi solertiam, dicendi grauitatem, arguendi vim, persuadendi energiam, conuicendi efficaciam, prius mirer; an discursuum soliditatem, conceptuum viuacitatem, varietatem rerum: fluit stylus sententiose facilis, ethicè politicus graphicè severus. Orationes numeris absolutæ, erotundatæ, grato læporis pipere sparsæ.

Sanct. Cruz in t p. dedicatoria ad Cand. Aragon,

Sensum litteralem exponis copiosa & diuite breuitate, aurea, & docta felicitate, nec parcè, nec prodigè. Vbi explicas, lucem præfers; vbi interpretaris, veritatem infers; vbi arguis, victoriam reportas; vbi irasceris, terrorem incutis; vbi componis, discordiam sedas; vbi instruis, mentem illustras; vbi respondes, argumenta ruunt. Nullus est paragraphus, qui integram non spiret bibliotecam; nil est grande, ponderosum, reconditum, nil copiosum, eruditum, nil floridum, hilare, & fæcundum, nil retroactis sæculis excogitatum, quod ad hos Commentarios pulchre ornandos non advoces.

Quot in tuis libris capita, tot genij & ingenij mirabilis ostenta, quot paginæ, tot eruditissimæ mentis signa, quot clausulæ, tot sententiæ, quot verba, tot vniones, quot apices, tot apicibus documenta plena; Nil non ad Cleantis lucernam evigilatum, nil non ad amussim compositum; Hic, hic, Concionator suadæ nectar hauries, hic discursus plenos, digestosque comperies hic mentem acue, hos libros comede, hiantique ore devora, & pro omni euentu repleberis. Vis ad pænitentiam inducere? Sancta Crucium aperi, & in primo paragrapho; quod instrumenta peccati debet homo convertere in pænitentiæ instrumenta mirabiliter scriptum inuenies. Vis

In Lev. c. 1. num. 1.

scandala

ſcandala tollere: Lege ſecundum, & ibi, ſcandala Dèum maxime offende-
In c.2. Lev. re, crudite per tractatum hauries; vis in prauos mores invehi? paginam
num.1. verte, & adulationem compeſces. Vis virtutum penetralia ingredi? co-
Ibi.n.8. pioſe de amore inimicorum agit. Vis in Dei amorem, Auditorum animos
Ibi.n.16. impellere? Ibi Cor Deo offerendnm pro gratiſsimo Sacrificio reperies.
In c.3. Lev. Apud Principes audiris? pro Principibus pulchre & afabre, doctrinam
num.1. præbet. Politicas quæris? ibi regendis populis documenta. Terrorem in-
in c.4. à n.1 cutis? ibi mortis memoriam, Iudicij diem, inferni tormenta, ob oculos ex-
Ib, n.27. primit. Tentationes vitandas cupis? tentationes mirabili efficacia abigit.
Ibi.n.36. Denique quidquid agis, hic actum, quidquid cogitas, hic præcogitatum,
quidquid quæris, hic inuentum, quidquid ambigis, hic obvium, facile, acu-
tum, auctoratum, diſpoſitum inuenies. Reliquis libris valedic. Hunc vni-
cum, evolue, huic te totum trade, hunc lege, huic ſtude, hunc ad manum
habe, hunc ſemper apertum teneas, & pro integra biblioteca vnus ipſe
ſat erit.

Fateor equidem, Illuſtriſsime Princeps, omni lenocinio ſepoſito,
cui merito iraſceris, ſecundum Pentateuchi volumen, dum primo ad has
In c.2. Lev. oras peruenit, mihi ſorte, inter alios libros è nunddinis allatum, in quem
§.3. cum incidi, & tuo nomine ſubſcriptum vidi, veneratione ſuſcepi, legere
incipio, miror; paginas voluo, ibi perlego, amplius ibi miror; & de theſau-
ro invento gratulatus, non recondo, ſed amicos, & vicinos convocans,
plauſus repeto. Legunt omnes (Doctoribus quibus maxime præſtat Li-
manum hoc D. Pauli Collegium) mutuor, vnoque ore, celebritate donant,
talique pretio cæpit haberi, vt quinquaginta Carolei, vulgo, *Patacones*, non
Sap.n.9. ſemel mihi pro eo appendantur: Quos deſpexi: *Quoniam omne aurum in*
v.10, *comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in*
v.11. *conſpectu illius. Nam huius aurei voluminis doctrinam. Propoſui pro luce habere*
v.21. *illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius; venerunt autem omnia bona pariter.*
v.13. *cum illa. Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta Sapientia, quam*
1.14. *ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.*
Infinitus enim theſaurus eſt hominibus. De tertio Antilogiarum volumine ty-
pis excuſſo, laureatæ epiſtolæ recenter nobis allatæ ſunt, ſed cum non
dum ad manus noſtras preuenerit, æquali deſiderio, habendum ſpectamus,
gaudio, quo habitum poſsidemus.

Hæc maximo Orbis Chriſtiani profectui meditabaris, dum Supre-
mus Monarcha, ex Indiarum Senatus conſulto Tibi iam Chiapenſis Ec-
cleſiæ Infulas meditabatur. Et cum iudicares: ambientem Epiſcopatum,
eo ipſo illius fieri indignum; ideoque Ioannem Chriſti ocellum, in Ponti-
ficem non fuiſſe adlectum, quia primam ſedem, & petijt, & ambijt. Digni-
tas Tibi nec in mentem venit, dum meritiſsime venit in caput. A Te pro
Plin. in Pa- Te verba iunioris Plinij recipio. *Eras Imperator, ſed eſſe Te neſciebas; vt vero*
neg. *ad Te fortuna tua nuntius venit, nolebas quidem hoc eſſe quod fuerat, ſed non erat li-*
Trajani. *berum. Alij conſulatum antequam acciperent, Tu, & dum accipis, meruiſti.* Ideo
cum accipiendo primum Epiſcopatum, merueris alium, alium accipis;
Guadalaxarenſem nempe, aquo non multo poſt in Maximi Angelo-Poli-
tani infulas proueheris.

In

In ſuprema dignitate conſtitutus, quas mente conceperas, calamo
tradideras Principum, & Epiſcoporum regulas, manu, & opere perficis:
Vt futuram mentis claritatem (ſic Ennodius de ſuo Epiphanio) *præcedens ful-* Invit. Epip.
gor litterarum oſtenderet, ſecuturumque ſplendorem in moribus, iam tunc typica luce
ſignaret. Signaſti certe ex tunc præſaga mente quod nunc mirabili manu
exequeris. Vtriuſque Athenienſis Artificis, primi, pulchro verborum li-
neamento machinam quamdã depingentis, ſecundi dicentis. *Ego opere ad-* In c.4 Lev.
implebo, quod iſte tot verbis amplificatus eſt. Munus idem ipſe exples à Te eru- num.13.
ditionem accipio. Nam quæ pro Epiſcopis, pro Principibus inſtruendis
mirabiliter amplificaris, Tu ipſe dum Princeps, dum Epiſcopus mirabilius
adimples. Nunc Ovvenus.

Qui ſcribenda facit, ſcribitque legenda, beatus Ovven. lib.
Ille, beatiores Tu, quod vtrumque facis. 2. Ep. 28.
Digna legi ſcribis, facis & digniſsima ſcribi:
Scripta probant doctum Te tua: Facta Probum.

Scripſiſti, Principis nomen amittere, qui munera non offert, qui ma- Sup. c.7.
nus non habet faciles ad donandum Scripſiſti ex Vrbano Papa: *Eccleſiaſticos* Num. §.3.
ſtrictiori vinculo ſubveniendi egenis adſtringi. Scripſiſti. Principes ſuis mani- Sup. c.15.
bus debere beneficia conferre: Scripſiſti. Principum eſſe, in abiectos, & Deut. n.15.
pauperes, oculos intendere. Quid ergo aliud exequeris? *Interea per propoſi-* Sup. c.4.
tum ſibi callem vitæ curſu præpeti Sacerdos venerabilis incedebat, eleemoſynæ ſine re- Lev.
tractatione operam dans (aureo Ennodij ſtylo proſequor) *quod munus accipien-* Sup. c.12.
tibus vultu, & animo blandiſsimo commendabat, ita vt cuicumque ſermonis ſolius Num.
gratiam præſtitiſſet, nequaquam ſe indonatum putaret abſcedere, erat enim ſum- Invit. Epip.
mum præmium talem ſaltem vidiſſe Pontificem. Ipſi loquantur populi, ſe divites
in paupertate gloriari, dum Te pauperem in divitijs demirantur, alium
Thomam in Indijs (quem Tibi in Patronum, & adoptaſſe fateris, & veſ-
tigijs inſiſtis) ore pleno depredicantes.

Prols Deus? Quæ Tibi deficiunt, quæ alijs de penu Tuo ſuppetunt!
Manus habet plenas alijs, vacuas Tibi, tornatiles omnibus. Sortes paupe-
rum in manibus tuis, ideo facile, & plene remedia ſortiuntur, & ſalutem.
Miræ ſuavitatis aſpectu egenos mulces, afflictos conſolaris. Nullus vnquam
fuit, qui vultum tuum ſuauiſsimum, ſedem pudoris, ſimulacrum modeſ-
tiæ, effigiem humanitatis, aut indecoris aſperſum notis, aut minus compo-
ſitum, aut indecoris aſperſum notis, aut minus compoſitum, aut iræ nubecu
la offuſcatum viderit; ſed ſerenum, placidum, humilem, rubore ſuffuſum
in laudibus, æqualitate compoſitum, in adverſis, moderamine temperatum
in proſperis, eundem ſemper in omnibus.

Scripſiſti defectus ſubditorum, cum reprehenduntur eſſe tegendos, Sup. c.12.
vt bonæ famæ conſulatur odori. Sic Chriſtus Lazari nomen ſilentio donat Num. n.1.
dicens, *vbi poſuiſtis illum,* dum fœtorem eius luci donandum præſcit. *Qua-*
triduanus eſt iam fœtet. Sic & Tu in pravos mores inveheris, cæſim, pun-
ctimque vitia percutis, ſed ita percuſſorum decori proſpicis, vt ſanguis vul-
nerum Tuæ chraitatis induſtria rubeat in purpuram. Sic Pharmacum co-
fi-

ficis, vt videatur, non ægris pro ſalute, ſed ſanis pro levamine applicari. Sic pallio: *Occulens ſubditorum defectus illos reparas collabentes, & cum Begnigni Principis ſit non tam delicta velle punire* (diſertiſsime eloquitur Caſiodorus) *quam tollere, ne, aut acriter vindicando, æſtimetur nimius, aut leviter agendo putetur improuidus.* Delicta non tam refricas ad clamorem, quam mederis ad ſanitatem.

Sup. c. 20. Num. n. 13.

Scripſiſti. Prælatos gregi debere eſſe præſentes, illumque frequenter inviſere; ex Proverb. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera;* ſic totum replet Iupiter, vt ſupremi Paſtoris munus repleat.

Caſ. lib. 1. num. 30.

Iupiter eſt quodcumque vides, quodcumque moveris; hoc & agis omnia inviſens, per te, per alios, verbis, Epiſtolis, exhortationibus, exemplis; ò quoties cana nivibus iuga montium, tranſituris minantur exitium, & per ea pro leuandis ovibus, arcendis lupis, ſolidando pecore, lætus verus Paſtor irrumpis? Nam: *Mortiferum frigus, & concretas algore glebas* (ita Ennodius) *fidei ardor exuperat. Nunquam in gelu labitur, cuius fundamentum petra ſolidavit.* O quoties ardenti canicula, æſtuante ſabulo, exuſtâ tellure, vel aer ipſe feruet, & ſpiritus flante vento, lenocinante aura, placidos pro inviſendo grege, hinc, inde protraheris! O quoties lucos penetrans, flumina tranans, dumeta terens, per prærupta, per invia, pericula devoras, & eludis! O quoties! Sed *ad hæc enarranda, lingua non ſufficit. Iuuat enim certa quæque decerpere, vbi ſunt omnia admiranda, quæ referas.*

In v. Epiph.

Ennod. ibib.

Quid iam denique dicam de zelo, quo Miniſtros, & Parochos pro munere idoneos rigido examine probatos, attenta meditatione quæſitos, & electos deſignas? Quid de conatu in extruendis, innovandis, exornandis tuæ Diœceſis Templis, & Altaribus. Quid de Eccleſiaſticorum exemplo. Monialium religione, apicum obſervantia, quibus inceſſanter intendis? Quid de illa in negotijs per agendis dexteritate, in Proregibus pertractandis comitate, & induſtria; quid de illa indolis gratitudine, qua in noſtrum Hiſpaniæ apicem divinctus, eius in omnibus obſequia augenda curas? Cui attendens, & ipſe te in ſupremum Regni Mexicani Caput, proregemque ſua regali ſchedula adlegit. Sed mirabile dictu! Hoc, ſupra quam credi facile poteſt, maximo munere exoſculato, ſchedula ſupra caput poſita, honorem ſub pedibus collocaſti, vt eo prò vaſi tuæ celſitudinis immortale ſimulachrum, erigatur. Nam, *videaris licet* (ita Plinius) *quod eſt ampliſsimum conſequutus inter homines, felicius tamen erat, quod reliquiſti.*

Plin. in pa. neg. tratani

Sciebas Illuſtriſsime Princeps: Parum eſſe dignitatem pôſsidere, maximum meruiſſe, & poſſeſſione abiecta, meritum duplicaſti, vt vno merearis quod ſis electus, & altero quod deſpicias ad quam fuiſti electus, dignitatem. Tunc maior effectus, dum maior effici noluiſti: *Virga tua, & Baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Vtraque nempe poteſtas, & temporalis quæ â Virga, & ſpiritualis quæ à Baculò ſecum implicita & coadunata ſolatio eſt Dauidi; & alijs ſolatio eſt, Tibi vero deſpectui. Nam virgæ motus, & poteſtatem, vel impedire, vel adminus ſuſpendere baculi motum, & vſum autumans, pro baculo virgam proieciſti, non convertendam in colubrum, quem fugeres, ſed in coronam, qua temporibus redimitus, perenni laude triumphares. Hanc diuinam mentem in Epiſtola tuo venerabili nomine ſubſcripta ad Excellentiſsimum Dominum D. Melchiorem de Portocarrero, Comitem de la Monclova, Peruvij Proregem, tibi ſicut, & moribus, amicitia coniunctiſsimum, perlegimus, & miramur, cum Theodorico dicentes: *Ecce hominem, cuius totum Occidens ſimilem non habet, quem vidiſſe præmium eſt, cum quo habitare ſecuritas.*

Pſ. 22. v. 24.

Ennod. in vita Epiph.

Nunc Princeps, maximum decus noſtrum viue, & ſupra Neſtoreos dextera tua computet annos. Si ergo per Te: *Memoria mortis prodeſt ad vitæ durationem; dum Pontifex fieres, memoriam mortis calamus inhærebat.* De mortalitatis ſpolijs Pontificales effeciſti veſtes, & in cadauere illo (Illuſtriſsimi nempe Domini D. Hieronymi de Maſcareñas, ſegovienſis Eccleſiæ Præſulis, tunc è viuis expuncti) ſpeculo fideliſſimo felicitatis mundialis exitum didiciſti contemplari. Ab illis Pontificijs cineribus, concalente, & calamo & mente, mortis meditatione, in dignitatis lucem emerciſti. Vbi alij cadunt, inde inſurgis, vt totum repleas orbem; vbi fuerit corpus, ibi congregaris vt Aquila, inde volatum arripiens, ad ſidera vſque peruenias. In nidulo illo moreris, vt ſicut Palma, Phœnix ve, dies tuos multiplices, & in æternum perennes. Phœnix ergo viues de ſingularitate famoſus, dum Phœnicis primordia tenes. Viuas tuorum ſaluti, mihique, & meæ logicæ, ſeu caligini lux & tutamen: *Cedat iam mortalis obſcuritas, divino ſplendori, iubaris lampadi non ſufficit humilium ſcintilla ſermonum. Hæc me conditio ſignat imparem lua teſtata eſt obſequentem.* Diutiſsime vive, & fortunatiſsime vale.

Sup. c. 20. Num. 9.

Ibl.

Dan. c. 2.

Iob. 29.

Illuſtriſsime Princeps.

Dominationis tuæ addictiſsimus Seruus.

Ioſephus de Aguilar.

FACVLTAS RELIGIONIS.

FErdinandus Caſtellano Præpoſitus Provincialis Societatis IESV in Provincia Bœtica, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo Adm. P. N. Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali Societatis IESV facultatem concedo, vt opus, cui titulus eſt: *Curſus Philoſophicus dictatus Limæ, &c.* à Patre Ioſepho de Aguilar Societatis noſtræ compoſitum, & in tres tomos diviſum, & eiuſdem Societatis gravium doctorumque virorum iudicio examinatum, & approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo officij noſtri munitas, ac teſtimonio Secretarij noſtri firmatas dedimus in Collegio Societatis noſtræ Vtrerenſi die 22. Octobris anni milleſimi ſeptingenteſimi.

Ferdinandus Caſtellano.

Sebaſtianus Gonzales.
Secret.

CENSVRA R. P. DIDACI DE FLORINdas è Societate Iesu in Hispalensi Divi Hermenegildi Collegio Sacræ Theologiæ Professoris.

EX præscripto Dñi Antonij Ferdinandi Maria de Milan Catholicæ Maiestatis in Regio Hispalensi Senatu à Consilijs, atque eiusdem Civitatis, ac Regni in Typographos, & Bibliopolas Regius delegatus Iudex mihi delatus fuit Cursus Philosophicus in tres Tomos distributus, Authore R.P. Iosepho de Aguilar è Societate Iesu in Platensi olim Vniversitate Primario, nunc in Limano Divi Pauli Maximo Collegio Vespertino Moderatore, Sanctæ Iuquisitionis Qualificatore, & Platensis Archiepiscopatus Examinatore Synodali. Triplicem tomum solerti, qua potui, indagine vidi, & voluptate non modica evolui, & inter tot complacentiæ, & allicientiæ incitamenta id vnum ab ea moleste deturbat, mei scilicet cum Authore ex Religione affinitas, quæ ex rigidis modestiæ præceptis ad eius pro meritam commendationem voces opprimeret, linguam obseraret, calamumque arctissimè contineret. Erigit nihilominus operis ita planum, ac omnibus patefactum meritum, vt affectus præveniat calumniam. Perpolitè ad rem de Nysseno in non dissimili plaudebat Phocius: *Sic vnus hic liber de omnibus triumphat, si non satis ego sim, qui de huiusmodi opere iudicium feram, ne mihi amor imposturam faciat.*

Quam ob rem nullus, qui merita, ac debita opus hoc perlegerit attentione affinitatis vitio, sed ingenuitatis virtuti, ingentique veritatis ponderi vertendum putabit, si ditiorem huiusque ex Americis oris thesaurum in Europam delatum prædicaverim, & quidem ex fæcundiori, ac profundiori ingenij, ac aurea viuacitatis vena, vt non ignobiliores alij eiusdem fætus pervulgarunt, aliosque nobilissimos pevulgandos anxie expectamus. Et licet Philosophicr materies ex frequentissima tractatione frequentior facta sit, quo frequentior tamen, eo rarius authoris irradiat ingenium, vbi & Magistri novam copiosissimam magisterio segetem, & Discipuli novum facillimum inveniunt emolumentum, & vtrisque doctrinæ locupletissimum extat ærarium. Miro equidem acuminis artificio intertextas demiramur cum claritate profunditatẽ, cum varietate methodum, cum novitate soliditatẽ, cum brevitate copiã, cum ingeniositate denique omnimodã Sapientiæ firmitatẽ dilucidè copulatas. Quæ omnia ita se se clarissimè objiciunt, vt otiosam cum Symacho vlteriorem iudicem commendationem: *Supervananei laboris est commendare conspicuos, vt si in sole positis facem præferas.* lib. 3. cap. 48. Ideoque nihil in hoc opere post sedulam exquisitionem deprehendi acutè non pertractatum, scitè non discussum, scholis non vtile, bonis moribus non affine, nostræ ortodoxæ fidei non conforme, ac tandem publica luce non dignum. Ita ex animo sentio. Hispali die 28. Aprilis anni 1701.

Didacus de Florindas.

LICEN-

LICENCIA DEL JVEZ.

EL Licenciado Don Antonio Fernando Maria de Milan, del Consejo de su Magestad, su Alcalde del Crimen en la Real Audiencia de esta Ciudad, Iuez Superintendente de las Imprentas, y librerias de esta Ciudad, y su partido: Por lo que toca à mi comission, doy licencia à Iuan Francisco de Blas, Impressor mayor de esta Ciudad, para que pueda imprimir la materia de vn Curso de Filosofia en quarto, sin Principios, ni tablas, su Autor el R. P. Ioseph de Aguilar de la Compañia de IESVS, Cathedratico de la Vniversidad de la Ciudad de la Plata, en los Reynos de las Indias. Atento à no contener cosa alguna, que se oponga à las verdades de nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres, sobre que por comission mia diò su Censura el R. P. M. Diego de Florindas de la misma Compañia en su Colegio de S. Hermenegildo de esta Ciudad; y con calidad de que para la conclusion de dicha impression, se ha de traer licencia en forma del Real Consejo de Castilla, como està prevenido por mi auto de este dia: Dada en Sevilla en siete de Noviembre de mil y setecientos y vn años.

Lic. D. Antonio Fernando Maria de Milan.

Por su mandado.

Iuan Francisco Carrera,
Escrivano.

Cen-

CENSVRA A R. P. Fr. IOANNIS DE CASTRO Lectoris Iubilati Ordinimis B. P. Francisci. Provinciæ Bethicæ de Observantia Ex-Custodis, & Patris perpetui totius Ordinis Ex-Secretarij Generalis, Archiepiscopatus Hispalensis Examinatoris Synonalis, & Collegij Seraphici Doctoris D. Bonaventuræ Studiorum Regentis.

CVrsum integrum philosophicum in triplicem partem divisum à R. A. P. Josepho de Aguilar Florentissimæ Societatis Iesu Theologo, & in Platensi Academia Primario professore concinnatum diligenti Examine vidi, nihil que in eo, non Orthodoxæ fidei consonum, aut Christianis moribus difforme, inveni; quin potius Authör studiosus veritatis scrutator iuxta cognominis etymon Aquilina suffultus vi, & acie rationalis philosophiæ abdita pennis penetrare conatur, & glorioso labore consequitur. Opus vtique, tum ingenio, tum claritate commendabile, non solum tyronibus aptum, verum etiam doctioribvs proficuum, vbi selectam Authoris sententiam validissimis fulcitam rationibus, debellatis adversariorum telis subtili argumentatione, comperient, quod prælo dignum vtilitati publicæ consulens, censeo. In hoc Seraphici Doct. D. Bonaventuræ Hispalensi Collegio die 1. Novembris 1701

Fr. Ioannes de Castro.

II.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

Nos Don Ioseph Bayas, Provisor, y Vicario General desta Ciudad de Sevilla, y su Arçobispado, por el Ilustrissimo, y Reverendissimo señor D. Iayme de Palafox y Cardona, por la Gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Arçobispo desta dicha Ciudad, y su Arçobispado, del Consejo de su Magestad, &c. mi señor: Por el tenor de la presente, y por lo que toca à la Iurisdicion Ordinaria, que exercemos, damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima vn Curso de Filosofia en tres tomos de à quartilla, compuesto por el M. R. P. M. Ioseph de Aguilar, de la Compañia de IESVS, Autor de la obra. Atento à no contener cosa alguna, que se oponga à las verdades de nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres, sobre que ha dado su Censura, y parecer el M. R. P. Lector Iubilado Fr. Iuan de Castro, del Orden Serafica de N. P. S. Francisco, Regente de los Estudios en su Colegio de S. Buenaventura, y Examinador Synodal de este Arçobispado, à quien cometimos la vista, y examen deste Curso de Filosofia; y con tal, que esta nuestra licencia, y dicha Censura, y parecer se imprima al principio de cada libro: Dada en Sevilla à veinte y seis de Noviembre de mil y setecientos y vn años.

Bayas.

Por mandado del señor Provisor.

Iuan Francisco de Alvarado.
Notar. may.

RA-

RATIO OPERIS.

CVM per triennium Limæ in Maximo D. Pauli Collegio, Peruanæ Prouinciæ capite, & coronide floridissimæ inuētuti, vt de more est, Cursum Philosophicum, non tam blandientium vocum, quam discipulorum vtilitatis cupidus dictitaverim; quo sidere nescio; qua felicitate miror! Ita codices nostri excipiuntur, vt emanibus discipulorum erepti, in tyronum manibus cæperint diuagari; abeisque, vel summo labore transcribi, vel maximo pretio emi, præcipue á nostris, Regalis D. Martini alumnis; vbi hercle, Peruuica secularis scientia viget, Mineruæ delubrum extat, fulcrumque occiduæ Sapientiæ surgit. Nō laudi verto, sed vel claritati, quā curo, methodo, quā affecto, breuitati, qua teneor, vel deniq; felicitati rupe guttatim quā exosculor. Sæpe enim plus arridet exilis riuulus è deserta rupe guttatim scaturiens, quam magna extra ripas erumpentia flumina, prægrandibus retibus, quam hamulis puerorum aptiora. Ibi pisciculi innatant, & illabuntur, hic ipsis aquarum vortivus protrahuntur involuti.

Vt ergo huic Soholasticorum voto annuam, pagellas nostras typis committendas trado, nil addens, adimens ve ex eis, quæ è Cathedra Discipulorum calami exceperunt, vbi scholaris anni circulo circumscriptus, crebra disputatione præcaptus, assiduæ explicationi præfixus, per alienos cāpos diuagari non sinor, eos tamen, vbi necessum est, veles percurro, aliquando vero nec alimine salutans, vsque ad penetralia me confero. Non invehor frequenter in contrarias opiniones gladio palam impugnationum stricto; ne armorum strepitu noui milites perterrefacti, armis insueti terga uertant; sed intra quæstionum texturam, intra Palladionis vterum, divina Palladis arte, arma immitto, quibus suo tempore inimicam Troiam euertant. Exteros Doctores perlegi, Nostros euolui, Nostrates manuscribentes introspexi, *Cedrique Libani medullam fero*, ab omnibus haustam, á me digestam: *Nonus annus ad scribendum relaxatur, authoribus* (Cassiodorus loquitur) *mihi nec horarum momenta præstantur.* Iam ad pulpita, iam ad Cathedras aliaque per octingentas leucas itinerum distractus: *Verum hoc magis tibi ad suffragium laudis proficere, si inter tanta, & talia valueris legenda proferre.* Sibi objicit per ilustris Senator. Non valeo, sed cogor. *Cassiod. in Prol. var.*

Fusiori calamo rem agere meditabar Scholarum exercitio valere iusso, iterum ad limam vocatis opinionibus, iterum ad trutinam sententijs dum baltheo militari se posito, altiori indagini otium faceret assidua dissertatio. Sed: *Patitur hoc improuida mortalium conditio* (disertissimus Cassiodorus loquitur) *vt cum lædere putatur consulat, & cum consulere videtur affligat; sed illud magis est eligendum, quod prodesse cognoscitur, nam venena ipsa, si iu-* *Cassiod. L. 7 var. 47.*

vere probantur, accepta sunt, è contra refugienda est suavitas mellis, quæ inferre dignoscitur lesiones. Finis ergo Sapientis est amare, quod expedit, sic igitur nec votum Id. L. 7. var. 41. *respicit, qui prodesse contendit.* Pro me hæc verba accipite: *Ne ergo cum opinioni præstare volumus, vtilitatem publicam lædere videamur*, alibi ipse: Adactus sum à præcocepto mētem amoliri, spes omnes maioris emolumēti collocās in materijs Theologicis, quas in quatuor tomis digestas, vita comite, promitto.

Communis vtilitatis Candidatus, trita & vulgari via incedo; senticosas novitates pertæsus, *rationabile lac concupiscere* fideles hortatur Petrus. 1. Petr. 2. v. 2. Nonne altior vel Semiramidis horto satus, vel Hesperidum comis avulsus cibus Apostolo suppetit propinandus? lac, facilis, communis vulgaris cibus, qui etiam & potus. Quare hæc, & non alio nutrit cibo? ideo, quia facilis, & vulgaris. Non Magistris aut Sapientibus cibos condit Apostolus, sed parvulis, & insipientibus; Notate. *Quasi modo geniti Infantes rationabile sine dolo lac concupiscite*; Hisque cibus, quo communior, vtilior, quo facilior, aptior, his etiam validus, quia cibus, facilis, quia potus: Ideo *lac*; sed sine *dolo*, non fucatos cibos, pomave exterius fucorum lineamentis decora, interius cinerea vanitate fæda, propino; sed veritate compactos, omnique fraude alienos. Difficultates, tricasque, quibus haustus solet præpediri, delinire satago, vt citra sudorem, & anhelantis ingenij molestias in substantiam abeant; vos ergo Sapientes abite ad fontes; & *Sinite Parvulos venire ad* Marc. 10. v. 14. *me* quibus frusta diuidam, pocula instillabo.

Totum opus faciliori studentium vsui in tria volumina dissecabo; in quorum primo, Summulas, Logicam, & prædicamenta exponam, in secundo Philosophiam, Cælos, & Metheora aperiam. In tertio libros de generatione, & corruptione, animam, & Methaphysicam explanabo. Materias in tractatus, tractatus in sectiones, hasque aliquando in subsectiones diuidam. In omnibus denique huius Provinciæ methodum sequar. O vtinam & consequar! *Nunc ignoscite legentes, & si qua est incauta præsumptio, suadentibus* Cassiod. in Prol. var. *potius imputate, quia mea iudicia cum illo videntur facere, qui me decreverit accusare.* Cum laudato Casiodoro loquor. Valete.

ER-

Pag.	*Col.*	*lin.*	*errata.*	*Correcta*
2.	2.	8.	acexvus.	acervus.
4.	1.	44.	suppofium.	suppositum.
5.	2.	10.	replicabilis.	replicabis.
6.	1.	2.	obiectiuns.	obiectivos.
6.	1.	45.	impossizile.	impossibile.
7.	1.	13.	ipem.	idem.
10.	1.	40.	definitione.	definitioni
12.	1.	2.	probabilem.	probabilem sententiam.
17.	1.	4.	ignoquiatius.	ignotius.
17.	2.	12.	constituun.	constituitur.
18.	2.	27.	srgo.	ergo.
20.	1.	1.	talas.	talis.
20.	1.	36.	arbol.	arbor.
23.	1.	5.	*est verbum.*	*est est verbum*
23.	2.	8.	collatione.	collocatione
25.	2.	35.	ex quod.	eo quod.
29.	2.	14.	infertn.	infertur.
30.	1.	25.	ni.	in.
33.	1.	25.	tepræsentari.	repræsentari.
33.	2.	24.	ab intellecto.	intellectu.
33.	2.	31.	to.	tot.
34.	1.	10.	assensus.	ascensus.
37.	2.	1.	paæcato.	prædicato.
38.	2.	vlt.	prædicat.	prædicatū.
40.	1.	1.	causen.	causam.
4.	1.	2.	Potrut enrrit.	Petrus currit.
41.	2.	10.	vtraque.	vtique.
42.	1.	2.	e econtra.	& è contra,
43.	2.	14.	Hurto.	Hurtado.
44.	1.	29.	Naza.	Maza.
45.	1.	7.	respicet.	respuit.
46.	1.	6.	homo.	homo currit: hic.
46.	2.	14.	omni.	omnis.
49.	1.	44.	non.	nam.
49.	2.	2.	Retrus.	Petrus.
49.	2.	3.	*partes.*	*paries.*
49.	2.	24.	&.	sed.
49.	2.	28.	*quis.*	*aliquis.*
50.	2.	8.	supponnn.	supponunt.
52.	2.	5.	contradictorias.	contradictoriæ.
53.	2.	26.	litiganter.	litigantes.
54.	1.	15.	comosito.	composito.
54.	1.	27.	*incorruptibilis.*	*corruptibilis.*
54.	1.	29.	*inorruptilis,*	*corruptibilis.*
55.	1.	20.	*Petrus.*	*Petrus est.*
57.	1.	41.	*non currit.*	*non non currit.*
58.	1.	28.	conversæ.	conversa.
59.	2.	22.	Petranmcurrere.	Petrū currere.
59.	2.	41.	su	sic.
60.	1.	43.	omnem.	ōmnem hominem.
61.	1.	1.	caligne.	caligine.
61.	1.	29.	negativè.	negativæ.
61.	2.	2.	intendunt.	non intendunt.
61.	2.	36.	si.	sit.
62.	2.	6.	*Palus.*	*Paulus.*
64.	1.	18.	est.	es.
64.	2.	40.	hinist	his.
54.	2.	44.	sūi.	sunt.
56.	2.	45.	regala.	regulas.
57.	1.	33.	aliquam.	ad aliquam.
74.	2.	20.	ego.	ergo.
78.	2.	5.	directus.	directos.
79.	2.	45.	definio.	definitio.
79.	2.	vlt.	gica.	Logica.
82.	1.	3.	Oæc.	Hæc.
82.	2.	21.	sem.	seu.
84.	2.	27.	epinionem.	opinionē.
89.	1.	5.	principi.	principia.
89.	2.	30.	definitio.	divisio.
90.	2.	3.	omnia.	omnem.
90.	2.	22.	sa.	se.
92.	2.	34.	Ioannes.	Ioannem.
95.	1.	15.	loguè.	Logicà.

97

ERRATAS.

Pag.	Col.	lin.	errata.	Correcta.
97.	2.	38.	ſpeculato.	ſpeculatio.
110.	1.	23.	*tribut.*	*tribus.*
110.	2.	42.	dirigüuntur.	diſtinguntur.
111.	6.	34.	minor.	miror
111.	2.	44.	eximanere.	examinare.
117.	1.	6.	nullam.	vllam.
118.	2.	16.	quivoco.	æquivoco.
118.	1.	21.	ſumant.	ſumatur.
119.	2.	6.	tegulis.	regulis.
120.	1.	12.	rationalibus.	irrationalibus.
120.	1.	14.	vtintur.	vtitur.
121.	1.	40.	mixto.	mixtum-
121.	2.	40.	conquens.	conſequens.
123.	2.	30.	relantem.	revelantem,
126.	2.	11.	ſecututi.	ſecuturi.
129.	1.	11.	ignarus.	gnarus.
129.	2.	16.	*rationalt.*	*rationale.*
131.	1.	1.	particularius.	particularis.
131.	1.	33.	*frio.*	*ferio.*
134.	1.	13.	locos.	logicos.
137.	1.	40.	non.	nos.
145.	1.	35.	termitet.	terminet.
146.	2.	21.	conſtitui,	conſtitutivi.
155.	1.	39.	faliſsimum.	falſiſsimum.
157.	1.	7.	artafaciter.	artefactum.
164.	1.	9.	ideque,	idcoque.
165.	2.	28.	exultat.	exulat,
178.	1.	46.	omnia.	omnino.
184.	2.	46.	auræ.	aureæ.
185.	1.	15.	reliqui.	reliquæ.
192.	2.	13.	quæ.	que.
194.	1.	15.	ſimile.	ſi mille.
197.	2.	15.	ſecanda.	ſecunda.
199.	1.	37.	tenendi.	tendendi.
200.	1.	13.	donominnatis.	denominantis.
202.	2.	20.	flereticus.	hæreticus.
207.	1.	32.	ſed.	vel.
207.	2.	32.	per.	per, vel.

Pag.	Col.	lin.	errata.	Correcta.
223.	2.	5.	aſtingentur.	attingentem.
225.	2.	27.	efficiens.	efficit ens.
226.	1.	35.	vt.	&.
231.	2.	16.	viſibilis.	riſibilis.
233.	1.	26.	inutrunt ſuris.	in vrunt cenſurijs.
249.	2.	27.	oppoſitio.	oppoſito.
253.	1.	25.	opoco.	opaco.
264.	1.	27.	ſimil.	ſimul.
265.	1.	22.	cognitionæ.	cognitione
277.	2.	35.	propriens.	proprio ens.
278.	2.	9.	entis.	ſentit.
281.	1.	26.	eo modo ſunt.	Eo modo, quo ſunt.
282.	1.	30.	parie.	parte.
284.	1.	35.	Domine.	Dominicanus
288.	1.	8.	ſubſectio.	ſubſectione.
289.	2.	35.	implicit.	implicitè.
292.	1.	29.	non ex.	non eſt.
295.	2.	24.	ſupernaturaliter.	ſuper naturalitatem.
296.	2.	19.	ſcilicet.	ſi licet.
296.	2.	39.	illes actionas.	illas actiones.
302.	1.	5.	repræſetatem.	repræſentatum.
307.	2.	12.	Xauregur.	Xauregui.
307.	2.	30.	intellectu cognoſcere.	intellectus cognoſcit.
315.	1.	18.	obij.	obij. ſi.
316.	1.	20.	matem.	autem.
330.	2.	9.	exptælsiſſe.	expreſsiſſe.
330.	2.	13.	ec.	nec.
348.	1.	18.	divinis.	in divinis.
348.	1.	2.	eſt.	&.
361.	1.	29.	definire.	definiri.
362.	1.	28.	podem.	eodem.
362.	2.	22.	aliqum ita dicendum.	aliquem ita dicentem
366.	1.	36.	ve.	vt.
368.	1.	40.	concedo.	conceſſo.
371.	2.	8.	eſt.	&.

ERRATAS.

Pag.	Col.	lin.	errato.	Correcta.
371.	2.	vlt.	eſt.	&.
374.	2.	5.	ſpecis.	ſpecies.
374.	2.	26.	ſuq.	ſub.
389.	1.	12.	ſecutidum.	ſecundum.
369.	1.	36.	riſionis.	viſionis.
402.	2.	5.	non.	nos.
406.	1.	35.	præſindia.	præſcindi.
409.	1.	36.	identitas.	identitatis.
418.	2.	33.	ſubſtantir.	ſubſtantia.
423.	2.	6.	graduata.	prædicata.
525.	1.	33.	aieſtatem.	aſeitatem.
430.	1.	19.	aon.	à non.
437.	2.	37.	præſdentis.	præcindentis
445.	1.	39.	genes.	genus.
448.	1.	13.	ſachro.	ſacharo.
449.	2.	15.	generie.	generis.
450.	2.	18.	dico.	dicto.
453.	2.	17.	concluſio.	conditio.
459.	2.	34.	opulendum.	oculendum.
459.	2.	4.	metaphyſice.	metaphoricè.
465.	2.	31.	aniam.	anima.

Pag.	Col.	lin.	errata.	Correcta.
474.	2.	27.	da.	ad.
487.	2.	2.	non.	nam.
491.	2.	20.	hæc, & ſimilis.	hæc & ſimiles.
494.	1.	5.	diſtinctis.	diſtinctus.
495.	1.	14.	inctione.	in actione.
495	2.	25.	georationis.	generationis.
496.	1.	21.	ei.	&.
496.	1.	24.	Scarõ.	Icaro.
499.	1.	43.	Etiam.	Eximium.
510.	2.	5.	inſerto.	infertur.
516.	1.	24.	quid.	quod.
518.	2.	39.	cit.	eſt.
520.	2.	14.	quia.	qua.
524.	2.	23.	requiris.	requiſitis.
534.	1.	12.	cretis.	certis.
542.	2.	43.	mutuari.	mutari.
558.	2.	10.	aſſentien.	aſſentiendi.
561.	1.	21.	reliqua.	relicta.
563.	1.	29.	diciendam.	eliciendã
565.	1.	42.	&c.	ex.
565.	1.	43.	Barlara.	Barbara.
566.	1.	24.	onione.	opinione.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

SVdabat iam aurea hæc Dialetica sub prælis, cum sciuimus Hispali, exijsse iam e viuis Illustrissimum Præsulem, cui suus eam Author dedicauit; aberat ille, vbi ob interiectum latissime pelagus, non breui mensium spatio consuli poterat, de alio substituendo, si vellet, loco demortui Mecœnate, cum alius de Typographo illius mentis ignaro, non esset liberum, Patronum alium in commissi operis tutelam adscire; quare operæ pretium duxi, eandem, quæ primò missa fuerat laudatoriam Epistolam operis fronti præfigere, tum, ne tanti Principis cineres tam pulchro elogio fraudarem, tum, quia apud me statuitam Religiosi Panegyristæ eum fuisse animum, qui vellet non tantum viuenti palpum obtrudere, sed etiam æstimatissimi sibi Scriptoris memoriæ, si illius sciret obitum, parentare. Et sane, si in sacrandis primario alicui Heroi libris id maximè quæritur, vt sua illos vmbra à quouis liuidi Theonis ausu defendat, quis ad tutamen aptior, quam ille, quem vitæ illius innocentiæ nixi piè credimus iam cælites inter triumphali Beatitatis adorea laureatum?

Hoc temontium volui, Lector amice, ne, si ad annum aduertas, quo opus hoc exit in lucem, & ad eum pariter, quo viuere desijt Angelopolitanu Antistes, putes Authorem cum Manibus voluisse commerciū: quamquam si vera Virgilius cecinisset, nempe Heroas ad Elysium ob egrigia facinora translatos ijs presertim ibi esse rebus intentos, quarum maxime amore, dum apud mortales agerent, tenebantur: *Quæ gratia currùm, Armorum que fuit viuis. quæ cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos,* (*Æneid. lib. 6.*) censerent omnes, nullum potuisse Authorem Illustrissimo Sancta-Crucio iam vita functo gratius, & opportunius misisse donum, quam librum, quem certè, vel inter melioris Elysij, *locos lætos, & amæna vireta Fortunatorum nemorum, sedes ques beatas,* non posset iucundè non euoluere, quippe qui totum studiosæ vitæ decursum non alij muneri proclivius impendit, quam vel legendis, vel concinnandis ad communem vtilitatem libris, quos Logicæ Author tam copiose dilaudat, & per Sapientum Theatra celebri sophorum plausu circumferuntur, vale as ergo, namque hæc monuisse sat esto.

PROOEMIUM.

NON semel in mente habui, nunc, vel omnino omittere Summulas, vel eas paucis perstringere, ne ad Logicę portas spectra, quę vos terreant, objicerem, seu gladium versatilem, & flammeum, qui ab huius paradisi rationalis ingressu vos abigeret, sed ne è primò calami ductu â communi Doctorum vsu exorbitem, qui in eorum vestigijs insistendum totus incumbo, eas vobis ministrare decrevi; sed Summulas eas offeram, hoc est, brevitate gaudentes, vt ipsum pręsefert Summularum nomen, & vt ab ipso Summularum proæmio Summulas, seu brevitatem ostendam, proæmij satis. Pro prævia tamen notitia, & divisione summularum, scias, quod.

Cum intellectus sit quędam vis, potentia, seu facultas quá apprehendimus, iudicamus, & discurrimus, in illo datur triplex operatio. Prima est simplex apprehensio, & est cognitio rei sine affirmatione, vel negatione, quæ si sit vnius solum modo termini, dicitur in complexa, verbi gratia *Petrus* si sit duplicis termini, dicitur complexa, verbi gratia *Petrus albus*. Secuda est iudicium, & est cognitio rei cum affirmatione, v. g. *Petrus est homo*. Tertia est discursus, & est cognitio, vnum ex alio inferens, quæ sæpe particulá illativá *ergo* vel, *igitur* consignatur, v. g. *Petrus est homo*; ergo *est animal*. Iuxta has tres operationes intellectus, in tres tractatus Summulas dividam.

TRACTATVS PRIMVS DE PRIMA MENTIS OPERATIONE NEMPE TERMINO.

SECTIO I.

QVID SIT SVBIECTVM, PRÆDICATVM, ET VNIO?

1 IN iudicio, quod *propositio* ex hinc appellabitur, datur triplex pars, seu formalitas, subiectū, prædicatum, & vnio: sicut enim in homine datur materia, forma, & vnio, ratione cuius forma communicatur materię, & resultat vnum compositum physicum, ita in propositione datur subiectum, quod se habet vt materia, & est id, de quo aliquid dicitur, prædicatum, quod se habet, vt forma, & est id, quod dicitur de alio, & vnio id ratione, cuius annectitur subiecto, ex quibus

 resultat

resultat totum logicale;v.g. *Petrus est homo.* Vbi ly *Petrus* est subiectum, quia de illo dicitur esse hominem,ly *homo* est prædicatum quia dicitur de *Petro*, & ly *est* est vnio qui est id, ratione cuius homo annectitur Petro, & licet aliquæ propositiones sine tali verbo *est* proferantur; v.g. *Petrus scribit: Ioannes legit in eis* latitat;idem namque est dicere, *Petrus currit,* ac *Petrus est currens*;& sic de alijs.

SECTIO II.

AN IN PROPOSITIONE NEGATIVA detur vnio formalis logicalis?

2. PRima, & communior sententia negat,in propositione negativa dari vnionem formalem logicalem; hanc sententiã videtur innuere P. Hurt. disp.2. sect. 2. quem omnes ferè manu scribentes sequuntur.

3 Secunda sententia affirmat, ita ex prœlo datis P.Compt.disp. 2. Summularum sect.2.n.4.& ingeniosissimi Moderni ex nostris secuti Sapientiss. P. Nicol. de Olea d.5.sum.n.2.

4. Nota,hanc quæstionem esse magna ex parte de nomine,omnes enim affirmant,seu conveniunt in tali propositione negativa;v.g.*Petrus non est homo* dari prędicatum,& subiectum,sicut in affirmativa etiam,& in obiecto talis propositionis, non dari vnionem, sed potius vnionis carentiam.Insuper ly *non est* repræsentare ipsam carentiam vnionis obiecti;v.g.Dico, repręsentare. Nam licet iudicem cum Arri.& ipso P. Olea d.6.ly *Est*, vel *non est* propositionis nil repręsentare,sed solũ denotare modũ tendendi propositionum, nihil hominus hic pro dificultate questionis præsentis,admittendum est;repræsentare.

5. Dico.In propositione formali negativa datur vnio formalis logicalis.Probatur primò conclusio.Proppsitio negativa est vna propositio; ergo habet aliquam vnionem. Probatur antecedens. In propositione negativa datur artificiũ logicale, ratione cuius terminus *Petrus*, & terminus *lapis* nõ se habent disparate, sed cum aliqua conexione,& subordinatione inter se;ergo est vna propositio,nõ vna per agregationem,sicut ac exvus lapidum,v.g.ergo per aliquam vnionem.

6. Confirmatur. Vnio formalis Logicę nõ est ingenere physico informatio, aut cõtinuationis partium, sed ingenere intentionali logico, præstando scilicet ne termini disparate se habeant, sed cõstituant vnam propositionem,vt videre est in propositione affirmativa; sed totum hoc præstat illa enuntiatio negativa,seu ly *non est*:ergo illa enuntiatio negativa,seu ly *non est*;est vnio formalis logicalis. Probatur minor Deum intellectus cõcipit *Petrum* & *lapidem* cõcomitanter, termini Petrus, & lapis disparate se habent;ast si cõcipiat,*non est*, iam non se habent disparate; sed cõstituunt vnam propositionem;ergo.

7. Probatur secundò everrendo fundamentum cõtrarię opinionis. Vnio formalis logicalis nõ sumitur ab obiecto;ergo licet in obiecto propositionis negativę nõ detur vnio, non inde infertur in propositione negativa nõ dari vnionem logicalem. Probatur antecedens primò vniversaliter: plura relucent in propositione formaliter, quæ in eius obiecto nõ relucent obiectivè; sic prohibitio divina, quæ in se exercite est bona reddit obiectum prohibitum malum. Cõceptus differentię significat diversitatem, & exercet munus cõvenientiæ. Actus in se formaliter vitalis repræsentat mortem: ergo similiter in propositione negativa,ly *non est*, erit vnio exercitè, seu exercebit munus vnionis in propositione,licet in obiecto signet, & repræsentet divisionem, aut carentiam vnionis.

8 Cõfirmatur,sicut vnio in sua rigorosa significatione sonat identitatem,& vnionem,ita prædicatum sonat id, quod dicitur de subiecto,& subiectum id,de quo dicitur prædicatum, sed licet in propositione negativa,v.g. *Petrus non est lapis,* prædicatum *lapis* non dicatur de subiecto, *Petrus*,sed potius removeatur, nihilominus tamen *Petrus* est subiectum, & *lapis* est prædicatum, quia sufficit quod *lapis* negativè enuntietur de Petro, ita sufficiet,quod ly *non est* enuntiet, & referat negativè, vt sit vnio formalis logicalis,licet sonet vnionis carentiam.

9. Objic.primò.Unio logicalis vnit prædicatum cum subiecto,vt ex ipsa vocis significatione constat; sed in propositione negativa:*Petrus non est lapis*:ly *non est*,non vnit,sed potius removet lapidem á Petro;ergo non est vnio.

10. Resp.Distinguo maiorem.Vnio vnit prædicatum obiectum cum subiecto obiectivo, necessario nego: prædicatum formalem cum subiecto formali, concedo.Similiter distinguo minorem, *non est* non vnit lapidem cum Petro obiectivè affirmativè;concedo, formaliter, negativè,nego. Certum est in propositione negativá ly *non est* removere, seu dividere,prędicatum obiectivum á subiecto obiectivo;at vero ipsamet remotio signata est vnio formalis exercita comparatione actus, quatenus ratione illius prædicatum,& subiectum non se habent disparatè, sed potius connectuntur, vt vnam propositionem negativam constituant.

11. Objic.secundò. Propositio negativa non est vnum compositum logicale,sed potius est vnũ divisũ,& ly *nõ est* non est compositio, sed potius divisio; ergo nec est vnio: probatur antecedens ex Angelico Præceptore libro primo Perihermeniarum lectione primá;vbi proprie afferens Phylosophum, hæc habet: *Sicut dicit* Phylosophus *in tertio de anima: duplex est operatio intellectus, vna quidem, quæ dicitur indivisibilium intelligentia, alia est operatio intellectus componentis,vel dividentis*;vbi per operationem *intellectus componentis*,intelligitur propositio affirmativa,& per operationem *intellectus dividentis* propositio negativa; ergo propositio negativa est divisum, & ly *non est* est divisio,& non vnio.

12. Resp. Ly *non est* in propositione negativa simul esse, & compositionem,& diuisionem; esse compositionem exercitè,& respectu terminorum formalium,quos negatiuè,vnit reffert,& annectit; esse tamen diuisionem signatè respectu obiectivorum, quos quasi activè diuidit removens prædicatum obiectivum à subiecto obiectiuo. Ratio est, quia ly *non est* solum est diuisio respectu terminorum,quos negat, sed non negat, terminos formales, sed obiectivos; ergo non est diuisio respectu terminorum formalium,sed obiectivorum tantum. Hoc patet in hac propositione vocali: *Petrus non est lapis.* Vbi vox *Petrus*, & vox *lapis* sunt termini vocales,ipsius, sed vna vox nõ negatur de alia,sicut nec in affirmativa propositione vna vox affirmatur de alia,sed tantum negatur lapis obiectivus de Petro obiectivo; ergo cum ly *non est* non neget terminos formales, sed solum obiectivos nõ erit diuisio formalis, sed diuisio obiectorum,neque propositio negatiua dicetur vnum diuisum logicale, sed vnum diuidens.

13. Vnde Angelicus Præceptor propositionem negatiuam non dicit,esse diuisionem,aut diuisum exercitè, & formaliter,sed diuidentem signatè; & active,sicut actus,quo aliquis dicere: *Hominis alia pars est materia, & alia forma* esset diuisio actiue,& signatè respectu obiecti,& exercitè esset vna propositio.

14. Objic tertiò.Negatio est malignantis naturæ,& quidquid post se invenit destruit,sed ly *non est* negatio,& post se invenit vnionem; ergo illam destruit.

15. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem quo ad secundam par-

partem: post se invenit vnionem affirmativam; concedo; negatiuam; nego. Vnde affirmativam vnionem destruit, quia supra illam cadit, non verò negativam, supra quam non cadit ; cum eam constituat.

16. Objic. quarto. Ens negativum non est simpliciter ens; ergo vnio negatiua, non est simpliciter vnio. Confirmatur. Ens negativum non convenit cum positiuo in ratione entis; ergo neque pro positio negatiua erit simpliciter propositio, quod est contra ipsos adversarios.

17. Resp. directè. Distinguo antecedens ens negativum oppositum positivo, concedo; ens negativum oppositum affirmativo. nego. Sic tenebræ, cæcitas, &c. opposite entibus positivis, nempè luci, & visui, entia simpliciter non sunt; At verò vnio negatiua opposita vnioni affirmatiuæ est proprie nexus, & enuntiatio, sicut affirmatiua ac proinde cum ea convenit in ratione nexus. Ad confirmationem eodem modo respondetur ; ens negativum oppositum positiuo non cōvenire cum ente positivo, ens vero negativum oppositivum affirmatiuo quale est propositio negatiua, convenire cum ente positiuo, cum sit ens positivum.

18. Retorquetur argumentum. Ens negativum non est simpliciter ens, item ens negativum non convenit cum positivo in ratione entis; ergo neque propositio affirmatiua erit simpliciter propositio, nec conveniet cum propositione negatiua in ratione propositionis, quod est contra ipsos Adversarios.

19. Objic. quinto. Unio logica dicitur ad similitudinem vnionis physicę, sed negatio vnionis physicę non est vnio physica, ergo neque negatio vnionis logicæ erit vnio logica.

20. Resp. Concedo maiorem, & minorem; sed nego supposium consequentis, quod ly *non est* in propositione negatiua sit negatio vnionis logicæ, cum sit ipsamet vnio logica. Ly *non est*, tantum est negatio vnionis obiectiuæ, & sic non est vnio obiectiua. Hinc Advertas per hanc vocem *vnio negativa* non significari non esse vnionis formalis, seu negationem vnionis formalis, sed tantum significari vnionem formalem exercitam, seu exercite nectentem prædicatum formale cum subiecto formali in ordine ad vnam propositionem constituendam repræsentantem carentiam vnionis obiectivæ, seu divisionem obiectiuam.

21. Objic. sexto. Cognitio, qua plura, vt plura cognoscimus, non dat vnitatem obiecto, sed solum ea confusa cognitio, qua plura per modum vnius cognoscimus; ergo neque cognitio diuidens prædicatum à subiecto, ea que, vt plura cognoscens coniunget prædicatum cum subiecto.

22. Resp. Transeat antecedens, & nego suppositum consequentis; scilicèt propositionem negativam dividere subiectum, & prædicatum formale, de quibus solum quæstio est ; ex argumento enim tantum infertur, vnionem negativam non conferre vnitatem prædicato, & subiecto obiectiuis, sed potius ea dividere, quod non renuo.

23. Objic. septimò. Subiectum, & prædicatum formale desumuntur á repræsentatione subiecti, & prędicati obiectiui, hisque deficientibus deficiunt etiam subiectum, & prędicatum formalia; ergo similiter vnio formalis desumitur á repræsentatione vnionis obiectivę, eaque deficiente deficiet vnio formalis.

24. Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiam; vnio enim non denominatur vnio formalis ab aliquo obiectiuo, sicut nec denominatur prædicatio, sed re ipsa formaliter est vnio, nexus, & prædicatio; quia enuntiat prędicatum de subiecto, & ea nectit ad constituendam vnam propositionem., Ratio disparitatis inter vnionem formalem, & subiectum, & prædicatum formale, quare scili-

scilicet subiectum, & prædicatum formale desumatur á repræsentatione vnionis obiectivę, est, quia prędicatū, & subiectum formale iuxta communem definitionem non habent aliud munus, quā repręsentationem subiecti, & prædicati obiectiui; subiectum, namque formale definitur id quod repręsentat obiectum, de quo aliquid dicitur, prędicatum formale id quod repræsntat obiectū, quod de alio dicitur; vnde nil mirum, quod prædicatum, & subiectum formale sumantur â repræsentatione subiecti, & prędicati obiectivi; & quod his deficientibus illa vtique deficiatit. Ast verò vnio formalis logicalis, cum sit nexus extremorum, seu enuntiatio vnius de alio, & id, ratione cuius fit vna propositio per similitudinem cum vnione physica, quę est id, ratione cuius fit vnum compositū, quod totum salvatur independenter ab obiecto; inde est, quod ipsa ab vnione obiectiva non sumatur, & quod hac deficiente illa non deficiat.

25. Hinc colliges ly *non est* in propositione negativa (idem dic de ly *est* in propositione afirmativa) habere duplex munus, & vnionis, & repræsentationis. Deficiente vnione obiectiuá, deficit illi primum munus representandi vnionē, ast retinet secundum munus vnionis, seu nexus formalis. Primúm munus ab obiecto dependet, ideoque ex variatione obiecti, ipsum quoque variatur. Secundum munus ab obiecto non dependet, vnde ex variatione ipsius ipsum variari nequit. Hinc si per possibile, vel impossibile deficeret obiectum, & remaneret propositio, ly *non est* non esset repræsentatio, esset tamen nexus.

26. Quod in subiecto, & prædicato cōfirmari potest, nam subictum, & prędicatum duplex etiam munus habet, & munus termini logici, & munus prędicati, & subiecti formalis. Primū ab obiecto dependet. Sic ablato subiecto obiectivo (idem dic de prædicato) auferretur subiectum formale. Secundum, se tenet ex parte actus, & ab obiecto nō dependet. Undè hoc ablato si maneret propositio, maneret subiectum in ratione termini, extremi aut partis propositionis, non tamen in ratione subiecti formalis. Similiter in vnione formali discurrendum est, comparanda que, non cum subiecto formali, sed cum termino formali.

27. Replicabilis. Ideò in hac propositione affirmativa *Petrus est homo* ly *est* vnio formalis, quia representat identitatem obiectivam inter Petrum, & hominem ; ergo ècōtrario in hac propositione negativa *Petrus non est lapis* ly *non est* non erit vnio formalis, cum non repræsentet identitatem, sed potius carentiam ipsius.

28. Resp. Nego antecedens, sed quia est nexus, vi cuius extrema ita se habent inter se, vt vnam propositionem constituant, sed licet ly *non est* in propositione negativa repręsentet carentiam identitatis obiectivæ ita se habet, vt vi ipsius vna propositio negatiua constituatur. ergo. In super, quam falsa sit causalis antecedentis constat, nam hæc á prehensio *identitas* repræsentat identitatem obiectiuam, & tamen non est vnio formalis.

29. Objic. Octavo. Unio hęc negatiua (quæ deservit, ne termini repugnantiæ, qui remouentur per propositionem negatiuam disparatè se habeāt, sed vnus ad alium enuntiativè refferatur) solum dicit, conexionem, & relationem repugnantiæ inter prędicatum, & subiectum, sed hæc relatio inter terminos repugnantes non sufficit ad rationem vnionis, ergo probatur minor ad rationem vnionis physicę non sufficit relatio repugnantiæ inter terminos se mutuo removentes, alias vnirentur calor, & frigus gratia, & peccatum, quę sunt termini repugnantes non disparatè, sed relativé se habentes ergo.

30. Ita arguit. Ingeniosus Modernus

sed

sed malè arguit; transit enim á terminis formalibus ad obiectiuos, eos que confundit. Respondetur: Distinguo maiorem, vnio hæc negativa, & solum dicit relationem repugnantiæ inter prædicatum, & subiectum obiectivum; concedo; inter prędicatum, & subiectum formale; negò, & distinguo minorem; sed hæc relatio inter terminos repugnantes non sufficit ad rationem vnionis inter ipsos terminos repugnantes; nempè obiectivos; cócedo; inter terminos non repugnãtes, nempè formales; nego. Termini repugnantes, & relati relatione repugnantiæ sunt termini obiectivi, prędicatum scilicèt, & subiectum obiectivum, qui per negatiuam vnionem non vniuntur, sed potius remouentur, nec ex eis vnum compositum resultat, sicut non resultat ex gratiá, & peccato, calore, & frigore. At verò termini formales, prædicatum nempè, & subiectum formale non sunt termini repugnantes, nec vi illius vnionis negatiuæ refferuntur relatione repugnantiæ, sed potius relatione connexionis in ordine ad constituendam vnã propositionem formalem, quæ ex eis, & tali vnione resultat. Vnde termini formales comparandi non sunt cum calore, & frigore, &c. Sed tantum termini obiectiui, & hoc patet à posteriori. Nam illa relatio repugnantiæ inventa inter calorem, & frigus non facit vt ex vtroque resultet aliquod compositum physicum, ergo signum est, quod talis relatio non est vnio physica, neque nexus illorum extremorum. Ast est prædicato, & subiecto formalibus, vi illius *non est* resultat aliquod totum logicum, propositio scilicêt negatiua: ergo signum est, quod illud *non est* est vnio, cum sit extremorum nexus similitudine desumpta ab vnione physica.

31. Objic. Nono ex eodem. Impossibile est, quod eadem forma præstet effectum sibi oppositum, ad cuius destructionem ordinatur, v.g. Quod calor reddit subiectum frigidum, frigus calidum, visus cæcum, cęcitas videntem; sed negatio vnionis opponitur effectui *vniti*, & ordinatur ad vnionem destruendam, tanquam formam sibi oppositam, ergo impossibile est, quod præstet effectum formalem *vniti*: ergo ly *non est* non reddit vnitum prædicatum, & subiectum: ergo neque est vnio.

32. Simili argumento iam respondimus n. 20. Vndè simili modo respõdetur. Concedo mayorem, minorem, & cõsequentiam, sed nego suppositum, quod ly *non est* in propositione negativa sit negatia vnionis formalis, neque oppositum vnioni formali, cum sit ipsamet vnio formalis. Solum est, ly *non est*, negatio vnionis obiectiuæ, ideo que ipsa nõ est vnio obiectiua, nec tribuit denominationem *vniti* prædicato, & subiecto obiectiuo, sed potius denominationem contrariam *divisi*.

33. Pro calce quæstionis. Nota, me in præsenti non deffendere, sed supponere, vt detur locus quęstioni, per ly *est* in propositione affirmatiua representari vnionem obiectiuam, & per ly *non est* in propositione negatiua representari carentiam vnionis obiectiuæ. De hoc enim in tractatu de Enterationis meam mentem aperiam.

SECTIO. III.

ALIQVA CIRCA SVBIECTVM, & prædicatum.

34. Scias primò, dari subiectum, & prędicatum obiectivum: subiectum, & prędicatum vocale; & subiectum, & prędicatum formale. Subiectum obiectivum est, *id, de quo aliquid dicitur*. Prędicatum obiectivum *est id, quod dicitur de aliquo*. Subiectum formale: *Est actus repræsentans subiectum obiectivum*. Prædicatum formale *est actus repræsentans prædicatum obiectivum*. Subiectum vocale est *vox illa, qua subiectum obiectivum significatur, & qua subiectum formale actum scilicèt mentis declaramus*. Prędicatum vocale est *vox illa, qua prædicatum obiectivum significatur, & qua prædicatum formale declaramus*; v.g. in hac propositione *Petrus est homo* subiectũ obiectivũ est *Petrus* revera existens. Subiectum formale est actus mentis, repręsentans ipsum Petrum. Subiectum vocale est illa vox *Petrus*, ipem dic de Prędicato.

35. Hinc inferens, prędicatum, & subiectum formale solum esse repręsentationes quasdam subiecti, & prædicati obiectiui, ac proinde esse impoprìè subiectum, & prædicatum, & quasi ex penuria vocum, potius enim prędicatum formale deberet dici prędicans, quam prædicatum. Prędicatum, & subiectum obiectivum sunt propriè subiectum, & prædicatum. Quia id est simpliciter, & propriè prædicatum, quod propriè, & simpliciter prædicatur, sed solum prędicatum obiectivum, & non prędicatum formale, neque vocale prædicatur propriè, & simpliciter, ergo. Hoc patet in propositione *Petrus* est *homo* vbi neque vox, neque conceptus homo dicitur de voce, aut conceptu *Petrus*, cum neque voces, neque conceptus sint idem. Aliàs si voces, aut conceptus prædicarentur falsa esset illa propositio.

36. Confirmatur. Quod est repræsentativè tale, non est simpliciter tale. Sic Statua Alexandri, neque imago Cæsaris sunt Alexander, aut Cæsar, quia solum sunt repræsentative tales, sed subiectum, & prædicatum formale solum sunt repræsentative subiectum, & prædicatum: ergo.

§

OOOO

SECTIO IV.

AN IN PROPOSITIONIBVS detur ratio, vt prædicata potius sint prædicata, quam Subiecta, vel è contra?

37. Scias, dari duplicem propositionem. Vnam substantivam, significatam per Uerbum substantivum *sum, es, fui*; v.g. *Petrus est homo*. Aliam adiectiuam, significatã per alia verba, v.g. *Petrus currit: Ioannes scribit*, Pater Isquierdo, disp. 2. phari, q. 4. n. 216. & 217. aliter de propositionibus substantivis, ac de adiectiuis discurrit. Asserit; propositiones substantiuas, in quibus datur *est*, repræsentare identitatem obiectiuam prædicati cum subiecto. Propositiones vero adiectiuas (in quibus solum significatur, actionem importatam per verbum convenire subiecto per modum exercitij, seu actionis ab eo productę) non repræsentare talem identitatem; sed solum, vel vnionem, vel modum, quo talis actio convenit subiecto: v.g. *Petrus currit*, tantum repræsentare eam vnionem accidentalem, quę datur inter Petrum, vt causam, & inter cursum, vt effectum.

38. Scias secundò; dari aliquas propositiones de prædicato vniversali, v.g. *Petrus est homo, Homo est animal*, in quibus licet quo ad rem prædicatam, & extensiuè tantum prædicetur hæc humanitas identificata cum Petro, quo ad modum prædicandi, & intensiue totum vniversale prædicatur. Dari etiam alias, in quibus tam quo ad rem prædicatam, quam quo ad modum prędicandi, prædicatur vna tantum humanitas: v.g. *Petrus est hic homo*, quid quid sit de propositionibus adiectivis, & de prædicato vniversali, de quibus postea.

39. Inquirit pręsens quæstio, vtrũ in hac propositione singulari *Petrus est hic homo* detur ratio, vt ly *Petrus*; potius sit

sit subiectum, quam prædicatum, & ly *hic homo* sit potius prædicatum, quam subiectum?

40. Ratio dubitandi imò, & ratio partis negativæ, quam acriter tenet scientissimus P. Nicol. de Miraval, mira certè ingenij viua citate, qua gaudet. Cum Caram in sua Logica, alijsque Anonimis apud Lince, & Patrem Quiros, qui licet oppositum affirmet, omnia contrariæ sententiæ fundamenta expressis terminis sibi opponit, tract. 2. de proemial. Logicæ disp. 10. sect. 5. á n. 35. Ratio (inquam) dubitandi est.

41. Quia cum subiectum sit id, de quo aliquid dicitur, & prædicatum id, quod dicitur de alio, in hac propositione *Petrus est hic homo*, eodem modo dicitur de Petro esse hominem, quam de homine esse Petrum. Nam dicere; Petrum esse hunc hominem, nil aliud est, quam cognoscere, & repræsentare hominem identificatum cum Petro, sed eo ipso, quod cognoscatur, hominem esse identificatum cum Petro, cognoscitur, Petrum esse identificatum cum hoc homine, ergo in illa propositione, tam dicitur de Petro esse hunc hominem, quam de hoc homine esse Petrum. Cur ergo Petrus erit subiectum, & non *hic homo*? & cur *Hic homo* erit prædicatum, & non *Petrus*?

42. Confirmatur per actum, qui repræsentat vnionem, quæ mediat inter punctum A, & punctum B. tam cognosco, punctum A vniri puncto B, quam punctum B. vniri puncto A: ergo per actum repręsentantem identitatem inter Petrum, & hunc hominem, tam cognosco hunc hominem identificari cum Petro, quam Petrum identificari cum hoc homine, ergo vnum potius, quam aliud nequit esse prædicatum, aut subiectum.

43. Hinc inferunt, etiam in propositione formali, non esse, cur potius *Petrus* sit subiectum formale, quam *hic homo*, & è contra. Nam cum subiectum formale sit solum repręsentatio subiecti obiectivi, & non detur ratio, cur potius Petrus sit subiectum obiectivum, quam hic homo, similiter non erit ratio, cur potius repræsentatio Petri sit subiectum formale, quam repręsentatio huius hominis, & è contra.

44. Ut ego meum sensum aperiam. Suppono, denominationes *subiecti*, & *prædicati* non esse intrinsecas obiecto, sed extrinsecas, illi á pręedicatione intellectus provenientes, sicut denominationes *cogniti, amati, &c.* Datur enim *prædicabile, prædicans, & prædicatum. Subijcibile, subijciens, & subiectum.* Sicut datur *cognoscibile, cognoscens, & cognitum.* Petrus enim, & hic homo (idem de omnibus alijs entibus) à parte rei independenter aquacumque prædicatione intellectus sunt *prædicabiles, & subijcibiles.* Hoc est, vt omnem, æquivocationem auferam, sunt capaces, vt sint, vel subiectum, vel prædicatum; sicut divitiæ independenter aquocumque actu sunt ex se capaces, vt amentur, vel odio habeantur. Intellectus est *prædicans & subijciens*, & media prædicatione, seu repręsentatione obiectorum, iam vnum subijcit alteri, & sic illud constituit in esse subiecti. Iam aliud prædicat de altero, & illud constituit in esse *prædicati.* Sicut voluntas est *amans*, vel *odio habens*, & medio amore obiectum denominat *amatum*, & medio odio obiectum denominat *odio habitum.*

45. Ipsa obiecta dicuntur *prædicata, & subiecta*, sed extrinsecè á prædicatione intellectus, tamquam á formá, sicut dicuntur *amata*, & *cognita* extrinsecè á cognitione, & amore. Vnde ex se & independenter à prædicatione intellectus, neque sunt *prædicata*, neque *subiecta*, sed *prædicabilia, & subijcibilia*, hoc est, habentia capacitatem, vt si subijciantur, sint *subiecta*, & si prædicentur, sint prædicata.

46. Dico primò. Non datur ratio, cur potius sit *Petrus* subiectum, quam prędicatum, & *hic homo* potius prędicatum, quam

tum, quam subiectum, independenter ab operatione intellectus, & primò intentionaliter. Probatur ex dictis. Quia primo intentionaliter tam *Petrus*, quam *hic homo* habent capacitatem, vt sint prædicatum, & subiectum, nam cum vterque sit identificatus, vterque potest ad invicem prædicari, & subijci. Si dicatur *Petrus est hic homo. Petrus* est subiectum, & *hic homo*, prædicatum; si verò dicatur *hic homo est Petrus*, iam *Petrus* est prædicatum, & *hic homo* subiectum.

47. Dico secundò. Datur ratio, cur potius in hac propositione *Petrus est hic homo; Petrus*. Sit subiectum, quam prędicatum, & contra. Probatur etiam ex dictis, nam cum rationes subiecti, & prædicati sint denominationes extrinsecę provenientes á modo concipiendi intellectus, qui quidem modus concipiendi est forma denominans, & determinans obiectum, nunc ad esse *subiectum*, nunc ad esse *prædicatum* in casu posito talis propositionis. *Petrus est hic homo*, intellectus repræsentabit *Petrum* subijciendo illum homini, & *hominem* prædicando illum de *Petro*, & hæc est ratio cur *Petrus* sit potius subiectum, quam *hic homo*; & *hic homo* potius prędicatum, quam *Petrus*.

48. Si roges, vnde habeat intellectus, quod vnum subijciat, & alterum prædicet? Respondeam. Hoc habere ex proprio modo tendendi ipsius. Sicut enim intellectus iuxta Angelicum Pręceptorem nunc tendit per modum componentis, nunc verò tendit per modum dividentis in idem obiectum. Hoc est nunc affirmat, nunc negat idem prædicatum de eodem subiecto, ita similiter, nunc tendit subijciendo vnum alteri, nunc vero prædicando vnum de altero, & indifferentia, seu capacitas, quæ datur in obiecto, vt subijciatur, vel vt prædicetur, determinatur in actu secundò per actum intellectus, vel prædicantem, vel subijcientem.

49. Si tamen vlterius roges, quid sit; intellectum ex modo tendendi vnum alteri subijcere, aut vnum de altero prędicare? Respondeam cum Patre Quiros vbi supra, esse, intellectum concipere subiectum per modum per se stantis, & prioris, & prædicatum per modum alteri adiacentis, & posterioris. Subiectum per modum materiæ, & prædicatum per modum formæ. Compositum enim logicum ad instar compositi physici concipiendum est. Ergo sicut sufficit, vt materia dicatur subiectum physicum, quod sit prior forma, & id cui adiacet forma, ita in composito logico, vt *Petrus* sit subiectum sufficiet, quod concipiatur, vt quid prius, cui adiacet ly *hic homo* Nam, licet ita non sint, tamen ita concipiuntur, & quod intellectus ita conceperit, colligitur ex ipsa propositione vocali conceptus mentis manifestativâ, in quâ subiectum, & prædicatum ita se habent. Quod ex ipsa communi nominum intelligentiâ dignoscitur. Nam cum ego audio aliquem dicentem *Homo* ad huc vitalis termini illum indifferentem concipio ad hoc, vel illud prædicatum, si tamen audiam, illum postea dicentem *est animal* iam determinatum concipio, sicut dum cognosco materiam solitariè, illam indifferentem concipio ad hanc, vel illam formam, si vero illam concipiam informatam formá equiná, v.g iam illam concipio determinatam: ergo cum subiectũ, & prædicatum reflexè cognita in propositione vocali ab hominibus concipiantur adinstar materię, & formæ prioris, & posterioris, cum directè attinguntur ab intellectu, subiectum, & prędicatum obiectivum ad instar huiuscemodi rerum attinguntur.

50. Dices. Hoc esse omnino voluntarie dictum. Eadem enim facilitate, quá á me dicitur; intellectum concipere subiectum per modum per se stantis, prioris, aut recipientis, & prædicatum per modum alteri adiacentis, posterioris, aut recepti ad simi itudinem materiæ, & formæ. Posse negari ab adversarijs.

51. Sed contra primò. Qui omnium fere Doctorum authoritate munitus in modo loquendi procedit, nulla tenus loquitur voluntarie. Omnes enim, vel ita expressè loquuntur, vel ita loquerentur, si rogaretur ab ipsis. Cur potius sit prædicatum, quam subiectum ly *hic homo* in tali propositione, cum omnes illud appellent prædicatum, quia dicitur de subiecto, imò ita expræsse loquitur Angelicus Præceptor primò. Perhyer. lect. 5. Vbi explicans definitionem ibi traditam ab Aristotele ait. *Verbum adiectivum non includit subiectum, sed prædicatum, quia* (advertas rogo) *quia prædicatum, vt adiacens, subiectum vero per se aprehenditur.* Quid clarius?

52. Contra secundò. Et simul probatur nostra conclusio ab inconvenienti ex contraria, sequuto. Ex tali modo discurrendi destruitur totavis syllogistica, omnes regulę conversionum, omnia enim fundantur in varia dispositione prædicatorum, & subiectorum. Præcipuè cum tota convertentia proposit onum stet in eo, quod prædicatum vnius propositionis transeat in subiectum alterius; si ergo non datur ratio cur potius prædicatum sit prędicatum, quam subiectum, neque dabitur subiectum, & prædicatum, corruet modus loquendi scholarum omnium. Rogo, quis magis voluntarie procedet? qui cum fere omnibus Doctoribus, duce Angelico Præceptore pro defensanda scholarum loqutione loquitur, an qui cum vno Caram. Paucisque Anonimis loquitur?

Respondebit ingeniosus Recens, se non negare subiectum, & prædicatum, sed dicere; stando definitione traditę de subiecto, & prædicato, scilicèt subiectũ esse de *quo aliquid dicitur*, & prędicatum, *quod dicitur de alio*, non dari rationem, cur potius sit prędicatum *hic homo*, quam *Petrus*.

53. Optimè quidem. Destruere rem, & concedere nomen. Huc vsque res significata per nomen subiecti est ea, de quá dicitur aliquid, & per nomen prædicati, ea, quę de alio dicitur, si definitiones destruis, nomina sine fundamento relinquis, & quoad rem regulas syllogisticas, & ad convertentiam assignatas evertis. Vel assigna alias definitiones subiecti, & prædicati, quibus componatur hæc difficultas, & maiorem forte pariet.

54. Ad rationem fundamentalem contrariorum positam n. 41. respondetur. Quod licèt per intellectum efformantem illam propositionem: *Petrus est homo*, cognoscatur identitas inter Petrum & hunc hominem, & inter hunc hominem, & Petrum, non tamen eodem modo tendendi. Nam in *Petrum* tendit intellectus per modum subijcientis, & in *hunc hominem* per modum prædicantis. Vnde *Petrum* constituit subiectum, & *hunc hominem* prędicatum. Hinc quęcumque propositio hoc modo distinguẽda est. *Eo ipso, quod cognoscatur, Petrum esse identificatum cum hoc homine, cognoscitur, hunc hominem identificatum esse cum Petro*: distinguo. Eodem modo tendendi actus, nego: diverso modo; concedo; & hic diversus modus tendendi sufficit, vt in hac propositione *Petrus est hic homo*; *Petrus* sit subiectum, & *hic homo prædicatum*. Et in ali: *hic homo est Petrus*; *hic homo* sit subiectum, & *Petrus* sit prędicatum.

55. Ad confirmationem positam num. 42. respondetur, quod qui cognosceret vnionem mediantem inter punctum A, & punctum B. eodem modo cognosceret ea puncta, cum ea ad invicem non prędicaret. At vero si primò diceret, punctum A est idem cum puncto B, & postea punctum, B. Est idem cum puncto A, licet eadem entitas affirmaretur in vtraque propositione, affirmaretur tamen distincto modo.

56. Objic. primò. Subiectum est de quo aliquid dicitur, vt de habente se, per modum per se stantis, & prædicatum, quod dicitur de alio per modum alteri adiacentis. Definiantur ergo ita, & clariori modo procedemus.

57. Respondetur, quod licet ita verum sit, non est necesse, quod in definitione exprimatur; implicite enim in ea contentum est, & satis indic tur hic modus per se stantis in subiecto, cum dicitur; esse id, de quo aliquid dicitur. *Cum esse id dequo* sonet aliquam quasi prioritatem, & maioritatem. Item modus alteri adiacentis in prædicato, satis denotatur, cum dicitur; prędicatum esse quod *dicitur de alio.* Dici enim de alio sonat inferioritatem, & adiacentiam.

58. Objic. secundò. Potest aliquis elicere hunc actum *Petrus est hic homo*, habens in mente hoc iudicium verum. Ex conceptibus identificatis non recipitur vnus in alio, nec vnus se habet per modum recipientis, & alius per modum alteri, adiacentis. Arqui tunc non concipio Petrum per modum recipientis, neque hunc hominem per modum alteri adiacentis, cum potius contrarium vitalis iudicij teneam; ergo saltem tunc nõ erit ratio, cur potius *Petrus*, quam hic homo sit subiectum.

59. Respondetur, quod in casu iam propositio, licet intellectus contrarium affirmet signate, exercitè tamen concipit modo á nobis explicato. Dicunt enim, & non faciunt quam plurimi. Sicut qui superbè gloriaretur dicens: *Ego sum humilis*, &c. & qui vanè dicere, *ego vanitatem non habeo* sic in casu argumenti, parum inter est, quod ita iudicet, cum exercitè contrarium faciat intellectus. Et sicut per eundem actum, quo aliquis signatè diceret: *Animal, & rationale sunt omnino idem*, exercitè *Animal*, & *Rationale*, vt duplicem distinctam formalitatem attingeret, ita etiam si aliquis iudicet ex conceptibus identificatis, &c. cum aliundè dicat *Petrus est hic homo* exercitê in *Petrum* tendit concipiendo illum ad instar *recipientis*, & in *hunc hominem* adinstar *adiacentis*. Ex quo inferes, quod licèt illud iudicium. *Ex conceptibus identificatis non recipitur vnus in alio*; verum sit, attamen quod additur, nec vnus se habet per modum recipientis nec alius per modum adiacentis, falsum est.

60. Objic. tertiò. Cum prædicatur de *Petro*, quod sit *hic homo*, prędicatur de *hoc homine*, quod sit *Petrus*. Ergo non datur ratio, cur potius *Petrus*, quam *hic homo* sit subiectum. Probatur antecedens. Prædicari vnum de alio, nil aliud est, quam cognoscere vnum identificatum cum alio. Sed cum prædicatur *hic homo* de *Petro*, cognoscitur *Petrus* identificatus cum *hoc homine*; ergo prędicatur de *hoc homine*, quod sit *Petrus*.

61. Resp. Nego antecedens. Ad eius probationem distinguo maiorem. Prædicari vnum de alio, nil aliud est, quam cognoscere vnum identificatum cum alio vt cumque, nego, vnum identificatum cum alio cõcipiendo ly *vnum* per modum alteri adiacentis, & posterioris concedo. Qualiter in hac propositione non se habet *Petrus* respectu ly *hic homo*, sed è contra. Aliâs si prædicari vnum de alio esset tantum concipere vnum identificatum cum alio in hac appræhensione *Animal rationale* daretur prædicatio, cum concipitur animal identificatum cum rationali, & in propositione negativa *Petrus non est lapis*, non daretur prædicatio, cum non concipiatur vnum identificatum cum alio, sed potius divisum ab alio.

62. Objic. quartò. Vnio copulativa propositionis hipotericę; v.g. *Petrus currit, & Ioannes de ambulat*, vtramque vnit propositionem, sicut vnio enunciativa; v.g. *Petrus est hic homo*, vnit vtrumque extremum, sed vnio copulativa nullam denominationem tribuit vtrique propositioni, quia idem est dicere *Ioannes de ambulat, & Petrus currit*, ac *Petrus currit, & Ioannes de ambulat*, ergo nec vnio enuntiativa conferet specialem denominationem extremis, cum idem sit dicere *Pe-trus*

trus est hic homo, & hic homo est Petrus.

63. Respondeo iuxta probabilem Propositionem copulativam: *Petrus currit, & Ioannes deambulat*, non esse vnam propositionem, neque habere vnionem logicalem, sed duplicem propositionem cum aliqua connexione significata per particulam *Et*. Quid ergo mirum, quod nullam denominationem accipiat vtraque propositio. Cum inter vtramque nulla detur prædicatio? Aliter vnio enuntiativa est vera vnio logicalis, vi illius vnum dicitur de alio, & vnum cõcipit intellectus ad instar recipientis, aliud ad instar adiacentis. Quid ergo mirum, quod vni extremo tribuat denominationem subiecti, alteri vero denominationem prædicati? Vnde distinguenda est illa propositio, *ideo vnio copulativa non tribuit vllam denominationem, quia idem est dicere* Petrus *currit, & Ioannes deambulat, ac è contra, Ioannes deambulat, & Petrus currit*, distinguo, quia idem, & eodem modo, concedo, idem, & distincto modo formaliter tali, nego: idem enim attingit intellectus ex parte obi, sive propositio sit *Petrus est hic homo*, sive sit, *hic homo est Petrus*, sed non eodem modo tendendi ipsius intellectus, vt constat ex dictis. Attamen in propositione copulativa, sive hoc, vel illo modo disponatur idem, & eodem modo tendendi intellectus, attingitur ex parte obiecti.

64. Si tamen probabiliter teneas, propositionem copulativam esse vnam propositionem, ita, vt idem sit dicere *Petrus currit, & Ioannes de ambulat*, ac dicere, *incursu* Petri, *& Ioannis deambulatione datur simultas*, idẽ respondeas, quia idem, & eodem modo attingitur ex parte obiecti simultas cursus, & deambulationis, sive dicatur propositio primo, sive secundò modo.

65 Objic. quintò. *Carolus Rex* eodẽ modo aprehenditur, ac *Rex Carolus*, solum enim potest esse discrimen in prioritate temporis, quę nulla est in mente. Ergo *Carolus est Rex* eodem modo attingitur, quo è converso *Rex est Carolus*. Probatur consequentia primò, quia *Carolus Rex* virtualiter est idem, ac *Carolus est Rex*, ergo idem de vtroque dicendum. Probatur secundò, quia in ly *Carolus Rex* ly *Rex* appellat supra *Carolum*: qua propter ly *Rex* se habet per modum adiacentis, & ly *Carolus* per modum per se stantis. Quod probatur, quia si ponatur terminus connotativus, qui semper apellat supra materiale subiecti; v.g. *Carolus magnus est Rex*, talis terminus non cadit supra *Regem*, sed supra *Carolum*: ergo signum est, quod *Carolus* illic se habet per modum subiecti, aut materiæ, & ly *Rex* per modum prædicati, aut formæ: ergo si hoc non obstante idem est dicere, *Carolus Rex*, *ac Rex Carolus* idem erit dicere *Carolus est Rex*, *ac Rex est Carolus*.

66. Respondetur. Transeat antecedens, & nego consequentiam, nam *Carolus Rex* apprehenditur disparate ab intellectu, & sine vlla connexione, prædicatione, aut vnione, quin appareat, an *Rex*, & *Carolus* sint vnum suppositum, vel duo, ac proinde, idem, & eodem modo attinget intellectus, sive aprehendat, *Carolus* Rex, ac Rex *Carolus*. Non ita in nostro casu, vt ex dictis patet.

67. Ad primam, & secundam probationem conclusionis, dico; quod si *Carolus* Rex. Est idem virtualiter ac *Carolus est* Rex, non erit virtualiter idem *Carolus* Rex, ac Rex *Carolus*, & si ly Rex est forma metaphysica, & prędicatum, & ly *Carolus* est materia, aut subiectum, eodẽ modo, ac in nostro casu discurrendum est. Vtrum autem, ita sint postea (Deo dante) videbimus.

68. Objic. 6. Si iudicium sit qualitas simplex, vt tenet communis sententia, hęc propositio: *Petrus est hic homo*, est vnicus actus indivisibilis in vnico instanti repræsentans identitatem inter Petrum, & hunc hominem, ergo *Petrus* nequit concipi, vt prior, & *hic homo*, vt posterior, quia iam insumerent duo instantia temporis.

69. Respondetur. Concedo antecedens, & nego consequentiam. In vnico namque instanti temporis potest vnum concipi, vt prius, & alterum, vt posterius, sic cum principio per vnicum actum indivisibilem, vnicoque instanti reali indivisibili, *hominem esse risibilem*, concipio *essentiam hominis*, vt quid prius, & prædicatum, *risibilem*, vt quid posterius, quin in hoc, duo instantia temporis insumantur.

SECTIO. V.

TERMINI LOGICI DEFINITIO.

70. Scias. Hanc vocem *terminus* multipliciter sumi. Primò sumitur pro fine alicuius rei, sic gloria dicitur iustorum terminus, vt pote finis, quem eorum merita collimant. Secundò sumitur pro effectu alicuius causæ, vel obiecto alicuius actus, sic creatura dicitur terminus Omnipotentiæ. Res amata, terminus amoris, & paries visus terminus visionis. Tertiò sumitur pro quávis dictione, vel voce simplici, aut conceptu illi correspondente, medio quo res cognoscimus. Quarto sumitur pro fine, & principio alicuius rei. Sic primum, & vltimũ punctum lineæ dicitur terminus illius.

71. Relictis alijs termini vsurpationibus, quas longum esset recencere ex prædictis oritur summa definitionum termini varietas, licet fere omnes in pluribus conveniant omnesque facili negotio ęquè impugnari, ac defendi queant. Aliquas referam. vt ex earum impugnatione faciliús nostra percipiatur.

72. Prima est Hortiz lib. 1. cap. 2. n. 10. *Signum Catheogoricæ propositionis*: displicet, quia non convenit omni definito, terminis nimirum hypoteticę propositionis.

Secunda Soti: *Vox significativa*; displicet: tum quia terminus mentalis non est vox; tum quia videtur inventa tantum ad excludendas voces non significativas á ratione termini, potius, quam ad eius naturam explicandam.

73. Tertia. *Quod potest esse subiectum, vel prædicatum*; displicet, quia potius est divisio, quam definitio, sicut hæc. *Animal est*, quod potest esse *homo*, vel *brutum*.

74. Ita eam modificatam. *Terminus est extremum ponibile in propositione tamquam subiectum, & prædicatum*: tenet quidam ingeniosissimus Neotericus mihi ob ingenij acumen magna veneratione habitus qui in Platensi Vniversitate publicus Philosophiæ professor extitit.

75. Sed certè plusquam dinifitio displicet modificatio. Adverte, particulam *Et* esse copulativam, ad cuius verificationem non sufficere, quod vnum, vel alterum verificetur, sed vterque terminus copulatus verificari debet; v.g. vt hæc propositio sit vera *Petrus, & Paulus currit*, non sufficit, quod currat Petrus tantum vel Paulus tantum, sed requiritur, quod vterque currat, ad distinctionem particulę disiunctivæ *vel* ad cuius verificationem sufficit, vnius termini verificatio; v. g. vt sit vera hæc propositio, *Petrus*, vel *Paulus currit*, sufficit, quod Petrus tantum, vel Paulus tantum currat, quod supposito sic præsens modificatio impugnatur.

76. Omnis differentia, per quam definitur aliquis, cõceptus, talis debet esse, vt eo modo, quo ponitur indefinitione verificetur de quolibet definitio, seu individuo contento sub tali conceptu. Sic rationale, per quod definitur homo verificatur de Petro, Paulo, &c. eodem modo, ac ponitur indefinitione hominis. At qui ly *tamquam in subiectum*, *& prædicatum* positum vt differentia in vestra modificatione non verificatur de quolibet definitio eo modo ac ponitur indefinitione; ergo.

77. Quarta est Patris Componi: *Extremum in quod resolvitur propositio tam*

quam

quam in subiectum, & prædicatum, quæ displicet ob eamdem rationem. Tum etiam, quia tradit definitionem per disolutionem, cum potius per compositionem deberet eam tradere, & quia illa vox *resolutio* nimis dubia, & obscura est in sua significatione. Plures dicunt mentalem disolutionem propositionis significare. Plures etiam sistentiam, & compositionem.

78. Quinta sit cuiusdam ingeniosi Moderni. *Constitutivum inadæquatum totius logicalis.* Displicet, quia termini est non solum constituere, sed terminare, & finire: ergo satis non explicat naturam termini, sicut si aliquis rogaretur de termino lineæ non satisfaceret dicens *Est par constitutiva lineæ*, nisi adderet *extrema.* Si tamen respondeat; se non definire terminum, vt convertitur cum extremo, sed vt convertitur cum Constitutivo. Contra erit: ergo terminum non definit iuxta mentem, & acceptionem Phylosophi, qui primò methaphisicæ sic terminum explicat, & definit. *Terminus est cuius libet vltimum, extra quod nihil est accipere primi, & intra quod omnia primi*: cum enim hæc vox *Terminus* tam multipliciter vsurpetur in illa; vsurpatione eum accipere debemus, in qua lumen, & Dux noster Aristoteles eam accipit, non in ea, quę nobis prolibito placuerit. Vnde terminus debet dẽfiniri, non prout convertitur cum constitutivo, sed prout convertitur cum extremo.

79. Sexta sit Patris Iosephi de Olzina, qui num. 2316. scientię rationalis ita definit terminum logicum communẽ apprehensionibus saltem complexis (vt ait ille) & propositionibus. *Pars compositi Dialectici, vt talis* postea verò num. 2327. terminum propositionis ita *Pars principalis enuntiationis, vt talis.*

80. Displicet primò, quia iuxta ipsum, vt ex numero 2317. constat propositio non est qualitas composita, sed simplex, non est compositum, sed vna realitas: ergo subiectum erit terminus propositionis, & non erit terminus logicus. Patet cõsequẽtia: nã erit pars principalis enuntiationis, quę est definitio termini propositionis, sed non est pars compositi logicalis, quæ est definitio termini logici ergo: Probatur minor. Propositio per vos non est compositum logicale, ergo nec subiectum erit pars compositi logicalis.

81. Displicet secundò, quia ly *Principalis* positum indefinitione termini propositionis est omnino otiosum. Nil namque est, quod vi illius posit in propositione excludi á ratione termini logicalis. Nam in propositione est subiectum, prędicatum, vnio, & in aliquibus propositionibus adverbium, & casus obliquus, sed vi illius particulæ *principalis* non excluditur â ratione termini subiectum, & prædicatum vt ex se constat, neque vnio adverbium, aut casus obliquus, nam iuxta ipsum vnio constituit rationem prædicati, vt ex num. 2326. constat, ac proinde est pars principalis, & terminus. Item adverbia, & casus obliqui vt ex num. 2326. constat etiam, participant rationem communem *termini* cum etiam constituant prędicatum, vt tale. *Quid* ergo per ly *principalis*, quod minus principale sit excluditur á ratione termini?

82. Dices cum eo numero 2336. ly *Principalis* poni ad excludendam vnionem vocalem, seu scriptam á ratione termini in propositione vocali, aut scripta. Singularis modus discurrendi primò. Rogo cur ly *est* constituit prædicatum mentale in propositione mentali, & non prædicatum vocale in propositione vocali? Si dicas, quia ly *est* mentale repræsentat identitatem obiectivam, quæ est id, quod prædicatur. Contra: ergo cum ly *est* vocale etiam significet eamdem identitatem obiectivam, cõstituet etiam prædicatum vocale. Si dicas; quia identitas representata per ly *est* prędicatur de subiecto. Contra, sed similiter identitas signi-

significat per ly *est* voc le prædicatur de subiecto: ergo. Si dicas demum, quia ly *est* mentale prędicatur de Petro, falsum dices, quia reprẹsentatio identitatis obiectivæ non prædicatur de reprẹsentatione Petri, aliás falsa esset propositio. Denique omissis alijs impugnationibus summè displicet, cum dicat; se deffinire terminum etiam aprehensionis complexę, & deffiniat illum per partem compositi logicalis Aprehesio enim complexa, cum nullam dicat vnionem, nec compositionem non est compositum, vt de se pate. Ergo neque terminus illius erit pars compositi.

83. Nostra definitio sit. Terminus logicus est *extremum totius logicalis*; cuius rectitudine sic probo. Illa est recta definitio, quæ constat ratione communi proxima conveniendi, & vltima differendi. Quæ convenit omni, & soli definito, & quæ est clarior suo definito. Sed hæc nostra definitio ita se habet: ergo. Probatur minor ly *extremum* est ratio conveniendi (nota me non dicere esse genus, ne indifficultates per difficiles, ab hoc loco, quam á tyronibus alienas, incidam, non enim opponitur rectę definitioni tradi per aliquam rationem communem analogam) ly inquam *extremum* est ratio conveniendi omni termino physico, scilicet materię, & formę, quæ sunt extrema compositi naturalis, mathematicas, scilicèt punctis constitutivis lineæ, ex quibus mathematicę demonstrationis resultant, & sunt ipsius lineæ extrema, & logicis, quæ sunt extrema syllogismi & ly *totius logicalis*, est differentia vltima per quam terminus logicus distinguitur à terminis physcicis, mathematicis, &c. quę non sunt totius logicalis extrema, etiam convenit *omni, & soli definito, omni*, quia omnis terminus logicus, est extremum alicuius totius logicalis. *Soli*, quia nullus alius terminus á termino logico est extremum totius logicalis. Est clarior suo definito, vt constat: ergo.

84. Nota, me dixisse *extremum totius logicalis*, & non *extremum propositionis*, vt tenet communis Dictorum definitio Arriagę, Toleti, Foncesæ, Spinulæ, Ioannis, Complutentium, & aliorum, quia syllogismus, discursus, & demonstratio pertinet ad logicam, & non sunt propositio, sed complexum plurium propositionum, quę habent proprios terminos. Unde debent comprehendi indefinitione termini logici, non tamen comprehenderetur, si definiretur terminus per extremum propositionis. Quod syllogismus, & demonstratio habeat proprios terminos probatur. Nam iuxta mentem Aristotelis ideo propositio habet proprios terminos; quia intra subiectum, & prædicatum est tota proposito, & nihil extra cã, sed totus syllogismus est intra maiorem, & consequentiam, & nihil extra: ergo syllogismus habet proprios terminos.

85. Confirmatur. Plures ex adversarijs reijciunt hanc definitionem modi sciendi. Modus sciendi *Est oratio manifestativa ignoti*, quia syllogismus, vt talis est modus sciendi, & tamen non est oratio, sed aggregatum orationum: ergo similiter reijcienda est prẹfata definitio termini, quia syllogismus, vt talis non est propositio, sed aggregatum propositionum. Vndè termini eius, non sunt termini propositionis.

86. Et hoc etiam modo reijciendę sunt omnes illæ definitiones, in quibus apponitur hęc vox *propositio*, nempè, *pars constitutiva propositionis. Pars extrema propositionis. Causa intrinseca constituens propositionem.* Et aliæ huiusce farinæ.

87. Nota etiam, me indefinitione non addidisse vocem *constitutivi*, vel *constituentis*, vt comprehenderet terminos extrinsecos, aprehensiones scilicèt præcedentes ad iudicium, & nullo modo illud constituentes. Nam sicut fluvij ripæ, intra quas fluvius continetur, & maris littora, quæ non transgrediuntur, termi-

termini appellantur, iuxta illud Gregorij. *Non transgreditur antiquam termini descriptionem*: ita præviæ aprehensiones, intra quas continetur sine transgretione, iudicium, *termini* debent appellari, quibus, si adderetur vox *constitutivum*, aut *constituens*, nullomodo conveniret definitio.

SVBSECT. VNICA.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

88. OBjic. primò. Aristotelem definivisse terminum logicum per id, *in quod resolvitur propositio, tamquam in subiectum, & prædicatum*; ergo nostra definitio Aristoteli opponitur.

89. Hoc argumentum militat contra omnes, qui per vocem *resolutionis* terminum logicum non definiunt: ergo pro me respondeo, vel Aristotelem loquutum fuisse non de termino logico, vt sic, sed de vna particulari specie, quæ convertitur cum prædicato, & subiecto, vel solum loquutum fuisse de terminis propositionis, non determino in communi.

90. Objic. secundò. Nostra definitio tradditur per voces synonimas, *terminum* namque, & *extremum* synonima sunt. ergo.

Resp. Distinguo antecedens, ita vt clariori modo per extremum, quam per terminum significetur. Concedo; aliter, nego. Sic potētia libera ab omnibus Theologis per synonima definitur; quia ita clariori modo definitur, scilicêt *Potentia libera est, qua positis omnibus requisitis potest operari, vel non operari.* Uel si placuerit, dic, illas voces non esse synonimas, cum vox *extremum* sit clarior.

92. Objic. tertiò. Differentia debet tradi per nomem adiectivum, sicut traditur indefinitione hominis per *rationale* non per nomen substantivum, vt in nostra *termini* definitione: ergo.

93. Respondeo, nego assumptum. Sic anima definitur ab Aristotele: *Actus primus corporis.* Sic ab eodem definitur terminus, id, in *quod resolvitur propositio, tamquam in subiectum, & prædicatum*, vnde si bona grammatica conferat voces, appone definitionibus pro differentia, nomen adiectivum. Si verò commode non conferat, ne cures de hoc.

94. Objic. quartò. Differentia debet identificari cum definito, & prędicari de eo, sicut identificatur, & prædicatur genus, sed ly *totius logicalis* positum in nostra definitione pro differentia termini, neque prædicatur determino, neque idētificatur cum termino, sicut prædicatur, & identificatur *extremum*, quod se habet vt genus; ergo ly *totius logicalis* non est recta differentia.

95. Respondetur. Differentiam implicitam, & subintellectam debere identificari cum definito, non verò differentiam explicitá. Differentia enim termini logici non est *totum logicale*, quod sonat explicitè ly *totius logicalis*, ita vt prædicari posit determino; esse totũm logicale. Est autem differentia ipsius, ordo, & respectus ad tale totum, qui quidem ordo illic implicitè continetur, cum termino identificatur, & prædicatur de illo. Sic Omnipotentia, & omnis causa definitur in ordine ad suos effetus, rugibile in ordine ad rugitus, quin per effectus, aut rugitus constituantur. Item in definitione *animæ* iam posita ly *corporis* se habet vt differentia, & tamen, nec prædicatur nec identificatur cum anima.

96. Objic. quintò. Definitio termini est definitio partis: ergo in ea non potest ingredi totum, nec poni ly *totius logici*, vt differentia.

97. Respondetur. Distinguo consequens. Non potest ingredi totum in recto, ita, vt prædicetur de termino: Concedo: non potest ingredi totum in obliquo nego: sic indefinitione causæ ingreditur effectus in obliquo, quia per ordinem ad effectum definitur causa.

98 Objic. sextò. Hic ignotum, per ignotius definitur. Totum enim logicale in ordine ad quod terminus definitur, ignoquiatius est, quam terminus. Probatur, quia dificilior est notitia totius, quam notitia partis: ergo si pars definitur per ordinem ad naturam *totius*, ignotum per ignotius definitur.

99. Resp. Nego assumptum: ad cuius probationem dico. Certum esse notitiam claram totius difficiliorem esse, notitia clara partis, sed ad definitionem non requiritur notitia clara rei, per cuius ordinem fit definitio, sed sufficit aliqua notitia confusa in confuso clarior, quam notitia particularis termini definiti. Sic creatura definitur in ordine ad Deum, cuius clara notitia sine vlla comparatione difficilior est, quam notitia clara creaturę, eo scil cêt quod in confusso clarius nobis innotescat Deus, quam creatura.

100. Objic. Septimò Extremum, vt tale est respectu medij, sed inter terminos intrinsecos constituentes propositionem, nil datur medium: ergo tales termini non sunt extrema. Declaratur in hac propositione *Petrus est homo* ly *Petrus*, & ly *homo* sunt extrema. Rogo respectu cuius sunt extrema? Non respectu vnionis, tum quia vnio non mediat, si quidem immediationē non tollit; tum, quia vnio identificatur cum prędiccato. Non respectu sui ipsius, neque ad invicem, ita vt subiectum sit extremum prædicati, & prædicatum, & extremum subiecti; ergo non sunt extrema, sed sunt termini; ergo terminus non bene definitur per extremum.

101. En argumentum, cui multum fidit ingeniosus Neotericus, vt nostram reijciat definitionem, sed cum ipse fateatur, terminum formalem non esse proprie terminum, neque totum logicale in ordine ad quod terminum definit, esse proprie totum, cum proprijs partibus careat, non est cur tot improprietatibus plenus ita proprios terminos requirat, vt ad terminum improprium definiendum non sufficiat extremum improprium.

102. Resp. Distinguo maiorem: Extremum, vt tale est respectu medij, extremum constitutivum, nego; extremum pure terminativum, concedo, ad declarationem dico, in illa propositione, *Petrus est homo*, & *Petrum*, & *hominem* esse extrema respectu propositionis ex vtroque resultantis, sicut materia, & forma sunt extrema compositi physici, quod mediá vnione constituun, quin detur aliquid distinctum ab eis, quod se habeat, vt medium, vnio enim physica inter vtramque, immediationem non tollit. Ex quo ad summum sequeretur terminum logicum intrinsecum non esse propriè extremum quod certè fateor, nam eo modo est extremum, quo est terminus, sed est impropriè terminus, vt postea videbimus; ergo, & improprie extremum.

103. Neque vi huius argumenti convincitur termini logici improprietas in ratione termini, vt patet in ipsorum adversariorum principijs, in quibus materia, & forma sine vllo medio immediationem auferente sunt proprij termini physicici respectu compositi, quod intrinsece constituunt, & á quo distingun, tur distinctione includentis ab incluso quod sufficit, vt non sint extrema respectu sui, sicut sufficit in communiori sententia; vt sint proprię causæ compositi.

104. Replicabis. Extremum ex ipsi nominis ethimologia est, quod est extramedium: ergo vt detur extremum debet asignari aliquod medium, extra quod sit, sed in hac propositione, *Petrus est homo*, non datur aliquod medium extra quod sit *Petrus*, & *homo*: ergo non sunt extrema.

105. Retorquetur argumentum in extremis compositi physcici, vt supra. Respondetur, quod licet extremum iuxta nominis ethimologiam sit, quod est extra medium, etiam significat id intra

quod est totum, & extra quod nil est totius iuxta mentem Aristotelis, sed intra subiectum, & prædicatum est tota propositio, & extra illa nil est propositionis: ergo sunt extrema.

SECTIO VI.

VTRVM TERMINI LOGICI SINT proprie termini.

106. IN hac quæstione, quæ certè de nomine est, cum pluribus est loquendum. Scias primò. Ad rationem proprij termini intrinseci duo requiri. Primo: distinctionem simpliciter à contermino; est enim propriè pars; & ad rationem propriæ partis, vt talis, requiritur propria distinctio à comparte; pars namque, vt talis, est essentialiter compositiva, & correlativa alterius. Insuper vbi non datur vnum, & aliud, non datur vna, & alia pars. Et ideo in Deo non dantur partes, neque compositio propria, quia in Deo nulla datur propria distinctio. Secundo: requiri vnionem propriê talem ad rationem proprij termini, tales enim sunt partes, & termini, quale est totum, respectu cuius sunt partes, & termini; vbi enim non datur propria vnio, nec datur propriê totũ, vt ex mẽte Aristotelis 5. Methaphis. cap. 26. probat optimê Pater Fonseca eum interpretatus. Ex quibus inferes. Quod vbi non est vera distinctio, & rigorosa vnio non sunt proprij termini. Hoc ex communi fere omnium Doctorum supposito clare cognoscitur.

107. Primò, in propositione mentali, si sit simplex qualitas, non reperiri proprios terminos intrinsecos, ita Arriaga in sua aucta phylosophia disp. 1. num. 10. Comptonus, Oviędus Lynze, & alij, cum Olea d. 8. sum. n. 2. quod ex dictis probatur. Vbi non datur propria dinctio, proprij termini non reperiuntur, si quidem non reperiuntur propriæ partes componentes, sed si propositio sit simplex qualitas, inter subiectum, & prædicatum non datur propria distinctio, sed solum methaphysica, & per rationem, ergo ne proprij termini.

108. Secundò cognoscitur: in propositione mentali, etiam si sit qualitas composita, non dari proprios terminos intrinsecos Ita Fonseca 5. methaph. cap. 17. P. Ildefonsus de Peñafiel, & alij. Probatur. Ubi non datur vnio propriê, & simpliciter talis non dantur termini, & partes proprie tales, cum non detur compositum proprie tale, cuius sint partes, sed etiam si propositio sit qualitas composita ex tribus actibus realiter distinctis, subiectum, & pręedicatum non vniuntur propria vnione, sed solum vnione intentionali, quæ vt optime probat acutissimus Doctor 1. parte, disp. 223. n. 2. non vnit prædicatum & subiectum, neque vt partes compositi physici, vt materiam, & formam, neque vt partes continui, aut intensionis, vt partes compositi physicis sed solum enuntiative per quamdam scilicèt referentiam pręedicati ad subiectum; srgo etiam si sit propositio qualitas composita, non gaudet proprijs terminis intrinsecis.

109. Tertiò cognoscitur; in propositione vocali, & scripta non dari proprios terminos intrinsecos, quia licet voces realiter distinguantur, realiter non vniuntur, in ordine ad aliquod compositum componendum, quod sit proprie, & simpliciter tale.

110. Obijc. quartò. Contra primum & eius illationem. Sufficit distinctio methaphysica, & per rationem, vt dentur propriè partes methaphysicæ, sed in propositione, etiam si sit simplex qualitas, datur methaphysica distinctio per rationem inter prædicatum, & subiectum, ergo & propriæ partes, & termini. Probatur maior. Pars, vt pars non constituitur per distinctionem realem ab alia comparte, sed solum per hoc, quod est componere aliquod totum cum alia comparte, ideoque dicitur complexum methaphysicum, hominem scilicèt gaudere proprijs partibus, animali, nempè, & rationali, quę solum methaphysicę, & per rationem distinguuntur, ergo.

111. Ita objicit quidam meus in Theologia Sapientissimus Magister. Respondetur. Concedo maiorem, sed nego suppositum ipsius, scilicèt, quod proprię partes methaphysicę sint proprie partes, sicut licet homo pictus sit proprie homo pictus, non tamen est proprie homo. Ad rationem enim proprij termini requiritur esse propriam partem absolutè, & non sufficit esse propriam partem cum addito diminuente metaphysice, quæ quidem pars propria absolute sine reali distinctione non datur. Ad maioris probationem dico, ex ea met colligi, partem constitui per distinctionem realem, quia si nequit concipi pars sine comparte, & relatione ad compositionẽ; consequenter nequit concipi sine reali distinctione; quia propria compositio, & relatio distinctionem realem includit. Exemplum allatum hominis nil probat; idem enim dico in homine, scilicet nec proprie componi ex animali, & rationali, nec animal, & rationale esse proprias partes ipsius.

112. Et licet dicas conceptum partis non constitui per distintionem, negari nequit, illam supponere, vt necessarium requisitum, quod ad intentum idem facit, nam sicut etiam si amor per cognitionem non constituatur, quia illam necessario supponit, vbi non datur propria cognitio, proprius amor non reperitur, ita licet pars vt talis non constituatur per distintionem, sed solum illam supponat, vbi non datur propria distintio, neque dabitur propria pars.

113 Objic. secundò. Intellectus Divinus proprie se habet vt actus primus respectu intellectionis essentialis sine reali distinctione: ergo similiter in hac propositione *Petrus est homo* ly Petrus se habebit, vt terminus sine distinctione reali; quia sicut terminus est correlativus contermini, ita actus primus est correlativus actus secundi.

114. Respondeo. Transeat antecedens, quod á gravissimis Theologis negatur; sed illo admisso cum Arriaga, & alijs, nego paritatem, quia actus primus ex se iuxta hos Doctores nullam dicit distinctionem realem ab actu secundò, sed solum capacitatem, quamdam respectu ipsius, per quam intellectus reddatur intelligens. Conceptus vero termini essentialiter dicit esse partem, & pars, vt pars, vel includit, vel supponit distintionem realem.

115. Objic. tertiò. Terminus vocalis, & scriptus est impropriè terminus: ergo per analogiam ad aliquem, qui sit propriè terminus. Sed non datur alius nisi terminus mentalis: ergo hic est propriè terminus.

Resp. Concedo antecedens, & consequentiam, sed nego minorem subsumptam, quia terminus physicus est propriè terminus, & ad eius similitudinem, & analogiam dicetur terminus, terminus vocalis, & scriptus.

116. Objic. quartò. In propositione datur subiectum, & prædicatum; ergo & proprij termini. Probatur consequentia: Sicut terminus est pars, & relativus ad conterminum, subiectum etiam est pars, & relativum ad prędicatum, ergo.

117. Respondeo ex argumento nil inferri. Nam adhuc admisso, quod subiectum esset pars, & correlativum prædicati, iã vidimus in propositione mentali non dari propriè prædicatum, & subiectum, sed solum impropriè, & vt quo. Præterea subiectum, & prædicatum, neque sunt partes, neque dicunt propriam relationem, & distintionem. Sed solum esse repręsentationes prædicati; & subiecti obiectivi, si ergo subiectum, & prædicatum obiectivum, quę propriè talis

las sunt, non solum non distinguntur, verum realiter identificantur, quanto minus prædicatum, & subiectum formale.

118. Objic. quinto Propositio mentalis est propria propositio, ergo costabit proprijs terminis.

119. Respondeo. Distinguo conse-consequens, proprijs teminis absolute nego, proprijs terminis logicis: Concedo, quod sufficit, vt propria propositio sit. Vt autem constaret proprijs terminis, deberet esse propriè totum, & compositum. Cum ergo non sit, neque proprijs terminis constat.

120 Si roges quomodo sit proprius terminus logicus, subiectum propositionis, quin sit proprius terminus absolutè? Respondeo etiam rogans Quomodo homo pictus, quin sit propriè homo, est proprie homo pictus? & subiectum, & prædicatum formale, quin sit propriè subiectum, & prædicatum absolutè, sint propriè subiectum, & prædicatum formale? Hoc eodem modo loquendi voca proprios terminos logicos, prędicatum, & subiectum, quint sint proprié termini absolutè, quia in sua improprietate proprietatem habent.

121. Objic. sextò. Argumentum, quod etiam facit in nostram termini definitionem, quod, vt melius percipiatur consultò in hunc locum distuli. Per nos terminus logicus est impropriè extremū: ergo nostra definitio irrectè procedit. Probatur consequentia. Ideo hæc definitio hominis. *Homo est arbol rationalis*; esset irrecta, quia ly *arbor* positum, vt genus impropriè convenit homini, sed ly *extremum* positum, vt genus in nostra definitione impropriè convenit termino logicali: ergo.

122. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo maiorem. Ideo hæc definitio. *Homo est arbor rationalis* esset irrecta hominis definitio, quia impropriè convenit homini, & quia ratio hominis, secundum quam intenditur homo definiri, illi convenit propriè, concedo; illi convenit impropriè, nego: Explico solutionem. Subiectum formale in hac propositione mentali. *Petrus est homo* habet esse actum vitalem; v. g. repręsentativum obiecti, & etiam esse terminum logicalem. Esse actum vitalem representativum, illi convenit propriè. Esse terminum, illi improprie convenit: Si sumatur definiendus in esse actus repræsentativi, quod illi propriè convenit malè definitur per conceptum impropriè illi cōvenientē. Si verò sumatur, vt nunc sumitur definiendus, reduplicativè in ratione termini, quæ illi impropriè convenit, optimè per rationem impropriè etiam, illi convenientem definitur, imò ita debet definiri, & si aliter deffiniretur malè definiretur. Patet hoc exemplo. Si aliquis definiret hominem pictum sub ratione, & reduplicatione hominis, illum deberet definire per *Animal rationale coleribus figuratum*; vbi animal rationale improprié convenit homini picto, nulla alia ratione, nisi quia ratio hominis, in qua definitur illi convenit improprie. Si vero ita definiretur *est* quædam *imago animalis rationalis penicillo efformata*: pessimè definiretur homo pictus sub ratione hominis, nulla alia ratione, nisi quia talis conceptus illi convenit propriè secundum quod est pictura hominis, & sub hac reduplicatione, non intenditur definiri, sed sub alia, quæ impropriè illi convenit. Ratio á priori est, quia eo modo, quo alicui convenit esse definitum, debet illi convenire definitio, sed subiecto, & prędicato convenit improprié esse terminum, qui est definitum huius definitionis, ergo & illis impropriè competet esse *extremum*, quod cum termino con- ... vertitur.

SECT.

SECTIO. VII.

QVIBVS CONVENIAT DEFINItio termini?

123. Rogas primò. An conveniat adverbijs, & casibus obliquis! Negant Hurtadus, & Arriaga. In hac quæstione de nomine affirmo cum Oviedo, Linze. lib. 3. tract. 1. n. 10. & P. Olea, d. 2. n. 10. Probatur. Adverbia, & casus obliqui sunt extrema totius logicalis, non materialitèr, & vt sonant, sed formalitèr, & vt significant. probatur. Distinctum prędicatum, & subiectum habet hęc propositio. Rex *Hispaniæ gubernat prudenter*, ac habet hæc: *Rex Galliæ gubernat imprudenter*, sed tota diversitas subiectorum stat in casibus obliquis *Hispaniæ*, & *Galliæ*, & tota diversitas prędicatorum in adverbijs *prudenter*, & *imprudenter*, si quidem ablatis, eadem propositio maneret, nempè *Rex gubernat*, ergo casus obliqui, & adverbia, vt significant, constituunt prædicatum, & subiectum, ac proinde sunt termini.

124. Confirmatur. Nomina adiectiva constituunt prædicatum, & subiectum; v. g. *Rex Hispanus, Guvernator prudens*, sed casus obliqui, & adverbia licet aliter sonent, modo adiectivo significāt; idem enim est dicere *Rex Hispaniæ*, ac *Rex Hispanus: gubernat prudenter*, ac *est gubernator prudens*, ergo.

125. Objic. primò. Adverbia sunt affectiones seu proprietates termini: ergo non sunt termini.

126. Resp. Distinguo antecedens, quoad sonum verborum transeat; quo ad significatum nego: solutio constat ex dictis.

127. Objic. secundó, Ablatis casibus obliquis, & adverbijs in hac propositione v. g. *Rex Hispaniæ gubernat prudenter*, manet integra propositio; v. g. *Rex gubernat*: ergo non sunt constitutiva propositionis: aliás ablatis constitutivis maneret constitutum.

128. Retorqueo. Ablato nomine adiectivo ab hac propositione, *Petrus est homo fortis*, imo ablato substantivo, manet propositio; v. g. *Petrus est homo*, vel *Petrus est fortis*: ergo nomen adiectivum, imò & substantivum non constituent propositionem, nec erunt termini. Respondeo. Distinguo antecedens, manet propositio, eadem, quæ antea, nego; alia distincta concedo. Vnde cum non maneat eadem: distinctissimum namque est *Rex gubernat*, ac *Rex Hispanus est gubernator prudens*, signum est, talem propositionem ex adverbijs, & obliquis constitui.

129. Objic. tertiò. Prædicatum obiectivum identificatur cum subiecto obiectivo; sed prædicatum obliquum, & adverbiale non identificatur cum subiecto obiectivo: ergo.

130. Resp. Distinguo maiorem. Identificatur cum subiecto obiectivo, quo ad rectum vtriusque. Concedo; quo ad obliquum nego: & similiter. Distinguo minorem: Non identificatur cum subiecto, quo ad rectum ipsius, nego, quod ad obliquum, cōcedo. Certum est, quod prudentia, & cursus non identificatur cum Petro, & Rege, at rectum prędicati complexi *currit velociter: gubernat prudenter*: non est prudētia, & cursus, sed *subiectum prudens*, & *currens* dicens in obliquo cursum, & prudentiam: nam idem est dicere *Petrus currit velociter*, ac *est currens velox. Rex gubernat prudenter*, ac *Rex est gubernator prudens*, in ly autem *Currens velox*, velocitas dicitur in obliquo, & in ly *gubernator prudens*, prudentia item in obliquo dicitur.

131. Objic. quartò. In hac propositione: *Ego video parietem*: paries non prædicatur de me; ergo ly *parietem* non est prædicatum neque terminus.

132. Resp. Distinguo antecedens. Non prædicatur de me, vt quid me cum iden-

identificatum;concedo;vt terminus meæ visionis;nego : Ex pariete tamquam termino,& ex visione resultat prædicatum, nempè videns parietem , idem enim est, ac dicere:*Petrus est videns parietem.*

133. Objic.quintò. Huic propositioni *Homo est contingenter Deus* , quam admittunt Docti Theologi,non ęquivalet hęc:*Homo est Deus contingens*;ergo nō semper adverbium æquivalet subiecto, & prædicato.

134. Respondetur, in his propositionibus modalibus, vbi ponitur *contingenter*,& *necessario* , clauditur propositio cōplexa,in qua ipse modus æquivalet prædicato nomine adiectivo significato,idē namque est dicere *homo est contingenter Dus*,ac dicere,*Hominem esse Deum,est contingens*.Ergo semper adverbium nomini recto ęquivalet.

SVBSECT. I.

QVID DE INTEGRA PROPOSItione dicendum?

135. Rogabis secundò.Vtrum integra propositio posit esset terminus?Negat Hortiz. Affirmò cum Arriaga,& Hurtado, & Olea, d.3.n.3. Probatur.Integra propositio potest esse subiectum , & extremum totius logicalis:ergo potest esse terminus : Probatur antecedens in hac propositione hypotetica. *Petrus est homo est propositio.* Vbi de tota integra propositione dicitur, esse propositionem:ergo est subiectum, ergo & terminus.

136. Objic.primò.Integra propositio non est pars,sed totum , ergo non est terminus, sed terminatum.

137. Resp. Distinguo antecedens. Non est pars;sed totum , habendo se,vt formaliter propositio,concedo;vt materialitèr propositio,& formalitèr subiectum,nego,ita enim se habet, vbi exercèt munus subiecti.

Objic. secundò. Et Replic. hæc propositio. *Petrus est homo est formalitèr propositio* est vera ; ergo ly *Petrus est homo* non se habet vt materialiter , sed vt formaliter propositio,aliás esset falsa.

138. Argumentum æquivoco laborat:ideo distinguo antecedens:est vera si appellet ly *formalitèr* supra propositionem,vt propositio est; concedo, vt subiectum est,nego:hoc est,si sensus sit, *Petrus est homo* est in se formalis propositio. concedo;si sensus sit hic , & nunc se habet vt propositio formalis exercitè , nego.

139. Scias primò.Eodem modo totum syllogismum materialitèr sumptū, & formalitèr vt subiectum posse esse terminum,patet in hoc actu.*Omnis homo est animal sed Petrus est homo , ergo Petrus est animal.Est syllogismus in Darii.*

140. Scias secundò. Aliquando etiam particulas constituere subiectum, & prædicatum,esse que terminos inadequate.Aliquando verò non.Si particulæ ponantur intra eamdem propositionem, subiectum , & prædicatum constituunt: v.g.si dicatur *Petrus* , & *Paulus currunt*, vbi ly. *Et* coniūgit partiale subiectum partiali subiecto.Ex Petro enim, & Paulo subiectum adæquatum talis propositionis resultat.Si dicatur etiam *Petrus est doctus* , *&* *Sanctus* ly *Et* coniungit partiale prędicatum partiali prędicato,ex ly namque *doctus*, & *Sanctus* resultat prædicatum totale talis propositionis. Secūdò ; possunt poni particulæ, vt tantum coniungant duas propositiones; v. g. *Petrus currit* , & *Paulus legit*. Et tunc non se habent vt termini,si quidem non constituunt subiectum , aut prædicatum. Si illa sit non vna , sed duplex propositio, ex quibus vna quęque suum habet subiectum , & prædicatum.

SUBSET. II.

QVID DICENDVM DE VNIONE.

141. Rogas tertiò. Vtrum vnio, vt vnio est (non materialitèr sumpta ,vt cum dicimus *est Verbum*. Sic namquè idem quod de tota propositione,dicendum est , esse scilicèt terminum , & subiectum) sit propriè terminus?

142. Nota,quod si vnio constituat prædicatum , vt tenent cum Isquierdo communitèr Recentes,quod probabilissimum iudico.Certum est, vnionem esse terminum partialem,& non datur locus quæstioni.Si verò vnio non constituat prædicatum , quod conformius est nostris principijs,quęstioni datur locus.

143. Affirmant,esse terminum,Cōptonus. Isquierdus , Lynze,lib.3.Summularum cap.1. Negant melius Caramuel,Hurtadus,Arriaga , Pontius , & alij.Probatur primò.In quæstionibus de nomine cum pluribus debemus loqui. Ex communi enim modo loquendi prędicatum tantum,& subiectum,non verò vnio,dicuntur termini. Primū constat ex Aristotele,qui in prædicatum, & subiectum,non verò in vnionem,divisit rationem termini dicens. *Terminus est,in quem resolvitur propositio, tanquam in subiectum,& prædicatum.* Secundum constat ex eo,quod omnes Philosophi affirment, syllogismum rectum triplici tantum termino constare;v.g. *Omnis homo est animal;sed Petrus est homo,ergo Petrus est animal.*Ubi solum apellantur termini *Homo Petrus, & Animal*;ergo signum est,quod vnio seu ly *Est* reijcitur á ratione termini:aliás diceretur , talem syllogismum qua duplici termino constare.

144. Probatur secundò.In composito physico , vnio inter materiam , & formam non dicitur terminus , sed medium, ratione cuius termini vniuntur; ergo in composito logico vnio non debet dici extremum , sed medium ratione cuius extrema vniuntur.

145. Objic. primò in hac propositione *Petrus est homo*, ly *est* est extremum;ergo & terminus.

146. Resp.Distinguo antecedens: grammaticalitèr , & in collatione accidentali, cōcedo:logicè,nego. Sivè enim primò vel vltimo loco collocetur ly *Est*, cum vbique exerceat officium vnionis semper se habet vt medium , numquam se habet vt terminus.

147. Objic.secundò.Suppositio est proprietas termini;sed Uerbo *est* convenit suppositio:ergo.

148.Respondeo. Distinguo antecedens:est proprietas termini, ita vt non conveniat alteri,nego:ita vt alijs conveniat;concedo: Suppositio convenit termino, sed non soli , cúm omnibus vocibus conveniat.

149. Objic.tertiò. Compositio est forma compositi qua talis,sed forma est terminus cōpositi,sic anima est terminus hominis:ergo vnio logicalis,seu compositio erit terminus compositi logicalis.

150. Respondetur:Concedo maiorem,& minorem, sed distinguo consequens;ergo vnio erit terminus compositi,qua vniti reduplicativê,concedò:compositi specificativè:nego.Sic capilli sunt forma hominis , qua capillati reduplicativè,& tamen quis dicet, absolutè esse hominis formam?

151. Objic.quartò. Hę propositiones *Homo est albus* , *Homo existit albus* habent idem prædicatum,idemque subiectum,& tamen sunt diversę:ergo tota diversitas illis provenit ab vnione , ergo vnio diversificat propositiones,& sic erit terminus.

152. Respondeo. Nego maiorem quo ad primam partem , nam prædicatum secundæ propositionis est diversum á primæ propositionis prædicato , idem enim est dicere *Homo existit albus* ac dicere:*Homo estexistens albus.*

153. Objic.quintò. Medium syllogismi

gmi est terminus, ergo medium propositionis etiam erit terminus.

154. Retorqueo argumentum æquivocum lynzei in ipsum. Per te medium syllogismi est strictissime terminus, ergo medium propositionis erit terminus, non solum strictus, sed strictissimus, quod ipse negat. Respondetur, medium syllogismi esse proprie subiectum, aut prædicatum vt *quod*, quid ergo mirum si sit terminus; non vero *vnio*, quæ neque est subiectum, neque prædicatum, vt *quod*?

155. Objic. sexto Punctum Continuativum, teste Damasceno, cap. 33. Logicę, est terminus: ergo vnio, qua proprositio veluti continuatur, erit terminus.

156. Resp. distinguo antecedens. Punctum contnuativum, quod media vnione continvativa vnitur alteri, concedo, quod est ipsa vnio continvativa, nego.

157. Objic. septimo. In his propositionibus de verbo adiectivo *Petrus currit, Ioannes legit*, verbum *est* prædicatum, & extremum: ergo, & terminus.

158. Resp. In his propositionibus verbum exercere officium vnionis, & officium prædicati, cum vtrumque quo ad sensum includatur in verbo; idem enim est dicere, *Petrus currit*, ac *Petrus est currens*; vt exercet officium verbi, & vnionis non est terminus: vt exercet officium prædicati rationem termini participat.

SECT. VIII.

VTRUM DETUR terminus intrinsecus extra propositionem.

159. NOto primò. Hanc quæstionem solùm exagitari in propositione vocali, & scripta, vel in propositione mentali, supposito, quod sit qualitas composita extribus aprehensionibus realiter distinctis, præcedentibusque in intellectu.

160. Noto secundo, quod in intellectu iudicium præcedit hęc appræhēsio: v.g. *Petrus* hæc apprehensio *homo*, & hæc appræhensio *est*, ex quibus postea componitur hęc integra propositio *Petrus est homo*, inquirit ergo præsens quæstio. Vtrum ly *Petrus*, & ly *Homo* ante quam propositionem actualiter componant, solùm quia possunt eam proximé componere, debeant dici termini intrinseci illius, nec ne?

161. Noto tertiò. Hanc quæstionē esse purè denomine. Certum est, dari apud omnes voces, sivè prolatas, sivè scriptas, & apprehensiones; itē extra propositionem non esse terminos intrinsecos in actu secundò, cum actualitèr non terminent. Certum etiam est, esse terminos in actu primo, hoc est, potentes terminare.

162. Certum item est, dari aliquas res, quarum essentia consistit in actu, sivè in actuali exercitio; v.g. has denominationes *cognitum, amatum, album*, & similia. Amatum enim est, non quod potest terminare amorem, sed quod actu amorem terminat. Dari etiam alias res, quæ salvantur in *posse*, & non in actu necessariò; v.g. Causa, quæ definitur: *principium influens*, & tamen non requiritur, quod actu influat, sed sufficit, quod possit influere. Forma substantialis, quæ definitur. *Actus primus substantialis materiæ* & non requiritur, quod actu informet, sed sufficit, quod possit informare, vt actu dicatur forma.

163. Cùm autem hæc omnia ita se habeant. Nunc quæritur, an terminus sit entitas, seu denominatio primi, vel secundi generis? An scilicet, vt Petrus dicatur terminus intrinsecus, sufficiat, quod possit terminare, an requiratur, quod actualiter terminet? Pro vtráque parte graves stant Doctores. Pro vna scilicet, sufficere posse, & non requiri actu termi-

terminare Patres Arriaga Hurtadus, Alphonsus, Comptonus, & alij. Pro alia scilicet, non sufficere posse, sed requiri actu terminare Patres Conimbrisenses, Rubius, Toletus, Olzina in scientiá rationali num. 2337. & Olea, disp. 19. num, 2.

164. Neque satisfacit quidam Ingeniosus Modernus dicens, extra propositionem dari terminos intrinsecos compositivos, non verò terminos intrinsecos componentes. Hoc enim pręter quam quod á nemine dubitatur, non est ad quæsitum respondere. Nam quod quæritur est. An sufficiat ratio cōpositivi ad denominationem termini, an vlterius requiratur ratio componentis? Vtraque propositio posset facile componi, sed ne omnibus inimicus fiam, dum omnes defendere coner.

165. Dico. Extra propositionem non dantur termini intrinseci, sivè hæc sit propositio vocalis, mentalis, aut scripta. Probatur. Extra propositionem non datur subiectum, & pręd icatum: ergo nec termini logici intrinseci. Probatur antecedens. Esse subiectum, & prædicatum provenit ab actuali enuntiatione vnius de alio, sed extra propositionem non datur talis: ergo. Probatur maior subiectum est, & de quo aliquid dicitur. Prędicatum, quod dicitur de alio, non verò est subiectum id, dequo aliquid potest dici. Hoc enim esset subijcibile, non subiectum: neque prędicatum est id, quod potest prædicari. Hoc enim esset prædicabile non prędicatum, sicut cognitum, & amatum non sunt, quæ possunt amari, & cognosci, sed quę in actu secundo amantur, & cognoscuntur. Sed hoc provenit ab actuali enuntiatione, & prædicatione, ergo extra enuntiationem, & prædicationem, non dantur subiectum, & prędicatum, ergo nec termini intrinseci. Idem intelligi de maiori, & consequentia, quæ sunt termini intrinseci syllogismi, & extra ipsum non dantur. Denominatio namque maioris, minoris, & consequentiæ provenit ab illo ordine, & alligatione actuali propositionum inter se.

166. Probatur secundò. Enti determinato, cui non competit aliqua ratio specifica, non competit ratio generica; v.g. individuum, quod non fuerit homo, vel brutum, neque animal erit, sed conceptus, vox prolata, aut scripta est ens determinatum, cui ratio prædicati, vel subiecti non competit extra propositionem, vt iam manet probatum; ergo illi non competet ratio generica termini intrinseci.

167. Vlterius declaratur: conceptus seu vox *Homo* extra propositionem, non est determinatè subiectum, cum possit esse prædicatum in hac propositione *Petrus est homo*, neque est determinatè prædicatum, cum possit esse subiectum in hac prnpositione; v.g. *Homo est vivens sensibile*, neque vtrumque; aliás esset indupplici opposita specie: ergo extra propositionem nullam determinatam speciem participat, ergo neque rationem genericam.

168. Ex instituto omitto aliqua exempla, quę afferuntur ab aliquibus (Petri scilicet respectu numeri ternarij, cuius non dicitur pars, vsque dum actu illud componat. Et subsistentię Patris Æterni, quæ non dicitur terminus naturæ humanæ, ex quod illam actu non terminet, etiam si eam possit terminare) omitto, inquam, quia ab eis facili negotio se expediunt Adversarij, dicentes, ideo nec Petrum dici partem ternarij, vsque dum illum componat, nec subsistentiam Patris terminum naturę, vsque dum illam terminet, quia nec Petrus dicit ordinem ad ternarium componendum, nec subsistentia Patris ad terminandam naturam, sed meram non repugnantiam. Aliter vero se habere appręsensiones ante propositionem, & hoc sit primum argumentum.

169. Objic. primò: conceptus, & vo-

voces ante propositionem, non solum habent non repugnantiam, sed ordinem ad eam constituendam, ergo extra propositionem debent dici partes, & termini intrinseci ipsius. Probatur antecedens. Extra propositionem conceptus, & voces habēt quoddam artificium partiale, generis, & differentiæ: v. g. ergo dicunt ordinem ad artificium totale, popositionem scilicet Probatur consequentia: brachium ab homine avulsum est pars hominis, & lapis in coronidem perpolitus pars est domus, etiam extra compositionem nulla, aliá ratione, nisi, quia brachium retinet organizationem, quæ antea habeat, & lapis habet dispositionem ad domum construendam: ergo similiter.

170 Respondetur: Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad eius probationem, concedo iterū antecedens, & consequentiam Ad cuius probationem transeat antecedens, sed nego consequentiam, & paritatem. Non recuso concedere; conceptus extra propositionem dicere ordinem ad eam, habere que aliquod artificium generis scilicèt, & differentiæ, sed hoc artificium solum constituit eos in esse subijcibilium, & prędicabilium, non vero in esse subiectorum, aut prædicatorum, cum hoc ab actuali prædicatione proveniat, vt iam manet probatum. Hinc disparitas. Brachium enim, materia, & forma dicuntur partes hominis ante compositionem, lapis perpolitus, pars domus ante eius cōstitutionem; quia ante compositum habent easdem organizationes, & artificium, ob quas intra compositionem apellantur partes. Ast vero extra compositionem, & enuntiationem conceptus, & voces non habent id, ratione cuius dicuntur termini intrinseci ipsius, scilicèt enūtiationem actualem, vi cuius constituuntur in esse prędicatorum, & subiectorum.

171. Dixi transeat antecedens. Quia iudico, neque brachium ab homine avulsum esse partem hominis, neque lapidem dolatum esse partem domus, vsque dum illam actualiter componat, nam vt optimè noster Olzina, vbi supra, lapides, & ligna in ratione partium artificij, quæ est denominatio contingens, involvunt artificium, aliás calx huius Domus, nexus, aut pars esset omnium ędificiorum. Dicuntur tamen partes per communionem, sive anticipationem eius prædicati, quod paulo ante habebat brachium, dum erat vnitum corpori, & quod pauló post habebit lapis dum vniatur domui. Pro hac loqutione Patronū habes Phylosophum, lib. 2. de Republica, c. 2. Sic: *Nam si homo qui totum quidem est, non est interra, neque pes, neque manus erit, nisi ex communione hominis non rationis quem ad modum siquis manum lapid eam manum esse dicat*: ergo si manus avulsa non est propriè manus, sed impropriè, eo modo, quo manus lapidea dicitur manus, neque erit propriè pars, sed erit in se iam totum quod dam iuxta illud axioma, *Separatio dat totalitatem*.

172. Objic. secundò. *Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem*, iuxta vulgare Phylosophorum axioma. Sic de homine verificatur esse animal rationale, quia actualiter ratiocinetur, aut sentiat, ergo quanvis illa vox *homo* actualiter non prędicetur, nec dicatur, dum modo possit dici, erit prædicatum, & terminus intrinsecus.

173. Resp. Nego maiorem, ita absolutè prolatam, quæ falsificatur Primò in modis qui non salvantur in aptitudine, sed in actu. Secundo, in concretis denominativis *cognitum, amatum, &c.* Proloquium est in duplici sensu. Primò quia definitio non exigit actualem existentiam definiti, sic ante existentiam vnionis potest definiri *Vnio est nexus extremorum*, non verò potest esse vnio, nisi actualiter vniat extrema. Secundó quia cum res aliqua definitur in ordine ad ali-

aliquas operationes, non exigit, quod actu dentur operationes. Sic homo definitur in ordine ad ratiocinationes, & sensationes, quin requiratur actualis existentia earum operationum.

174. Objic. tertiò. Terminus logicus in communi est propriè terminus logicus, sed terminus logicus in communi actu non terminat propositionem: ergo essentia termini salvatur sine actu. Probatur minor. Actu terminare est esse positive subiectum, vel prædicatum, sed terminus logicus in communi pręscindit à subiecto, & prædicato, quæ sunt differentiæ, à quibus abstrahitur, ergo actu non terminat.

175. Respondetur. Distinguo maiorem. Est proprie terminus logicus, signate; concedo: exercite, nego: & retorqueo argumentum. Actio, vt sic est propria actio, & vnio vt sic est propria vnio, sed actio vt sic nil vnit actu, aliás essent vnio, & actio partiales, aquibus præscindunt, ergo neque actio consistit in actu agere neque vnio in actu vnire, quod est, contra ipsos adversarios. Terminus ergo vt sic est solum signate terminus, hoc est, signate terminus partialis, exercite tamen ante propositionem non est terminus potest tamen esse terminus, quia de illo potest aliquid actu prędicari; v.g. *Terminus vt sic est ratio præscissa ab omni termino*, & tunc se habebit exercitè, vt terminus partialis.

176. Objic. 4. Omnis actus supponit potentiam, quiá ab actu ad potentiam valet cōsequentia, ergo in termino actus terminandi supponit posse terminare: ergo in hoc posse consistet essentia termini. Probatur hęc consequentia, quiá essentia rei est primarius eius conceptus, sed primarius conceptus est posse, cum supponatur ad actum: ergo in posse, & non ita in actu consistet essentia termini.

177. Respondetur. Distinguo antecedens: supponit potentiam, quæ sit necessario conceptus primarius, nego, quæ sit, vel conceptus primarius, vel non repugnantia, capacitas, seu aptitudo ipsius actus, concedo. Non omnis potentia distinguitur ab actu, neque actus á potentia. Sic essentia Dei non est posse, sed actu existere, essentia actionis non est posse, sed actu producere, nec in illis potētia ab actu distinguitur. Tūc enim solum potentia distinguitur ab actu, quando potentia est indifferens ad illum, & extra illum est completa potentiæ constitutio, sicut intellectus potentia intellectiva indifferens ad intelligendum, & non intelligendum, causa physcica indifferens ad agendum, & non agendum. Potentia vero completa termini logici intrinseci non est in differens ad actum, sed ipsemet actus.

178. Objic. quintò Plures voces extra propositionem vocantur termini syllogistici, primò terminus complexus, & incomplexus, secundò Prevlæ apprehensiones præcedentes ad iudicium, tertiò vt postea dicemus, tota definitio salvatur in apprehensione complexa Animal rationale; v.g. Ergo habebit proprios terminos logicales.

179. Respondetur, voces illas extra propositionem appellari terminos logicos, prout terminus coincidit cum voce, qua aliqua facultas vtitur ad significanda sua obiecta, sic ideo, qui congruis vocibus ad suos conceptus exprimendos vtitur, hispane dicitur. *Tiene buenos terminos.* Ad secundum respondetur, me non negare absolutè terminos extra propositionem, sed terminos intrinsecos, de quibus loquitur quæstio: Illę enim pręvię apprehenstiones, quę nō componerent propositionem, sed illam cingerent, sicut ripæ fluvium, essent termini logici extra propositionem, sed non essent intrinseci, sed extrinseci. Adverte tamen, quod sicut ad terminum logicum intrinsecum requiritur actualis enuntia-

tio,

tio,& extra illam nõ datur,ita ad terminum logicum extrinsecum requiritur actualis terminatio, & extra illam non datur. Ad tertium respondeo. Definitionem,si consistat in apprehensione complexa,non habere terminos intrinsecos propositionis,cum non sit propositio,habere tamen terminos intrinsecos definitionis,de quibus eodem modo discurrere,ac determinis intrinsecis propositionis. Hoc est,extra definitionem non dari intrinsecos terminos definitionis.

180. Replicabis. Definitio est totum logicale,ergo eius termini intrinseci sunt termini intrinseci logicales, sed sunt extra propositionem,cum definitio propositio non sit, ergo dantur termini intrinseci logicales extra propositionem.

181. Respondetur; transeat primũ enthimema, & distinguo minorem subsumptam.Sed sunt extra propositionem, quam non constituunt concedo, quam constituunt,nego.Imò nego suppositum, quod si definito consistat in apprehensione complexa,sit plures termini, cum sit vnus terminus complexus, sicut *homo albus*;v.g.respectu tamen propositionis, quam talis terminus complexus,qui fuerit definitio,potest componere; v.g. *homo est animal rationale* non est terminus intrinsecus extra illius constitutionem.

182. Objic.sextò.Ad manifestationem huius propositionis internæ; v. g. *Petrus est homo* prius profero in instanti *A* vocem *Petrus*, sed in eo instanti est terminus, & in eo instanti non existit propositio,quia hæc,vt potè vocalis,profertur successivè, ergo extra propositionem datur terminus. Probatur minor quo ad primam partem : illa vox *Petrus* habet artificium logicale subiecti vocalis, vt sit electa ad denotandum subiectum mentale,ergo.

183. Resp.Concedo maiorem, & nego minorem quo ad primam partem, ad probationem,nego suppositum antecedentis,quod solùm electio ad significandum subiectum mentale sit sufficiens artificium ad denominationem subiecti.Hoc namquè tantum provenit ab actuali prędicatione, quæ non datur, vsque dum successivè profertur tota propositio integra,& dicitur *Petrus est homo*.

184. Replicabis. Vox *Petrus* non est subiectum in instanti *A*,quo profertur,quia nondum existit tota propositio, sed cum profertur vox *Homo*, iam non existit tota propositio, nam ly *Petrus est*, vt potè transiens iam evanuit, ergo neque vox *Homo* erit prædicatum, vel vtrumque dabitur extra propositionem.

185. Ex replica infertur,nullo modo dari terminos intrinsecos in propositione vocali, imò neque propositionem, cum propositio sit quoddã complexum subiecti, prædicati, & vnionis, quæ omnia nequeunt coexistere physcice, nam cum profertur *Petrus* nondum existit *est homo*, dum profertur *homo* iam evanuit *Petrus est*, ergo. Etiam infertur, neque extra propositionem esse terminos vocales, si sint pollysilabi : v. g. *Animal*, cuius syllabæ,cum tres sint, tribus saltem instantibus sunt proferendæ, & cum vna existit scilicet *A*, altera aut non est, aut pręterita est. Cum enim dico *mal* iam *Ani* præteritum est, quælibet autem earum syllabarum non est terminus, tum quiá in illa voce essent tres termini, quod dissonat, tum quiá terminus vocalis debet repræsentare terminum obiectum, & quælibet syllaba seorsim illud non repræsentat.

186. Respondetur. Certum est, physice nullo modo coexistere prædicatum,& subiectum vocale,nam voces nil aliud sunt, quam soni ore animalium prolati, qui soni dicunt pro materiali aerem, & pro formali talem verbalem aeris fractionem, ex collisione duorum corporum.Undè prolata voce *Aer* quod est subiectum talis, vel talis fractionis, cum

cum maximè labile,& fluidum sit statim fluit,& evanescunt voces, sed si moraliter loquamur, dum profertur prædicatum,iam censetur permanere tota propositio,ita vt existimatione prudentum sufficienter existit.*Petrus* vt subiectum. *Est* vt vnio, & *homo* vt prędicatum. At verò cum profertur subiectum scilicèt *Petrus* ad huc in existimatione morali non existit propositio,qua propter tunc ratione solùm electionis talis vocis non dicitur subiectum,vt iam diximus.

187. Objic. septimo. Etiam si extra propositionem non dentur subiectum, & prædicatum absolute, dantur tamen extra illam termini logici intrinseci. Probatur assumptum. Divisio termini logici in subiectum, & prædicatum non est essentialis, sed accidentalis, ergo denominatio subiecti, & prædicati logici in subiectum, & prædicatum actuale est accidentalis termino logico. Ergo stat essentia termini logici absque illis: ergo etiam si extra propositionem non dentur illæ denominationes, poterunt dari extera illam termini logici initrinseci essentialitèr, seu quo ad essentiam subijcibilis,& prædicabilis.

188. Assumptum argumenti titulo, & honore specialis conclusionis insignitur aquodam ingeniosissimo Moderno, & miror equidem. Quis enim ex affirmantibus, dari terminos logicos intrinsecos extra propositionem, vsquam probare tentat,dari extra propositionem subiectum,& prædicatum in actu secundò? Imò quod probant,est, non requiri ad rationem termini intrinseci esse subiectum,& prædicatum in actu secundo, sed sufficere,esse subiectum, & prædicatum in actu primo,quod est idem, ac dicere,non requiri esse subiectum, & prædicatum,sed subijcibile, & prędicabile, in quo,iuxta Modernum hunc, essentia termini logici intrinseci consistit : alijs enim vocibus subiectum in actu primo est subijcibile, & prædicatum in actu primo est prædicabile, quia omnes defendunt,quod etiã si extrapropositionẽ non detur subiectum,& prædicatum, dantur termini logici intrinseci, quia extra propositionem sunt subijcibiles,& prædicabiles.

189. Sed admissa novitate, videas probationem, quam ad verbum retuli, vt cognoscatur eius terminorum mutatio. Respondetur. Nego assumptum,ad eius probationem concedo antecedens, & primam,& secũdam consequentiam, nego tamen tertiam,quę ex antecedentibus non infertu,in hac enim consequentia additur terminus intrinsecus,qui non apponitur in alijs. Non dubito,divisionem termini logici absolutè esse subiecti in accidentia ; denominationes que subiecti,& prędicati esse termino logico accidentales,posseque reperiri totam essentiam termini logici absque eo, quod sit subiectum, & prædicatum in apprehensionibus pręvijs ad iudicium, & consequentia respectu syllogismi. Ex quo tantum infertur hęc consequentia: *Ergo dantur termini logici extra propositionem*, quam libenter concedo; non verò infertur illa, *Ergo dantur termini logicì intrincesi extra propositionem.*

190. Ut enim hæc consequentia inferretur,ita debebat apponi argumentũ. *Divisio termini logici intrinseci in subiectũ, & prædicatum est divisio accidentalis, ergo denominatio subiecti, & prædicati actualis est accidentalis termino logico intrinseco,ergo stat essentia termini logici intrinseci absque illis* : & si ita ponatur, nego antecedens, & vtramque consequentiam : divisio namque termini logici intrinseci in subiectum, & prædicatum est divisio generis in species, nec denominationes subiecti, & prædicati sunt accidentales termino logico intrinseco, sed essentiales.Neque essentia termini logici intrinseci propositionis vnquam potest salvari absque eo, quod sit subiectum, vel prędicatum ; vndè si roges, quæ nam definitio

initiò termini logici intrinseci? Dicam. *Terminus logicus intrinsecus est extremum constituens totum logicale.*

191. Ex huc vsque dictis inferes primò. Me non negare terminos logicos extra propositionem cum concedam, previas apprehensiones esse terminos logicos, & hæ absque dubio sint extra propositionem, cuius non sunt termini intrinseci, sed extrinseci. Inferes secundò. Me etiam non negare, terminos logicos intrinsecos absolutè extra propositionem, túm quia admitto, in definitione dari terminos intrinsecos logicos, cum aliundè teneam, non esse propositionem. Tum quia in syllogismo, maiori, & consequenti sunt termini logici intrinseci, & syllogismus non est propositio, sed complexus propositionum. Quod teneo est. *Extra propositionem non dari terminos intrinsecos propositionis.* Et cum per vocem *termini intrinseci logici* intelligant Adversarij terminum intrinsecum propositionis, ideo eorum propositiones absolutè aliquando negavi, ni sensu quæstionis loquutus.

SECTIO. IX.

DIVIDVNTVR TERMINI.

192. TErminus primò dividitur in mentalem, vocalem, & scriptum; v. g. *Petrus, mente* apprehensus est terminus mentalis. *Ore* prolatus, est terminus vocalis, *calamo* efformatus est terminus scriptus.

193. Terminus mentalis, dividitur primò. In *vltimatum*, & *non vltimatum*. Non *vltimatus* est cognitio signi, non rei significatæ. Vltimatus est cognitio signi, & rei significatæ; v.g. Christus Dominus in Cruce pendens clamavi *Eloy, Eloy.* Cognitio Christi fuit vltimata, quia sciebat vocem, & eius significatum. Cognitio verò Iudæorũ nõ vltimamata, quia sciebant vocem, & eius significatum ignorabant, dicebant enim: *Eliam vocat.*

194. Secundò dividitur in intuitivum, & abstractivum. Intuitivus est cognitio rei præsentis in se ipsa. Abstractivus est cognitio rei in alio. Utrumque explicuit Divus Paulus ad Corinth. 13. Videmus nunc (scilicèt Deum) *per speculum in enigmate*, en cognitio abstractiva) *tunc autem facie ad faciem*, en cognitio intuitiva.

195. Tertiò dividitur in directum, & reflexum. Directus est cognitio rei à se distinctæ. Reflexus est cognitio cognitionis, vel distinctę, vel indistinctæ; v.g. Cognitio, qua Deum cognosco, est directa, & cognitio, qua cognosco, me cognoscere Deum; est reflexa.

196. Terminus vocalis primò dividitur in communem, & singularem. Terminus communis, vel est communis cõmunitate physica, & materiali, quæ absque sui pluritate pluribus communicatur. Vt Deitas tribus Divinis Personis: vel est communis communitate logica, quæ in illis, quibus communicatur, multiplicabilis est vt homo respectu Petri, & Pauli.

197. Inferes primò. Terminum *Deus* non esse, communem logice tribus Divinis Personis contra Patrem Zuñiga. Rationem vero Personę esse communem logicè, cum multiplicetur in tribus personis. Si tamen sumatur analogice pro iudice, aut Principe iuxta illud Psal. *Ego dixi Dij estis*, communis erit, idem dic de hoc nomine Petrus, si sumatur pro eo, qui natus est die Sancti Petri, *commune est*; si verò pro individuo completo, *particulare.*

198. Inferes secundò cum Patre Arriaga contra Patrem Hurtadum, hos terminos *Civitas, omnis homo, Petrus, & Paulus, & alios Collectivos*, non esse terminos communes, quia non potest affirmari de inferioribus, quæ subse continent,

esse

esse civitatem, omnes homines, Petrum, & Paulum simul At verò civitas respectu Civitatũ. Petrus, vel Paulus disiunctivè sunt termini communes, quia de vna quaque Civitate esse Civitatem, & de vno quoque homine esse vel Petrũ, vel Paulum verificatur. Nec ex eo, quod terminus *Omnis* constituat propositionem vniversalem infertur, esse terminum communem, nam ad terminum communem materialitèr se habet vniversalitas, & formalitèr, quod sit terminus participabilis ab inferioribus. Sic terminus *Aliquis homo* non est vniversalis, & est communis.

199 Inferes tertiò. Terminum *hic homo* esse communem, cum sit ab inferioribus participabilem, & multiplicabilem in ipsis. Scias, ad terminum communem non requiri actualem existentiam pluriũ sub ea ratione, sic sol est terminus communis ad solem existentem, & soles possibiles.

200 Terminus communis logicè est sextuplex, Primus *transcendens*, qui imbibitur in omni conceptu, cuiusmodi sũt contenti in illa voce *R. E. V. B. A. V.* quodcumque enim est *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum.* Secundus non *transcendens*, quę communis est pluribus, non tamen inbibitur in omnibus, vt *Homo.* Tertius. *supratranscendens*, qui communis est enti reali, & ficto, vt *cognoscibile.*

201 Quartus *vnivocus, cuius nomen est commune, ratio verò significata per nomẽ omninò eadem* in inferiobus, vt homo, qui idem in omnibus inferioribus significat. Quintus *analogus: cuius nomen est commune, ratio verò significata per nomen partim eadẽ, & partim diversa*, vt *leo*, qui significat brutum, & hominem fortem, qui differunt in in natura bruti, & hominis, & conveniũt in fortitudine per illam vocem etiam significatam. Sextus *æquivocus, cuius nomen est commune, ratio verò significata per nomen est diversa.* Equivocus vnus dicitur à casu, vt *Gallus* nomen est idem, ratio vero significata diversa scilicèt. *El Gallo, y el Francès*, alius à consilio, vt *Risus* respectu hominis, & prati: significat hilaritatem in homine, & viriditatem in prato. Hic coincidit cum analogo.

202. Terminus singularis oppositus communi est duplex. Primus determinatus, qui rem determinatam significat, vt Petrus. Secundus indeterminatus, qui rem indeterminatam significat. vt *Quidam homo.* Scias cum Arriaga, & Hurtado, hanc indeterminationem se tenere ex parte intellectus, ex parte verò obiecti ens singulare, & determinatum est.

203 Secundò dividitur in *Cathegorematicum*, & est, qui se ipso perfectè significat, vt nomen substantivum, v. g. *Petrus*, & Sincathegorematicum, & est, qui se ipso absque iuvamine alterius non significat, vt omne nomen adiectivum, quod absque consortio nominis substantivi perfecte non significat.

204 Etiam dividitur in terminum mixtum, qui participat aliquid de vtroq; de Cathegorematico, non indigere nomine substantivo, de sincathegorematico, non significare se solo, sed vt adiacens verbis, ita se habent adverbia, v.g. *Petrus currit velocitèr.* Nec in hac propositione *Deus est vbique*, ly *vbique* prædicatur absolutè, sed vt adiacet verbo, idem enim est *Deus est existens vbique.*

205 Tertiò dividitur in terminum *primæ intentionis*, qui rem, vt est in se, significat, v. g. *Ioannes*, & in terminum *secundæ intentionis*, qui rem significat secundum esse, quod habet ab intellectu, v. g. *Genus, species*, &c.

206 Quartò. Terminus *positivus* rẽ positivam significat, vt *sensibile.* Terminus *negotivus* rem negativam, vt *insensibile.* *Privativus* privationem, vt *tenebræ.* Scias, quod si subiectum sit capax habẽdi formam positivã, terminus dicitur privativus, seu privatio, vt *carentia visus in homine cæco*; si non sit capax. Dicitur *ter-*

mi-

minus negativus; seu negatio, vt *carentia visus in lapide*.

207. Quintò. Terminus *complexus* est, cuius partes separatæ significant; v.g. *Animal rationale*. Terminus *incomplexus*, cuius partes separatæ non significant; v.g *Petrus*, vel non servant eamdem significationem vt *Dominus*

208. Sextò. Terminus *rectus* est casus nominativus, vt *Petrus*, *obliquus* est casus genitivus, vel alius á nominativo distinctus, vt *Petro*.

209. Septimò. Terminus *reduplicativus* est, cui anteponitur vna ex his particulis *quatenus*; *inquantum*; vt: *specificus*, cui tales particulæ non præferuntur

210 Octavo. Terminus *concretus*, qui composito modo significat, vt *homo albus*. *Abstractus*, qui est subiectum denominationis vt *Homo*.

211. Nono. Termini *impertinentes* sunt, qui nullo modo se inferunt vt *Rex*, *musicus*. Termini *pertinentes*, *sequela* sunt illi, qui se inferunt, vt *Homo*, & *animal ratioucle*, valet enim *est homo*; ergo *animal rationale*. Ex his alij se mutuo inferunt vt est *homo*, *ergo Animal rationale*. Est *animal rationale*; *ergo homo*, hi dicuntur *convertibiles*. Alij verò non se mutuo inferunt, & dicuntur *inconvertibiles*, vt *est homo* valet, ergo, & *animal*; non vero, *est animal*, *ergo & homo*.

212. Termini *pertinentes repugnantia* sunt, qui se invicem excludunt. Quintupliciter opponuntur. Primò disparatè, vt *homo*, & *lapis*. Secundò relativè, vt *Pater*, & *Filius*. Tertiò contrariè, vt *album*, & *nigrum*. Quartò privativè, vt *lux*, & *tenebræ* Quintò contradictoriè, vt *homo*, & *non homo*.

213. Decimo. Terminus *finitans* significat rem determinatè, vt *homo*. Terminus *infinitans*, qui omnia alia, preter id, quod determinatè negat, significat indeterminatè, vt *non leo*; nam homo, plantę, flores, & quævis alia præter Leonem sunt *non leo*, sed negatio præferenda est nomini, aliàs si verbo præferretur, non esset terminus infinitans, sed propositio negativa. Aliud enim est, *non est leo*, ac *est non leo*.

214. Scias primò. Terminum transcendentem posse infinitari, quia negato eo potest affirmari aliquid distinctu ab eo indeterminate; v. g. *non ens*, determinatè negat *Ens*, indeterminatè affirmat impossibilia, Entia rationis, &c. Scias secundò. Terminum supra transcendentem infinitari non posse; quia negato supra transcendenti, scilicèt non *cognoscibili*, non datur aliquid, quod affirmari possit. Scias tertio; terminos *Omnis*, & *aliquis* posse infinitari, vel simul cum alijs; v.g. *Non omnis homo currit*, quod idem est, ac dicere *currere* aliquid *quod non est tota hominum collectio*. Etiam: *non aliquis homo currit*, quod est idem ac *nullus homo currit*, vel solitarie, quia *Non omne currit*, idem est, ac *tota collectio hominum non currit*, & præter totam collectionem negatam datur aliquod, nempè particulare individuum, quod currat Si vero *omne* supra transcendentér sumatur, non potest infinitari, vt iam dixi.

SECTIO X.

TERMINI PROPRIETATES.

215. PRincipalior termini proprietas solet apponi *suppositio*, in cuius definitione maximè inter se discrepant Doctores. Vnusquisque enim pro suo nutu, vel eam effingit, vel innovat. Videatur Pater Arriaga disp. 1 determinis, sect. 6 subsect. 1. Alij enim, vt dicant, voces non supponere vel supponi (idem enim apud Sumulistas active, ac passive significat Verbum *suppono*) pro conceptibus, sed pro rebus, ita suppositionem definiunt cum Toleto. *Est positio vocis loco sui significati*: alij vero, vt etiã dicant conceptus, & voces pro rebus supponere, ita eam definiunt. *Est positio termini pro suo significato*. Ego autem in re de nomine, Grammaticæ, & vsui vocis magis conformem iudico hanc apud nostrates communem definitionem. *Suppositio est positio vnius loco alterius ad præstandum munus illius*, sic Prorex Peruvij supponit pro Rege Hispaniæ, ad præstandum in Peruvio idem, quod si Rex assisteret, præstaret. Vndè ex definitione communi suppositionis, sic suppositionem logicam definio. *Est positio cuiusque signi loco conceptus ad manifestandum illius obiectum*.

216 Hinc infer primò. Conceptus mentis non supponere pro rebus, licèt illas significent. Non enim est idem supponere, ac significare. Tubarũ clangor (vt optimè Oviedus) pugnam significat. Symbali sonus Sacrum celebrãdum. Quis enim dicet: Clangorem supponere pro bello, & sonum symbali pro sacro? Ergo non est idem significare, ac supponere. Probatur conclusio: munus obiecti est repræsentari, mittere speciem impressam sui, & prædicari, vt *quod*. Munus vero actus est repræsentare, prædicari *vt quo*, & exprimere obiectum. Hęc distincta munera sunt, ergo conceptus non præstant idem munus, quod res, & obiecta: ergo nec supponunt pro ipsis, idem dic de vocibus, scilicêt nõ supponere pro rebus.

217 Infer. 2. Voces solum supponere pro conceptibus, quia cum intellectus nequeat corpore impeditus ipsos suos conceptus alijs manifestare (vt inter Angelos fit) vocibus ad hoc vtitur, ergo voces idem munus, ac conceptus mentis exerceret, si se ipsos patefierent, exercent; ergo pro eis supponunt.

218 Infer tertiò. Suppositionem non esse proprietatẽ termini logici. Túm quia terminis mentalibus non convenit. Tûm quia etiam convenit vnioni vocali, quę per nos terminus non est, vt supponit pro conceptu mentis.

219 Infer quartò. Suppositionem non esse proprietatem, sed essentiam termini vocalis, quia vox provt significat ad placitum, est locutio humana essentialitér significativa, & expressiva conceptuum mentis in ordine ad manifestanda obiecta; ergo non est proprietas, sed essentia termini logici vocalis, pro mentali supponere.

220 Suppositio hæc dividitur in *materialem*, *& formalem*. Materialis est, cum vox se ipsam reflexe significat, vt *Blictiri est vox*. De hac suppositione, & ratione termini in vocibus non significativis in libris de Peryhermenijs agam. Formalis, & directa suppositio; est cum vox supponitur pro conceptu ad significandam rem à se distinctam, vt *leo* ad significandam naturam leoninam. Suppositio personalis significat rem secundum quod ex se habet, vt *homo est animal rationale*. Suppositio simplex significat rẽ secundum quod habet, non ex se, sed ab intellecto, vt *homo est species*, *animal est genus*.

221 Suppositio propria significat rem propriam, vt *Leo naturam leoninam*. Suppositio impropria significat rem impropriam, vt *leo hominem fortem*. Suppositio essentialis rem essentialem significat, vt *homo est animal*. Demúm tot sunt suppositionum species, quot terminorum.

222 Suppositio copulativa, seu collectiva significat rem communem toti collectioni. Hæc de singulis nequit verificari. v. g. *Omnes Apostoli sunt duodecim*, nequit enim de singulis Apostolis dici: *Ergo Ioannes est duodecim*, *&c.* nisi ita: ergo *Ioannes est vnus de duodecim*. Suppositio distributiva alia est completa, & absoluta pro omnibus inferioribus, seu pro singulis generum. v. g: *Homo est animal*, & tunc licet inferri. Ergo *hic*, & *hic*, & sic de singulis est *animal*. Alia incompleta, & accommoda, vt *omnes in Adam peccaverunt*, quę non verificatur

d. Christo Domino, & Uirgine MARIA. Item illa; quæ supponit, pro generibus singulorum, vt *omne animal fuit in Arca Noë*, id est ex omni genere animalium aliqua fuerunt in Arca Noë.

SECTIO XI.

DE ALIJS TERMINI PROprietatibus.

223 PRima ergo proprietas termini est assensus, quæ est progressio ab inferioribus ad superiús: v. g. *hic homo, & ille, & ille, &c. est animal* valet. Ergo *omnis homo est animal*. Si verò omnia inferiora non enumerentur non vincit ascensus; v. g. *Petrus, & Ioannes Apostoli prædestinati fuerunt*. ergo: *Omnes Apostoli prædestinati fuerunt*, est falsus ascensus, quia Iudas fuit Apostolus, & prædestinatus non fuit,

224 Secundò. *Descensus* est progressio á superiori ad inferiús, *vt omnis homo est animal*, valet; ergo hic, & hic, & ille est animal, &c.

225 *Status* est acceptio termini pro termini pro tempore copulæ principalis: v. g. *Petrus, qui fuit dives, est pauper*: status huius propositionis est de præsenti quia copula principalis, nempè ly *est* hoc denotat. Status est præsens, præteritus, & futurus.

226 Quarta ampliatio. Est extentio termini ad alia tempora prę̨ter importatum per copulam principalem; v. g. *In principio erat Verbum*: hoc est, quod fuit, quod est, & quod venturum est.

227 Quinta *Distractio* est acceptio termini pro tempore distincto ab eo, quod per copulam importatur, vt *Iustus peccat*, id est, qui erat, aut fuit iustus: nũc peccat.

228 Sexta *Restrictio* est limitatio termini á maiori ad minorem significationem, *vt homo doctus præmiatur*, vbi ly *homo*, per ly *doctus* restringitur ad tales homines.

229 Septima. *Diminutio*. Est trãslatio termini à significatione absoluta ratione alicuius additi ad significationẽ secundum quid, vt Ætiops *est albus secũdum dentes*, per ly *secundum dentes* minuitur albus.

230 Octava. *Alienatio* est translatio vocis á propria ad impropriam significationem ratione alicuius additi, vt *homo pictus*, ratione, ly *pictus* alienatur à propria significatione ly *homo*.

Nona. *Appellatio* est applicatio significationis vnius suprá significatum alterius. Hæc est duplex materialis, & formalis: materialis appellatio est cum significatum termini denominantis cadit supra materiale, hoc est, supra subiectum materiale alterius termini denominantis. Formalis appellatio est cum significatum termini denominantis cadit supra formale significatum alterius terminini denominantis. Exemplo res clarescet in hac propositione, *Aristoteles fuit magnus Philosophus*, materiale, seu subiectum est *Aristoteles*. Formale, seu *forma* est ly *Phylosophus*. Vndê si ly *magnus* cadat supra Aristotelem, & non supra Phylosophum erit appellatio materialis, & sensus erit *Aristoteles, qui magnus est, est Phylosophus*. Si verô ly *magnus* cadat supra Phylosopbum, & non supra Aristotelem immediatè, erit appellatio formalis, & eius sensus hic *Aristoteles fuit Phylosophus magnus*.

231. Scias, á termino alienato non valere consequentiam ad absolutam, vt *est homo pictus* non valet, ergo *homo*: neque â termino restricto valet affirmativè ad absolutum; v.g. *Omnis Scholasticus piger dignus est pœna*: non valet, ergo *Omnis Scholasticus dignus est pœna*, valet tamen negativè, vt *Scholasticus piger non studet. Ergo non omnis Scholasticus studet*.

232 A

232. A termino diminuto communitèr non valet ad absolutum, vt *Ethiops est albus secundum dentes*, non valet, *ergo absolutè est albus*, non quia non possèt in toto rigore albus dici, & denominari (vt optimè Sapientissimus Pater noster Leonardus de Peñafiel) licet sit á minima parte corporis, sicut homo dicitur absolutè crispus á capillis. Nasutusá Naso, minimis certè corporis partibus. Totum ergo hoc de denominationibus ad communem vsum, & modum loquendi reduci debet, iuxta illud Aristotelis. *Loquendum cum pluribus, sentiendum cum paucis*: ideo quæ dixi á termino diminuto communitèr non valere ad absolutum, sicut non valet in Æthiope, qui absolutè appellatur niger, & non albus.

233. Hic ab aliquibus alię quæstiones excogitari solent, pręcipuè cum Arriaga circa multiplicationem concretorum, sed ne á summularum nomine exorbitem alio remitto. Vide interim, si placeat, Arriagam, disp. 1. sect. 1.

TRACT. II.

DE SECVNDA MENTIS OPERAtione nempê iudicio.

1. ALiqua de Grammaticæ campo pro plena propositionum intelligentia desumenda sunt; sit ergo brevitèr.

SECTIO I.

DE NOMINE, VERBO, & oratione.

2. OMissa Aristotelica Nominis definitiones impugnata ab Hurtado, defensata á Linze, sic cum Arriaga ex Nebrisensi Antonio nomen defininio *Est vox significativa ad placitum per casum declinabilis*. Per ly *significativa ad placitum*, voces non significativæ excluduntur á ratione nominum. Verbum, interiectiones. Adverbia, particulæ, per ly *declinabilis per casus* excluduntur.

3. Objic. Frugi, Pondo, Sponte, &c. sunt nomina iuxta ipsum Nebrisensem, sed non sunt declinabilia per casus, sed potius indeclinabilia: ergo.

4. Resp. primò. Ex Arriaga: nomina hæc habere integros casus, sed eodem modo desinentes, sicut apud Hispanos nomina in singulari haberent omnes casus similes, & similes etiam in plurali, nec ideo sunt indeclinabilia; vel dic facilius, non esse nomina proprie, sed improprie. Idem dic de *Veru, Genu*, &c. in numero singulari, licet in his Hurtadus ex authoritate Sanctt Augustini determinate dicat, esse declinabiles.

5. Replicabis. Ergo pariter Verbum dicetur declinari per casus eodem desinentes, vt *Amo est Verbum* in nominativo. *Amo non repugnat significatio*, in Dativo, & similiter.

6. Respondetur; in his propositionibus esse supplendam vocem aliquam, idem enim valet: *Amo est Verbum*; ac *Hæc dictio amo est Verbum*: & *Amo non repugnat significatio*. ac *huic dictioni amo non repugnat significatio*. Vnde Amo semper indeclinatum manet.

7. Uerbum ex eodem Antonio sic definitio: *Vox coniungata per tempus determinatum* convenit omni Uerbo, & omni tempori præsenti, præterito, & futuro, ergo estrecta.

Objic.

8. Objic. Aliqua nomina significant tempus; v.g. *Annus, Hora, Mensis, meridies*, ergo.

9. Resp. primò. Ea nomina significare tẽpus, sed nõ declinari per tẽpus. Respondetur secũdò. Ea nomina significare tempus, sed non determinatum, nam nec affirmatur, nec negatur, an sonuerit hora, vel non, an mensis existat, vel extitisset. Idem dic de participijs verborum, quæ verba non sunt, cum determinentur per Verbum *Sum es fui*. Amatus fuerit, &c.

10. Oratio est *complexio dictionum cum copula congruentium* convenit orationi mentali, quæ sine vllo fundamento ab Alphonso, lib. 1. Sumul. c. 2. Excluditur á ratione Orationis, convenit etiam Orationi vocali, quę etiam voluntariè ab Orationis nomine privatur áPatre Idelphonso de Peñafiel, disp. 9. Logicæ quęst. 3. n. 13. ponitur cum copula, & non cum Verbo, quia forte propositiones ęternę veritatis Uerbo carent, vt aliqui apud Conimbricenses affirmant, & tamen sunt Orationes. Excluditur terminus complexus, scilicet *Petrus iustus*, qui oratio non est, cum careat copula. Dicitur *congruentium*, quia dictiones incongruæ, vt *Ego legebatis* orationem non constituunt.

11. Duplex est oratio, alia imperfecta, quæ sensum imperfectum habet, relinquit que suspensum audientem, vt *si Petrus legat. Cum ego veniam.* Alia perfecta, quæ sensum perfectum habet, vt *Petrus audit*: hęc, vel est imperativa, vt *Fac hoc*, vel interrogativa, vt *Vnde venis*? vel, optativa, vt *vtinam legas*! vel deprecativa, *vt venias rogo*, vel denique enuntiativa, vt *Petrus est homo. Ioannes currit.*

Circa quam totum nobis negotium erit.

(§)

SECTIO II.

DE PROPOSITIONE.

12. Reiectis varijs definitionibus. apud Patrem Linze, lib. 4. tract. 1. & etiam propria ipsius Linze á Patre á Arriaga, sect. 2. n. 12. Physicæ auct, vbi num. 16. antiqui cursus definitionem emendat, & corrigit. Sic cum Damasceno, Oviedo, & Compotono, disp. 5. sect. 6. propositionem definio: *Est oratio aliquid de aliquo statuens.* Ly *Oratio* est genus ad omnes Orationes, de quibus numero antecedenti. Reliquæ particulæ sunt differentiæ. Si roges, quid sit statuere? Respondeo, esse enuntiare prędicatum de subiecto, vel affirmare, vel negare. Ponitur *aliquid de aliquo*, & non vnius de alio; quia cum subiectum, & prædicatum obiectivum identificentur inter se, non datur inter ea alietas, quę distinctionem requirit.

13. Quatuor in propositione reperiuntur. Materia, forma, quantitas, & qualitas; quæ pars appellanda est materia, quæ vero forma in propositione? Res est pure de voce non parum fatigans Patrem Linze tract. 3. cap. 1. Tu dic, has voces varie posse sumi; si loquamur de materia, & forma partiali propositionis ad instar compositi physici, subiectum erit materia, & prędicatum erit forma, quæ media vnione subiectum afficit. Si loquamur de materia totali, hęc est triplex. Prima est materia inqua, & est intellectus; in eo enim subiectatur propositio. Secunda est materia ex qua, & est prędicatum, & subiectum, quę sunt qua si partes formales intetellectus. Tertia est materia circa quam, quę re ipsa propriè dicitur materia propositionum, & est connexio prædicati, & subiectivi.

14. Hæc etiam materia est triplex Pri-

Prima est necessaria cum prędicatum convenit subiecto, vel essentialitèr, vt *homo est rationalis*, vel naturalitèr, vt *homo est risibilis*, & in hac materia propositio affirmativa semper est vera, negativa semper est falsa. Secunda est impossibilis, quę etiam remota dicitur, cum prędicatum repugnat subiecto, vt *homo est equus*, & in hac materia propositio affirmativa semper est falsa, negativa semper est vera. Tertia est contingens; v.g. *Petrus est iustus*, & in hac materia, tam affirmativa, quam negativa propositio potest esse falsa, & etiam potest esse vera. Forma denique totalis propositionis est vnio, per quam constituitur formalitèr in ratione statuentis. Vnio namque est formalis enuntiatio.

15. Quantitas propositionis methaphoricè desumpta á quantitate physica est extensio significationis ad plura vel pauciora; sicut quantitas mollis est extensio corporis ad locum: est quatruplex. Prima, vniversalis, quando subiectum afficitur termino vniversali *Omnis, Nullus vniversus, &c.* Secunda partialis, quando subiectum afficitur signo partiali *Aliquis, Quidam*, vt *Aliquis homo currit.* Tertia singularis, cum subiectum est terminus singularis, vt *Petrus, Ioannes* &c. vel afficitur aliquo termino singulari *Hic, Hæc, Hoc, Iste, Ista, Istud, &c.*

16. Quarta in definita, cum subiectum est commune, & nullo signo afficitur, vt *homo est animal*: hæc indefinita propositio in materia necessaria affirmativè ęquivalet vniversali, vt *homo est animal*, idem est ac *Omnis homo est animal*: in materia impossibili negativè, etiam æquivalet vniversali, *vt homo non est lapis*: idem est ac *Nullus homo est lapis.* In materia contingenti æquivalet particulari, vt *Homo currit*, idem est, ac *Aliquis homo currit*, etiam negativè, vt *homo non est albus*, idem est ac *Aliquis homo non est albus.* Hic scias, quantitatem propositionum desumendam esse á subiecto, non á prædicato. Unde hæc *omnis persona Divina est. Vnus Deus* est vniversalis, licet prędicatum sit particulare, & hæc *Deus est omnis Persona Divina* est particularis, licet prędicatum sit vniversale.

17. Qualitas propositionis est veritas, vel falsitas, quę radicatur in substantia propositionis, affirmatione scilicet, vel negatione. Vnde hæc propositio *Petrus est homo*, ideo vera est, quia affirmat de Petro prædicatum illi conveniens.

18. Propositio primò dividitur in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, quæ enunciat identitatem prędicati, & subiecti obiectivi, vt *Petrus est homo.* Negativa, quæ removet identitatem hanc vt *Petrus non est lapis.* hæc divitio est contra Caramuél. Qui num. 1253. & 1288. iudicat; nullam esse propositionem negativam sed omnes esse affirmativas, saltem infinitanter, nam idem est *Petrus non est Leo*, ac *Petrus est non Leo.* En affirmativa propositio, sed novitate hac denomine destruit Phylosophorum vsum, Omnes enim ex Aristotele primò Prior. cap. 1. dividunt propositionem in affirmativam, & negativam. Pręterea ex eo etiam liceret alicui affirmare; nullam esse propositionem affirmativam, cum etiam omnis affirmativa post negativæ æquivalere: v.g. *Petrus est homo*, idem est, ac *Petrus non est quid distinctum ab homine* en propositio negativa: ergo non est dicendum, ex æquivalentia mutua affirmativarum, & negativarum propositionum, non esse aliquas affirmativas, & aliquas negativas.

19. Propositio secundò dividitur in modalem, quæ sub aliquo modo statuit prædicatum de subiecto, vt *Petrus currit velociter*, & in propositionem *de in esse* quæ absolute enuntiat, *vt Petrus est currens.* Tertio Propositio de secundo adiacente est, quę predicat tantum verbum *est* vt *Petrus est.* Propositio de tertio adiacente addit verbo *est* aliquod

 præ

prædicatum expræssum vt *Petrus est homo.* Quartò propositio formrlis est, in qua saltem quoad expressum distinguitur prædicatum á subiecto, vt *Homo est animal.* Propositio identica, in qua idem etiam quoad expressum predicatur, vt *Petrus est Petrus.*

20. Quintò Propositio reduplicativa est, in qua per particulas *Prout, inquantum. vt*, exprimitur ex parte subiecti aliquid ratione cuius illi convenit prædicatum, vt *comestio carnis vt prohibita est mala* prositio specific.. est, quæ caret talibus particulis, vt *Ioann.s est homo.* Propositio exponibilis est, quæ ad intelligentiam eget expositione. Exponēs est illa, per quam exponitur.

21. Septimò. Propositio exceptiva est, quæ á subiecto communi excipit aliquid, aliqua ex his particulis *Præter, Nisi, Extra*, vt *omnis homo præter Petrum currit.* Hæc propositio exceptiva semper est mista ex affirmatione, & negatione. Affirmat de vniversali, negat de particulari. Idem enim est, ac *omnis homo distinctus á Petro currit, & Petrus non currit.* Propositio exclusiva est, quæ per aliqua ex his signis *Tantum, Dumtaxat, Merè, solùm*, excludit aliquid, vel ex parte subiecti, vt *Petrus tantum currit*, quod est idem, ac *Petrus currit, & nullus alius distinctus á Petro currit*, vel ex parte prædicati, vt *Petrus est tantum doctus*, quod idem est ac *Petrus est doctus, & nihil aliud.* Differt ab exceptiva, nam prædicatum, quod excluditur non est contentum in aliquo termino superiori, sicut prędicatuum, quod excipitur.

SECTIO III.

DE PROPOSITIONE COMPLEXA, & incomplexa.

22. PRopositio incomplexa, quæ & communitêr Cathegorica appellatur, quidquid contendat Hurtadus, disp. 4. §. 7. est simplex propositio, vt *Homo est animal.* Propositio complexa duplici propositione modo aliquo vnita constat, quæ etiam communitèr hypotetica appellatur, licet hoc nomen rigorosè solum causali, & conditionali cōveniat.

23. Hæc est multiplex prima. *Copulativa*, quę his particulis *Et, Ac, Atque*, duas vnit propositiones, vt *Petrus currit, & Ioannes legit.* secunda est disiunctiva, quę his particulis, *vel, sive. Aut.* duas anecti propositiones, vt *Petrus curr t, vel Ioannes ridet.* Tertia relativa ab aliquo relativo denominata, vt *Ioa nes, qui legit, scit.* quarta causalis, quæ ratione alicuius parti ulæ ex his. *Quia, Ergo. Igitur* denotat obiectum vnius propositionis esse causam obiecti alterius, vt *Quia Petrus currit, fatigatur*, hoc est; *causa fatigationis Petri est eius cursus.* Quinta conditionalis, quę propriè hypothetica appellatur, continet que aliquam conditionem, per particulam *si* importatam.

24. Hæc conditionalis est quadruplex. Prima cū conditio necessario ponit subiectum, vt *si sol adsit, dies erit.* Secunda cum conditio ponit subiectum contingenter, *vt si petam à Petro, mihi dabit.* Tertia cum conditio est imposib lis: sed illa posita potest esse, vel contingenter connexa. Vt *si Petrus esset aquila, nuno volaret*, vel necessario connexa, *vt si aquila esset homo, discurreret.* Quarta cum conditio est omnino disparata cum subiecto, vt *si Turca dormit, Cœlum tonabit.*

25. Ex explicatione harum propositionum constabit, eas non esse aggregatum quoddam ex propositionibus Cathegoricis, vt aliqui contendunt sed vnicam propositionem simpliciter talem, constantem vnica vnione, vnico prædicato, vnico que subiecto, licet alias sit materialitèr multiplex.

26. Propositio copulativa *Petrus currit, & Ioannss legit*, idem intellige de hac; *Petrus currit, & movetur*; & similibus, respicit vt prędicat, tum si multatem

tem

tem cursus Petri; & lectionis Ioannis, ipsum Petrum, & Ioannem, vt vnicum, subiectum de quo vnica vnione prędicat simultatē: ita *Incursu Petri, & Lectione Ioannis datur simulas*, vnde potest evenire, quod propositioues categoricæ sint veræ, saltem pro diverso tempore, & copulativa semper necesario falsa, vt patet in his propositionibus: *Petrus legit, & non legit*: est necessariò falsa, & tamen *Petrus legit* potest esse vera, & etiā, *Petrus non legit.* Si legat Petrus hac hora; & in sequenti, non legat.

27. Vnde materia propositionis copulativæ est omnino distincta á materia propositionū simpliciū: materia propositionum simplicium est conexio cursus cum Petro, & lectionis cum Ioanne: materia vero copulatvę est conexio cursus Petri, & lectionis Ioannis interse. Hinc inferes; ad veritatem propositionis copulativæ, requiri vtriusque propositionis verificationem, & quod Petrus currat, & quod Ioannes legat, ita vt Petro nō currente, & si Ioannes legeret; vel Ioanne non legente, & si Petrus curreret propositio esset falsa.

28. Disiunctiva respicit disiunctionem, vt materiam: hoc est indeterminatam, & vagam existiā alterius vtrius Cathegoricæ, sed vt propositionem disiunctivam bene percipias. Scias, in duplici sensu posse accipi: in sensu exclusivo, vel insensu præscisivo. Propositio disiunctiva exclusiva vnum tantum ex obiectis indeterminatè affirmat, excludens simultatem vtriusque ita vt si vtrumque poneretur esset falsa propositio, & in hoc sensu protulit illam disiunctivam S. Dionisius Areopagita. *Aut Deus naturæ patitur, aut tota mundi machina dissolvitur.* Ex cludens simultatem passionis Dei, & dissolutionis mundi, affirmansque vnum è duobus, sed indeterminatè.

29. In propositione disiuntiva pręscisivè disiunctio *vel*, idem valet, ac *saltem*, vel, *adminus*, quæ licet solum affirmet vnum indeterminatè, & ad suam veritatem hoc sufficiat, tamen non excludit simultatem: ita vt etiam si vtrum que ponatur, ad huc propositio manet vera: sic se habet illud Dei præceptum. *Qui maledixerit Patri, vel matri morte morietur.* Ex hoc non infertur, quod qui maledixerit vtrique, non sit moriturus: Et etiam illud Christi servatoris, Mat. 18. vers. 20. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sunt in medio eorum.* Sensus illius, *vel* est *saltem.* Quando verò propositio sit exclusiva, quando verò præscisiva cognoscerur, vel ex prędicato propositionis, vel ex animo proferentis. Hinc inferes, propositionem disiunctivam esse particularem propositionem, non vero duplicem Cathegoricam, si quidem, & distinctum obiectum respicit, vnum scilicet ê duobus disiunctivê, & hęc propositio complexa *Petrus est* vel *non est* Necessariò est vera & ablata disiunctione, vna ex duplici Cathegorica necessario est falsa.

30. Propositio relativa; v.g. *Ioannes, qui legit, scit*, (si forte sit propositio complexa, potius enim videtur propositio simplex de subiecto complexo, idem namque videtur *Petrus, qui* albus est, legit ac Petrus albus legit) respicit, vt prædicatum actionem per Uerbum præcipuum significatam, & pro subiecto totam primam propositionem: de Petro enim legente affirmatur scientia. Vnde simul affirmatur, Petrum legere, & scire, & ad minus, supponitur, Petrum legere, & affirmatur scire. Ergo distincta est á propositionibus cathegoricis. Etiā potest esse vera propositio relativa, & cathegoricę falsæ, vt patet in hac *Ens á se, quod est multiplex Deus, est imposibile*: Aufer relationem, & manebit duplex propositio cathegorica falsa, nempe *Ens á se est multiplex Deus. Ens á se est imposibile*; ergo per relationem in alia specie constituitur illa propositio.

31 Propositio causalis affirmat, vnū esse

esse

esse causem alterius, v. g, in illa. *Quia Petrus currit fatigatur,* affirmat, cursum esse causam fatigationis Petri; vndè cathegoricæ possunt esse veræ,& causalis falsa, vt patet in hac: *Quia Petrus est homo exilit,* quæ omninò falsa est, licèt sint veræ cathegoricæ, nempè: *Petrus est homos & Petrus exilit.* ergo alia species est propositionis.

32 Propositio conditionalis respicit vt materiam propriam connexionem seu dependentiam vnius obiecti ab alio, v. g, *si Sol adsit dies est,* vbi respicit dependentiam diei á sole, tamquam á causa. Hinc potest esse vtraque cathegorica vera,& ex defectu dependentię hypotetica falsa, vt in hac *si est á se, homo est rationalis.* Hinc inferes hypoteticas disparatas, vt *si Turca dormit, Cœllum tonabit.* Semper esse falsas, solum ex defectu dependentiæ vnius ab alia; ergo etiam est distincta species propositionis.

33 Hinc nota, vt Oviedi argumento respondeas, has propositiones appellari compositas vulgaritèr, quia scilicet attingunt obiectum duplicis propositionis incomplexæ, sicut apprehensio duorum terminorum, v. g. *Homo iustus* appellatur complexa, non quia componatur ex duplici apprehensione incomplexa, sed quia attingit obiecta, quę possũt esse duplicis apprehensionis incomplexæ.

SECTIO IV.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT *propositionum oppositio.*

34 Relictis pluribus definitionibus, sic cum Recentibus communitér ex Aristotele primò Perhyer. cap. 4. oppositionem definio. *Est pugna propositionum ex vi formæ, & modi tendẽdi secundum qualitatem, orta ex affirmatione, vel negatione eiusdem de eodem, omnibus servatis.* ly *pugna* est ratio communis ad oppositionem etiam physicam. Dicitur *secundum qualitatem*, quia qualitas est communis ad veritatem, vel falsitatem, & sic omnes oppositiones compręhẽdo. Dicitur *orta ex affirmatione, & negatione*, quia si aliundè oriatur, non erit logica oppositio, vt patet in propositionibus *Petrus est iustus, Petrus est iniustus*, quæ licèt nequeant esse simul veræ, vel falsæ & pugnent physicè, cum tamen earum pugna non oriatur ex affirmatione, vel negatione, logicè non pugnant. Non additur *secundum quantitatem* cum Patre Oviedo, punct. 1. num. 1. quia inter propositiones singulares datur vera oppositio, & tamen in quantitate non opponuntur. Ly *Eiusdem de eodem* requirit quod in vtraque opposita propositione detur idem subiectum, idemque prædicatum.

35 Ly *omnibus servatis* denotat in vtrisque etiam debere servari eumdem *modum, locum, tempus, appellationem, suppositionem, conditionem, & causalitatem*, si enim aliquid eorum varietur, oppositio non datur: patet in his propositionibus quæ non opponuntur *Petrus currit Petrus non currit velocitèr*; ex defectu modi. *In Platea sedet Petrus. In Eremo non sedet Petrus.* Ex defectu loci. *Ioanes scribit mane. Ioannes non scribit vespere.* Ex defectu temporis. *Alexander est magnus logicus. Alexander magnus est logicus.* Ex defectu appellationis. *Canis latrat. Canis non latrat.* Ex defectu suppositionis. Prima namque supponit pro terrestri. Secunda pro Cœlesti. *Si Ioannes sedet, quiescit. Si Ioannes ambulat, non quiescit,* ex defectu conditionis. *Quia sol lucet, dies est.* Quia *sol occidit, dies non est*; ex defectu causalitatis.

36. Objic. Qualitas est accidentalis, ergo per illam non est definienda oppositio. Respondetur, me non definire oppositionem per qualitatem; sed per ordinem ad qualitatem sicut substantia de-

finitur per ordinem ad accidentia. Pręterea, oppositio propositionum est propositionum proprietas, quid mirum quod per aliquid accidentale definiatur!

37. Quadruplex est oppositio. Prima contradictoria. Secunda contraria. Tertia sub contraria. Quarta subalterna. De quibus singilatim.

38. Oppositio contraditoria est *Pugna ex vi formæ, & modi tendendi secundum vtramque qualitatem ex affirmatione, & negatione.* Communiter dicitur versari hanc oppositionem inter propositiones singulares; v.g. *Petrus est homo. Petrus non est homo*, vel inter vnam propotionem vniversalem, & aliam particularem; v.g. *Omnis homo currit, Aliquis homo non currit.* Dicitur hæc oppositio secundum vtramque qualitatem, quia propositiones, in quibus, datur nec simul verę, nec simul falsæ esse queunt, sed necessariò vna est vera, & altera falsa: fundatur enim in illo principio lumine naturæ nato, *Quodlibet est, vel non est.* Dicitur oppositio immediata, quia inter *Petrum, & Petrum non,* inter *omnem*, & *aliquem non* nullum medium vtriusque falsificativũ reperitur. Dicitur omnium maxima oppositio, quia pugna secundum vtramque qualitatem, quod non habent reliquæ oppositiones. Adverte, hoc esse intẽsive: nam extensive saltem quo ad expressum, maior est oppositio contraria, vt optimè Arriaga. Ad plura enim se extendunt *omnis,* & *nullus,* quam *omnis,* & *aliquis.*

39. Oppositio contraria est pugna *propositionum ex vi formæ secundum veritatem;* versatur inter propositiones vniversales, v. g. *Omnis homo currit*, & inter vniversalem, & singularem, v. g. *Omnis homo currit; Petrus non currit*: dicitur oppositio mediata, quia inter subiectum vtriusque propositionis potest dari aliud, ratione cuius vtraque propositio falsificetur, v. g inter has *Omnis homo currit. Nullus homo currit.* Hæc particularis intercedit, *Aliquis homo tantum currit,* ratione cuius vtraque propositio vniversalis falsificatur. Prima, quia affirmat, omnem hominem currere, & non currit *omnis,* sed *aliquis* tantum: secunda, quia negat; omnem hominem currere, & datur aliquis homo, qui currat.

40. Dicitur, pugnare secundum veritatem, quia nequit vtraque esse simul vera: nam si vera esset vniversalis affirmativa *Omnis homo currit*, vera vtraque esset, particularis affirmativa. *Aliquis homo currit*; nam *aliquis* continetur in *omni*. Si tamen esset vera vniversalis negativa *Nullus homo currit*, essent simul veræ duę contradictoriæ, scilicet *Aliquis homo currit. Nullus homo currit*, quod implicat. Utrumque etiam conspicitur inter alias contrarias *Omnis homo currit. Petrus nõ currit*, inter quas datur hæc singularis *Ioannes tantum non currit*, vi cuius vtraque falsificatur. Prima, quia affirmat de *omni*, & *vnus tantum* currit. Secunda, quia affirmat de Petro, & Ioannes tantum non currit. Vtraque tamen nequit esse vera, quia si vera est propositio singularis *Petrus non currit*, falsum necesse est, *Omnem hominem currere.* Et si verum est, *omnem hominem currere.* Falsum necesse est, *Petrum non currere.*

41 Objic. primò contra proximè dicta; hę propositiones *Omnis homo est animal. Nullus homo est animal* sunt contrariæ, sed nequeunt esse simul falsæ, vt per se patet, ergo.

41 Respondetur. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Nequeunt esse simul falsæ ex vi materiæ, concedo, ex vi formæ, nego, certum est, propositiones vniversales in materia necessaria non posse falsificari simul, sed hoc oritur á materia, non verò á forma vniversalitatis: ideòque in definitione apposui illas particulas *ex vi formæ. & modi tendendi*, quod autem hoc non oriatur á forma, sed á materia patet, nam manente eàdem formá, si materia necessaria in contingentem mutetur possunt es-

esse simul falsę, *ut omnis homo currit: nullus homo currit.* E è contra ablata forma manente eadem materia adhuc illę propositiones simul falsificari nequeunt, vt *omnis homo est animal. Omnis homo habet repugnantiam cum animali*, ergo quod nō falsificentur non provenit á forma, sed á materia.

43 Replicabis: hæ propositiones; *Omne animal est homo, Nullum animal est homo* sunt contrarię, & in materia necessaria, sed simul falsificari queunt, ergo quod illæ non falsificentur nō prouenit á materia, sed á forma.

44 Respondetur: nego maiorem quoad secundam partem: eo modo, quo fiunt illæ prędicationes, scilicet methaphysicè, non sunt in materia necessaria, sed contingenti. Nám sicut Petro physicè est contingens currere, quia potest non currere, cum sedet, ita animali est contingens metaphysicè esse hominem, si iungatur cum bruto.

45. Objci.2. Ideo propositiones contraditorię *Omnis homo currit, Aliquis homo non currit* nequeunt esse simul falsæ, quia vniversalis descendit ad idem subiectum, de quo particularis negat, sed in his contrarijs *omnis homo currit, Petrus non currit*, vniversalis descendit ad Petrum, de quo singularis negat, ergo.

46. Hoc argumentum etiam videtur probare; eas propositiones non esse contrarias, sed cōtradictorias, quod defendit Caramuel, art. 34. n. 629. logicæ vocalis, sed nihil probat. Respondetur. Nego maiorem; non ideo præscisse illæ propositiones contradictorię nequeunt esse simul falsæ; quia descendunt ad idem subiectum; sed quia vniversalis non descendit ad aliquod subiectum, de quo non possit particularis verificari. Vnde nunquam possunt esse simul falsę, quia *Si omnis homo currit* falsificatur per Petrum currentem, de ipso Petro verificatur particularis *Aliquis homo non currit*. At vero hæc vniversalis *Omnis homo currit* descendit ad Ioannem non currentem, de quo illa propositio singularis *Petrus non currit*, verificari nequit, cum determinata sit tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ, ideo que per Ioannem tantum non currentem vtraque illa vniversalis, & singularis propositio falsificatur.

47. Objic. tertiò. Inter *omne*, & *nullum* non est aliquid non inclusum, cum vterque terminus vniversalis sit, ergo inter *omne*, & *nullū* non datur medium.

48. Resp. Distinguo consequens: non datur medium; vt subiectum affirmationis, vel negationis; concedo; vt subiectum verificationis, vel falsificationis, nego. Cum enim dicimus, oppositionem contrariam esse mediatam, non est, eo quod detur aliquid non inclusum in propositionibus; sed quia stando tali formæ, potest dari aliquid vtramque propositionem falsificans.

49. Objic. quartò. Sicut inter *omne*, & *Petrum* mediat *Ioannes*, sic inter *omne*, & *aliquis* mediat *Petrus*, ergo etiam contradictoria non erit immediata oppositio:

50. Resp. Nego sicuitatem, solùm enim mediat propositio, quæ vera esse potest inter duas propositiones falsas, ideo que Ioannes mediat inter *omnes currere*, & *Petrum currere*. At vero *Petrus currit* nequit esse vera, falsis *Omnis homo currit*, & *aliquis homo non currit*, ideo que nequit mediare.

51. Hic advertas, varietatem descensus, & suppositionis illarum propositionum *Omnis homo currit. Aliquis homo currit Aliquis homo non currit*. Non officere contradictioni. Pro quo nota primò, nemini dubium esse, descensum propositionis vniversalis esse copulativum; v.g. *Omnis homo est animal*, ita descendit *Ergo hic, & ille est animal* Descensum verò particularis esse disiunctivum; v.g. hæc propositio *Aliquis homo non est animal*, ita descendit *ergo vel ille, vel ille, & c. non est animal.* Nota. 2. Vtramque propositionem non habere determinatè idem subiectum, nam vniversalis habet omnem hominem pro subiecto determinato tam ex parte actus, quam ex parte obiecti. Particularis vero non habet omnem hominem pro subiecto determinato, sed confusê, & ex parte actus. Ex parte tamen obiecti determinatè solum de illo verificatur. Nota 3. Vniversalem, & particularem pugnare ratione illius subiecti singularis, ad quod vtraque propositio descendit, & inquo tandem tota contradictio prædicatorum excercetur. Nota 4. Propositionem particularem non negare de adequato subiecto vniversalis: nam vniversalis affirmat de omni homine, & particularis negat de aliquo.

52. Hoc apud omnes certum est. Vnde his tantum fundamentis, & non alijs, noviter excogitatis, negare inter propositiones vniversales, & particulares dari contradictionem, & oppositionem immediatam; asserere que, non esse contradictorias, esset solum nomen invertere, succumbere que difficultati. Neminē que certé de singularitate famosum efficere. E decem ab hinc annis Neothericum ingeniosum ita canentem audivi.

53. Tu vero plus fumosam antiquitatem, quam famosam novitatem secutus dic; illas propositiones: *Omnis homo currit. Aliquis homo nō currit*, & similes esse immediate cōtradictorias, nec diversū descensū earum copulativū scilicet, & disiunctivum contradictioni officere. Namcum tandem vniversalis affirmet, illum currere, de quo particularis currere, negat, illi tota exercebitur pugna.

54. Nec ex hoc licet inferre, vtramque propositionem posse falsificari, sicut falsificantur cōtrariæ, *Omnis homo currit. Petrus non currit*, currēte tantum Ioanne; quia licet idem Petrus ex parte obiecti sit verificativus illius propositionis particularis *Aliquis homo non currit*, attamen modus tendendi confusus ex parte mentis, & forma, qua disposita est talis propositio, sufficit, vt hæc medium falsificativum non admittat, nam *Aliquis homo currit*, quocumque homine currente, verificatur, si sit vnus tantum, qui currat, ipse est Aliquis. Si sint duo currentes, vel plus, hoc non officit veritati; nam si duo currunt; ergo verum est, *aliquē currere*. Quod in illa propositione *Petrus non currit*, nequit evenire, cum sit singularis, & ex forma, qua disponitur solum Ioanne currente, & ipsa vniversalis *omnis homo currit* falsificatur simul.

55. Hinc constanter scias cum Hurto, §.25. & Arriaga disp.2. sect. 3. n.47. Omnem veram oppositionem, contradictoriam, contrariam, subcontrariam, si rigorose opponatur, tandem de venire ad aliquod subiectum singulare, inquo conttradictio prædicatorum exercetur: & in hoc oppositio logica emulatur oppositionem physicam, quæ semper exercetur in singularibus: vnde, vt habeant veram oppositionem ad contraditorias singulares debent reduci. De hoc fortè clarius postea.

56. Infer, has propositiones opponi contrariè *Petrus, & Paulus currunt, Petrus, & Paulus non currunt*, quia Petro tantum non currente erit vtraque falsa.

57 Oppositio subalterna est tantum secundum quantitatem, & versatur inter vniversalem, & particularem contentam sub illa, v. g. *omnis homo currit. Aliquis homo currit.* Vndè excepto vno lynce, omnes dicunt, nullam dari oppositionem inter eas. Omnis namque oppositio debet esse secundum qualitatem, & hæc non datur, cum vtraque propositio subalterna possit esse simul vera, vel simul falsa. Etiam debet fundari in affirmatione, & negatione, & vtraque est simul affirmativa, vel negativa. Vniversalis dicitur *subalternans.* Particularis *subalternata.* In materia necessaria vtraque affirmativa est falsa, vtraque negativa est vera in materia contingenti vni-

ver-

verſalis poterit eſſe falſa, & particularis vera, non verò è contra particularis falſa, & vniuerſalis vera.

SECTIO V.

DE SVBCONTRARIJS.

58 OPpoſitio ſub contraria exercetur inter duas propoſitiones particulares, quarum vna ſit affirmatiua, vt *Aliquis homo currit*, & altera negatiua, vt *Aliquis homo non currit*. Vtraque poteſt eſſe ſimul vera. Prima de Petro currente. Secunda de Paulo non currente. Aſt nequit vtraque eſſe ſimul falſa; quia ſi eſſet falſa hęc ſubalternata. *Aliquis homo currit*, eius ſubalternans ſcilicèt *Omnis homo currit* eſſet etiam falſa. Ergo & duplex contradictoria *Omnis homo currit*. *Aliquis homo nõ currit*. Eſſent falſæ. Et in negatiua idẽ argumentum efforma. Vtrum tamen inter has propoſitiones detur vera, & rigoroſa oppoſitio, ſicut ſupponimus dari in contradictorijs, & contrarijs? Certè difficillimum eſt.

59 Prima ſententia affirmat. Ita Hurtadus. Franciſcus Alphonſus, Ouiedus, Lynze, lib. 4. Dialecticeę, tract. 4. cap. 4. & ex Neothericis nonnulli cum P. Naza diſ. 6. §. 2.

60 Secunda ſententia negat ita ex Ariſtotele 2. Prior. cap. 15. Fonſeca, Cõnimb. Compton. Sancta Cruz, Arriaga, Cernal, & ex Neothericis aliqui cum Olea. diſ. 21. num. 2.

61 Dico. Suppoſito, quod opoſitio contraria ſit rigoroſa oppoſitio, etiam oppoſitio ſubcontraria eſt oppoſitio rigoroſa. Probatur primò. Oppoſitio cõtradictoria, & contraria ſunt rigoroſæ oppoſitiones; ergo & ſubcontraria. Probatur conſequentia. Triplex datur pugna logica in propoſitionibus, vel ſecundum vtramque qualitatem in contradictorijs, vel ſecundum veritatem in contrarijs, vel ſecundum falſitatem in ſubcontrarijs. Cur ergo prima, & ſecunda pugna inter contradictorias, & contrarias nomem rigoroſæ pugnæ ſortietur, & tertia inter ſubcontrarias á rigoroſa pugnâ relegabitur?

62. Probatur ſecundò. Sicut ex poſitione duplicis contrariæ ſimul veræ duplex prædicatum contradictorium ſimul verum infertur, vt vidimus ſupra. Sic ex poſitione duplicis ſubcontrarię ſimul falſæ duplex prædicatum contradictorium ſimul falſum infertur, vt vidimus, num. 58. ergo ſi contraria eſt rigoroſa oppoſitio, & ſubcontraria vtique.

63. Probatur tertiò á priori. Oppoſitioni ſubcontrariæ competit definitio rigoroſę oppoſitionis, ergo eſt rigoroſa oppoſitio. Probatur antecedens. Oppoſitio ſubcontraria eſt pugna propoſitionum ex vi formæ orta ex affirmatione, & negatione eiuſdem de eodem, ergo. Probatur antecedens, ſcilicet quod ſint eiuſdem de eodem, inquo ſtat tota difficultas. Ideo propoſitiones contrarię ſunt eiuſdem de eodem ex vi formę, quia attingunt omnes homines copulatiuè, & determinatè, licet re ipſa ex parte obiecti per diſtincta ſubiecta falſificẽtur hæc v.g. *Omnis homo currit*, per Petrum non currentem, & hęc. *Nullus homo currit*, per Ioannem currentem, ſed etiam vtraque ſubcontraria ex modo tendendi, & ex vi formæ attingit omnes hominines, diſiunctiue, & indeterminatè, licet vtraque re ipſa, & ex parte obiecti per diſtincta ſubiecta verificetur, hęc; v.g. *Aliquis homo currit*. per Petrum currentem, & hæc *Aliquis homo non currit*. per Ioannem nõ currentem, ergo. Probatur minor. Obiectum termini particularis *Aliquis homo* ex vi formæ, & modi tendendi ipſius prout diſtincti á termino ſingulari. *Petrus* ſunt omnes homines diſiunctiuè, & indeterminatè. Ergo. Con-

64. Confirmatur ad hominem. Per vos hæ propoſitiones *Omnis homo currit*, *Aliquis homo non currit*. Contradictoriè opponuntur, ac proinde rigoroſè: ergo vtraq; debet habere idẽ ſubiectã, ſcilicet *omnes homines*. Tunc ſic. Sed ſecunda propoſitio particularis non reſpicet omnes homines determinatè, ſed ſolum diſiunctiuè, & vagè ex vi formę, ergo vt duæ propoſitiones dicantur habere idem obiectum, idem que ſubiectum ſufficienter ad hoc, vt inter eas detur rigoroſa oppoſitio ſufficit, quod vna ex eis illud reſpiciat vagè, & confuſè ex vi formæ, & modi tendendi, ſed ita reſpiciunt omnes homines propoſitiones illę ſubcontrarię, ergo habent idem ſubiectum ſufficienter, vt veré oppoſitæ dicantur.

65. Sed dices, & objicies primò. Ideo illas propoſitiones *Omnis homo currit*. *Aliquis homo non currit* opponi, quia tandem vniuerſalis venit ad illud ſubiectum ſingulare, de quo propoſitio particularis affirmat; non currere, & in eo exercetur tota oppoſitio, quod nequit euenire in ſubcontrarijs, quę nunquam veniunt ad idem ſingulare ſubiectum. Prima namque verificatur de Petro currente, & ſecunda de Paulo non currente.

66. Ex reſponſione clareſcet quęſtio. Admito, quod ad veritatem, in qua non pugnant, non habeant idem ſubiectum, nec deueniant ad aliquod ſingulare, in quo exerceatur oppoſitio, attamen quo ad falſitatem, inqua eſt tota oppoſitio ad idem ſingulare ſubiectum deueniunt; de eodem que vna affirmat, & alia negat curſum. Vnde nequeunt eſſe ſimul falſæ, quia impoſsibile eſt: idem currere, & non currere.

67. Sed ſtatim inſurgis, ergo etiam nequibunt eſſe ſimul veræ, quia idem nequit currere, & non currere. Vnde iam non erunt ſub contrariæ, ſed contradictoriæ, cum idem ſit dicere. *Aliquis homo currit*. *Aliquis homo non currit*: ac *Hic homo currit*: *Hic homo non currit*, quæ contradictoriæ ſunt.

68 Gratulor tibi de inſtantia, vt clarè mentem meam percipias, ſic ſimul reſpondeo, & ad hominem arguo. Per vos, vt iam num. 55. notaui ex Hurtado, & Arriaga, omnis oppoſitio contraria, ſicut & contradictoria, inter vniuerſalẽ, & particularem tandem debet deuenire ad aliquod ſubiectum ſingulare, in quo exerceatur oppoſitio ad imitationem oppoſitionis phyſicæ, quæ in ſingularibus exercetur. Ideò que illę propoſitiones vniuerſales. *Omnis homo currit*. *Nullus homo currit*, vt pugnent, tandem deueniũt ad Petrum v. g. de quo vna affirmat currere, & alia negat, in eo que rixantur vt nequeant eſſe ſimul veræ, quia tamẽ iuxta formam vniuerſalitatis, & modum tendendi talium propoſitionum etiam ad alia ſubiecta ſe extendunt, poſſunt abſolutè falſificari ambæ. Vna in Petro non currente, alia verò in Paulo currente.

69 Idem in ſubcontrarijs euenit; vtraque ad eumdem Petrum, v. g. non currentem venit, illicque pugnat, cum vtraque nec verificari, nec falſificari poſſit, & vna manet vera, ſcilicet *Aliquis homo non currit*, cum tamen ex vi formæ & modi tendendi affirmatiua poſsit amplius ſe extendere, extenditur vſquedũ, in Paulum currentem incidit, & ſic etiã verificatur. Vnde ex verificatione primæ non falſificatur ſecunda neque ex verificatione ſecundę falſificatur prima ſicut in contrarijs. Ex eo quod prima, vniuerſalis ſcilicet *Omnis homo currit* falſificetur per Petrum non currentem, nõ ideò ſecunda *Nullus homo currit* manet vera, ſed vlterius incidit in Paulum currentem per quem falſificatur & ipſa. Alitêr euenit in contradictorijs, nám cũ iuxta vtramque qualitatem pugnent, ex falſitate vnius veritas alterius, & ex veritate alterius falſitas vnius deducitur, ex quo ſolum infertur; contradictoriam eſſe oppoſitionem omnium maximam, nõ verò ſub contrariam non eſſe rigoroſam

oppositionem secundum falsitatem, sicut & contrariam secundum veritatem.

70 Neque ex hoc infertur, esse cōtradictorias: nam licet re ipsa, & ex parte obiecti idem esset dicere *Aliquis homo non currit, aliquis homo currit* ac dicere *Hic homo homo non currit*, tamen ratione illius diversi modi significandi, & diversæ formę diversum genus oppositionis constituunt; sicut hæ propositiones. *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit.* Contradictoriè opponuntur, & hæ *omnis homo currit. Petrus non currit.* Solum contrarie, licet re ipsa ly *Aliquis* verificetur ex parte obiecti de Petro, & idem sit dicere *Aliquis homo non currit*, ac *Petrus nō currit*. Sufficit que diversus modus significandi idem obiectum ad diversum genus oppositionis constituendum, & hoc á priori patet. Quia ideo hic diversus modus significandi per terminum particularem, vel singularem ad hoc sufficit, quia terminus singularis admittit medium falsificativum vtriusque propositionis. Terminus vero particularis illud non admittit ex vi formæ, sic terminus singularis harum propositionum *Hic homo currit. Hic homo non currit* non se extendit ad alia, ideoque verificata vna propositione, alia falsificatur. Ast vero terminus particularis aliarum scilicet *aliquis homo currit, Aliquis homo non currit* se ad alia extendit. Vnde vna propositione verificata, alia eo pręscissè non falsificatur, sed quærit aliud subiectum, a quo etiam ipsa verificatur.

71. Objic. secundò. Subcontrariæ quo ad veritatem non habent idem subiectum, cum vtraque possit esse vera. Quo ad falsitatem idem subiectum non habent, quia iam essent contradictorię, ergo non sunt eiusdem de eodem, ideoque nec oppositæ.

72. Respondeo primò. Concedo antecedens, quo ad primam partem, & nego illud quo ad secundam, etiam nego sequellam, vt proximè dictum est.

73. Resp. secundò. Distinguo antecedens quo ad primam partem, non habent idem subiectum determinatè verificativũ ex parte rei significatę, concedo; indeterminatè ex vi formæ, & modi tendendi, nego nam vt sæpe dixi, terminus *aliquis*, ad omnes homines disiunctivè se extendit; aliud enim est, vt optimè Pater Franciscus Alphonsus, subiectum verificativum, & falsificativum propositionis, & aliud subiectum affirmationis, & negationis ex vi formæ, & modi tendendi. Sic subiectum determinatè falsificativum propositionis vniversalis *Omni homo currit* est Petrus non currens, & subiectum affirmationis sunt omnes homines copulativè. Sic subiectum verificationis huius propositionis particularis *Aliquis homo currit* determinatè re ipsa, & ex parte obiecti est Petrus currens, ast subiectũ affirmationis eius, & ex vi formæ, sunt omnes homines disiunctiuè, subiectum item negationis alterius *Aliquis homo non currit* sunt omnes homines disiunctivé, ergo & idem subiectum vtriusque propositionis.

74. Objic. tertiò. & replicabis. Vt sint falsæ hæ propositiones singulares: *Petrus currit: Paulus non currit* necessario debent esse falsæ hæ vniversales *Omnis homo currit. Nullus homo currit.* Sed ex hoc non infertur, illas singulares habere omnes homines pro obiecto, opponi que inter se, ergo neque ex eo quod, vt sint falsæ propositiones singulares, *Aliquis homo currit. Aliquis homo non currit*, requiratur, esse falsas vniversales *omnis homo currit. Nullus homo currit*, bene infertur; particulares habere omnes homines pro obiecto, opponi que inter se.

75. Resp. Concedo totum. Non infero, eas propositiones habere idem obiectum ex nobis apposita illatione, sed ex eo, quod terminus particularis *Aliquis* ex vi formæ, & sub speciali modo tendendi respicit omnes homines disiunctivè, vt patet, nam hę sunt contradictoriæ

rię *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit*, & tamen si ly *Aliquis* convertatur in terminum singularem, dicaturque *Petrus non currit*, iam solum sunt contrariæ, quia prima ex vi formæ habet idem subiectum ac vniversalis, non verò secunda.

76 Objic. 4. Qui intendens Romā pervenire per multas Civitates vagaretur, nullo modo diceretur habere pro obiecto eas Civitates, sed solum Romā, ad quā tandem pervenit, ergo etiam si illa propositio particularis *Aliquis homo currit* per omnes homines vagaretur, non debet dici habere pro obiecto omnes homines, sed illum tantum, de quo re ipsa verificatur. Sed hoc distinctum est ab eo, de quo verificatur alia *Aliquis homo non currit*, ergo non habent idem obiectum.

77. Resp. primò. Quod si loquamur quo ad veritatem, in qua non opponuntur, verũ est ex tali vagatione non habere idem subiectum, & exemplum optimè probat. Si vero loquamur quo ad falsitatem, in qua opponuntur, non solûm habent idem obiectum, quia vagantur, sed quia tandem perveniunt ad aliquod determinatum subiectum, in quo pugnant: Et hæc est securior, & facilior solutio. Respondetur secundò. Distinguo consequens: non sequitur, habere pro obiecto omnes homines, pro obiecto verificationis re ipsa & ex parte obiecti; concedo: pro obiecto affirmationis, vel negationis ex vi formæ, & modi tendendi; nego: solutio manet iam explicata.

78. Objic. 5. Nulla datur paritas inter contrarias, & subcontrarias, ergo licet contrarię rigorosè opponantur, non licet inferri, etiam subcontrarias opponi rigorosè. Probatur antecedens. Contrarię habent idem subiectum, non solúm quoad veritatem, in qua opponuntur, sed etiam quo ad falsitatem, in qua non opponuntur: nam de eodem homine, de quo affirmat vniversalis currere, & per quem falsificatur, quia non currit, nēgat alia vniversalis currere, licet per illum non falsificetur, sed per alium. Ast de eodem homine, de quo affirmat particularis currere, & per quem verificatur, quia currit, non negat alia particularis currere, aliás esset falsa.

79 Resp. primò. Admittendo hanc disparitatem, sed dico; omnino materialitêr se habere ad rationem oppositionis in vno genere, habere, vel non habere idem subiectum in alio genere, dum modo in illo, inquo opponuntur, idem subiectum habeant termini oppositi; ergo licet quo ad veritatem, in qua non opponuntur subcontrariæ, non habeant idem subiectum, dum modo quo ad falsitatem, inqua opponũtur, idem habeant subiectum, nil contra nos. Paritas ergo contrariarum ad subcontrarias, sic efformatur, & non alitêr. Sicut contrariæ verè opponuntur quo ad veritatem, etiam si per distincta subiecta falsificentur, ita subcontrarię verè opponuntur, quo ad falsitatem, licet de distinctis subiectis verificentur.

80 Respondetur secundo. Subcontrarias adhuc quo ad veritatem, sicut & contrarias, idem habere subiectum, licet non eodem modo, nam etiam illa *Aliquis homo currit*, quæ verificatur in Petro currente, vagatur per Paulum non currentem, de quo verificatur alia *Aliquis homo non currit*, & é contra.

81 Instas: ergo illa propositio esset simul vera, & falsa. Vera quia affirmat cursum de Petro currente, & falsa, quia illum affirmat de Paulo non currente.

82 Respondetur: distinguo consequens: Esset simul vera, & falsa, si affirmaret eodem modo cursum de Petro, & Paulo. concedo; si non affirmaret, sicut de facto non affirmat; nego: de Petro enim affirmat cursum, vt de subiecto verificationis determinato ex parte ob-

iecti,

iecti;de Paulo vero,vt de subiecto affirmationis, indeterminatè ex vi formæ. Vnde Paulus non currens illam non falsificat. Sicut enim hæc propositio *Vel Petrus, vel Paulus currit.* Si Petrus tantum currat, habet pro subiecto, vtrumque, & verificatur tantum á Petro currente, quin à Paulo non currente falsificetur; quia est propositio disiunctiva, ita terminus particularis *aliquis* est disiunctivus,& etiã si attingat vtrumq; Petrũ scilicet,& Paulũ,vt subiectũ,ab vno verificatur, & non falsificatur ab alio.

83 Objic 6 ex Arriaga. Veritas non opponitur veritati; sed subcontrariç sũt sunt simul veræ; ergo non opponuntur.

84 Respondeo. Concedo maiorem; & distinguo consequens: ergo non opponuntur quoad veritatem; concedo; quo ad falsitatem;nego:solum opponuntur,ne sint simul falsæ, sicut contrariç opponuntur,ne sint simul veræ,etiam si falsum non opponatur falso.


85. Objic. septimò. Subcontrariæ non sunt dicta absolutê opposita; nam tu me coram dicente *Aliquis homo currit*, si statim diceres *Aliquis homo non currit*; non censereris mihi oppositus in tuo dicto,quia homines in dictis non opponuntur,quando amborum dicta sunt simul vera,ergo.

86. Respondetur Distinguo antecedens.Non sunt dicta absoluté opposita, quo ad veritatem,& ex parte rei significatæ;concedo: quoad falsitatem, & ex parte modi significandi. Negõ; ad probationem etiam distiguo;non censereris mihi oppositus;vulgariter,& ex parte rei significatæ(vulgariter namque censentur homines loqui de singularibus distinctis)concedo;Summulistice,& ex parte modi significandi;Nego.

87. Objic.octavo Subcontrariæ non se expellunt ab eodem intellectu; vtraque enim subcontraria in eodem intellectu simul dari potest;ergo non sunt oppositæ,sicut qualitates,quæ existere possunt in eodem subiectonon opponuntur.

88. Respondetur. Distinguo antecedens;non se expellunt physice circa idẽ subiectum physicum concedo; logicè circa idem subiectum logicum; Nego: Oppositio propositionum non est secundum coexistentiam physicam earum, sed quoad simultaneam existentiam logicam secundum veritatem, vel falsitatem: vnde cum subcontrariæ nequeant esse simul falsæ, dicuntur se expellere logicè non vero physice; cum in eodem intellectu coexistant simul.

89. Nota;quod si diceres,neque cõtrarias,neque subcontrarias opponi, nisi vt redactas adcontradictorias, solum diceres de novo voces,quas indicendo in sumeres;nam in re,vbi iam supra notavi num.55. communissimum est, imò & expressè dictum á quodam meo Sapientissimo Magistro.His iã suppositis,vt facilius percipias propositionũ oppositiones, accipe tabellã,in qua eas oculis cõspicias.



SECT.

SECTIO VI.

SIT NE POSSIBILIS DVPLEX CONtradictoria simul vera?

90 AFfirmant Ocamus apud Comptonum disp. 24. Logicæ, Sect. 4. num. 1. BoneSpei disp. 2. Logicę resolut. 9. num. 250. Sotus Opusc. de indissolub. sect. 2.num.8 Omnes alij Philosophi cum eorum Principe Aristotele negant ratione ductrice; nam impossibile est, aliquid simul esse, & nõ esse; ergo impossibile est verum duplex contradictorium, ex quo vnum affirmat rem esse, aliud verò, rem non esse. Aliquas propositiones, quæ vel obscuritate, vel æquivoco laborant,s vobis proponam, vt ex eis quid in alij similibus, vobis oporteat agere discatis.

91 Primò. Hæ propositiones *Petrus, & Paulus currit. Petrus, & Paulus non currit* non sunt contradictoriæ; quia copulativa non opponitur contradictoriè copulativæ; poterat enim vtraque falsificari, Petro tantum nõ currẽte,eius cõtradictoria est disiunctiva, scilicet vel *Petrus, vel Paulus nõ currit.*

92 Secundò. *Indico venisse Petrum,indico non venisse Petrum* possunt esse simul falsæ, si dormiam. Eius contradictoria est hæc. *Non indico venisse Petrum*, quia negatio debet cadere supra verbum præcipuum orationis, & ita se habet ly *indico.*

93 Tertiò. *Cuiuslibet hominis omnis equus est albus. Cuiuslibet hominis aliquis equus non est albus* non sunt contradictoriæ, quia simul falsificarentur ratione alicuius hominis habentis omnes equos nigros: Eius contradictoria, *Alicuius hominis aliquis equus est nõ albus*:nõ terminus *cuiuslibet* est vniversalis, & supponit copulativê, & in contradictoria debet distribui disiunctivè.

94 Quartò. *Petrus gubernat prudenter Petrus prudetér non gubernat*,& hæ. *paries essentialiter est albus: partes essentialitèr non est albus.* non sunt contradictoriæ.In propositionibus modalibus negatio debet cadere supra modum: earum contradictoriæ ita se habent: *Petrus gubernat non prudenter: paries non est essentialiter albus.*

95 Sexto *Nullus equus requiritur ad equitandum.aliquis equus requiritur ad equitãdum* æquivocæ sunt potest in eis mutari suppositio; si supponant determinatè, vera est vniversalis;si indeterminatè supponant, vera est particularis, & sic contradictoriç.

96 Sexto. *Omnis homo servans, omne mandatum Dei salvatur: Aliquis homo servans aliquod mandatum Dei non salvatur.* Sunt simul veræ. Vndè nec contradictoriç, eius contradictoria: *Aliquis homo servans omne mandatum Dei non salvatur*, quia ly *omne mandatum* cum nõ pertineat ad præcipuam orationem, & ad minus principalem; non debet distribui in contradictoria.

97 Septimò. *Omnis homo est aliquod animal quis homo non est aliquod animal.* Æquivocæ sunt. Videntur certæ, quia certum est, omnem hominem esse aliquod animal, scilicet quod est in *Bruto*. Dico in alio sensu esse contradictorias & particularis falsa, quia falsitas particularis falsitatem omnium singularium dicit: idem enim est, dicere: *non est aliquod animal*, ac dicere: *neque hoc, neque illud, &c.*

98 Octavo. *Animal est rationale:animal non est rationale* non sunt contradictoriæ, sed subcontrariç; nam terminus indefinitus in materia contingenti, vels physicè, vel methaphysicè, vt supra dixi, æquivalet particulari. Vnde illa propositio *Animal est rationale* est idem ac dicere. *Aliquod animal est rationale: & animal non est rationale, ac aliquod animal non est rationale*, quç sunt con-

N tra-

trariæ ſunt, eius contradictoria eſt hæc: *Omne animal eſt rationale.*

99. Nunò. *Ego ſemper mentior: Ergo non ſemper mentior.* Quæ propoſitiones ſe falſificantes appellantur. Videntur ſimul veræ, & etiam ſimul falſæ. Nam rogo; illa prima propoſitio ſupra ſe reflectens ſic: *Ego mentior*, vel eſt vera, vel eſt falſa? Si eſt falſa? Ergo etiam vera: nã conformatur cum obiecto dicens, ſe mentiri. Si eſt vera? Ergo etiam falſa, nam dicens, ſe mentiri, difformatur obiecto; cum re ipſa ſit vera. Propter hoc argumentum, & alia, quę videri poſſunt apud Arriagam diſp. 2. Summularum ſect. 5. ſubſect. 4. n. 62. Ex inſtituto, ne confundam vos, á me pręterniſſa, dic; tales propoſitiones eſſe implicatorias, & eas nullatenus admittas. Ita vero: *Ego ſemper mentior* non reflectens ſupra ſe, ſed de alijs actibus locuta poteſt eſſe vera propoſitio, & tunc alia: *Ego non ſemper mentior* vera etiam erit, ideoque non oppoſita alteri, quia habet diſtinctum ſubiectum, nam ſubiectum primæ propoſitionis ſunt reliqui actus præter ipſum. Subiectum vero ſecundę ſunt reliqui actus, & ipſemet actus dicens: *Ego non ſemper mentior.* Unde prima habet hũc ſenſum: *Ego præter hanc ocaſionem, in omnibus alijs mentior.*

SECTIO VII.

AN INTER PROPOSITIONES DE numero plurali detur contradictoria oppoſitio.

101 INquirit pręſẽs quęſtio; an ſicut in numero ſingulari cõtradictorié opponuntur propoſitiones vniverſales, & particulares, v. g. *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit*; ita cõtradictòriè opponãtur in numero plurali; v. g. *Omnes homines currunt. Aliqui homines non currunt.*

101. Affirmant Sancta Cruz, Alphonſus. Comptonus, Oviedus, controv. 6. punct. 6 n. 1. Item Doct. Maza d. 6. ſect. 7. & Olea d. 24. n. 2. Negant Conimbricenſes, Linze, Ioannis, Arriaga, & alij.

102. Plures ex affirmantibus ſupponunt aliqua, ex quibus ferè evidenter ſuam inferunt concluſionem, quæ prius probare debebant. Vnde hæc quæſtio purê de nomine mihi videtur. Primò ſupponunt, in propoſitionibus de numero plurali non fieri deſcenſum immediatum ad ſingularia diſtributivè, ſed ad plura, & dualitates collectivè. Ita vt deſcenſus huius propoſitionis *omnes homines ſunt albi* nõ ſit, *ergo & iſte, & ille, & hic, eſt albus*: ſed *ergo, & iſti duo & illi, & hi ſunt albi*, & deſcẽſus particularis. *Aliqui homines non ſunt albi*, non ſit. *Ergo neque hic, neque iſte, neque ille eſt albus*; ſed: *Ergo neque iſti, neque illi, neque hi ſunt albi.* Hoc ſolum probant, eo quod numerus pluralis provt à ſingulari diſtinctus habet plures perſonas agentes, iuxta communem ſenſum Grammaticorum, & iuxta Logicos plura obiecta: loquitur que depluribus non diviſivé dicens: *Hic*, & *ille*, &c; nam etiam hoc habet terminus *Omnis* in ſingulari; ſed collectivè, ſcilicet *Hi*, & *illi*, &c. Ita expræſſê recentes cum Comptono.

103. Hoc ſupponunt affirmantes; hoc etiam eàdem facilitate renuunt cõcedere negantes; aſſerunt que, deſcenſum termini vniverſalis eodem modo fieri in ſingulari, ac inplurali: ille enim Grammanticalis numerus omnino materialiter ſe habet, cum ęque reſpiciat plura terminus *omnes* in plurali, & æquè falſificetur vtraque propoſitio *Omnis homo currit, omnes homines currunt* per aliquod individuum ſingulare non currẽs. Neque argumentũ deſumptum á Grammatica valet; quia nec ſemper numerus pluralis depluribus loquitur vt *Athenæ, Syracuſæ*, quæ ſunt in plurali, & non ſignifi-

nifi-

nificant plura, ſed particulares civitates; nec è contra numerus ſingularis ſemper loquitur de vno, vt patet in his terminis. *Omnis, vniverſus, vterque*, in quo autẽ pluralis numerus á ſingulari diſtinguatur, eſt diſſertatio ad Eraſmum, Alvarez, & Didacum Lopez pertinens.

104. Secundò ſupponunt, deſcenſum copulativum illius propoſitionis. *Omnes homines currunt* v. g. ad hos *Ergo iſti & illi currunt*, non ſignificare vt cumque, dari duos homines currentes, ſed ſignificare ſimultatem in curſu, ita vt ſenſus huius propoſitionis *Aliqui homines non currunt* ſit: nõ datur ſimultas in vtroque curſu, vel, vt ipſi loquuntur. *Hoc binarium hominum non currit.* Hinc inferunt quod caſu, quo omnes homines currerent, vno tantum non currente, falſa eſſet propoſitio vniverſalis, quia quęlibet propoſitio de numero plurali affirmans pręදicatum conveniens vnitantum individuo, ſemper eſt falſa, quia bonum ex integra cauſa, & affirmatio de omnibus debet convenire ſingulis, nemine dempto; tunc vera eſſet propoſitio negativa particularis ſcilicet. *Aliqui homines non currunt.* Nam malum ex quocumque defectu, & cum negatur de aliqua collectione, aut binaſio, non fit deſcenſus ſupra ſingulos diſiunctivè, ſed ſupra collectionem, & inſuper verum eſt, illos duos homines, ſeu illam hominum dualitatem non currere, etiam ſi vnus ex contentis intali dualitate currat, iuxta illud Chriſti Salvatoris ad Apoſtolos *Mundi eſtis, ſed non omnes.* Ratione ſcilicet vnius Iudæ; ergo verum erit dicere: *Collectio duodecim Apoſtolorum non eſt munda*: etiam ſi vndecim mundi ſint, non tamen poterit dici: *Collectio duodecim Apoſtolorum munda eſt*, quia prædicatum affirmatum debet de ſingulis verificari, negatum vero de collectione.

105. Hinc inferunt, in his propoſitionibus. *Omnes matres ſunt corruptæ. Aliquæ matres non ſunt corruptæ. Omnes Cœli ſunt mobiles. Aliqui Cœli non ſunt mobiles. Omnes homines ſunt geniti. Aliqui homines non ſunt geniti*; loquendo de Beata Uirgine illibata, & incorrupta, & de alijs matribus: De Cœlo Impireo immobili, & de alijs, de Adamo ingenito, & alijs hominibus, vniverſales affirmativas eſſe falſas. Particulares negativas eſſe veras; quia verum eſt dicere, loquendo de Beata Virgine, & Sancta Monica v. g. *Hoc complexum, ſeu hæc dualitas, aut binarium Matrũ, non eſt corruptum.*

106. Hoc etiam omnino voluntarium videtur alijs: nam adhuc admiſſo, quod deſcenſus vniverſalis de numero plurali fiat ad duos, pluresve, & non ad ſingularia diviſuie, aſtruunt; ſenſus illarum propoſitionum particularium non eſſe, quem aſsignant, ſed longe diuerſum, ſcilicet, idem valere *Aliqui homines non current*: ac *dantur plures homines non currentes*: *Plures Matres non corruptæ*, quod vno tantum honine currente, vna tantum Matre non corrupta falſa eſt.

107. Confirmatur. Nam ſi ſenſus illarum propoſitionum eſſet, vt affirmatur ab his Doctoribus, ideoque vno tantum homine non currente, verum eſſet dicere: *Aliqui homines non currunt.* Vere proferri poſſent hæ propoſitiones. *Aliqui Apoſtoli non ſunt ſalvati. Aliquæ Perſonæ Divinæ non ſunt productæ; Aliquæ matres non ſunt corruptæ*; quæ hiſpane ita ſonant: *Algunos Apoſtoles no ſe ſalvaron: Algunas perſonas Divinas no ſe producen: Algunas madres no perdieron la Virginidad.* Atqui iſtæ propoſitiones ab omnibus ſtatim falſitatis convincuntur, neque aliquis ſanæ mentis audebit illas proferrè; quia videretur hęreticè ſentire, in Apoſtolorũ Collegio alium pręter Iudam non eſſe Salvatum. Ex Perſonis Divinis aliam, præter Patrem, non fuiſſe productam, & aliam, præter Deiparam, illibato Virginitatis flore, filium peperiſſe; ergo illę propoſitiones particulares non habent ſenſũ ab his Authoribus fictum; ſed aliũ ſenſum cõmunitèr admiſſũ, ſcilicet, *duo, vel plu-*

plu-

plures Apostoli nō sunt salvati. His præiactis

108 Dico primò. Si propositiones de numero plurali habent sensum ad singularia divisivè, & non ad plura collectivè, illæ propositiones *Omnes matres sunt corruptæ. Aliquæ matres non sunt corruptæ*, idem dic de alijs, non sunt contradictoriæ sed contrariæ. Nám ambæ sunt falsæ; vniversalis, quia Beata Uirgo est mater, & non est corrupta. Particularis quia præter Deiparam, non datur alia mater non corrupta, & numerus pluralis supponit pro pluribus: tunc enim non darentur duæ matres, de quibus possit prædicari, & ad quas possit fieri hic descensus. *Aliqua matres non sunt corruptæ. ergo & hæc, & illa mater non est corrupta.*

109 Dico secundò. Etiam si descēsus fit ad plura collectivè, illæ propositiones non sunt contradictoriæ, sed contrariæ, quia vniversalis affirmativa est falsa, vt supponitur. Particularis negativa etiam est falsa, quia non dantur plures Uirgines, & matres, ac proindè nec plures matres incorruptæ, & descensus ad plura copulativè ita se habet, vt iam probatum manet, ergo.

110 Dico tertiò. Si sensus illarum propositionum: *Omnes matres sunt corruptæ: Aliquæ matres non sunt corruptæ*, sit ita: *Omnis collectio, vel omne binarium matrum est corruptum: Aliquod binarium matrum non est corruptum*, sunt contradictoriæ: ita expressè P. Sancta Cruz, qui nu. 361. ait eas propositiones: *Omnes homines currunt. Aliqui homines non currunt*: non esse contradictorias, & num. 362. advertit; quod si hi termini *Omnes, aliqui* significant collectionem, ita vt sensus sit vt proximè explicatus est, prædictæ propositiones sunt contradictoriæ. sed nota, tales propositiones iam non esse contradictorias de numero plurali, sed de numero singulari, nam *Omnis collectio*, & *aliqua collectio* sunt termini numeri singularis, licet plura respiciant. Sicut termini *Omnis, nullus, vniversus, &c.*

111 Unde verum est dicere, in nullo sensu dari contradictorias de numero plurali, ni velis dicere, quod etiam si vt contradictoriæ sint, debeant reduci ad numerum singularem, tamen absolutè ex diversa forma debent dici contradictorias de numero plurali, sicut dicimus, quod etiam si subcontrarias, vt verè opponantur debeant ad contradictorias reduci, nihilominus tamen ex diversa forma possunt ad diversum genus oppositionis pertinere; sed ne vocibus hæreamus in conclusiones dictas præsens punctum divisi.

112 Has propositiones esse contradictorias probatur. Illæ sunt contradictoriæ, inter quas nullum potest medium reperiri falsificativum earum; sed inter has: *Omnis collectio matrum est corrupta: Aliqua collectio Matrum non est corrupta*; nullum datur medium falsificativum: ergo. Confirmatur: Inter propositionem vniversalem, & particularem, v. g. *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit*, relucet rigorosa oppositio; sed ita se habent eæ propositiones; ergo.

113 Objic. 1. contra secundam cōclusionem ex Patre Ovido, iuxta regulā Aristotelis 2. Peryher. *Non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem præponere*: ergo contradictoria huius proportionis *Aliqui homines nō currunt*, est hæc *Non aliqui homines non currunt*, ergo etiam hæc: *Omnes homines currunt* erit eius contradictoria. Probatur hæc vltima consequentia: iuxta regulas æquipollentiæ proximè scribendas, hæc propositio: *Non aliqui homines non currūt*, æquivalet huic, *omnes homines current*, sicut & hæc numeri singularis: *Non aliquis homo non currit* æquivalet huic. *Omnis homo currit*; ergo si hæ opponuntur contradictoriè: *Ailqui homines non currunt. Nō aliqui homines non currunt*, & etiam eius æquipollentes; *Aliqui homines non currūt: Omnes homines currunt*, nam æquipollentium eadem est conditio.

114 Respondetur. Concedo antecedens, & primam consequentiam, & nego secundam: ad eius probationem dic; regulas æquipollentiæ tradendas solum esse pro propositionibus de numero singulari, non verò de numero plurali. Undè illa propositio singularis. *Non aliquis homo non currit*, æquivalet huic. *Omnis homo currit*, quia hæc dicit; *falsum esse, quod sit aliquis homo, qui non currat*, quod idem est, ac dicere: *Omnem hominem currere.* At vero hæc propositio: *Non aliqui homines non currunt*, falsum esse, quod dentur plures homines non currentes, hoc autem non est idem ac dicere, *Omnes homines currere*, ergo illa non æquivalet huic, cum hæc, vtpote vniversalis, vno tantum homine non currente falsificatur, cum affirmet de omnibus, illa verò non, quia adhuc vno tantum non currente verum est dicere, *falsum est quod dētur plures homines non currentes.*

115 Objic. 2. Contra tertiam conclusionem: ideò per nos nequit absolutè dici: *Aliqui homines non currunt*, vno tātum non currente; quia possent absolutè proferri illæ propositiones *Aliqui Apostoli non sunt salvati, &c.* quod quidem malè sonat pijs auribus, sed hoc inconveniēs per nostram conclusionem non vitatur; ergo tenenda non est. Probatur minor: ex ea sequitur, posse absolutè dici. *Aliquod binarium Apostolorum non fuit salvatum. Aliquod binarium Personarum Divinarum non fuit productum, & aliquod binarium Matrum non fuit corruptum*, quod non minus videtur absonare pijs auribus; ergo.

116 Respondeo. Negò minorem, ad probationem dico; has propositiones ita dispositas hæresim non sonare, neque scandalum parere, sicut alias. Ad summum enim, eis auditis, ex non vsu vulgari, & aliquo modo obscuro illius vocis: *Aliquod binarium*; explicationem earum peterent auditores, & cum hæc ita sit. *Aliquis Apostolorum non fuit salvatus, nempè Iudas*: Aliqua Persona Divina non fuit producta, nempè *Pater*, *Aliqua Mater non fuit corrupta, nempe Deipara*, Catholicam, piamque, & de fide explicationem audirent, & licet eamdem explicationem ab adversaris reciperent, attamen talibus propositionibus auditis, vt ab eis proferuntur. *Aliqui Apostoli non sunt salvati*: *Algunos Apostoles no se salvaron, &c.* Cum ita clarè proferantur, explicationem non expectarent, & scandalum paterentur.

117 Dices. Has propositiones malè sonare inter indoctos, non verò inter Doctos, qui sensum propositionum callent.

118 Contra. Triplex hominum genus hic considerandum. Vnum eorum, qui inter eas propositiones veram contradictionem ponunt. Secundum, eorū, qui eam negant. Tertium, eorum, qui nec negant, nec affirmant; nám cum logicæ non studuerint de hac quæstione nil ad eos. Ponamus, vt certum est, ex his vltimis plures optimè percallere vim, & significationem vocum tám Latini, quā Hispani idiomatis. Primum, & secundū hominum genus, vtpotè litiganter, & partes consulendi non sunt. Atqui si cōsulatur tertium hominum genus, quos indoctos appellant adversarij, de sensu illarum propositionum statim dicent, esse *Iudam, & alium Apostolum ad minus non esse salvatum*, & ita de alijs propositionibus; ergo sensus earum propositionum ita se habent, neque est cur ab hoc iudicio ipsi laici, etsi aliàs logicę inscij excludantur cum hic non consulantur de directione Logicæ, de ente rationis, aut de vniversalibus, sed de sensu propositionis in lingua, vel Latina, vel Hispana, quā optimè supponimus scire.

119 Objic. 3. Si de illo complexo prædicaretur, non esse corruptum, etiam prædicaretur esse incorruptum; nam non corruptum, & incorruptum sunt termini æquivalentes, & æquivalentium eadē est veritas, vel falsitas.

120 Respondetur. Nego sequelam

nam prædicatum affirmativè dictum de aliquo complexo, licet prædicatum sit negativum, non æquivalet prædicato negativè dicto de illo. Ratio est, quia prædicatum affirmativè dictum de collectione ex hominum vsurpatione debet de singulis eam componentibus verificari: prædicatum verò negatum non ita, vnde licet prędicata illa æquivaleant inter se, non vero vnum affirmativè dictum, æquivalet alteri negativè dictum.

121. Objic. 4. Et instabis: Quoties alicui composito ratione vnius partis competit aliquod prædicatum, non potest de toto comosito tale prædicatum negari, v.g. non potest negari de homine esse corruptibile, quia illi convenit tale prædicatum respectu vnionis; ergo de collectione Matrum, cuius pars essentialis est Beata Virgo, cui prædicatum incorruptæ competit, non potest negari prædicatum incorrupti.

122. Resp. Disparitatem esse sumendam ex hominum vsurpatione qui prædicatum affirmatum de composito non intelligunt affirmari distributivé de singulis partibus v.g. *Homo est incorruptibilis*: ex qua non infertur; ergo *Anima est incorruptibilis*. At vero prædicatum affirmatum de collectione intelligunt affirmari de singulis collectionem componentibus, ideo que potest dici: *Homo est corruptibilis* ab vnione corruptibili; nequit tamen dici de complexo Matrum esse in corraptum á Beata Virgine in corrupta.

123. Objic. 5. De aceruo lapidum non dicitur esse lapidem, nec de exercitu hominum esse hominem, nec de complexo ex equo, & homine esse hominem, rationale, aut irrationale, quia sunt totum per accidens etherogeneum, & quod de vna parte prædicatur, nequit prædicari de toto per accidens, & de todo etherogeneo: Sed binarium duplicis matris est totum per accidens, totum que etherogeneum resultans ex illis duabus matribus, quarum vni convenit prędicatum Virginitatis, & incorruptionis, & alteri prędicatum corruptæ, ergo de illo nequit prædicari prædicatum Uirginis, seu incorruptę.

124. Instas. Si ab vna matre non corrupta totum denominatur non corruptum; ergo ab alia Matre corrupta totum denominabitur corruptum.

125. In hoc argumento plura extra rem, nec bene intellecta invenies, & ex eo tantum sequitur; non posse de illo complexo affirmative prædicari, esse corruptum, aut incorruptum: sicut de complexo hominis, & bruti, nequit affirmativè prędicari esse hominem, aut brutum, rationale, aut irrationale; non tamen infertur; non posse negativè prædicari, *non esse corruptum*. Ratio disparitatis est, quia prædicatum affirmativè dictum de aliquo complexo, non vt complexo reduplicative, sed specificativè, debet omnibus partibus convenire; quia bonum ex integra causa, ideoque de complexo ex equo, & homine, non dicitur esse rationale, vel irrationale, quia falsum est dicere: *Ergo hic est rationalis, & h c est rationalis*; at vero vt negetur de aliquo complexo aliquod prędicatum, non est necesse, quod negetur etiam de partibus divisivè, sic de illo complexo hominis, & equi dicitur negativè non esse rationale, nec irrationale, de illo complexo lapidum non esse lapidem, & de exercitu hominum non esse hominem. Vnde licet ab vna Matre nō corrupta de tali complexo dicatur negativè, *non esse corruptum*, nō bene infertur, ab alia corrupta posse dici affirmativê *corruptum*. Sicut ab vna non Virgine dicitur negativè *non Virgineum*, non tamen ab alia Virgine *Virgineum* affirmativè dicitur.

(o)

SECTIO VIII.

SIT NE POSSIBILIS PROPOSITIO carens contradictoria.

126. NEgant omnes Philosophi contra Patrem Hemelmam apud Isquierdum disp. 3. q. 4. n. 7. & alios apud Patrem Santa Cruz. Prob. primò, quia nulla est propositio, de qua reflexè non possit dici, esse falsam; ergo & obiectum eius alitèr se habere ac per illam enuntiatur; hoc enim est illi contradicere. Præterea; propositio, si est affirmativa, per negativam, si negativa, per affirmativam contradicetur, nequit esse simul affirmativa, & negativa, esset namque in duplici specie opposita; ergo nequit propositió contradictoria carere.

127. Sed objicies vnicum adversæ opinionis fundamentum. Huic propositioni. *Petrus, & non est*, & similibus v.g. *Petrus currit, & non currit* nequit assignari contradictoria. Primò, quia inter esse, & non esse non datur aliquod medium, quod vtrique possit opponi. Secundo, quia illa propositio est simul affirmativa, & negativa; ergo non est alia illi opposita.

128. Resp. primò. Talem propositionem esse impossibilem in intellectu; quia nequit assentiri duplici contradictorio.

129. Resp. secundò. Ex mente Aristotelis; hanc esse eius contradictoriam: *Non Petrus est, & non est*. Ad primam probationem dic; quod licet inter esse, & non esse non detur medium, tamen inter esse, & non esse simul datur medium: illa propositio affirmat de Petro simultatem essendi, & non essendi. Hęc *non Petrus est & non est*, negat talem simultatem, nam est idem ac dicere. Non est verum *Petrum esse, & non esse simul*, quę quidem propositio destruit illam dicentem: *Petrus est, & non est*.

130. Ad secundam probationem dico, talem propositionem non esse simul affirmativam, & negativam, sed solum affirmativam simultatis essendi, & non essendi. Eius contradictoria est negativa talis simultatis; nam licet habeat duplicem negationem, non ideo est affirmativa; duplex enim negatio solum affirmat, quando vtraque supra idem cadit. vt *Non nullus, non nemo*, &c. At vero illic primum *Non* cadit supra copulam Orationis, & *secundum* supra partiale prędicatum essendi,

131. Poterat non improbabiliter defendi, dari aliquā, immò aliquas propositiones, non mentales, sed vocales, quibus non sit assignabilis contradictoria v.g. hæ *Amo est vox. Blictiri est sonus*. Si admittatur reflexio illarum vocum supra se ipsas, vel si non admittatur, hæ, *Hæc dictio Amo est vox. Hæc dictio Blictiri est sonus*, & aliæ similes. Probatur. Si aliqua contradictoria esset assignabilis illi v. g. *Amo est vox* esset hæc *Amo non est vox*, sed hæc illius contradictoria non est; ergo: Probatur minor: hęc secūda propositio *Amo non est vox*, non habet idem subiectum, ac alia *Amo est vox*, ergo neque est eius cōtradictoria, cum non sit eiusdem de eodē. Probatur antecedens. Subiectum illius primę propositionis est illa vox disyllaba primo prolata *Amo*, sed illa vox *Amo* secundę propositionis non est eadem, cum voces, vtpotè fluidæ, statim ac pronuntiantur, evanescant, ergo.

132. Respondebis fortè, illam secundam vocem esse omnino similem, solumque individualiter distinctam á prima, & in illa prima voce *Amo* tamquam in imagine repręsentatur secunda vox *Amo*, & in hac secunda illa prima, indeque censetur idem vtriusque propositionis subiectum.

133. Contra, quia etiam filius est similis Patri, procedit namque in similitudi-

tudinem naturę, est solum individualitèr distinctus á Patre, est imago, & speculum Patris,& ad plures effectus vnam moralem personam constituunt, & tamen hę propositiones *Petrus dormit*, si loquatur de Patre: *Petrus non dormit*, si loquatur de filio, qui eodem nomine nuncupatur, non essent cōtradictoriæ; quia non haberent idem subiectum, ergo hęc similitudo non sufficit ad contradictionem inter propositiones.

134 Si tamen respondeas secundò, posse contradictoriam per copulativam efformari ita, *Amo est vox, & non vox*. Contra: quia illa est vnica propositio, & non complexum propositionum, vt supra manet probatum, & sensus illius ita se habet: *Simultas essendi vocis, & non essendi, datur in Amo*, ergo in tali propositione duplex cōtradictoria non datur.

135 Si respondeas tertiò. Ut Sapientissimum Magistrum, quem consului, respondentem audivi; illam propositionem *Amo est vox* esse vniversalem, & idem ac *omnis Amo est vox*, eiusque contradictoria, *Amo non est vox* esse particularem, ac idem ac *Aliquod amo non est vox*. Contra. Si prima propositio affirmativa est vniversalis, cur secunda negativa vniversalis etiam non erit, cum eodē modo vtraque proferatur? Ergo iam non erunt contradictoriæ, sed contrariæ: vel dicat, cur secunda erit particularis, & prima vniversalis, non verò è contra?

136 Sed ne in re parui momenti communi sensui videar dissentiri. Dico, tali propositioni esse assignabilem contradictoriam hoc modo. Proferatur ab aliquo: *Amo est vox*. Statim absque particula *Et*, quæ constituat propositionem copulativā, si dicam *Non est vox*. Hæc idem subiectum habet, ac prima, & de eodem negat. Scias, hoc argumentum solum militare in propositione vocali, quia in mentali non est dubium, quin de eadem numero voce *Amo* cognita per hunc actum, possum dicere est *vox*, & de eadem cognita per alium actū *Non est vox*. Cum enim tota rigorosa contradictio sit pęnes intellectum, non est plurimum de voce curandum.

137 Hic duplex consilium tibi offerā. Primum. Si dubius hæseris in assignanda alitèr alicui propositioni sua contradictoria, antepone toti propositioni particulam *Non* negativè sumptam, non verò infinitèr. Hoc optimi amici Aristotelis consilio á pluribus angustijs te expedies; nam cum negatio sit malignantis naturę, quidquid post se invenit, destruit, & totam propositionem, supra quam cadit, negat. Et hic modus contradicendi facilior, & melior est iuxta Aristotelem dicentem: *Non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem præponere*.

138 Secundum est consilium, non ignobilis Doctoris. Quoties propter obscuritatem, vel ambiguitatem ignoras, in quo sensu propositiones, quæ tibi probantur contradictoriè oppositæ, accipiendæ sint, concede gratis sensum, in quo arguens eas simul veras, aut simul falsas probare contendit, & in eo cognosces contradictorias non esse, quia cum nunquam probare possit; idem secundum idem, simul esse, & nō esse, semper in decursu propositionis recurret ad aliquam diversitatem temporis loci, vel circunstantiæ, ratione cuius eas simul veras, aut falsas ostendere possit, & suum ipsius argumentum illi pro solutione præbe. Ideò si cum tibi opponantur duæ propositiones tamquam contradictoriæ, dubitas, an sint, vel non contradictoriæ, sic distingue. *Hæ sunt contradictoriæ, si sint eiusdem de eodem omnibus servatis*; cōcedo; alitèr nega, & sic argumento aditū intercludes.

SECTIO IX.

DE ÆQVIPOLLENTIA *Propositionum simplicium.*

139 SEcunda propositionum proprietas est æquipollentia duplicis propositionis inter se ablata, vel adiuncta particula *Non*. Tota hæc

hęc æquipollentia in hoc carmine continetur.

Præ contradic. Post contra. Præpostque subalter.

140 *Præ contradic.* Significat, quod ad hoc, vt vna propositio contradictoria alteri ęquivaleat præferenda est subiecto particula *Non*: v. g. hæ sunt contradictorię. *Omnis homo est animal. Aliquis homo non est animal.* Si verò præferas *Non* subiecto primæ propositionis ita *Non omnis homo est animal*, est idem ac sua contradictoria *Aliquis homo non est animal*. Si verò è contra præferas *Nō* subiecto secundæ propositionis, ita: *Nō aliquis homo non est animal*. Est idem ac *Omnis homo est animal*.

141 *Post contra* significat, quod ad hoc, vt vna contraria ęquivaleat alteri, postponenda est particula *Non* subiecto: v.g. hę sunt contrariæ: *Omnis homo currit, nullus homo currit*. Si huic secundæ post subiectum addatur *Non*, ita: *Nullus homo non currit*, ęquivalet suæ contrariæ *Omnis homo currit*; Si verò huic addatur idem *Non* ita: *Omnis homo non currit*: ęquivalet alteri, scilicet: *Nullus homo currit*.

142 *Præ postque subalter.* Significat, quod propositiones subalternæ ęquivalent inter se, si anteponas, & postponas subiecto particulam *Non*, v. g. hæ sunt subalternæ. *Omnis homo currit, Aliquis homo currit*. Si huic addas *non* ita: *Nō aliquis homo nō currit*, ęquivalet suę subalternanti, scilicet *Omnis homo currit*, si verò huic addas *Non* ita: *Non omnis homo non currit*, ęquivalet huic: *Aliquis homo currit*, quæ illius subalternata est. *Non nullus homo non currit*, æquivalet suæ subalternatę. *Aliquis homo non currit*; & iuxta regulas, vt hęc equivaleat suę subalternanti, ita proferenda est. *Non aliquis homo non currit*, quod nugatorium videtur; ideòque deme particulam *Non* positam post subiectum, & præfer illam subiecto, & sic ęquivalentem facies, idē enim est, *Non aliquis homo currit*, ac *nullus homo currit*.

143 Pro æquivalentia subcontrariarū non assignantur regulæ; quia ablata particula *Non* á negativa, manet eadem, en iam versus, vbi totum hoc continetur.

Non omnis, quidam non; omnis non quasi nullus.
Non nullus, quidam; sed nullus non valet omnis:
Non aliquis; nullus: non quidam non valet omnis.

SECTIO X.

DE CONVERTENTIA PROPOSItionum inter se.

144 TErtia propositionum proprietas dicitur conversio, & est mutatio vnius propositionis in aliam ex mutatione subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, servata eadem forma, qualitate, & reliquis, ita vt á conversa valeat consequentia ad cōvertentem. Conversa est propositio, quæ mutatur; convertens est ea, in quam mutatur: est triplex. Prima dicitur cōversio simplicitèr, & est, quando servata eadem quantitate mutatur prędicatū vnius propositionis in subiectum alterius, & subiectum alterius in prædicatum vnius. Secunda dicitur conversio per accidens, & est, quando non servatur eadem quantitas in convertente. Tertia dicitur per contrapositionem, & est, quādo retenta eadem quantitate termini finiti conversæ infinitantur, & infiniti finitantur in convertente. Audias totam doctrinam in his versibus contentam.

Simplicitèr *Feci*, convertitur *Eva* per acci
Asto per contra, sic fit conversio *tota*,
Ut hos explicem, audias alios.
Asserit *A*, negat *E*, sed vniversalitèr ambo

Asserit *I*, negat *O*, sed particuliter ambo. Litera *A* significat propositionem vniversalem affirmativam Litera *E* vniversalem negativam. Litera *I* particularem affirmativam. Litera *O* particularem negativam. Hoc supposito.

145. In primis versibus reperiuntur tres voces *Feci Eva, Asto*: dictio *Feci* denotat, conversionem simpliciter fieri in vniversali negativa expressa per illud *E* ita *Nullus homo est lapis*; converte: Ergo *nullus lapis est homo*. Et in particulari affirmativa significata per illud *I*, ita *Aliquis homo est animal*. Converte. Ergo *aliquod animal est homo*.

146. Dictio *Eva* denotat, conversionem per accidens fieri in vniversali negativa iuxta illud *E*, ita: *Nullus homo est lapis*: converte. Ergo *aliquis lapis non est homo*. Et in vniversali affirmativa iuxta illud *A* ita *omnis homo est animal*, converte: *Ergo aliquod animal est homo*.

147. Dictio *Asto* denotat, conversionem per contrapositionem fieri in vniversali affirmativa iuxta illud *A* ita, *omnis homo est animal*. Converte. Ergo *omne non animal est non homo* En termini *Homo*, & *Animal* finiti inconversę, infinitantur in convertente, & in particulari negativa iuxta illud *O* ita *Aliquis homo non est lapis*, converte: Ergo *aliquis non lapis est non homo*. Arriaga iudicat, in conversione vniuersalis affirmativæ non requiri, quod infinitetur predicatum, sed sufficere, quod particula *Non* ponatur ante copulam ita: Ergo *Omne non animal non est homo*, sed licet idem significet quoad rem, non verò quo ad regulas conversionis, cum non servetur eadem forma in conversa, & convertente, nam conversa est affirmativa, v.g. *Omnis homo est animal*, & convertens est negatiua *Omne non animal non est homo*, ideoque etiam prædicatum infinitandum est.

148. Scias primò. In singularibus fieri conversionem simpliciter, si vterque terminus sit singularis: ita *Petrus est hic homo* converte. Ergo *hic homo est Petrus*. Etiam in negativis ita: *Petrus non est hic homo*. Converte: *Ergo hic homo non est Petrus*. Si tamen prædicatum sit vniversale in affirmativa fit conversio per accidens ita *Petrus est homo*: converte. *Ergo aliquis homo est Petrus*, in negativa etiam fit conversio per accidens tam per terminum vniversalem, quam per terminum particularem ita *Petrus non est leo*: converte: Ergo *aliquis leo non est Petrus* vel ita, Ergo *nullus leo est Petrus*.

149. Scias secundo, & advertenter nota. In conversione servandam esse eamdem ampliationem, suppositionem, & materiam; nam aliquo ex his mutato non valet consequentia; in his variatur ampliatio *Cæci vident, ergo videntes sunt cæci. Iustus peccat, ergo pecans est iustus. Senex fuit iuvenis*. Ergo *iuvenis fuit senex*: in his variatur materia necessaria in contingentem. *omnis actus peccaminosus est liber*. Ergo *omnis actus liber est peccaminosus*: *omnis musicus est homo*: Ergo *aliquis homo est Musicus*. Ex his disces, ad alias similes consequentias respondere, quod si bene percaleas ab æquivocis passim obvijs facilè te expedies. Vide si placeat Linzeum tract. 4. & Isquierdum disp. 19. quæst. 6. de hoc latissimè agentes.

SECTIO XI.

DE OPPOSITIONE, ET CONVERSIONE Modalium.

150. PRopositio Modalis, de qua hic agitur est *Oratio de infinitivo enuntiativa modi, quo prædicatum convenit subiecto*. Vnde tam affirmat, aut negat rem, quàm modum talis rei. Hic modus est quadruplex *Necesse, impossibile, possibile, & contingens*. Nota ly *contingens* hic non sumi pro eo, quod potest esse vel non esse, sed prout convertitur cum possibili. Vnde verum est dicere: *Deus existere, est contingens*, id est. Est possibile.

151. Propositio modalis habet dictum, & modum. Dictum est oratio de infinitivo, quæ se habet, vt subiectum propositionis: modus est, qui determinat propositionem de infinitivo, & est prędicatum totius propositionis. Materia totalis est, quæ datur inter dictum, & modum. Esse affirmativam, vel negativam propositionem desumitur non a dicto, sed á modo. Vnde hæc est affirmativa. *Petrum non esse lapidem est necesse*. Licet dictum negetur, quia modus affirmatur, & hęc est negativa. *Petrum esse hominem, non est contingens*. Licet affirmetur dictum, quia negatur modus. Ratio est, quia tota affirmatio, vel negatio debet desumi ab eo Verbo, & copula, quæ vnit, & dividit prædicatum à subiecto. Cum ergo prædicatum sit modus, & subiectum tota propositio de infinitivo, á copula nectente, vel dividente modum, debet dici propositio affirmativa, vel negativa.

152. Quantitatem etiam sumendam esse à solo modo, dicitur communiter. Unde illa dicetur propositio vniversalis, quæ modo vniversali constat, quidquid sit de dicto, vt hęc *Petrum currere, est necesse*, quę licet dictum sit de singulari, quia modus est vniversalis, vniversalis vtique dicitur. Arriaga docet etiam attendendum dictum, propositionem que ex dicto sigulari, & modo vniversali appellandam esse mistam: dic, quod tibi placuerit. Qualitatem sumendam esse á modo, id est ab eo, quod modus conveniat, vel disconveniat subiecto, nemo dubitat. Ratio est, quia modus est prædicatum, & dictum est subiectum, & ab eo, quod prædicatum conveniat, vel non conveniat subiecto, propositio dicitur vera, vel falla. Vnde hæc propositio est vera. *Deum mentiri, est impossibile* quia modus, nempe impossibilitas convenit dicto.

153. *Necesse*, & *impossibile* sunt modi formalitér vniversales, quæ constituunt propositiones contrarias, sic *Necesse est, Petrum currere. Petrum currere, est impossibile*, modi æqualiter vniversales sunt *Non possibile, non contingens*, modi formaliter particulares sunt *contingens*, & *possibile*, æqualiter tales sunt *Non necesse, non non impossibile*. Ex his quasi funiculis fere inexplicabilis Gordij Modalium oppositionis nodus resultat, sed hęc tabella pro Alexandri Gladio.

154 Hic adverte, tres propositiones ad vnamquamque classem pertinentes, inter se æquivalere, idemque significare.

155 Quatuor regulas pro hac oppositione scias, & in tabella executioni mādatas cognosces. Prima, vt assignes contradictoriam alicui propositioni modali, muta modum, ne invertas dictum, v. g. vt huic propositioni *Petrum currere, est necesse*. Suam contradictoriam assignes, dictum scilicet: *Petrum currere*, ita: desine modum, scilicet *est necesse*, immuta per negationem, & dic *Petrum currere nō est necesse*.

156 Secunda, vt assignes propositioni modali suam contrariam, muta dictū nè invertas modum, v. g. vt assignes huic: *Petrum currere non est possibile* suā contrariam, dictum, scilicet *Petrum currere* immuta sic. *Petrum non currere*, desine modum, & dic ita: *Petrum currere nō est possibile*.

157 Tertia, vt assignes subcontrariam affirma, vel nega dictum, né invertas modum, v. g. vt assignes huic *Petrū non currere non est necesse*, suam subcontrariam, affirma dictum, & desine modum su *Petrum currere non est necesse*.

158. Quarta, vt assignes subalternanti sua subal-ernata, vel è contra, affirma negatum, & nega affirmatum alterius, sive sit dictum, sive sit modus, v. g. vt assignes huic subalternanti, *Petrum non currere*

Subalternantes. Necesse est, Petrum currere. *Æquipollentes.* Imposibile, est Petrum non currere. Non est posibile, Petrum non currere.	CONTRARIÆ.	*Subalternantes.* Imposibile est. Petrum currere *Æquipollentes.* Necesse est, Petrum non currere. Non est posibile, Petrum currere.
SVBALTERNÆ.	CONTRADICTORIÆ. CONTRADICTORIÆ.	SVBALTERNÆ.
Subalternatæ. Non imposibile est, Petrum currere. *Æquipollentes.* Necesse non est, Petrum non currere. Posibile est Petrum currere.	SVB CONTRARIÆ.	*Subalternatæ.* Non necesse est, Petrũ currere. *Æquipollentes.* Non est imposibile, Petrum non currere. Posibile est, Petrum non currere.

currere est necesse sua subalternata, affirma dictum quod negatur, & nega modum, qui affirmatur sic: *Petrnm currere non est necesse.* His regulis á labyrinto hoc, velut Ariadneo filo securo tramite egrediemini.

159. Conversio harum propositionum omnes regulas simplicium observa, v.g. hanc propositionem *Omnem esse animal est necesse*, quæ est vniversalis affirmativa, & solum per accidens convertitur, sic verte. *Ergo aliquo animal esse hominem, est necesse*, & sic de alijs. In modo non datur conversio, vt per se patet, sed solũ in dicto.

160. Æquivalentia si sit in dicto, hic nil habet speciale, si sit in modo, vt optimè Isquierdus, potius est connexio veritatis vnius propositionis cum alia, quam æquipollentia. Iam supradixi, tres propositiones ad quamcumque classem pertinentes sibi invicem æquivalere, v.g *Petrum currere, est necesse. Ergo Petrnm non currere, non est posibile. Ergo Petrum non currere, non est contingens. Ergo Petrum non currere, est imposibile*, & sic de alijs illas

vo-

voculas caligne involutas. *Illiace, Purpurea, Edentuli, Amabimus*, á Petro Hispano inventas, mittite in tenebras exteriores, & interiores, despectus nempè, & oblivionis.

SECTIO XII.

DE PROPOSITIONIBVS EXPONIbilibus.

161. PRopositiones exponibiles iã vulgo appellantur propositiones exclusivæ, exceptivæ, & reduplicativæ, vt asignentur contradictorię his propositionibus, sensus earum investigandus est.

162. Propositio exclusiva, quæ signis exclusiuis, *Tantum*, *Dumtaxat*, *solummodo*, & alijs significatur, potest esse de prædicato excluso, cum signum exclusionis cadit supra prædicatum sic, *Petrus est tantum musicus*, id est *Præter musicam, nil aliud scit*, vel de subiecto excluso, quando signum exclusionis cadit supra subiecjectum, v.g. *Tantum Petrus currit*, de contradictoria huius hic inquiritur.

163. Patres Hurtadus, Linze, & Arriaga dicunt, propositiones exclusivas exponendas esse per copulativas, vnde sensus illius, v.g. *Petrus tantum currit*, est hic, *Petrus currit*, *& nullus alius â Petro currit*, & sensus negativê, v.g. *Petrus tantum non legit*: est hic, *Petrus non legit*, *& omnis alius distinctus á Petro legit*. Probant authoritate Angelici Pręceptoris 1.p.q. 31.art.3.ad 2. vbi ait. *Possumus enim dicere; tantum sortes currit, id est, nullus alius.* Et etiam ex illo Christi Domini Ioannis 8. vers. 16. *Solus non sum, sed ego, & qui missit me, Pater*, vbi priorem propositionem exclusivam per copulativam exposuit.

164. Contra Pater Oviedus, Sancta Cruz, num. 397. & communitèr dicunt; propositiones exclusivas esse de subiecto non supponente, vnumque supponere, & aliud affirmare. Pono exemplum in lis. *Tantum Deus est mendax. Tantum Petrus currit*, intendunt affirmare, *Deum esse mendacem*, & *Petrum currere*, sed eo supposito, de quo non curant, solum curant de tanteitate, & vna affirmat. *Nullum alium distinctum á Deo esse mendacem*, & alia, *Nullum alium á Petro distinctum currere.*

165. Dico. Vtroque modo posse tales propositiones exponi, vterque enim sensus est illi conformis, & illas optimè explicat, & declarat. Si verò explicetur per copulativam ita; vt *Tantum Deus est mendax* sit idem, ac: *Deus est mendax*; & *nemo alius â Deo est mendax*. & negativa. *Non tantum Deus est mendax* sit idem ac *Deus est mendax*, & *aliud etiam distinctum á Deo est mendax*, nullo modo opponuntur contradictoriè illæ propositiones exclusivæ, sed solum contrariè, & ratio est, quia propositiones copulativæ, vt sæpè diximus, contradictorie non opponuntur, sed contrarie, possunt enim falsificari simul, vt defacto falsificantur eo quod *Deus non sit mendax*.

166. Ita intellectá tali propositione *Tantum Deus est mendax*, duplici modo potest illi contradictoria asignari. Primò per disiunctionem ita, *Vel Deus non est mendax*, vel *aliud distinctum á Deo est mendax*. Secundo ita. *Non tantum Deus est mendax*, iuxta regulam Aristotelis sunmpto ly *Non* neganter, & sensus illius erit. *Falsum est, quod Deus tantum, si mendax*, quæ quidem propositio absque dubio alteri contradicit, destruit que simultatem mendacij in Deo, & carentiæ mendacij in alio.

167. Si vero explicentur vt propositiones de subiecto non supponente, dico, has propositiones. *Tantum Deus est mendax*: *Non tantum Deus est mendax* esse contradictorias, sicut, & has. *Chimæra distat á me*: *Chimæra non distat á me*: *Equus rationalis discurrit*. *Equus rationalis non discurrit*, quia habent hunc sensum. *Supposito, quod Deus sit mendax: nil distinctum á Deo*

Q est

est mendax. Hę propositiones contradictoriè opponuntur inter se, ergo & illæ propositiones *Chimara distat á me, chimara non distat á me*, ita se habent. *Supposita vbicatione chimara eã habet distantem. Supposita vbicatione chimara eam non habet distantem*, quæ absquedubio cõtradictoriè opponuntur inter se, ita de similibus propositionibus discurrere.

168 Dices, illas propositiones: *Tantum Deus est mendax, non tantum Deus est mendax* esse hæreticas, & blasphemas, ergo & falsas, ergo non contradictorias.

169 Respondetur in sensu exclusivo, vt hic loquimur, nullam esse hæreticam, & blasphemam; quia in nulla affirmatur Deum esse mendacem, sed id in vtraque, licet falso, & hęreticè, supponitur.

170 Contra primum modum explicandi hanc contradictoriam, objicit quidam Ingeniosus Modernus intendens absolutè probare propositioni copulativæ non contradicere immediatè, sed solum mediate propositionem disiunctivã. In oppositis propositionibus debet esse idem prędicatum, sed prædicatum affirmatum per copulativam propositionem v. g. *Petrus, & Paulus currunt*, est simultas cursus Petri, & Pauli, ergo eadem simultas debet negari per oppositam propositionem, sed per disiunctivam non negatur simultas, cum hęc non sit illius obiectum, ergo.

171 Confirmatur. Huic propositioni *datur compositum* non contradicit immediatè, sed tantum mediatè hæc Vel non datur materia prima, vel non datur forma; non contradicit immediatè; quia vi illius non destruitur, & negatur totum subiectum. Contradicit mediotè, quia destruitur vna pars, & per consequentiam, deficiente vna parte, & totum deficere, necesse est. Ergo similitèr hæc propositio vel *Petrus*, vel *Paulus non currit*, non contradicet immediatè, sed solum mediatè huic, *Petrus, & Paulus currunt*: cum non destruat immediatè simultatem, sed per consequentiã, quia cursu vnius negato pręscisse simultas vtriusque negatur: vnde huic propositioni, *Petrus, & Paulus currunt*, hæc solũ opponitur, *Non Petrus, & Palus currũt*.

172 Retorquetur argumentum sic: Per vos hę propositiones: *Omnis homo currit. Aliquis homo non currit* Contradictoriè opponuntur: sed hęc secunda non destruit immediatè totum obiectũ primæ, cum prima omnes copulativè respiciat, ita, *Ergo & hic, & ille homo currit, &c.* Secunda verò disiunctivè. Ita: ergo, vel *hic*, vel *ille non currit*, *&c.* Ita secunda propositio non destruit simultatem immediatè, sed solum per consequentiam, quatenus scilicet vnius hominis cursum negans, & omnis hominis cursum negans, simultas negatur; ergo vel sine immediata oppositione, quoad totum datur immediata contradictio vel inter propositionẽ disiunctivã, & copulativã immediata contradictio relucet.

173 Ex hoc respondetur. Distinguo maiorem. Debet esse idem prædicatum, vel copulativè, vel disiunctivè, concedo: solum copulativè; nego; & distinguo consequens. Ergo eadem simultas debet negari per propositionem oppositam, vel disiunctivè, vel copulativè; cõcedo. Copulativè necessariò nego. Sæpe diximus ex communi omnium Doctorum sententia, descensum copulativũ, & disiunctivum contradictoriè opponi, hanc que mutationem suppositionis nõ officere immediatè propositionum vniversalium, & particularium contradictioni, ergo propositio copulativa: *Petrus & Paulus non currunt*, & disiunctiva, *vel Petrus, vel Paulus non currunt*, immediatè contradictoriè opponuntur.

174 Ad confirmationem dico; hanc propositionem, vel *hic non datur materia*, vel *non datur forma*, vel *non datur vnio*, immediatè contradictoriè opponi, ob eamdem rationem, huic *Hic datur compositum ex materia, forma, & vnione.*

175 Hic nota, quod si sensus huius propositionis, *Petrus, & Paulus non currunt* sit: *Non datur simultas cursus in vtroque.* Contradictoriè opponitur alteri, *Petrus, & Paulus currunt*, sed quia communitèr ita accipi non solet, sed hoc mõdo *nec Petrus, nec Paulus currit*, in quo sensu est tantum contraria: ideò illi pro contradictoria assignamus disiunctivam.

176 Secunda propositio exponibilis dicitur exceptiva, quę significatur terminis exceptivis. *Nisi, præter*, v.g. *Omnis homo præter Petrum currit.* Hęc exponenda est per copulativam ex affirmativa, & negativa ita: *Omnis homo distinctus á Petro currit*, & *Petrus non currit.* Vnde eius contradictoria est duplex, vel disiũctiva ita: *Vel aliquis homo distinctus á Petro non currit, vel Petrus currit*, aut facilius ita: *Non omnis homo præter Petrum currit.*

177 Tertia propositio exponibilis est reduplicativa, quæ significatur his terminis: *Prout, In quantum, Quatenus*, v. g. *Petrus in quantum homo discurrit*, hæc reduplicatio vel potest esse supra rationem formalem, vt in supradicta, vel supra conditionem, vt in hac *Ignis prout applicatus comburit.* Attendas reduplicationi, & expone etiam per propositionem copulativam ita. *Petrus discurrit, & ratio formalis, vt illi conveniat discurrere, est rationalitas*, si fiat reduplicatio supra conditionem, sic expone, *Ignis comburit, & conditio necessaria, vt comburat, est approximatio*, his contradictorias assigna similitèr, vel per disiunctivam, vel per *non* antepositum toti propositioni.

(o)

TRACTAT. III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE nempe discursu.

SECTIO I.

DE SYLLOGISMO, QVOAD suum esse, materiam, & formam.

1 Argumentatio *est modus sciendi, in quo vnum ex alio notantèr infertur*: notæ illationis sunt, *ergo*, & *igitur*. Vnde requiritur, quod vna propositio ex alijs inferatur, v. g. *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal*; nã si non inferretur, etiam si veræ essent propositiones, non esset argumentatio, vt patet in hoc actu, *omnis homo est vivens sensibile sed omnis equus est hinnibilis: ergo omnis Leo rugit*, quę quidẽ argumentatio non esset ex defectu illationis.

2 Sectionem efformo de syllogismo, quia etiam si argumentatio dividatur in sex species, tamen vt optimè Pater Hurtadus, omnes vt perfectè concludant, reducendæ sunt ad sylogismum qui est perfectissima argumentatio. Species hæ sunt: *Syllogismus, Enthymema, Dilemma, Inductio, Sorites, Exemplum.*

3 *Enthymema* syllogismus truncatus oppellatur; quia in eo deficit aliqua propositio; est argumentatio, in qua ex vna tantum præmissa infertur conclusio v. g. *Petrus est homo, ergo est animal.*

4 In-

4. Inductio *est argumentatio, in qua omnibus singularibus numeratis, infertur illatio*: v. g. *Ioannes est animal, Petrus est animal, Franciscus est animal.* Et sic de omnibus hominibus; Ergo *omnis homo est animal.*

5. *Exemplum* est argumentum á simili, cum scilicet ex vno pari, aliud infertur. Vt *Deus misertus fuit Petri pœnitentiam agentis, Ergo & mei miserebitur, si pœnitentiam egero.*

6. Dilemma est argumentatio *cornuta*, quę duas continet partes, quarum si vnam neges in alteram incidas, necesse est, frequenter solet constare duplici propositione disiunctiva, & inde duplici conditionali, vt *vel credis, te esse moriturum, vel non? Si non credis? Est hæreticus; si credis, & male vivis, stultus.* Vel aliter disiunctio solet apponi in consequētia sic. *Hic est animal*, Ergo *vel rationale*, vel *irrationale.* Ex quo rursus concluditur *Non rationale; ergo & irrationale*, & ita dispositum fortissimé concludit argumentum.

7. *Sorites* est argumentatio, inqua ex continuata serie propositionum inter se connexarum, deducitur illatio de primo ad vltimum, qualis est illa sępè decantata *Europa dominatur Orbi, Europæ Grecia, Grecia Athenæ, Athenis Temistocles, Themistocli Vxor, Vxori filius; ergo filius Orbi.*

8. Syllogismus ab Aristotele primo Topicorum. cap. 1. ita de finitur. *Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quidpiam sequi necesse est.* Clarius ablatis auferendis, syllogismus est. *Modus sciendi, in quo ex duobus propositionibus tertia alia infertur.* Unde tribus propositionibus constat. Prima dicitut maior. Secunda minor. Tertia consequentia. Tres illæ propositiones ex tribus tantum terminis constare debent. E quibus vnus debet in vtraque præmissa repeti, & non ingredi conclusionem. Hic appellatur medium. E duobus reliquis vnus ponitur, vt prædicatum in maiori, & appellatur *maior extremitas* alter ponitur vt subiectum in minori, & appellatur *Minor extremitas.* Ex his consequentia componitur.

9. Exemplo res clarescet in hoc syllogismo *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo*, ergo *Petrus est animal.* Tres reperiuntur propositiones. Prima scilecet *Omnis homo est animal* Appellatur maior. Secunda scilicet *sed Petrus est homo* appellatur minor. Tertia scilecet. *Ergo Petrus est animal* consequentia appellatur. Triplex terminus in eo tantum relucet; scilicet *Homo, Animal, Petrus.* Ly *homo* est *mediū*, ideo in duplici præmissa repetitur. Ly *Animal* est maior *Extremitas*, ideo ponitur, vt prædicatum maioris. Ly *Petrus est minor extremitas*, ideo ponitur vt subiectum minoris, & denique consequentiam non ingreditur *Homo*, sed alij duo tantum termini.

10. Materia remota syllogismi sunt termini, è quibus præmissæ componuntur. Materia proxima sunt propositiones ex quibus syllogismus resultat. Forma est recta dispositio terminorum in ordine ad conclusionem recte inferendam. *Forma* componitur ex *modo*, & *figura. Figura* est dispositio, & ordinatio extremitatum cum medio in ordine ad subiectationem, vel prædicationem. *Modus* est dispositio circa affirmationem, vel negationem, vniversalitatem, vel particularitatem propositionum; & quia medium potest tripliciter disponi, communiter triplex tantum assignatur figura, hoc carmine contenta.

Sub Præ prima, bis Præ secunda. Tertia bis sub. Vel clarius hinis.

Prima prius subijcit medium, dein prædicat ipsum.

Altera bis dicit: bis tertia subijcit ipsum,

11. Prima figura medium ponit, vt subiectum maioris, & prædicatum minoris, & hoc denotat ly *sub Præ prima.* Secunda figura in maiori, & minori ponit medium vt prædicatum iuxta illud *Bis Præ secundâ.* Tertia figura ponit medium, vt subiectū tam in maiori, quam in minori iuxta illud *Tertia bis sub.*

12. Huius triplicis figuræ modi communiter annumerantur his versibus contenti.

1. Barbara, Celarēt, *Darij*, Ferio, Baralipton
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

2. Cęsare, Camestres, Festino, Baroco 3. *Darapti*
Fielapton, Disamis, Datici, Bocardo, Ferizon.

13. Nota, omnes has voces triplici syllabá constare (si demas Baralipton, & Frisesomorum, quibus metri causa additur vna) denotante quantitatem propositionis. *A* denotat vniversalem affirmativam *E* vniversalem negativam. *I* particularem, & etiam singularem affirmativam. *O* particularem, vel singularem negativam. Ad primam figuram novem primi modi pertinent á *Barbara* scilicet vsque ad *Frises.* Ad secundam pertinent quatuor sequuti, á *Cesare* scilicet vsque ad *Baroco* Ad tertiam, alij sex.

14. Omnes modi primæ figuræ sunt perfecti, perfectissimi tamen quatuor primi modi, quia scilicet concludunt directe, id est, in illis statim apparet bonitas illationis; quia servatur ordo præmissarum, & maior extremitas, quę est prędicatum maioris, est prædicatum conclusionis; minor vero extremitas, quæ est subiectum minoris, est etiam subiectum conclusionis, vt patet in hoc syllogismo in Barbara *Omne vivens sensibile est animal*, sed *omnis homo est vivens sensibile*, ergo *omnis homo est animal*, En animal prædicatum conclusionis est prędicatum maioris, & *homo* subiectum conclusionis est subiectum minoris.

15. Adverte, quod licet pertineant ad eamdem figuram *Celarem*, & *Celantes. Darij*, & *Dabitis*, & etiam eisdem propositionibus constent, tamen distinguntur in modo concludendi, directè vel indirectê. Pono exemplum. Hic est syllogismus in *Darij* directê concludens: *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo*, ergo *Petrus est animal*; quia prædicatum maioris est prædicatum conclusionis, & subiectum minoris, subiectum conclusionis: Si vero loco illius consequentiæ inferas hanc Ergo *aliquod animal est Petrus*, erit syllogismus in *Dabitis* indirectè concludens, quia prædicatum maioris fuit subiectum conclusionis, & subiectum minoris etiam conclusionis prędicatum.

SECTIO II.

ALIQVIBVS DVBIjs RESpondens.

16. Rogas primò. Cur vna propositio prę alia dicenda sit maior, aut minor?

17. Pater Linze, hoc, quod solum ad nomina pertinet, magnifacit varijs argumentis, & excogitationibus. Vide illas impugnatas apud Arriagam in sua aucta Philosophia. Tu vero cum ipso Arriaga dic: illam propositionem dici maiorem, quę primò profertur: illam vero minorem, quę postea profertur: hoc constat ex communi vsu loquendi omnium Scholasticorum, cui in vocibus, & loquutionibus debemus stare. Per quadraginta, & octo annos innumeris interfuisse disputationibus, asserit Arriaga, & tamen nunquam se audivisse respondere ad primam propositionem; concedo *minorem*; & ad secundam nego *maiorem*; sed statim ac sustentans audit, & repetit primam propositionem, negat, vel concedit *maiorem*, et postea, ad secundam concedit, vel negat *minorem.*

18. Sed objicit Linze. Syllogismus mentalis habet maiorem, et mino-

rem, sed in mente nulla præmissa alteri antecedit, sed vtraque coexistit, quando infertur conclusio, ergo ratio *maioris*, vel *minoris* non consistit in hac præcedentia.

19 Respondetur cum Arriaga, nego maiorem; nam in mente non datur maior, aut minor ob rationem argumenti. Respondeo secundò, quod licet vtraque præmissa simul existat, quando infertur conclusio, tamen aliqua earum primò producta fuit ab intellectu, & hæc erit maior. Alia verò minor.

20 Instabis. Si negatur in intellectu maior, & minor, etiam syllogismus negari poterit. Respondetur, essentiam syllogismi independentem esse á denominatione *maioris*, & *minoris*; solumque consistere in eo, quod dentur in intellectu tres propositiones, in quarum vna inferatur identitas extremorum inter se, ex eo quod hæc in alijs duabus fuerint identificata cum tertio alio, quod dicitur medium.

21 Rogas secundò. Sit né alia quarta figura præpter tres assignatas? Affirmant cum Galeno omnes Medici asserentes, formam syllogisticam sine quarta figura non minus ægrotare, quam corpus humanum sine quarto humore. Hos sequuntur Peñafiel, Isquierdo, & alij; quia si prima figura est, cuius medium est subiectum in maiori, & prædicatum in minori. Cur quando ponitur medium vt prædicatum in maiori, & vt subiectũ in minori non constituetur alia nova figura?

22 Negant, hanc esse novam figurã Communitèr Doctores; quia vt optimè Arriaga; cum esse maiorem, vel minorẽ propositionem, solum consistat in ordine prolationis, primo, vel secundo loco Sicut filius natu prior dicitur maior, & posterior dicitur minor, & hoc totum reluceat in vocibus, non verò in intellectu, vbi præmissæ, & conclusio coexistunt simul; non est, cur ex hac acciden-tali variatione maioris in minorem, & minoris in maiorem figuræ mentales multiplicendæ sint contra mentem Aristotelis. Vndè hanc ad primam figurã reduc, & exclude à numero modorum illos, in quibus solum datur inversio hæc accidentalis maioris in minorem, & é contra. Vt sunt in prima figura. *Ferio* & *Frizon*: in secunda *Cesare*, & *Camestres*. In tertia *Disamis*, & *Datisi*.

23 Vel si vis in Medicorum honorem iuxta illud: *Honora Medicum propter sanitatem* adscribe hanc in numero figurarum, & multiplica alios novem modos immutando datos pro prima Aristotelis figura, ita vt littera, quæ in illis assignat maiorem, in his assignet minorẽ, & è contra vt pro *Celarent*, dic *Calerent*, *&c.*

24 Rogas tertiò. An propter assignatos modos figurarum possint alij assignari? Respondetur affirmativê. Primò: si modi concludendi indirectè in prima figura, directé concludant. Secũdo: si conclusiones vniversales in particulares mutentur, & loco *Barbara* dicatur: *Barbari*: *Celarem*, *Celarim*, & sic de alijs.

25 Præter assignatos datur syllogismus expositorius, ita dicitur, quia rem ad oculos clarissimé exponit, habet pro medio terminum singularem, constatq; tribus propositionibus singularibus, vt *Carolus est Rex Hispanus: sed hic homo est Carolus, ergo hic homo est Rex Hispanus.*

26 Rogas quartò. Quid sit consequens, quidve consequentia? Respondetur consequens esse ipsam propositionem secundum se. Consequentiam esse ipsam propositionem, vt deductam ex præmissis. Consequens potest esse verũ, & consequentia falsa, & tunc neganda est consequentia, & concedendum consequens. Numquam destinguenda est consequentia, sed consequens. Hinc datur duplex argumentatio, formalis, in qua consequens & consequentia sunt veræ, materialis, in qua consequens est ve-

verum, & consequentia falsa, hoc est, nõ deducta ex vi formæ, licet aliás vera ex vi materiæ, vt patet in hoc syllogismo *Aliquis homo est rationalis; sed Petrus est aliquis homo*; ergo *Petrus est rationalis*, vbi consequens est verum ex vi materiæ, & consequentia falsa ex vi formæ, quia vt postea videbimus ex purè particularibus nil infertur ex vi formę.

SECTIO III.
CVI PRINCIPIO NITATVR VIS syllogistica.

27. DUuplex datur principium, quod variè á Doctoribus pro fundamento formæ syllogisticæ assignatur. Primum est *Dici* de *omni*, pro omni affirmatione, & *dici de nullo* pro omni negatione. *Dici de omni* significat, quod quid quid dicitur de aliqua *ratione superiori*, debeat dici de *omni inferiori*, contento sub illa. Secundum cõtra, quod quidquid negatur de aliquo *superiori* debeat quoque de *omni inferiori* negari; vt de homine dicitur esse rationalem, & de Petro contento sub homine idem debet affirmari, de homine negatur esse irrationalẽ, idem de Ioanne sub homine contento negari debet.

28. Secundum principium est. *Quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se*: pro affirmatione, vt *Quia Petrus, & animal sunt idem cum homine, Petrus, & animal sunt idem inter se. Et quoties vnum extremum identificatur cum tertio, á quo aliud extremum distinguitur, talia extrema distinguntur inter se, vt quia Petrus identificatur cum homine, & lapis ab homine distinguitur, Petrus, & lapis distinguntur inter se.*

29. Prima sententia asserit, vim syllogisticam fundari in illis principijs *Dici de omni*, quoad conclusiones affirmativas, & *dici de nullo* quoad negativas, ita Patres Molina, Alarcon. Granados. Linze, Isquierdus, Albertinus tom. 1. Septimo principio disp. 2. Sancta Cruz. Spinula, & alij.

30. Secunda tenet, fundari in alijs principijs, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. ita Patres Arriaga. Hurtadus, Oviedus, Comptonus, Alphonsus, & alij apud P. Oleam tract. 1. Summ. disp. 36. n. 2. Hanc secundam sententiam teneo.

31. Probatur primò. Syllogismus, si sit affirmativus, debet constare triplici propositione, quarum duplex prima duo extrema coniungat cum aliquo medio, vt alia tertia propositio coniungat alia extrema inter se, habendo pro motivo, & ratione coniungendi illa (hoc enim denotat illud *Ergo*, quod est idem ac *Hinc deducitur*, vel *ab hoc infertur*) illam identitatem extremorum cum tertio; ergo quia tota vis, totum que esse syllogismi affirmativi tali principio, (*Quæ sunt eadem vni tertio*) fundatur. In syllogismo autem, cuius conclusio evadit negativa, vna expremissis debet vnire vnũ extremum cum tertio, alia vero aliud extremum ab eodem tertio distinguere; vt postea conclusio habendo pro motivo talem separationem vnius extremi á tertio, & identitatem alterius extremi cum tertio, ea extrema distinguat inter se; ergo tota vis syllogismi negativi fundatur in illo principio, *Quoties vnum identificatur, &c.*

32. Confirmatur. Quoties præmissæ repræsentant identitatem extremorum cum tertio, & conclusio identitatem extremorum inter se, concludit syllogismus, & si ita non repræsentet, non concludit; ergo tota vis syllogistica in illo principio cõsistit. Insuper obiectum premissarum est identitas extremorum cum tertio, obiectumque conclusionis identitas extremorum inter se, sed tota vis, & infallibilitas syllogismi stat in conexionne obiecti conclusionis cum obiecto premissarum, hoc est, in eo quod non possit non esse obiectũ con-

conclusionis, quoties est obiectum præmissarum: Ergo tota vis syllogismi stat in eo, quod non possint non identificari extrema inter se, quoties identificatur cum tertiò.

33 Probatur secundò á remotione alterius principij. Hoc principium *Dici de omni*, si cum pluribus ita explicetur. *Quod dicitur de ratione superiori, debet de inferioribus contentis sub illa dici*, non est vniversale ad omnes syllogismos: nã in syllogismo expositorio, cum constet tribus propositionibus singularibus, non datur ratio superior; & in syllogismo in *Barbara*, cum constet tribus vniversalibus, non datur ratio inferior; ergo tota vis syllogistica non fundatur tali principio. Insuper etiam in illis syllogismis in quibus locum habere videtur tale principium ratione alicuius termini vniversalis, qui distribuitur ad aliquod singulare, vt in *Darij*, tale principium vltimò eget, vt fundamine, alio principio: *Quæ sunt eadem vni tertio*; ergo in hoc denique totum fundatur. Probatur antecedens. Ex eo, quod *Omnis homo sit vivens*: non infertur, nec convincitur immediaté, Petrum contentum sub homine esse viventem, nisi priùs identificem Petrum cum homine, quo cum antea rationem viventis identificatam repręsentavi, dicamque, sed *Petrus est homo*, ideòque enthymema syllogismus truncatus (hoc est, cui aliquid deficit, vt convincat,) appellatur; ergo illud principium, *dici de omni* tandem eget alio. *Quæ sunt eadem vni tertiô, &c.*

34 Si verò tale principium *Dici de omni* explicetur cum aliquibus. *Quod dicitur de termino perfectè distributo, sive singulari, sive universali, debet dici de omnibus sub illo contentis*, idem valet, ac nostrum principium *Quæ sunt eadem vni tertio. &c.* Sed obscuriùs. Probatur. Hoc principium ita explicatum præcipit, vt identificentur inter se, quæ continentur sub aliquo tertio perfectè distributo: Sed contineri sub aliquo tertio perfectè distributo, est identificari cum illo; ergo præcipit, quod sint idem inter se, quæ identificantur cum tertio; ergo idem ac nostrũ principium.

35 Objic. 1. *Petrus, & Paulus identificantur cum homine, Homo, & Brutum cum animali*, & tamen nec Petrus, & Paulus, nec homo, & brutum identificantur inter se, ideoque hæc argumenta non valent *Petrus est homo. Paulus est homo, ergo Petrus est Paulus: Homo est animal brutum est animal*, ergo *homo est brutum*; ergo tale principium est falsum.

36 Varijs vocibus idem tamen ad hoc, & similia argumenta respondent Doctores, sic principium explicantes. *Quæ sunt eadem vni tertio rectè distributo, vel vni tertio incommunicabili sunt idem inter se*; non verò *quæ sunt eadem vni tertio non rectè distributo, vel solum inadequatè vel vni tertiò communicabili*; vnde hæc argumenta non valent. Quia *homo*, qui est *tertium* respectu *Petri*, & *Pauli*, idem dic de *animali* respectu *hominis*, & bruti, non rectè distribuitur respectu *Petri*, & *Pauli*, quia *Petrus*, & *Paulus* non sunt idẽ cum omnibus, qui sub *homine* continentur. Seu *homo*, qui est tertium, non est idem adæquatè cum vnoquoque extremo: seu non est terminus incommunicabilis, sed communicabilis pluribus; vnde licet *Petrus*, & *Paulus* identificentur cum *homine*, non tamen identificantur cum omnibus humanitatibus contentis sub *homine*, sed vnusquisque cum sua peculiari humanitate distincta, & ideò inter se non identificantur. Ille enim syllogismus: *Petrus est homo: Paulus est homo*, ergo *Petrus est Paulus*, habet quatuor terminos; ideòque non est in forma. *Petrũ* nempè, *Paulum*, & *vnam humanitatem Petri, & aliam humanitatem Pauli.*

37 Objic. 2. Hoc principium non valet in Divinis, nam in Divinis hæc sũt falsa argumenta. *Pater est Deus. Filius est Deus.* Ergo *Pater est filius. Natura Divina est filiatio: natura Divina est Paternitas*

tas

tas; ergo *Paternitas est filiatio*, & tamen extrema identificantur cum tertio; Ergo.

38. Pater Ruiz tenet, formam syllogisticam in Divinis non fundari tali principio. Patres Arriaga, Isquierdus, & alij ad distinctionem rigorosam virtualem se recipiunt; ego stando eorum sententiæ, dico: Terminum *Deus*, & *natura Divina*, quæ se habent, vt medium illorum syllogismorum esse physicè communem, & communicabilem pluribus, nec bene distribui in vtraque pręmissa; nam in maiori ponitur Ly *Deus*, secundum quod est idem cum *Patre*, & in minori secundum quod est idem cum *Filio*, cum autem secundum quod est idem cum Filio, non sit idem cum Patre, & secundum quod est idem cum Patre, non sit idem cum Filio, inde est, quod medium non rectè distribuatur in pręmissis, ac proinde talis syllogismus non valeat; sicut non valet ille, de quo numero antecedenti fuimus locuti eo, quod terminus *homo* illi positus, vt medium sit pluribus logicè communicabilis, & in maiori sumatur prout est idem cum Petro, & in minori pro vt est idem cum Paulo; ac proinde non rectè distribuatur. De hoc forte postea latius.

SECTIO IV.

REGVLÆ SYLLOGISMORUM.

39. PRima: quod medium non ingrediatur consequentiam. Secunda, quod nullus terminus adsit consequentiæ, quin adfuerit pręmissis. Tertia, quod terminos habeat bis repetitos. Quarta, quod medium distribuatur in aliqua præmissarum; tunc autem distribuitur, cum ponitur pro omnibus, & singulis sub se contentis, vt *Omnis homo est animal* (en *homo* distribuitur; ponitur namquē prò omnibus hominibus) Sed *Petrus est homo*, ergo *est animal*. Defectu huius distributionis diximus falsum esse illum syllogismum *Petrus est homo*, sed *Paulus est homo*, ergo *Petrus est Paulus*, & ratio est, quia extrema, vt sint idem inter se, debent esse idem secundum idem cum medio; & si medium in vna præmissa supponat pro vno, v.g. *Petrus est homo*, & in alia supponat pro alio v.g. *Paulus est homo*, non sunt idem cum medio secundum idem, sed secundum distincta.

40. Quinta: ex purè particularibus nil sequitur ex vi formæ, v. g. *Aliquis homo currit, sed aliquis homo est Petrũ*, ergo *Petrus currit*, mala consequentia ex prava medij distributione; nam in vna præmissa ly *aliquis* potest supponere pro *Paulo*, & in alia supponit pro *Petro*. Si tamen vi alicuius signi pro eodem supponat in vtraque pręmissa, iam erit syllogismus expositorius, & præmissæ non erunt pure particulares, vt videre est in hoc: *Aliquis homo ex rex, sed hic aliquis homo est Carolus*, ergo *Carolus est Rex*.

41. Sexta ex pure negativis nulla infertur recta conclusio, neque affirmativa, neque negativa. Non affirmativa; quia vt affirmetur identitas extremorum inter se, debet supponi affirmata identias eorum cum medio in pręmissis. Non negativa, quia vt negetur vnum extremum de alio, debet supponi in aliqua ex pręmissis vnum eorum affirmatum de medio, iuxta illud principium *Cum vnum identificatur cum tertio*, inquo diximus syllogismos negativos fundari.

42. Sed objic. In hoc syllogismo. *Omne, quod non est vivens, non est homo*, sed *lapis non est vivens*, ergo *non est homo*. Concclusio negativa ex pure negativis infertur; ergo. Respondetur, maiorem esse affirmativam, tum quia duplex illa negatio affirmat; tum quia ly *Omne, quod*

S *non*

non est vivens sumitur infinitè, vnde æquivalet huic propositioni *Omnis homo est vivens*.

43. Septima: *Conclusio sequitur debiliorem partem, ac proinde ex affirmativa, & negativa sequitur conclusio negativa. Ex vniversali, & particulari sequitur particularis.* Regula hęc exceptionem patitur apud Theologos affirmantes, ex vna pręmissa naturali, & alia de fide deduci conclusionem de fide, & non naturalem.

44. Octava. *Ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis, vt est homo, ergo animal*; valet ita *non est animal*; ergo *non est homo*: non valet ex opposito antecedētis ad oppositū consequentis, vt *Non est homo*, ergo *neque animal* valebit tamen, si consequens fuerit æquale antecedenti, vt *est homo*, ergo *risibilis*; valet *Non est risibilis*, ergo *neque homo*: etiam valet, *Non est homo*, ergo *nec risibilis*.

45. Objic. Licet valeat *Est evidenter impossibile*, ergo *est evidenter incredibile*, non tamen valet ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, ita. *Est evidenter credibile*, ergo *est evidenter possibile*; quia Mysterium Trinitatis est evidenter credibile, & non est evidenter possibile, ergo.

46. Respondetur, me solum dixisse *Ex contradictorio consequentis valere ad oppositum antecedentis*, ideoque valet: *Non est evidenter incredibile*, ergo *non est evidenter impossibile*: non vero ex contrario quale est illud. Nam evidenter incredibile, & evidenter credibile non contradictoriè, sed contrariè tantum opponuntur.

47. Nota ex vero nunquam sequitur falsum, neque ex falso verum; quia si verè in præmissis extrema vniantur tertio, verè etiam vniuntur inter se, & si vniuntur falsò in præmisis, falsò etiam in conclusione vniuntur. Vnde in hoc syllogismo: *Omnis lapis est homo*; *Petrus est lapis*; ergo *& homo*. Consequentia est falsa, quia assentitur obiecto ob falsam identitatem. Ita *Petrus est homo*, *quia omnis lapis est homo*, *& Petrus est lapis*, quod falsum est; licet illa propositio, vt consequens, sit vera, quia in consequenti solùm attenditur ad enuntiationem, quę hic absolutè est vera, cum enuntiet prædicatum conveniens subiecto.

SECTIO V.

DE REDVCTIONE SYLLOGISMORUM.

48. RES prorsus otiosa, sed ne aliquid desideretur, illam aggredior. Iam diximus in prima figura quatuor reperiri modos directè concludentes. Ad hos enim reducendi sunt omnes alij modi indirectè concludētes, tam ipsius primę, quam secundæ, & tertiæ figuræ, dupliciter. Primo per *ostentionem*, secundo per *impossibile*. Aliquid de reductione per ostentionem, vtpotè minus difficilem dicam. Pro quo nota, quatuor modos perfectos habere consonantes initiales *B. Barbara. C. Celarem, D. Darij. F. Ferio*, quibus reliqui alij modi imperfecti etiā initiantur. Quilibet ergo modus imperfectus debet reduci ad perfectum incipientem ab eadem consona, qua ipse reductus incipit v.g. *Baralipton ad Barbara. Cesare ad celarem*. & sic de reliquis.

49. Advertas secundo, intra quamlibet voculam modum denotantem reperiri aliquam, vel aliquas ex his consonis *S. P. M. C.* modus autem reductionis ita se habet. Propositionem denotatam per syllabam, quę fuerit ante *S.* converte *simpliciter*, iuxta regula cōversionis supra traditas. Propositionem denotatam per syllabam, quæ fuerit ante *P.* converte secundum *quid*. Propositionem, quę fuerit ante *M.* muta si fuerit minor in maiorem, si fuerit maior in minorem. Propositio, quæ fuerit ante *C.* nequit converti per ostentionem, sed solum per impossibile, ita *Bocardo. Baroco*. Vnum pro omnibus exemplum apponam, vt aliquantulum res clarescat. Ecce syllogismus in Cesare. *Nullus lapis est animal*, *sed omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis*. Hic syllogismus convertendus est in *Celarem*, hoc denotat litera *C* initialis. *Litera S*, quæ est in *Cesare*, post primam propositionem vniversalem negativam denotat, eam esse convertendam *simpliciter* per mutationem subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum. Verte igitur ita, & en syllogismus in Celarem. *Nullum animal est lapis*, sed *omnis homo est animal*, ergo *nullus homo est lapis*.

50. Ab alia reductione per impossibile ex instituto abstineo: non enim, vt confundam vos hęc scribo, si vultis, caput vobis tot propositionum conversionibus inverti, vt ait Arriaga, ipsum adite, disp. 3. Summularum sect. 6. n. 36.

TRACTAT. IV.

DE MODO SCIENDI.

1. EX professo in hunc locum distuli præsentem tractatum, quem extra ordinem trium mentis operationum appono, quia non pertinet aliquam particularem, sed omnes in se continet sub nomine, & consideratione ad logicam pertinente, definitionis scilicet, divisionis, & argumentationis.

SECTIO I.

DE MODO SCIENDI IN COMMUNI.

2. NOn dubitatur, quamcumque cognitionem esse modum sciendi, cum sit manifestativa sui obiecti, immò ex mente Caramuelis in Metha'og. num. 21. Etiam apprehensiones rationem modi sciendi participant, cum etiam obiectum, licet imperfectè, manifestent. Vnde tot sunt modi sciendi, quot obiecta manifestanda. Sed hic tota hac vniversalitate non loquimur, sed supposito, quod modus sciendi prout ad logicam attinet, dividatur adæquatè in definitionem, Divisionem, & argumentationem. Quærimus ergo aliquam definitionem modi sciendi comprehendentem eas solùm species.

3. Definitio communis Patris Arriagę, scilicet *oratio ignoti manifestativa*, vel vt alij *Cognitio manifestativa obiecti*, rejicitur, quia syllogismus non est cognitio, neque oratio, sed plures cognitiones, & orationes. Item definitio non est oratio, sed apprehensio complexa, & tamen tam syllogismus, quam definitio sunt modus sciendi.

4. Sic modum sciendi definio. *Est logicalis manifestatio perfecta*. Ly *logicalis manifestatio* est ratio communis ad quoscumque modos sciendi latos, vel strictos. Ly *Perfecta* est ratio differentialis, per quam excluduntur apprehensiones incomplexę, & aliæ cognitiones, quæ non declarant perfectè obiectum.

5. Non relegatur ab intellectu Divino modus sciendi, vt aliqui asserunt. Cur enim cum Deus cognoscit *Hominem esse animal rationale*: dividi in materiam, formam, & vnionem: esse verum hunc discursum, *Omnis homo est animal*, *sed*

sed Petrus est homo, ergo *Petrus est animal,* tales cognitiones non dicentur modi sciē di. Quidquid sit; an in intellectu Divino detur, nec ne proprius, & formalis discursus, aut solum virtualis? De quo cō sulantur Theologi præcipué Arriaga tom. 1. in primam partem disp. 10. Sect. 3. num. 44. admittens in Deo discursum formalem. Nec obstat, quod tales modi sciendi non manifestent in actu secū do aliquid Deo ignotum; quia ad rationem modi sciendi sufficit, quod sit manifestativus rei, quæ si alias ignoraretur, illam vtique manifestaret.

6. Objic. Argumentatio non est declaratio obiecti, sed plures declarationes cum constituatur pluribus propositionibus: ergo. Respondetur. Nego antecedēs Syllogismus enim solum est vna declaratio illativa, constans tribus propositionibus; quia obiectum conclusionis, cuius est manifestatio, non manifestatur per singulas præmissas, sed per totum syllogismum.

7 *D*ubitas. An syllogismus probabilis sit modus sciendi? Negant Spinula, & Sancta Cruz, num. 435. Affirmant communitèr cum Fonseca, lib. 1. cap. 3. Recentes. Res est pure de nomine. Si intelligas per modum sciendi manifestationem obiecti pefecto prorsus modo, non erit modus sciendi. Si intelligas manifestationem obiecti per prædicata intrinseca, sive probabilia, vt familiarissimam, aptamque, vt instrumentum disserendi in alijs scientijs, modus sciendi erit. Hoc vltimum iudico, quia communitèr modus sciendi appellatur, quælibet definitio essentialis, & divisio indiscriminatim, sive probabilis, sive evidens sit.

8 Modus sciendi prout hic intelligitur, dividitur adæquatè in definitionē, divisionem, & argumentationem. Hi enim tantum reperiunrur perfecti modi manifestandi obiectum; quia, vel ignoratur essentia rei, & hanc matifestat definitio, vel eius partes, & hę per divisionem manifestantur, vel prædicatorum identitas, & hæc per identitatem cum tertio in argumentatione cognoscitur.

SECTIO II.

DE DEFINITIONE.

9 SIc definitionem definio. *Est modus sciendi explicans essentiam rei per rationem proximé communem, & vltimó differentialem.* Dico per *rationem cōmunem,* & non per *genus,* non est necessarium quod ratio communis in definitione posita sit vnivoca, ac proinde genus proximum, sed sufficit, quod sit analoga.

10 Definitio alia est propria, & essentialis, & hæc, vel est methaphysica, si essentiam per prædicata methaphysica explicet, vt *Homo est animal rationale,* vel physica, si essentiam per prædicata physico explicet, vt *Homo constat anima, & corpore.* Alia impropria, quæ dicitrr descriptiva, & explicat rem per proprietates, effecta, & adiuncta, vt Rhetorici au distis. Sic est illa celebris Platonici hominis definitio; *Homo est animal bipes implume,* quam Diogenes audiens gallum plumis exutum in scholam iniecit dicens *En homo Platonis.* Sic est illa Iob. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, quì quasi flos egreditur, & conteritur.*

11 Ferè omnes leges definitionis sub lite sunt. Prima, quod ratio communis sit proxima, & immediata, & ratio differentialis sit vltima, quia si ratio communis non esset proxima, & ratio differentialis vltima, definitio alij à definito posset convenire, v.g. si homo provit distinctus á bruto definiretur: *Substātia intellectiva,* hæc definitio conveniret Angelo, quia nec ly *substantia* fuit ratio communis proxima, nec ly *intellectiva* ratio differentialis vltima, sed huic re-

regulę opponuntur Spinula, & Quiroz.

12. Secunda, quod sit clarior suo definito aliás non esset eius explicatio: huic opponitur Cardinalis Palavisinus, & etiam Caramuel in logica vocali, num. 538.

13. Tertia, quod convertatur cum suo definito, ita *Homo est animal rationale, Animal rationale est homo.*

14. Quarta, ne exprimantur in definitione omnia genera remota, & omnes differentiæ non vltimæ v. g. *Homo est ens substantiale corporeum, vivens, vegetativum, sensibîle, & rationale,* quia definitio debet esse dilucida, & brebiter comprehensa. Sed Pater Fonseca in genere definitionis hanc vocat perfectissimam.

15. Quinta, quod in ea nihil deficiat, aut redundet. Sexta, ne tradatur per voces synonomas, vt *gladius est ensis.* Septima, ne ambulet in circulo, v. g. *Pater est, qui habet Filium, Filius est, qui habet Patrem.* Octava quod omni, & soli definito conveniat. Nona, ne in definitionem ingrediatur definitum, sed saltem, quoad expressum distinguatur. Decima, ne tradatur per disiunctionem.

16. Adverte, quod si omnes hę regulæ practicè observandæ sunt in qualibet definitione, vt recta sit, fere vnicam in syllabo definitionum rectam invenies, nempè definitionem hominis per *animal rationale,* immò, & eam, si cum Patre Herize, & alijs defendatur; gradum volitivi esse de essentia methaphysica hominis, non perfectè sanam, sed ægram iudicabis, cum talem gradum volitivi non exprimat.

17. Dices, ad definitionem requiri rationem vnivocam, & non sufficere analogam. Probatur. Conceptus analogus non est vnus simpliciter, sed plures in se involvens diversitatem, v. g. Leo, vt conceptus analogus significat fortitudinem, & naturam leoninam; ergo conceptus analogus nequit poni in definitione, quia nequit cum definito converti. Insuper conceptus analogus vel est constitutivus definitionis, quatenus communis, vel non? Si secundum? Ergo definitio non constat ratione communi proximá conveniendi. Si primum? Ergo talis conceptus vt analogus prędicatur de definito, seu vt involvens duplex esse diversum. Tum sic; sed duplex esse diversum nequit prędicari de definito, quia cum illo non identificatur, ergo.

18. Respondeo, quod quando aliquis conceptus communis analogus ingreditur aliquam definitionem, non ingreditur reduplicativè vt analogus, sed specificativè, id est, conveniens principali analogato propriè, impropriè tamen minús principali. Ratio enim analoga respicit aliquam sicuitatem obiectivam, seu vnitatem, ratione cuius vnum definitum est sicut aliud, licet re ipsa simpliciter non conveniant, ratione autem huius sicuitatis, seu vnitatis, in qua conveniunt, ratio communis analoga prædicatur, & identificatur cum suo definito. Sic definitur iuxta aliquos. *Ens per id, quod non repugnat existere.* Vbi ly *Id* est ratio communis, ratione huius sicuitatis ad ens reale, & rationis, sic in esse obiecti intellectus vtrumque ens definitur *Id quod potest terminare cognitionem;* sic etiam homo pictus, & verus definiútur per *id, quod præfert humanitatem.*

19. Inferes, æquivoca á consilio, vt *risus* respectu hominis, & viriditatis prati ratione aliqualis sicuitatis posse vnica definitione definiri. Entia per accídens, vt plura sunt, non definiuntur, attamen vt conveniunt, possunt definiri. Sic definiuntur Exercitus, Res publića, &c.

20. Rogas, An hęc definitio se ipsam definiat? Qui reflexionem cognitionum supra se ipsas imposibilem iudicant, Negativê respondebunt, dicentque per aliam similem definiri. Qui ta-

lem reflexionem posibilem iudicant; Affirmativè respondeant. *De* hoc in libris de anima.

21. Rogas secundò. Quænam possint definiri? Respondeo. Omnes fere res posse definiri, cum fere omnes sint partibiles formaliter in duos conceptus. Vnum, per quem conveniat cum alijs,& alium, per quem differat ab alijs; si tamen deveniat ad aliquod genus, seu conceptum communem per se notum; vel ad aliquod principium, seu res per se notas, definiri non possunt, tum quia iam daretur processus in infinitum; tum quia definitio ex se debet esse manifestativa ignoti, licet, vt iam dixi, hic, & nunc in intellectu Divino ex summa perfectione illius nil manifestet, sed per se notum non est ignotum, ergo nequit dari conceptus manifestativus, seu definitivus rei per se notæ.

22. *Deus* etiam potest definiri, quia licet physicè sit simplex, methaphysicè tamen in plures conceptus partibilis est absque vlla imperfectione. Nec definitio dicitur á finiendo, vt aliqui male intelligunt, sed ab eo, quod habeat definitum, seu determinatum obiectum, vt asserit Hurtadus. Et licet dicatur á finiendo, non autem á finiendo physcicè, sed logicè. Hoc est á continendo essentiam obiecti, & licet sint infinitæ perfectiones Divinæ vnica definitione contineri & claudi possunt.

23. Rogas tertiò. An tota definitio salvetur apprehensione complexa? Affirmant Conimbrisenses. Fonseca, Oviedus, Alphonsus. Negant Hurtadus,& Comptonus. Posse vel insola apprehensione, vel in integrâ propositione consistere, tenet Arriaga. Dico. Tota essentia definitionis salvatur in apprehensione complexa. Probatur. Ita verificantur regulę pro definitione asignatæ: *Definitio convertitur cum suo definito.* Sed solùm prædicatum huius propositionis *Homo est animal rationale* convertitur cum definito, nempe homine, & non tota propositio, quia homo non convertitur secum ipso, á quo, nec quoad expressum distinguitur, ergo. Insuper ly *homo* est definitum; ergo non est definitio, quia definitum non debet ingredi definitionem. Insuper definitio prædicatur de definito primo modo dicendi per se, sed in prædicta propositione solùm animal rationale prædicatur, non vero tota proposito; ergo solum in illa apprehensione complexá tota essentia definitionis salvatur.

24. Objic. 1. Aristotelem, qui definitionem orationem appellat; ergo nō salvatur in apprehensione complexá, quæ oratio non est. Respondeo. Aristotelem, cum hoc dixit, plus Rethorem quam logicum egisse, vel loquutum fuisse vulgariter, cum semper essentiam definitionis vel coniungitur cum oratione formali, vel á virtuali nunquam separetur.

25. Objic. 2. Definitio debet esse perfecta manifestatio essentiæ, cum sit modus sciendi, sed solûm integra propositio est perfecta manifestatio essentię, ergo.

26. Respondeo. Nego minorem. Etiam terminus complexus est perfecta manifestatio essentię; nam posita in intellectu *animal rationale* clarius mihi repræsentatur *homo* absque vlla affirmatione actuali; falsum enim est, absque affirmatione actuali non posse esse clariorem propositionem obiecti, vt patet in sensuum cognitione, vbi sine vlla affirmatione fit magis, vel minus clara propositio obiecti ignoti manifestativa. Præterea semper illa apprehensio est quædam implicita, & virtualis affirmatio, intellectum que ad actualem affirmationem inclinat; ergo signum est, quod obiectum clarius cognoscitur apprehensa definitione, quam si solum apprehenderetur *Homo*; ergo talis apprehensio est modus sciendi, manifestatioque obiecti.

Obi-

27. Objic. 3. Si alicui Rustico diceretur. *Quære vnum animal rationale congregativum visus.* Omnino suspensus,& absque vlla intelligentia hæreret; si tamen illi diceretur: *Quære vnum hominem nigrum*, statim dicta caperet, & tamen primum dictum est *definitio*, & secundum *definitum*; ergo solum prædicatum non est clarius definito; ergo vt definitio dicatur clarior debet constare etiam ex ipso definito.

28. En vltima consequentia destruens vnam ex præcipuis regulis definitionis, scilicet quod definitum non debet ingredi definitionē, hoc etiam argumento vtitur Caramuel in logica vocali art. 37. n. 538. vt probet, definitionem non debere esse clariorem suo definito, & hoc tantum probat argumentum, quo certè prima fundamina rerum destruit: nam cum definitio sit explicatio, quę explicatio erit, si non sit clarior termino explicato? quæ declaratio si ea plus non claret re declarata? Et qui modus sciendi, quo tam ignotum manet obiectum, immò minus notum redditur, vt probat argumentum? Respōdeo, semper ex se clarius proponi obiectum per *animal rationale congregativum visus*, quam per *hominem nigrum*; quod tamen Rusticus melius percipiat obiectum per vocem *hominis nigri*, quam per vocem *animalis rationalis congregativi visus*, provenit ex ignorantia,& rusticitate ipsius; sicut per voces barbaras proprio genio accomodatas facilius percipitur á Rusticis, quam per voces naturales, & proprias, & tamen ex hoc non infertur illas esse absoluté clariores his.

29. Objic. 4. Si in sola apprehensione *animalis rationalis* consisteret tota essentia definitionis, qui haberet hoc iuditium *Homo non est animal rationale*, definiret hominem, sed hoc absonat; ergo. Probatur Sequela. Per nos definire hominem nil aliud est, quam repræsentare per apprehensionem genus immediatum,& vltimam diferentiam; sed qui tale iudicium haberet, hoc repræsentaret; ergo.

30. Respondeo. Distinguo maiorem. Definiret hominem, hoc est, totam hominis definitionem eliceret; concedo, id est, eam definitionem homini applicaret; nego. Tota definitio salvatur in apprehensione generis,& differentiæ; attamen vt talis definitio actualiter explicetur, quod videtur significare Verbum *Definitio*, requiritur affirmatio vel formalis, vel adminus virtualis, quod quidem non datur in intellectu, quando habet hunc actum *Homo non est animal rationale*, cum potius separet definitionem á definito, & qui talem apprehensionem habet, non est cum inclinatione ad affirmandum, *hominem esse animal rationale*, sed potius ad contrarium. Vnde nec virtualem affirmationem habet.

SETCIO III.

DE DIVISIONE.

31. Divisio est *modus sciendi totum in partes distribuens.* Res divisa dicitur divisum, partes, in quas dividitur, dicuntur membra dividentia, alia est divisio nominis, quæ nomen in sua significata dividit, vt *Canis*, alius est marinus, alius est terrestris. Alia est divisio rei, quæ rem in suas partes dividit. Hæc divisio rei est duplex, actualis,& potentialis. Actualis dividit totum actuale in suas partes, si hę fuerint physicæ *physica* appellatur divisio, vt *Hominis* alia pars est *Corpus*, alia *Anima*. Si fuerint methaphysicæ, divisio *methaphysica* appellatur, vt *Hominis* alia pars est *Animal*; alia *rationale*. Divisio actualis physica si dividat totum in partes essentiales est *essentialis* vt *homo constat animâ & corpore*. Si in partes integrales, *integra-*

lis

liis dicitur, vt *hominis* alia pars *caput*, alia *pedes*.

32. Divisio potentialis, quę etiam *potestativa* dicitur, est divisio superioris in inferiora, quæ sub sua potestate continet. Si divisum sit essentiale membris dividentibus, vt est *homo* respectu *Petri*, & *Pauli*, est *essentialis* divisio, si non sit essentiale, accidentalis vocatur; hæc est triplex: prima: subiecti in accidentia, vt *Homo*, alius *albus*, alius *niger*. Secunda accidentis in substantiam, vt album, aliud *nix*, aliud *lac*. Tertia accidentis in accidentia, vt Albũ, aliud *dulce*, aliud *amarũ*.

33. Leges divisionis sunt. Prima, quod fiat in principaliora membra, ne multitudo confusionem pariat, vt *Animal*, aliud *homo*, aliud *brutum*; non vero aliud *Petrus*, aliud *Paulus*, alius *Leo*, *&c.* Secunda, quod fiat per positivas differentias, vt *intellectivum*, aliud *Angelicum*, aliud *humanum*. Aliquando ex penuria vocum negativè potest sonare differentia, *vt Animal*, aliud *rationale*, aliud *irrationale*. Tertia, quod membrum dividens non æquet latitudinem divisi, & quod divisum ad plus se extendat, quam quod libet dividens; nam totum debet esse maius sua parte; & ideo hæc esset mala divisio. *Homo*, aliud *homo*, aliud *Petrus*. Quarta, ne vnum membrum dividens aliud includat, vt *Animal*, *aliud homo*, aliud *rationale*.

34. Dices, contra hanc vltimam regulam. Bonum dividitur in *vtile*, *honestum* & *delectabile*, & *virtuosum*. Sed hoc vltimum includit alia membra; ergo hæc non se debent excludere. Respondetur, bonum dividi in *vtile* tantum, *delectabile* tantum, *honestum* tantũ, & mixtum ex omnibus, quod est *bonum virtuosum*, excludens membra dividentia; si quidem nequit esse *vtile* tantum, *delectabile* tantum, &c. Sic evenit in ratione *viventis* divisa in *vegetativum* purè, *sensitivum pure*, *intellectivum pure*, *& mixtum ex omnibus*, quale est *homo*.

35. Rogas primò. Vtrum divisio actualis sit definitio? Affirmant Arriaga, Hurtadus, Sancta Cruz, & Linze; quia idem est dicere *Hominis alia pars est animal*, *alia rationalis* ac *Homo est animal rationale*. Negant probabilius Conimbricenses, Alphonsus, Spinula: quia ex diverso modo tendendi in idem obiectum distinguntur *apprehensio*, *iudicium*, *& discursus*. Sed definitio, & divisio diverso modo tendunt, tum quia definitio tendit *apprehensivé*, & divisio *iudicativé*. Tum, quia definitio dividit solum *exercitè* formalitates, non verò *signate*, Divisio ergo etiam signatè dividit, ergo.

36. Rogas secundò. An ratio superior dividatur in differentias, vel per differentias? Zerna, & Hurtadus asserunt; genus solum dividi per differentias, non verò in differentias, quia ab illis non participatur. Dividi tamen in species v.g. *Animal in hominem, & brutum*. Quia participatur ab illis. Arriaga tenet, etiam genus dividi in differentias v.g. *Animal in rationale, & irrationale*. Dic, quod volueris, sed primus modus loquendi frequentior est. De Argumentatione sufficienter diximus tractatu antecedenti.

37. Et iam Summularum, modi que sciendi satis, cum non sine felici omnine sub veriæternique modi sciendi, Spiritus namque veritatis, qui docet hominē scientiam, Paschale per vigilium, hucvsque pervenerimus, vt superno lumine perficiat, quod ignorantia nostra ipsius iuvamine incepit. *Ego dixi, ille doceat.* & vt Verbis Christi Domini vtar. *Spiritus, quē mittet Pater, docebit vos omnia, quæcumque dixero vobis. Spiritus, quem mittet Pater. Ille vobis, erit instructer* (sic noster Cornelius incaput 14. Ioannis, vers. 26.) *qui hæc omnia, quæ ego dixi vobis in memoriam reducat, & explicet, vt ab eo illustrati omnia facile intelligatis*: Ideoque nō immeritò supra Discipulorum capita ignitus insedit, vt in triplicis mentis operationis Cathedra, Doctor illius cesset. ò Vtinam!

DIS-

DISPVTATIONES

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS Dialecticam.

LOGICÆ vtilitatē Longe, lateque commendat Sanctus Hieronymus suprà Ezechi. & Divus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 31. & 37. & communiter Doctores prelo dati: eos vide, dum ego brevitatis gratia quam totis viribus amplecti cogor sine procemio, Atheniensium more, eam in varios tractatus divisam ob oculos exponere incipio.

TRACTAT. *I.*

PROEMIALIS.

TRiplicem disputationem tractatus hic continebit: Prima erit de natura Logicę secundum se; secunda de eius obiecto; tertia de eius influxu, & necessitate tam ad proprios, quam ad alienos actus.

DISPVTATIO I.

De natura Logicæ secundum se.

SECT. I.

De existentia, natura, & inventione Logicæ.

2. LOgicam existere contra Epicureos aliquos negantes, certissimum est, ipsa experientia magistra. Cum certissimum sit, dari aliquod complexum actuum, & habituum iuvans intellectum aliqua notitia regularum definitionis, divitionis, & argumentationis ad eas efformandas, hoc ergo complexum *Logicam* appellamus.

3. Hæc primò infusa fuit á Deo, sicut & aliæ scientiæ, prim Parenti nostro Adamo; ab hoc ad filios vsque ad Noemum, & ab hoc ad Posteros Hebræos, Grecos, Chaldęos, & Ægiptios pervenit. Sed temporum incuria, & hominum inertia oblibioni penes tradita fuit, & Aristoteles Primò *definitionem*, secundò *divitionem*, tertiò *argumentationem* invenit. Sed quia vel totum in ordine posuit, vel à pluribus erroribus expurgavit Aristoteles discipulus supra suos Magistros meritò Princeps nuncupatur, Plura de eius laude alijs

que

que circa methodum, ordinemque logicæ videas apud Comptonū disp. 1. sect. 1. & Conimbricenses. quæst. 1.

4. *Logica* dicitur á nomine Græco *logos*, quod Latinè idem est ac *sermo*: Vnde *logica*, sermosinales nuncupatur. Dicitur etiam *Dialectica* á Verbo etiam Græco *Dialogemo*, quod Latinè ide est, ac *discurrere*, seu *disputare*. Ideoq́ logica *disputatrix*, *& ars differendi* appellatur.

5. Subiectum huius facultatis est intellectus, qui sua nativa vi plures definitiones, divisiones, & argumentationes efformans, & supra ipsas reflectens, quærens, inveniensque rectitudinis earum rationes á priori, efformavit aliquas regulas vniversales pro actibus similibus efficiendis.

6. Potest dubitari: an detur Logica in intellectu Divino? Et videtur affirmativê respondendum; quia in Deo potest dari cognitio regulans modum sciendi conficiendum á creatura, inquo certè nulla relucet imperfectio: cur ergo talis cognitio *Logica* non dicetur? Hoc præcipuè locum habet in sententia aliquorum Theologorum apud Patrem Alderete ponentium in Deo, & Angelis, licet corpore careant, propriā virtutem temperantię, Charitatis, abstinentiæ per respectum ad homines, in quibus eas virtutes desiderant, ad eas que servandas exhortantur.

7. Item in Angelis potest poni propria Logica, & modus sciendi, non solum respectu actuum aliorum; sed etiam respectu suorum actuum, etiam si modus sciendi sit ignoti manifestativus; quia Angeli possūnt quam plurima ignorare; pręcipuè circa Secreta cordium: ego circa illa poterunt habere modos sciendi.

8. *Logica* dividitur in *naturalem, & artificialem*; *Logica naturalis* est ipsemet intellectus, qui sua nativa vi potest definire, dividere, & argumentare. Ita Patres Linze, & Compton. disp. 1. sect. 2. n. 8. Sed Pater Quiroz, tract. 2. Logicæ. disp. 7. sect. 1. n. 2. Logicam naturalem appellat actus intellectus naturaliter directivos definitionis, divisionis, & argumentationis, qui nondum regularum certitudinem attingunt; Ideoque nullam habent infallibilitatem. Sic licet intellectus posit sua vi actus physicos, & aliarum scientiarum, & similiter voluntas actus misericordiæ, iustitiæ, &c. elicere nec intellectus dicitur *phylosophia naturalis*, nec voluntas *misericordia*, & *iustitia Naturalis, &c.* Ego similiter: hoc probabile iudico; sed primum probabilius; tum quia potest intellectus sua nativa vi prorumpere in aliquem syllogismum, antequam præcedat vllus actus intellectus, qui posit eum syllogismum dirigere; tunc enim talis syllogismus esset effectus Logicæ naturalis: ego hęc non consistit in actibus directivis, tunc nullatenus existentibus; tum quia cum totum hoc sit denomine, primum tenendum est; quia communius.

9. Nec argumentum á paritate in denominationibus valet; vnde licet nec intellectus dicatur *phylosophia*, nec voluntas *misericordia*, aut *iustitia*, intellectus tamen dicetur *Logica naturalis*; quia sic apluribus, & gravissimis Doctoribus appellatur. Insuper cum vox *Logica* idem sit, ac *Sermo*, seu *ratio*, & intellectus naturalis *ratio*, & *sermo* cognominetur, videtur *Logicam* aliquomodo cum intellectu confundi, quod non evenit in *phylosophia*.

10. Nec cum alijs asseras, *Logicam naturalem* esse illam, quę proprijs actibus adquiritur; & *artificialem* illam, quæ à Magistris Edocetur; tum quia primi inventores, quin edocerentur á Magistris, Logicam artificialem habuerunt, tum quia si aliquis ex asidua repetitione actuum, & ex continua, attenta que supra ipsos reflexione sibi regulas statueret, haberet logicam artificialem á nemine traditam; sed ab ipso a quisitam.

11. *Logica* ergo *artificialis* est illud complexum regularum, docens rectum modum definiendi, dividendi, & arguēdi, quod nunc vos intenditis discere, & quod ego edocere procuro.

12. Logica artificialis dividitur in *actualem, & habitualem*: *actualis est*. Complexum regularum dirigens modos sciendi; *habitualis* est quædam qualitas, seu facilitas, quæ gignitur in intellectu ex repetitione talium regularum.

13. Hęc tota Logica in tres partes communiter dividitur, *Analiticam, topicam*, & *sophysticam*; *Analitica* agit de syllogismis demonstravis; *topica* de opinativis; *Sophystica* de fallacibus, vt evitentur, vel etiam vt efformentur ad detegendas fraudes: habitus per istos actus adquisiti denominantur ab ipsis actibus *Analiticus, topicus*, & *Sophysticus*.

SECTIO II.

CELEBRIS DIVISIO LOGICÆ indocentem, & vtentem.

14. IN vsu fuerunt apud antiquos Dialecticos hę voces *Logica docens. Logica vtens*. Cum ergo nūc temporis tantum valoris sibi voces acceperint ab innovatorum genijs, magnam celebritatem adquirunt, sed in re negotium est parvi momenti, vt cum nostro loquar Arriaga. Tria possunt hic dubitari; primum, quid nomine Logicę *Docentis*, & *vtentis* intelligatur? Secundum, cui applicanda sit hæc vox Logica *vtens*? Tertium, an logica sit *vtens* quoad omnes suas partes?

15. Vt primæ dubitationi faciam satis, suppono primò, in qualibet arte practica dari *Doctrinam*, & *vsum* talis doctrinæ. *Doctrina* sunt illę regulæ, quæ docent, quomodo sit opus faciendum; *Vsus* doctrinæ est ipsum opus factum v.g. in arte saltandi, doctrina sunt illæ regulæ, quę dictant modum, quo pedes huc, & illuc, iuxta instrumenti sonum, movendi sint; ipsi verò saltus sunt vsus talis doctrinæ.

16. Suppono secundò, regulas dupliciter posse considerari, vel in actu primo, quatenus scilicet docent; vel in actu secundò, quatenus scilicet, actualiter dirigunt; v.g. Si aliquis regulas artis pictoriæ optimè percaleret quomodo scilicet colores sint miscendi, disponendum linteum, ad movendum penisilum, & tales regulæ, antequam hic homo de pingeret, sunt in actu primo. Cū vero talium regularum memor, eas exercet, pingendo aliquam imaginem, sunt in actu secundò.

17. Suppono tertiò. Hoc complexum, seu hanc dictionem complexam *Logica vtens* posse tripliciter intelligi: primo. Si ly *Logica* sumatur in *Nominativo*, ita vt sensus sit *Logica*, quę *vtitur, seu logica, qua habet vsum*; sicut sensus huius complexi, *Petrus amans est Petrus, qui amat*, seu *Petrus, qui habet amorem*. Secundò. Sy ly *Logica* sumatur in *Ablativo*, ita vt sensus sit, id quod vtitur Logica, vel quod habet *vsum Logica*; sicut de Citharedo dicimus, *Cithara vtens*, hoc est, qui vtitur cithara. Tertiò. Si ly *vtens* sumatur pasivè, ita vt sensus sit, *Logica vsa*, sępè enim vtimur voce activa pro pasiva, sicut cum dicimus, voces supponere pro conceptibus, hoc est, supponuntur pro conceptibus. Triplicem tantum hunc sensum potest habere complexio illa *Logica vtens*: his suppositis.

18. Dico primò. Logica docens sunt regulæ, seu dictamina logicalia docentia modum, quo efformandę sint definitiones, divisiones, & argumentationes: in hoc omnes *Doctores* conveniunt, & ex ipsis vocibus constat; *Docens* enim adocendo dicitur.

19 Dico secundò. Hęc complexio, *Logica vtens*, si sumantur in primo sensu, hoc est, in *Nominativo* pro eodem, ac *Logica*

Logica, quæ *vtitur*, solum sunt illi actus proprij Logicæ, in quorum productione vtitur intellectus aliqua ex regulis Logicæ, v. g *hic: divisio est modus sciendi totum in partes distribuens.* Vbi vtitur regulis definitionis, & simul docet modum dividendi: Probatur, hi & similes actus sunt *Logica*, cum sint in materia propriá ipsius Logicæ, aliunde vtuntur regulis Logicæ. Ergo sunt *Logica vtens*, sicut Petrus, qui legit, est Petrus legens. Item de hoc, & similibus actibus verificatur illa complexio, *Logica vtens* in *ablativo*, pro eodem acid, quod vtitur Logica. Probatur: hic actus est definitio: ergo vtitur regulis definitionis: sed regulæ definitionis sunt Logica: ergo talis actus vtitur Logica; sicut faber vtitur cerra.

20. Insuper; si *logica vtens* sumatur in tertio sensu pro eodem, ac *logica vsitata*, talis actus non est logica *vtens*. Probatur: Logica vsitata in illo actu est logica definitiva; sed talis actus non est logica definitiva; sed divisiva: ergo talis actus non est logica vsitata. Et ratio est; quia aliud est; quod exerceatur in aliquo actu aliqua regula, & aliud, quod talis actus sit illa regula exercita, v. g. in scamno exentur regulæ artis fabrilis, scamnum verò non est ipsæ regulæ exercitæ artis fabrilis; ita in illo actu exercentur regulę definitionis, ipse verò non est regulę definitionis exercitæ. & vsitatæ: ergo neque *logica vtens* in tertio sensu.

21. Hanc conclusionem, licet non ita expresse, defendunt Arriaga disp. 3. Logicæ sect. 1. n. 2. Vbi sic ait: *censeo, divisionem hanc esse Solius Logicæ, vnde solum appellarem* Logicam *vtentem ipsam Logicam, dum in actu exercito vtitur definitione, divisione, &c.* & noviter Pater Peinadus tract. 1. Proęmialium disp. 1. sect. 1. n. 5. Pater Olzina n. 358. Citat pro ea quemdam diligentem Schotistam in manuscriptis.

22. Dico tertiò. Contra comunem modum discurrendi: Regulæ Logicales, cum actualiter dirigunt, non sunt Logica vtens in Recto, seu in primo sensu. (Loquor de Regulis in quibus nō exercetur aliqua regula logicalis) Probatur. Licet tales actus sint logica, non sunt vtens: ergo non sunt logica *vtens*. Probatur antecedens; si essent *vtens* vel essent *vtens* alijs regulis, vel essent vtens se ipsis: Sed neque alijs regulis, vt supponitur; neque se ipsis; tum quia nō sunt reflexi; tum quia implicat, aliquid se ipso vti; ergo tales regulæ non sunt *logica vtens*: Nec in secundo sensu, posita scilicet ly *logica in Ablativo* sunt logica vtens Regulæ dirigentes in actu secundo, cum in se ipsis nulla alia regula vtatur. In tertio sensu, cum scilicet *vtens* sumitur passive pro eodem, ac vsitata, regulę dirigentes in actu secundo sunt logica vtens: probatur; quia intellectus in efformandis definitione, divisione, & argumentatione, eis regulis vtitur: ergo illæ vsitatæ sunt: ergo & *logica vtens*, si sumatur ly *vtens* in hac aceptione; hæc locutio admitti debet; quia habet plures Patronos, præcipuè ingeniosos Recentes.

23. Stet ergo, logicam vtentem activè solum dari in materia propria logicæ: Unde logica *vtens* in recto activè non est logica docens in actu secundo, seu regulæ actualiter dirigentes vt cumque, sed logica docens in actu secundo, seu regulæ actualiter dirigentes, in quibus aliqua ex regulis logicę exercetur, logicam vero vtentem passivè esse regulas in actu secundo dirigentes. Ex quo.

24. Inferes primò. Regulas in actu 2. dirigentes esse logicam docentem in actu secundo, solumque distingui á logica docente in actu primo, sicut distinguitur causa in actu secundo â causa in actu primo. Vbi in recto nulla datur distinctio, sed solum in obliquo; quatenus scilicet actus secundus supperaddit applicationem, sicut virtus ignis productiva in actu primo eadem est, ac producens in actu secundo. Sed huic supperadditur approximatio, & hæc est distinctio, quæ relucet inter logicam docentem, & vtentem passivè.

25. Objicies: Hic actus *divisio est modus sciendi totum in partes distribuens*, est effectus logicæ docentis; ergo non est logica *docens*.

26. Resp. Distinguo antecedens; est effectus logicæ docentis definitiuæ, concedo: divisivę; nego. Non repugnat, idem esse causam, & effectum simul respectu diversorum: Vnde talis actus est effectus logicæ definitivę, seu regularum definitionis, & simul est causa divisionum, & regula, dirigens eas, est ergo logica; sed *vtens* respectu regularum definitionis, quas in se exercet; docens respectu divisionum, quas dirigit.

27. Replicas. Talis actus est vsus seu effectus regularum definitionis: ergo non est *vtens* active talibus regulis.

28. Resp. In hac materia vsum passivum cum vtente activè equivocari. Nam cum re ipsa solùm intellectus sit docens, & vtens active, hæ denominationes solùm per applicationem actibus communicantur, illumque dicimus *vtentem*, in quo datur exercitium alicuius regulæ vi intellectus exercentis; cum ergo in illo actu intellectus exerceat regulas definitionis, ipsemet actus dicitur *vtens* eis regulis, & simul abeis regulis productus, & directus.

29. Inferes secundo, logicam docentem ex suo conceptu, nec distingui realiter, nec identificari realiter cum logica vtente activè, sed aliquando identificatur realiter, vt patet in illo actu *diviso est modus sciendi totum in partes distribuens*, & similibus, qui simul sunt logica *vtens* activê, & logica *docens* vt iam probatum manet; aliquando verò realiter distinguitur, vt patet in omnibus regulis, in quibus alia regula non exercetur, v. g. in prima regula docente modum efformandi definitionem, quam nullo modo præcesit logica, vt pote primum dictamen sine logica adquisitum, & in alijs fere omnibus hoc v. g. *si vis dividere, totum in suas partes disseca*: In quo cum, non tradatur, per modum definitionis, divisionis, aut argumentationis, nulla regula logicæ exercetur; ergo solum est logica docens; ergo realiter distinguitur ab vtente activè; quia quæ realiter separantur, realiter distinguntur.

30. Inferes tertio habitus ortos ex actibus, qui simul sunt logica *vtens activè*, & docens, esse habitus logicæ *vtentis, & docentis*; nam ille habitus est propriè logicę *vtentis, & docentis*, qui generatur ex actibus, qui simul sunt logica *vtens, & docens*: sed ita se habet talis habitus ergo.

31. Inferes quartò, habitus adquisitos ex actibus, qui solum sunt logica *docens*, & ad summum logica *vtens* passive, esse habitus logicæ *docentis*, ob eandem rationem.

SVBSECT. I.

AN RELIQVÆ SCIENTIÆ SINT Logica vtens in Recto.

32. AFfirmant Acutissimus Doctor 1. part. disp. 8. cap. 5. Patres Hurtadus, Sancta Cruz, & Oviedo.

33. Negant omnes fere alij Doctores: Primi moventur ad talem denominationem statuendam, aparitate aliarum similium denominationum, quę communiter admittuntur: Sic enim arguunt: Actus externus humilitatis est humilitas, quia dirigitur ab actu inter-

no, qui humilitas eſt; item actus directus á prudentia dicitur prudentia in recto. *Denique* voluntas dicitur ratio, quia dirigitur per rationem: ergo cum actus aliarum ſcientiarum a logica dirigantur, logica *vtens* poterunt apellari. Moventur ſecundi ad tamen denominationem negandum etiam aparitate aliarum denominationum, quæ communiter non accipiuntur; ſic enim arguunt: Spes, & charitas diriguntur á fide, & neque charitas, nec ſpes dicuntur fides; item diſcipulus á Magiſtro dirigitur, & non dicitur Magiſter: Ergo etiam ſi actus aliarum ſcientiarum dirigantur á logica, non ideo vocandi ſunt logica. His ergo pro vtraque ſententia exemplis inventis ad invicem dicertatur, & certè mihi Authores legenti riſum movet modus reſpondendi eorum.

34. Nam qui affirmativam ſententiam tuentur, dum illis obijcitur, quod actus charitatis, & ſpei diriguntur á fide, & non dicuntur *fides*: ergo etiam ſi actus aliarum ſcientiarum diriguntur á logica non dicentur logica. Reſpondent ab vna denominatione non valere argumentum ad alia. Qui vero negativam tenent, dum illis objicitur, quod actus directi á prudentia, & humilitate dicuntur *prudentia*, & *humilitas* in recto; ergo & actus directi á logica *logica* dicentur in recto. Similiter reſpondent ab vna denominatione non valere argumentum ad aliam: en in alios tela emittunt, quæ in ipſos contorta examinare tenentur.

35. Stet ergo ab vna denominatione ad aliam, argumentum, nec paritatem valere; ſic lapis dicitur á lædendo Pede, & non omne quod lædit pedem, lapis dicitur. Denominationes ergo á communi vſum Doctorum deſumendæ ſunt. Cum autem inpręſenti denominatione logicę *vtentis* ad alias ſcientias applicata dentur pro parte affirmativa, & negativa graves *Doctores*, vtraque poterit admitti, maximè cum Patres Vaſquez, & Oviedus non affirment, ali s ſcientias eſſe logicas, ſed ſolum per logicam vtentem volunt ſignificare, actus aliarum ſcientiarum eſſe directus á logica.

36. Sed ego meliùs loquor cum negantibus; ideoque dico; reliquas ſcientias ſolùm eſſe logica vtentes, ly *logica* in Ablativo, non vero logicam vtentem in recto. Probatur ex Arriaga: Omnia membra dividentia debent participare rationem diviſi; ſic, quia animal dividitur in *hominem*, & *brutum*; tam *homo*, quam *brutum* participant rationem animalis, ita vt verum ſit dicere, *homo eſt animal*: *brutum eſt animal*: Sed logica dividitur in *docentem*, & *vtentem*: ergo quæ fuerit *logica vtens* debet eſſe logica; ſed Reliquę ſcientiæ non ſunt logica: ergo nec logica vtens.

37. Confirmatur. Malè divideret aliquis animal hoc modo, animal, *aliud leo, aliud equus, aliud qui vtitur equo*, ergo male dividitur logica in *Docentem, vtentem*, & in *ſcientias*, quæ *logica* vtuntur: Sed iuxta Vaſquez, & Oviedum ly *logica vtens*, quod reliquis ſcientijs applicatur, ſolúm ſignificat hoc, quod eſt vti præceptis logicę: ergo male dividitur logica in logica vtentem ita.

38. Item non minus diriguntur reliquæ ſcientiæ á logica vtente, quam á logica docente, cum iuxta plures ex Adverſarijs logica *docens*, & *vtens* realiter identificentur; ſed non dicuntur logicæ docente, cur ergo logicæ vtentes dicentur? Et directio ſufficiens ad ſecundam denominationem logicæ *vtentis*, ad primam *logicæ docentis* ſufficiens non erit?

39. Ad exempla, & denominationes, quibus moventur Adverſarij, reſpōdetur primo, actus externos humilitatis, & prudentiæ, non dici *humilitatem*, & *prudentiam* ſubſtantive, ſed ſolum adiective, hoc eſt, actus *humiles*, & *prudentiales*. Item ſolúm eſſe *humilitatem*, & *prudentiam* obiective, hoc eſt, obiectum humilitatis, & prudentiæ formalium. Vel eſſe *humilitatem*, & *prudentiam* in obliquo, hoc eſt exercitium *humilitatis*, & *prudentiæ*. Ita ſimiliter actus aliarum ſcientiarum poterunt adiective logicales appellari, vel obiective, vel in obliquo *logicæ*. Hoc eſt, eſſe actus directos â logica, obiectum ipſius ſaltem quoad formam, & exercitium ſuæ virtutis, & directionis.

40. Reſpondeo ſecundo, ideo actus externos humilitatis *humilitatem* appellari, quia licet, fiat á potentia executiva, totus quantus eſt provenit ab humilitate interna. Idem dico de prudentia: at vero actus aliarum ſcientiarum, toti quanti ſunt non proveniunt á logica, ſed principaliſsimè á proprijs ſcientijs, in quarum materia efformantur; vnde præcipua pars, cuius eſt materia, illos denominat, non verò logica.

41. Reſp. tertio facilius, admittendo denominationes poſitas, & negando hanc; quia argumentum denominationum nullum eſt; ideoque ab illo in noſtris probationibus abſtinui.

42. Obj. primò Sanctum Auguſtinum, Chriſtum Dominum, & Divum Paulum dialecticos appellare; quia viì fuerunt dialectica: ergo & ſcientiæ, quæ logica vtuntur, logica dicentur.

43. Reſp. Chriſtum Dominum, & Apoſtolum non vocari á Divo Auguſtino *logicam* aut *Dialecticam* in recto, & ſubſtantive, ſed *logicos*, & *dialecticos* adiective, & in obliquo, hoc eſt, vtentes logica. Ita ergo actus aliarum ſcientiarum *logice* adiectivè, & in obliquo, hoc eſt *vtentes logica*, apellari poterunt.

44. Obj. 2. ex repititione Syllogiſmorum in quacumque facultate intenditur habitus logicalis: Sed habitus logicalis non intenditur niſi per proprios actus logicales: Ergo Syllogiſmi, ſeu actus cuiuſcumque facultatis erunt actus logici, ſeu logica actualis.

45. Reſp. concedo maiorem, minorem, & nego conſequentiam quoad ſecundam partem; & diſtinguo conſequens, quoad primam: Ergo ſyllogiſmi, ſeu actus cuiuſque facultatis erunt logici, quoad formam, concedo: Quoad materiam, nego. Scias, in logica dari regulas actuales dirigentes, & actus directos á talibus regulis, v. g. definitiones, diviſiones, & argumentationes, vnde datur duplex habitus, vnus ex repetitione regularum genitus, & alius ex repetitione actuum regulatorum: Primus habitus dicitur *logica habitualis*; ſecundus habitus dicitur *habitus logicalis*, primus ſolùm dicitur *logica*, quia ex logica actuali, regulis nempe gignitur. Secundus dicitur *logica* tantum denominative, quia non gignitur á logica, ſed ab effectu logicæ, definitione nempe, diviſione, & argumentatione, & hoc etiam in materia propria logicæ evenit: Hinc

46. Certum eſt. Ex repetitione ſyllogiſmorum in quacumq; materia vtrumque habitum intendi, & logicam habitualem, & habitum logicalem. Intenditur logica habitualis; quia cum, vt fiat ſyllogiſmus in quacumque materia, debent concurrere regulę dirigentes formæ ſyllogiſticæ, ex repetitione talium regularum habitus ille intenditur; etiam intenditur habitus logicalis, non ratione materiæ, quæ ad alias facultates pertinet, ſed ratione formæ, quę ad *logicam* attinet: Vnde tales actus logici poſſunt appellari ex vi formę, ſed non ideo appellari poterunt *logica habitualis*, aut *actualis*, ſicut actus intellectus dicuntur *intellectuales* non verò *intellectus actualis*.

47. Obj. tertio ideo definio, diviſio in materia propria logicæ ſunt logica *vtens* in recto; quia vtutur regulis logi-

logicæ: Sed etiam actus aliarum scientiarum vtuntur regulis logicę; ergo.

48. Resp. Nego maiorem, tales enim actus dicuntur *vtens*, quia vtuntur regulis logicæ, & in hoc cum alijs scientiarum actibus, qui etiam vtuntur eisdem regulis, conveniunt, sed non dicuntur *logica*, quia vtuntur regulis, sed quia aliàs ipsi actus regulæ sunt logicæ, quod non habent actus aliarum scientiarum; ideoque licet dicantur *vtentes logica* in Ablativo, non tamen *logica vtens* in Nominativo.

SVBSEC. II.

AN LOGICA SIT VTENS *secundum omnes suas partes?*

49. A Nemine dubitatur, logicam esse docentem secundum omnes suas partes, Analiticam, Topicam, & Sophisticam, circa logicam vtentem est tota controversia. Negant comuniter Thomistæ Complutenses disp. 1. procœmial. quæst. 4. n. 38. Item Patres Fonseca, Telles, Conimbricenses, Linze tract. 2. cap. 1. n. 6. asserentes, solùm in parte topica dari logicam vtentem. Affirmant Melius communiter Doctores Ponc. & ex Thomistis Ioannes à Sancto Thoma quæst. 1. logicę art. 1.

50. Probatur primo de loga vtente passivè. Ideo in parte Topica vsitatur logica, seu datur logica vtens; quia syllogismus in materia probabili est iuxta regulas logicæ: Sed quicumque syllogismus in materia evidenti, & in ordine ad vitanda sophismata etiam est iuxta regulas logicæ; quia orta controversia in bonitate illationis, statim fit recursus ad regulas logicæ: ergo etiam in parte Analitica, & Sophistica erit logica vtens.

51. Probatur secundò de logica vtente activè. Regulæ, quas logica præbet ad efformandas demonstrationes, & evitanda sophismata, possunt cum artificio logicali, hoc est, exercendo in eis aliquam ex Regulis logicę, disponi: ergo illæ erunt logica vtens activè. Probatur antecedens: hic actus est in materia demonstrativa, & simul Regula divisionis. *Divisio est modus sciendi totum in partes distribuens*; hęc etiam est regula pro evitando Sophismate: *Omnis syllogismus fallax vitandus est, sed syllogismus constans propositionibus æquivocis est fallax, ergo vitandus est*: Sed tales Regulę cum artificio logicali dispositæ sunt; prima namque est definitio, & secunda argumentatio: ergo.

52. Objic. 1. Angelicum Præcept. 5. metaphysicę dicentem, in parte logica, quæ dicitur demonstrativa, solùm doctrina pertinet ad logicam, vsus verò ad Philosophiam, & ad alias scientias in particulari, quæ sunt de rebus naturę: ergo in parte analitica solùm datur logica docens, non verò vtens.

53 Respondetur. Angelicum Doctorem pro nobis stare opusc. 70. quæst. 6. art. 1. teste Ioanne á Sancto Thoma: in loco allegato Angelicus Doctor tantum tenet, doctrinam, seu hoc quod est esse logicam docentem, solùm pertinere ad logicam, non verò Ad alias scientias, ad quas solùm attinet vsus, seu effectus talis doctrinæ; Nullatenus tamen loquitur de logica vtente.

54. Objic. 2. Vsus logicæ in parte Analitica, vel esset in propria, vel in aliena materia; sed nec impropria, nec in aliena materia esse potest; ergo nequit dari vsus logicæ, seu logica *vtens* passive in parte Analitica. Probatur minor quoad primam partem; quia si demonstratio esset in propria materia, vsus non distingueretur à regula, quę etiam est demonstratio. Probatur secundo, quia logica exercens demonstrationem in ma-

materia propria, non diceretur concreta rebus: ergo nec *vtens*. Probatur prima minor quoad secundam partem primò. Si logica efficeret demonstrationem aliarum scientiarum, sola logica esset scientia, quod absonat. Probatur secundo. Omnis scientia per se ipsam elicit demonstrationem in materia propria: ergo non per logicam.

55. Retorq. Ergo neque logica efficiet syllogismos probabiles aliarum scientiarum; aliás neque illę scientiæ suos syllogismos probabiles efficient, nec cum in materia propria illos elicit, dicitur *vtens*, cum non sit concreta rebus, hoc est, actibus aliarum scientiarum.

56. Respondetur, tam in propria, quam in aliena materia logicam demõstrationes dirigire, & efformare: vnde nego minorem quoad primam, & secundam partem; ad primam primæ partis probationem dic, quod etiam si regula sit demonstratio, non inde sequitur, nõ distingui á demonstratione directa, & regulata, sicut licet Petrus cum Paulo in ratione hominis conveniat, Petrus Pauli filius ab eo producitur, & distinguitur. Ad tertiam respondetur, quod cum regulæ logicales exercentur in aliquo actu, sive proprio, sive alieno, concretæ rebus dicuntur, hoc est, actualiter dirigentes.

97. Ad primam secundæ partis probationem respondetur; reliquas sciẽtias ministrare scientificè materiam, logicam verò dirigere scientificè artificium, vnde tam logica, quam reliquę scientię, scientię possunt appellari. Ad secundam respondetur, scientias per se ipsas suas demonstrationes elicere, sed adiutas lcgicæ directione; Nam licet eas possint sine logica elicere, difficillimê tamen, vt postea videbimus.

58. Objic. 3. Ille syllogismus: *Omnis syllogismus fallax, &c.* potius in nostra probatione pro parte Sophistica est demostratio: ergo non pertinet ad partem Sophisticam, sed analiticam.

59. Resp. Concedo antecedẽs, & nego consequentiam: scias, quod logica, dum agit de syllogismo probabili, & fallaci, demonstrativè procedit: Vnde nõ dicitur topica, & sophistica, ex modo tendendi, aut quia in aliquibus probabiliter, in alijs verò sophisticè segerat sed ex obiecto, & materia, circa quam, actus scilicet probabiles, & sophismata, quæ detegit, aliás logica quoad omnes suas partes scientia non esset si probabiliter, & sophisticê procederet. Sicut enim supra rem falsam cadit discursus verus, supra ens rationis cognitio realis, ita supra materiam probabilem, & fallacem demonstrationes evidentes logicæ cadunt. Præterea ex argumento infertur, nec in parte topica esse logicam vtentem; quia etiam in ea parte demonstrativè procedit.

60. Objic. 4. Logica in parte sophisticá non habet vsum: ergo nec in parte sophistica est vtens; probatur antecedẽs: vsus partis sophisticæ est fallacia, sed hanc non habet logica, vtpotè scientia: ergo.

61. Resp. Nego antecedens: ad probationem, distinguo antecedens; est fallacia detecta, vt fugiatur, vel imitata, vt detegatur alia similis; concedo: exercita vt amplectatur; nego. Solutio patet ex dictis; ex hoc etiam infertur, logicam in in parte sophistica, non habere doctrinam, quia si vsus partis sophisticæ, est fallacia exercita, aut fallacias exercere, ita doctrina eius erit fallacias docere; nam id exercetur, quod docetur hoc repugnat scientiæ: ergo & illud.

SECT. III.

VTRVM LOGICA SIT ARS?

62. HÆc quęstio purè denomine dependet á significatione huius vocis *ars*. Artem in communi, præscindētem á mœcanica,& liberali,definiunt Aristoteles, & Sanctus Thomas sic: *Est habitus cum ratione operativus*: est duplex *actualis*, quę est actus cum ratione operativus,& *habitualis*,quæ est ea, quam definijt Sanctus Thomas. Vtraque tam actualis, quam habitualis dividitur in mœcanicam, & liberalem. Ars mecanica est,quæ comparatur lucri gratia, cuius præcipuæ species hoc carmine continentur.

Rus,nemus,Arma, Rates, vulnera, lana,faber
Ideſt,agricultura, Venatio, ars militaris,Nautica,
Medicina,seu Chirurgia, Textoria, &fabrilis.

63. Ars liberalis, seu ingenua est, quæ ad animę Ornatum,levamentumque adquiritur,non lucri gratia: si tamen ad lucrum ab aliquibus applicetur,hoc erit accidentaliter; eius species notiores audi:

Lingua,Tropus,Ratio,Numerus,Tonus,Angulus,Astra,
Ideſt,Grammatica,Rethorica,Logica,Aritmethica,
Musica,Geometrica, & Astrologia.

64. Etiam dividitur *ars* in *activam* & *effectivam*; Activa seu immanenter operans est, quæ versatur circa actus internos intellectus,& voluntatis,etiam extenditur ad actus potentiæ elocutivæ externæ,etiam si non sint operationes immanentes, hæc semper est ars liberalis *effectiva*,seu transeunter operativa est, quæ versatur circa materiam externam,vt fabrilis,& ferraria, & hęc sæpé Mæcanica dicitur.

65. Primá sententia negat,logicam esse artem,ita Patres Ualencia.Tanner. & alij.

66. Secunda sententia affirmat. Ita fere omnes Doctores: Vide plures apud Patrem Olzina n. 391.

67. Probatur primo affirmativa sententia, authoritate Sancti Thomæ, qui opusc. 70. quęst. 5. art. 1. ad tertiam, *logicam rationalem artem* appellat, & 4. posteri lib. 1. *artem artium*; item non parum authoritatis habet, quod ponatur logica inter artes liberales in carmine illo, in quo hę continentur. In super iuxta Aristotelem ars sumitur pro omni habitu practico, sed logica, saltim partialiter, est habitus practicus: ergo, & ars. Denique ars ab omnibus fere definitur habitus, cum ratione operativus: sed logica est habitus cum ratione operativus,saltim partialiter:ergo & ars.

68. Dixi partialiter;quia vt postea videbimus:Habitus logicalis,seu logica non est adequatè practica;vnde & consequenter non erit adæquatè ars, quod notare licet ex hinc, ne illic in consequentiæ aguamur.

69. Objic.1.Sanctum Thomam,& Aristotelem definivisse sic; *est habitus operativus in materia externa permanenti*:Sed materia logicæ neque est externa,neque permanens, cum sit actus intellectus:ergo.

70. Respondetur loco citato locutū fuisse Divum Thomam, & Aristotelem,de arte macanica nobis notiori, applicantesque vocem genericam artis speciei minus nobili, sicut communiter, vox generica, *animalis* speciei minus nobili,nempe *bruto* tribuitur, non verò *homine*.Insuper si ad rationem artis requireretur hæc permanentia in materia, certum esset, logicam non esse artem,cum eius materia sit actus internus transiens; sed ex hoc etiam inferretur, nec musicam,nec grammaticam esse artes;quia earum materia,licet sit externa, voces scilicet,non tamen est permanens, &in hoc sensu tantum Negat Pater Arriaga logicam esse artem.

71. Objic.2. Aristotelem sæpè dixisse non dari artem, nisi de his quæ nequeunt naturaliter fieri: sed actus logicales naturaliter fiunt:ergo logica circa eos non est ars.

72. Respondetur,Aristotelem tantum intendisse,non dari artem circa ea, quæ naturaliter eodem modo fiunt, ac fierent,si daretur ars:v.g. de visu,auditu,olphactu, &c. aliás nulla esset ars; nulla enim tam necessaria est ad opus, vt sine illa nequeat opus naturaliter fieri.

73. Objic.3. Prudentia non est ars licet sit recta ratio agendorum: ergo licet logica sit etiam recta ratio agendorum,non erit ars.

74. Respondentur, prudentiam nullum artificium conferre operibus virtuosis; sed dirigit tantum actus, vt rectæ rationi, & methodo conformentur,vnde moralitatem accipiant. Logica vero opus artificiosum dirigit, vnde artis nomen accipit.

SECTIO. IV.

VTRVM LOGICA SIT scientia?

75. SCias primò. Scientiam latissimè accipi, pro quacumque cognitione, sic Philosophus primo metaph.cap.1. ait:*Omnes homines naturaliter scire desiderant*, hoc est,*cognoscere*. Secundo pro cognitione certa,etiā si sit de fide obscura. Sic Sanctus Iob dicebat:*Scio quod Redemptor meus vivit*; hoc est,*cognosco ex fide*. Tertio strictissimè,pro cognitione solūm *speculativa*,& sic intelligendus est Philosophus, cum excludit omnem artem á ratione scientia.Quartò pro quacumque cognitione evidenti: Sic cognitio Divina dicitur scientia.Quintò pro cognitione adquisita per demonstrationem, quæ sit certa,vera,& evidens. Vnde licet fides sit certa,& vera,non est scientia; quia non est evidens;opinio licet re ipsa esset vera,non est scientia; quia non est certa de scientia ergo in hac vltima acceptatione loquimur.

76. Hæc, si sit habitualis, est habitus adquisitus per demonstrationem, constant ex Aristotele 1. Poster. cap. 2. Si verò sit actualis(quæ proprié sciētia est, nam habitualis,cum non sit cognitio,tantum dicitur scientia causativè; quatenus gignitur á scientiá, & eam producit) est cognitio evidens per demonstrationem adquisitá.

77. Hoc supposito, prima sentētia negat, logicam esse scientiam; ita Sarabela disp. 27. sect. 5. lib. 1. Spinula disp. 1. logicæ sect. 6. n.88. Dandin. Pereyra, & Smiglesius disp. 2. logicæ sect.5.

78. Secunda sententia affirmat: Ita Thomisth cum Sancto Thoma, Schotistæ, cum Schoto; & omnes ferè Iesuitæ cum eximio Doctore disp. 1. metaphic. sect. 4. Patres Hurtado Sancta Cruz, Arriaga, Lince, Oviedo, Quiros, Peynad. tract. 1. proemial. disp. 1. sect. 2. n. 22.Item Olsita scientia rationali n. 308. P.Maur. Suar. Lusi,& P. Olea. d.51. n. 10.

79. Dico: Logica est absolutè scientia quoad omnes suas partes, Analiticam, Topicam,& Sophisticam.Probatur primo vniversaliter. Ea facultas est scientia, quæ habet notitias certas circa

circa suum obiectum per demonstrationes adquisitas: Sed ita se habet logica quoad omnes suas partes: Ergo quoad omnes suas partes est absolutè scientia, maior est definitio scientiæ, minor probatur; nam in parte Analitica probat evidenter demonstrationem generare scientiam.. In parte Topica ex probabilibus benè dispositis generari opinionem: In parte Sophistica ex Argumentatione Sophistica propositionibus equivocis constanti generari errorem: Ergo ita se habet logica quoad omnes suas partes, vt habeat notitias certas per demonstrationem adquisitas.

80. Probatur prima minor in particulari de parte Analitica. Hę sunt notitiæ, quæ ad partem Analiticam pertinent: *Definitio est clarior suo definitio: omnis divisio latiùs patet quolibet membro dividente, & aquè omnibus*, adquisitæ fuerunt per demonstrationes; prima per hanc. *Omnis explicatio est clarior termino explicato: Sed omnis definitio est explicatio definiti:* Ergo *omnis definitio est clarior termino definito.* Secunda per hanc: *omne totum est maius*, seu *latiùs patet sua parte, & aquale seu æquê omnibus simul sumptis; sed omne divisum est totum, & membra dividentia sunt partes:* Ergo *omne divisum latiùs patet quolibet membro dividente, & aquê omnibus:* Ergo logica in parte analitica habet notitias certas, & evidentes circa sua obiecta adquisitas per demonstrationem.

81. Probatur eadem minor de parte topica, & simul de Sophistica: Cognitio respiciens errores, & opiniones, si eas respiciat modo scientifico, & demonstrativo, nec est error, nec opinio, sed scientia: Ergo licet logica topica, & sophistica opiniones, & errores respiciat, erit scientia, si circa illos demonstrativè procedat: Sed demonstrativè procedit: Ergo est scientia. Maior patet pluribus exemplis: Primo: cognitiones Divinę terminatę ad opiniones, & errores creatos sunt scientiæ. Secundo: hæc cognitio: *Logica est scientia: Est probabilis*, & hęc: *Probabile est logicā esse scientiam*: est certa, licet verificetur circa rem probabilem. Tertio: hęc propositio: *Non est Deus:* Quam dixit insipiens in corde suo, est error blasphemus, & hæc supra ipsam reflectens: *Blasphemum est dicere; non esse Deum*; est certa, & Catholica propositio. Et ratio apriori est; quia non omne, quod relucet in obiecto, refunditur in actum; sic cognitio obiecti materialis non est materialis. Visio hominis mortui non est mortua; nec auditio musicę est musica; quia hęc habent actus ex sua peculiari tendentia: Ergo nec cognitio opinionis, & erroris, erit necessariò opinio, & error. cùm ex modo tendendi scientificè procedat. Quod autem ita procedat logica manet iam probatum: Et

82. Vlterius declaratur: Hæc est demonstratio logicæ Topicæ: *Conclusio deducta ex præmissis merè probabilibus opinionem solummodò generat in intellectu; sed conclusio topica deducitur ex præmissis merè probabilibus:* Ergo *generat opinionem.* Hæc est demonstratio logicæ sophisticæ. *Omnis syllogismus constans quatuor terminis, & si videatur habere tres tantùm, est sophisticus: sed syllogismus constans termino aliquo æquivoco, constat quatuor terminis, licet videatur constare tribus tantùm: Ergo est sophisticus.* En demonstrationes, ex quibus logica topica, & sophistica inferunt sua principia, scilicet ex probabilibus solûm sequi probabile, & ex erroneis errorem: Ergo logica vtraque modo demonstrativo procedit circa piniones, & errores.

83. Probatur minor prima in particulari de Sophistica: in eodem principio fundatur veritas alicuius actus, falsitas oppositi, & simul veritas actus reflectentis supra falsitatem, asserentisque falsitatem esse; v. g. in eadem existentia Dei fundatur veritas huius actus: *Deus est:*

est: falsitas oppositi: *Deus non est* & veritas actus reflectentis supra secundam propositionem, dicendo falsum est dicere, *Deum non esse*: ergo in eodem principio, in quo fundatur logica Analitica, logica sophistica fundatur. Nam Analica prosequitur directivè veritatem, & sophistica demonstrat, quod quidquid opponitur veritati, est falsum; v.g. Analitica docet, syllogismum tribus tantum terminis rectè dispositis constantem esse rectum; quia fundatur in illo principio, quę sunt *eadem vni tertio, sunt idem inter se*: sophistica verò docet, syllogismum non constantem tribus tantum terminis, sed pluribus, non esse rectum; quia scilicet non fundatur in illo principio, *quæ sunt eadem vni tertio, &c.* ergo logica quoad omnes suas partes scientiæ nomen adipiscitur.

SVBSECTIO UNICA.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

84. OBjic. 1. Aristotelem secundo metaphysicę cap. 3. dicentem, *absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi*: sed logica est modus sciendi : ergo non est scientia. Etiam primo Rethor. cap 4. ait: *Logica est facultas, non scientia*; item in eodem loco asserit, *Rethoricam esse partem logicæ*: sed Rethorica non est scientia: ergo neque logica.

85. Respondetur ad primam Philosophi Authoritatem cum Ex. Doctore disp. 1. metaphys. sect. 2. n. 29. Aristotelem solûm dixisse, absurdum esse velle logicam discere simul cum alijs sciētijs, sed priùs lagicam discendam esse, postea verò reliquas scientias. Nam cum plura simul intenduntur, nil sæpe consequitur. Ad secundam Authoritatem dic, locutum fuisse, de scientia strictissimè provt convertitur cum speculatione, non verò de scientia pręscidente á practica, & speculativa. Ad tertiam respondetur; rethoricam esse partem logicæ impropriè, quatenus scilicet attingit idem obiectum, nempe loca Topica, sed diverso modo, ornando scilicet; logica verò demonstrando.

86. Obj. 2. modus loquendi non est locutio, nec modus canendi est cantus: Ergo nec modus sciendi erit scientia.

87. Respondetur. Transeat antecedens, & nego consequentiam; nam si modus loquendi non est locutio, nec modus canendi est cantus, erit, quia nec modo loquendi competit *esse sonum ore animalis prolatum*, quæ est locutionis definitio; nec modus canendi est *consonantia, & melodia artificialis*, quæ est definitio cantus: Ast modus sciendi est *habitus adquisitus per demonstrationem*, quæ est definitio scientię, ac proinde est scientia.

88. Objic. 3. Omnis scientia debet habere propria principia, quibus probet suas conclusiones; sed principia, quibus logica eas probat ad metaphysicam, & non ad logicam pertinent, scilicet quodlibet est vel non est. Totum est maius sua parte, &c ergo.

89. Resp. primò. Logicam habere propria, & peculiaria principia, vt videre est in nostris probationibus.

90. Resp. secundò, illa principia nō esse metaphysicæ, sed communia ad omnes facultates, & cum logicę deserviunt fiunt propria ipsius logicę.

91. Resp. tertiò. Ex argumento solúm inferri, logicam esse scientiam subalternatam metaphysicæ; non verò non esse scientiam, sicut etiam si Reliquæ scientiæ logica indigeant, scientiæ tamen nomen sibi retinent.

92. Objic. 4. Logica est instrumentum

mentum ad alias ſcientias; ergo non eſt ſcientia ; quia inſtrumentum non eſt eiuſdem denominationis , & rationis cum re,cuius eſt inſtrumentum.

93. Reſp. primò. Inſtrumentum poſſe eſſe eiuſdem denominationis,& rationis cum re, cuius eſt inſtrumentum; ſic ferrum ferro; & Maleus Maleo conficitur,clavus clavo truditur , & Adamas Adamante pollitur.

94. Reſp.ſecundò. Logicam non eſſe eiuſdem nominis , & rationis cum alijs ſcientijs , niſi ſolum genericè ; hoc eſt,eſt ſcientia, ſicut illæ, non vero eſt phyſica,Metaphyſica,& ſic accidens eſt inſtrumentum ſubſtantię , & cum illa convenit in ratione entis , productivi, &c.

95. Reſp.tertiò. Logicam propriè loquendo non eſſe inſtrumentum ſciẽtiarum, ſed ſolius intellectus , cum quo nec in nomine convenit.

96. Objic.5.Nulla ſcientia agit de ſingularibus,quia impoſsibile eſt habere notitiam evidentem de ſigularibus;ſed logica agit de ſingularibus,cum ſit practica , & ſolum ſingularia poſſunt eſſe praxis: Ergo logica non eſt ſcientia.

97. Maior argumenti eſt abſolutè falſa ; nam Teſte Sancto Thoma 3.p. quęſt.9.& Arriaga.Sciẽtia infuſa Chriſti Domini fuit de ſingularibus; Theologia eſt ſcientia de Deo ſingulari ;cognitio, qua Deus ſe,& omnes creaturas cognoſcit,eſt ſcientia de ſingularibus:Syllogiſmuſq;expoſitorius eſt ſcientia de ſingulari. Sed ea admiſſa;diſtinguo minorem, logica agit de ſingularibus, reduplicativè;nego: Specificativè , concedo : hoc eſt, non reſpicit ſingularia vt talia; ſi quidem non confert regulas ſpeciales pro hac,vel illa ſingulari definitione,& diviſiones,&c.Sed reſpicit ea ſpecificativè,vt conveniunt in ratione definitionis,diviſionis, & argumentationis, pro quo regulas tribuit.

98. Oppones ſextò. Regula logicalis non eſt per demonſtrationem adquiſita;ergo non eſt ſcientia : probatur antecedens : Regula eſt prima demonſtratio;cum ſit prima regula demonſtrationum :ergo ante ipſam alia demonſtratio,per quam ipſa adquiratur,non præceſſit;alias non eſſet prima.

99. Reſp.Nego antecedens;ad probationem dic,regulam non eſſe primam demonſtrationem,licet ſit prima regula demonſtrationum artificialium ; nam ante ipſam primam regulam demonſtrationes naturales plures præceſſere, ex quibus diutina experientia recognitis prima regula , & demoſtratio deducta fuit ad omnes demonſtrationes artificiales dirigendas.

100. Objic. 7. Obiectum ſcientiæ debet eſſe determinatum:Sed obiectum logicæ non eſt determinatum , cum ſit omne ens definibile,diviſibile, & argumentabile:ergo.

101. Reſp. Diſtinguo maiorem; obiectum materiale neceſſario ; nego maiorem: obiectum formale ; concedo maiorem : Obiectum formale logicæ, á quo ipſa ſcientia ſpecificatur,eſt determinatum,nempè dirigibilitas,vel ſpeculabilitas in modum ſciendi,quidquid ſit de obiecto materiale.

102. Objic.8.Ratio artis, & ratio practici non compatiuntur cum ratione ſcientię in eadem facultate , ſed logica eſt ars,& practica : ergo non eſt ſcientia:probatur maior quoad primam partem Ariſtoteles 6.Ethicorum cap.2. habitum ſcientiæ diviſit in ſcientiam Sapientiam,prudentiam,& Artem:tunc ſic:Vnum membrum dividens non includitur in alio:Sed *ars* & ſcientia ſunt membra dividentia reſpectu habitus: ergo *ars* non includit *ſcientiam*.

103. Probatur quoad ſecundam partem;ſcientia vt ſcientia reſpicit cognoſcibile vt cognoſcibile;ſed ratio pracxis non reſpicit cognoſcibile vt cognoſcibile , ſed operabile : ergo non eſt ſcien-

tia. Probatur ſecundò, aliás nulla eſſet ratio,cur Iuriſprudentia, Medicina,Grammatica,& omnes Artes Mecanicæ non eſſent ſciencia.

104. Reſp. Nego maiorem quoad vtramque partem: ad probationem primæ partis reſpondetur , rationem artis ex ſe neque dicere,neque excludere rationem ſcientię. Vnde diviſio illa Ariſtotelis iuxta interpretationem Angelici Doct.1.2. quæſt.57.art.2. ad primum; eſt ſicut diviſio vitę in vegetativum, ſenſitivum,& rationale;vnde ſicut eadem vita in homine eſt ſimul *vegetativa* & rationalis ; quia illi conceptus ex ſe non opponuntur , nec excluduntur,ita idem habitus erit ſimul *ars*, & *ſcientia*, cum ex ſe non opponuntur ; idem enim habitus(ait Sanctus Thomas) poſſet habere duas rationes formales ſpecificas, vt patet in metaphyſica , quæ eſt ſimul ſcientia,& ſapientia ; habitus enim animæ ita bene dividitur in artem tantum, & ſapientiam tantum , quę differentiæ ratione tanteitatis excluduntur.

105. Ad primam probationem. Secundæ partis diſtinguo maiorem; ſcientia reſpicit cognoſcibile , ſcientia ſpeculativa;concedo : ſcientia practica; nego:vtraque ſcientia ſub ratione ſcientię reſpicit evidenter cognoſcibile , ſed ſpeculativa vt cognoſcibile ſiſtendo in eius contemplatione;practica,vt operabile,ad eius directionem progrediens.

106. Ad ſecundam probationem dic , quod ſi illæ facultates nitantur principijs certis , & evidentibus, ſicut logica,erunt ſcientia,cum illis definitio ſcientiæ conveniat.Ita Arriaga, & Sãcta Cruz n.1223. Sed falſum eſt talibus principijs niti;nam Iuriſprudentia nititur authoritati, & voluntati Legiſlatorum:Medicina doctrinæ Galeni & Medicorum. Reliquæ artes Magiſtrorum dictis & experientijs; quin in eis dentur aliquæ demonſtrationes per ſe ſuorum obiectorum,& licet aliquę reperiantur, hę non pertinent ad facultates illas, ſed ad vim intellectivam , quę in quacumque materia diſcurrere ſolet.

107. Objic.Nonò:obiectum ſcientię debet eſſe neceſſarium, æternum , & indefectibile , aliás ſcientia non eſſet Æterna,neceſſaria,& indefectibilis:Sed obiectum logicę nullo ex his prędicatis gaudet,cum ſint actus intellectus, contingentes,et defectibiles:ergo.

108. Confirmatur authoritate Ariſtotelis primo Poſter.cap. 7. dicentis;ſcientiam debere eſſe de rebus neceſſarijs,et æternis;ſic Spinula.

109. Retorqueo in eum; Ergo nec in logica datur vlla demonſtratio,quod patet: Per vos demonſtratio,ſicut ſcientia eſt infallibilis: Ergo requirit obiectum æternum, & infallibile, quod per te non datur in logica : Ergo nec vlla demonſtratio ; quod te evidenter convincit.

110. Reſp. 1. Nego maiorem;nam in Deo datur ſcientia viſionis de creaturis vt exiſtentibus, quæ vt tales contingentes ſunt; & ratio eſt ; quia id, de quo datur demonſtratio, datur ſcientia. Sed de contingenti vt tali , ſcilicet de xiſtente creato datur demonſtratio;demonſtratur namque de illo non eſſe ab eterno, eſſe contingens, dependens, & c. Ergo.

111. Item ex argumento ſequitur, ſolum dari ſcientiam de Deo , de quo ſolûm verificantur illæ conditiones, vel adminus , metaphyſicam tantum eſſe ſcientiam, vt pote quæ ſola agit de eſſentijs rerum ſecundum eſſe quidditativum, in quo ſolum dicuntur indefectibiles,æternæ, & c.

112. Reſpondet.2. Diſtinguo maiorem, debet eſſe neceſſarium , in eſſendo; concedo: In exiſtendo; nego. In obiecto logicæ duplex reſpectus poteſt conſiderari , exiſtentia , ſeu productio actualis , & eſſentia , ſeu conexio prædicatorum eſſentialium ; exiſtentia , & pro-

productio est contingens, defectibilis, &c. Connexio prędicatorum essentialium est æterna, indefectibilis, &c. Vnde sive existat, sive non existat, producatur, vel non, definitio semper explicat essentiam rei, & verificat illam regulam logicalem. Definitio explicat essentiam rei, quæ non requirit actualem productionem definitionis, sed solúm, quod si producatur aliqua, ita debeat esse, vt essentiã rei explicet, & hæc solum æternitas, & indefectibilitas requiritur in obiecto scientiæ indefectibilis.

113. Replicas primo. Obiectum logicæ, definitio v.g. potest bene vel male fieri: Ergo quoad rectitudinem, & quoad esse est contingens.

114. Respondeo, nego antecedens; obiectum enim logicæ non est quęvis definitio, sed illa quæ regulis logicę fuerit conformis, quæ quidem incapax est erroris; intellectus ergo bene potest, vel male procedere in suis actibus, eliciens scilicet definitionem irrectam, quęeo ipso, neque est obiectum logicæ, neque definitio; vel definitionem rectam, quæ definitio verè esset obiectum logicæ; logica enim requiritur, ne intellectus, loco definitionis rectæ, irrectam eliciat.

115. Replicas secundò. Actus intellectus, definitio v.g. adhuc certè & infallibiliter regulatus est defectibilis, cum adhuc ita regulatus; sit ens creatũ: ergo numquam poterit esse obiectum scienriæ indefectibilis.

116. Respondeo, distinguo antecedens, est defectibilis, id est contingens in existendo, concedo: id est falibilis; nego: nam si actus intellectus regulatus, & conformis sit regulis definitionis, infallibiliter erit definitio, erit explicatio essentiæ rei, erit clarior definito, &c.

117. Objic. 10. In logica dantur plures actus meré opinativi, v.g. *Logica est adæquaté practica; respicit voces pro obiecto, &c.* Ergo non erit adequatè scientia, vel saltim sicut ab alijs dicetur scientia, ab alijs poterit opinativa appellari.

118. Aliqui admittunt plures actus opinativos in logica, & vlteriús dicunt, solúm denominari scientiam à scientificis, non verò opinativam ab opinativis; quia logica non debet esse magis scientia, quam reliquę scientiæ, in quibus omnibus similes actus dantur, quin denominationi scientiæ officiant, in quo recurrunt ad communem authoritatem, quę in materia de denominationibus est vnicũ argumentum: Ego verò vt aliquas replicas P. Quiroz desumptas á conclusione deducta ex duplici pręmissa, vna scientifica, & alia probabili, quæ dicitur probabilis, & non scientifica, vitem, licet abeis facili negotio me expedirem. Respondeo. Nego antecedens, illi namque actus non sunt logica formaliter, sed solum reductivè, neque ad logicam, sed ad logicum spectant; logica enim solúm sunt regulę dirigentes in modum scirndi fundatæ in demonstrationibus evidentibus, qualiter non sunt tales actus.

119. Obj. 11. Logica fuit experientia comperta: Ergo non est scientia. Probo consequentiam; est fallibilis, iuxta illud Hypocrat. Aphorismorum 1. lib. 1. *Ars longa, vita brevis, occasio preceps, experimentum fallax, iudiciũ difficile*: Ergo cúm logica experientia nitatur, nititur motivo, & fundamento fallibili, vnde nec etit infallibilis, nec scientia.

120. Hoc argumentum destruit omnem scientiam adquisitam, cum omnis experientia fuerit adquisita. Ego solúm defendo, logicam esse scientiam, sicut sunt reliquæ aliæ, Physica, Metaphysica, &c. Hoc pro solutione sufficeret.

121. Respondeo. Logicam, eiusque regulas non fundari, & niti experientia, rientia, vt in motivo assenfiendi proprijs obiectis, sed tantum se habere experientiam respectu logicæ, vt occasionem inveniendi motiva assensus, quæ quidem sunt prima principi, lumine naturæ nota: pro quo scias; primos logicæ inventores aliquas definitiones v.g. elicuisse rctas, alias verò irrectas, cum ergo reflexè quærerent rationem rectitudinis illarum, & irrectitudinis istarum, ex diutina indagatione invenerunt, hoc provenire ex eo, quod illæ essentiam rei explicab int, erantque clariores suo definito; istæ que neutiquam. Ex tunc ergo statuerunt, *Omnem definitionem debere essentiam rei explicare. Esse clariorem suo definito*, sed tunc tales regulæ adhuc scientia non erant; quia solúm experientia ducti illas statuerant. Cum autem ita viderint homines acri, & vivaci ingenio pollentes, & frequenter rogarentur á discipulis, quos illas regulas edocebant, cur definitio, vt sit recta debeat explicare essentiam rei? Esse clariorem suo definito? Hoc motivum tanquam vltimum fundamentum invenerunt, quia lumine naturæ certum, & notum est, omnem rectam explicationem alicuius termini debere manifestare essentiam rei, explicare, & esse clariorem re explicata, & sic similiter de alijs regulis.

122. En motivum, & fundamentum est principium infallibile, non vero experientia, licet hæc fuerit occasio inveniendi tale motivum; non enim officit occasio, & applicatio fallibilis infallibilitati motivi applicati, & actus assentientis: sic propositio Ecclesiæ, vel Parochi, & miracula, quæ fallibilia sunt, applicantque occasionaliter authoritatem Divinam revelantem, quę est motivum intrinsecum actus fidei, neutiquam officiunt nec infallibilitati authoritatis Divinæ applicatæ, nec actus assentientis ob talem authoritatem Divinam applicatam.

123. Nec vsu huius exempli ad præsentem materiam explicandam propinatur (vt ita dicam (gravissima difficultas motivi fidei; nam hæc difficultas motivi non stat in eo, quod propositio Ecclesię, & reliqua motiva credibilitatis sint quasi applicatio motivi intrinseci actus fidei, quin á tali actu attingantur; inquo solum vtimur hoc exemplo, ad hoc vt licet experientia sit applicatio occasionalis principiorum, hæc, & non experientia ipsa, sit motivum regularum logicalium. Sed tota difficultas stat in eo, quod Authoritas Divina non clarè proposita, nec evidenter cognita, sed solúm proposita ab Authoritate Ecclesię, vel Parochi metaphysicê fallibili, sit motivum actus fidei certi, & infallibilis. Quod quidem non evenit in logica; nam propositis per experientiam motivis, scilicet principij, cum hæc sint evidentia, & per se nota, cessat intellectus, & rapitur necessario ad assensum firmum.

124. Si vis, vtere exemplo impulsus; obiectum impulsivum non est motivum actus, sed extrinsecè impellit intellectum, qui ob propria motiva in suum obiectum tendit; similiter experientia extrinsecè impellit ad elicientiam illius actus: v. g. *Definitio latiùs patet quolibet membro dividente*; quia totum est maius sua parte.

125. Replicas primo deficiente experientia; logica deficeret: Ergo tota, quanta est, nititur experientiæ.

126. Respondeo, deficiente experientia, logicam deficere, non immediatè; & formaliter, sed mediatè, & occasionaliter; quia scilicet deficiente experientia, deficeret occasio inveniendi motiva regularum logicalium; sicut deficiente propositione Ecclesiæ applicante authoritatem Divinam revelantem, regulariter deficeret fides, non ex defectu motivi, sedex defectu applicationis; & deficiente impulsu deficeret;

actus, ad quem impellitur voluntas.

127. Replicabis secundò, & quidem difficulter: Licet combustio ignis dependeat á virtute cõbustiva infallibili quia tamē etiā ab approximatione fallibili dependet, combustio absolutè fallibilis, & defectibilis est: Ergo etiam si veritas regularum dependeat á primis principijs, quę infallibilia sunt: Cum etiam ab experientia dependeat, quæ fallibilis est, etiam ipsa veritas illarum erit fallibilis.

128. Retorque in actu fidei, qui dependet vt á conditione applicante à propositione Ecclesiæ, &c. Absolutè fallibili; ergo est illo fallibilis erit.

129. Respondeo assignando disparitatem inter combustionem, & veritatem regularum; combustio, vt sit, dependet ab approximatione; nam ignis solùm vt applicatus comburit; at veritas, & infallibilitas regulæ, vt sit non dependet ab experientia licet ab ea dependeat, vt cognoscatur: Vnde quoad *cognosci*, vel non *cognosci*, erit contingens, & dependens ab experientia veritas regulæ, non verò quoad *esse*; nam etiam si non cognoscatur reflexè veritas infallibilis illius regulæ: *Divisio latiùs patet, &c.* Esse tam infallibilis.

130. Obj. 12. & simul replicabis: adhuc circa illa principia, quę à nobis vt motivum regularum apponuntur, potest dari in intellectu aliqua suspitio, & dubitatio circa eorum veritatem, & infallibilitatem; nam licet post diutinum vsum, & experientiam semper Doctoribus visa sint evidentia, potest aliquid latere, quo falsificentur; quod enim principium plus authoritatis sibi adquisivit, quam illud, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se*, & tamen de facto vel falsificatum fuit in Divinis, vel saltem immutatum, ita vt de eius veritate disputetur; quod enim vni evenit, cur alijs evenire non poterit? Hoc argumentum sufficit, vt intellectus semper dubius prudenter segerat: Ergo vt logica non sit scientia; quia scientia omnia Dubitationem, & suspitionem debet excludere.

131. Sæpe dixi, me non intendere, logicam pretiosiorem, nec scientiorem facere reliquis scientijs ita â Doctoribus compellatis; cum autem in omniū scientiarum principijs, hæc suspitio, & formido possit reperiri, & tamen absolutè compellentur scientiæ á Doctoribus, dicendum censeo; non esse de ratione scientię huius formidinis exclusionem, saltem ortæ vi alicuius actus reflexi, qui similem scrupulum circa veritatem priorum principiorum menti incutiat: Nam si exclusionem totius formidinis, adhuc remotę ad rationem scientię requiras, nulla facultas erit scientia, ac proinde nec logica.

132. Præterea aliqua principia, ita sa habent, vt nec levis suspitio videatur rationalis circa ipsa: Quis enim suspectam habebit veritatem horum principiorum: *quodlibet est, vel non est: totum est maius sua parte, &c.* illud principiū; *quæ sunt eadem vni tertio*: iam vidimus in Summulis, non esse falsificatum: non requiri certitudinem metaphysicam, sed sufficere certitudinem physicam tenet Bonæspei dis. 2. logicæ divisione 1. n. 65.

133. Objic. 13. Contra secundam partem cõclusionis. Obiectum scientiæ debet esse infallibile: sed obiectum logicæ topicæ non est infallibile, cum sit materia probabilis: ergo non est obiectum scientię: ergo nec logica topica erit scientia.

134. Confirmatur. Scientia nequit esse directiva erroris: ergo nec opinionis. Probatur consequentia; quia scientię, vtpotè certæ, & evidenti non minus opponitur incertitudo opinionis, quam falsitas erroris: ergo pars topica, quæ directiva est opinionis, non erit scientia.

135. Respondeo ad argumentum. Distinguo maiorem: obiectum scientię debet

debet esse infallibile, id est, infallibiliter cognitum á scientia; concedo: id est, debet esse infallibile secundum se; nego; iam in nostris probationibus diximus, fallibilitatem obiecti non refundere fallibilitatē in actus: sic *Deus* infallibili cognitione attingit opiniones, & errores hominum fallibiles.

136. Ad confirmationem, distinguo antecedens; nequit esse directiva erroris vitandi; nego antecedens: efficiēdi; concedo antecedens. De hoc etiam iam supra: Et nego consequentiam; quia cùm munus scientię practicæ sit docere intellectum in ordine ad actus, qui intellectum doctrinaliter perficiant, & actus opinativi illum ita perficiant, non tamen errores, poterit logica intellectum dirigere ad actus opinativos efformandos, non verò ad errores. Nec quando opinio re ipsa falsa est, inficit intellectum; quia sicut moraliter opinio non inficit conscientiam, quia qui probabiliter operatur, prudenter operatur, ita nec inficit doctrinaliter intellectum, quia qui probabiliter discurrit, secundum rectam rationem discurrit.

137. Ad implicitam probationem, quæ certè transit á sensu formali ad obiectivum, & vtrumque confundit, dico, ad summum oppinionē opponi constitutivè scientiæ, non verò obiectivè; sicut lapis opponitur cõstitutivè, nõ vero obiectivè cognitioni hoc est lapis nequit idētificari cū cognitione, vt pote naturæ oppositæ, at potest esse obiectū ipsius; ita opinio opponetur cõstitutivè scientiæ; hoc est, nõ poterit identificari cum scientia; quia hæc est certa, & illa incerta, non verò obiectivè; hoc est, opinio poterit esse obiectum scientiæ, circa illā scientifico modo discurrentis; quin hoc rationi scientiæ officiat, vt iam vidimus.

138. Objic. 14. Aliquæ regulæ, seu principia logicæ falsificantur: ergo saltem quoad ea, non erit scientia: Probo antecedens: hoc principium; *Ex evidentibus, & necessarijs generatur scientia*, falsificatur in duplici syllogismo iam assignando: primo in *Barbara*; omne *secundum* immediatè sequitur post *primum*: sed omne *tertium* immediatè sequitur post *secundum* ergo omne *tertium* immediatè sequitur post *primum*. En vbi ex præmissis certis, & evidentibus benè dispositis non oritur scientia, sed error. Secundus syllogismus apponitur á Caramuel in *Darapti*: Omnis Aritmehticus scit numerare: sed omnis Aritmethicus est homo: ergo aliquis homo scit numerare. En præmissis necessarijs, & evidentibus non oritur *necessarium*, sed *contingens*; nõ *scientia*, sed *opinio*; nā cõtingēs est quod aliquis homo sciat numerare.

139. Resp. Nego antecedens; ad primum syllogismum satis difficilem, & involuntum, Respondetur, non esse informa; habet enim quatuor terminos; in eius expositione hoc clarescēt; ita exponitur: omnis numerus *secundus* est numerus immediatus post *primum*; sed omnis numerus *tertius* est numerus immediatus post *secundum*; ergo omnis numerus *tertius* est numerus immediatus post *primum*: en quatuor terminos: *Omnis numerus secundus* est primus; *numerus immediatus post primum* est secundus; omnis *numerus tertius* est tertius; *numerus immediatus post secundum*; est quartus: Quid ergo mirum, quod non inferatur consequens; in super in eo mutatur medium: Nam cum sit in prima figura, medium deberet esse subiectum in maiori, & prædicatum in minori, subiectum ergo maioris est ly *omnis numerus, secundus*, prędicatum ergo minoris est, *numerus immediatus post secundum*: Est, ne idem *numerus secundus, & numerus immediatus post secundum*? Neutiquam: Ergo non servatur idem medium; ita enim deberet disponi vt esset in forma: *Omnis numerus secundus est numerus immediatus post primum*: *Sed omnis numerus* ter-

tertius est numerus secundus: ergo omnis numerus tertius est numerus immediatus post primum. Et sic minor est evidenter falsa.

140. Totum enim equivocum stat in eo, quod in maiori illa, *omne secundum* immediatè sequitur *post primum: Ly secundum* ponitur in rectè: In minori vero illa: *Sed omne tertium immediate sequitur post secundum, ly secundum* ponitur in obliquo. Vnde variatur sensus, & æquivalet syllogismo illi à me posito; non enim servatur forma apponendo vt cumque medium in minori, sed apponendo illud vt identificatum cum subiecto minoris, vt patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Sed Petrus est homo*: Ergo *Petrus est animal*, vbi ly *homo*, quod est medium in minori, ponitur, vt identificatus cum *Petro*, qui est subiectum illius, at in syllogismo nobis opposito: *Omne secundum immediatè sequitur post primum*: Sed *omne tertium immediaté sequitur post secundum*: Ergo ly *secundum*, quod ēst medium, in minori, non apponitur, vt quid identificatum cum *tertio*, quod est subiectum, sed solum ponitur, vt quid suppositum ad tertium.

41. Ad secundum syllogismum Respondetur. Medium illius variare suppositionem, & appellationem; nam medium in maiori supponit pro subiecto formali; id namque, quod se habet de formali, vt homo sciat numerare, & vt illi sit necessarium tale prædicatum, nō est ēā *ratio hominis*, quā *ratio Aritmethici* & sensus illius propositionis maioris est: *homini in quantum Arithmethico convenit necessario hoc, quod est, scire numerare*; in minori verò appellat supramateriale, quia Arithmeticus non ratione Aritmethici est *homo*, & id, quod principaliter se habet, vt homini Aritmethico conveniat prædicatum hominis, non est ratio Aritmethici, illud ergo principiū *Ex necessarijs sequitur necessarium*, debet intelligi, si servetur eadem suppositio, & appellatio; sensus maioris est reduplicativus, sic: *Omnis Arithmethicus, qua Arithmethicus, scit numerare*; quia subiecta sunt qualia indicantur á prædicatis. Vnde vt in minori eadem appellatio servaretur, deberet fieri reduplicatio sic: *Sed omnis Arithmeticus, qua Arithmeticus est homo*, & ita, falsa esset; nam licet omnis Arithmeticus sit *homo*, attamen non qua Arithmeticus est *homo*, hoc est, homo non constituitur in esse hominis per hoc, quod est, esse Arithmeticum.

142. Objic. Duos etiam syllogismos contra Partem topicam ad falsificandum, scilicet illud principium, in quo fundatur, scilicet. *Ex probabilibus sequitur probabile*. Primus sit: Si *daretur infinitum in actu, iste, quem colimus, non esset Deus: Sed datur infinitum in actu*: ergo iste, *quem colimus non est Deus*, en duplex, præmissa probabilis: *maiorem* tenent, qui defendunt; repugnare infinitum in actu; *minorem*, qui contrarium tuentur, & consequentia in probabilis. Secundus in Camestres. *omne animal habet sanguinem informatum anima: nullus homo habet sanguinem informatum animal: ergo nullus homo est animal*. Maiorem tenent, qui probabiliter defendunt, sanguinem vivere, minorem, qui probabiliter tenent, *non vivere*: consequentia est improbabilis: huiusce farinæ syllogismos vide apud Patrem Ioannes de Cardenas in Caramuel lib. 1. tract. 1. disp. 7. cap. 2.

143. Respondeo cum Caramuel, imo re ipsa cum ipso Cardenas, Principium ita debere intellegi: Ex *probabilibus, & comprobabilibus sequitur probabile*, non verò ex probabilibus in comprobabilibus, qualiter se habent duplicis syllogismi propositi premissę. Quid autem sit, propositioones esse comprobabiles, optimè ipse Cardenas num. 7. Propositiones comprobabiles sunt, quæ ita probabiles sunt absolutè, vt sint inter se composibiles, sive sint incompossibiles

possibiles ratione sui, sive ratione alterius veritatis evidentis, aut certę. Quare si non asseras cum Caramuel, omnes propositiones assertas á Theologis esse modales de modo scilicet probabile, sed teneas, esse absolutas, vt fere omnes dicunt, poterit substineri explicatio comprobabilitatis asignata ab ipso Caramuel; illas scilicet propositiones dici comprab biles, & composibiles, quę ab vno, eodemque *Doctore* defendi possunt.

144. Vnde ad vtrumque syllogismum propositum respondetur, præmissas illas esse absolute probabiles, sed non comprobabiles; quia inter se non sunt composibiles, neque ab eodem *Doctore* simul defensabiles: Qui asserunt, posibile esse infinitum in actu, negant maiorem primi syllogismi; qui illud reijciunt, negant minorem, & similiter hoc modo responde alteri, & alijs syllogismis, qui eodem modo effomari possunt.

145. Replicas primo. Ex consortio alicuius propositionis non aufertur probabilitas alterius; nam probabilitas est prædicatum intrinsecum, & essentiale, & ex aduentu alterius non immutatur; ergo si illę propositiones vtriusque syllogismi absoluté sunt probabiles, etiam in consortio erunt probabiles: ergo & comprobabiles.

146. Resp. Certum esse, quod propositiones, quæ semel probabiles sunt, pręscisse ex consortio, & adventu alterius non redduntur improbabiles eo modo, quo semel probabiles fuerunt, scilicet absolutè. Vnde simul sunt probabiles absolutè in illo syllogismo, simultaneitate so tenente ex parte probabilitatis; hoc tamen non facit, illas propositiones esse comprobabiles, seu composibiles; quia numquam comprobabiles, & composibiles. *Exemplo* res clarescet: Potest aliquis dicere ex varia Doctorum opinione, probabile esse decem argenteos esse materiam parvam furti, & etiam probabile esse, non esse materiam parvam furti: en simul probabiles duæ propositiones oppositæ, simultate probabilitates, quin ex hoc inferatur comprobabilitas vtriusque propositionis, nec posse aliquem ita proferre; probabile est, hęc duo componi posse, decem argenteos esse materiam parvam, & non esse materiam parvam furti, quod quidem repugnat; quia in hac propositione asseritur comprobabilitas, & composibilitas vtriusque, & non solùm asseritur esse simul probabiles absolutê, sed etiam esse comprobabiles, & composibiles: hoc est, ex vtraque propositione nequit componi vnum antecedens, quod sit motivum vnius conclusionis probabilis.

147. Resplicas secundo: Ex comprobabilibus sequitur conclusio improbabilis: Ergo nulla est solutio: Probatur antecedens hoc syllogismo á Patre Cardenas allato, disp. 8. n. 6. cap. 3. Nulla lex ecclesiastica obligat Pueros etiam rationis capaces ante septennium (hanc tenent Ioannes Sanchez Diana. Castro Palao tom. 1. tract. 3. disp. 1. puncto 24. n. 3.) sed hęc lex, quod nemo non ieiunus accipiat Eucharistiam, est lex Ecclesiastica: Ergo hæc lex, quod nemo non ieiunus accipiat Eucharistiam, non obligat Puerum ante septenium etiam rationis capacem: Ergo poterit accedere non ieiunus ad Eucharistiam: Quod absurdum ex probabilibus comprobalibus infertur ergo.

148. Respondeo: Maiorem syllogismi (idem dic de alijs, ex quibus aliquis error infertur) ita vniversaliter prolatam esse omnino falsam, cum in se hanc falsitatem contineat. Authores ergo illam vt probabilem defendantes non loquuntur, nec loqui queunt, illa tota vniversalitate; vnde ita illam distingue; nulla lex Ecclesiastica obligat Pue-

Puerum, si ipse nil efficiat, ratione cuius maneat obligatus; concedo: Si efficiat aliquid, ratione cuius maneat obligatus; nego: Puer ante septenium non tenetur communicare, sed si vult communicare per ipsam actionem communicandi obligatur, vt ieiunus accedat; quia per talem actionem se subijcit iugo Ecclesiæ, sicut nemo tenetur Prælato Religioso obedire absolute; tenetur tamen si vota Religionis emittat; quia vi illorum votorum se obedientiæ submittit. Similiter nemo tenetur absolutè alium hæredem instituere, tenetur tamen, si illum adoptaverit in filium. Et ratio à priori est; quia intentio efficax finis boni est electio mediorum, sine quibus finis est malus. Vnde si media sunt sub præcepto, qui liberè efficaciter intendit finem bonum, tenetur eligere ex præcepto medium, sine quo finis est malus: Sed medium vt acceptio Eucharistiæ sit bona, est accedere *ieiunus* ad eam, hoc que medium cadit sub pręcepto Ecclesiæ: Ergo qui se libere determinat ad accipiendam Eucharistiam, sub præcepto tenetur accedere *ieiunus*.

149. Rogas: quid dicendum sit de logica reduplicativê vt docente, & vtente? Pater Quiros, & alij Recentes negant de vtraque, esse scientiam adhuc facta reduplicatione supra rationes specificas logicæ *docentis* vt *logica docens est* & vtentis, vt *logica vtens* est: Sic tract. 2. part. 2. sect. 2. num. 15. & 16. Murcia, & Valius negant de *docente*, & affirmant *de vtente*. Pater Arriaga affirmat de docente, & negat de vtente: ita etiam Mag. Linz. 2. p. q. 1. art. 8. n. 7. & 7.

150. Ego vero cum distinctione loquar. Dico: *Logicam* vt *docentem* & *vtentem* non esse scientiam, si reduplicatio fiat supra *docens* vt *docens*, & *supra vtens* vt *vtens* præscindendo á modo docendi, & vtendi logicę; quia plures artes mecanicæ docent, & vtuntur, & non sunt scientiæ; potentiæ etiam suis instrumentis vtuntur, & scientiæ non sunt: ergo salvatur tota ratio *docens*, & *vtentis* sine conceptu scientiæ.

151. Confirmatur. Ideo homo, in quantum animal, facta reduplicatione supra rationem animalis pręscisivam á rationali, non est homo; quia reperitur tota ratio animalis in bruto, quod homo non est: Sed conceptus *docentis*, & *vtentis* reperiuntur in facultatibus, quæ scientię non sunt: ergo logica vt *docens*, & *vt vtens* reduplicativè, facta reduplicatione supra *docens*, & *vtens*, non *erit* scientia.

152. At si specificativê sumatur, vel fiat reduplicatio supra logicam etiam, ita logica docens *vt logica docens* est. Logica *vtens* vt *logica vtens est*. Tam vt *docens*, quam vt *vtens* est scientia; quia logica *docens* scientificè procedit in directione intellectus, vt efformet divisionem, definitionem, & argumentationem; & logica vtens per nos, sunt actus proprij logicales, in quibus exercetur aliqua regula ipsius logicæ, v.g. *divisio est modus sciendi totum in partes distribuens*, *&c.* atqui similes actus sunt scientia: ergo logica vtens, vt logica vtens est, erit scientia.

153. Objic. 1. Ex Patre Quiroz: Logica pro vt est docens dirigit, pro vt est scientia, discurrit, & docet, syllogismum cognoscere, reddens rationem suę bonitatis; Item cognoscere essentiam definitionis, dicens *definitio est clarior definito*; quia est modus sciendi; provt est docens, non reddit rationem, sed solum dirigit, dicens: *Definitio clarior est suo definito*: insuper pro vt est *scientia* est cognitio illativa, hoc est, per demonstrationem adquisita; sed provt illativa non dirigit, sed solum attingit speculativè præmissas: ergo provt docens non est scientia.

154. Argumentum potius probat rationem, & latius postea.

155. Respondeo ad primum; logicam provt docentem reduplicativè solûm dirigere; quia *docere vt docere* præscindit á *discurrere* reddendo rationem, vel non *discurrere*; at vero specificativè, vel facta reduplicatione supra taliter docere logicæ, & dirigit, & discurrit demonstrativè, & cognoscit essentiam, & dirigit intellectum ad eius effectionem; Ad secundum eodem modo dico, logicam vt illativam absolutè non dirigere, dirigere tamen provt logicaliter vel taliter illativam.

156. Obj. 2. *docere, & vti logicé* adhuc non est *docere*, & *vti scientifice*, cum dentur in logica plures actus probabiles, qui docent & vtuntur logicè, & non sunt scientifici.

157. Respondeo; iam supra me dixisse tales actus non ad logicam, sed ad logicos pertinere vnde nec docent, nec vtuntur logicè.

SECT. V.

DE NATURA PRACTICA VEL speculativa.

158. IN hac materia tot quæstiones invenies, quot voces, omnesque purè de nomine, de his sigillatim agemus.

SVBSECT. I.

QVID SIT PRAXIS, ET QVIBUS operibus conveniat.

159. PRaxis est idem, ac operatio; deducitur enim á verbo Græco *Prato*, cui correspondet Latino idiomate verbum *ago, agis*. Vnde deffinitur: *Opus factum vel factibilis ex directione cognitionis practicæ*. Ita communiter Doctores. Hoc supposito, inquiritur quibus actibus possit applicari hæc vox *praxis*?

160. Prima sententia asserit, hanc vocem adaptari non posse actibus intellectus: Ita Scotus, & cum eo omnes Scotistæ, & plures Thomistæ, complutenses, Philipus á Sanctissima Trinitate, & Ioannes á Sancto Thoma quęst. 1. logicæ art. 4. accedit Imiglesius.

161. Secunda sententia ex opposito asserit, talem vocem non posse applicari, nisi actibus intellectus: Ita Durandus, quæst. 6. prolegom. n. 5. Bachonius quæst. 4. art. 2. & 3.

162. Tertia sententia defendit, hanc vocem convenire tam actibus intellectus, quam voluntatis: Ita omnes nostri apud Linceum 6. metaphys. tract 5. cap. 3. & Peinadum tract. 1 procemialium disp. 1. sect. 3. n. 41. quibus accedit Caramuel n. 206. & P. Nic. de Olea d. 53. n. 2.

163. Dico primo ratio praxis potest adaptari actibus intellectus. Probatur paimo ex eodem Scoto 6. metaph. quæst. 1. vbi ad primum argumentum: *De logica dici potest quod logica sit practica, quia non est tantum propter scire proprium, sed propter scire directum in aliquo actu; quia intellectus in actu secundo discursivus potest errare, indigetque actu directivo.* Tum sic: logica á parte rei potest dici practica respectu actus intellectus, quem, quia potest errare, dirigit ad actus: Ergo tales actus erunt *praxis*.

164. Probatur secundo ex Angelico Præceptore, qui 1. 2. quæst. 17. art. 6. expressè tenet actum intellectus reflexè imperatum, seu quod idem est, directum ab alio actu eiusdem intellectus esse *praxim*.

163. Probatur tertio ratione: Actus intellectus potest fieri ex directione alte-

alterius actus: Ergo potest esse *praxis*. Prob. antecedens: Definitio hominis est actus intellectus, sed potest fieri, immò de facto fit, ex directione huius regulæ logicalis: Definitio debet constare ratione comuni, & differentiali: Ergo.

166. Confirmatur primo. Talis regula non sistit in mera contemplatione actus regulati, cum vlteriùs ad eius effectionem dirigat: Ergo non est speculativa: Ergo est practica: Ergo talis actus directus est *praxis*.

167. Confirmatur secundo: Prudentia versatur circa actus intullectus, & voluntatis, non minus enim dirigit hos, quam illos: Sed actus voluntatis sunt praxis respectu prudentiæ dirigentis: Ergo & actus intellectus erunt *praxis*.

168. Confirmatur tertio: Ideo actus alterius potentiæ ab intellectu est praxis; quia est dirigibilis ab actu intellectus (sic contra Baconium arguunt Scotistæ) sed etiam actus intellectus sunt dirigibiles ab alijs actibus intellectus: Ergo.

169. Respondent Scotistę, non ideo tantum actus alterius potentiæ esse praxim, quia sunt dirigibiles, sed quia sunt dirigibiles, & alterius potentiæ ab intellectu.

170. Pulchra petitio principij: cōtendit argumentum, actus intellectus esse praxim, sicut actum voluntatis, cum vtrique definitio praxis conveniat, & respondent, actum intellectus non esse praxim, sicut actum voluntatis, quia ille est actus intellectus, et hic est actus voluntatis: Idem respondebit ad Schotistarum argumenta Bachonius: scilicet actum voluntatis non esse praxim; quia est actus voluntatis. Constet ergo, hoc omninò voluntariè responderi.

171. Objic. 1. Aristotelicum proloquium, scilicet *Intellectus extensione fit practicus*: ergo debet extendi intellectus ad actus alterius potentiæ, vt fit practicus; ergo solùm actus alterius potentię, ad quam se extendit, erunt *praxis*.

172. Patres Connimbric. Rubius, Hurtadus, & alij asserunt, tale proloquium non esse Aristotelicum, nec in eius operibus inveniri; eo tamem admisso, respondetur; intellectum extensione ad operationem, hoc est, non sistendo in mera contemplatione actus, sed vlterius dirigentem ad eius effectionem, fieri practicum, sed potest intra suos limites, et proprios actus ita dirigere: ergo poterit respectu suorum actuum esse Practicus.

173. Objic. 2. Omnis actus intellectus est speculatio, cum sit imago, seu speculum obiecti: ergo non est praxis; quia praxis, & speculatio opponuntur.

174. Retorqueo: ergo nec respectu actus alterius potentiæ erit intellectus practicus, cum omnis actus intellectus sit speculatio, seu speculum obiecti, & speculatio, & ratio praxis opponuntur.

175. Respondeo; omnem actum intellectus esse speculationem, hoc est, repræsentationem sui obiecti; sed speculatio sumpta pro repræsentatione est indifferens ad actus speculativos, & practicos; nam est quædam lata speculatio; nec sumitur pro sistentia purá in obiecto, quin vlterius dirigat intellectum ad eius operationem. Noto, argumentum confundere speculationem cum obiecto speculabili, seu obiecto actus speculativi: eademmet cognitio potest esse speculatio respectu sui obiecti, & praxis respectu actus eam dirigentis, vt patet in hac definitione hominis, *animal Rationale*, quæ est speculatio essentiæ hominis, & praxis respectu regulæ logicalis eam dirigentis; ergo etiam si omnis cognitio esset speculatio, posset alicui adaptari ratio praxis.

176. Objic. 3. Omnis actus, qui sistit in contemplatione est speculativus:

vus: Sed omnis actus, qui dirigit operationem mentis, sistit in contemplatione; ergo est speculativus. Probatur minor. Talis actus sistit in operatione mentis, cum extra suum obiectum nequeat divagari; sed omnis operatio mentis est contemplatio sui obiecti; ergo sistit in contemplatione.

177. Æquivocum argumentum; illud sic retorque: ergo cognitiones de Deo, & Astrologia non sunt speculativæ: patet consequentia: *Deus*, & *Astra* non sunt speculatio, cum non sint actus intellectus, ergo cognitiones terminatæ ad Deum, & ad Astra non sunt speculativæ, cum non sistant in contemplatione.

178. Resp. Distinguo maiorem; omnis actus qui sistit in contemplatione, hoc est, qui tendit modo purè contemplativo, concedo; hoc est, qui habet pro obiecto actum intellectus, qui alias est contemplatio; nego. Aliud est sistere in contemplatione obiectivá, hoc est habere, pro obiecto contemplationem, & aliud sistere in contemplatione ex parte modi tendendi actus, hoc est, non dirigendo; primum enim optimè compatitur cum actu practico directivo talis contemplationis, seu cognitionis, & ita se habet logica respectu actuum intellectus. Secundum verò est quod constituit actum in esse contemplationis, & speculativi. Advertas, quod cum dicimus, actum speculativum sistere in contemplatione obiecti, non intendimus significare, talem actum cognoscere contemplationem vt obiectum; nam hęc contemplatio est modus tendendi ipsius actus speculativi, quod ab eo reflexè non cognoscitur; sed solúm talem actum ita tendere, vt vlteriús nō progrediatur ad opus.

179. Dico secundò; actibus aliarum potentiarum ab intellectu hæc vox *praxis* adaptari potest. Probatur primò. Ideo actibus intellectus adaptatur, quia sunt dirigibiles, & operabiles: Sed actus voluntatis aliarumque potentiarum sunt similiter dirigibiles, vt patet in actibus moralibus, qui à prudentia diriguntur, & etiam in actibus aliarum potentiarum, qui diriguntur ab artibus; ergo. Probatur 2. Hæc voluntaria opinio destruit rationem artis mecanicæ, quæ est essentialiter operativa, ac proinde practica; ergo & eius obiectum erit praxis: sed obiectum artis mecanicæ sunt opera externa; ergo & his convenit Ratio praxis.

180. Objic. 1. Praxis debet produci effectivè ab habitu scientifico: sed solúm actus intellectus, non vero voluntatis, & aliarum potentiarum, effectivè producuntur ab habitu scientifico; ergo.

181. Resp. Nego maiorem; nam licet omnis effectivus concursus esset practicus, etiam directivus practicus est, quem quidem concursum directivum habent regulæ respectu actuum regulatorum, cognitionesque respectu actuum voluntatis, & aliarum potentiarum; ideoque artes mecanicæ practicæ dicuntur respectu actuum externorum. Nota primo, quod cum habitus non sint cognoscitivi, nec practici, nec speculativi possunt apellari propriè, sed solum denominativè ab actibus, á quibus producũtur, & quos producunt. Noto secundò, habitum definitionis v.g. non concurrere effectivè ad definitiones particulares, sed solum ad regulam dirigentem tales definitiones.

182. Objic. 2. Praxis, & speculatio sunt correlativa: Sed speculatio est tantum actus intellectus: ergo & praxis.

183. Resp Nego maiorem: speculatio namque est correlativa actus practici, & vtraque denominatio ad intellectum tantummodo pertinet: Correlativum ergo praxis est speculabile, quæ denominationes ad obiecta actuum intellectus pertinent: ergo & ad actus alia-

aliarum potentiarum ab intellectu.

SVBSECTIO II.

ALIQVIBVS DVBIJS CIRCA praxim satisfaciens.

184. DVbium primum : Vtrum ad rationem praxis requiratur libertas? Thomistę,& Scotistæ requirunt communiter ad praxim libertatem moralem:aliter omnes Nostri iudicant, quos secutus.

185. *D*ico primò. Ad praxim non requiritur libertas: aliud est opus esse rectum moraliter in ordine ad meritum, & aliud esse artificialiter rectum ex conformitate cum regulis artis:vtraque rectitudo omnino impertinenter se habet:vnde potest esse actus rectus artificialiter,&moraliter irrectus,& ècótra. v. g. potest quis ex fine pravo aliquam imaginem pingere, conformandose regulis artis; item potest alius ex fine honesto aliam imaginem efformare nullatenus iuxta regulis artis: Prima operatio esset recta artificiosè, & irrecta moraliter. Secunda esset recta moraliter, & irrecte artificiose: Ergo vtraque rectitudo omnino impertinenter se habet; libertas ergo ad rectitudinem moralem requiritur, non vero ad artificialem: Sed ad hoc, vt aliquid sit praxis sufficit, quod sit opus ex regulis directum: Ergo vt sit praxis, non requiritur libertas. Insuper in dormientibus, & amentibus non datur libertas moralis: Sed negari nequit, eos posse plura opera artificiosè elicere, syllogismos v. g. iuxta Regulas logicę, Carmina iuxta Poeseos, vt de quodam dormiente se audivisse,meminit sapientissimus Pater Eusebius Nerember. lib. 2. Philosophiæ naturalis, quibus operibus negare denominationem praxis, omnino voluntarium esset: Ergo sine libertate morali dari potest tota ratio *praxis.*

186. *D*ico secundo. Ad rationem praxis non requiritur libertas contradictionis, hoc est, quod possit poni, vel non poni. Probatur.Iuxta plurium sententiam, visio beata est practica respectu amoris beatifici, & hic est praxis, saltem respectu actus proponentis modum,quo amandus est Deus : sed talis amor non est liber libertate contradictionis,est enim ita necessarius, vt omitti non possit:ergo.Insuper:si Deus(vt falsò tenuit Aristoteles)necessario conderet vniversum, cognitio dirigens *D*eum ad eius effectionem esset practica, & talis effectio omitti nequiret. Item opera pręcepta Christo Domino , mors præcipué,non poterat á Christo *D*omino omitti , & tamen erant praxis respectu cognitionum , ea dirigentium. Denique productio Verbi Divini respectu Patris,& productio Spiritus Sácti respectu Patris,& Filij,iuxta gravissimos *D*octores,Arriaga , Alarcon, Peñafiel,& alios,rationem praxis participant,& tamen omitti nequeunt. Ratio à priori est;quia licet obiectum necessario fiat,vel producatur, potest circa ipsum dari aliqua cognitio dictans modum ,quo producendum sit : ergo tale obiectum erit praxis respectu illius, & talis cognitio practica.

187. Dico tertiò. Nec libertas contrarietatis ad rationem praxis requiritur,hoc est,non requiritur, quod detur in agente indifferentia,vt bene, vel male, Rectè, vel irrectè , operetur; eisdem rationibus,& exemplis probatur,quibus conclusio antecedens probata fuit.Insuper hoc evidenter concipitur in dictamine prudentiæ Christi *D*omini eius opera dirigente , & in scientia *D*ei in productione creaturarum, quod quidè dictamen,& scientia practicè se habent respectu operum, & productionis creaturarum , & tamen nec opera Christi Do-

Domini,neque productio creaturarum, possunt bene vel male fieri,vt per se patet;ergo.

181. Ad summum enim ad praxim requiritur aliqua contingentia in agente,non vt operetur , vel non operetur neque vt operetur bene,vel male , supposita scientia practica,sed vt operetur; hoc,vel illo modo,vel vt tollat aliquá contingentiam absolutam bene , vel male operandi , quæ daretur , si talis scientia non præcederet ; nam si opus nullam haberet contingentiam , etiam quoad modum , vel quoad absolutam potentiam errandi sine tali scientia ,ad nihil deserviret regula , quę cum sit directiva,ad aliquid dirigit. Sed nec hanc contingentiam requirunt ad rationem praxis Patres Alarcon,& Arriaga tom. 1.in 1. p.disp. 18. sect. 1.n.14. defendentes,cognitionem,qua Pater Verbum producit,esse practicam , etiamsi Pater, non solùm quoad substantiam, sed etiá quoadmodum,ex natura sua, sit determinatus ad eius productionem, & ratio est;quia talis cognitio non sistit in contemplatione obiecti : ergo non est speculativa;ergo est practica. Totum hoc est puré de nomine;dic, quod volueris.

189. Obijc.1.Contra primam conclusionem:aves in nidulis efficiendis,& in cantibus,non operantur practicè:sed ideo est , quia libere non operantur: ergo.

190. Respondeo, nego minorem: sed quia ea opera ratione non diriguntur ; praxis enim, iuxta omnes philosophos,est opus per rationem dirigibile.

191. Obj.2.Cognitio , quam de nutritione habemus, non est practica; quia nutritio caret libertate : ergo hæc requiritur.

192. Omnes medici negabunt, cognitiones applicantes cibos delicatos,non sanguineos , siccos , calidos,vel frigidos , vt iuxta subiecti complexionem commodius fiat nutritio , non esse practicas: ego medicis in hoc subscribo. Sed si cognitio circa nutritionem, practica non esset, hoc non proveniret ex defectu libertatis;sed quia sisteret in cognoscenda nutritionis natura; sicut se habet cognitio animastica , quæ inquirit, quid sit nutritio?Et an per nutritionem propriè vivatur?

193. Obj.3. Contra tertiam conclusionem.Scientia practica inventa est ad pręcavendos errores: ergo obiectum scientiæ practicæ debet esse indifferens vt bene,vel male fiat:ergo ratio praxis hoc requirit.

194. Respondeo. Distinguo antecedens,ad præcavendos errores,hoc est, de essentia scientiæ practicæ est errores præcavere necessario;nego ; hoc est,inter homines ita communiter evenire solet;concedo;licet enim scientię humanę practicæ ad errores præcavendos,vitádos que discantur,& applicentur, at ex hoc non infertur,esse de essentia cuiuslibet cognitionis , & scientiæ practicæ respicere obiectum erroris capax,recipique in subiecto erroris capaci ; vt patet in prudentia, & dictamine Chisti Domini,& scientia directiva Dei.

195. Nota, quod adhuc si concedatur , scientia practicas ex se errores præcavere,non requiritur in praxi hæc libertas contraaietatis,vt bene vel male fiat,posita tali scientia;stat bene,quod sine aliqua cognitione subiectum possit errare , & quod ea posita nulla sit contingentia errandi; ideoque numero 188.dixi , ad summum scientiam practicam tollere potentiam errandi , quę daretur casu, quo ipsa non præcederet: patet in creaturarum productione, in qua si non pręcederet cognitio Divina regulans ipsum Deum , posset errare; item si Deus sine scientia media præcedente prædefiniret actum liberum voluntatis creatæ,vel eliceret decretum de conferenda gloria per media libera, communiter dicitur,imprudenter,falli-

bili-

biliterque operaturum,& tamen præcedente scientia ad productionem creaturarum, & scientia media ad prædefinitionem actus liberi, decretumque gloriç,nulla daretur indifferentia, periculum ve errandi in *Do*,quod quidem sufficeret,vt scientia *Divina* esset practica, regulans,& dirigens D*eum*, adhuc admisso quod scientia practica, vt practica est, debeat absolutè errores præcavere.

196. Dubium secundum. Vtrum ad praxim requiratur, vt sit opus naturaliter operabile? Negant Salas, Alphōsus, & Arriaga: affirmant Hurtadus, Comptonus disp. 10. Logicæ sect.3. num.3.

197. Dicò: Supposita elevatione (nam si hęc non supponatur, cognitio dirigens esset imprudens) cognitio directiva operis solùm obedientialiter possibilis, esset practica, & opus esset praxis Probatur: talis cògnitio non sisteret in contemplatione obiecti,sed ad eius effectionem dirigeret: ergo esset practica.

198. Confirmatur: Cognitio dirigens Sacerdotem ad producendū Corpus Christi in Eucharistia est practica, & ipsa productio Corporis est praxis: Sed est naturaliter impossibilis, & solum obedientialiter possibilis:ergo.

199. Obj.Ergo cognitio Petri,quæ respectu Rosæ v.g.nunc est speculativa,redderetur practica, si Deus illum ad producendam rosam elevet.

200. Pater Comptonus concedit consequentiam n.6 asseritque rationem practicę tali cognitioni accidentaliter convenire: ego vero nego consequentiam; iudico enim rationem practicę esse intrinsecam actibus,vnde actus,qui semel practicus non fuit, numquam erit practicus;vnde illa cognitio Rosę, dirigens Petrum ad eius effectionem, supposita elevatione, non erit eadem, quę antea erat in Petro, sed distincta, similis tamen: sicut in sententia Patris Hurtadi defendentis; veritatem esse adæquatè intrinsecam actibus; hic actus *Petrus currit* est essentialiter distinctus,Petro currente, ab hoc *Petrus currit*,Petro non currente,licet vterque simillimus,& quoad voces idem.

201. Tertium dubium: An praxis debeat esse operabilis ab eadem persona habente cognitionem practicam, an sufficiat, quod sit operabilis ab alia ex directione habentis cognitionem? Communiter requirunt,quod praxis sit operabilis ab eodem habente cognitionem. Ita Arriaga,Comptonus,& alij.Contrarium defendunt Gregorius Ariminensis, Mairon, Patres Mvrasius, Santa Cruz n.1222.Fonseca,Gilius, Quiroz Securi Sanctum Thomam in 3.dist. 14.quæst. 1.Ex instituto Doctores pro hac sententia retuli; nam cum vtraque sit denomine, supposita huius opinionis sufficienti authoritate.

202. Probatur primò. *De* ratione notitiæ practicæ solùm est docere, dirigere,regulare, non sistere in mera contemplatione obiecti, sed vlterius progredi ad opus:sed totum hoc datur sine physico influxu, solum cum influxu morali, & totus hic moralis influxus datur respectu operis alterius personæ ab ea,inqua est notitia practica: ergo. Minor probatur:cognitio,qua Magister discipulos docet; cognitiones quibus Angeli Custodes dirigunt homines ad operationes honestas, & externas,quibus possent aliquem docere modum saltendi,citharizandi, aliasque facultates;docent, dirigunt,regulant, non sistunt in mera obiecti contemplatione, sed vlterius progrediuntur ad opus;sed nec cognitio Magistri, neque Angeli influent physicè, sed solùm moraliter in opera discipuli, & hominum:ergo ad rationem notitię practicæ non requiritur,quod obiectum sit physicé operabile ab habente cognitionem.

Con-

203. Confirmatur primò.Prudentia dictans omissionem actus peccaminosi est practica respectu illius; sed omissio non est physicê, sed tantum moraliter operabilis, vt per se patet; cum nullum esse physicum habeat, vtpotè nihil:ergo solum cum morali operabilitate salvatur tota ratio praxis.

204. Confirmatur secundò. Ex Sancto Thoma, & *Divo* Bonaventura citatis á Patre Rubio disp.10. de scientia sect.6.num.9.asserentibus,scientiam Christi *Domini* de creandis possibilibus esse practicam, quia licet ea physicê creare non possit,sufficit,quod sit causa moralis meritoria creationis;ergo.

205. Obj.1.Plura inconvenientia, quæ sequuntur ex nostra sententia:primum,omnes scientias (vna excepta de *Deo*)esse practicas, cum omnes respiciant res absolutè factibiles.Secundum: cognitionem, qua quis haberet de productione Verbi, & Spiritus Sancti,esse practicam.Tertium,homo haberet notitiam practicam de Creatione Angelorum,& vnus Angelus de creatione aliorum.Quartum: Deus haberet scientiam practicam de peccato formalitêr, cum cognoscit modum, quo homines illud committunt: ergo si hæc omnia dici nequeunt,signum est, quod ad rationem praxis, & notitiæ practicæ non sufficit cognoscere rem absolutè factibilem,& modum,quo fieri potest, si factibilis nō sit ab eodem habente cognitionem.

206. Non desunt aliqui DD, qui hæc aglomerata inconvenientia devorent,asserantque,quod quoties homines repræsentant modum, quo sua obiecta fiunt,licet fiant ab alijs, notitias practicas habent de illis;ideoque dicunt,cognitiones assignatas in argumento esse practicas, in quo,re explicata,nullum est absurdum; ego tamen, ne videar oneri,quod nulius ponderis est,secumbere.

207. Respondeo,ex dictis non inferri omnes scientias, etiam speculativas,esse practicas; nam licet respiciant obiecta re ipsa factibilia, illa solummodo contemplantur, non vero dirigunt ad eorum productionem; vnde non quævis cognitio rei factibilis est practica;sed quæ fuerit suasiva, illuminativa, aut directiva operantis in ordine ad opus,& illa,quæ fuerit sufficiens,vt cognoscens dicatur causa moralis; sicut Petrus suadens Ioanni actum peccaminosum, aut occisionem Didaci, dicitur causa moralis talis peccati, & occisionis, & vti Angelus superior inferiores dirigit,Angelique Custodes hominis.

208. Hinc cognitio homines de productione Verbi, & Spiritus Sancti, cognitio de productione Angelorum, & sic aliæ,practicæ non sunt, qui neque dirigunt,neque suadent,nec docent modum, quo producendi sunt Verbū, & Spiritus Sanctus, & creandi sunt Angeli:similiter *Deus* non haberet notitiam practicam intentivam peccati, cum ad illud,nec dirigit,nec possit illud persuadere;si tamen vis dicere, cognitionem Divinam de peccato practicam esse permissivè, doctos habebis Patronos Patres Ualentia, & Ruiz apud Arriagam 1.part.disp.18.n.21.

Obj.2.Cognitio practica iuxta Aristotelem est,quę ordinatur ad opus, & est principium operis: Sed si res non sit factibilis á cognoscente, eius cognitio non ordinatur ad opus, neque est principium operis,alias ordinaretur ad impossibile sibi;ergo non est practica.

210. Respondeo, cognitionem practicam ordinari ad opus, sed non necessario faciendum ab eo, in quo est cognitio,sed vel faciendum ab eo, vel ab alio, & hoc sufficit.vt talis cognitio dicatur principium morale operis illius sufficienter,vt practica dicatur,hoc est, non sistens in contemplatione talis operis,sed vlterius suadens, & dirigens ad ęius effectionem,quo sensu non est impos-

sibile sibi tale opus; licet sit impossibile vt physicè producendum.

211. Obj.3. Cognitio practica directiva illuminat, & dirigit ad opus faciendum; ergo solum erga opus faciendum à subiecto, inquo est, dici poterit cognitio practica; Probatur consequentia: cognitio solum illuminare, & dirigere potest subiectum, quod reddit intelligens; sed solum subiectum, inquo est, reddit intelligens: ergo solum subiectum, inquo est, dirigit, & illuminat: ergo.

212. Respondeo, distinguo antecedens: illuminat, & dirigit necessario se ipsam exhibendo per modum formæ; nego; vel se ipsam ita exhibendo, vel excitando ex se, ex suo fine intrinseco cognitionem in alio, qui illum formaliter dirigat ad opus; concedo: quod sufficit; vt talis cognitio non sistat incomtemplatione obiecti, & ita vt sit practica.

213: Replicab: ergo talis cognitio erit causa mediata operis. Probatur cõsequentia: illa dicitur causa mediata, inter quam, & effectum alia mediat; sed inter illam cognitionem Petri v.g. & opus faciendum á Paulo mediat cognitio Pauli: ergo est mediata: tum sic; ergo & impropria causa, sicut causa physicè mediata est impropria causa physica, Avus v.g. respectu nepotis; tum vltra: ergo & impropriè practica, cum illi ratio practici conveniat, quia convenit ratio causæ.

214. Respondeo, talem cognitionem Petri, licet excitet cognitionem Pauli, quæ Paulum illuminat, & dirigit ad opus, esse tamen propriè causam moralem operis, quin cognitio excitata officiat immediationi ipsius; quia ipsum opus, ad quod movet, attingit, & repræsentat, vt proprium, & immediatum obiectum, quod non habet causa mediata physica respectu effectus mediati, Avus v.g. respectu nepotis, quem nullo modo attingit per illam actionem, qua filium producit. Vnde advertas, talem cognitionem esse cognitionem immediatam respectu effectus, cum illum vt proprium obiectum repræsentet modo directivo; licet aliás aliquomodo dicatur causa mediata illius. Nota etiam, cognitionem mediatam operis practicam non esse, immo nec cognitionem illius; Requiritur ergo, vt aliqua cognitio dicatur practica respectu alicuius obiecti, quod sit cognitio immediata ipsius, quia cognitio practica est cognitio obiecti non sistens in eius contemplatione, & qua cognoscimus illud in ordine ad eius operationem.

215. Et licet influxus physicus productivus obiecti, non oriatur immediatè ab ipsa cognitione, neque ab habente illam, sed ab alio exsequente, attamen cum ad causam moralem omnino materialiter se habeat hic influxus physicus, tam enim est propria causa moralis peccati, qui illud suadet, immò qui suadet alteri, vt illud suadeat, quam qui illud physicè exsequitur, ille actus excitans in alterius mente cognitionem immediatè illuminativam ex fine, vt de finitonem v.g. producat, dicetur propria causa moralis illius, quin illa cognitio, intermedia officiat proprietati moralis causationis, ac proinde denominationis practicæ. Quod confirmari potest exemplo artis citharizandi v.g. quæ dicitur practica respectu citharizationis, quin dirigat immediatè potentiam executivam, quæ incapax est directionis, & illuminationis, solum quia dirigit intellectum, sicut enim hæc potentiarum, directę, & exequentis diversitas non officit, quominus illa cognitio artis citharizandi, dicatur propriè practica, ita hæc diversitas personarum cognoscentis nempè, & ex sequentis non officiet, quominus illa cognitio sit practica.

SVE-

SVBSECT. III.

ALIQVIBVS DVBIJS CIRCA notitiam practicam, & speculativam fit satis.

216. PRimum dubium: an scientia speculativa procedat modo resolutorio, hoc est, reducendo conclusiones in sua principia; practica vero modo compositorio, hoc est, componendo materiam cum forma? Affirmant Thomistæ. Negant Reliqui Doctores. & meritò, primo, quia Thomistarum assertum est contra Angelicum *Doctorem* 1. part. q. 19. art. 22. in Corpore, vbi *practica scientia* ratiozinatur de operabilibus, sicut speculativa de speculabilibus: ergo iuxta Angelicũ Doctorem vtraque scientia tam practica, quam speculativa ratiozinando, seu Resolutorie ad prima principia probat suas conclusione. Secundo, quia vtraque scientia practica, & speculativa convenit in Ratione scientiæ: ergo vtraque est propriè scientia: ergo vtraque est habitus adquisitus per demonstrationem, seu demonstrativè procedit in suis actibus; cum hęc sit definitio scientiæ; sed demonstrativê *procedere* est reducere suas conclusiones ad prima principia, inquibus fundantur: ergo vtraque resolutorio modo procedit.

217. Insuper, scientiam practicam tendere modo compositorio, vel est re ipsa componere materiam cum forma, & hoc nõ; aliás nec artes mecanicæ essent practicæ; quia ita non componunt. Uel est repręsentare compositionem materię cum forma, & hoc etiam neutiquam; quia scientia simplicis intelligẽtiæ in productione Angeli est practica, & talem compositionem non respicit; & è contra phylosophia, & Astrologia respiciunt compositionem, & sunt speculativæ: ergo fictitius est talis modus compositorius, etsi aliquando Angelicus *Doctor* dixit, scientiam practicam componere, talis compositio intelligenda est pro operatione, seu effectione; idem namque sonat sępé *componere*, ac *efficere*.

218. Hinc inferes; sententiam Patris Ildephonsi de Penafiel disp. 1. logicæ, sect. 3. n. 106. asserentis, scientiam speculativam vltimo cõstitui per evidentiam obiecti, esse omnino falsam; tum quia cum vtraque scientia practica, & speculativa sit propriè scientia, vtraque debet esse evidens; tum quia potest dari aliquis actus speculativus qui non sit scientificus, sed probabilis; tum etiam, quia actus fidei Divinæ est speculativus, hoc est sistens in obiecti contemplatione, & non est scientia: ergo.

219. Nec valet dicere; actum fidei esse æquivalenter, immò & eminenter evidentem propter maximam securitatem, & infallibilitatem ei ex authoritate Divina provenientem; tum quia ex hoc solùm sequeretur, talem actum esse æquivalenter, non verò formaliter speculativum; tum quia ex hoc solùm sequeretur, illum æquivalere actui evidenti, non qua evidens, sed qua certum; nam securitas, quam præstat, non provenit ab evidentia, sed à certitudine. Tum denique; quia excessus in perfectione non constituit rem in illa specie, quæ exceditur; cum illi non conferat prædicata constitutiva talis speciei: ergo excessus incertitudine actus fidei respectu actus evidentis non constituit illum evidentem, cum illi non conferat claritatem, quæ est constitutivum evidentiæ.

220. Dubium secundum: an cum potentia impedita per accidens ad opus detur notitia practica circa illud? Respondeo affirmativè; quia impedimen-

mentum illud per accidens non tollit potentiam absolutam:ergo nec notitiā practicam:sic claudus potest habere notitiam practicam saltationis, Mancus Cytharizationis, Cęcus lectionis,&c.

221. Dubium tertium:an differentiæ practici,& speculativi sint intrinsecæ,& essentiales actibus? Respondeo affirmativè cum P. Suarez, Arriaga, Linze,& alijs;primo; quia Aristoteles divisit actum intellectus *in intuitivum, quidditativum,abstractivum, practicum, & specculativum*: Sed reliquæ differetiæ sunt essentiales actibus:ergo & differentię practici,& speculativi.Secundo; quia practicum & speculativum sunt modi tendendi cognitionum;sed modus tendendi essentalis est cognitionibus,vt per se patet;ergo. Tertio,quia scientia simplicis intelligentiæ,& scientia visionis sunt diversæ ex diverso modo tendendi in obiectum: sed illa tendit practicè, hęc vero speculative: ergo modus tendendi practicus, & speculativus est intrinsecus, & essentialis actibus.

222. Hinc inferes contra Patres Vasquez, Alarcon,& Erice,scientias esse practicas,vel speculativas ex fine intrinseco ipsarum, non vero ex ordinatione extrinseca cognoscentis; alias artes mecanicę essent speculativę, si aliquis eas addisceret,non vt exerceat,sed vt delectetur in operibus iam factis; item Theologia, & Astrologia essent practicæ si è contra eas addisceret ad pecuniam, vel munera obtinenda.His omnibus supositis.

223. Notitia practica est *Cognitio intellectualis,quæ respicit obiectum operabile sub ratione operabilis*:hoc est, dictans & proponens modum, quo tale obiectum operari poterit in ordine ad hoc, vt operetur.*Praxis* vero *est opus directum per rationem*. Notitia speculativa est *cognitio intellectualis ex se sistens in mera contemplatione obiecti*, quæ quidem licet per negationem *practici* explicetur,hoc est,cognitio non progrediens ad obiecti operationem,nec proponens modum, quo debeat operari, non est negativa, sed positiva, sicut irrationale est vox negativa,& entitatem positivam significat.

224. Hæc explicatio notitię practicæ,& praxis est iuxta mentem Philosophi pluribus in Locis præcipuè 2. metaphysicæ cap.1.vbi ait: *Speculativæ finis est veritas, practicæ autem opus*,eius commentator ita hunc locum explicat: per *speculativam* scimus,vt sciamus, per practicam scimus,vt *operemur*.Est etiam confo mis ipsi vocum ethimologię: nam practicum dicitur á Verbo Gręco *Prato* Lanine *Ago*, speculativum vero á Verbo *Scopeo*,id est,*contemplor*, est denique omnium fere Phylosophorum modo loquendi conformis.

225. Hinc inferes primo contra Patrem Hemelmam; actum practicum non esse necessario actum imperij, quo quis v.g sibi ipsi dicat, *fac hoc*, fac syllygismum in *Darij*, &c. tum quia hoc imperium est actus voluntatis iuxta Sanctum Thomam 1. part. quæst.15. art.4.Tum quia etiam si ad intellectum pertineat,non est actus iudicij;quia nil affirmat,nec negat,ac proinde non est actus practicus scientiæ iudicativæ. Tum denique quia non est necessarium tale imperium,vt dirigatur intellectus; sufficienter enim dirigitur per hunc actum,*divisio totum in partes distribuit*,sine tali imperio.

226. Inferes secundo contra Patrem Arriagam hic n. 67. non quamcumque cognitionem repræsentantem possibile esse practicam, quia si repræsentet illud secundum suam essentiam, quin ad eius operationem ordinetur, erit speculativa:vnde illud debet respicere,vt operabile:sic iuxta Patres Suarez lib.3.de attributis positiv. Valencia,Granado,Herice,immò iuxta ipsum Arriagam disp.18.n.20. Secutos Sanctum Thomam 1.p.q.14.art.16.scientia simplicis intelligentiæ respectu possibilium;si solum attingit essentiam, & proprietates eorum, esse speculativam; si vero ea vt producibilia repræsentet, dirigendo Omnipotentiam, vt ea producat,est practica: ergo respicere obiectum possibile præscissè, non arguit notitiam practicam.

225. Inferes tertiò. Neque cognitionem repręsentantem obiectum operabile esse practicam, si illud vt operabile, seu directivo modo non respiciat. Vnde circa rem operabilem potest dari notitia speculativa,dummodo speculabilitas se habeat vt obiectum materiale,non vero vt ratio formalis; patet hoc in exemplo posito scientiæ simplicis intelligentiæ. Liceat hoc probare Verbis Eximij Doctoris vbi supra n. 42.Sic se habentibus: quod si scientia speculativa versetur interdum circa rem operabilem, differt tamen á scientia practica; quia hæc versatur circa rem operabilem modo operabili; qui modus redundat in obiectum formale, & ideo dicitur, practicam scientiam esse de re operabili,vt operabilis est;speculativam vero de re *vt speculabili*, hoc est, notitia speculativa potest terminari ad operabile,habendo se operabilitas vt obiectum materiale,non vero vt ratio formalis,quia attingit operabile vt cognoscibile, scientia vero practica terminatur ad operabile habendo se operabilitas vt ratio formalis,quia tangit operabile vt operabile.

226. Hoc optimè explicatur exemplo amoris stricti,& desiderij; vterque namque potest terminari ad bonum absens;sed diverso modo; amor strictus terminatur ad bonum absens,habendose absentia,vt obiectum materiale, non vero vt ratio formalis, quia amor strictus non attingit bonum absens, vt absens;sed attingit bonum absens, vt bonum,præscindendo scilicet ab absentia, vt ratione formali; amor desiderij item terminatur ad idem bonum absens, habendose absentia,vt ratio formalis;quia attingit bonum absens, vt absens. Hoc modo se haberent duæ cognitiones,vna speculativa,& altera practica, quæ quidem obiectum operabile respicerent; respectu primæ operabilitas se haberet, vt purè obiectum materiale, respectu secundę,vt obiectum formale.

SUBSECTIO IV.

AN LOGICA SIT PRACTICA, vel speculativa.

129. PRima sententia tenet; logicam esse adæquatè speculativam; ita Scotistæ omnes cum Scoto,& Poncio. Thomistæ communitèr,& ex nostris Toletus q.4.proæmiali,Fasolus 1.p.q.1.art.5.dub.1.

230. Secundá sententia asserit,esse adequatè practicam;ita Connimbricenses,Fonseca,Murcia, Arriaga, Oviedo controversia 2.punt. 5. Linceus lib.3. cap. 5. Spinula, Caramuel, Bonespei tract 11.d.vltima,dub. 3. & communitèr Recentes cū P.Olea tract.2.Procem. disp.58.sect.1.n.4.

231. Tertia sententia tenet, nec esse practicam, nec speculativam; Sed facultatem organicam, & instrumentalem scientijs practicis, & speculativis deserviētem:ita Petrus Niger,Zarabela, Patres Pereira Valencia, & Smiglesius apud Oviedum n.4.

232. Quarta sententia tenet, esse partim practicam, & partim speculativam:Sed ex Doctoribus, hoc adstruentibus,aliqui dicunt,esse simpliciter speculativam,&secundum quid practicam: ita Ex. Doctor disp.44. metaphysicæ. sect.13.n.64.quem sequitur Pater Ildephon-

phonsus de Peñafiel. Alij è contra, tuentur, esse simpliciter practicam, & secundum quid speculativam: ita Franciscus Alphonsus & Quiroz disp. 13. sect. 8 n. 60. Locutus de logica partiali; locutus vero de logica totali n. 68. asserit, esse practicam Pater. Peinadus disp. 1. prœmial. sect. 3. n. 49. Alij denique tenent, esse simpliciter practicam, simpliciterque speculativam: ita acutissimus Doctor. 1. part. disp. 4. n. 2. Rubius, Hurtadus, Compton, Santa Cruz á n. 122. Ioannis, & alij.

233. Dico. Logica est scientia partim practica, & partim speculativa. Probatur primo conclusio; Sanctus Thomas opusc. 70. in Boetium de trinitate, in responsione ad secundum, & Aristoteles sæpé asserunt; logicam esse instrumentum, & adminiculum scientiarum, quatenus eas iuvat, & dirigit ad actus artificiosè eliciendos; ergo iuxta communes Magistros logica est practica; ipsemet Aristoteles, & Divus Thomas 1. 2. q. 47. art. 2. ad tertium, quibus adde Sanctum Augustinum lib. 8. de civitate Dei. cap. 4. vocant logicam speculativam, & partem Philosophiæ speculativæ: ergo iuxta ipsos etiam est speculativa: ergo ne dicamus, Divum Thomam, & Philosophum sibi contrariari, debemus dicere, ipsos iudicasse, logicam habere plures actus practicos, ratione quorum possit dici practica, & plures speculativos, vi quorum etiam speculativa dicatur.

234. Probatur secundò. Illa scientia est partim practica, & partim speculativa, quę habet plures actus practicos, & plures speculativos; sed logica ita se habet: ergo logica est partim practica, partimq́ speculativa; probatur minor quoad primam partē: logica habet plures actus qui non sistunt in mera obiecti contemplatione, sed vltra dirigunt intellectum ad eius effectionem, proponendo modum, quo possunt effici; sed actus ita se habentes sunt practici: ergo logica habet plures actus practicos. Probatur maior: hi sunt actus logici: definitio debet constare ratione cōmuni, & differentiali: divisio est modus sciendi totum in partes distribuens. Syllogismus componitur tribus propositionibus. Sed hi actus non sistunt in mera contemplatione suorum obiectorum, sed vlterius dirigunt intellectum ad eorum effectionem proponendo modum, quo effici possunt, vt per se patet: ergo.

235. Probatur prima minor quoad secundam partem: logica habet plures actus sistentes in contemplatione obiecti, cognoscendo eius existentiam, proprietates, & essentiam, quin dirigant intellectum, neque proponant modum, quo effici possunt: sed hi actus sunt speculativi: ergo logica habet plures actus speculativos. Probatur maior hi sunt actus logici: *Definitio explicat essentiam rei*: divisio tollit confusionem: demonstratio generat scientiam: sed hi actus sistunt in mera contemplatione suorum obiectorum, cum nec ostendant, nec proponant intellectui modum, quo effici possuut: ergo.

236. Confirmatur: hi actus: intellectio consistit in qualitate. Species impressa est semen obiecti, sunt speculativi; quia licet terminentur ad obiecta operabilia, non respiciunt ea, vt operabilia, sed explicant præscisse essentiam suorum obiectorum; sed ita se habent illi actus logici respectu definitionis, divisionis, & argumentationis: ergo.

237. Probatur tertiò conclusio: actus, qui versantur circa modum sciendi iam factum, ad logicam pertinent, nam ad nullam aliam facultatem commodius pertinere possunt, vt ex solutione argumentorum constabi; v. g. hi syllogismus est in *Darij*: *hæc divisio est recta*: sed hi actus sistunt in mera obiecti contemplatione, nec respiciunt aliquid factibile, aut operabile, sed factum iam, & operantum: ergo.

238. Sed Respondebis cum pluribus ex adversarijs, pręcipuè Arriaga, Oviedo, & Connimbricensibus, tales actus esse speculativos, sed nullo modo pertinere ad logicam, sed illi positi in prima probatione ad Animasticam; hi proximè positi in tertia probatione ad experientiam: probant hoc, quia totale obiectum logicæ â Sapientibus præfixum est modus sciendi tantum vt regulabilis, non vt contemplabilis; nam cum logica inventa sit ad præcavendos errores in adminiculum aliarum scientiarum, ad quod solum actus regulativi, & directivi deservire possunt, ad logicam solum attinent actus practici, seu respicientes modum sciendi vt operabilem.

239. Ante responsionem ad hanc Doctrinam, quæ certè probabilem reddit sententiam contrariam, facilèque defensabilem, suppono primò, â nemine dubitari posse; dari actus speculativos circa definitiones, divisiones, & argumentationes. Nam obiectum potest terminare omnem cognitionem, cuius habet rationem formalem, sed modus sciendi habet rationem formalem cognitionis speculativæ, nempè cognoscibilitatem speculabilem; ergo circa modum sciendi possunt dari plures actus speculativi. Hæc doctrina confirmari potest ex Angelico Doctore 1. 2. q. 4. art. 3. ad 3. asserente, omnes artes liberales esse speculativas, quia earum artificiosa obiecta contemplari possunt. Quis enim dubitet, modum conficiendi calceos, claves, Scamna, &c. esse contemplabiles; vnde iam supra dixi, idem obiectum operabile posse terminare actum speculativum.

240. Suppono secundo. Quòd licet actus esse practicos, non proveniat ab eo, quod obiectum sit operabile, vel non, scientiam tamen esse adæquatê practicā, ab hoc non provenit, sed á Sapientum ordinatione, qui ad componendam vnam scientiam, actus, & habitus practicos cumularunt, & speculativos ad aliā reiecerunt tū ob methodi cōgruitatem, tum ob vtilitatem discentium. Unde circa idem obiectum actus practici possunt ad vnam scientiam pertinere, & speculativi ad aliam. Sic actus speculativos circa nutritionem ad Physicam; actus practicos ad Medicinā, actus speculativos honestatis moralis ad Theologiam, actus practicos circa ipsam ad Prudentiam: actus speculativos motus ad Physicam, actus practicos ad varias facultates, saltatricem, sutoriam, &c. distributive accommodarunt; his suppositis, & indubitatis.

241. Dicunt Adversarij; tales actus speculativos ad modum sciendi terminatos relegandos esse á logica. Ego logicos esse vocandos, adstruo. Dissidiū est de nomine. Sed in re de nomine congruentius loquor. Et quidem durissimū est, exulare á logica hos actus: *Demonstratio generat scientiam*, & reliquos. Nam si ad scientiam, quæ tota est in docenda effectione modi sciendi, non pertinent actus explicantes essentiam, proprietates ipsius modi sciendi, ad quam scientiā pertinebunt? Præterea, illi actus docentur, & explicantur ab omnibus Phylosophis in logica; nullique frequentius, quam illi versantur in ea, cur ergo ab illa excludendi erunt?

242. Insuper, si vt aliquis defenderet, logicam esse adæquatè speculativam, cum illi opponeres, hos actus esse practicos. *Definitio debet constare genere, & differentia. Divisio debet totum in partes distribuere*: responderet affirmando, tales actus esse practicos; non verò esse logicos; quia ad logicam attinet tantum modus sciendi vt speculabilis, non vero vt dirigibilis. Non ne vocem extollerent adversarij cōtra illum dicentes; tales actus omnino voluntarie á logica relegari, cum ab omnibus Phylosophis tales actns in logica tradantur, &c?

Certè

Certè extollerent. Pariter ergo nos cótra eos vocem extollamus dicentes, ipsos omnino voluntarie tales actus à nobis asignatos á logica reijcere.

243. Præterea. Si plures scientiæ admittuntur, quarum adæquatus finis sit speculari suum obiectum, vt Phylosophia, Astrologia, &c. Cur admitti nō poterit, quæ etiamsi habeat pro principaliori fine docere alicuius rei effectionem, simul speculativè talis rei naturam contempletur? Sic modo de facto ita se habere omnes scientias practicas, cum ad illas pertineat etiam contemplari opera iam facta, tenent Plures Doctores. Hoc ergo semel posibili; logicam ita se habere, probabilius mihi videtur, cum permixtim inveniantur in ea actus docentes effectionē modi sciendi, & simul contemplantes eius naturam.

244. Roga. Cur actus illi speculativi non sunt logici? Si dicas, quia nō respiciunt modum sciendi, vt dirigibilem? Principium petis. Hoc enim est, quod inquiro. Cur actus, qui respiciunt modum sciendi, non vt dirigibilem, sed vt contemplationem, non sunt logici? Si dicas; quia Doctores ab eà tales actus reijciunt? Falsò respondes. Maior enim pars Doctorum, & vnus pro mille Eximius Suarez, eos à logica non reijcit. Si Aristotelem, & Sanctum Thomā appelles? Aristotelem, & Sanctum Thomam in mea probatione appellavi. Si denique dicas, quia logica inventa est ad præcavendos errores ad dirigendum intellectum in omnibus facultatibus, vt instrumentum, & adminiculum scientiarum:

245. Ex eo ad summum inferes. Logicam ex fine extrinseco ordinari adęquatè ad opus, non verò non habere aliquos actus, qui ex fine intrinseco, & particulari ipsorum sistant inmerá contemplatione obiecti, ac proinde sint speculativi, sufficientesque, vt logicam partim speculativam denominemus. Vide, si placuerit de hoc puncto, Patrem Quiroz, disp. 13 sect. 8. n. 68 asserentem logicam talem, vt est vna scientia, esse extrinsecè adæquatè practicam.

SVBSEC. U.

SOLVVNTVR ARGVMENTA contra logicam speculativam.

246. Obijc. 1. Actus illi: *Demonstratio generat scientiam*, &c. qui á nobis, vt speculativi ponuntur, sunt practici; ergo. Probatur antecedens. Hi actus, & omnes alij, qui ad logicam pertenent iuvare possunt ad sui obiecti effectionem, & eis potest intellectus gubernari ad vitandos errores; ergo. Probatur antecedens. Omne obiectum logicæ est *definitio; divisio*, & *argumentatio*; Sed ad hæc omnia efficienda illis principijs iuvari potest intellectus, cum hęc omnia ex directione logicæ fiant; ergo.

247. Confirmatur. Tales actus, licet non sonent directionem, nec per modum imperij proferantur, voce scilicet imperativa, *fac hoc* re tamen ipsa implicitè dirigunt, & æquivalent actibus directivis, quibus diceretur: *Si vis elicere definitionem, essentiam rei explica*; ergo.

248: Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: Hi actus possunt iuvare intellectum per se dirigendo eum ad talem effectionem, vel vt causa physica, aut moralis; nego, per accidens, quatenus ex eis possunt aliæ cognitiones excitari, quæ per se dirigant; concedo. Ad probationem eodem modo distinguo. Non nego; posse tales cognitiones iuvare remotè intellectum ad effectionem definitionis, demostrationis, &c. quatenus reflectendo supra ipsos possunt excitari in intellectu aliæ cognitiones dirigentes; sed hoc non sufficit, vt dicantur practici. Patet in his principijs metaphysicis. *Dici de omni, Dici de nullo. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se. Imposibile est simul esse, & non esse*, quæ sunt speculativa, & tamen eis iuvatur intellectus ad plures, immò ad omnes conclusiones eliciendas, & stabiliendas. Sic Medicus iuvatur principijs physicis iuxta illud *vbi desinit physicus, incipit Medicus* in suis operationibus, & principia physica manent speculativa. Sic cognitione bonitatis Dei, & malitię peccati iuvatur voluntas ad detestationem peccati, & dilectionem Dei, & tamem tam cognitio bonitatis *Dei*, quam malitię peccati est speculativa.

249. Requiritur ergo ad notitiam practicam, quod per se dirigat ad opus, & proponat intellectui modum, quo proprium obiectum effici posit, sed illi actus: *Demonstratio generat scientiam. Definitio explicat essentiam rei*: nullo modo proponunt intellectui modum, quo demostratio, & definitio effici possunt: Ad huc enim illis positis in intellectu, ignoramus modum, quo facienda sit demonstratio, & definitio, & illis ablatis, si maneāt aliæ cognitiones, quæ á me practicæ nominantur, possum elicere definitionem, demonstrationem, &c. ergo illæ cognitiones ad effectionem talium actuum omnino materialiter se habent; & si forte adsunt, cum efformo definitionem, & demostrationem, concomitanter solúm se habebunt, non verò pro priori, vt requiritur ad cognitionem practicam.

250. Non dubito, definitionem, diuisionem, &c. *Esse* effectus logicę, sed logicæ partialis, non vero totalis cum hæc actibus speculativis etiam resultet, qui etiam si respiciant res operabiles, non sunt practici; quia illos non respiciunt modo operabili, sicut scientia visionis respicit creaturas operabiles, & iuxta nostræ societatis Scolam contra Thomisticam, est speculativa. De hoc iam supra.

251. Ad confirmationem respondetur, Me non excludere, sicut Pater Quiroz, illos actus á ratione practicorum, quia non sonant imperium, vt iam supradiximus; sed quia nullo modo docent intellectum modum, quo efficere posit definitionem, demonstrationem, &c. Unde etiamsi explicentur modo imperativo *si vis elicere definitionem, explica essentiam rei*, speculativi manent.

252. Replicas primo. Sed sufficit hæc mediata directio illorum actuum, hoc est, quod ex eis posint inferri actus immediatè dirigentes hoc modo: *definitio explicat essentiam rei*; ergo *debet constare genere, & differentia*, vt tales actus dicatur practici; ergo: Probatur antecedens duplici exemplo; primum sit Philosophiæ moralis, quæ est practica respectu virtutum. Secundum sit Medicinæ, quæ practica est respectu sanitatis, & tamen nec Philosophia morali, nec medicina causant immediatè virtutes, & sanitatem, sed philosophia medijs dictaminibus prudentię, & Medicina media applicatione medicaminum.

253. Confirmatur. Per nos cognitio, quam Petrus habet, potest esse practica respectu definitionis faciendæ à Paulo; sed cognitio Petri non dirigit immediatè ad definitionem Pauli, sed media alia cognitione in ipsius Pauli mente existente: ergo sufficit mediata directio ad practicam cognitionem.

254. Iam supra dixi, cognitionem practicam debere esse cognitionem immediatam effectus proponentem modum, quo talis effectus posit effici; quid quid sit; an influat mediatè physicé, & moraliter immediatè; quod quidem sufficit, vt cognitio dicatur propria causa moralis; sicut qui suadet ad peccatum dicitur propriè peccans, sed cognitio-nes

nes illę,ex quibus solum per consequẽtiam inferrentur aliæ cognitiones immediatè directivæ,non respiciunt opus vt operabile,vt obiectum immediatum, sed vt obiectum mediatum, quod re ipsa non est obiectum, licet ex eis inferantur aliæ cognitiones respicientes illud, vt operabile ; ergo non sunt practicę, sed speculativæ ; sicut hi actus *Deus est summè bonus. Peccatum est summè malum*, non sunt practici,sed speculativi, licet ex eis possent inferri hi : *Ergo Deus est summè amandus*; ergo *peccatum est summè odiendum*,quæ sunt regulæ practicę dirigentes ad amorem Dei,& odium Peccati.Et hęc est confirmationis solutio. Ideo enim cognitio Petri est practica respectu definitionis á Paulo faciendæ, quia illam respicit,vt obiectum immediatum non sistens in mera ipsius contemplatione,sed vt causa moralis illius Paulum dirigens in eius effectione.

255. Ad primum exemplum Phylosophiæ moralis respondetur. Hanc concurrere immediatè ad virtutem simul cum prudentia , sed Phylosophia moralis, vt causa vniversalis dirigens omnia opera honesta; Prudentia tamen vt causa particularis illi subordinata dirigens hic , & nunc ad tale, vel tale opus virtutis, sicut Deus , & creatura concurrunt ad effectus creatos,Deus vt causa vniversalis,creatura vt causa particularis illi subordinata. Ad secundum exemplum Medicinæ Dic, quod quamvis sanitas nequit operari nisi medijs medicaminibus vt instrumentis, medicus tamen illam immediatè respicit, dictamina que Medicinæ illam immediatè attingunt, sic *Hic morbus repellendus est,& sanitas adquirenda his medicaminibus taliter applicatis.* Aliter se habent illi actus nobis obiecti,qui opus immediatè non respiciunt.

256. Replicas secundò. Ex dictis solum infertur,posito hoc actu, *demonstratio generat scientiam* v.g.non posse intellectum elicere demonstrationem, egere que alijs , vt eam eliciat , sed ex hoc solum infertur;non esse causam totalem demonstrationis , non verò non esse causam partialem illius: ergo non infertur , talem actum non esse practicum.Confirmatur. Posito hoc actu *Definitio constat genere,& differentia* , adhuc intellectus sine aliorum actuum iuvamine nequit definitionem elicere,& tamen est practicus ; quia est causa partialis.Ergo.

257. Resp.Certum esse, dari causas partiales directivas , quæ omnes debent concurrere ad productionem effectus , & aliqua ex eis deficiente,effectus difficile poni;sic ad syllogismum in *Darij* v. g. concurrunt plures regulæ, aliquæ vniversales, & aliæ particulares, sed omnes aliquo modo docent , & proponunt modum , quo syllogismus efficiendus sit;ideoque ille actus *syllegismus constat tribus propositionibus* est practicus,cum doceat intellectum tres propositiones assumere,vt syllogismum efformet,est tamen partialis causa , ideoque,illo solum posito in intellectu,hic syllogismum non efficeret.Ast vero actus illi speculativi nec partialiter docent intellectum modum efficiendi demonstrationem,& definitionem,ac proinde nec causæ partiales dicendi sunt.

258, Replicas tertio. Hic actus,*vt adquiratur definitio , faciendus est actus explicans essentiam rei.Vt adquiratur scientia,faciendus est syllogismus demonstrativus* sunt practici;cum doceant , quo modo definitio facienda sit,& adquiri debeat scientia: ergo & hi,*Definitio explicat essentiam rei.Demonstratio generat scientiam* erunt etiam practici. Probatur consequentia : Hi actus non diriguntur ab illis in re significata,sed solum in modo significandi quasi imperativo; sed per nos in hoc modo significandi non consistit ratio directivi,& practici;ergo.

259. Resp. Nego antecedens,ad implicitam probationem, distinguo:tales actus docent,id est , sonant directionem;Concedo. Re ipsa dirigunt,& docent nego. Vnde re ipsa non sunt practici,quomodocumque eliciantur. Cum nullo modo proponant intellectui modum aliquem , quo talis explicatio rei possit fieri , & sive existant , sive non existant,dum modo aliæ regulæ directivæ illuminent intellectum eodem modo producenda erit definitio , aut demonstratio. Dicendum est , tales actus æquivalere his.*Si existat definitio,dabitur explicatio essentiæ. Si existat demonstratio, dabitur scientia* , qui directivi non sunt, sicut & hi. *Si existat homo,erit animal rationale.Si existat pictura,erit imago obiecti.* Vnde dico,tales actus quomodocumque proferantur,esse speculativos.Sed si vis. Dic. Transeat antecedens. Iudicant enim Pater Quiroz, & alij , eos actus primo modo dispositos esse practicos, non vero secundo modo dispositos, nam licet respiciant idem obiectum,respiciunt tamen illud diverso modo , ac proinde essentialiter differunt , & primi appellantur practici , secundi vero speculativi.

260. Nota , quod si hi actus primo vel vtroque modo dispositi tibi videantur directivi , ideoque difficultatem ingerant , nec perfectè capias,quomodo sunt purè speculativi , & non aliquo modo practici,sicut alij à nobis vt practici admissi , recurre vt teneas presentem conclusionem,ad actus reflectentes tantum,& ita eos dispone. *Hac definitio explicat essentiam rei : hic syllogismus demonstrativus generat scientiam. Hac divisio tollit confusionem* , qui actus cum tantum respiciant definitionem, divisionẽ, & demõstrationem iam factas, nec alias demonstrationes factibiles respiciant, cum sunt cognitiones particulares,nullatenus dirigunt, nec dirigere possunt, licet concederemus aliter efformatos [illegible]

v.g. *Definitio explicat essentiam rei* , *& dirigere*,sicut cognitio simplicis intelligentię,qua Deus creaturas possibiles cognoscit,est practica, & scientia visionis,qua eas,vt existentes cognoscit , est speculativa.

262. Objic.2. Ille actus,qui terminatur ad syllogismum iam factum v.g. vel ad logicam spectare non debet, sed scientiam experimentalem , vel si ad logicam spectat,non officiet,vt sit adęquatè practica.Alias nulla esset scientia adæquatè practica,cum nulla sit scientia,quę hos actus reflexos habere non possit.

262. Respondeo,talem actum ad logicam spectare ob rationes iam supra allegatas; vel respondeant Adversarij; quare ad logicam non spectet? Quia nõ est practicum?Principium petunt.Cur enim ad eamdem facultatem ad quam pertinet operis effectio , & operis examen,iudicium rectitudinis,& approbatio bonitatis non pertinebit ? Pręcipuè cum tale examen non nisi ille, qui optimê regulas logicę percaluisset, posset efficere,& maximam habet cum logica conexionem;ergo ad illam pertinebit.

163. Ait nescio , quomodo non possit officere,vt sit adæquatè practica habere aliquos actus speculativos, cum idem sit habere aliquem actum speculativum aliquam facultatem,ac eam nõ esse adæquatè practicam. Vnde minor, Modernum quendam satis literatum hoc dixisse. Inconveniens autem argumenti nullum est. Quia nullum est pontificium decretum (verba sunt ingeniosi Moderni)nec sacræ paginæ locus , qui nos compellant adstruere aliquam scientiam esse adæquatè practicam.Admitto enim nullam esse practicam adæquatè,quia omnes debent actus suos eximanare.Quid inde?

164. Objic.3.Actus terminatus ad syllogismum iam factum essentialiter est

est operativus,& solum accidentaliter non operatur suum obiectum eo scilicet, quod iam sit factum. Inde infero; tale obiectum accidentaliter est factum,ergo actus ad illud terminatus accidentaliter est non factivus,ergo ex se practicus erit.

265. Respondeo, quod licet obiectum actus reflexi v.g.definitio *A* accidentaliter sit facta, cum potuerit absolutè non fieri,at actus reflectens supra ipsam,dicensque; *hæc definitio facta est iuxta regulas logicæ*, non est accidentaliter,sed essentialiter non operativus, cum respiciat illam essentialiter, & ex sua intrinseca tendentia,vt iam factam, quin talis actus aliter posit eam respicere,cum essentialiter ab ea iam facta, vt á proprio obiecto specificetur.

266. Obj.4.Ille actus reflexus supra defininitionem iam factam potest intellectum dirigere ad faciendam aliam definitionem illi similem; ergo erit directivus,ac proinde practicus.

267. Respondeo, dupliciter posse aliquem actum respicere definitionem iam factam,vel habendo illam pro obiecto adæquato,vel pro obiecto in adęquato, ita vt talis cognitio respiciat definitionem iam factam vt exemplar obiectivum,in ordine ad aliam faciẽdam. Vnde ex definitione iam facta,& ex factibili resultet obiectum adæquatum illius. Sicut dupliciter potest pictor imaginem aliquam Cæsaris v. g. respicere,vel sistendo in illius contemplatione,& examine,vel illam respiciendo,vt exemplar ad aliam similem depingendam. Si primo modo se habeat actus reflexus, est adæquatè speculativus, cum non habeat pro obiecto praxim vt talem respectu sui ipsius. Si secundo modo,erit practicus,cum non respiciat illam definitionem factam sistendo in illius contemplatione, sed habendo pro fine ad alim dirigere. Actus enim á fine debet dici practicus, vel speculativus.

Sic Colonus practicè contemplatur terram,vt aret. Faber ligum,vt ianuas efformet Pictor linteum,vt pingat.Scriptor papyrum,vt literas ducat. Vtroque modo potest actus reflexus supra definitionem iam factam ad logicam pertinere, vt iam probatum manet: ergo erit partim speculativa ea parte,qua primo modo dispositi ad eam pertineant. Nec ex eo, quod intellectus posit eo actu purè reflexo iuvari ad aliam definitionem similem efformandam, sequitur, eum actum esse practicum, cum hoc non intendat ex se, respiciendo illam aliam definitionem similem, vt obiectum immediatum. Sic ex visione Beata sequitur amor necessarius Dei,& tamen illa non est practica; quia non respicit ipsum amorem vt obiectum.

268. Instas. Ergo saltem hic actus terminatus ad definitionem iam factam *Hæc definitio constat genere,& differentia, quia est essentialis*,erit practicus. Probatur Sequela. Ille actus æquivalet propositioni vniversali,sic se habenti Omnis definitio essentialis constat genere, & differentia; sed hic actus est directivus,ac proinde practicus, ergo & ille.

269. Respondeo, quod si talis actus æquivalenter dirigit, quia æquivalet alteri actui, qui ex illo infertur solum erit æquivalenter practicus, & formaliter speculativus, cum non respiciat pro obiecto alias definitiones factibiles, sed solum illam iam factam. Item etiam si hic actus esset practicus, alij, qui solummodò contemplarentur obiectum factũ vt tale, speculativi erunt, quo salvatur probatio nostra.

270. Objic. 5. Ille actus *Hæc definitio constat genere,& differentia*,est examinativus rectitudinis, & correctivus irrectitudinis definitionis; ergo dirigit intellectum ad conservandam eam, si fuerit recta, vel ad emendandam,vel saltem ad cessandum ab ea, & eliciendam aliam,si fuerit irrecta illa iam elicita;

ta;ergo talis actus erit practicus.

271. Argumentum plenum est falsitatibus,& pravis terminorum intelligentijs. In primis nego, talem actum esse examinativum; nam actus examinativus est quędam apprehensio dubitativa;sicut illa,quæ in fronte quæstionum apponi solet v g.in pręsenti: *An logica sit adæquatè practica, nec nè?* Quæ non est cognitio scientifica, nec iudicativa. Iam vides quantum distet ab ea,qua absolutè asseritur bonitas definitionis absque dubitationis signo, quę potius est approbativa. Si verò per actum examinativum intelligas,illum quo cognoscitur bonitas, & conformitas obiecti cum regulis,sicut ille, quo *Deus vidit cuncta,quæ facerat, & erant valde bona*: dic, talem actum esse examinativum,sed ne dicas,esse practicum.

272. Ad illud,quod talis actus sit correctivus irrectitudinis,non percipio, quomodo posit actus repræsentans rectitudinem sui obiecti corrigere irrectitudinem. Nam,vel illa irrectitudo est in suo obiecto?Et hoc non; cum illud rectum supponat;vel est in alijs definitionibus,quæ cum non sint obiecta talis actus,nec ab eo respiciantur,quomodo possunt ab eo corrigi? Unde talis actus,neque dirigit intellectus ad cessandum ab aliqua definitione; nam illa, quam respicit, vtpotè iam elicita incapax est cessationis, vel vt cessetur in eius effectione.Neque dirigit ad eliciendam aliquam,cum aliam non respiciat, & actus solum dirigit, quod respicit. Minus dirigit an emmendandam aliquam definitionem.quæ vox *emmendo*, nequit actibus intellectus, neque actibus transeuntibus applicari. Nam cum statim,ac fiunt, transeant, emmendari nequeunt, licet posint fieri aliæ rectę actiones,quæ non sunt primæ emmendatæ,sed aliæ rectè elicitæ. Aliter evenit in rebus materialibus permanentibus v.g Scamno,quod si irrectum fiat, emmendatur, vel auferendo, vel addendo aliquid.

173. Objic.6.Regula dictans,quomodo syllogismus factus in *Baralipton* reducendus sit ad *Barbara*, respicit syllogismum factum vt factum,nam solum vt factus reducendus est,sed talis regula est practica: ergo actus respiciens syllogisinum iam factum erit practicus.

274. Resp. Nego maiorem, talis enim regula est conditionata hoc modo *si sillogismus* factus fuerit in *Baralipton* reducendus est ad *Barbara* tali, vel tali modo, & actus conditionatus non respicit existentem,& purificatam conditionem.Patet,nam Deus per scientiam mediam cognovit,quod si Divo Petro conferretur tale auxilium,non esset responsurus,ac proinde damnandus esset; & tamen nec collationem auxilij, nec carentiam conversionis respexit existentem,cum de facto non extiterit,& ratio est,quia scientia conditionata conditionem non purificat,nec illam respicit vt existentem;sed vt posibilem; sed clarius.& in forma Respondeo, Regulam illam non respicere syllogismum factum; vt factum sistendo in eius contemplatione, sed syllogismum factum vt reducibilem,& factibilem in *Barbara*,& ad hoc dirigit,hoc que docet, quid ergo mirum, quod talis actus sit practicus,& quod illi actus respicientes syllogismum factum,vt factum sint speculativi.

275. Objic.7.Logica respicit adæquatè praxim; ergo est adæquatè practica. Probatur antecedens. Respicit adæquatè actus intellectus, sed omnes actus intellectus sunt praxis,ergo.Confirmatur.Scientia simplicis intelligẽtiæ est adæquatè practica, quia est idæa producibilium, Item prudentia est adæquatè practica,quia dirigit modum rectè operandi per voluntatem, sed logica est idæa modi sciendi, & dirigit modum rectè operandi per intellectum, ergo.

276. Retorquetur. Hi actus animastici *intellectio consistit in qualitate; est tendentia intentionalis in obiectum*, &c. respiciunt adequatè praxim, cùm respiciant adæquatè actus intellectus; ergo erunt adæquatè practici, quod est contra ipsos Adversarios, qui tenentur respondere, tales actus respicere praxim materialiter, non vero formaliter vt praxim, hoc est respicere actus intellectus, qui praxis sunt, vel respectu ipsius intellectus producentis eos, vel respectu aliarum facultatum, â quibus possunt dirigi, non tamen, vt dirigibiles ab ipsis actibus, sed vt speculabiles, ita ego de actibus speculativis logicæ sæpè respondi, nunc, & semper respondebo.

277. Ad confirmationem respondetur, â Doctoribus iam citatis, scientiam simplicis intelligentię etiam appellari speculativam, ea parte, qua essentiam; & proprietates possibilium attingit, sicut logica essentiam, & proprietates modi sciendi; illi vero, qui eam adæquatè practicam appellant, moventur ex eo, quod iudicant omnia sua obiecta respicere vt producibilia formaliter, non ita logica respicit omnia sua obiecta vt praxim, & producibilia formaliter. Idem dic de prudentia. Esse scilicet adæquatè practicam, quia solum dirigit modum virtuosum operandi voluntatis, qui in illum, eiusque proprietates contemplentur. Vnde vt optimè advertit Pater Quiroz hic, n.82. logica nō est comparanda prudentiæ, sed Phylosophiæ morali, quæ est partim speculativa, quatenus scilicet contemplatur naturas, & proprietates virtutum, & vitiorium. Si vero etiam ad prudentiam pertineat actus reflexus, quo dicitur *bonum & decens fuit, elicuisse talem actum sub illis circunstantijs*, sicut pertinet ad logicam actus ref.exus, quo dicitur: *hæc definitio est iuxta regulas logicæ.* Dic; prudentiam esse partim speculativam, & eodem modo, ac de logica discurre.

278. Objic. 8. Logica definitur à Phylosophis: *Ars disserendi*, sed omnis ars vt talis, est operativa, ac proinde practica; ergo.

279. Resp. Logicam absolutè posse denominari artem disserendi, á maiori ipsius parte, non vero esse artem adæquatè vt iam sæpè notavi. Habet enim regulas, quæ disserere docent, & simul actus, qui contemplentur.

280. Objic.9. Ergo logica non est vna scientia, cum habeat plures actus, è quibus aliqui respiciunt obiectum sub dirigibilitate in modum sciendi: alij vero sub speculabilitate, quę diversitas in ratione formali, vnitati sciētiæ officit.

281. Resp. *Distinguo* consequens, non est vna scientia vnitate proprie, & simpliciter tali, concedo, vnitate per aggregationem, qualiter solum ad vnam scientiam componendam requiritur; nego. Scientia non dicitur vna, eo quod vnam solum habeat rationem formalem sub *qua*, sed eo quod ex pluribus actibus iuxta sapientum placitum resultet aliquod aggregatum, ea vnitate, qua agregatum plurium hominum armatorum vnus exercitus dicitur. Et sicut cōtra Thomistas nostri dicunt. Vnam scientiam, non esse vnicum habitum, sed plures habitus per aggregationem, ex quibus iudicio prudentum vna scientia resultat, eo quod tales habitus, vel inter se, vel ratione obiectorum aliquam habent proportionem, ita nunc diximus de ratione formali, quæ debet esse vna per aggregatum, hoc est, plures rationes aliquo modo connexæ, quis enim dubitet, plurimam proportionem habere inter se dirigibilitatem in modum sciendi, & speculabilitatem ipsius modi sciendi.

282. Objic.10. Omnes actus scientiæ debent ordinari ad finem pręfixum ab Authore; Sed finis præfixus ab Auttore logicæ, Aristotele nempè, est opus:

opus: ergo omnes logicæ actus debent ad opus ordinari; ergo nullus debet esse speculativus. Probatur maior ex Aristotele 1. Topic.cap.9. & pluribus alijs in locis, vbi asserit. Logicam esse instrumentum scientiarum, adminiculum intellectus ad scientificè discurrendum, ad hoc que á se inventam esse testatur. Aristoteli annuit Angelicus Præceptor opusc.72. in Boetium, q.17. ad secundum, vbi ait. *Ad secundum dicendum, quod scientiæ speculativæ sunt de illis, quorum cognitio quæritur propter se ipsam, res autem, de quibus est logica non quæruntur ad cognoscendas propter se ipsas, sed vt adminiculum ad alias scientias*, ergo omnes actus logicæ ad opus, & praxim vt talem ordinantur.

283. Resp. *Distinguo* antecedens, omnes actus scientiæ debent ordinari ad finem præfixum ab Auctore, ad finem inquam, extrinsecè, vel intrinsecè; concedo; intrinsecè necessario, Nego. Cum ergo, quod actus sint practici, vel speculativi, non dependeat ab extrinseca ordinatione, sed à tendentia intrinseca, & essentiali, potest actus intrinsecè, & essentialiter speculativus extrinsecè ordinari ad opus, sicut actus scientifici sæpè ab hominibus ordinātur ad dignitates, & munera obtinenda, quin tales actus ea munera ex se attingant. Et sicut non omnes actus scientiæ ordinantur intrinsecè ad obiectum attributionis, & hoc non officit, quo minus extrinsecè ad illud ordinentur. Ordinatio intrinseca actuum á nemine dependet, ordinatio verò extrinseca dependet ab alio, ita in actibus logicæ discurrendum est cum Patre Quiroz, disp.13.sect.8.n. 68. qui his authoritatibus convictus asserit; logicam totalem vt est vna scientia, esse extrinsecè adæquatè practicam. Hoc est etiamsi habeat plures actus intrinsecè speculativos, vt constat ex nostris probationibus, omnes tamen extrinsecé ab Aristotele ad opus ordinari. Hoc confirmari potest ex Sancto Thoma 1.p.q.1.art.4. vbi asserit; Theologiam supernaturalem esse practicam, & speculativam, cum habeat plures actus practicos, & plures etiam speculativos, at dici absolutè speculativam, quia actus circa virtutes extrinsecè ordinat ad cognitionem speculativam de Deo. Ita logica dicetur extrinsecè adęquatè practica, quia etsi habeat plures actus practicos, pluresque speculativos, omnes ex institutione authoris ordinat ad opus, vt constat in authoritatibus in argumento allatis.

284. Objic.11. Nullus actus speculativus requiritur ad opus; ergo ad finem logicæ ab Aristotele præfixum nullus actus speculativus requiritur. Confirmatur primo finis logicę præfixus est directio passiva actuum, sed ad directionem passivam nullus actus speculativus requiritur: ergo confirmatur. Finis logicę præfixus est praxis, sed ad praxim solum requiritur actus practicus, & omnino superfluus est speculativus; ergo in logica actus speculativus admitti nequit.

285. Resp. Distinguo antecedens. Nullus actus speculativus requiritur ad opus vt absolutè exequatur, concedo: vt melius, & perfectius exequatur, nego. Ex eo, quod ad opus absolutè exequēdum, vt dirigantur passivè actus, & ad praxim vt talem non requirantur simpliciter actus speculativi, non inde infertur; non esse aliquo modo vtiles. Sicut licet vt actus producantur, non sunt simpliciter necessarij habitus, vt actus aliarum scientiarum fiant, non sit necessaria simpliciter logica, attamen non infertur, habitus non esse vtiles, & logicam esse otiosam, cum plurimum deserviant in actuum productione. Ita actus speculativi circa naturam, & existentiam definitionis v.g. non sunt necessarij, nec requiruntur necessario, vt fiat, & dirigatur definitio, sunt tamen maximè

mè vtiles; nam scientificè contemplata natura,& proprietatibus definitionis facilius intellectus alijs proprijs regulis directus,eam eliciet. Imò & tales actus speculativi possunt excitare actus practicos,quę quidem excitatio, licet non sufficiat ad eos extrahendos á linea speculativorum,sufficit,vt dicamus, maximè conducere ad finem logicæ pręfixum, scilecit opus praxim,& directionem actuum,ac proinde debere in logica annumerari.Quo fit satis duabus confirmationibus.

286. Objic.12.Inde inferimus,actus practicos circa nutritionem pertinere ad Medicinam,& actus speculativos ad physicam,quia ex arbitrio, & fine Sapientum illi ad vnam, isti ad aliam facultatem segregantur. Et hanc segregationem ex fine á Sapientibus illis facultatibus præfixo colligimus. Nam finis præfixus Phylosophiæ est contemplari:finis vero Medicinę operari;ergo si per nos finis extrinsecus logicæ præfixus est dirigere, actus, qui tendunt directivè in modum scien di ad logicam,actus vero,qui tendunt speculative ad Phylosophiam animasticam pertinebunt.

287. Confirmatur.Logica,& Phylosophia animastica ęque terminantur ad actus intellectus,& solum diversificantur per rationem formalem respiciendi; Sed ratio formalis animasticæ est speculabilitas actuum intellectus; ergo & ratio formalis logicæ erit ipsorum dirigibilitas.

288. Respondeo, quod licet finis extrinsecus logicę ab Aristotele pręfixus sit opus, tamen excludi ab ea nequeunt actus speculativi,cum in ea collocentur ab ipso Aristotele,Div.Thom. Augustino,Suarez, Uasquez,& maioris notę Doctoribus, vt videre est in probationibus, quod non evenit in Medicina,vt actus speculativi admittantur.

289. Ad confirmationem dico, Phylosophiam animasticam tendere in actus intellectus sub speculabilitate in esse vitalium,vel tendentium in obiectum,logicã vero specualtivam sub peculiari speculabilitate in modum sciendi, vnde rationes formales, sub quibus tendunt logica, & animastica, sunt diversæ,

SVBSECTIO VI.

ARGVMENTA CONTRA logicam practicam.

290. Objic.1.Sanctum Thomam 1.p.q.14.art.3. vbi docet; Artem domifactoriam,& scientiam Divinam non esse practicam, sed speculativam, vsque dum Artifex actualiter regulas applicet, & Deus de facto creaturas producat;vnde respectu earum, quas nunquam facturus est, scientia Dei nunquam erit practica.

291. Respondeo,AngelicumDoctorem solum loquutum fuisse de notitia practica in actu secundo, non vero in actu primo, quod patet ex contextu. Ad primum argumentum sic respondet *Scientia Dei est causa quorumdam quidem actu scilicet eorum, quæ secundum aliquod opus fiunt,quorundam verò virtute, scilicet eorum,quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt:* ergo si scientia Dei est causa virtute, seu in actu primo eorum, quę nunquam fiant, eodem modo respectu eorum erit practica. Non tamen erit practica in actu secundo, quia actualiter non operatur,sicut nec Ars domificatoria, vsquedum domum actualiter construat.

292. Objic.2.Et simul instas. Vsque dum regulæ actualiter dirigant,nõ procedunt modo compositorio,hoc est, non componunt cum ipsó effectu, & opere directo, sed solum modo resolutorio,hoc est,solum repræsentant modum,

dum,quo fieri possit opus, quod repræsentatur, sed notitia practica procedit modo compositorio,& speculativa modo resolutorio ergo.

193. Hoc argumentum apposui, non quia nullam difficultatem habeat, sed vt vobis Thomisticæ voces innotescant.Iam supra notavi distinctionem inter notitiam practicam, & speculativam non consistere in hoc modo resolutorie aut compositoriè procedendi;nunc autem noto, notitiam practicam compositorio modo necessario nõ procedere,si per procedere compositorio modo intelligant actualiter dirigere,& operari; Ad rationem enim practici,sufficit ratio operativi. Sicut ad rationem intellectus non requiritur actualiter intelligere, nec ad conceptum Omnipotentiæ actualiter producere,sic Deus Omnipotens est etiam respectu eorum,quę non producuntur, nec producentur,dum modo producibilia sint, vt videre est in authoritate Divi Thomę ad responsionem primi argumenti allegata.

294. Objic.3. Scientię practicæ finis est opus,& speculativæ veritas iuxta Aristotelem 2.metaph.cap. 2. Sed finis logicæ est veritas,ergo:Probatur minor:obiectum,& finis logicæ sunt actus aliarum scientiarum, & etiam proprij: sed tam hic,quam illi sunt veritas,cum sint actus intellectus;ergo.

295. Confirmatur. Logica requiritur propter ipsum scire;quaritur enim ob errores vitandos,& ob adquirendam notitiam evidentem obiecti; ergo non est practica;nam notitia practica, non quæritur propter scire,sed propter operari.

296. Respondeo. Finem scientiæ speculativæ non esse veritatem vt cumque, sed veritatem propter veritatem, sistendo in ipsa. Unde licet finis scientiæ practicæ sit etiam veritas, cum non sit propter veritatem, sistendo in ipsa; sed vlterius ad illam veritatem dirigendam ordinetur, non confunditur cum scientia speculativa. Hinc invenies;duplicem dari finem intrinsecum in logica,& veritatem propter ipsam, quę est finis logicæ speculativę,& veritatem vt dirigibilem, quæ est finis logicæ practicæ. Sed nota: actus intellectus esse veritates respectu suorum obiectorum,quibus conformantur,esse tamen dirigibiles respectu actuum, à quibus diriguntur, & speculabiles respectu actuum á quibus contemplantur. Logica non respicit actus intellectus, vt sunt repræsentativi,& veritates respectu obiectorum,sed vt sunt,vel dirigibiles,vel contemplabiles ab actibus. Unde illa regula logicalis. *Definitio constat genere & differentia* non respicit hanc definitionem hominis *animal rationale*, vt repræsentativa principij sensationis, & ratiocinationis,sed solum vt dirigibilis est,intendens,quod tales actus, quibus constat,potius quam alij producantur.

297. Ad confirmationem dico, scire esse finem communem omnibus scientijs,& similiter vitare errores; si scientia sit practica,non erit scire,& vitare errores illud,& illos meré contemplando,sed vlterius dirigendo;& ita secundum maiorem partem se habet logica,quæ & cognoscit,& dirigit,non vt sciamus tantum veritatem actuum intellectus,sed vt sciamus, & illos operemur.

298. Objic. 4. Logica non est practica, neque vt docens, neque vt vtens.Probatur. Vt docens non est operativa,vt vtens, non est cognoscitiva, ergo neque vt docens, neque vt vtens est practica;ergo nec partim.

299. Respondeo, quod si reduplicatio fiat supra *docens,& vtens*,nec practica,nec speculativa,nec scientia, immò nec logica est. Si vero reduplicatio fiat supra *docens,& vtens* in volvendo ipsam logicam,tam vt *docens*, quam vt *vtens*

 pote-

poterit esse practica; quia vt *docens* diriget modum, quo fieri possit modus sciendi; & similiter vt *vtens* cognoscit ipsum modum sciendi, quem operatur.

300. Objic. 3. Modus sciendi vt sic, non est operabilis, quia nihil in cōmuni, sed in singulari operatur; sed logica respicit pro obiecto modum sciēdi vt sic, agit enim de definitione, diuisione, & argumentatione in communi, quin ad particulares definitiones, & diuisiones descendat.

301. Respondeo. Concedo maiorem, & nego minorem, ad cuius implicitam probationem dico ly *Definitionem, Diuisionem*, &c. incommuni quiuoco laborare. Si sumatur pro aliqua ratione definitionis abstracta ab omni definitione, certum est, non esse operabilem, sed hāc non respiciunt regulæ definitionis. Si sumatur pro aliqua ratione definitionis confusa, quæ inuoluat omnem definitionem aliqua quasi vniversalitate excludente singularia expressè, & in particulari; ita operabilis est, & ita respicitur á logica, quod sufficit, vt sit practica, alias nulla esset ars, aut notitia practica, nec practica esset Philosophia moralis, cum omnes hæ facultates non respiciant suos effectus in particulari, sed omnes effectus, prout conueniunt in aliqua ratione, quæ operabilis sit in omnibus.

302. Objic. 6. Saltem, quoad partem sophisticam, nullum actum practicum habet logica, nam cum actus practicus sit operatiuus, si pars sophistica esset practica, esset operatiua sui obiecti; Sed obiectum partis sophisticę sunt errores, & sophismata; ergo esset operatiua errorum, & sophismatum, quod, cum logica sit scientia, & ad errores vitandos inuenta, certè repugnat.

303. Respondeo Logicam habere plures actus practicos etiam in parte sophistica, quia licet non dirigant ad sophismata efficienda, illa practicè, cognoscit, cum non sistat in eorum contemplatione, sed procedatur ad dirigendum actum rectum, inquo sophismata euitentur. Regula enim in parte sophistica dictat *Syllogismum constantem quatuor terminis esse fallacem, quia tribus tantum debet constare*: en cognoscendo fallacias dirigit ad actum rectum, inquo vitentur. Unde licet logica Analytica, & Topica, cum dirigunt actus rectos, non sint necessario sophisticæ, logica vero sophistica cum practice procedit circa sophismata est necessario analitica, vel topica. Si tamen actus partis sophisticæ sistat in merá contemplatione sophismaticum v.g. actus, qui reflectens supra aliquod sophisma diceret *Hic syllogismus est sophisticus, constat enim quatuor terminis* ea parte erit speculatiua.

304. Rogas. Vtrum in logica dentur regulæ purè negatiuæ? Et an hæ practicæ sunt, vel speculatiuæ?

305. Dico, in sententia admittente, possibilem esse puram omissionem liberam, possibilem consequenter esse aliquam regulam purè negatiuam, quæ directiua sit. Nam in hac sententia omissio licet sit phisicè nihil, ac proinde phisicè non fiat, est tamen virtualiter, & interprætatiuè aliquid, ac proinde virtualiter, & interprętatiué fit; ergo virtualiter, & interpretatiué poterit dirigi. Non enim minus videtur repugnare, quod id, quod nihil est, sit liberum, cadat sub pręceptum, & consilium; quam quod sit praxis, & cadat sub regulam. Sed in sententententia admittente, possibilem esse puram ominissionem, hæc est libera, cadit sub præceptum, & consilium, ergo.

306. Si vero negetur, possibilem esse puram omissionem liberam, nō erit possibilis regula purè negatiua, cum nō sit possibili obiectum talis regulæ. Ipsa enim cum semper sit actus positiuus, purè negatiua á pura negatione obiectiua, dicenda erat, ergo cum non sit possibilis pu a negatio obiectiva, non erit possibilis regula purè negatiua.

307. Respondeo tamen quæsito, in logica non dari regulas expressè negatiuas, non quia hę practicæ non essent, sed quia logica esset infinita in præceptis negatiuis tradendis, cum enim infiniti sint modi aberrandi á rectitudine definitionis v.g. infinitæ regulę negatiuæ deberent excudi, quibus potius cōfunderetur, quā instrueretur intellectus. Regula ergo præcipiens syllogismū rectum v.g. indirectè prohibet omnem irrectitudinem oppositam. Sicut actus præcipiens, te nunc scribere, prohibet indirectè; te nunc dormire, legere, de ambulare, & omnia, quæ cum actione scribendi opponuntur.

308. Nota pro scrupulo, quod statim pungit. Præcepta partis sophisticæ non esse negatiua. Non enim purè docet, quod non sit faciendum, sed quid faciendum sit, vt euitetur fallacia, & quomodo hæc fiat.

SVBSECT. VII.

ALIQVÆ SPECIALES CONCLVsiones, quæ ex dictis facilé defendi queunt.

309. PRima conclusio. Logica docens est adæquatè practica. Logica verò vtens partim practica, & partim speculatiua. Probatur quoad primam partem: Docere, semper est dirigere, & regulare; sed dirigere, & regulare semper est practicè procedere; ergo logica docens semper, & adæquatè practicè procedit. Maior est certa, minor item certissima est; & patet; nam dirigere, & regulare non est sistere in contemplatione obiecti, sed progredi ad ipsius effectionem, cum ad hoc reguler; sed non sistere in obiecti contemplatione, & vlterius progredi ad opus est practicè procedere: Ergo.

310. Probatur quoad secundam partem. Logica vtens per nos sunt actus in materia propria logicę, in quibus aliquæ ex regulis logicę exercentur. Sed possunt dari actus in materia propria logicæ, in quibus aliqua regula exerceatur, ex quibus aliqui sistant in mera obiecti contemplatione, & alij ad eius effectionem dirigant; ergo logica vtens erit partim practica, & partim speculatiua. Maior manet iam probata sect. 2. n. 51. Probatur minor quoad primam partem, hi sunt actus in materia propria logicæ: *Syllogismus alius concludit directè, alius indirectè: Omnis demonstratio generat scientiam, sed Syllogismus Darij est demonstratio; ergo generat scientiam.* In quorum primo exercentur regulæ diuisionis, & in secundo regulę argumentationis, sed sistunt in mera contemplatione suorum obiectorum. Non enim dirigunt, neque docent quomodo faciendus sit syllogismus concludens directè, vel indirectè, neque quomodo efformandus syllogismus in *Darij*, ergo.

311. Probatur quoad secundam partem: Hi actus sunt in materia propria logicæ: *Definitio est modus sciendi explicans essentiam rei per genus immediatum, & vltimam differentiam. Diuisio quæ rectè totum in partes distribuit est iuste recta, sed diuisio, quæ totum in partes immediatas, & non in remotas rectè totum in partes destribuit, ergo est iustè recta.* In quorum primo regulę definitionis, & in secundo regulæ argumentationis exercentur, sed non sistunt in mera contemplatione obiectorum, cum primus doceat, quomodo facienda est definitio, & secundus quomodo efformanda diuisio, ergo.

312. Secunda conclusio. Logica, vt docens facta reduplicatione supra docens est necessariò practica. Logica verò

verò vtens facta reduplicatione supra vtens non est necessariò practica. Probatur quoad primam partem; docere, vt docere semper est dirigere, non sistere in mera contemplatione obiecti, & respicere dirigibile, vt dirigibile (quid quid sit, an respiciat scientificè nec ne?) sed actus, qui ita se habent sunt necessariò practici, ergo. Probatur quo ad secundam partem, vti vt vti non includit cognitionem necessario, sic de animalibus rationalibus sæpe, & propriè dicimus esse vtentia. De Leone, quod vtintur vngvibus, De Aquila, quod vtitnralis. Potentias materiales etiam vtentes compellamus, Diximus namque eas vti spiciebus. Manus que vti instrumentis malleo, serra & ad opera conficienda, sed actio, quæ ex se non est cognitio, ex se non est practica, cum ratio practici per cognitionem ab omnibus Phylosophis definiatur; ergo logica *vtens*, vt *vtens* practica necessarió non est.

313. Tertia conclusio Logica habitualis, licet sit operativa, non est simpliciter practica, nec speculativa simpliciter. Probatur. Logica habitualis nil aliud est nisi quædam facilitas, quæ genita in intellectu ex repetitione actuū, & regularum logicalium ad similes producendos effectivè concurrit, sed facilitas, licet sit operativa, nequit esse practica, aut speculativa simpliciter, ergo. Patet minor ex dictis: facilitas non est cognitio, sed omnis notitia, vel practica vel speculativa debet esse cognitio; ergo.

314. Ex prima conclusione infe-res, logicam quo ad illos actus speculativos non esse docentem, neque esse necessariò vtentem, vt patet in actibus reflectentibus supra modum sciendi iam factum v.g. (hic syllogismus est informa) qui nec docet, nec in eo alia ex regulis logicæ exercetur.

315. Ex tertia conclusione infe-res; logicam habitualem solúm dici practicam, vel speculativam denominativè ab actibus practicis, vel speculativis, quos producit: vnde etiam si logica habitualis orta ex actibus speculativis eos physicè producat, dicitur speculativa, non verò practica.

SVBSECTIO VIII.

ADSTRVITVR MODVS, QVO aliquibus suppositis posset defendi, logicam esse adæquatè practicam, & simul adæquatè speculativam.

316. HÆc conclusio, quæ implicatoria videtur, suppositis aliquibus contrariorum principijs facilè defenditur, vnde potius vt inconveniens ab eis illatum, quā absolutè defenditur.

317. Primo enim supponitur cum pluribus, actus intellectus solum esse practicos respectu actuum, qui fieri possunt ab eodem cognoscente. Secundo supponitur actus intellectus consistere in actione, passione, & termino, ac proinde nec obedientialiter posse actus intellectus ab alio produci. Tertiò supponitur, omnes actus speculativos asignatos à me, vel alios, qui asignari possunt ad logicam non pertinere, sed ad alias facultates, primi ad Animasticam, & secundi ad experientiam, quæ quidem omnia acriter tenent plures ex Adversarijs. His ergo suppositis.

318. Probatur conclusio. Illa sciētia est adæquatè practica, & adæquatè speculativa, cuius omnes actus sunt practici, & speculativi, sed ita se habent omnes actus logicæ, si supponantur, quæ numero antecedenti diximus, ergo: Probatur minor hic actus, v. g. *Definitio constat genere, & differentia* existens in Petro respicit definitiones tam factibiles

biles á Petro, vbi est, quam factibiles à Paulo, vbi non est; sed respectu definitionum factibilium á Petro, vbi est, est practica, & respectu definitionum factibilium á Paulo, vbi non est, est speculativa; nam licet respiciat ipsas definitiones à Paulo factibiles, cum stando suppositis, eas ipse Petrus efficere nequeat, talis cognitio respectu illarum est speculativa, sicut in plurium sententia, cognitio *Dei* de entерationis ab homine factibile, & cognitio hominis de Angelo creabili á *Deo*, sunt speculatiuæ, quia neque ens rationis potest effici â Deo, neque Angelus ab homine produci.

319. Hinc infero, non repugnare eumdem met actum esse practicum, & speculativum respectu distinctorum obiectorum, quorum vnum respiciat contemplativè, aliud verò directivè, licet repugnet respectu eiusdem obiecti, quia sisteret, & non sisteret in eius contemplatione, & è contra dirigeret, & non dirigeret ad eius effectionem.

320. Obijc. 1. Si idem posset simul esse practicus, & speculativus, esset in duplici opposita specie; nam practicum, & speculativum sunt species, in quas cognitio dividitur; sed repugnat eamdem entitatem in duplici speciè opposita collocari, ergo.

321. Respondetur. Nego sequelam, & eius probationem; esset enim in aliqua specie mixta, ex vtroque practico scilicet, & speculativo, sicut homo est species mixta ex vegetativo, sensitivo, & rationali. Species ergo oppositæ, in quas cognitio dividitur sunt practicum tantum, & speculativum tantum, & mixto ex vtroque, sicut species, in quas dividitur vivens, sunt vegetativum tantum sensitivum tantum, & mixtum ex vtroque: ille actus non esset practicus tantum, & speculativus tantum; vnde non esset in duplici opposita specie.

322. Objic. 2. Sicut actus est vnus, ita & ratio formalis, subquatendit, debet esse vna; sed si idem actus sit simul practicus, & speculativus nequit esse vna ratio formalis; ergo neque vnus actus.

323. Resp. Nego maiorem; nam dummodo duplex ratio formalis sit intra spheram alicuius potentiæ, potest idem actus duo obiecta sub illa duplici ratione formali respicere. Sicut enim nō officit vnitati actus pluralitas obiectorum materialium, ita nec pluralitas formalium. Et sicut ex duplici motivo idem actus potest elici, ita sub duplici ratione formali poterit idem actus tendere in distincta obiecta.

324. Obijc. 3. Progredi ad opus, & non progredi ad opus; esse prius prioritate naturæ, & non esse prius prioritate naturæ, & non esse prius, sed posterius, prioritate naturæ sunt prędicata contradictoria, sed hæc sequerentur, si idem actus esset simul practicus, & speculativus; nam qua practicus esset prior suo obiecto, & qua speculativus esset posterior, ergo. Respondetur. Distinguo maiorem respectu eiusdem obiecti. Concedo respectu diversorum, sicut se habent actus á nobis positi, nego. Respectu namque diversorum obiectorum, non repugnat; eumdem actum esse simul priorem, & posteriorem.

325. Obijc. 4. Ergo similiter dari poterunt, assensus, & dissensus respectu eiusdem obiecti in eodem intellectu ex diversis motivis. Probatur sequela, quia non est, cur multiplitas obiectorum materialium tollat oppositionem illam contradictoriam, & eam similiter non tollat multiplicitas motivorum

326. Respondeo. Distinguo consequens. Si alias non repugnet assensus, & dissensus, sicut nō repugnat, eumdē actum esse simul practicum, & speculativum, vt â me probatum manet; concedo: Si aliunde repugnet, nego. Si tamen ad hanc distinctionem tibi objiciat aliqui hāc propositionē: Sed aliunde nō re-

repugnat, vel: Sed si non repugnat idem actus simul practicus, & speculativus etiam non repugnat assensus, & dissensus: Responde, transeat minor, & eo ipso exemplo tuam conclusionem confirma. Maximè hanc responsionem nota ad has, & similes obiectiones á paritate, præcipuè, illas, quæ cum ad varias quæstiones pertineant, earum resolutio tibi vsque nunc ignoratur. Vnde si assensus, & dissensus non repugnet, vt aliqui non repugnare defendunt, potius favet argumenti paritas. Si vero repugnet quid mirum, nullam habere paritatem cum actu practico, & speculativo, in quo nulla datur repugnantia: Quod vero repugnet, vel non repugnet ad te logicum practicum, non vero animasticum, non attinet.

327. Objic. 5. Ergo è contra poterit dari simul in eodem intellectu duplex cognitio, vna practica, & alia speculativa respectu eiusdem obiecti.

328. Pater Hurtadus, disp. 11. de anima §. 16. negat consequentiam; Eam concedit Arriaga. Huic assentior. Nullam namque in hoc repugnantiam invenio, & de facto in intellectu Divino datur scientia simplicis intelligentiæ practica, & scientia visionis speculativa de eodem obiecto. Tale enim obiectum esset producibile ab intellectu vi vnius cognitionis, & non esset producibile vi alterius, & licet vtraque cognitio obiectum operabile respiceret, vna respiceret illud sub dirigibilitate, alia vero sub speculabilitate.

DISPVTATIO SECVNDA de obiecto logicæ.

SECTIO I.

QVID, ET QVOTVPLEX sit obiectum?

329. OBiectum deducitur á verbo *obijcio*, vnde quod obijcitur potentię, vel quod attingitur á potentia, v. g. *color* est obiectum potentię visivæ. Antiqui subiectum, & obiectum confundebant. Nam subiectum est id, de quo aliquid dicitur, vnde latius patet, quam obiectum. Pater Molina, quem sequitur Linceus, lib. 1. Metaph. cap. 1. Extendunt rationem obiecti ad terminos cuiuscumque potentiæ etiam non vitalis. Vnde creaturę posibiles obiectum Omnipotentiæ ab eis appellantur. Communis modus loquendi solum insignit nomine obiecti terminos potentiarum vitalium. In re de voce hoc sequere, quia communius.

330. Obiectum dividitur in *materiale*, & *formale*. Ex vtroque totale actus obiectum consurgit, sicut compositum ex materia, & forma; obiectum *materiale* se habet sicut materia, indifferenter ad plura formalia. Obiectum *formale* sicut forma determinans obiectum *materiale* ad hanc potius potentiam quam ad aliam: Sic ens est obiectum materiale, per intelligibilitatem determinatur ad esse obiectum materiale intellectus, per amabilitatem ad esse obiectum materiale voluntatis. Unde *intelligibilitas* est obiectum formale intellectus, & *amabilitas* obiectum formale voluntatis.

331. Obiectum materiale, aliud est per se, & est, quod propriè attingitur á potentia, vt *color* á potentia visiua: aliud est *per accidens*, & est, quod nullo modo attingitur à potentia, vulgò tamen obiectum appellatur. Sic substantia parietis est obiectum per *accidens* potentię visiuæ, á qua dicitur videri paries, non quia eius substantia videatur, sed quia videtur albedo illi inhærens. Hinc fit, quod destructa substantia panis per cõsecrationem v. g. eodem modo videtur hostia, quia manet idem accidens, nempê albedo, quod propriè terminabat potentiam.

332. Obiectum materiale, aliud est primarium, seu proximum, & aliud secundarium, seu remotum. Obiectum primarium est, quod immediatè attingitur à potentia. Sicut Deus est obiectum primarium visionis Beatę. Secundarium est, quod licet per se non tamen immediate, & ratione sui, sed ratione alterius attingitur. Sicut creaturę posibiles sunt obiectum secundarium visionis Beatæ ratione conexionis, quam habet cum Omnipotentia, quę est obiectum primarium talis visionis.

333. Obiectum *per se*, aliud est adæquatum, quod scilicet per omnes actus potentiæ attingitur, vt lucidum, coloratum, respectu potẽtiæ visiuæ. Aliud verò inadęquatum, quod solum per aliquos actus, non verò per omnes attingitur. Sic color ceruleus respectu potentię visiuæ, qui per actus terminatos ad colorem album nigrum, &c. non attingitur.

334. Obiectum inadæquatum, aliud est attributum, & est id, quod ordinatur ad aliud, sive sit per ordinationem intrinsecam, sive per ordinationem extrinsecam, de quo postea. Obiectum attributionis est id, ad quod omnia obiecta atributa ordinantur. Sic Deus est obiectum attributionis Theologiæ, quia omnia, quæ tractantur in Theologia, ordinantur ad Deum.

335. Obiectum formale est triplex. Motivum, seu propter *quod*, sic sanitas est motivum accipiendi Medinam, scissionem venæ, &c. Hoc, vel, est intrinsecum, & attingitur ab actu ipso illud vt motivum habente, vel extrinsecum, seu impulsivum, quod non attingitur ab ipso, sed ab alio actu imperante. Sic actus Fidei, quo credo mysterium Trinitatis v. g. habet pro motivo intrinseco authoritatem Divinam revelantem, propter quod illi credo, & pro motivo extrinseco impulsiuo, miracula, Martyria, consensum communem hominum, &c. Quæ non attinguntur ab eodem actu Fidei, sed ab alio impellante, quæ pia affectio nominatur. Nota; habere obiecta formalia motiva esse proprium potentiæ cognoscitivæ, & volitivæ. Potentiæ namque sensitivæ sine talibus motivis, sua obiecta attingunt. Nota etiam, aliquando obiecta formalia distingui ab obiectis meterialibus, vt cum credo Mysterio Incarnationis propter authoritatem Divinam relantem, aliquando verò non distingui, vt cum credo authoritati ipsi propter ipsam, seu amo Deum propter ipsum.

336. Aliud est obiectum formale terminativum, quod etiam appellatur formalissimum, seu obiectum formale sub *quo*, & est capacitas intrinseca obiecti materialis ad terminandum potiùs hunc actum, quam alium. Sic cognoscibilitas est obiectum formale terminativum intellectus, amabilitas obiectum formale terminativum voluntatis. Hæc capacitas est duplex: Una intrinseca quæ est adæquatè identificata cum ipso obiecto, altera extrinseca, quę est quasi denominatio extrinseca ab actu posibili illi proveniens, nam sicut obiectum denominatur extrinsecè cognitum cog-

cognitione actuali, ita denominatur extrinsecè cognoscibile á cognitione possibili. Nota, has rationes formales non attingi â potentijs signatè, sed solum exercitè. Sic licet potentia visiva tendat in obiectum sub visibilitate non dicimus videre visibilitatem. Ipsum obiectum materiale solet ab aliquibus obiectum formale terminativum *quod* appelari á distinctione rationis formalis, quam obiectum formale terminativum *quo* vocant. Ita Arriaga Linze, Ripalda, Oviedus, & alij.

337. Aliud denique est obiectum formale finale, & est, quod intenditur ab aliqua scientia, vel facultate. Hoc est proprium facultatum practicarum. Sic rectitudo actus intellectus dicitur obiectum formale logicæ. His prælibatis.

SECT. II.

AN VOCES SINT OBIECTVM materiale per se logicæ?

338. CVm eadem res pòsit esse obiectum materiale plurium facultatum iuxta varias, & diversas rationes formales consideratum, voces præcipue hac dignitate gaudent, ità ergo vt ens ad methaphyscicam, vt sonus ore animalis prolatús ad Animasticam, & armonicę ad Musicam; & mensurabiles ad Poæsim, vt congruê significantes ad grammaticam, vt ordinatè ad Rhetoricam, spectant. Vtrum autem, vt definitiones, divisiones, & argumentationes, seu vt supponentes pro definitionibus, divisionibus, & argumentationibus mentalibus, easque exprimentibus pertineant, vt obiectum ad logicam, in præsenti disputatur.

339. Prima sententia asserit; obiectum adæquatum logicę essę voces. Ita Nominalis. Gabriel, Ocamus, & alij. Licet eos explicare conetur nosterHurtadus.

340. Secunda sententia ex opposito asserit; voces nullomodo esse obiectum materiale logicæ. Ita Eximius Doctor, disp. 1. Meth. sect. 4. n. 72. Amicus, Uallius, Rubius, Alphonsus, Serna, Ponçe disp. 2. q. 4. Hurtadus, Oviedus, Comptonus, Arriaga disp. 2. sect. 3. Suarez, Lusitanas, tract. 1. Procemialium disp. 2. §. 2. Pein. tract. 1. Procœmialium disp. 2. sect. 2. Olcina num. 249. & 272. N. Olea, d. 46. n. 2.

341. Tertia sententia asserit, voces esse obiectum materiale, non totale, sed partiale logicæ. Ita Patres Fonseca 2. Meth. cap. 3. Linze, Quiroz, disp. 9. de obiecto sect. 3. á num. 24. Caram. per totam suam logicam vocalem, Sancta Cruz de obiecto logicæ á n. 54. & apud ipsum plures alij: Iten M. Linz. lib. 1. q. 1. art. 3. n. 3. P. Maza d. 2. log. sect. 2. §. 2. n. 11.

342. Ante conclusionem nota; ex Doctoribus supra allegatis, aliquos excludere voces ab obiecto logicæ, quia non sunt propriê modi sciendi definitio, divisio, &c. cum in vocibus non detur propia affirmatio, vel negatio. Ita P. Olea n. 3. Alij eas intra obiectum logicę includunt, quia tenent, esse propriè modum sciendi, definitionem, divisionem, &c. & consequenter dicu nt, affirmationem, vel negationem non ingredi in conceptum communem modi sciendi proprij, & simpliciter talis, sed solũ indifferentialem. Ita P. Maza §. 5. n. 22. Alij admittũt; voces esse modũ sciẽdi improprium, & tamen adstruunt, esse propriè obiectum logicæ. Alium denique ingeniosum Neotericum legi defendentem, quod adhuc si sint modi sciendi, á logica non respiciuntur, vt obiectum primarium. Quibus varijs discurrendi modis quæstionem magna ex parte denomine faciunt.

Sit

343. Sit nostra specialis conclusio. Voces nullo modo sunt obiectum per se logicę practicæ, etiam si sint propriê modus sciendi; sunt tamen obiectum per se logicę speculativæ, etiam si sint modus sciendi impropriè. Conclusio duas cõtinet partes. Probatur quoad primam: obiectum notitiæ practicæ debet esse operabile; & dirigibile ab ea, sed voces non sunt dirigibiles á logica, etiam si sint propriè modus sciendi, ergo. Probatur minor. Artificium definitionis, divisionis, & argumentationis vocalium non est dirigibile á logica, sed á grammatica, ergo voces non sunt dirigibiles à logica, etiam si sint propriê modus sciendi. Probatur antecedens. Supposita definitione mentali, grammaticæ munus est prębere voces, quæ habeant definitionis artificium, ergo. Probatur antecedens Grammaticæ munus est præbere voces significantes conceptus mentis, res que ipsas non quocumque modo, sed eo modo, quo illi sunt in mente, & quo hę concipiuntur ab intellectu; sed eo ipso, quod voces repræsentent conceptus mentis, vt sunt in mente, & res ipsas, vt conceptæ sunt in intellectu v.g. definitionem, vt est in mente, & definitum, vt repręsentatur, & concipitur ab intellectu, habẽt artificium definitionis. Patet, nam in mente conceptus illi tali artificio gaudent, ergo voces illos conceptus exeprimentes, vt sunt in intellectu tali artificio vtique gaudebunt; ergo etiam si voces illæ sint propriè modus sciendi, hoc est significent rem v.g. per genus, & differentiam, ac proinde sint propria definitio, non erunt obiectum primarium logicæ directivę, sed grammaticę.

344. Probatur secundo. Directio grammrticę est suffientissima, vt supposita definitione, vel propositione mentali voces induant artificium definitionis, & propositionis vocalium; ergo omnino superflua est dirrctio logicæ, penitus que otiosi actus illi logicales, qui ad hãc directionẽ effingi solent scilicet: *Definitio vocalis constat genere, & differentia vocali. Divisio debet constare vocibus univocé significantibus divisa, &c.* Probatur antecedens primo: Pone, efformata iam in mente recta definitione hominis v.g. reddi imposibilem omnem regulam logicalem vocum directivam, vel saltem intellectum penitus talium regularum oblivisci, tunc regulis grammaticæ instrũctus, si vellet eam vocibus exprimere sine vllo erroris prriculo definitionem vocalem eliceret, illi namque grmmatica has voces ministrabit *Animal rationale*, ergo. Probatur secundo. Omnis loquutio sufficientissimê dirigitur á grammatica, loquutio scilicet in materia Theologica, Phylosophica, Mathematica, &c. Aliás hæ facultates erunt vocum directivæ, & consequenter ex hac parte non erunt speculativæ, habebuntque voces vt obiectum partiale, ergo similiter loquutio in materia logicæ, quæ est species, quædam loquutionis ad grammaticam pertinebit.

345. Dices. Ex dictis soûm sequi illam definitionem vocalem posse effici ex sola grammaticæ directione, non verò esse otiosam directionem logicæ, quia etiam definitio mentalis, potest absolutè elici sine logicæ directione, & tamen non infertur logicæ directionem esse otiosam erga definitionem mentalem. Aliud enim est, aliquid non esse simpliciter necessarium, aliud vero esse otiosum. Potest enim non esse simpliciter necessarium, & esse vtile, & ita se habebunt regulæ logicales circa voces. Deservient enim, vt artificiosè procedat, qui definitionem vocalem elicit, positque rationem reddere derectitudine definitionis vocalis discernens, quid in illa sit genus vocale, quid verò vocalis differentia, quod fieri nequit per grãmaticam, quia cum ignoret, quid sit genus.

nus, quid verò differentia, ea solùm instructus intellectus de hoc ratione reddere non potest. Quod explicat ingeniosus Magister exemplo auxilij efficacis probabiliter in esse efficacis per oppositionem conditionatam constituti, non verò per scientiam mediam. Vnde eodem modo coniungendum est cum effectu, sive in *Deo* detur scientia media, sive non. In qua sententia licet scientia media non sit necessaria ex parte effectus, tamen ex parte *Dei* est necessaria ad hoc scilicet, vt Deus in elargitione talis auxilij scientificè procedat cognoscendo esse efficax. Sic etiam si definitiones, divisiones, &c. vocales eodem modo rectę evaderent sine regulis logicalibus specialiter dirigentibus ad modum sciendi vocalem, nihilominus requiritur, vt qui efficit modos sciendi vocales, operetur scientificè, artificiosè cognoscendo, quæ vox sit genus, & quæ differentia.

346. Hæc doctrina probabilem, facilemque defensatu facit opinionem contrariam, nostram que non parum difficilem. Nihilominus respondetur, logicæ directionem circa voces esse non solùm otiosam, verum & nocivam. Est otiosa ad definitionem vocalem v. g. & vtilis ad definitionem mentalem, quia licet definitio mentalis possit absolutè elici sine logica, eliceretur tamen sine illa cum maximo errandi periculo, maximaque cum difficultate, vt postea videbimus, cûm de necessitate logicæ agamus. Ast posita definitione mentali hominis v. g. in mente, si grammatica voces ministret, vt ex suo munere ministrare debet, vllo absque periculo errandi fiet hæc definitio vocalis, *homo est animal rationale*, ergo ad hoc logicæ directio non requiritur. Nec ad vincendam gravem difficultatem requiri debet, quia si aliquis regulas grammaticæ optimè percalleat, nullam difficultatem habebit ad aptandas voces expræssivas conceptuum mentis eomodo, quo sunt in mente, quod solùm requiritur ad definitiones, divisiones, &c. vocales. Et hæc est ratio disparitatis inter vtilitatem logicæ ad modum sciendi mentalem, & inutilitatem ipsius ad modum sciendi vocalem.

357. Hinc etiam deducitur disparitas logicæ à scientia media. Quæ quidem non requiritur ex parte effectus eodem modo secututi posito auxilio efficaci *A*, v. g. sive in Deo præcedat, sive non præcedat ad talis auxilij collationem. Requiritur tamen hęc scientia ad providentiam Dei, hoc est, vt Deus in determinationibus ad liberum voluntatis arbitrium pertinentibus salva libertate creaturę possit sine periculo errandi procedere, cui quidem periculo se exponeret, si absque vlla pręvisione efficacitatis illius auxilij ex libera voluntatis determinatione provenientis, vel illam operationem prædefiniret, vel decerneret aliquid ab ea vt libera necessariò dependens. Si tamen absque illa prævisione *Deus* non se exponeret periculo errandi, talis pręvisio esset otiosa, sic illam otiosam iudicant Thomistæ omnes sua physica prædeterminatione nitentes; ergo si reddita impossibili ea directione logicæ circa voces dummodo directio grammaticę maneret sine vllo errandi periculo, facileque, & absque vlla difficultate fierent definitiones vocales, &c. omnino superflua, & otiosa debet censeri directio illa logicalis, ex quo.

348. Probatur tertiò conclusio. Non sunt multiplicandę entitates sine vrgenti necessitate: Sed nulla datur vrgens necessitas multiplicandi has regulas logicales vocum directivas, cum ad hoc grammatica sufficiat, vt iam probatum manet ergo.

349. Quod autem directio logicæ circa voces esset non solùm otiosa, sed etiam nociva. Probatur. Ponamus aliquem

quem instructum regulis definitionis mentalis, scilicet: *Definitio debere constare genere, & differentia*. Et simul definitionis vocalis, nempe: *Definitio vocalis debet constare genere vocali, & differentia vocali.* forte elicere aliquem actum iudicantem; esse definitionem rectam, sed re ipsa ex non confirmitate cum prima regula irrectam, si tunc conformans se cum secunda illa regula circa voces, assumeret genus, & differentiam vocalia, actus esset illi regulæ conformis, & simul esset mendax, cum non repręsentaret conceptum mentis, vt est in mente; namque aliter se haberet, ac per definionem vocalem repręsentatur: Ergo tunc talis directio logicæ potius officeret, quā proficeret.

350. *Dices*, regulam illam circa definitionem vocalem nunquam se sola concurrere ad definitionem vocalem, sed simul cum grammatica, cuius est, voces congruas ad significandum conceptum mentis præbere. In casu enim posito recta definitio vocalis v.g. genus vocale, & differentia vocalis non essent voces congruæ, & capaces artificij logicalis. Unde ad talem definitionem vocalem tunc non concurreret grammatica, sed solum modò, cum voces sunt cōgruæ, & capaces artificij logicalis, & sicut ad definitionem hominis concurrunt Phylosophia conferens materiam, & logica dirigens formam, quin ex concursu Philosophiæ censeatur otiosus concursus logicæ, ita ad definitionem vocalem concurrit grammatica conferens voces congruas, & logica dirigens artificium.

351. Audias, precor, hanc consequentiam. Ergo si posita cognitione Philosophica hominis, poneretur tota hominis definitio, esset otiosa logica directio. Concedis consequentiam. Sed posita vocum congruitate, ponitur tota definitio vocalis, ergo otiosa est logicæ directio. Probatur minor. Posita enim te definitione hominis ita se habente *Animal rationale*, vox congrua ad significandum primum conceptum est *Animal*, & ad significandum secundum est *Rationale*; sed *Animal rationale* est tota definitio hominis; ergo posita vocum congruitate tota definitio hominis ponitur. Ideo enim ad definitionem hominis, & sic de alijs, concurrit cum Philosophia simul logica, quia eadem materia, si logica non concurrat, non habebit definitionis formam, vel si illam habet, erit maxima cum difficultate, & periculo errandi; vnde logicæ directionem necessariam esse, inferimus, sed posita vocum congruitate datur tota definitionis forma sine vlla difficultate, & periculo errandi; ergo ad hoc logicæ directio omnino superflua est, vel, si absolute sine respectu ad conformitatem cum mente voces dirigit, deducetur ponderatum inconveniens.

352. Probatur primo, quoad secundam partem; voces nempe esse obiectum primarium logicæ speculaitvæ, etiam si sint impropriè modus sciendi. Etiam si voces sint impropriè modus sciendi, in illis tamen dantur denominationes extrinsecę definitionis, divisionis, generis, differentiæ, &c. á conceptibus mentis provenientes, sed logica respicit voces sub his denominationibus; ergo etiam si sint impropriè modus sciendi sunt obiectum logicæ speculativę. Maior est certa, probatur minor. Grammatica non attingit has voces, scilicet has denominationes *generis, differentiæ*, &c. vt per se patet, neque ad aliam facultatem talis respicientia pertinere potest, ergo ad logicam pertinebit. Hoc enim rationi conformius videtur, quod scilicet scientiæ, ad quam pertinet vt principale obiectum definitio, genus, & differentia mentalis, etiam vt minus principale, licet primarium pertineat definitio, genus, & differentia vocalis. Actus autem hi speculativi erunt, quibus

bus logica ſic reflectat. In hac definitione vocali *Homo eſt animal rationale*; illa vox *Animal* eſt genus vocale, & illa vox *Rationale* eſt differentia vocalis. Hæc eſt diviſio vocalis, *animal*, aliud eſt *rationale*, aliud *irrationale*.

353. Confirmatur. Actus reflexus ſupra definitionem v.g. iam factam, quo dicam *Hæc definitio iuxta regulas logicæ conſtat genere, & differentia*, pertinet ad logicam ſpeculativam, quia non eſt, cur directio actus ad logicam ſpectet, & cōtemplatio, aut examen eius rectitudinis ad eam ſimiliter non ſpectet? Ergo eodem modo actus reflexus ſupra definitionem vocalem, eiusque rectitudinis examen ad ipſam logicam pertinebit, ad quam directio actuum internorum pertinet.

354. Probatur ſecundo. Licet non dentur regulæ logicales dirigentes modos ſciendi obiectivos, definitionem v.g. obiectivam, nulla alia ratione niſi, quia poſita definitione formali ponitur definitio obiectiva, vnde otioſitas logicæ practicæ circa conceptus obiectivos cognoſcitur, nihilominus conceptus obiectivi ſunt obiectum per ſe primarium logicæ ſpeculativæ, vt ſubſunt cōceptibus formalibus, & ſortiuntur extrinſecas denominationes generis differentiæ, definitionis, &c. iuxta noſtram, & plurium Adverſariorum ſententiam: ergo, ſimiliter licet non dentur in logica ſpeciales regulæ dirigentes definitionem vocalem, & alios modos ſciendi vocales ob rationes ſupra allegatas, ac proinde voces non ſint obiectum logicę practicæ, tamen erunt obiectum primarium, & per ſe logicæ ſpeculativæ reſpicientis voces ſub ſpecialibus denominationibus generis, differentiæ, definitionis, &c. Sub quibus conceptus mentis exprimunt.

SVBSECT. I.

ARGVMENTA CONTRA PRIMAM *partem concluſionis ſolvuntur.*

355. OBJ. 1. Artificium logicale à ſola logica directivè provenire poteſt, ſed Artificium definitionis vocalis eſt artificium logicale; ergo: probatur minor. Illud eſt artificium logicale, quod eſt conforme regulis logicalibus, ſed illud artificium vocale eſt conforme regulis logicalibus: ergo.

356. Reſp. Concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem diſtinguo maiorem. Quod eſt conforme regulis immediatê, & per ſe; concedo: Mediatê, & per accidens; nego. Cum enim artificium vocale conforme ſit artificio mentali, & hoc ſit immediatè regulis logicę conforme, inde eſt, quod artificium illud vocale ſit ſaltem mediatè conforme regulis logicæ, hoc tamen nō efficit vt voces ſint obiectum per ſe talium regularum. Patet pluribus exēplis. Primò. Pictor poteſt depingere ſtatuam conformem regulis artis ſtatuarię, vnde pictura regulis ſtatuariæ erit conformis, quin eſt hoc pictura vllo modo ſit obiectum per ſe ſtatuariæ. Secundò. Poteſt aliquis artis pictoriæ ignarus ex prototipo ſibi propoſito aliquam imaginem illi ſimilem efformare, inquo caſu artificium imaginis pictæ eſſet regulis pictoriæ conformis, & ab ipſis per ſe non proveniret. Utor potius exemplis artis pictoriæ, quia grammatica in proponendis exterius per voces conceptibus mentis, ei maximè aſsimilatur. Sicut enim ſtatuam obiectum ſtatuarię, & nō ipſius pictoriæ efformat coloribus in imaginem, quæ ſit proprium ipſius, & non ſtatuariæ obiectum: ita grammatica

definitionem mentalem, quę eſt obiectum logicæ, & non ipſius, efformat exterius vocibus in definitionem vocalem, quæ ſit obiectum ipſius, & non logicæ.

357. Tertiò. Definitio prima mentalis, antequam efformatæ fuiſſent regulæ, fuit illis conformis, & tamen ab eis non fuit directa, cum ſupponatur ante eas. Quartò. Si aliquis ignarus logicæ, ignarus que linguę latinæ, & hiſpanę, vellet traducere ex latino in hiſpanum idioma hanc definitionem hominis latinè inventam ab ipſo. *Homo eſt animal rationale*, ita diceret: *El hombre es animal racional*. En hic regulis logicæ non dirigeretur, cum earum penitus inſcium ſupponamus, & tamen definitionem attingeret, immò & vocibus efformaret, ad quod regulis logicæ non egeret, ſed notitia vtriuſque linguæ. Similiter efformatio definitionis vocalis eſt quædam veluti traductio definitionis internæ, & mentalis in definitionem externam & vocalem ad quod directio logicalis nullomodo requiritur, ſed tantùm notitia grammaticæ conferentis voces traductivas.

358. Obijc. 2. Si hanc definitionem mentalem, quam ego reſpiſciens aliquem hominem efformarem, *Illud animal eſt animal rationale*, ita grammatica per voces exprimeret. *Illud animal eſt homo*. Item ſi hunc ſyllogiſmum, ſeu actum internum *omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, ita redderetur à grammatica, *omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt animal rationale*, ergo *Petrus eſt animal*, perfectè, & plene ſuo muneri ſatisfaceret grammatica; ad hanc enim ſolum pertinet conferre voces ſine ſolæciſmo conceptus interni explicativas, ſed illę eſſent ſine ſolæciſmo, expreſsivę que conceptus interni, idem enim ſignificatur per *hominem*, ac per *Animal rationale*, ergo ſuo muneri planè ſatisfaceret grammatica. Tunc ſic. Sed tales voces non eſſent definitio vocalis, neque ſyllogiſmus vocalis eſſet in forma. Ergo ad hoc vltra grammaticam debent concurrere regulæ logicales, quæ voces dirigant.

359. Reſpondetur. Nec in vno, nec in alio caſu ſuum munus implere grammaticam, quia licet re ipſa idem ſignificet *homo*, ac *Animal rationale*, non tamen eodem modo, & grammaticę munus eſt non ſolùm exprimere conceptus mentis, ſed exprimere eos eomodo, quo ſunt in mente, ſed cum eſt in mente *homo* in ſua definitione: *Animal rationale*; non eſt vt cumque *homo*; ergo reddens illum conceptum per hanc vocem *homo* non adimplet proprium inſtitutum. Sicut enim qui ex latino idiomate traduceret non rectè, & in toto rigore ſe gereret, ſi definitionem traduceret per definitum, vel definitum per definitionem, licet vtrumque idem ſignificet; quia non ſignificat eodem modo. Ita cum munus grammaticę ſit non ſolùm conferre voces ſine ſolęciſmo, ſed voces explicantes conceptum mentis traductivo modo, vt eſt in mente, illud non adimpleret modo propoſito in argumento.

360. Obijc. 3. Artificium ſyllogiſmi vocalis poteſt eſſe logicæ rectus, & grammaticę irrectus, hic v.g. *omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo*, ergo *Petrus eſt animal*: Ergo vna rectitudo eſt omnino independens ab alia. Reſpondetur, vtramque rectitudinem ad grammaticam pertinere, quod ſcilicet voces ſolæciſmo careant, & quod repræſentent conceptum mentis, vt eſt in mente. In caſu poſito primæ parti ſui muneris grammatica deficeret.

361. Obijc. 4. Voces ſunt obiectum per ſe directivo modo Rhetoricæ, Poeticæ, & Muſicæ ſecundùm ſpeciales formas, quas induere poſſunt, ergo erunt obiectum logicæ directivo mo-

do, secundum formam definitionis, divisionis, & argumentationis.

326. Respondetur, has facultates per se respicere artificium non præcedens in intellectu, sed solum in vocibus relucens, nempe vocum consonantiam, mensuram syllabarum ex modo brevi, vel lento pronunciationis pulchrum, & ornatum modum dicendi Tropis, & figuris dispersum. Quid ergo mirum si habeant pro obiecto primario voces modo directivo; logica vero nostra est scientia inventa ad dirigendos conceptus mentis, quid ergo mirum, quod voces pro obiecto non respiciat modo directivo? Insuper artificium illud Musicæ, Rhetoricę, & Poeticę difficillimè, & maximo cum periculo errandi fieret sine illis artibus, nec aliunde est alia facultas, quæ illud efficiat, at vero iam probatum manet, sine directione logicæ vocalis solúm ex directione grammaticæ supposita definitione mentali v.g. fieri definitionem vocalem vlla absque difficultate, & sine vllo periculo errandi.

363. Replicas. Posset aliquis dicere ad grammaticam pertinere Poesim, ac proinde cum loco huius carminis, *Conticuere omnes, intenti que ora tenebant*, diceret soluto modo, *Omnes conticuere, ora que tenebant intenti*. Licet sine solœcismo suo muneri non satisfacere, quia non repræsentat conceptum mentis eo ordine, & modo, quo sunt in mente. Probatur. Per nos, si loco huius syllogismi mentalis *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal* redderet hunc grammatica *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo animal est Petrus, vel ergo aliquod animal est Petrus.* Suum munus non impleret grammatica, solum quia in consequentia non apponit suo ordine voces, prius scilicet *Petrum*, postea vero animal, ita: ergo *Petrus est animal*, ergo similiter non ad impleret munus suum, apponendo prius *omnes* postea vero *conticuere*.

364. Resp. In primis apud omnes Poesis solum respicit voces, tota enim dependet ex syllabarum quantitate, & hęc ex hominum libera pronuntiatione, ergo cum totum hoc non detur in intellectu, grammaticæ, cuius est munus repræsentare conceptus mentis, vt sunt in mente, non erit munus repræsentare illum conceptum, dicendo potius *Conticuere omnes* quam *omnes conticuere* vnde cũ in intellectu nõ sit prius conticuere, quam omnes, nec è contra, eodem modo ad implebit munus suum grammatica, dicendo *Conticuere omnes*, ac *omnes conticuere*. Aliter enim erit si loco illius consequentiæ, ergo *Petrus est animal*, dicat. *Ergo animal est Petrus*, nam hęc expressio non correspondet illi conceptui: Ille namque conceptus verissimus est, & hæc expræsio falsa, nam verum est *Petrum esse animal*, & falsum est *Animal esse Petrum*, sonat enim vniversalitatem hoc modo *Ergo omne animal est Petrus*, quod ipsa falsitate falsiús est. Si verò deducatur conclusio particularis hoc modo. Ergo *aliquod animal est Petrus.* Respondetur, hanc non esse conclusionem directam, sed indirectam. Conclusio autem indirecta non solûm voces, sed conceptum internum notabiliter immutat, in quo Petrus concipitur vt subiectum sustentans prædicatum, at in conclusione indirecta iam Petrus se habet vt prædicatum sustentatum, & in hoc distinguitur syllogismus dispositus in *Darij* á syllogismo disposito in *Dabitis*; in illo enim conclusio est directa, in hoc verô indirecta.

365. Obijc. 5. Regulæ logicales circa syllogismum in *Friseso* distinctæ sunt á regulis circa syllogismum in *Ferio*. Sed si voces vt obiectum practice non attingerent, non distingerentur: Ergo. Maior est certa, nam cum sint diversi modi diversas regulas eis debent adap-

adaptari. Probatur minor. Syllogismus in Friseso distinguitur á syllogismo in *Ferio* tantum in collocatione propositionum primo, vel secundo loco, nam vbi *Friseso* ponit particularem affirmativam *Ferio* ponit vniversalem negativam, & è contra vbi *Friseso* ponit vniversalem negativam, *Ferio* ponit particularem affirmativam. Consequetia verò eadẽ particularius negativa deducitur in vtroque. Atqui hæc collocâtio ptopositionum iam primo, iam secundo loco solum relucet in vocibus, quia in mente simul, & semel eliciuntur præmissę, neque vna propositio est prior alia; ergo si regulę pro vtroque distinguntur voces, consequenter attingunt.

366. Respondetur. Totum argumentum fundatur, & vim habet supposito, quod discursus, seu syllogismus sit simplex qualitas, nec in mente vna propositio sit prior altera, sed simul, & semel existant. Quod si negem asserens, in mente relucere illam prioritatem, & posterioritatem propositionum, iam regulæ vtriusque syllogismi, quin deveniant ad voces, habebunt sufficiens distinctivum, totumque argumentum cum probabilissima opinione corruet, sed hoc permisso, aliunde solutionem deduco, eo scilicet quod consequentia syllogismi in *Frio* sit directa, & consequentia syllogismi in *Friseso* sit indirecta; vnde diverso modò se habet ad huc in mente primus, & secundus syllogismus. Illa enim immutatio subiecti in prædicatũ, & prędicati in subiectum attinet non solum ad immutationem vocum, sed etiam conceptuum, vt in Responsione ad pręcedens, argumẽtum vidimus. Unde iam regulæ distinguentur, quin á vocibus distinctionem accipiant.

367. Obijc. 6. Dantur in intellectu actus, qui solum verificantur de conceptibus mentis, vt: *Definitio mentalis explicat essentiam rei, &c.* Alij verò, qui solum de vocibus verificari queunt, vt *definitio vocalis constat genere, & differentia vocali, &c.* Cum contendunt adversarij, hos secundos actus ad logicam pertinere, nos renuimus, asserentes ad grammaticam spectare; ergo ipsi adversarij eadem voluntarietate, cum nos ostendimus primos actus ad logicam pertinere, poterunt renuere asserentes, non pertinere nisi ad Animasticam. Et sicut nos ex solis regulis dirigentibus actus intellectus logicam efformamus, ita ipsi ex solis regulis voces respicientibus poterunt logicam efformare. Si tamen dicamus, animasticam non curare de modo sciendi, sed solum de vitalitate actuum, ita & ipsi retorquent; grammaticam non curare de modo sciendi vocali, sed solum de congruitate vocum; & cum aliás nos supponamus modos sciendi vocales esse propriè modos sciendi, non licet ad effugium impropríetatis recurrere.

368. Respondeo, quod si aliquis similem discursum efformaret, assereret que, voces esse obiectum adæquatum logicæ, incideret in sententiam, quę attribui solet Nominalibus, quæ nemini præter ipsos huc vsque placuit, immò neque ipsi unquam placuisse, tenet Pater Hurtadus eos ab hac sententia, vt ab impostera excusans; vnde asserere logicam solum respicere voces, & non conceptus mentis, esset omnino voluntarium, & contra omnes Doctores. At vero, quod non sit omnino voluntarium affirmare, logicam solúm respicere conceptus mentis directivè, vocesque ad grammaticam tantum directivè spectare, iam supra probatum manet, & ita maior, & melior pars Doctorum tenet. Reliqua, de quibus in argumento, iam supra soluta manent, & iam solvenda.

369. Objic. 7. Non repugnat hi, & similes actus in intellectu: *Definitio vocalis constat genere, & differentia vocali*, sed hi non pertinent ad grammaticam, quia hæc

hæc nihil curat de definitione, ergo ad logicam, cuius munus est definitionem dirigere.

370. Resp. Tales actus non repugnare, & esse logicales, sed non esse practicos, sed speculativos, nam vt in secunda nostrę conclusionis parte diximus, voces sub his denominationibus extrinsecis definitionis, generis, & differentiæ contemplativè ad logicam pertinent. Talis actus non erit practicus, quia non est directivus, directio namque vocum directa ad grammaticam spectat, & aliás non requiritur direct o reflexa sub ratione generis vocalis, differentiæ vocalis, &c. Cum hę denominationes posita tantum directione directa grammaticæ, & repræsentatione actuum internorum induant necessário voces. Eo ipso namque, quod hæc vox *Animal* repræsentet conceptum internum animalis est genus, & eo ipso, quod hæc vox *rotionale* repræsentet conceptum rationalis est differentia vocalis. Vnde otiosa penitus esset regula dirigens vocale reflexe vt genus, &c. cum sufficiat regula dirigens directè.

371. Replicabis primò. Ergo grammatica non attingit definitionem vt talem. Respondeo. Concedo consequentiam. Instas. Ergo saltem, vt dirigantur voces reflexè, vt definitiones, &c. requiretur logica, cum ad hoc grammatica nō sufficiat.

372. Iam dixi: Otiosam esse directionem reflexam vocum secundum denominationem definitionis, divisionis, &c. cum sufficiat directio directa, & exercita grammaticalis. Sic qui traduceret definitionem ex vno idiomate in aliud, non attingeret eam vt definitionem reflexè: Sic etiam Faber efficiens sphæram ligneam iuxta regulas Astrologiæ ab his non dirigitur, sed tantum á proprijs regulis suæ artis directus eam efformat, quin reflexè cognoscat ab ea reprę sentari Sphęram Cælestem, prout est obiectum Astrologię, etiam si posset contemplare, illam Sphæram conformem esse Sphere Cælesti, quæ est principalius obiectum Astrologiæ, si alias vtriusque facultatis regulis sit instructus. Ita evenit in nostro casu, & in logica.

373. Replicas 2. Si aliquis Pictor artis ferrariæ aliás regulis instructus vellet clavem depingere, maximè iuvaretur ad eam facilius depingendam regulis ferrariæ, ergo qui regulis logicæ instructus, illa precipué *Definitio vocalis explicat essentiam rei per genus, & differentiam vocalem*, vellet efformare definitionem vocalem, illa certè dirigeretur, & non solum grammatica in electione vocum; ergo talis regula esset practica, directivaque.

374. Respondeo. Non omnes notitias, quibus iuvatur intellectus ad aliquid facilius, & perfectius operandum, esse practicas, vt sæpe notavi. Sic ex notitia Theologica speculativa depeccatis, & bonitate Dei iuvatur voluntas ad odio habendum peccatum, & ad amore prosequendum Deum, & traductor alicuius operis Theologiæ ex vno in aliud idioma, si Theologus sit, notitia Theologica speculativa maximè intraducendo iuvatur; ergo licet, qui eliceret vocalem definitionem, iuvaretur ad melius, & perfectius eliciendam illa cognitione *Definitio vocalis constat genere, & differentia vocali* non esset practica respectu illius, cum talis cognitio non respiciat definitionem illam vocalem, eius directionem intendens, quod ad rationem notitię practicæ necessario requiritur. Aliàs si argumentum valeret, inferretur; artem pictoriam practicè respicere clavem, obiectum artis ferrariæ.

375. Obijc. 8. Grammatica non curat, quod definitio sit clarior suo definito, quod non tradatur per synonima, quod vox non sit æquivoca; ergo ad hoc requiritur logica.

376. Respondeo: distinguo antecedens. Non curat reflexè, concedo: Directè, nego. Et nego suppositum, quod vt definitio sit clarior, non sit synonima, neque ęquivoca requiratur ea reflexa directio. Nam sine tali reflexa directione, eo ipso quod grammatica conferat voces expresivas conceptuū mentis, seu definitionis, vt est in mente, definitio vocalis erit clarior, non erit synonima, nec ęquivoca.

377. Obijc. 7. Omnis modus sciendi propriè talis est obiectum per se logicæ; ergo si voces supponantur propriè modus sciendi, erunt logicæ obiectum.

378. Respondeo; distinguo antecedens. Est obiectum per se logicæ speculativę, vel practicæ concedo: practicæ necessario; nego. Solum est obiectum per se logicæ practicæ modus sciendi ab ipsa dirigibilis, quales non sunt voces, etiam si sint propriè modus sciendi. Et patet exemplo picturæ, quæ sine regulis artis pictorię fieret, quę esset propria pictura, & non esset obiectum artis pictoriæ practicæ, & syllogismi traducti ex vna lingua in aliam ab ignaro logicæ, qui non esset obiectum logicę practicę, & tamen esset propriè modus sciendi.

379. Obijc. 10. Id, quod participat rationem formalem scientię, est obiectum per se illius, sed voces participant rationem formalem logicæ. Ergo. Probatur minor. Voces sunt propriè modus sciendi, ergo participant dirigibilitatem in modum sciendi, sed hæc est ratio formalis logicę. Ergo.

380. Respondeo. Concedo maiorem, & distinguo minorem: Participat rationem formalem logicæ practicæ, nego. Speculativę; concedo. Ad probationem, distinguo consequens. Dirigibilitatem in modum sciendi per se, & formaliter, nego. Per accidens, & indirectè; concedo. Dirigibilitas, quam participant per se, & formaliter voces, est dirigibilitas in locutionem humanam, cum autem hæc debeat esse conformis conceptibus mentis, & hi sint definitio, divisio, &c. Et ipsæ locutiones humanæ evadunt similiter *Definitio, Divisio*, &c. ac proinde *modus sciendi*, ast cum á grammatica non intendatur reflexé hęc rectitudo, inde est, quod eam participent indirectè, & per accidens.

381. Replicabis: Definitio vocalis est modus sciendi operatus; ergo & modus sciendi operabilis; nam ab actu ad potentiam valet consequentia; ergo definitio vocalis habet operabilitatem modi sciendi; ergo & rationem formalem logicæ.

382. Resp. Distinguo antecedens. Est modus sciendi operatus; operatus vt modus sciendi reflexè, nego; operatus vt locutio humana. Concedo. Vnde eodem modo est operabilis, & dirigibilis, nō ab aliqua regula, quæ signatè, & reflexè intendat eam dirigere, & operari vt modum sciendi, licet ex eo, quod vt locutio humana dirigatur, evadat modus sciendi necessario.

383. Obijc. 11. Institui potest quædam facultas, quæ iuvenes iam grammaticá imbutos doceat efformare definitiones, divisiones, &c. vocales, nulla facta mentione actuum mentis, quæ quidem facultas esset logica vocalis, & voces vt obiectum respiceret; Sed ita se habet nostra logica, idem enim, quod illa doceret, hæc docet; ergo.

384. Resp. Nego maiorem, & hinc patet, non solum esse otiosam, & superfluam logicam vocalem, verum & omnino nocivam. Quia cum voces sint essentialiter expresivę conceptuum mentis, & ad hoc inventę sint, habeant quę totum artificium modi sciendi ex conformitate cum modo sciendi interno, nequeunt dirigi in modum sciendi,

quin vlla mentio fiat actuum internorum, quibuscum conformantur; diriguntur namque vt conformes; nam diriguntur vt locutio humana; ergo per actus directivos præscisê debet attingi conformitas vocum cum actibus; ergo cum hoc non habeat vestra logica vocalis, omnino inutilis, & nociva esset, alias si dirigeret absolutè sine respectu ad actus internos, esset inductiva erroris, ac proinde scientia, & non scientia.

385. Objic. 12. Logica est sermocinalis; a Uerbo enim græco *logos*, quod Sermonê significat, cognomen assumpsit; ergo quia agit de vocibus. Respondeo, logicam sermocinalem appellari à Sermone interno, non ab externo.

386. Objic. 13. In logica apposuit eius inventor Aristoteles libros Elenchorum, vbi de æquivocis, vnivocis, Analogis, & Sophismate. Item libros de Peryhermenijs, vbi de significatione terminorum, de restrictione, amplificatione, signis ad placitum, &c. quę omnia in vocibus tantum relucent; ergo saltem quo ad hanc partem logica habet pro obiecto voces.

387. Respondet Arriaga. Logicam agere obiter de his. Contra; agere obiter est propriê agere: ergo & propriè erunt voces logicę obiectum. Alij respondent; logicam agere de his vocibus ratione conceptuum mentis, quos exprimere intendit. Sed contra: agere de vocibus, licet ratione alterius, est propriê voces respicere, sic de obiectis attributis agit in ordine ad obiectum attributionis, & tamen obiecti attributa sunt propria obiecta, ergo similiter & voces.

388. Respondeo cum Patre Comptono. Aristotelem locis citatis grammaticum egisse; Nam cum advertisset, ob verborum, & vocum æquivocationes, eo temporis magnas committi fallacias necessum iudicavit, aliquas vces in supplementum grammaticæ explicare, quibus non logica, sed logici instruerentur ad eas fallacias vitandas. Sic Medicus, non Medicina, curat de corporo anotomico, quod *EschelETUS* dicitur. Sic Astrologus, non astrologia, agit de sphæra lignea, vbi cęlorum motus facilè percipiat. Sic denique in Theologiæ prima, & tertia parte agitur de modo loquendi circa Mysterium Trinitatis, & Incarnationis. In Iurisprudentia, titulo de Verborum signatione, agitur de vocibus, quin ex hoc liceat inferri, Theologiam, & Iurisprudentiam voces vt obiectum respicere; ergo etiam si illi tractatus reductivè pertineant ad logicam, ipsa tamen voces illas vt proprium obiectum non respiciet. Nisi velis, eas speculativè respici, quod concedere non renuam.

389. Instas primò. Plures voces inventæ sunt ad logicam, quales etiam grammaticæ periti in vsu non habent, immò nec intelligunt v. g. *forma liter, virtualiter, Exercitè, signatè, &c.* Cur enim hæ ad grammaticam, quæ eas non intelligit, pertinebunt, & non ad logicam, quæ eis vtitur?

390. Respondetur, has voces ad grammaticam pertinere secundum vsus communes, secundum verò vsus particulares non ad logicam, sed ad logicos spectare, eis tamen, vt se facilius explicent, vtuntur. Aliás omnes scientię, & artes mechanicæ voces pro obiecto habebunt, cum habeant peculiares terminos, quibus ipsi mechanici, & non alij vtuntur. Sic Nautica habet has *Babor, Estribor, Aorsa*. Sic Fabrilis *Gurbia, Perlan*, sic Domifactoria, *Canes, Soleras, &c.* Quin ex hoc voces vt obiectum respiciant, quia hæ ad artifices, non ad artem spectant.

391. Instas secundo. Logica docet, & docere docet; deseruit enim, vt ad invicem conferamus, & disputemus circa essent iam modi sciendi, publicè que, & privatim arguamus, quod nisi per

per voces fieri nequit, est enim scientia humana, quę ad distinctionem scientię Angelicæ per voces intelligit, & intelligitur; ergo eas vt obiectum respicit.

392. Retorqueo instantiam in actibus, & facultatibus mechanicis, quæ docent, & etiam docere docent, communicantur Dicipulis, & Tyronibus, medijs vocibus, vt pote facultates humanæ. Sicut enim hoc non obstante nô respiciuntur voces ab illis facultatibus, nec á Theologia, & Philosophia vt obiectum, ita nec á logica. Cum illarum vocum vsus non sit ex necessitate scientiæ, sed ex necessitate hominum, & cômunicationis humanæ. Vnde si solum esset vnicus homo in mundo, vel omnes essent muti, perfectissimé in eis salvaretur tota essentia logicæ practicę, & exercitium suæ doctrinæ in actibus intellectus, definitionis scilicet, divisionis & argumentationis mentalium.

393. Replicas. Satisfactio est obiectum Pœnitentiæ, quia licet hæc essentialiter salvetur sine illa, per illam tamen integratur in esse remissivæ quoad pœnam; ergo licet logica essentialiter salvetur sine sermone externo, hic erit obiectum ipsius, cum in esse sermocinalis per ipsum integretur.

394. Resp. Pœnitentiam ex se esse remissivam peccati quoad culpam, & quoad pœnam, ideoque vtramque remissionem respicit, & quidquid ad eam integrandam spectat, nempê satisfactionem. At vero logica practica solum respicit vt obiectum sermonem internum, qui in esse talis per sermonem externum non integratur, quem propterea vt obiectum non respicit.

395. Objic. 14. Licet adoratio externa vocalis, & confessio fidei per voces sint impropriè adoratio, & confessio pertinent ad eumdem habitum Religionis, & Fidei simul; quia respiciunt idem obiectum, ac adoratio, & confessio Fidei interna, ita Hurtadus, Arriaga, & Lugo, disp. 14. de Fide, n. 9. ergo cum syllogismus vocalis v. g. respiciat idem obiectum, ac mentalis, & aliunde á nobis propriè modus sciendi supponatur, ad eumdem habitum logicalem pertinebit, vt obiectum.

396. Possem negare argumenti antecedens cum Eximio Doctore, disp. 6. de virtutibus, sect. 3. Uazquio, Molina, Valencia, & alijs, nec ipso Arriaga improbante prima secundæ disp. 33. n. 41. ponendo distinctos habitus temperantiæ, pœnitentiæ, &c. pro actibus externis ac pro internis; quia sunt in distinctis potentijs, sed syllogismus externus est in potentia locutiva, internus vero in intellectu, ergo pro eis distinctę facultates ponendæ sunt. Item plures cum Patre Ruiz, disp. 31. de providentia sect. 7. statuunt pro actu externo gratiam cooperantem distinctam, ac pro actu interno: ergo ponenda est distincta facultas auxiliatrix regulans, & operans syllogismum mentalem internum á facultate dirigente syllogismum externum.

397. Sed Resp. Distinguo antecedens Pertinent ad eumdem habitum religionis, & Fidei præscisse, quia respiciunt idem obiectum. Nego, quia finis intentus ab illis virtutibus, vel partialiter relucet, vel saltem integratur per actus externos, concedo. Sic diximus iam, pœnitentiam respicere vt obiectum satisfactionem externam, quia finis pœnitentiæ est, vt remittantur culpæ etiam quoad pœnam, & per actus externos hoc consequitur. Finis Misericordię est remedium Pauperis, & hoc per elargitionem externam Eleemosynæ obtinetur. Finis virtutis Religionis est exhibitio honoris, & cultus Deo debiti, & actio externa, submissio scilicet, hunc honorem exhibet. Confessio Fidei est manifestatio significans veritatem obiecti revelati, quæ manifestatio

tio integrat veritatem Fidei; at vero cum logica non intendat manifestationem externam modi sciendi, finis ipsius per syllogismum externum non integratur, vnde illum non dirigit, neque respicit modo directivo.

SVSBSECT. II.

ARGVMENTA CONTRA SE- *cundam partem conclusionis.*

398. OBjic. 1. Si voces sunt impropriè modus sciendi, non participant rationem formalem logicæ: ergo nec sunt obiectum logicæ speculativæ. Probatur antecedens. Ratio formalis logicæ, vel est dirigibilitas in modum sciendi, vel speculabilitas modi sciendi, sed voces non habent dirigibilitatem in modum sciendi, vt manet probatum; & si sunt impropriè modus sciendi, nec speculabilitatem modi sciendi habent. Ergo: Probatur minor: quoad secundam partem id quod non est modus sciendi verè, & scientificè, nequit cognosci, vt modus sciendi, sicut id, quod non est homo nequit per actum verum cognosci vt homo, sed id, quod est impropriè modus sciendi, verè non est modus sciendi, ergo nequit vt modus sciendi cognosci; ergo neque habet cognoscibilitatem modi sciendi; ergo neque rationem formalem logicę speculativę.

399. Respondeo. Nego antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & minorem quo ad primam partem, & distinguo quo ad secundam, si sunt impropriè modus sciendi, neque speculabilitatem modi sciendi habent, speculabilitatem modi sciendi improprij: Nego. Speculabilitatem modi sciendi proprij, concedo. Ad probationem distinguo maiorem, nequit cognosci vt modus sciendi proprij, concedo; vt modus sciendi improprij, Nego. Et ipso exemplo hominis improprij solutio declaratur. Homo pictus est impropriè homo, & potest terminare cognitionem scientificam, qua vt homo pictus, & improprius cognoscatur; quod enim repugnat, est, quod homo improprius cognoscatur vt homo proprius per cognitionem scientificam. Ita vel licet voces sint impropriè modus sciendi, habent propriam cognoscibilitatem talis *esse* improprij, sub qua cognitionem logicam scientificam terminant.

400. Objic. 2. & replic. Cognoscibilitas modi sciendi, definitionis vocalis identificatur cum definitione vocali, sed definitio vocalis est impropria definitio, ergo & cognoscibilitas erit impropria.

401. Retorqueo. Ergo definitio vocalis est etiam impropria oratio, imò & impropriè ens. Patet: ratio orationis, & entis identificatur cum illa definitione vocali, sed definitio vocalis est impropria definitio, ergo & impropria oratio, & ens improprium. Respondeo ex argumento sicut ex antecedenti nil cōtra nos. Nam ex eis ad summum inferretur, definitionem vocalem esse impropriè cognoscibilem, non vero non dari circa illam aliquam propriam, & scientificam cognitionem. Sic ens rationis non est propriè cognoscibile (loquor in cōmuniori sententia negante supra transcendentes) & terminat cognitionem sciētificam, immò & cognitionem Divinam, propriè tales; sed necessum non est ad hanc Doctrinam recurrere. Nam quod voces non sint propriè modus sciendi, non est ratione alicuius improprietatis positivæ, quæ illis insit, sed solum ratione improprietatis cuiusdam præscisivæ. Hoc est, nō quia non sunt propriè ens, propriè voces, propriè accidentia, &c. Sed quia in illis non datur propria affirmatio, & negatio, quæ iuxta sup-

suppositum requiritur ad proprium modum sciendi: vnde sicut sunt propriè voces, & accidentia non obstante hac improprietate in ratione modi sciendi, ita erunt propriè obiectum cognitionis logicæ speculativæ ea improprietate nō obstante, non aliter, ac homo pictus, licet sit impropriè homo, est proprie obiectum potentiæ visivæ.

402. Objic. 3. Per nos in logica non ponuntur actus practici circa definitionem vocalem, quia cum hæc sufficienter dirigatur á grāmatica non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate; ergo neque ponentur actus speculativi, cum etiam sufficienter cognoscatur ab ipso intellectu, & non sit necessitas multiplicandi tales actus.

403. Confirmatur. Illi actus qui á nobis logici appellantur v. g. *hac definitio vocalis constat genere, & differentia vocali* ad vim discursivam, & non ad logicam spectat. Nam intellectus logicis, & grammaticis principijs instructus, hunc discursum efformat. *Omnis definitio mentalis constat genere, & differentia mentali* en præmissa logica, *sed omnes voces representant obiectum eo modo, quo ab intellectu representatur*, en grammatica. His prēmissa, *Ergo omnis vox pro mentali definitione supposita representat rem per genus vocale, & differentiam vocalem.* Tum sic. *Sed hac vox animal rationale pro mentali definitione supponitur, ergo constat genere, & differentia vocali.* Hæc ergo vltima cognitio ad vim discursivam reduci debet.

404. Respondeo: In ipso argumento evidenter convincitur eius falsitas. Non enim ducti illo principio. *Non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate*, negamus præter influxum grammaticalem omnem alium influxum sive logicæ, sive alterius facultatis. At verô argumentum licet tollat á logica cognitionem speculativam definitionis vocalis, illam non vitat, sed potius eam multiplicat, & concedit intellectui secundum vim discursivam, ex quo sic argumentum retorqueo. Intellectui non conceditur aliqua cognitio practica circa voces distincta à cognitione grammaticæ, quia non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate; ergo neque cognitio aliqua speculativa: si enim hanc consequentiam á me positam neges, ita hanc consequentiam á te positam *logica non conceditur cognitio directiva vocum præter cognitionem grammaticæ; ergo neque cognitio speculativa*, nos negamus. Ratio est, quia cognitiones speculativæ taxandæ non sunt, sicut cognotiones practicæ. Ad has enim multiplicandas necessitas effectuum attendenda est, ad illas verô concedendas solúm capacitas obiecti debet attendi. Obiectum enim, nempe definitio vocalis, etiam si sit impropria definitio capax est, vt cognoscatur sub nomine definitionis; ergo cognitio speculativa, quæ ad has denominationes terminetur, concedi debet. Quod autem hæc ád grammaticā non spectet extra dubium est.

405. Quod debeat ad logicam, & non ad vim discursiovam pertinere, ex nostris probationibus demonstratur, præcipuè paritate cognitionis reflexæ circa definitionem mentalem iam factam, quæ ad logicam, & non ad vim discursivam spectare, iam supra probavimus, & concedunt plures ex adversarijs. Ratio â priori est, quia cum datur scientia, cui commode possit attribui aliqua cognitio, ad vim discursivam reducenda non est. Hoc enim cōducet ad perfectiorem statum scientiarum, & vt scientiæ patentiorem habeāt campum, quo se extendant.

406. Objic. 4. Si voces essent obiectum logicę speculativæ, etiam essent obiectum aliarum scientiarum. Nam sicut logica vtitur vocibus ad manifestandos suos conceptus, ita aliæ scientiæ sua obiecta per voces manifestant, ergo:

407. Respondeo. Negando paritatem. Nam cum in vocibus reluceat illud artificium definitionis, divisionis, & argumentationis, licet improprium, ex defectu affirmationis, & negationis, deribatum tamen ab actibus internis, ques exprimunt, & in quos logica tale artificium introducit, datur fundamentum ad asserendum; logicam eas voces secundum tales denominationes respicere, quod in Philosophia, Theologia, &c. non reperitur, si autem aliqua facultas se habet respectu vocum, sicut se habet logica, voces sicut logica respiciet.

408. Objic. 5. In Angelo, & Muto datur perfectè logica, & tamen in eis non dantur definitiones vocales, &c. quas contempleatur. Ergo sine talibus actibus speculativis salvatur perfectè logica.

409. Aliqui asserunt; logicam Angelorum esse distinctæ speciei à nostra logica, alij verò in Angelo, & mutis, non dari logicam adæquatè. Ego vero admito, esse eiusdem speciei, & teneo in vtroque logicam adæquatè reperiri; ac proinde actus speculativos, licet non definitionis, & divisionis vocalium ab ipsis factarum, factarum tamen ab alijs, sicut in Deo datur cognitio speculativa entis rationis ab homine facti, quod ab ipso Deo factibile non est. Potest enim, vel Angelus cognoscens, vel mutus audiens Petrum ita hominem definire *homo est animal hennibile*, intra se dicere. Hæc definitio vocalis recta non est, cũ non definiat hominem per propriam differentiam vocalem. Aliter verò si cognoscant Ioannem ita hominẽ definire *homo est animal rationale* assentire, hanc definitionem esse rectam: Ergo in Angelo, & Muto dantur actus speculativi circa modos sciendi vocales, ac proinde logica adequatè, & secundum omnes suos actus.

SECT. III.

VTRUM CONCEPTUS OBIECTIVI sint obiectum per se materiale logicæ.

410. PRima sententia tenet, conceptus obiectivos esse adæquatum obiectum logicę. Pro hac cõmuniter citatos video Patres Vallium 2. parte Logicæ q. 1. cap. 16. & Rubium, q. 6. Proemi. Sed mihi contrarium videtur, asserere in eadem quæst. one, n. 36. pro ea plurimos modernos citat.

411. Secunda sententia tenet, conceptus obiectivos esse obiectum materiale per se primarium logicæ, licet nõ adæquatum, ita acriter Sancta Cruz, de obiecto logicæ n. 86. pro ea citans Patrem Vazquium, Hurtadum, Gandunum, & alios. Eam etiam tuentur Pater Quiroz, 9. logicę, sect. 5. & nobiles Recentes. Hanc etiã conclusionẽ tenet, licet non sub expressione obiecti primarij M. Linc. l. 2. quæst. 1. art. 3. num. 12.

412. Tertia, & communior defendit, conceptus obiectivos esse obiectum materiale per se logicæ, secundarium tamen, non verò primarium: ita P. Arriaga disp. 2. logicæ sect. 2. Pater Peynadus tract. 1. Proęmi disp. 2. sect. 2. n. 22. Suarez Lusitanus, disp. 2. de obiecto logicæ §. 4. n. 48. Olea. d. 41. num. 4.

413. Quarta sententia asserit, conceptus obiectivos non esse obiectum logicæ neque primarium, neque secundarium, sed solúm per accidens, Ita Patres Conimbricenses, Fonseca 2. Meth. cap. 30. q. 1. hanc sententiam tenere videtur Pater Olsina n. 252. licet ob magnam confusionem, summamque obscuritatem

rem vix percipi possit.

414. Dico primò. Conceptus obiectivi sunt obiectum per se primarium aliquorum actuum logicæ. Probatur. Hi sunt actus logicæ, subiectum obiectivum est id, de quo aliquid dicitur. Prædicatum obiectivum est id, quod dicitur de subiecto. Quę sunt eadem vni tertio sunt idem inter se. Definitio, & definitum convertuntur. *Divisum* latius patet quolibet membro dividente. Natura vniversalis est communis pluribus. Quid quid dicitur de ratione superiori dicitur de inferiori, &c. Hi actus, & plures alij, quos invenies apud Santa Cruz n. 62. sunt actus logici; sed conceptus obiectivi sunt obiectum primarium horum actuum: ergo. Maior est certa. Si enim prędicti actus logicæ non sunt, quales erunt actus logicę? Minor probatur. Obiectum primarium horum actuum est definitum, natura vniversalis, identitas extremorum cum tertio, *Divisum*, membra dividentia, &c. Sed hæc omnia sunt conceptus obiecti, non vero formales, vt per se patet. Ergo.

415. Confirmatur. Hi actus immediaté verificantur de conceptibus obiectivis non verò de formalibus, ergo obiectum primarium ipsorum sunt conceptus obiectivi. Probatur antecedens. Quę convertuntur non sunt definitio, & definitum formale, sed *Definitio*, & definitum obiectivum: quod abstrahitur, & prædicatur de inferioribus non est cognitio abstrahens, sed obiectum talis cognitionis: quod identificatur cũ vno tertio nõ est cognitio repræsentans identitatem, sed obiectum repræsentatum: quod habet membra dividentia, non est cognitio dividens, sed res divisa; ergo hi actus immediatè verificantur de conceptibus obiectivis, nõ verò de formalibus; ergo obiectum primarium horum actuum sunt conceptus obiectivi.

416. Dico, & est vnicum Adversariorum effugium ad hoc vrgentissimum argumentum. Illos actus esse logicos, sed indigere explicatione, & in qua conceptus formales primario attinguntur, non vero obiectivi v.g. *Definitio, & definitum convertuntur*, ita explicandus est *Actus formalis qui dicitur definitio, & actus formalis, qui dicitur definitum, debent repræsentare idem obiectum.* Ille actus, *natura vniversalis abstrahitur ab inferioribus*, ita debet explicari: *conceptus formalis, qui dicitur vniversalis debet aliquid ab inferioribus abstrahere.* Hoc modo alios actus explicant ad suam salivam.

417. Contra primò. Hæc est insignis petitio princip j. Nam cum illos actus iuxta naturalem, & congruam eorum significationem conceptus obiectivos attingentes adducimus, respondere; illos debere explicari pro formalibus, quid est, quam dicere, eos non respicere conceptus obiectivos, quia tantum respiciunt formales? Cõtra 2. Tales actus, cum sint expressivi, & repræsentativi, id attingunt, & repręsentant, quod exprimunt, sed exprimunt conceptus obiectivos, nempè definitum, naturam vniversalem. &c. Ergo hos attingunt.

418. Contra tertiò. Illa explicatio est violenta, & voluntaria. Est violenta, nam quis vnquam per definitum intelligit cognitionem repræsentantem definitum, cum possit iuxta naturalem talis vocis significationem ipsum, quod re ipsa est definitum, intelligi? Quis per naturam, quæ prædicatur, cognitionem ad naturam terminatam percipit, cum possit ipsum, quod verè est natura prædicabilis, percipere? Ergo omnino violenta est talis explicatio; & connaturalius á nobis iuxta proprium sensum illorum actuum sumitur. Et etiam voluntaria; quia si rogemus, cur tales actus, vt sonant, non intelligantur? Respondebunt, quia vt sonant attingunt conceptus obiectivos. En vt se defendant

dant, explicationem confingunt. Ex qua inferes; ergo si vt sonant, tales actus ad logicam pertinent, eis enim logica sub illis expræssionibus vtitur, & vt sonant, conceptus obiectivos primario, & per se attingunt, conceptus obiectivi primario, ad logicam pertinent.

419. Contra 4. Iuxta aliquos ex Adversarijs hic actus *Definitio est clarior definito*, est speculativus, vnde logica est partim speculativa, cum verò illis opponitur, talem actum habere hunc sensum *si vis rectam elicere definitionē, debet esse clarior suo definito*, dicunt, quod licet ita practicus, cum vero ad logicam sub prima expræssione, inqua nihil docet etiam pertineat, eam partem speculativam constituit. Tum sic: Ergo licet illi actus iuxta ipsorum explicationem nō attingant primariò conceptus obiectivos, cum etiam iuxta primam expresionem, inqua eos primariò attingunt, ad logicam pertineant, certè logica conceptus obiectivos ea parte primariò, & per se attinget.

420. Dico secundò. Logica per particulares actus respicit conceptus obiectivos secundariò, & per se. Probatur Hi sunt actus logici. Definitio explicat essentiam rei. Divisio totum in partes disecat. Syllogismus formalis ex rebus notis ignotum deducit, &c. Sed hi actus etiam si respiciant primario conceptus formales (intendunt namque definitionem, divisionem, & argumentationem explicare) secundariò respiciunt conceptus obiectivos, vt definibiles, divisibiles, & argumentabiles: ergo. Probatur minor. Hi actus attingunt conceptus obiectivos vi cōnexionis, quam habent cum formalibus quos primariò attingunt, sed actus attingentes aliud vi cōnexionis cum obiecto primariò, illud secundariò, & per se attingit, vt ex nostra explicatione obiecti secundarij patet, & ex exemplis visionis Beatę, quæ secundariò per se attingit creaturas possibiles, vi conexionis, quam habent cum Omnipotentia, quæ est obiectum primarium visionis; & artis pictoriæ secundario res vt pingibiles attingentis ratione cōnexionis cum pictura; ergo.

421. Probatur secundò. Nequit âttingi Relativum vt tale, quin aliud relativum per se attingatur, v. g. Pater vt Pater, & simile vt simile, quin cognoscantur Filius, & consimile, sed per illos actus attinguntur definitio, Divisio, &c. vt relativa ad obiectum, attinguntur enim vt explicativa, & divisiva obiecti; ergo per illos actus obiecta per se attinguntur.

422. Dico 3. Et infertur ex antecedenti conclusione. Conceptus obiectivi sub tali denominatione, & respectu, hoc est, res ipsæ cum ordine ad hoc, vt circa ipsas eliciantur definitiones, divisiones, & argumentationes non sunt obiectum merè per accidens logicæ. Probatur. Implicat, quod aliquid cognoscatur propriè per aliquam cognitionem, & quod sit obiectum per accidens talis cognitionis, sed conceptus obiectivi cognoscuntur propriè per actus logicales; ergo. Probatur maior. Obiectum per accidens non cognoscitur propriè, sed solúm denominativè, vt patet in substantia parietis, quæ solum denominatur visa per visionē coloris ipsum parietem informantis. Probatur minor. Conceptus obiectivi propriè termināt cognitionem attingentem conceptus formales illorum expresivos, sed illi actus logicales supra positi, attingunt conceptus formales vt conceptuum obiectivorum expresivos, ergo.

432. Confirmatur. Id quod ita attingitur, vt eo ablato necdivinitus actus logicæ permanere potest, nō attingitur vt obiectum mere per accidens; sed cōceptus obiectivi ita per illos actus logicos attinguntur, vt eis ablatis actus logici nec divinitus permanere possint; auferretur enim illis vitalis eorum repræsentatio, quę est illis intrinseca, & essentialis: Ergo.

424. Dico 4. Dantur aliqui actus logicales, qui primariò attingunt conceptus obiectivos, & formales secundariò. Probatur (quid quid sit de alijs actibus prima conclusione positis, & alijs á Patre Sancta Cruz assignatis, an scilicet ęquè primariò tam conceptus obiectivos, quam formales respiciant) Hi sunt actus logici *Subiectum obiectivum est, quod obijcitur formali*; *prædicatum obiectivum est id, quod non vt quo, sed vt quod* prędicatur de subiecto. *Prædicatum, per quod res essentialiter differt ab omni eo, quod non est talis res, est aptum, vt per illud res essentialiter definiatur*; sed hi actus primario respiciunt conceptus obiectivos, & secundariò formales: Ergo. Probatur minor. Ideò hic actus, v. g. *Divisio totum in partes dissecat*, & alij attingunt primariò conceptus formales, secundariò obiectivos, quia illos attingunt immediaté, & ratione sui, hos verò per connexionem cum formalibus, sed actus á nobis proximè assignati attingunt conceptus obiectivos immediatè, & ratione sui, & solúm per cōnexionem cum his attingunt formales; ergo. Probatur maior. Ideo hic actus *Divisio totum in partes dissecat*, & alij similes attingunt immediatè conceptus formales, & propter cōnexionem solum conceptus obiectivos, quia intendunt principaliter explicare divisionem, & cum hac necessario sit conexa cum conceptu obiectivo, hunc etiam attingunt, sed hi actus: *subiectum obiectivum est, quod obijcitur formali, &c.* principaliter intendunt subiectum, & prędicatum obiectivum explicare, & hęc necessariam habent cōnexionem cum subiecto, & prædicato formalibus: Ergo vel assigna disparitatem; cur hic actus *Definitio explicat essentiam rei* respiciat primario conceptus formales, & secundariò obiectivos, & hic subiectum *obiectivum est, quod obijcitur formali* non respiciat é contra primariò obiectivos, & secundario formales.

425. Dico quintò. Omnis actus logicæ ad minus secundario per se debet respicere conceptus formales, est contra Patrem Sancta Cruz asserentem hanc Regulam *Definitio debet constare rebus, quæ sint genus, & differentia*, ita cōceptus obiectivos attingere vt formales solum per accidens respiciat. Probatur ad hominem contra ipsum. Per te hic actus. *Quidquid prædicatur de superiori, rectè de inferioribus prædicatur*, respicit per se secundario, & non merè per accidens conceptus formales; ergo & hic *Definitio debet constare rebus, quæ sint genus, & differentia* secundariò per se, & non merè per accidens respiciet conceptus formales. Patet consequentia. Ideo primus respicit secundariò conceptus formales, quia docet, rationem superiorem esse prædicandam, & prędicatio est conceptus formalis, sed secundus docet, definitionem constare rebus, quę sint genus, & differentia, & res fiunt genus, & differentia per conceptus formales; genus namque est natura communis pluribus specie diversis, quæ communitas á cognitione præscidente illam ab inferioribus provenit; ergo. Ratio absoluta conclusionis desumenda est à septima conclusione ponenda infra.

426. *Dico sexto.* Aliqui actus logicæ nullo modo respiciunt per se conceptus obiectivos, neque primariò, neque secundariò. Probatur. Licet obiectum sit cōnexum cum alio, si tamen nō cognoscitur vt cōnexum terminus cōnexionis non attingitur per se ab actu, sic etiamsi homo sit essentialiter cōnexus cum Deo, definitio hominis Deū non attingit per se, quia hominem non attingit vt cōnexum; atqui sunt aliqui actus logicales, qui attingunt concep-

tus formales non vt connexos cum obiectivis, v.g. Hi *Terminus est extremum propositionis. Syllogismus constat duabus præmissis, & conclusione*:ergo.

427. Dico septimò.Conceptus obiectivi secundum suas speciales rationes *hominis, Leonis*,&c. nullo modo sunt obiectum per se logicæ. Probatur,quia à nullo actu logicæ attinguntur, nisi sub vniversali respectu, hoc est, prout definibiles,divisibiles,&c. Vnde ablata speciali ratione hominis, leonis, &c. si maneret vniversalis ille respectus, tota integra logica maneret, sicut ablata substantia manente accidenti coloris manet visio.Et ratio à priori præ oculis habenda ad omnes conclusiones est; quia hęc facultas, quæ logica appellatur inventa est,vt modus sciendi,definitio divisio,& argumentatio sine periculo errandi eliciantur: ergo totum,quod agit, & quod respicit,debet ad modum sciendi conducere, & hoc respectu vestiri.Sicut Ars pictoria respicit res non secundum speciales suas rationes,v.g. hominem vt animal rationale, Leonem vt rugibile,&c.Sed vt pingibiles sunt,& cum respectu ad picturam; nam ad hoc inventa est. Ita logica nil respicit, nisi in ordine ad picturam intentionalem, definitionem scilicet,divisionem,& argumentationem. Unde patet veritas quintæ conclusionis.

428. Ex dictis has conclusiones inferes. Prima: Aliqui actus logicales respiciunt vt obiectum primarium cōceptus obiectivos alij vero eos vt obiectum secundarium respiciunt. Patet ex prima, & secunda conclusione. Secunda:Aliqui actus logicales respiciūt ita primariò conceptus obiectivos, vt solum secundariò respiciant formales. Aliqui è contra ita respiciunt primariò formales,vt solum secundariò obiectivos attingant.Patet ex quarta, & quinta conclusione. Tertia:Nullus datur actus logicalis,qui per se saltem secundariò non attingat conceptus formales, dantur aliqui,qui nullo modo nec primariò,nec secundariò attingant obiectivos,patet ex quinta, & sexta conclusione. Quarta: Res ipsæ secundum se nullo actu logicæ nec primariò, nec secundariò attinguntur.

SVBSECTIO VNICA.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

429. OBjic.1.Contra primam cōclusionem.Conceptus obiectivi non sunt dirigibiles à logica,nec regulabiles ab arte, ergo non sunt obiectum primarium logicæ. Confirmatur. Non participant rationem formalem logicę, scilicet dirigibilitatem in modum sciendi,ergo non sūt obiectum logicæ.

430. Argumentum etiam est contra secundam,& pręcipuè contra quintam conclusionem. Sed contra omnes nullius roboris in nostris principijs statuentibus logicam esse partim practicam,& partim speculativam,qua propter dirigibilitatem in modum sciendi non esse adæquatè rationem formalem sub qua logicę. Unde licet conceptus obiectivi non sunt regulabiles,nec participent dirigibilitatem in modum sciēdi, possunt esse obiectum primarium per se logicæ. Nam cum circa ipsos possit elici definitio, Divisio, & argumentatio,possunt á logica sub hoc respectu, & cognoscibilitate contemplativè attingi.

431. Nota, quod si actus, aliás sit speculativus,quia non est directivus,sive primario attingat conceptus obiectivos, sive primariò conceptus formales, erit speculativus. Si verò aliás directivus sit, & attingat vel primariò obiectivos,& secundariò formales, vel è contra primariò formales, & secundariò obiectivos, vel æquè primariò vtrosque, erit speculativus respectu conceptuum obiectivorum, quos contemplatur, & practicus respectu formalium,quos dirigit. Non enim repugnat respectu diversorum obiectorum,eumdem actum esse simul practicum, & speculativum,vt supra manet probatum. Ni velis cum Patre Sancta Cruz, similes actus practicos adæquatè appellare; quia ex ipsis conceptibus obiectivis, quos respiciunt, efformant genus differentiam,&c.quin in eorum contemplatione ita sistant,vt vlterius non progrediantur ad opus. Quod probabile iudico.

432. Objic.2. Si logica respiceret; vt obiectum primarium conceptus obiectivos, quia sunt definibiles, &c. ars pictoria respiceret etiam res ipsas vt obiectum primarium, quia sunt pingibiles,sed hoc non admittitur; ergo neque illud.

433. Resp.*Distinguo* maiorem:Si in arte pictoria dentur Regulę,quæ immediatè verificentur de rebus ipsis, sicut dantur in logica.Concedo: si aliter, Nego.Quod autem habeat, vel non habeat ars pictoria tales regulas non ad nos, sed ad pictores attinet. Quod tales actus habeat logica iam manet probatum.Nota modum respondendi ad paritatem,& eo semper vtere.

434. Objic. 3. Contra secundam conclusionem. Cognitio peccati, & eius detestatio cōnectuntur cum peccato, sicut conceptus formales cum obiectivo, & tamen *Deus* complacet in cognitione, & detestatione peccati, quia in ipso peccato complaceat, ergo & actus logici poterunt ad conceptus formales terminari, quin conceptus obiectivos nec secundariò attingant.

435. Respondeo. Nego paritatem ob plures rationes;prima, quia licet relativa sint simul natura, & cognitione

(vnde cognito Patre, Filius necessariò cognoscitur)non sunt simul amore, vnde amato Patre, Filius potest non amari, immò & odio haberi; & huius ratio est, quia intellectus est potentia necessaria, & ideo nequit attingere alquid vt cōnexum cum alio, quin aliud simul attingat, at voluntas est potentia libera, vnde pro suo libito potest aliquid etiam, vt cōnexum amare, & non amare terminum cōnexionis; sic nequit cognosci cognitio vera, quin eius obiectum cognoscatur,potest tamen amari, quin ametur obiectum, etiam si aliás amabile sit, quanto magis si non sit amabile,vt se habet peccatum respectu voluntatis Divinæ. Et hæc est alia ratio disparitatis. Nam conceptus obiectivus capax est rationis formalis logicæ, ad scientiam enim ad quam pertinet definitio rei, res etiam vt definibilis pertinet, at vero peccatum non habet rationem formalem terminativam voluntatis *Divinæ*: Quid ergo mirum,quod ratione cōnexionis cúm formali attingatur á logica conceptus obiectivus, & peccatum ratione cōnexionis cum detestatione non attingatur á voluntate Divina?

436. Objic.4. Si res, provt sunt definibiles, essent obiectum per se logicæ, etiam ens rationis esset obiectum per se ipsius, cum ens rationis etiam sit definibile; sed hoc á nobis postea negandum est contra Thomistas: Ergo.

437. Respondeo. Distinguo maiorem. Etiam ens rationis esset obiectum per se materiale; concedo: formale, nego. Quod negamus contra Thomistas, est, ens rationis esse obiectum formale, seu artificium illud, quod logica in suos actus introducere tentat, non verò esse obiectum materiale, sicut quemlibet alium obiectivum conceptum definitionis capacem.

438. Objic.5. Ars frenu factoria, li-

licet attingat frænum vt obiectum primarium; item ars pictoria licet præscribat regulas ad hominis picturam, & frænum sit conexum cum equo, & pictura hominis cum homine, equum, & hominem solùm attingunt per accidens, & nullo modo per se; ergo similiter logica.

439. Instas in virtutibus moralibus, prout á Theologis distinguntur. Virtutes morales distinguntur á Theologis in hoc solum, quod Theologicæ hebent pro obiecto per se aliquid Divinum, non verò morales: Ergo prudentia dirigens amorem *Dei*, Religio tribuens cultum Deo, Pœnitentia intendens reconsiliationem cum *Deo*, Deum non respiciunt vt obiectum per se, sed solùm per accidens, & vt finem *cui*, tunc sic: Ergo etiam si actus logicus intendat essentiam rei explicare, non attinget rem vt obiectum per se; sed solum per accidens.

340. Respondeo, Artem frænufactoriam, & pictoriã, si respiciant frænum vt cõnexum cum equo, & picturam vt connexam cum homine, sicut videntur respicere, habere equum, & hominem vt obiectum secundarium per se, & exempla potius conclusioni fauebunt; si verò non respiciant frænum vt connexum cum equo, & picturam vt cõnexam cum homine ipso, est disparitas ad actus logicos respicientes conceptus formales vt connexos cum obiectivis.

341. Ad instantiam respondetur primo. *Distinctionem* Theologicarum virtutum á moralibus non stare in obiecto materiali secundario, sed in primario, vnde Deus erit obiectum per se secundarium virtutum moralium, sicut conceptus obiectivus actuum logicorum. Hoc est, virtus Theologica á morali distinguetur in eo, quod virtus Theologica habeat pro obiecto materiali primario aliquid divinum, virtus vero moralis aliquid creatum, etiam si habeat aliquid diviuũ pro obiecto materiali secundario. Respondeo secundo. *Distinctionem* hanc inter virtutes non stare in obiecto materiali, sed in ratione formali motiva. Ratio formalis motiva virtutis Theologicæ debet esse *Divina*, ratio vero formalis motiva virtutis moralis est creata. Sic amor Dei propter ipsius Dei bonitatem est Theologicus. Amor verò ipsius *Dei* propter bonitatem, & honestatem creatam ipsius amoris est virtus moralis, & tamen Deus est obiectum primarium vtriusque actus; virtutes enim morales, prudentia v.g. dirigit amorẽ Dei, pœnitentia vult reconciliationem cum *Deo*. Religio elicit *Dei* cultum propter bonitatem moralem amoris, reconciliationis, & cultus, ideoque á virtutibus Theologicis distinguntur, vnde argumentum falsis nititur principijs, & potius conclusionem confirmat, quia si propter connexionem, quam habent amor, reconciliatio, & cultus cum Deo, tales virtutes respiciunt Deum, vt obiectum per se, ita in actibus logicalibus eveniet.

442. Instas. Ergo omnis scientia respiciens conceptus mentis, actus que voluntatis respiciet conceptus obiectivos. Respondeo. Distinguo consequens. Si eos respiciat vt connexos, sicut logica illos respicit. Concedo. Si aliter. Nego.

443. Obijc. 6. Omnes actus logicæ ordinantur ad definitionem, Divisionem, & argumentationem, sed conceptus obiectivus non est definitio, sed definitus; non est divisio, sed divisus. Ergo conceptus obiectivus non erit obiectum per se actuum logicorum.

444. Respondeo. Concedo maiorem, minorem, & nego consequentiam, & suppositum consequentis, quod cognitio conceptus obiectivi vt definibilis, divisibilis, &c. non ordinetur, & conducat aliquo modo, ad definitionem

nem, divisionem, &c. Certum est vt diximus conclusione 7. omnes actus logicos ordinari, & aliquo modo debere conducere ad modum sciendi, cuius directio finis fuit logicæ inventionis, vnde omnis actus logicus saltem secundariò debet respicere conceptus formales, cum autem cognitio rei definibilis aliquo modo ad definitionem conducat, saltem propter necessariam vtriusque connexionem, inde est, quod actus terminati ad definitionem ad definitum quoque sæpe terminentur.

445. Objic. 7. Logica non est sciẽtia realis, sed sermocinalis; ergo non agit per se de rebus. Respondetur. Logicam communiter sermocinalem, & non realem denominari expræcipuo, & principaliori ipsius obiecto, nempè modo sciendi; posse etiam realem appellari, si realis scientia sit illa, quæ habet res ipsas pro obiecto cum respectu ad actus mentis.

446. Objic. 8. Illud est obiectum per se alicuius scientiæ, cuius aliquas proprietates talis scientia declarat, sed logica nullas proprietates conceptuum obiectivorum declarat. Ergo. Respondeo. Transeat maior, & minor, & nego consequentiam. Dixi transceat maior, quia etiam si vt aliquid sit obiectũ primarium per se, talis declaratio proprietatum requiratur, quod certé non requiritur sed solum quod immediatè, & principaliter termitet aliquem actum talis scientiæ, non tamen requiritur ad obiectum secundarium; ad hoc enim solum requiritur, quod ratione connexionis cum obiecto primario propriè attingatur. Dixi transeat minor, quia aliquas proprietates conceptuum obiectivorum declarant actus logici, scilicet definitum converti cum definitione, prædicatum cum subiecto: &c.

447. Objic. 9. Logica primò respicit conceptum formalem, deinde obiectivum: ergo conceptus obiectivus est finis vltimus, in quo logica sistit.

448. Respondeo, quod licet in executione, sive exercitio prius attingatur á logica conceptus formalis, & deinde ratione connexionis ad conceptus obiectivos progrediatur; finis vltimus, & præcipuè intentus á logica non est conceptus obiectivus, sed formalis; Et si obiectivus ad formalem non conduceret, illum nõ attingeret, nec admitteret illos actus, qui primariò ad obiectivos conceptus terminantur. Sicut eo, quod Beatus priús Omnipotentiam, postea verò ratione connexionis creaturas possibiles attingat, non sequitur, finem intentum á Beato non esse Omnipotentiam, sed creaturas possibiles.

449. Objic. 10. Per nos voces non sunt obiectum logicæ practicæ; ergo neque conceptus obiectivi. Probatur. Ideo voces non sunt obiectum logicæ practicæ, quia non sunt dirigibiles á logica, sed conceptus obiectivi etiam á logica dirigibeles non sunt, quomodo enim mulus, equus, aut Asinus á logica dirigitur? Ergo.

450. Respondeo, ex argumento solum sequi, conceptus obiectivos non esse obiectum logicæ practicæ, non vero non esse obiectum logicæ speculativæ. Vnde licet conceptus obiectivi dirigibiles non sint, respiciuntur á logica. Hanc tamen differentiam nota; quod actus logicus terminatus ad voces est solum speculativus, quia solum terminatur ad voces, quas non dirigit; actus vero logici ad conceptus obiectivos terminati possunt esse practici, si aliás conceptus formales vt dirigibiles simul respiciant, vel vt obiectum primarium, vel saltem vt secundarium.

451. Objic. 11. Ex Patre Hurtado intendente, conceptus obiectivos esse obiectum primarium non solúm aliquorum, sed omnium actuum logicalium. Ex imagine, & prototipo resultat obiectum adæquatum primarium adora-

rationis;ergo ex conceptu obiectivo, & formali obiectum adæquatum primarium logicæ coalescet.

452. Instas. Ex Beatitudine formali,& obiectiva resultat obiectum adæquatum spei Theologicæ; ergo ex conceptu formali, & obiectivo obiectum adæquatum logicæ.

453. Respondeo ad argumentum: Obiectum adęquatum adorationis non esse necessario complexum ex prototypo, & imagine, licet sit obiectum aliquorum actuum adorationis, qui ad vtrumque terminantur. Nam plures actus adorationis terminantur ad prototypon independenter ab imagine, plures verò ad imaginem, sed dependenter á prototypo. Ita plures actus logici ad conceptus formales, qui se habent vt prototypon independenter à conceptibus obiectivis, vt vidimus in sexta conclusione, vel saltem independenter ab eis vt ab obiecto primario. Alij verò, qui tam ad formales, quam ad obiectivos terminentur iuxta vniuscuiusque actus naturam.

454. Ad instantiam respondetur primò cum Eximiò Doctore, Beatitudinem formalem constitui ex Beatitudine obiectiva, vnde actus omnis, qui primariò terminatur ad beatutidem formalem, terminari primariò ad obiectivam, necesse erit, nam qui respicit constitutum,& constitutiva eodem modo respicere necessum est, conceptus verò formalis non constituitur ex obiectivo, vnde optime potest aliquis actus ad conceptum fromalem primariò terminari, quin terminetur primariò ad conceptum obiectivum. Respondeo secundò. Vtrique Beatitudini competere esse quid primario, & principaliter intentum á spe, quæ obiectum vt sibi bonum appetit, & cum sciamus, esse virtutem Theologicam, inferimus debere tangere aliquid divinum primariò & per se, non tamen competit conceptui obiectivo esse quid primariò intentum ab omni actu logicæ, vt ex eorum tendentia constat.

455. Objic. 12. Contra sextam conclusionem. Conceptus formalis vt talis connexus est cum obiectivo, sed omnis actu logicæ attingit conceptum formalem vt talem: Ergo attingit obiectivum. Confirmatur. Hic actus. *Syllogismus constat tribus propositionibus*; attingit propositionesvt tales sunt essentialiter repræsentativæ obiecti; ergo & obiectum attingit.

456. Respondeo. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad confirmationem nego maiorem. Tales enim actus attingunt conceptus formales, non verò sub reduplicatione conceptuum formalium, aut propositionum, nec eos vt repræsentativos attingunt, sed vt constitutivos; sed vt constitui solum referuntur ad constitutum, & constitutum non est conceptus obiectivus,sed formalis: Ergo tales actus, nec primariò, nec secundariò attingunt conceptus obiectivos, v. g hic actus: *Terminus est extremum propositionis*, attingit primariò terminum, & secundariò propositionem, cuius constitutivus est terminus, non verò attingit obiectum termini, aut propositionis; sicut cum intellectus concipit albedinem vt disgregativam visus,non concipit subiectum, in quo recipitur, aliter verò, si eam vt accidens attingeret. Vnde licet actus respiciens propositionem vt repræsentativam obiecti, attingat secundariò obiectum, non verò actus eam vt constitutivam syllogismi, respiciens.

457. Objic. 13. Contra septimam conclusionem ex Patre Linze. Logica agit de prædicamentis;sed prædicamenta sunt res pęnes esse physicum, ad distinctionem prædicabilium,quæ sunt res secundum esse intentionale;ergo.

458. Confirmatur. Notitia rerum in particulari maximè iuvat ad finem potissimum intentum á logica, nam scire,quid sit substantia, vt rectè definiatur scire, quid sit animal, vt rectè dividatur,& scire quid sit, & qualis idẽtitas duorum extremorum, vt rectè arguatur,maximè iuvat;ergo.

459. Respondeo,tractatum de prędicamentis,non ad logicam,sed ad Metaphysicam spectare. Sępè tamen conscribitur anno ad edocendam logicam assignato, quia sæpè eo anno tempus suppetit,quod fortè anno ad metaphysicam destinato deficeret. Et quia cum hæ voces *Substantia, quantitas, Relatio*, passim audiantur in Scholis de eis quam tociûs agere congruum videtur, sicut de ente rationis, quod ad metaphysicam spectat, omnes fere agunt in logica.

460. Ad confirmationem Respõdeo,ex ea inferri, logicam cum omni facultate cõfundi, nam si ideo cognitio substantiæ ad eam pertinet, quia talis cognitio cõducit ad eius definitionem, ergo & cognitio hominis, Dei, Angelorum, fræni, calcei,clavis,&c. etiam ad logicam pertinebunt, confundetur quę cum Philosophia, Metaphysica, Theologia, Frænufactoria, færraria, &c. Patet, quia cognitio eorum non solum conducit ad definitionem, verum ita necessaria est vt sine cognitione hominis definiri nequeat. Constet ergo, logicam regulas præscribere vniversaliter pro forma definitionis,cognitionem tamen materiæ in particulari ad ipsam non spectare, sed ad particulares facultates, in quibus fiunt definitiones,divisiones, &c.

461. Replicas primò. Hę cognitiones sunt logicæ, *Definitio constat genere,& differentia. Definitio, & definitum convertuntur*; ergo hæ erunt logicæ. *Definitio hominis constat genere, nempe animali,& differentia,nempe rationali:definitio hominis convertitur cum homine*, sed hi actus res in particulari attingunt nempe hominem, ergo & regulæ logicales res in particulari secundum rationes particulares attingere queunt.

462. Resp. Regulas generales non respicere determinatè definitiones particulares,sed solùm implicitè,& in confuso sub ratione definitionis, & eodem modo obiecta sub ratione definibiliũ. Hæ tamen regulæ generales posita materia,hic & nunc in particulari dirigũt; cognitio tamen materię in particulari, vt iam diximus, ad tales regulas non spectat, sed ad varias facultates, vnde actus illi *Definitio hominis debet constare ratione animalis*, quæ se habeat vt genus,& *ratione rationalis*, quæ se habeat vt differentia,&c.non sunt cognitiones purè logicæ,sed mixtæ ex logicis, & physcicis. Logica ex parte formæ, & physica ex parte materiæ. Pręterea adhuc admisso,quod tales actus sint logicæ non respiciunt hominem vt *homo est*, quod in præsenti negamus,sed hominem in ordine ad definitionem,quod concedimus,& defendimus.

462. Replicas 2. Logica independenter á quacumque materia agit de syllogismo expositorio, sed hic est singularis, & determinatus; ergo agit de materia singulari, & determinatá.

464. Respondeo, Distinguendo maiorem: Agit de syllogismo expositorio in individuo, nego. Confusè. Concedo. Et distinguo minorem: Est singularis signatè, concedo. Exercitè, nego. Sicut hi termini *singularis homo*: *Vnus homo* significát singulare signatè, sub ratione tamen communi exercitè. Ita in nostro casu, nam sub ratione syllogismi expositorij omnes syllogismi expositorij continentur, non verô significatur aliquis in particulari.

(o)

SEC-

SECTIO IV.

VTRVM TRIPLEX MENTIS operatio sit obiectum primarium per se logicæ.

465. CVm logica sit sciẽtia rationalis nullus Doctor (preter Nominales præscribentes voces vt obiectum adequatum logicæ, & quemdam Morandum citatum á Guarino, quæst. 6. proœm. logicæ, esse obiectum logicæ denegantem) nullus (inquam) Doctor dubitavit, secundam,& tertiam mentis operationem, iudicium scilicet, & discursum esse obiectum primarium per se logicæ. Totum ergo dissidium ad primam mentis operationem, nempe apprehensionem complexam, & in complexam reducitur. In quo.

466. Prima sententia negat, ita Pater Hurtadus, disp. 1. logicæ §. 16. Conimbric. q. 5. proem. art. 3. Spinula, disp. 2. logicæ, sect. 4. n. 63. licet non ita clarè. Secunda, & communior sententia affirmat, ita Sanctus Thomas postea citandus, Caram. n. 407. Comptonus, d. 6 logicæ sect. 1. Lince. Arria. Oviedus. Sancta Cruz, Alphonsus, & alij, quos sequuntur P. Olea. d. 44. a n. 2. & M. Linc. lib. 1. q. 1. art. 2. n. 2. & art. 3. n. 9.

467. Dico 1. Triplex mentis operatio, tam prima, quam secunda, & tertia non est obiectum primarium logicæ adequatæ; est tamen obiectum per se secundarium. Hæc conclusio manet iam probata sectione antecedenti Conclusionibus 4. & 5. Nam actus conclusione quarta positi sunt actus logicę, & tamen conceptus formales non respiciunt, vt obiectum primarium, sed solum vt obiectum secundarium. Item actus illi, qui speculativè ad voces terminantur, non respiciunt vt obiectum primarium conceptus mentis: Ergo.

468. Dicò 2. Triplex mentis operatio est obiectum per se primarium logicæ. Probatur vniversaliter de omnibus authoritate expressa Sancti Thomæ in præfatione ad libros de Peryhermenijs sic aientis: *Cum logica sit rationalis scientia, necesse est, quod eius consideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad tres prædictas operationes.* Quid clarius?

469. Probatur secundo ratione: Id est obiectum primarium alicuius scientię, quod primariò, & per se participat rationem formalem talis scientię, sed triplex mentis operatio participat per se primario rationem formalem logicæ: ergo. Maior est certa. Probatur minor. Ratio formalis logicę, vel est dirigibilitas in modum sciendi, vel speculabilitas secundum rationem modi sciendi, sed triplex mentis operatio participat & dirigibilitatem in modum sciendi, & speculabilitatem secundum rationem modi sciendi, ergo. Quod participent dirigibilitatem in modũ sciendi iudicium, & discursus, ab omnibus conceditur; quia iudicium potest indivisionem v.g. *Animal aliud est rationale,* aliud *irrationale* ex hac regula dirigi *Divisio totum in partes distribuit*: & discursus, v.g. *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo est animal*: ex hac, *syllogismus in Darij tribus propositionibus constare debet, &c.*

470. Sed similiter apprehensio complexa potest dirigi in definitionem v.g homo *est animal rationale* ex hac regula, *definitio debet constare ratione proximé conveniendi, & vltimo differendi*; nam vt diximus in Sumulis, tota definitio in apprehensione complexa salvatur. Item apprehensio incomplexa potest in genus v.g. *Animal* ab hac regula dirigi, *Si vis genus efformare abstrahe rationem à pluribus differentibus specie*, & similiter

potest

potest ab alijs regulis dirigi apprehensio incomplexa in differentiam, speciem vniversale, &c. ergo sicut secunda, & tertia mentis operatio participat dirigibilitatem in modum sciendi, ita & prima operatio quoad vtramque apprehensionem complexam, & in complexam.

471. Probatur tertiò. Specialiter de primá mentis operatione, in qua est difficultas. Scientia, quæ agit de toto componendo, agit de partibus componentibus, sic Philosophia, quę agit de composito humano, agit de materia, forma, & vnione. Rhetorica, quæ agit de ornatu Orationum, agit de vocibus, thropis, & figuris. Poesis, quæ agit de carmine, agit de syllabis, ex quibus carmen conflatur; ergo cum definitio ex genere, et differentia, iudicium ex apprehensionibus componatur, logica, quæ agit de definitione, divisione, &c. aget vtrique de genere differentia, & apprehensionibus, quę sunt partes componentes definitionem, divisionem, &c. Si vero neges, iudicium esse qualitatem cõpositam, ac proinde apprehensiones esse partes illud componentes, negare nequis, esse saltem dispositiones prævias ad iudicium, & tunc sic instauratur argumentum: Scientia, quę agit de formæ introductione, agit etiam de dispositionibus ad talem introductionem necessariò pręcedentibus; ergo si logica agit de introducenda forma definitionis v.g. in iudicium, et ad talem formam introducendam necessariò debet præcedere, apprehensio generis, et apprehensio differentiæ, de his apprehensionibus logica debet agere, non vt terminis intrinsecè constitutivis, sed vt terminis extrinsecè terminativis.

SVBSECTIO VNICA.

RESPONDETVR ARGVmentis.

472. OBjic. 1. Contra primam partem secundę conclusionis. Obiectum scientiæ debet ad ipsam præcedere; sed actus intellectus non præcedunt ad logicam; ergo non sunt eius obiectum. Prob. maior. Quod aliud specificat ad illud pręsupponitur; sed obiectũ sciẽtię specificat scientiam; ergo ad illam debet pręsupponi. Probatur minor primi syllogismi, Logica est causa directiva actuum intellectus; ergo hi non præcedunt ad logicam, aliás effectus suam causam præcederet, quod implicat.

473. Nota argumenti in consequentiam. Ex vna parte probat, logicam non habere vt obiectum actus intellectus, & ex alia probat, logicam actus intellectus dirigere. Quomodo eos dirigit, si eos non respicit? Respondeo. Distinguo maiorem, obiectum debet præcedere scientiam, vt possibile, transeat; vt existens: Nego. Ad scientiam, si sit practica, non debet præsupponi obiectum existens; quia ab illa scientia existentiam accipit, immò nec necessarium est, quod præcedat ad hãc, vt possibile ad notitiam practicam; nam cognitio factiva entis rationis non supponit, sed tribuit illi possibilitatem. Ad summum enim debet præcedere obiectum possibile cognitionem speculativam, quæ illud contemplatur. Scias, specificativum intrinsecum necessario præcedere ad specificatum, sicut constitutivum ad constitutum, non vero specificativum extrinsecum, sic Omnipotentia, & sciẽtia *Divina* specificantur à creaturis

pos-

possibilibus, & cognitio Divina á sua manifestatione, & ab ipsa reflexè cognita sine vlla prioritate; item potentia creata specificatur á suis effectibus; quia hæc extrin eca specificatio tantum est, essentiam dicere ordinem ad aliud, in quo cum nulla reluceat causalitas, nec prioritas relucere debet.

474. Objic. 2. Cognitio est incapax directionis; ergo non est dirigibilis á logica. Probatur antecedens. Cognitio vel est vera, vel falsa, vel repræsentat genus, & differentiam, vel non? Si semel est vera, nequit transire in falsam, & è contra; si semel repræsentat genus, & differentiam, nequit ea non repræsentare; ergo nequit dirigi, neque emmendari, cum nequeat ex recta in irrectam, vel ex irrecta in rectam transire.

475. Ad solutionem nota, quod cum dicitur, actum intellectus esse capacem erroris, non est, quia idem actus possit transire ex irrecto in rectum, aut ex non repræsentativo generis, & differentiæ in repræsentativum eorum, cum enim rectitudo, vel irrectitudo, & repræsentatio actus sit vitalis tendentia, & essentia ipsius, nequit mutari, ac proinde, qui semel fuit irrectus, numquam fiet rectus, & qui semel non repræsentavit genus, & differentiam, numquam genus, & differentiam repræsentare poterit. Dicitur intellectus, & actus dirigi, quia ex actibus possibilibus rectis, & irrectis vi regularum eligit rectum, irrectum omittens, v. g. Si aliquis vellet definitionem hominis elicere, posset hanc cognitionem efformare: *Homo est animal hinnibile*, vel hanc, *homo est animal rationale*, quod autem facit logica, est, dirigere vt hæc secunda cognitio recta præ prima irrecta eliciatur. Vnde hanc cognitionem esse rectam, nil aliud est, quam esse productam ab intellectu instructo regulis dictantibus eam præ alia eligendam.

476. Objic. 3. Omnia præcepta logicę ad argumentationem, & demonstrationem ordinantur; ergo hæc solum erit eius obiectum primarium. Respondeo, ex argumento ad summum sequi; demonstrationem esse obiectum attributionis logicæ, non vero esse obiectum primarium ipsius tantum, nam ex eo, quod definitio, & divisio ordinentur ad discursum, non sequitur; definitionem, & divisionem non respici primario á particularibus regulis ad ipsas terminatis.

477. Objic. 4. Contra secundam partem conclusionis. Per nos conceptus obiectivi sunt obiectum secundarium plurium actuum logicæ, quia non ratione sui, sed ratione conceptuum formalium attinguntur, sed apprehensiones non ratione sui, sed ratione definitionis, & divisionis á logica attinguntur, ergo solum sunt obiectum secundarium.

478. Nego minorem. Aliud enim est, logicam apprehensiones ordinare ad iudicium, & aliud apprehensiones attingere non ratione sui, sed ratione connexionis cum iudicio. Primum est verum, & tantum arguit, apprehensiones esse obiectum attributum ad aliud, sicut etiam iudicium, quod ad discursum logica ordinat, quin ex eo inferatur; non esse obiectum primarium logicę. Secundum argueret, apprehensiones non esse obiectum primarium, sicut conceptus obiectivi, qui ideo non sunt obiectum primarium actuum illos tantum attingentium ratione connexionis cum formalibus, sed falsum est, ita se habere apprehensiones respectu omnium actuum logicæ, cum de illis primario, & per se agant omnes illi actus, qui ad prædicabilia, genus, differentiam, species, &c. terminantur, qui quidem particulares actus ita primariò eas apprehensiones attingunt vt ad summum secundariò attingant iudicium, sicut illi actus, qui ita conceptus obiectivos attingunt vt formales solum attingant secundariò.

479. Objic. 5. ex Hurtado. Obiectum logicæ debet esse dirigibile in modum sciendi, sed simplex apprehensio non est dirigibilis in modum sciendi, neque vt modus sciendi, neque vt pars modi sciendi; nam iudicium est simplex & incomposita qualitas: ergo.

480. Nullius roboris est argumentum in nostris principijs asserentibus, totam definitionem in apprehensione complexa salvari. Neque in principijs Caramuelis defendentis, quamlibet apprehensionem etiam in complexam esse propriè modum sciendi. Nec si cum Patre Comptono dicamus, esse modum sciendi impropriè, & recordemur doctrinæ supra traditæ, scilicet quod etiam si modus sciendi vocalis sit impropriè modus sciendi, est propriè obiectum logicæ speculativæ, ergo saltem logicæ speculativæ possent apprehensiones esse obiectum primarium, cum earum cognitio ad faciliorem cognitionem modi sciendi conducere posit; sic Theologia conspicit vt obiectum partiale vitia, gratiá, &c. quin hæc sint partes Dei, qui est suum obiectum principalius, quia scilicet gratiæ, & vitiorum cognitio ad cognitionem Dei iuvare potest.

481. Respondeo ergo. Distinguo maiorem. Debet esse dirigibile in modum sciendi, vel constitutivè, vel dispositivè, concedo, Constitutivè necessario, nego, & similiter dstinguo probationem subsumptam: Non est modus sciendi formaliter, vel constitutivè, concedo, dispositivè, nego; sufficit enim quod sint dispositio necessaria ad modum formalem, vt eas logica respiciat, sicut natura, quæ formam introducit, dispositiones curat.

482. Objic. 6. Simplex apprehensio est incapax erroris: Ergo non est dirigibilis. Probatur antecedens. Apprehensio *Animalis* v. g. nullam habet indifferentiam, vt bené, vel male fiat, neque vt aliter obiectum repræsentet, ergo. Probatur consequentia. Directio vt talis requiritur advitandos errores; ergo si in apprehensionibus errores esse nequeunt, neque circa apprehensioné poterit directio reperiri.

483. Respondeo, quod ad rationem Praxis, ac proinde vt aliquid dicatur, dirigibile capacitas erroris non requiratur, vnde nec directionem præscisse requiri advitandos errores in redirecta, sed solúm ad hoc vt res dicatur intrinsecè recta, & ipse Hurtadus concedere tenetur, & nos supra defendimus exemplo ipsius Dei erroris incapacis, & á scientia simplicis intelligentiæ in productione creaturarum dirigibilis, sed admissá sequelá,

484. Distinguo antecedens: Est incapax erroris absolutè, incapacitate consistente in necessaria conformitate cum obiecto, concedo, respectivè, & incapacitate consistente in applicatione indebita hic, & nunc; nego. Apprehensio semper suum obiectum vt est in se repræsentat, vnde absolutè est incapax erroris. Attamen, cum hic & nunc posit esse inepta ad artificium, quod intenditur, dicitur capax erroris v. g. licet hæc apprehensio *hinnibile* recta sit absolutè, cum repræsentet vltimam differentiam equi, si tamen quis vellet, hominem definire, tunc esset inepta, cum ad hoc artificium ipsa non requiratur, sed apprehensio *rationalis*, quæ est vltima differentia hominis definiendi, cum ergo intellectus loco huius apprehensionis *Rationale* posit hanc habere *hinnibile*, vt hic, & nunc *hinnibile* non habeat, sed *rationale*, logicæ directio requiritur, scilicet vt sit recta, non solúm absoluté, sed etiam respectivè.

485. Objic. 7. Quod necessariò fit est incapax directionis, sed simplex apprehensio necessario fit: Ergo. Probatur maior. Directio est ad hoc, vt res, quæ

quæ potest hoc, vel illo modo fieri, hoc potius, quam illo fiat. Probatur minor. Posita specie apprehensionis obiectum proponente, nequit intellectus illud obiectum non apprehendere.

486. Retorqueo contra Hurtadum primò. Posita specie evidenti, necessarium est iudicium, sed iudicium est capax directionis per te: Ergo & apprehensio. Secundo. Per te non requiritur ad praxim vt talem subdi voluntatis imperiò, ergo etiam si apprehensio voluntatis imperio non subiciatur, dirigibilis erit.

487. Sed admissa maiori, distinguo minorem. Apprehensiò fit necessario. Apprehensio obiecti intellectui sufficienter propositi; concedo. Quęlibet apprehensio obiecti non sufficienter propositi, nego. Certum est, viso *Petro*, vel audita hac voce *homo* non posse intellectum non apprehendere *Petrum*, & vocem *homo*, quia scilicet hæc obiecta sunt sufficienter proposita, at verò cum aliquis v. g. vult hominem definire, & obiectum sibi propositum non sit, potest apprehendere ad talem definitionem prædicatum *hinnibilis* ineptum, vel prædicatum *rationalis* rectum; ad hoc autem, vt hoc eveniat vel si vtrumque apprehendatur, vt eligatur hic & nunc, *rationale* præ *hinnibili* logicę directio requiritur.

488. Aliud enim est, apprehensiones excitari necessariò, & aliud rectè, & aptè necessariò exitari. Licet primum sit verum, secundum verò non ita, cum autem possint rectę, vel irrectæ excitari, vt hæ præ illis excitentur, logica requiritur; sicut posito quodlibet cibo, sequitur necessariò nutritio, sed quia potest meliûs, vel non melius fieri hoc, vel illo cibo minûs, vel magis apto, cibus dirigitur ad nutritionem, datur que ars practica vt hic cibus præ alio eligatur.

489. Objic. 8. & simul replicab: Ex dictis sequitur, actus Phantasiæ, & visionem materialem esse obiectum logicę. Probatur. Ideo apprehensio est dirigibilis á logica, quia potest impedire rectæ definitionis constructionem, si homo, cum definire vult, apprehendat hoc præ alio, irrectum scilicet præ recto, sed similiter per Phantasiam, & potentiam visivam percipi potest hoc prę illo, quod æque rectè definitionis efformationem impediat: ergo actus Phantasię, & potentiæ visivæ erunt dirigibiles à logica, obiectum que ipsius.

490. Pater Quiroz, non sine probabilitate asserit; actus sensuum materialium posse dici ad logicam formaliter spectare. Præcipuê cum plures defendant; Phantasiam, & sensus externos posse dirigi per artem perspectivam, vt hoc potius obiectum, quam illud percipiât, subdique imperio voluntatis vt videat, & non videat obiectum, nunc aperiendo, nunc claudendo oculos. Et quod dirigantur á prudentia, & virtute modestiæ certum est, & ad hoc iuvat Eximij *Doctoris* authoritas, qui tom. 1. metaphys. disp 8. sect 4. §. 7. asserit, in cognitione sensus externi reperiri veritatem formalem, immò & iudicium, imperfectum tamen. Vnde Pater Comptonus asserit; tales actus à logica saltem indirectè dirigi propter nonnexionem necessariam, quam pro hoc statu habet apprehensio cum Phantasia.

491. Respondeo, distinguo maiorem, quia potest impedire rectæ definitionis constructionem præscisse, nego, quia potest impedire proximè, vel vt proxima dispositio, & aliás dantur regulæ logicales circa ipsas apprehensiones, concedo, Actus Phantasiæ, & potentiæ visivæ remote possunt impedire rectitudinem definitionis, apprehensiones tamen immediatè, & proximè; ideo que circa has, non vero circa illas, versatur logica. Vnde cum dicimus; apprehensiones esse obiectum logicæ non est præscisse, quia in eis possunt contingere errores impeditivi rectæ definitionis, sed quia contingere possunt errores corrigibiles á logica per proprias ipsius logicæ regulas.

492. Replicas ex ingenioso Moderno, potius Phantasia, & sensus externi sunt dirigendi, quam apprehensiones: nam qui intendit damnum vitare, & commodum inducere, id debet dirigere, quo posito ponitur necessariò cómodum, & vitatur incommodum. Item Sapiens Medicus radicem ægritudinis curat, vnde in cætera membra damnum effunditur; sed posita Phantasiæ, & potentię visivæ perceptione termini apti, vel inepti non potest non proponi intellectui terminus aptus, vel ineptus; & radix rectitudinis, vel irrectitudinis definitionis est talis perceptio: Ergo.

493. Respondeo. Nego assumptum. Ad probationem dico, logicam solum dirigere id, ex quo proximè sequitur commodum, & vitatur damnum, quia ad id solum in ea regulæ reperiuntur, non verò id, quo damnum remotè provenit, quia ad hoc in ea nõ invenimus regulas. Commodum rectæ definitionis, & damnum irrectæ, immediatè provenit ex recta, vel irrecta apprehensione, ad quarum directionem proprias regulas constituit logica, omnes scilicet illas, quæ de vniversalibus, & prędicabilibus agunt. Quas quidem regulas circa perceptiones Phantasiæ, & potentię materialis non habet.

494. Insuper ex perceptione potentiæ visivæ non vitatur omne incómodum, nec sequitur omne commodum intentum à logica præsuppositivè ad modum sciendi, nam licet apprehensio *Petri* sit necessaria, quando Petrus oculis conspicitur, at cum definitionem hominis efformare velim, quod potius *rationale*, quam *hinnibile* apprehendatur, quomodo à potentia visivia hic, & nunc dependere poterit? Dependet enim ab excitatione speciei *rationalis*, potius provenit ab imperio voluntatis illustratæ ab intellectu regalis logicæ instructo. Unde ad huc concesso, quod casu, quo obiectum perciperetur per potentiam visivam, & casu, quo Phantasia bique voluntatis directione speciem excitaret, non daretur logicæ directio, hæc tamen esset necessaria, quando abique tali perceptione, & necessaria excitatione Phantasiæ fieret definitio, divisio, & argumentatio ex libera excitatione specierum proveniente á voluntate illuminata intellectu.

495. Informa ergo distinguo hanc propositionem: Logica id debet dirigere, quo posito sequitur necessariò commodum, & vitatur incommodum, si habeat regulas directivas circa illud, concedo: Si non habeat, nego. Ad exemplum Medici periti dico: Quod si intra eius artem inveniantur regulæ radicis ægritudinis medicativæ, eam curare poterit. Non vero, si tales regulæ non inveniantur. Potest enim ægritudinum radix esse, vel conscientia nimis scrupolosa, vel prava, vel spiritus afflictio, quam quidem radicem curare nõ poterit medicus corporalis, vel quia in sua facultate ad eam curandam regulę non sunt. Ita cum in logica non sint regulę ad dirigendas potentias externas, & phantasiam; dentur tamen ad dirigendas simplices apprehensiones, poterit damnum proveniens ab apprehensionibus curare, non vero proveniens à phantasia, & sensu externo.

476. Replicas. Ideò ponimus regulas apprehensionum directivas, quia hæ ita deserviunt ad modum sciendi, vt possint esse occasio erroris; sed perceptiones sensuum externorum, & phantasię etiam possunt esse occasio erroris: Ergo.

497. Respondeo. Distinguo maiorem: Quia possunt esse occasio erroris corrigibilis à logica: Concedo, absolute,

luté,nego. Cum enim, vt iam diximus, sint in intellectu species *hinnibilis*, & *rationalis*, & excitatio huius speciei pre illa sit voluntati libera, quod excitetur ad definitionem hominis potiús species rationalis, quam species hinnibilis, potest ab intellectu dirigi; vt autem scientificè dirigat, regulis, & dictaminibus eum instruimus; cum enim dictamina sint circa genus proximum, & differentiam vltimam, ea ad logicam reducimus, cuius proprium est dirigere definitionem constantem genere proximo, & vltima differentia, quas quidem regulas non effingimus, sed statutas,& in logicarum dictaminum syllabo conscriptas invenimus.

498. Objic. 9. Ex eodem Moderno.Ideo per nos apprehensio incompleta est obiectum logicę, quia disponit ad modum sciendi formalem ministrando intellectui materiam circa quam modi sciendi formalis; sed actus omnium scientiarum etiam ministrant intellecsui materiam circa quam modi sciendi, & nihilominus non sunt obiectum logicæ,ergo.

499. Respondeo: falsum esse actus aliarum scientiarum non esse obiectum logicæ,nam vel sunt definitiones, divisiones,aut argumentationes,vel apprehensiones, & hi omnes actus ad quamcumque materiam pertinentes possunt esse obiectum primarium logicę quoad formam, & obiectum secundarium,quoad materiam. Vnde in argumento nego minorem subsumptam.

500. Replicas. Actus aliarum sciētiarum,licet quoad formam sint obiectum logicæ;prout proponunt materiam logicę obiectum non sunt: Ergo apprehensiones vt proponentes intellectui materiam ad modum sciendi, logicę obiectum non erunt.

501. Resp. Eodem mòdo in actibus aliarum scientiarum, ac in apprehensionibus discurrendum. Sicut enim actus aliarum scientiarum non sunt obiectum primarium logicæ prout proponunt materiam aliarum scientiarum, Hoc est,non sunt obiectum logicæ secundum materiale ipsorum actuum,ita apprehensiones (loquor de iudicijs, & apprehensionibus, quæ non fuerint in materia logicę)non sunt obiectum primarium logicæ secundum materiale ipsarum, & secundum quod proponunt materiam aliarum scientiarum; sunt tamen obiectum primarium logicæ,tam iudicium,quam apprehensio secundum esse formale vtriusque. Dicitur tamen ad logicam pertinere apprehensiones. vt præbent materiam intellectui; non quia pertineant primariò secundum materiam ipsarum, sed quia præbent intellectui materiam tali dispositione, & forma genericitatis, vnitatis formalis abstractivæ, &c. Secundum quam dispositionem semper ad logicam primariò attinguntur. Vnde in forma ad replicam respondetur, distinguo antecedens.quo ad secundam partem; actus aliarum scientiarum non sunt obiectum logicæ, provt proponunt materiam aliarum scientiarum; hoc est, secundum materiale ipsorum: Concedo;secundum formale ipsorum,nego. Et similiter distinguo consequens: Adhuc enim provt proponunt materiam aliarum scientiarum se habent, vt definitiones, divisiones, &c, nam illam proponunt tali forma, & modo. Ex eo tamen quod logica eos actus attingat, secundum quod sunt definitivi, divisivi, &c. solum sequitur, logicam eas materias secundariò attingere secundum quod definibiles sunt, & divisibiles.

502. Obijc. 10. Ex eodem. Logica non curat, ne excitetur apprehensio apta præ inepta ante definitionem v.g. Ergo apprehensiones à logica non diriguntur. Probatur antecedens primò, quia quęcumque apprehensio licet ad hunc finem particularem sit inepta, ad alium

alium

alium potest esse apta, v. g. licet apprehensio *hinnibilis* sit inepta ad definitionem hominis, est apta ad definitionem equi. Secundò, quia etiam si sit inepta, non objicitur intellectui occasio errandi in definitione elicienda, cum hic aliunde pro ipsa definitione regulas certissimas habeat,quibus si conformetur, recta evadet definitio. Non enim errores aliunde præcavendi sunt sine necessitate.

503. Resp. Nego antecedens. Ad cuius primam probationem sic illam retorque. Ergo neque cum aliquis vult definitionem elicere, tenebitur logica divisionem cohibere,cum divisio possit esse apta ad alium finem.Item neque cū quis hominem definire vult, logica tenebitur cohibere hunc actum *homo est substantia rationalis*. Nam licet sit ineptus ad finem intentum,ad alium finem, scilicet ad distinguendum hominem ab accidenti vtilis esse potest talis propositio,& in esse morali quam plurima sequerentur absurda. Nam similiter neque prudentia curaret oculorum submissionem,vitare que non teneretur eorum elationem, cum hęc elatio sæpè sæpius sit vtilis,licet hic & nunc ex obiecto inepta, & inutilis sit ad virtutem modestiæ,quæ exercenda est. Vnde dico;logicæ proprium esse talem apprehensionem ineptam hic & nunc cohibere, & aptam elicere,apprehensionem scilicet generis remoti cohibere, & excitare apprehensionem proximi ad rectam definitionem.

504. Ad secundam probationem respondetur. Falsissimum esse, non obijci intellectui occasionem errandi ex excitatione speciei ineptæ pro definitione efformandá. Hęc enim excitatio potest dupliciter evenire. Primò, si excitetur tantum apprehensio inepta v.g. apprehensio *substantia* pro definitione hominis. Secundo, si excitetur inepta v.g. *substantia*,& simul apta v.g. *Animal*. Si primum eveniat, vel intellectus nil operabitur si cognoscat,talem apprehensionem esse ineptam ad definitionem, & aliam aptam se non habere, vel si actum eliciat, errorem committet, cum vtatur *substantia* genere remoto,pro *animali* genere proximo. Si secundum eveniat: poterit intellectus eligere ad eliciendam definitionem, vel substantiam, vel animal. Rogo, si eligat substantiam præ animali, nonné excitatio talis apprehensionis ineptæ occasio erit erroris? Si tamen eligat animal præ substantia,nonnè hoc faciet, quia dirigitur ab aliqua cognitione dictante, genus proximus præ genere remoto eligi debere ad definitionem formandam? Certè.Rogo iterum: non ne hic actus dirigens ad logicam pertinebit? Certè etiam:Ergo ad hanc etiam pertinent apprehensiones.

505. Ad illud, quod additur,nempe hoc sufficienter dirigi á regula ipsa definitionis v.g. *Definitio constat genere, & differentia*,cui si conformetur intellectus sine vllo erroris periculo recta evadet definitio. Respondeo. Certum esse quod si intellectus conformetur huic regulæ, recta evadet definitio, sed nego suppositum, quod possit intellectus huic regulæ conformari, quin prius alijs circa genus, & differentiam conformetur, nam sicut intellectus nequit iudicium elicere, quin prius præcedant apprehensiones prędicati, & subiecti, ita nequit definitionem constantem genere, & differentia elicere, quin prius genus, & differentiam apprehendat, & quin hæ apprehensiones præcedant, tamquam termini intrinsecè terminativi, intra quas tota definitio contineatur, sicut flumen intra ripas.Item etiam si sine directione illa apprehensionum posset fieri definitio, tamen ex tali directione faciliús, & securius fiet; ergo tales regulæ otiosę, & inuteles non sunt, sicut ipsa definitio

abs

absolutè potest fieri sine regula logicali, & cum hæc, vt facilius fiat, requiratur, otiosa non est. Insuper eademmet regula dirigens definitionem v.g. *Definitio constat genere, & differentia* attingit, & dirigit implicite apprehensiones prævias ad definitionem necessarias; & sicut qui præcipit vt scribam, præcipit implicitè, vt oculos apertos habeam; vt calamum moveam, &c. vtpote dispositiones necessarias ad scribendum.

506. Objic. 11. Si apprehensio termini apti esset obiectum logicæ, etiam esset obiectum ipsius apprehensio termini inepti, sed hoc nequit admitti: ergo. Probatur Sequela. Ideo apprehensio termini apti est obiectum logicæ, qu a iuvat ad definitionem, sed etiam iuvat apprehensio termini inepti, quia iuvat, vt facilius dignoscatur apta. Tum quia sicut opposita iuxta se posita magis elucescunt, ita meliùs cognoscetur genus proximum ex cognitione remoti.

507. Resp. Concedo totum. Apprehensiones scilicet terminorum ineptorum esse obiectum remotionis logicæ, sicut ab aliquibus appellatur ens rationis obiectum remotionis metaphysicæ, sicut enim ad virtutem pœnitentiæ pertinet actus pœnitentiæ vt amplectendus, peccatum vt fugiendum. Ad virtutes fidei, & spei, actus fidei & spei vt amplectendi, actus infidelitatis, & desperationis vt fugiendi, & ad ipsam logicam syllogismus verus vt dirigendus, & syllogismus fallax vt vitandus, ita ad logicam pertinebunt vt obiectum apprehensiones aptæ vt eligendæ, & ineptę vt vitandæ.

508. Objic. 12. Non potest intellectus dirigi per regulam, vt apprehendat id, quod ante ipsam regulam supponitur apprehensum, sed ante hanc regulam *genus est, quod prædicatur de pluribus* &c. supponitur genus apprehensum: ergo. Prob. min. Talis regula est iudicium attingens genus, ergo ante ipsam supponitur genus apprehensum iuxta illud *Nil iudicatum, quin prius apprehensum.*

509. Respondeo, distinguo antecedens: vt apprehendat genus signatè, confusè, & in communi sub nomine generis, transeat; clare, exercitè in particulari, & sub significatione generis, nego: genus proximum quod ante illam regulam apprehensum supponitur, est confusè, & in communi, hoc scilicet nomen genus in cortice ipsius, per ipsum autem actum declaratur, quid significet explicitè hoc nomen, vt postea intellectus tali cognitione directus apprehendat genus proximum in particulari. Et sic se habet intellectus in omnibus actibus suis, & in omnibus regulis ad omnes facultates terminatis; sic ut dicat *homo est animal rationale*, pręcedit *homo* apprehensus, quin ex tali apprehensione habeat notitiam hominis, quam post iudicium adquirit. Sic antequam ars frænufactoria dicat, *ita frænum aptandum est*, vt equum dirigat, & gubernet, præcedit frænum apprehensum, quin sciatur modus efformandi illud, qui postea per talem regulam scitur. Sic antequam logica dicat *genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus speoie*: Genus apprehenditur, sed ignoratur, quod sit genus, cognosciturque, vt postea fiat in particulari per illum actum.

510. Objic. 13. Iuxta Angelicum Præceptorem 22. q. 93. art. 2. ad 2. *Artificium consistit in compositione, & figura,* sed apprehensio non est composita, ergo in ea non datur artificium; ergo neque obiectum logicæ, quæ vtpote ars artificium in suo obiecto respicere debet.

511. Respondeo. Angelicum Pręceptorem, loquutum fuisse de artificio materiali, quod in compositione partium, & figura consistit, non verò de artificio mentali logico, aliás nec iudi-

cium logicæ obiectum, nec diceretur artificiosum, cum careat partibus, & figura, supponitur enim esse simplicem qualitatem, dicitur tamen talis apprehensio artificiosa ab ipsa arte scilicet logica á qua dirigitur, & cuius regulis conformatur; vnde arti ficiter dicitur extrinsecè. De hoc postea latius.

SECTIO V.

QVÆ SIT RATIO FORMALIS SVB qua logica.

512. PRima sententia Thomistarum tenet, rationem formalem *sub qua* logicę esse directionem passivam actuum logicalium. Thomistas laudat, & sequitur Ortiz, tract. 1. proœm. conferentia 2. n. 33. Ei videtur assentire Spinula, disp. 2. n. 47. Sed hęc sententia confundit obiectum formale *quod* cum obiecto *sub quo*.

513. Secunda ferè omnium Doctorum sententia tenet; esse dirigibilitatem intrinsecam actuum in formam modi. Ego vero iuxta mea principia aliter discurrere teneor.

514. *Dico*. Ratio formalis sub *qua* logicæ practicæ est dirigibilitas intrinseca actuum iuxta pręcepta logicalia, seu capacitas, vt dirigantur á logica. Ratio verò formalis sub *qua* logicæ speculativę est speculabilitas logicalis, seu capacitas, vt cognoscantur, vel conceptus formales, vel obiectivi, vel voces cum aliquo respectu ad modum sciendi.

515. Probatur conclusio, quoad vtramque partem. Ratio formalis sub *qua* alicuius scientię est capacitas intrinseca obiecti materialis determinativa illius in obiectum talis scientiæ potius quam alterius. Sic veritas est obiectum formale sub *quo* intellectus, quia determinat ens, vt sit obiectum materiale ipsius, & bonitas obiectum formale sub *quo* voluntatis, quia illud determinat, vt sit obiectum materiale voluntatis; sed dirigibilitas logicalis, & speculabilitas logicalis determinant conceptus formales obiectivos, & voces, vt sint obiectum materiale logicæ practicę, & speculativæ cum distributione accommoda: Ergo.

516. Confirmatur. Dirigibilitas actuum voluntatis in rectitudinem moralem, eorumque speculabilitas cum respectu ad talem rectitudinem est ratio formalis *sub qua* phylosophię moralis; ergo dirigibilitas logicalis in rectitudinem logicalem, & speculabilitas logicalis cum respectu ad talem rectitudinem, erit ratio foemalis *sub qua* logicæ.

517. Nota, vtramque rationem formalem esse intrinsecam capacitatem obiecti: vtramque etiam connotare actus logicales, & modum sciendi formalem, vel quia in aliquibus identificatur cum ipso modo sciendi, vel quia in alijs ad ipsum modum sciendi respectum dicit. Ab vnivocatione harum rationum formalium nunc præscindo. Sive enim sit vna per convenientiam, sive sit multiplex, non officit vnitati per aggregationem, qua gaudet logica, quaque dicitur vna scientia.

518. Objic. 1. Dirigibilitas actuum pertinet ad Animasticam; ergo non est ratio formalis sub qua logicę. Probatur antecedens. Dirigibilitas est proprietas actuum mentis, sed actus mentis pertinent ad animasticam, & ad facultatem, ad quam spectat essentia spectant & proprietates; ergo.

519. Respondeo: Distinguo antecedens, vt obiectum materiale, transeat; vt obiectum formale sub *quo*: nego. Nō enim repugnat, quod obiectum materiale vnius actus, & facultatis sit obiectum formale seu *quo* alterius. Sic præsen-

tia obiecti est obiectum materiale actus amoris stricti, & ratio formalis sub *qua* amoris gaudij Sic bonitas est obiectum materiale intellectus, & ratio formalis sub *qua* voluntatis. Insuper falsum est absolutè dicere, ad eamdem scientiam, ad quam pertinet essentia, omnes proprietates pertinere; solum enim illę proprietates necessario pertinent, sine quibus essentia illa nequit cognosci á tali scientia. Sic Phylosophia agit de motu, & non agit de artificio motus, quod est proprietas ipsius, & pertinet ad artem saltatricem.

520. Obijc. 2. Dirigibilitas passiva se tenet ex parte obiecti materialis, & cum illo identificatur: ergo non est obiectum formale, sed materiale. Probatur consequentia. Si se tenet ex parte obiecti materialis erit non repugnantia obiecti vt cognoscatur, sed non repugnantia obiecti, vt cognoscatur, est obiectum materiale, ergo. Probatur minor. Obiectum materiale est, quod potest cognosci, sed posse cognosci est esse non repugnans cognosci, & esse non repugnans cognosci nil est nisi non repugnantia obiecti vt cognoscatur: ergo.

521. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad probationem distinguo maiorem, erit non repugnantia proxima, & formalis; concedo. Non repugnantia radicalis, vel quasi radicalis. Nego. Ad probationem: concedo maiorem, & minorem; ad probationem subsumptam distinguo; esse non repugnans, nil est nisi non repugnantia formalis nego, radicalis, vel quasi radicalis, concedo. Omnis ratio formalis *sub qua* debet se tenere ex parte obiecti materialis, si quidem est capacitas ipsius intrinseca, & essentialis, vt attingatur ab aliqua potentia, sic visibilitas est ratio formalis sub *qua* potentiæ visivę: bonitas voluntatis, veritas intellectus, quæ omnes se tenent ex parte obiectorum materialium. Nota, argumentum transire ab vno sensu in alium, nam á non repugnantia transit ad non repugnans, â forma vel quasi forma ad concretum; sicut si aliquis diceret, visibile est obiectum materiale, & non formale sub *quo* potentiæ visivæ; ergo visibilitas etiam est obiectum materiale, & non formale sub quo. Dicitur tamen visibile radix, vel quasi radix veritatis, & bonitatis, & similiter actus intellectus, qui est obiectum materiale logicæ dicitur non repugnantia radicalis ad distinctionem ipsius dirigibilitatis, quæ dicitur non repugnantia formalis, qua obiectū materiale redditur non repugnans.

522. Obijc. 3. *Dirigibilitas* non cognoscitur á logica, aliàs logica seipsam cognosceret, ergo non est obiectum sub quo.

523. Retorqueo in omni ratione formali v.g. visibilitas non videtur â potentia visiva, aliás se ipsam videret, ergo non est ratio formalis potentiæ visivę. Cognoscibilitas non cognoscitur, alias cognitio se ipsam cognosceret, ergo nō est ratio formalis intellectus. Respondeo. Distinguo antecedens: Non cognoscitur vt *quod*, & signate, *concedo*, vt *quo*, & exercitè. Nego. Eo modo quo aliquid est obiectum alicuius potentiæ attingitur ab ipsa. Unde dirigibilitas attingitur vt *quo* à logica, quia est obiectum vt *quo*, quod non sufficit, vt logica se ipsam cognoscat, nam licet talis dirigibilitas sit essentialiter connexa cum, logica non cognoscitur vt connexa, ac proinde non cognoscitur vt terminus connexionis. Sic diximus, aliquos actus logicæ nec secundariò respicere conceptus obiectivos, quia licet conceptus formales, quos primariò respicit, sint essentialiter connexi cum obiectivis, non respiciuntur á logica vt connexi.

524. Instas: Ergo si dirigibilitas aliquo modo cognoscitur, erit media alia dirigibilitas, & hęc media alia vsque in infinitum. Respondeo. Ad vnam rationem formalem non dari aliam, & sic nec ad cognoscendam vt *quo* vnam dirigibilitatem datur alia dirigibilita, sicut licet vnio vniatur extremis, non media alia vnione, quia vnitur, vt *quo* vt ratio nempe formalis vniendi.

525. Objic. 4. ex Spinula. Iudicium non est dirigibile â logica, ergo non respicitur ab ea sub dirigibilitate tamquam ratione formali. Probatur antecedens: frænum non est dirigibile ab arte frænufactoria; quia frenum est opus iam factum, sed tantum est dirigibile ferrum, supra quod cadit illius artis directio, ergo neque iudicium est dirigibile â logica, cum iudicium sit operatio iam facta.

526. Ex argumento infertur: Iudicium non esse obiectum logicæ practicæ, cum nō sit dirigibile ab ipsa, quod est contra Spinulam. Respondeo. Nego antecedens, ad probationem distinguo antecedens, frænum non est dirigibile, &c. frænum iam factum vt factum, concedo, vt factibile, nego; & distinguo consequens. Iudicium non est dirigibile vt factum, concedo; vt factibile, nego. Iudicium vt possibile est obiectum logicæ, & ab ipsa conspicitur vt factibile; vt factum est effectus ipsius logicæ, sicut frænum vt possibile, & factibile ab arte frenufactoria est obiectum ipsius, vt factum est effectus. Nō enim eo ipso, quod dicatur *frænum*, & *iudicium* intelliguntur iam opus factum, vt factum. Nota, quod ars frænufactoria non efficit suam materiam, nempe ferrum, sed in eam iam factam artificium introducit, & ita se habent omnes artes extrinsece factivę, sicut fabrilis, *Domifactoria*, &c. at verò logica totum actum producit, materiam scilicet, & artificium.

527. Objc. 5. Ex Alphonso. Solus intellectus potest dirigi, quia solus intellectus est capax illuminationis, ergo obiecto nulla est intrinseca dirigibilitas.

528. Respondeo. Distinguo antecedens. Solus intellectus potest dirigi per modum subiecti, & potentiæ illuminabilis, concedo. Per modum obiecti operrbilis ex directione; nego. Et similiter distinguo consequens: Ergo obiecto nulla est intrinseca dirigibilitas, quæ convertatur cum illuminabilitate, concedo; quę convertatur cum operabilitate ex directione; nego. Re ipsa certum est, propriè non dirigi nisi solum intellectum, quia solus intellectus illuminatur, at ex communi modo loquendi actus producti ab aliqua potentia directa, & illuminata dicuntur dirigi ab illis dictaminibus, quę potentiam illuminant, quia operabilitatem hanc cum dirigibilitate confundunt. Sic actus voluntatis dicuntur dirigi á Philosophia morali, quia operantur à voluntate directa per talem moralem philosophiam, & hunc communem modum loquendi sequutus operabilitatem actuum ex logicæ directione *dirigibilitatem* appello.

SECTIO VI.

DE OBIECTO FORMALI QVOD *logica.*

529. OBiectum formale *Quod*, seu ratio formalis *Qua*, vt supra diximus, est proprium solius scientiæ practicæ. Est nam que id, quod aliqua scientia per modum finis intendit introducere in suum obiectum materiale. Unde obiectum formale *Quod* logicæ est rectitudo illa (directio passiva ab aliquibus appellata) quam in suos actus introducere conatur. Quęrit ergo præsens quæstio, in quo talis rectitudo consistat.

SVB-

SVBSECTIO I.

VTRVM OBIECTVM FORMALE Quod *sit ens rationis?*

530. ENs rationis, aliud dicitur fundamentale, aliud effectivum, aliud subiectivum, obiectivum aliud. Fundamentale est, quod præbet fundamentum intellectui, vt efformet ens rationis proprium. Effectivum est, quod effectivè fit ab intellectu, subiectivum, quod recipitur in intellectu tamquam in subiecto. Obiectivum est, quod accipit totum suum esse ab intellectu fingente. Et hoc vltimum est tantum propriè ens rationis. Alia verò sunt entia realia. Vnde cognitio Petri est ens rationis fundamentale, quia potest á Paulo concipi, vt prædicatum substantiale. Est ens rationis effectivè, quia effectivè producitur ab intellectu Petri. Est ens rationis subiectivè, quia in intellectu Petri tamquam in proprio subiecto recipitur. Non tamen est ens rationis obiectivum, quia suum esse habet reale, & independenter ab intellectu fingente. De ente rationis in vltima acceptione inquirimus. An sit obiectum formale *Quod* logicæ? Nam in alijs acceptionibus non est dubium, esse subiectum ipsius.

531. Prima sententia (quam thesseram Thomistarũ ipsi Thomistę vocant) affirmat. Ita Complutenses, d. 1. proæm. q. 2. §. 3. Vbi asserunt; se nullum ex discipulis Sancti Thomæ contrarium defendentem vidisse. Adhærent Thomistis plures Scotistę. Ex nostris citari solent Toletus, & Vallius, quos omnes citat, & sequitur Ioannis, d. 1. logicæ. Conclus. 3. n. 25. Dissident tamen inter se Thomistæ. Ioannes à Sancto Thoma, q. 5. art. 3. & alij tenent, hoc ens rationis intentum à logica esse denominationes resultantes ex directione logicę in conceptus formales. Denominationes scilicet subiecti, prędicati, definitionis maioris, minoris, &c. Ortiz, tract. 1. proœm. confer. 2. n. 4. Ioan. & alij tenent: esse denominationes resultantes ex conceptibus formalibus, & derivatas in obiectivos v. g. Denominationes definiti, *Divisi*, vniversalis, Generis, speciei, &c. Vtrumque modum loquendi amplectitur Mag. Lin. dicens, obiectum formale logicę esse secundam intentionem obiectivam resultantem in rebus consideratis ex consideratione intellectus, qua constituitur modus sciendi obiectivus, & cætera concreta logicalia: ita lib. 1. q. 1. art. 4. n. 32.

532. Secunda nostra Iesuitica sententia negat vniversaliter. Ita omnes nostri *D*octores Suarez, Oviedus, Arria. Linceus, & cæteri, dempto nemine, quos sequitur P. Olea. d. 47. n. 2.

533. Conclusio. Ens rationis non est obiectum formale logicæ. Probatur primo. Tale ens rationis debet esse fictum; ergo per aliquem actum, qui sit fictio, sed nullus actus logicus est fictio, ergo per nullum actum logicum fit: Ergo neque est obiectum formale *quod* logicæ. Primum enthimema certissimum est. Minor subsumpta probatur primò. Omnis actus logicus est scientificus; ergo nullus actus logicus est fictio. Consequentia patet. Nullus namque actus scientificus est inductivus, & directivus erroris, sed potiús erroris expulsivus; ergo nullus actus logicus est fictio. Probatur secundò. Fictio est actus falsus, vt postea probabimus, sed nullus actus logicus est falsus, vt pote scientificus, ergo nullus actus logicus est fictio.

534. Probatur 3. Omnis fictio confert obiecto prædicatum repugnans, vel aufert ab illo prædicatum conveniens, sed nullus actus logicus confert obiecto

obiecto prædicatum repugnans, nec aufert illi prædicatum conveniens. Maior est definitio fictionis, seu actus fictitij. Probatur minor. Quod definitio repræsentet rem per genus, & differentiam, quod divisio totum in partes distribuat, quod argumentatio exidentitate duorum extremorum cum tertio inferat identitatem eorum inter se non est prædicatum repugnans definitioni. *D*ivisioni, & argumentationi, nec in hoc ab illis aliquod prædicatum conveniens aufertur, sed quod intendunt omnes actus logici in suis obiectis est, quod definitio reprę sentet rem per genus, & differentiam, quod divisio totum in partes distribuat, & quod argumentatio ex identitate duorum extremorum cum tertio inferat identitatem eorum inter se; ergo nullus actus logicę intendit conferre suo obiecto prædicatum repugnans, nec auferre ab illo prædicatum conveniens.

535. Maior est certa: Nam repræsentare rem per genus, & differentiam, totum in partes distribuere, &c. Est essentia ipsorum actuum, ergo in hoc nec confertur illis prædicatũ repugnãs, nec aufertur ab illis prædicatũ conveniens. Minor est certissima. Quid enim aliud intendunt hi actus logicæ. *si vis elicere definitionem, per genus, & differentiam illam efforma. Si vis divisionem elicere, totũ in partes distribue. Si vis syllogismum efformare, ex identitate duorum extremorum cum tertio infer eorum identitatem inter se?* Consequentia evidenter convincit.

536. Probatur quartò. Omnis actus logicus respicit actus intellectus prout sunt definitio, divisio, & argumẽtatio: Sed actus intellectus non sunt definitio, divisio, & argumentatio per ens rationis, sed per suas entitates, nec per aliquid fictum, sed per aliquid reale: ergo nullus actus logicus respicit vt obiectum formale *quod* aliquid fictum; ergo nullus est fictio.

537. Dices, Definitionem, *Divisi*onem, & argumentationem non esse obiectum logicæ vt cumque reprę sentantes obiectum, sed reprę sentantes illud modo artificioso. Qui modus artificiosus resultat in actum ex directione logicæ, tamquam ex aliqua forma illi intrinsecè superaddita. Cum enim talis forma in conceptu illo non reperiatur, erit ficta, & ens rationis.

538. Contra primò. Totus modus artificiosus intentus á logica salvatur in eo, quod definitio repræsentet rem per genus, & differentiam v. g. Definitio hominis per *animal rationale*, sed talis definitio se ipsa absque vlla fictione, aut ente rationis, aut forma intrinsecè supcraddita repræsentat rem per genus, & differentiam: ergo se ipsa abique vlla forma ficta est obiectum formale *Quod*.

539. Contra secundá. Pone intellectum regulis logicę instructum hunc actum elicere, *Homo est animal rationale*, & nullatenus cogitare de forma illa, actu ex directione logicæ resultante. Rogo, vel tunc illa esset recta hominis definitio conformis regulis logicæ, vel nõ? Si primum? Ergo independenter ab illo ente rationis datur rectitudo intenta á logica. Patet, nam ens rationis nequit se ipso resultare, sed fit ab aliquo actu intellectus rem aliter ac est in se concipiente; Sed vt supponimus, tunc non datur actus concipiens illam formam, re ipsa extrinsecam vt intrinsecam actui directo: ergo.

540. Si secundum? Contra erit primò. Imperceptibile est, actum repræsentantem hominem per genus, & differentiam elicitum ab homine cum attentione ad regulas logicales non habere sufficientem rectitudinem, & conformitatem cum regula ex se nil aliud dictãte, quam definitionem debere elici per genus, & differentiam, solum ex defectu alicuius erroris, & fictionis. Contra secundò.

cunda. Ea definitio ſine tali fictione nó eſt recta? Ergo nec per illam rectificatur. Quid enim rectificari poteſt per aliquam formam re ipſa extrinſecam, quia fictitiè vt intrinſeca concipitur?

541. Roboratur vlterius ratio noſtræ concluſionis. Talis ens rationis non fit per actum logicæ directivæ, vt iam probatum eſt; ergo vel fit per actũ antecedentem ad elicientiam definitionis v.g. vel per actum ſubſequentem, ſed per actum antecedentem non fit, & ſi fiat per conſequentem, nil ad rem: ergo. Quod non fiat per actum antecedentem patet, quia actus antecedens ſolum attingit entitatem hominis ſine vllo artificio, cum adhuc non detur definitio, & iuxta Adverſarios in illo artificio ens rationis conſiſtat. Quod ſi fiat per actum conſequentem, nil ad rem, patet; nam ex eo ſolum infertur, rectitudinem á logica intentam eſſe ens rationis fundamentale, quia fundamẽtum præbet intellectui, vt conciperet formam re ipſa extrinſecam, vt intrinſecam actui, non verò eſſe ens rationis formale. Inſuper talis actus poteſt abſoluté non ſubſequi; ergo tunc ſalvaretur tota rectitudo ſine ente rationis. Item talis actus ſupponit rectitudinem actus, repræſentationem, & formam modi ſciendi, cum ſupra illam reflectat: ergo hæc rectitudo in fictione talis actus non conſiſtit.

542. Confirmatur primò, Rectitudo definitionis realiter producitur á logica; ergo non eſt ens rationis, quia ſi eſſet ens rationis, eſſet nihil, & per conſequens non produceretur realiter.

543. Confirmatur ſecundò. Iuxta Sanctum Thomam, Phyloſophia moralis reſpectu actuum voluntatis ſe habet, ſicut logica reſpectu actuum intellectus; nam ſicut illa actuum voluntatis, ita hæc actuum intellectus rectitudinem curat, ſed rectitudo intenta á Phyloſophia morali in actibus voluntatis nó eſt ens rationis; ergo neq̃ rectitudo intenta á logica in actibus intellectus.

544. Confirmatur tertiò. Sicut actus intellectus habent ſuum artificium conforme regulis logicæ, ita voces habent ſuum artificium conforme regulis grammaticæ, ſi ſunt congruæ, poeticę ſi ſunt metricæ, Rhetoricæ ſi ſunt ornatæ; ſed hoc artificium non eſt ens rationis, alias iam non eſſet quid ſpeciale logicæ habere pro obiecto formali *quod*, ens rationis: ergo.

545. Quod autem denominationes extrinſecę, *definiti, diviſi, generis, ſpeciei*, &c. provenientes ex actibus in obiecta non ſint entia rationis, poſtea proprio loco, in tractatu nempe de Ente rationis videbitur; & nunc breviter probatur: Me definire, dividere, repræſentare obiectum non eſt ens rationis; ergo neque obiectum eſſe definitum, diviſum, & repræſentatum erit ens rationis. Item repręſentare vnum, & non repræſentare aliud, cum datur vnum, & aliud virtualiter, non eſt ens rationis iuxta illud, *Abſtrahentium non eſt mendacium*; ergo neque vnum eſſe repræſentatum, & non aliud, erit ens rationis; ſed genus, ſpecies, differentia, &c. nil aliud eſt, quam vnum eſſe repręſentatum, animal ſcilicet, & non aliud, rationale nempe; ergo. Inſuper cum logica practica non reſpiciat has denominationes extrinſecas *definiti, diviſi, generis*, &c. derivatas ab actibus in obiecta, licet eas logica ſpeculativa reſpiciat; adhuc admiſſo, quod eſſent entia rationis, non inferretur, eſſe obiectum formale *quod* logicæ, ſed ſolûm eſſe obiectum materiale. Nam actus ſpeculativi á diſtinctione practicorum, non habent obiectum formale *quod*.

546. Quod ſi adverteret quidam ingenioſus Magiſter, non affirmaret, ſe-tu non poſſe Arriagæ doctrina; eo quod iudicet, plures actus logicæ dari circa has extrinſecas denominationes, vt inde notandum eſt, ens rationis eſſe obiectum

tum materiale logicę, vt definibile, diviſibile, &c. Sicut quilibet alius actus obiectivus, cum enim ens rationis poſſit definiri, dividi, & circa ipſum argumentari, ex eo, & definitione formali poteſt reſultare hoc concretum, *definitum diviſum, &c.* Ex hoc autem non inferetur; ipſum ens rationis eſſe obiectum formale *quod*, cum hoc tantum reluceat in definitione, & diviſione formali, quarum rectitudo etiam ſi terminetur ad ens rationis, non eſt ens rationis, ſed realis repræſentatio entis ficti.

547. Nota etiam, nos non favere Thomiſtis, etiam ſi admittamus, has denominationes *definiti generis, &c.* ſæpe includere ens rationis, tum ob rationem ſupra dictam, tum quia hoc non aſſerimus, eo quod iudicemus, denominationes extrinſecas ex ſe eſſe ens rationis, neque ex eo quod poſita ſecunda intentione abſtrahente *animal à rationali*, reſultet ens rationis in obiecto, neque ex eo quod natura vniverſalis dicat propriam relationem ad inferiora. Neque ex eo, quod prædicatum diſtinguatur á ſubiecto in qualibet propoſitione, quæ ſunt capita, ex quibus Thomiſtæ ſuam concluſionem probant, ſed ex eo, quod talis definitio, diuiſio, &c. cadit ſupra ens rationis, vt ſupra ſubiectum denonataonis, vnde reſultat concretum definitum involvens ipſum ens rationis, ſicut cum cadit definitio ſupra hominem, dicimus concretum definitum *hominem* includere.

548. Obijc. 1. Sanctum Thomam ſępe vocantem entia rationis hęc concreta, genus, ſpecies, &c. Reſpondeo Angelicum Doctorem ea concreta vocaſſe entia rationis ſubiectivé, quia recipiuntur in Anima, & intellectu, qui vocatur ratio, ſic Opuſc. 7. vocat ſyllogiſmum *Actum rationis*, ſcilicet intellectus, ſic Ariſtoteles 7. politicorum, cap. 14. vocat artes intellectuales, *Artes rationis.*

549. Objic. 2. Logica agit de denominationibus extrinſecis, ſed hæ ſunt entia rationis. Reſpondeo; iam ſupra me dixiſſe, maiorem eſſe falſam, ſi de obiecto formali *quod* intelligatur, minorem enim videbimus eſſe falſam ſuo proprio loco.

550. Objic. 3. Ad logicam attinet, non ſolum rectitudinem actuum dirigere, ſed reflexè iudicare de ipſorum rectitudine iuxta regulas directivas; ſed actus iudicans de ipſorum rectitudine iuxta regulas directivas, efficit ens rationis: ergo. Probatur minor. Actus dirigens nil ponit intrinſecum in actu directo, cum ſolum extrinſecè eum dirigat; ergo talis rectitudo iuxta regulas eſt ipſi extrinſeca; ſed actus iudicans de eius rectitudine hanc cognoſcit per modum formæ intrinſecę actui ex directione derivatę: ergo.

551. Reſpondeo, Diſtinguo maiorem. Ad logicam ſpeculativam, concedo, ad logicam practicam, nego. Unde adhuc conceſſo, quod talis actus reflectens haberet vt obiectum materiale ens rationis, non tamen inferretur obiectum formale *quod* à logica intentum eſſe ens rationis. Præterea falſum eſt, actum reflectentem ſupra rectitudinem ſyllogiſmi v. g. aſſerentemque, talem ſyllogiſmum eſſe iuxta regulas logicę, efformare ens rationis, aut concipere directionem activam logicæ vt formam intrinſecam entitati actus; ſolum enim concipit, talem actum in ſe exercere, & executioni mandari, quod illa regula præcipit, eſſeque ab ipſa regulatum, poſita regula vt forma extrinſecè denominante; ſicut cum concipio, *Petrum eſſe amatum*, non concipio *amorem*, vt formã intrinſecam *Petro*, ſed vt formam eum extrinſecè denominantem.

552. Objic. 4. Logica eſt ſcientia rationalis, ergo quia agit de ente rationis,

nis. Respondeo, logicam dici scientiam rationalem, quia eius principale obiectum sunt actus mentis, qui rationis actus dicuntur. Replicas. Animastica etiam habet pro obiecto actus mentis, & non dicitur rationalis, ergo non ideo logica rationalis dicitur. Respondeo, obiectum principale Animasticæ esse animam, ideoque non tam rationalis, quam animastica dicitur. Insuper vtraque facultas potest dici realis, & rationalis.

553. Objic. 5. Genus, species, Differentia, &c. de quibus agit logica non sunt á parte rei, ergo sunt entia rationis. Respondeo; distinguo antecedens: Id est, non dantur independenter ab intellectu, concedo, id est non dantur independenter ab intellectu fingente; Nego. Sic omnis cognitio, quæ est ens reale non datur independenter ab intellectu, quia tamen non datur independenter ab intellectu fingente non dicitur ens rationis, ita se habent *genus*, & *differentia*, vnde re ipsa dantur á parte rei; sed quia aliquo modo hæc vox, *à parte rei*, est æquivoca, illam explica modo iam dicto.

554. Objic. 6. *Genus, species*, & reliqua prędicabilia sunt obiectum formale *quod* logicę, sed constituuntur ente rationis, nempe quadam relatione ficta ad inferiora: ergo. Respondeo, distinguo maiorem. Sunt obiectum formale *quod* secundum adæquatum, quod dicunt: nego, secundum inadæquatum, nempe abstractionem, concedo. Predicabilia resultant ex conceptu formali, abstractione scilicet, & ex conceptu obiectivo, natura nempe, vtrumque respicit logica vt obiectum materiale, non vero vt obiectum formale, nisi solam rectitudinem actus naturam abstrahentis, quam rectitudinem logica practica introducere tentat, naturam vero solum speculatiivè attingit, quam cum non dirigat, nec dirigere intendat, non respicit vt obiectum formale *quod*: insuper falsum est, prædicabilia dicere relationem secundum esse ad inferiora, solum enim dicunt relationem pręcisivam, secundum dici, hoc est, concipiuntur sine inferioribus, de hoc postea.

555. Objic. 7. Logica agit de subiecto, & prædicato: ergo de ente rationis. Probatur consequentia. Subiectum concipitur dicens relationem ad prædicatum, & è contra; sed talis relatio est ficta, cum subiectum, & prędicatum nō distinguantur: ergo. Probatur maior. Subiectum concipitur cum capacitate habendi prædicatum, & per modum recipientis, prædicatum concipitur determinans subiectum per modum formæ; ergo subiectum concipitur dicens relationem ad prædicatum, & è contra.

556. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: concipitur dicens relationem secundum dici, & ex parte actus, concedo; secundum esse, & ex parte obiecti, nego. Ad probationem similiter distinguo antecedens. Subiectum concipitur cum capacitate logica, concedo: physica, nego. Logica cum agit de subiecto, & prædicato, ea non distinguit physice ex parte obiecti, sed potius identificat, concipit tamen illa non vt recipiens, & receptum, sed ad instar recipientis, & recepti, sicut cum concipitur Angelus instar iuvenis, & Pater Æternus instar senis, quin actus ita concipientes conferant obiecto aliquod prædicatum repugnans, ac proinde quin faciant ens rationis. Ex hoc solum arguitur imperfectio nostri intellectus, qui nequit, nisi per plures cōceptus, & voces explicare, qui in se sunt vnum.

557. Objic. 8. Rectitudo intenta à logica consistit in ordine conceptus obiectivi ad hoc, vt sit genus, differentia, &c. sed hic ordo est fictus: ergo.

558. Resp. Conceptum obiectum, nullum dicere ordinem, vt sit genus, vel differentia; solum enim habet capacitatem, vt cognoscatur inadæquate, ex qua cognitione inadæquata, & ex ipso resultat genus, vel differentia. Insuper licet talem ordinem diceret, in eo non consistit rectitudo intenta â Logica, sed in repræsentatione conceptus formalis. Insuper rogo. Si talis ordo conceptus obiectivi ad hoc, vt sit genus, est fictus, á quo actu fingitur? Certe â nullo: ergo.

559. Objic. 9. Scientia, quæ agit de definitione reali, agit de definitione ficta, nam contrariorum eadem est scientia, & disciplina; sed logica agit de definitione reali: ergo. Maior patet in Metaphysica, quæ quia agit de ente reali, agit etiam de ente ficto.

560. Resp. Maiorem absolutè esse falsam, sic physica agit de corpore reali, & non de ficto. Theologia de Deo reali, & non de ficto. Astrologia de Sole, Cælo, Luna, & Stellis realibus, non vero de fictis. Insuper ex argumento solum infertur definitionem fictam esse obiectum materiale, non vero formale logicæ. Obiectum inquam materiale remotionis, sic ab aliquibus ens rationis appellatur obiectum remotionis metaphysicæ, quatenus scilicet logica intendens veram rectitudinem definitionis, falsam removet. Ita nego maiorem, vel hac data, nega minorem, nam logica non agit de definitione reali, sed de definitione recta, vnde irrectam, & sophisticam respiciet, non chimęricam.

561. Replicas. Definitio chimærica ad aliquam facultatem pertinet, ergo ad logicam. Respondeo, distinguo antecedens, ad aliquam facultatem, quæ sit scientia practica, nego, quę non sit scientia practica, transeat. Scientia nequit esse inductiva erroris: ergo neque respicere practice ens rationis. Ad aliquam vero scientiam speculativam ens rationis poterit pertinere, quin eius certitudini officiat. Ita Deus illud speculative, & scientifice cognoscit. Dixi transeat, quia nil cogit nos, vt ens rationis ad aliquam scientiam reducamus.

562. Objic. 10. Propositio affirmativa est compositiva sui obiecti; sed hęc compositio non consistit in eo, quod prędicatum affirmetur de subiecto; nam *Deus*, & Angelus affirmant prædicatum de subiecto, & tamen non componunt: ergo alia est ea compositio, non realis, cum sæpe sit obiectum simplex: ergo rationis. Hanc compositionem respicit logica: ergo respicit ens rationis.

563. Respondeo. Distinguo maiorem, id est, affirmat vnum de alio, seu vnum esse aliud; concedo; aliter nego. Duplex est compositio nostri iudicij: prima affirmando vnum esse aliud. Secunda determinando res, quæ per duas apprehensiones proponuntur intellectui esse vnam ex parte obiecti. Prima compositio est communis Deo, Angelis, & hominibus. Secunda, cùm proveniat ex imperfecto modo nostro concipiendi exultat a Deo, nobis convenit; nunc præscindo de Angelis, nulla tamen ex duabus his compositionibus est ens rationis. Vnde etsi logica vtramque respiciat, ens rationis non conspicit.

SVBSECTIO II.

ALIÆ SENTENTIÆ EXAMINATUR.

564. Secunda sententia tenet, rectitudinem intentam à logica consistere in modo quodam ipsis actibus superaddito, ita Pater Ildephonsus, de Peñafiel, q. 6. n. 49. Pater Linceus, tract. 1. cap. 8. n. 6. & alibi.

565. Contra primò. Rectitudo intenta

tenta á logica est ipsamet repræsentatio actus, sed repræsentatio actus non est modus superadditus ipsi: ergo. Secundò. Ante resultantiam modi superadditi definitio repræsentat rem per genus, & differentiam, sed hæc est rectitudo intenta á logica; ergo non consistit in modo superaddito. Tertiò. Ideo ex hoc actu v.g. hac definitione recta resultat modus superadditus, & non ex alio, quia hic, & non alius est rectus, ergo ante resultantiam illius modi superadditi, supponitur habens rectitudinem. Quartò. Actus studiositatis v. g. sine modo superaddito habet rectitudinem intentam â prudentia, ergo & definitio sine modo superadditto habet rectitudinem intentam â logica.

566. Tertia sententia docet, rectitudinem intentam á logica consistere in quadam denominatione extrinsecá á regula in actus derivata, quatenus hi dicuntur artificiosè directi, artefacti, &c. Pro hac video citari aliquos Modernos, quibus favere videtur Pater Ripalda, tom. 1. de ente supernaturali, d. 67. sect. 1 n. 4. & disp. 39. de charitate, sect. 2. n. 17.

567. Contra primò. Rectitudo intenta á logica est ipsa, quam actus haberent absque logica, sed absque logica actus non haberent denominationes artificiosè directi, & artefacti: ergo hæ denominationes non sunt rectitudo intenta á logica. Secundò. Scientia practica debet adęquatè distingui à fine ab ipsa intento, vtpotè causa á suo effectu, sed logica non distinguitur adæquatè à denominatione *directi*, si quidem ipsam vt forma constituit: ergo talis denominatio non est finis intentus à logica. Tertiò. Quia iam supra se ipsam practicè reflecteret, ergo esset causa sui ipsius. Quartò. Musica, Poesis, Grammatica, & aliæ facultates non intendunt aliquam extrinsecam denominationem operum, sed rectitudinem intrinsecam ipsorum; ergo neque logica tales denominationes intendit.

568. Sententia Quarta, & communior tenet, rectitudinem intentam á logica in suis actibus esse illis intrinsecam. Ita Sanctus Thomas 1. post. lect. 1. Eximius Doctor, d. 39. metaphysicæ, Hurt. d. 1. de anima sect. 6. Arria. disp. 2. logicę sect. 6. Comptonus, disp. 8. sect. 2. Santa Cruz, Oviedus. Pein. tract. 1. proœm. disp. 2. sect. 3. § 2. n. 53. & Sapientiss. Olea. tract. 2. Proœm. disp. 48. n. 2.

569. Ante conclusionem Nota 1. Actum esse *rectum* non esse idem, ac esse *directum*. *Actum esse rectum*, est esse *conformem* suo obiecto, quod quidem est essentiale, & intrinsecum actui. Actum esse *directum* est esse *conformem* regulis dirigentibus, quod quidem est extrinsecum, & accidentale illi, idem namque poterit fieri sine talibus regulis, & de facto ita fuit producta prima definitio ante logicam, quę fuit *recta* licet non *directa*. Hinc inferes, actus intellectus à logica dirigi, esse ipsis extrinsecum, & accidentale.

570. Nota secundò. Quod, vt aliquod opus dicatur directum, artificiosum, artefactum regulatum, &c. debet ab aliqua arte provenire, quæ se habeat vt forma talis concreti. Vnde etiamsi definitio ante logicę inventionem eadem rectitudine, & conformitate repræsentaret obiectum, ac nunc ex directione logicæ illud repręsentat, non diceretur *artificiosa*, *artefacta*, &c. Quod confirmatur pulchra D. v. Augustini doctrina lib. 2. de Musica initio vbi quærit; vtrum Philomela dicenda sit musica, quippe quæ varijs tractibus ita vocem inflectit, vt ipsa ars obstupescat? Respondet; non esse dicendam Musicam, quia quidquid facit, ex natura facit, non per regulas artis: Homo tamen, qui eam imitaretur, & per pręcepta eo modo vocem inflectere doceretur diceretur Musicus, quia id ipsum, quod illa natura, homo arte faceret.

571. Nota tertiò. Non esse dubium. Has denominationes esse actibus extrinsecas, & accidentales, non tamen adæquatè, quia resultant ex ipsis, & ex regulis, sicut denominatio visi ex obiecto, & visione, & denominatio amati ex obiecto, & amore.

572. Nota quartò. Pro plena intelligentia quæstionis, certum esse; dari regulas logicales dirigentes, quomodo efformanda sit recta definitio, divisio, &c. Hęc directio ex parte regularũ dicitur directio activa per correlationem ad directionem passivam. Cum ergo intellectus possit eam definitionem divisionem, &c. absolutè sine ea activa directione efformare, talis activa directio, seu regulæ dirigntes requiruntur, vt intellectus sine periculo erroris, & scientificè efformet eos actus, quos sine talibus regulis efformaret, cum periculo tamen errandi, et non scientificè. Vnde quod intendunt regulæ logicales, est, quod fiat recta definitio, divisio, etc. Hęc rectitudo communiter appellatur directio passiva ad distinctionē directionis activæ, quia setenet ex parte effectus.

573. Quapropter licet in vocis rigore *Directio* non sit idem, ac *rectitudo*, sicut nec *rectus* idem, ac *Directus*, quia *directio* est correlativa *dirigentis*, ac proinde si logica *directionem* respiceret, se quoque necessariò attingeret, tamen iam vsu loquendi per *directionem* nil aliud intenditur significari, quam *rectitudo*. Inquirit autem præsens quęstio, vtrum hæc *rectitudo*, seu *directio passiva* intenta á logica in actibus sit ipsis adęququatè intrinseca, vel extrinseca, et accidentalis? Admodum quo supposito tamquam certo, quod hic actus sit verus *Christus est homo*, inquirimus. An veritas sit illi adęquatè intrinseca, an verò extrinseca, et accidentalis? Sed cum distinctione loquendum.

574. Dico primò. Rectitudo intenta á logica in suis actibus est adæquatè intrinseca actui simplici. Probatur primò. Rectitudo intenta á logica in actu simplici est ipsius actus propria repræsentatio, sed repræsentatio propria actus est illi adæquatè intrinseca: ergo. Probatur maior. Rectitudo intenta á logica in actu simplici est illa, quã ipsius logicę regulę exprimunt, sed rectitudo, quam exprimunt regulæ logicæ est ipsius actus propria repræsentatio: ergo. Maior est certa, quid aliud intendere post Logica, quam id, quod eius regulę expressè dicunt! Probatur minor: definitionem repræsentare definitum per *genus*, et *differentiam*, divisionẽ repręsentare *divisum*, et *membra dividentia* est propria repręsentatio definitionis, et divisionis. Sed hęc est rectitudo, quam exprimunt regulę logicę, vt videre est in ipsis, nam regula definitionis exprimit, *definitionem debere constare genere, & differentia*, Regula divisionis, *divisionem debere repræsentare totum, & partes divisivas totius*: ergo.

575. Probatur 2. Ea solúm rectitudo intenditur á regula, quæ repręsentatur á regula; sed à regula definitionis solúm repræsentatur; actum debere constare genere, & differentia, ergo ea solum rectitudo intenditur á logica, sed hæc est adæquatè intrinseca actui: ergo.

576. Confirmatur primò. Esse actus definitiones, divisiones, & argumentationes, est repræsentatio intrinseca ipsis actibus, sed logica solum intendit, quod actus intellectus sint definitiones, divisiones, & argumentationes, ad hoc enim inventa est: ergo.

577. Confirmatur secundò. Repręsentare est de essentia actuum intellectus: ergo & taliter repræsentare erit etiam de essentia ipsorum, sed quod logica intendit in actibus intellectus est, quod taliter represęntent per *genus*

genus scilicet,& *differentiam*: ergo quod logica intendit,est de essentia actuum intellectus.

578. Probatur tertiò. Conclusio á priori. Id solum intendit logica in actibus intellectus, quod aliás ipsi actus haberent sine logica, sed quod actus alias sine logica haberent, neque esset denominatio extrinseca ab ipsa regula dirigente,neque modus alius superadditus, sed propria entitas; & repræsentatio actus,ergo logica neque denominationem extrinsecam, neque modum superadditum, sed propriam entitatem,& repręsentationem actuum intendit. Maior est certa;nam ad hoc solum inventa fuit logica, vt facile, & sine erroris periculo fieret id, quod sine ipsa defficulter,& cum periculo errandi fieri poterat: teste Diuo Thoma 1.2.q.57.art.3.ad 3.

579. Dico secundò. Rectitudo intenta á logica in actibus compositis v.g. Si syllogismus componatur tribus propositionibus realiter distinctis, & iudicium etiam pluribus actibus realiter etiam distinctis,est adæquatè intrinseca toti actui, partibus tamen illum componentibus partim intrinseca, & partim extrinseca.

540. Probatur conclusio exemplo compositi physici, quo simul facile explicatur conclusio. Sicut compositum physicum constat materia, forma, & vnione realiter distinctis inter se,ita, vt supponimus, hic syllogismus *Omnis homo est animal,sed Petrus est homo, ergo est animal* constat tribus actibus realiter distinctis inter se; sicut ergo composito est intrinseca,& essentialis materia, forma,& vnio,quia ex illis essentialiter resultat, ita syllogismo est essentialis triplex ille actus, quia ex illis etiam essentialiter resultat. At verò sicut formæ non est essentialis materia, neque materiæ forma,neque vtrique vnio,neque vnioni vtraque, sed omnino accidentaliter se habent, (accidentaliter dico, prout opponitur essentialiter) ita neque prima illa propositio *Omnis homo est animal* est essentialis secundę scilicet *Petrus est homo*, neque vtraque tertię scilicet *Petrus est animal*, neque hæc duabus prioribus, & sicut denique in composito datur aliquid essentiale materiæ,nempe esse *primum subiectum receptivum formarum*,quod est propria entitas ipsius,& aliquid extrinsecum, & accidentale, nempè existentia formæ, cui accidentaliter coexistit materia,ita in syllogismo datur aliquid essentiale primæ propositioni, nempe propria ipsius repræsentatio, & aliquid accidentale,nempe existentia alterius propositionis,qua cum coniungitur accidentaliter ad syllogismum illum constituendum, poterat enim cum alijs propositionibus alium syllogismum constituere, vt patet in hoc *Omnis homo est animal, sed omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal*, en idem actus, nempe *Omnis homo est animal* cum primis propositionibus componit syllogismum in *Darij*,cum secundis vero in *Barbara*, sicut eadem materia cum forma equina equum,cum forma humana hominem constituit.

581. Hoc alijs exēplis explicatur. Albedo *A*,& Albedo *B*,sunt essentiales similitudini;quātitas *C*.& *quātitas D* sunt essentiales a qualitati; *Petrus*, & *Paulus* sunt essentiales coexistentiæ;quia similitudo, ęqualitas, & coexistentia sunt composita ex illis resultantia; at vero, quia albedo *A* est extrinseca albedini *B*; quantitas *C* quantitati *D*; & *Petrus Paulo*,dicitur in similitudine, quantite, & coexistentia esse aliquid intrinsecum albedini A nempe sua entitas,&aliquid extrinsecum nempe entitas albedinis B: quantitati *C* in æqualitate esse intrinsecam propriam entitatem, & extrinsecam entitatem quantitatis *D*: *Petro* in coexistentia esse intrinsecam propriam existentiam, & extrinsecam existentiam *Pauli*; ergo propter eamdem rationem dicetur in syllogismo, vel in hoc actu *Petrus est homo*,si sit cōpositus ex triplici actu vno repræsentāte *Petrum*,alio reprēsentante *hominem*, tertiò repræsentante *identitatem* inter vtrumque;triplicem actum esse intrinsecum tali iudicio ex eis constituto;at verò vnicuique actui,nempe repræsentanti *Petrum* esse intrinsecam propriam repræsentationem Petri, & extrinsecam repræsentationem *hominis*,qua cum accidentaliter coniungitur ad illam propositionem efformandam.

582. Tunc sic,sed rectitudo,quam intendit logica in syllogismo, vel in propositione non solum est repræsentatio,& existentia propria cuiuscumque propositionis, & actus seorsim, sed simultas repræsentationis, & coexistentia propositionum ad syllogismum efformandum,& actuum ad propositionem constituedam;ergo rectitudo,quam logica intendit in actibus compositis est adęquatè intrinseca toti actui, & partim intrinseca,& partim extrinseca actibus illum componentibus.

SVBSECTIO III.

RESPONDETVR ARGVmentis.

583. OBjic. 1. In reliquis artibus artificium intentum est modus superadditus; ergo similiter in logica.

584. Resp. Disparitatem inter artes factivas,& activas esse manifestam. Artes factivæ supponūt,nō efformāt materiam. Sic statuaria,marmor; Pictoria colores,Fabrilis lignum supponūt, ex quibus statuam, imaginem, & cathedram conficiunt, vnde & errores; si qui contigerint, novis lineamentis, & materiæ dispositione emēdant,im nō in eandem materiam nova subinde introducitur forma. Sic ex eodem argento iám vas,iám Calix, iamque Patena sole efformari. Non sic artes activæ circa actus internos,qui nullam supponunt materiam, sed efformant. In his enim idem est artificium, ac *esse* si quidem artificium idem est, ac eorū representatio,vndè nec emendari queunt,aliter ex eis intellectus disponēs,sed solum alios efformans. Hinc infertur, artificium, & rectitudinem intentam á reliquis artibus esse separabilem á materia, ipsi que extrinsecam, non verò rectitudinem intentam á logica.

585. Obijc. secundò. Et simul replicabis. Licet actibus intellectus sit intrinsecum, & essentiale repræsentare, at verò taliter repræsentare est illi extrinsecum, & accidentale, nempè repræsentare veré, vel falsò; similiter actui voluntatis licet sit essentiale amare, at verò taliter amare, bene,vel male moraliter, liberè, vel necessario, est illi accidentale, sed obiectum *quod* logicæ non est *repræsentatio*,sed *taleitas repræsentationis*,seu taliter repræsentare; ergo est quid extrinsecum actibus,

586. Hoc argumentum supponit, moralitatem esse actibus voluntatis extrinsecam, & veritatem similiter extrinsecam actibus intellectus. Vndè idem actus potest transire de bono in malum, & de vero in falsum. Ex ipso ergo supposito disparitas colligitur; nempé,quod amare bene,vel male moraliter, repræsentare verè, vel falsò non sit talitèr amare, vel taliter repręsentare,sed qualiter amare, & qualiter repræsentare: bonitas enim, & malitia actus non est taleitas amoris, sed qualitas: veritas, vel falsitas actus intellectus non est taleitas repræsentationis, sed qualitas. Insuper divisio actus voluntatis in bonum, & malum, &

 actus

actus intellectus in verum, & falsum, non est divisio generis in species: sed subiecti in accidentia, sicut divisio hominis in *album*, & *nigrum*, vnde sicut esse hominem album, vel nigrum non est esse taliter hominem, sed esse qualiter hominem, ita actûm voluntatis esse bonum, vel malum non est taleitas amoris, sed qualitas, at reprȩsentare obiectum per genus, & differentiam v.g. hominem per animal rationale, est taleitas repræsentationis non qualitas, neque idem actus, qui semel hominem ita reprȩsentavit, aliter eum repræsentare potest. Item divisio actus intellectus in definitionem, divisionẽ, apprehensionẽ, &c. est divisio generis in species, non subiecti in accidentia: ergo nulla est paritas inter bonitatem, veritatem, & rectitudinem intentam à logica.

587. In super, actum esse bonum, vel malum dependet á circunstantijs extrinsecis loci, temporis, prohibitionis: esse liberum, vel necessarium á circunstantia iudicij indiferentis, ablatione impedimentorũ, & aplpicatione concursus. Actum intellectus esse verum, vel falsum ab existentiá, & non existentiá extrinsecá obiecti. At verò actum iudicij esse definitionem, divisionem, &c, non desumitur ab aliquo extrinseco, sed ab intrinseca entitate, & repræsentatione actus. Quod non debet comparari cum actu voluntatis libero, sed cum tali amore in esse amoris huius obiecti potius, quam alterius, quæ taleitas est intrinseca actui voluntatis, quia desumitur per ordinem ad obiectum: libertas vero est extrinseca, desumitur namque per ordinem ad iudicium in differens.

588. Replicabis: Definitio hominis, & definitio leonis conveniunt in ratione definitionis. Sed differunt in esse talis repræsentationis: ergo taleitas repræsentationis distincta est á definitione: ergo & si repræsentatio sit actui essentialis, poterit illi esse accidentalis taleitas repræsentationis.

589. Retorque. Petrus, & Paulus conveniunt in ratione hominis, & differunt in ratione talium: ergo taleitas hominis distinguitur á ratione hominis: ergo etiam si Petrus, & Paulus sint essentialiter homines, taleitas hominis erit illis extrinseca, & accidentalis. Vide tuam instantiam. Respondeo. Concedo maiorem, & nego suppositum minoris, quod taleitas repræsentationis nõ sit idem, ac taleitas definitionis. Æquivocum instantię consistit in confusione taleitatis repræsentationis & definitionis. In definitione hominis v.g. datur repræsentatio obiecti per genus, & differentiam, quæ est idem, ac ratio definitionis, & in hac convenit cum definitione Leonis. Item datur taleitas repræsentationis, hoc est repræsentare hoc genus *Animal*, & hanc differentiam *Rationale*, quæ est idem ac ratio talis definitionis, in qua differt á definitione Leonis. Ex quo solum infertur; conceptum definitionis esse partibilem formaliter in duas alias formalitates formaliter solum distinctas, non vero conceptum definitionis esse extrinsecum, & accidentale realiter loquendo repræsentationi, quacum realiter identificatur, licet ab ea distinguatur formaliter. Constet ergo in definitione, formaliter loquendo, reperiri conceptum reprȩsentationis, hic ad animasticam pertinet; conceptum & definitionis, quæ est ratio contractiva, reprȩsentationis; hic ad logicam attinet: Denique rationem taleitatis definitionis, vi materiæ, quam logica non attendit singulariter, & in particulari.

590. Obijc. 3. Logica respicit pro obiecto formali non solum conformitatem definitionis cum obiecto, sed etiam conformitatem cum regulis, ergo rectitudo intenta á logica est partim ex-

extrinseca. Probatur antecedens. Obiectum logicę artificialis debet secerni ab obiecto logicæ naturalis, sed definitio vt conformis cum obiecto est obiectum logicæ naturalis, ergo vt conformis cum regulis debet esse obiectum logicæ artificialis.

591. Confirmatur primò. Repræsentare nempe genus, & differentiam indifferens est, vt sit obiectum logicæ naturalis, & artificialis: ergo vt determinetur ad esse obiectum logicæ artificialis, aliquid illi superaddendum est, non intrinsecum, ergo extrinsecum, conformitatem scilicet cum regula.

592. Confirmatur secundò. Obiectum scientiæ mediæ est opus liberum à Deo prædefinitum sine periculo errandi; ergo obiectum *quod* logicæ erit definitio, vt sine periculo errandi producibilis.

593. Confirmatur tertiò. Actus abstrahens habet pro obiecto id, quod est prædicabile de pluribus, sed id, quod est prædicabile de pluribus constituitur ex natura, & ipso actu abstrahente; Ergo & logica habebit pro obiecto definitionem directam, etiamsi in esse directæ constituatur ex actu, & ex ipsa logica dirigente.

594. Hoc fundamento, his etiam, & alijs exemplis munitus ingeniosissimus in Platensi Vniversitate Magister tenet, rectitudinem intentam á logica esse partim intrinsecam, & partim extrinsecam, si vero contra illum hanc consequentiam inferas: ergo *logica se ipsam respicit, cum respiciat definitionem vt conformem cum regulis*, vel negat consequentiam, vel illam sic distinguit, *se ipsam respicit, vt finem qui, negat, vt finem quo, concedit*: hoc est finis, qui terminat cognitionem, propriéque attingitur á logica est ipsamet definitio, quæ quidem capacitatur, & constituitur in esse obiecti per ipsam met regulam logicalem; vnde obiectum signatè terminativum est definitio; obiectum exercitè, & vt *quo* constituens definitionem in esse termini est regula.

595. Certè falsitatis convincitur hæc doctrina: nam obiectum formale *quod* alicuius notitiæ practicæ propriè debet respici, & propriè produci á tali notitia, non solum secundum inadęquatum, sed secundum adæquatum, quod dicit in esse obiecti, sed regula per te se ipsam non respicit, nec se producere potest, ergo regula non constituit partialiter obiectum formale *quod*. Insuper, vel tota rectitudo intenta à logica in definitione salvatur in conformitate cum obiecto, vel non? Si primum: ergo adequatè intrinseca. Si secundum. Contra primò. Ergo potest dari reprȩsentatio obiecti per genus, & differentiam, quin in tali repræsentatione detur rectitudo intenta â logica dicente, definitionem debere constare genere, & differentia, quod est incredibile. Secundò. Ergo logica non respicit adæquatam rectitudinem intentam â se, nam adæquata rectitudo consurgit ex ipsa logica, quam logica per vos non respicit. Item, vel regula ipsa se habet vt ratio formalis sub *qua* attingitur rectitudo, ab ipsa regula, quod videtur in doctrina allata insinuari, vel vt ratio formalis *quæ*? Si secundum. Ergo propriè attingitur â se ipsa non solum exercitè, sed etiam signate. Si primum? Contra primo: rati formalis sub qua aliquis actus tendit in obiectum debet se habere ex parte ipsius obiecti, non vero ex parte ipsius actus, vt patet in omni ratione formali, cum sit capacitas obiecti vt attingatur ab actu, quę quidem ab ipso actu attingente distingui debet, aliás idem actus sub se ipso obiectum attingeret. Contra secundò. Actus practicus attingit obiectum sub dirigibilitate passiva, sed regula non est dirigibilitas passiva sed directiva activè: ergo.

Ad

596. Ad argumentum respondetur, obiectum directum logicæ artificialis nullo modo distingui ab obiecto logicæ naturalis, sed potius eademmet definitio, quæ á logica naturali fieret cum periculo tamen errandi, & difficulter, eademmet fit, & intenditur á logica artificiali, sine periculo errandi, & faciliter. Unde si roges, quid habeat intrinsecum definitio á logica artificiali, quod non haberet á logica naturali? Respondebo, nihil. Si tamen roges, quid extrinsecè habeat? Respondebo, denominationes directæ, artef ctæ, regulatę, quas non haberet á logica naturali, sed has non respicit logica vt obiectum, sed causat vt effectus formales. Ad primam confirmationem idem respondetur.

597. Ad secundam respondetur. Obiectum scientię mediæ directæ non esse opus liberum prę definitum á Deo sine periculo errandi, sed opus liberè ponendum á creatura sub hoc auxilio *A*. v.g. Unde absolute manet opus contingens, licet Deo sufficientem securitatem conferat, vt illæsa libertate opus prædefiniat: ergo potius exemplo scientiæ mediæ nostra corroboratur doctrina. Quod vlterius conspicitur. Nam scientia media nihil intrinsecum ponit in opere, idem enim, & eodem modo, quo fieret sine scientia prævidente, fit prævidente illa, ponit tamen aliquas extrinsecas denominationes, scilicet prævisi, regulati, &c. ex parte agentis deservit, vt procedat Deus sine periculo erroris, quin tales denominationes reflexę ab ipsa scientia attingantur, ita similiter se habet logica respectu definitionis.

598. Si tamen dicas cum aliquibus Theologis requiri ad providentiam, & prędefinitionem actuum liberorum scientiam mediam reflexam, qua cognoscat Deus non solum opus libere ponendum, sed etiam infallibiliter ponendum, opus scilicet indutum scientia media directa, qua scilicet dicat, *Video, me vidisse opus liberé ponendum sub hoc auxilio A.* Falsum est etiam dicere, tunc obiectum talis scientię reflexæ esse opus liberum, prædefinitum; nam prædefinitio subsequitur talem prævisionem: ergo eam non respicit prævisió. Item ex hoc nil pro doctrina contraria. Nam scientia media reflexa respicit vt obiectum scientiam mediam directam, ideoque dicitur reflexa, nulla alia ratione nisi quia scientia media directa constituit opus liberum in esse infallibilis: ergo si logica constitueret definitionem in esse obiecti, logica se ipsam respiceret, diceretur que reflexa, quod negat hic Modernus.

599. Ad tertiam confirmationem respondetur, actum abstrahentem non habere pro obiecto, quod est prędicabile de pluribus formaliter, sed solum prędicabile fundamentaliter, hoc est, naturam, quæ redditur formaliter prædicabilis tamquam per formam per ipsam abstractionem, & ideo non respicit naturam formaliter prędicabilem, quia se ipsam respiceret, sed illam respicit se illi exibendo, ita logica non respicit pro obiecto concretum ex definitione, & ex ipsa logica resultante, sed respiciendo entitatem definitionis, tamquam forma constituit cum definitione denominationem directæ, sicut abstractio cum natura denominationem prædicabilis formaliter.

600. Objic. 4 Logica intendit rectitudinem, vt secure, & sine periculo erroris factibilem, vel vt conformem suis regulis, vel vt directam, vel saltem vt artificium, & directio est Sed hoc est partim extrinsecum actui: ergo. Resp. Nego maiorem, quoad omnes partes, nam licet regulę illæ causent securitatem, illam non cognoscunt, sicut licet cognitio cognoscat obiectum, non cognoscit reflexè ise cognoscere. Aliás logi-

logica practicè supra se ipsam reflecteret. Ad illas vltimas voces artificij, & directionis nota, quod iam supra notare te, volui, num. 470.

601. Objic. 5. Repræsentatio est obiectum animasticæ, ergo non logicę. Ergo rectitudo distinguitur à repræsentatione. Respondeo. Distinguo antecedens, in esse repręsentationis, concedo, in esse talis repræsentationis dirigibili, in modum sciendi, nego.

602. Objic. 6. Logica est practica respectu denominationis *directi*, á qua solum inadæquatè distinguitur: ergo poterit esse practica respectu obiecti formalis inadæquatè distincti. Respondeo: nego maiorem. Nam logica constituit per modum formę illam denominationem *directi*, quo modo ergo poterit esse practica respectu illius?

603. Objic. 7. Rectitudo, quæ intenditur introduci in suum obiectum à logica non debet esse ipsi obiecto essentialis, nulla enim facultas datur, quæ predicata essentialia in obiecta introducere tentet ergo: Respondeo, Hoc certum esse in facultatibus factivis, quę supponunt materiam, & formam tantum introducunt, non vero in logica, quæ suam materiam simul, & formam dirigit. Vnde obiectum materiale á formali *quod* non distinguitur. Hinc nego antecedens, & eius probationem.

604. Objic. 8. Actus intellectus prout dirigibilis in actu primo est obiectum logicæ ergo etiam prout directus in actu secundo. Probatur consequentia, quod est obiectum alicuius artis vt factibile, est obiectum formale, seu finis talis artis vt factum; ergo. Retorqueo. Paries, vt visibilis est obiectum potentiæ visivæ, ergo etiam vt visus, vnde visio se ipsam videbit. Hinc respondetur, nego consequentiam, & probationem. Potius enim, quod est obiectum alicuius artis in actu primo est effectus illius in actu secundo. Sic imago vt pingibilis est obiectum artis pictoriæ, & vt picta non est obiectum, sed effectus formalis illius. Sic actus intellectus, vt directus non est obiectum, sed effectus formalis logicæ, alias se ipsam respiceret.

605. Replicabis: Logica causat suum effectum directivé, sed causare directivè est cognoscere: Ergo logica cognoscit suum effectum, ergo si actus vt directus est effectus logicæ, logica illum vt directum cognoscet.

606. Respondeo. Distinguo maiorem, causat suum effectum physicum directivè; concedo. Formalem; nego; Repræsentatio actus per modum definitionis, &c. est effectus, quem logica vt causa physica directiva causat, & dirigit, vnde hunc tantum respiciet. Denominatio *directi* est effectus formalis resultans ex definitione tamquam ex forma. Hunc effectum formalem, neque dirigit, nequę respicit, sed constituit.

607. Objic. 9. Naturale, & artificiale opponuntur. Sed repræsentatio actus est naturalis, & rectitudo intenta á logica est artificialis, vtpotè artis obiectum: ergo rectitudo intenta â logica non est tantum actus repræsentatio. Respondeo, naturale, & artificiale non opponi, sed potius quoadunari, naturale enim est id, quod potest viribus naturæ fieri. Artificiale, quod ex directione artis fit, cum enim nulla detur repugnantia in eo, quod id ipsum, quod viribus naturę fit, fiat etiam artis directione, nulla datur oppositio inter naturale, & artificiale; vel dic; rectitudinem intentam â logica vt obiectum directum non esse artificialem, sed reddi artificialem extrinsecè ex ipsa artis directione.

608. Objic. 10. Per nos, vt aliqua definitio dicatur directa á logica solum requiritur, quod repręsentet suum obiectum per genus proximum, & differen-

ferentiam vltimam, ergo casu, quo aliqua definitio ita obiectum repræsentaret, & poneretur in intellectu in eodem instanti reali, vel concomitanter, vel pro posteriori regula logicalis talis, definitio diceretur directa, vel si non diceretur: ergo esse directam aliquid aliud addit prater coexistentiam definitionis, & regulæ.

609. Resp. Non sufficere, vt actus dicatur directus á logica, quod repræsentet obiectum v. g. definitio per genus, & differentiam, sed vlterius requiri regulam dirigentem, sic vidimus iuxta Sanctum Augustinum, non sufficere armonicum Phylomelæ cantum, vt dicatur Musica, voces tamen hominum dulcisonæ, quia ex arte proveniunt, musicæ dicuntur. Cum autem ad hoc vt dicatur aliqua regula dirigens non sufficiat, quod se habeat tantum concomitanter, vel pro posteriori, sed necessatiò debeat pro priori se habere, vtpotè causa, inde est, quod in casu posito talis definitio directa non diceretur. Quid autem debeat superaddi regulæ secundum se, vt dicatur dirigens respectu operationis, tangit gravem difficultatem de influxu causę directivæ suo loco tractandam.

610. Objic. 11. Si rectitudo intrinseca esset, hęc definitio definionis *omnis definitio constat genere, & differentia*, se ipsam practicè respiceret; nam respicit practicé rectitudinem omnis definitionis, sed se ipsam practicè respicere nequit; ergo neque rectitudo est intrinseca. Respondeo, talem actum, si se respiciat, non esse practicum respectu sui ipsius; nequit enim, se ipsum dirigere, sed esse speculativum, vnde in se ipsum propriam rectitudinem non inducet, sed contemplatur.

611. Objic. 12. Obiectum formale scientię practicæ debet esse indifferens, vt bene, vel male fiat; sed rectitudo, & repræsentatio actus non est indifferens, vt rectè, vel irrectè fiat; actus enim, qui semel repræsentaverit obiectum per genus, & differentiam, aliter illud reprçsentare non potuit: Ergo.

612. Respondeo. Distinguo maiorem. Debet esse indifferens indifferentia subiecti ad formas: Nego indifferentia subiecti ad existendum, vel non existendum, concedo. Certum est, vt diximus de apprehensione, actum intellectus semel rectum non posse esse irrectum nec è contra; vnde tota indifferentia obiecti logicæ, quam logica determinat, est, vt ex actibus possibilibus rectis, & irrectis, recti eliciantur. Et hęc indifferentia subiecti ad existendum, vel non existendum, quam habet obiectum logicæ, & obiectum etiam artis saltatricis v. g. quæ practica est, dirigens, vt saltus rectus potiús quam irrectus eliciatur, tantum requiritur in obiecto logicę. Indifferentiam subiecti ad formas respiciunt artes factivę, quę supponunt suam materiam. Sic Fabrilis supponit lignum, & in illud formam Cathedræ introducit, &c. De hoc iam supra.

613. Objic. 13. Coexistentia triũ propositionum est rectitudo intenta á logica in syllogismo, sed hæc coexistentia, & compositio est omnino extrinseca actibus, quibus accidentale est componere, & coexistere: Ergo rectitudo intenta á logica est adæquatè extrinseca. Respondeo. Distinguo maiorem. Sola coexistentia, Nego; & simul representatio earum propositionum, concedo. Syllogismo, seu toti actui non est extrinseca coexistentia, cum in ea consistat. Cuilibet propositioni est partim intrinseca, & partim extrinseca; nam coexistentia componitur ex propria existentia, quæ est intrinseca cuique propositioni, & ex existentia alterius, quæ etiam cuique propositioni est extrinseca. Vide secundam nostram conclusionem.

614. Objic. 14. Quod propositio sit maior, vel minor in syllogismo est rectitudo intenta â logica, sed esse maiorem, vel minorem, est quid adæquatè extrinsecum propositioni; eadem enim propositio iam est maior in vno, iam est minor in alio syllogismo: ergo cum logica hanc rectitudinem intendat, rectitudo ab ea intenta erit aliquando actibus extrinseca adæquatè.

615. Respondere posset aliquis negando maiorem. Nam vel syllogismus est simplex qualitas, & non datur triplex actus, vel tres illæ propositiones producuntur simul ab intellectu, quin detur ratio, cur potius vna, quã alia dicatur maior, vel minor, vel si successivè producãtur propositiones, esse maiorẽ, vel minorem, esse quamdam extrinsecam denominationem, idem enim erit, propositionem esse *maiorem*, ac esse *priorem tempore*, & esse *minorem*, ac esse *posteriorem*, sicut vnus homo senior altero dicitur, eo quod prius fuerit natus, & dextrum, vel sinistrum ex positione accidentali ad hoc, vel illud latus: si vero simul existant in intellectu, *illa* propositio dicetur maior, quæ fuerit similis propositioni, quæ primo profertur vocibus, & illa minor, quę fuerit similis illi, quæ secundo loco profertur. Vnde logica non curat, propositionem esse *maiorem*, vel *minorem*, sed solum esse præmissam, hoc est, repræsentare identitatem vnius extremi cum medio.

616. Resp. Transeat maior, & nego minorem. Illa enim propositio dicitur maior in syllogismo, quę reprçsentaverit identitatem medij cum meiore extremitate, maior autem extremitas appellatur illa, quæ fuerit prædicatum in conclusione. Illa vero propositio dicitur minor, quæ reprçsentaverit identitatem medij cum minori extremitate; minor vero extremitas appellatur subiectum conclusionis; vnde sive primo, sive secundo loco collocetur propositio, semper eadem præmissa manet maior, vel minor: sic ergo figura Galeni est solum accidentalis. Ast verò cum vltra hanc repræsentationem *esse maiorem* includat coniunctionem cum alia propositione, quę sit minor, & è contra, & hoc in ipsis propositionibus sit accidentale, esse *minorem*, vel *minorem* est partim intrinsecum, & partim extrinsecum ipsis actibus.

617. Objic. 15. Conformitas cum obiecto separabilis est à conformitate cum regulis: ergo conformitas cum regulis, seu rectitudo intenta á logica consistit in conformitate actus cum obiecto. Probatur antecedens. Hic syllogismus *Omnis homo est lapis, sed Petrus est homo: ergo Petrus est lapis* est conformis cum regulis, habet que rectitudinem intentam á logica regulis logicæ, & tamen non est conformis cum obiecto: ergo.

618. Vrgetur. Conformitas actus cum obiecto est veritas actus, sed veritas actus non est obiectum logicę, sed animasticæ, ergo.

619. Potest aliquis respondere, distinguo antecedens. Conformitas cum obiecto separabilis est à conformitate cum regulis, conformitas animastica, seu propositionis in esse veræ, concedo; conformitas logica, seu propositionis, in esse modi sciendi, nego. Conformitas logica, seu in esse modi sciendi simul stat in repræsentatione obiecti identitatis scilicet extremorum cum medio in præmisis, & inter se in conclusione; quin logica curet, sit ne obiectum á parte rei, vti repræsentatur ab actu. Sic frequenter Aristoteles apponit exempla formæ syllogisticę in materia falsa literis nempe omne *A est B. Sed omne C est A: ergo omne C est B.* Unde aliud est, actũ esse rectum logicè, & aliud esse verum. Esse rectũ logicè cõsistit in tali reprçsẽtatione obiecti, sive vera, sive falsa, & actui tam intrinseca est repræsen-

sentatio vera, quam repræsentatio falsa: Esse verum consistit in conformitate, & repræsentatione obiecti sicuti est in se.

620. Respondeo tamen, talem syllogismum solùm esse apparenter conformem regulis logicæ, non verò propriè, & verè, cum non repræsentet verá identitatẽ extremorũ cum medio quocum maior extremitas, nempe lapis non identificatur. Eamdem ob rationem hæc definitio *homo est animal hinnibile* non esset conformis regulis logicæ, cum non constaret propria hominis differentia. Cúm autem Aristoteles exemplum apponit formæ syllogisticæ in materia falsa loquitur ex suppositione, quod scilicet *C.* & *B.* essent idem cum *A*, ex quo in tali syllogismo evidenter infertur esse idem inter se. Sic si lapis, & Petrus essent idem cum homine essent idem inter se. Vnde ex defectu materię forma illa solum apparenter concludit, & paralogicè conformatur regulis; ex quo solúm deducitur; logicam expectare materiam, quod concedere non renuo, saltem secundariò, & per se, vt definibilem, divisibilem, &c.

621. Ad vrgentiam dic; actum verum, & veritatem á logica attingi, sed non vt verum, sed vt dirigibilem, & veritatem, non vt veritatem, sed vt dirigibilem in modum sciendi, vt verum tamen ad animasticam spectare.

SECTIO IV.

QVOD SIT OBIEGTVM ATTRIButionis logica?

622. ITa variè discurrunt in hac quęstione *Doctores*, vt Pater Comptonus asserat; nullibi in stadio phylosophico maiorem esse libertatem, seque septemdecim in hac re vidisse placita. Novendecim vindit Linceus, vide illa apud eosdem, & Oviedum impugnata. Ego brebitati consulens, meum aperiam, sed ante

623. Nota. Aliquas conditiones ad obiectum attributionis à *Doctoribus* requiri. Prima sit, obiectum attributionis debere esse vnum ex obiectis partialibus scientiæ. Vnde male Scotista Pontius, & Thomista Linc. obiectum adæquatum illud appellant. Secunda, quod inter obiecta partialia sit nobilius obiectum. Hanc vniversaliter non admitto. Primo: quia Deus est obiectum partiale Philosophiæ, vt prima causa, & absque dubio nobilius, & tamen non est obiectum attributionis illius. Secundo, quia cum hæc ordinatio, vt postea videbimus, dependeat ab inventoris arbitrio, & non ab intrinseca ordinatione obiectorum potest inventor ex propria sua intentione obiectum magis perfectum ad minûs perfectum ordinare.

624. Tertia conditio, quod omnia obiecta attributa ordinentur ad obiectum attributionis, ipsum tamen ad obiecta attributa non ordinetur. *D*issidium tamen est, vtrum hęc ordinatio debeat esse intrinseca obiectis attributis, an solum extrinseca? Pater Arriaga, Quiros, Linceus, & Peynado tenent, debere esse intrinsecam. Communiter esse extrinsecam, á Modernis asseritur, ita PP. Leon. Ripal. Olea. & Maza d. 2. log. S. 8. n. 6. His assentior.

625. Dico 1. Obiecta attributa non debent intrinsecè, & ex natura sua ad obiectum attributionis ordinari, sed sufficit, quod extrinsecè solum à voluntate inventoris scientiæ ordinentur. Qua propter, si ad illud debeant omnia obiecta attributa intrinsecè ordinari, logica nullum obiectum attributionis habebit.

626. Probatur. Si definitio, Divisio,

sio, apprehensio, &c. ordinarentur ex fine intrinseco scientiæ ad demonstrationem, vel ad aliud quod vis obiectum, regulæ definitionis, divisionis apprehensionis, &c. attingerent ipsam demonstrationem, omnis enim actus ordinans vnum ad aliud, vnum, & aliud debet attingere, sed non ordinantur regulę: ergo neque ordinantur actus ex fine intrinseco scientię. Maior est certa. Minor probatur. Hæc est pręcipua definitionis regula *Definitio constat genere, & differentia*: Hæc divisionis: *totum in partes debet distribui.* Hæc apprehensionis. *Si vis genus efformare, apprehende rationem communem pluribus differentibus specie*, sed hæ omnes, vt ex ipsis cõstat, nullatenus attingunt demonstrationem, sed prima solum definitionem, secunda solum divisionem, tertia solúm genus, &c. ergo.

627. Nec ipsa obiecta ex se ordinantur intrinsecè. Nam apprehensio incomplexa solum est vnius termini cognitio. Complexa cognitio duorum. Iudicium actus cum affirmatione, vel negatione, definitio modus sciendi, nempé genus, & differentiam repræsentans; divisio actus totum in partes dissecans. Syllogismus modus sciendi in quo quibusdam positis, aliud tertium sequi, necessè est, sed in his omnibus nec Verbum significans ordinem ad aliud reperitur. Ergo nec ipsa obiecta regularum logicæ ex se ordinantur intrinsecè.

628. Probatur secundò. Ideo apprehensio, definitio, divisio, &c. dicerentur intrinsecè ordinari ad demonstrationem, quia apprehensio, definitio, divisio, &c. deserviunt ad perfectam demonstrationis cognitionem; sed hoc nõ arguit, tales actus intrinsecè ordinari ad demonstrationem taliter, vt distinguantur in ratione obiecti ab obiecto attributionis; ergo. Probatur minor Primò, quia hoc solum arguit, vel indigentiam demonstrationis, vel necessitatem intellectus, vt á parvis ad magna ascendat, non ordinationem intrinsecam actuum. Secundò, quia etiam demonstratio sæpè deservit ad perfectam cognitionem definitionis, divisionis, &c. vt per se patet. Omnia enim obiecta logicę sibi invicem deserviunt, vt ex notitia vnius alterum melius percipiatur: ergo.

629. Hinc infero, quod cum omnes actus logici habeant ordinabilitatem in actu primo mutuam, hoc est, capacitatem, vt ordinentur ad invicem, hanc ordinabilitatem, non posse esse distinctivum obiecti attributi ab obiecto attributionis. Item cum nullus actus habeat ex se, aut ex fine intrinseco scientiæ ordinationem intrinsecam in actu secundo, ex se nullum esse obiectum attributionis, aut attributũ. Cũ autem nulla scientia careat attributionis obiecto, & hoc debeat esse vnũ ex partialibus, & obiecta partialia logicæ sint, vel *definitio*, vel *divissio*, vel *argumentatio*, vel *demonstratio*, infertur, vnũ ex his esse attributionis obiectum, quale autem sit? Colligendum est ex mente authoris logicę, Aristotelis nempe, cui sicut liberum fuit, hos vel illos actus coniungere ad vnam logicam constituendam; poterat enim alios admittere, vel hos excludere, ita liberum fuit, vel alium finem habere, ac proinde ad hoc, vel aliud obiectum pro suo libito in actu secundo ordinare actus.

630. Quidam ingeniosus Magister, quem postea plures alij, ne dicam omnes, qui post eum conscripsere, sequuti sunt, tenet; ita incertam esse mentem Aristotelis in hoc puncto, vt nullum posit logicæ obiectum attributionis assignari, sed hoc certè non est solvere, sed fugere difficultatem, materiam indeterminatam relinquere, & quæstionem irresolutam manere.

631. Dico secundò. Demonstra-

tio est obiectum attributionis logicæ. Ita Patres, Hurtadus, Arriaga, Peñafiel. Pein. tract. 1. proœmial. disp. 2. sect. 4. § 1. n. 68. apud quem Acutissimus Doctor 1. part. disp. 14. cap. 1. Probatur. Aristoteles cap. 1. Elencorum ait, *se egisse de demonstratione*. Et primò priorum, cap. 1. tex. 1. ait, *dicere oportet circa quod, & cuiusnam sit hæc consideratio* (loquitur de logica) *atque est circa demonstrationem, & est de scientia demonstrandi.* Ex his locis clarè constat. Aristotelem in logica intendisse non definitionem, non divisionem, sed demonstrationem; ergo signum est, quod demonstratio est finis ab eo intentus in logica.

632. Confirmatur primò. Theologia dicitur scientia de Deo, quia licet agat de gratia, peccatis, Beatitudine, virtutibus, &c. de Deo agit vt de obiecto attributionis, & de alijs rebus, vt de obiectis attributis: ergo cum logica dicatur ab Aristotele *scientia demonstrandi*, ideo est, quia licet agat de definitione, divisione, &c. de his agit, vt de obiectis attributis, & de demonstratione, vt de obiecto attributionis.

633. Confirmatur secundò. Ex ipso titulo, sive vtilitate, pro qua ab authoribus scientiarum, inventæ sunt scientiæ, colligimus finem, & obiectum attributionis illis præfixum, vt patet in Theologia, Phylosophia, &c. ergo cum vtilitas inventionis logicæ sit iuxta ipsum Phylosophum, & Sanctum Thomam alijs scientijs prævere instrumenta sciendi, & ex instrumentis sciendi perfectius, & efficatius sit demonstratio, probabiliter inferimus, hunc fuisse finem ab Aristotele intentum in logica, cum aliunde ex ipsius authoritatibus hoc non obscure dignoscatur: ergo & obiectum attributionis illius.

634. Objic. 1. Aristotelem varie á Doctoribus interpraetari pro se: ergo mens eius omnia dubia est.

635. Respondeo. Me non defendere mentem Aristotelis esse expressam, & evidentem, sed eam esse pro demonstratione, coniectari probabiliter ex Verbis, & congruentijs iam allatis. Et certè eam esse mentem Aristotelis, debemus censere, eamque probabiliorem interpretationem, pro qua maior, graviorque pars eius interpretum, & discipulorum steterit, sed pro demonstratione stat maior, graviorque pars Doctorum Aristotelis interpretum, vt videre est in nostra probatione, & apud Linzeum, ex quo ex novendecim sententijs, quas affert, nulla est magis authorata, quam nostra ergo.

636. Replicas. Plures Doctores sunt, qui negent hanc nostram interpretationem pro octo decim alijs sententijs stantes, quam qui illam affirment: Ergo nostra interpretatio probabilior non est. Respondeo. Plures esse, qui negent, hanc nostram sententiam, quam qui eam affirment, sed plures sunt qui eam affirmant, quam qui affirment alias interpretationes. Non enim est comparanda nostra interpretatio cum omnibus simul sumptis, sed cum omnibus seorsim sumptis, sed pro nostra plures sunt, quam pro reliquis seorsim sumptis: Ergo nostra probabilior est omnibus.

637. Objic. 2. Ex locis citatis prome solum inferri ex primo, Aristotelem egisse de demonstratione. Et ex secundò actuarum de ea, sicut poterat, vel egisse, vel agere de definitione, non vero egisse, vel acturum de omnibus in ordine ad demonstrationem: Ergo ex eis authoritatibus non infertur demonstrationem esse obiectum attributionis, sed tantum obiectum.

638. Respondeo in vtraque loco tam in libris Elencorum, quam in libris Priorum de pluribus præter demonstrationem agere Aristotelem, plura que habere vt obiecta materialia, & tamen ait, illic se egisse de demonstratione, quin de alijs mentionē faciat: ergo aliter agit de demōstratione, quā de alijs obiectis: ergo si de alijs agit, vt de obiectis materialibus, de demōstratione agit, vt de obiecto principaliori, seu attributionis. In super vlterius ait, logicā, seu cōsiderationem logicæ esse scientiam de demonstratione: Ergo.

639. Objic. 3. Nequit consequi perfectè demonstratio, quin præcedant regulæ logicales definitionis, ergo, hæc, sicut, & definitio, intrinsecè ordinantur ad demonstrationem. Probatur antecedens. Si demonstratio est *propter quid*, seu *à priori* debet præcedere definitio essentialis, si demonstratio sit á posteriori debere præcedere definitio descriptiva effectuum, & proprietatum. Probatur consequentia. Ideo dispositiones ordinantur intrinsecè ad generationem & introductionem formæ, quia hæc nequit dari, sine dispositionibus; ideo apprehensione intrinsecè ordinantur ad iudicium, quia nequit dari iudicium sine apprehensionibus: Ergo si demonstratio nequit dari sine definitione, & eius regulis, hæc & illa intrinsecè ordinantur ad demonstrationem.

640. Respondeo. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Hoc solum arguit; demonstrationem, & regulas demonstrationis egere definitione, & regulis definitionis, non vero hanc, & illas ordinari ad demonstrationem, cum possint subsistere regulæ definitionis, & definitio perfecta, quin vllo modo existat demonstratio, nam definitio est ens completum per se existens, & regulæ definitionis non respiciunt intrinsecè demonstrationem, sed definitionem tantum. Vnde ad exemplum de dispositionibus dico; verum esse, dispositiones ordinari intrinsecè ad generationem; quia non habent aliud esse, præter ordinari ad generationem. Causalis vero est falsa, scilicet ideo dispositiones ordinari intrinsecè ad generationem, quia generatio nequit esse sine dispositionibus, ideo. Concede propositionem, & nega causalem.

541. In apprehensionibus verò nego, & causalem, & propositionem, quia apprehensiones non ita ordinantur ad propositionem, vt nullum esse habeant nisi ordinari. Apprehensio enim generis v. g. in se habet hoc, quod est esse repræsentationem vnius naturæ, non cognitis differentijs, capacis que vt prædicetur de pluribus differentibus specie. Vnde etiam si nulla daretur propositio, maneret in suo esse apprehensio, licet propositio sine apprehensionibus non maneret, cum illas prærequirat iuxta illud *nil iudicatum, quin apprehensum*. Ideo hoc solum modo vocantur apprehensiones præviæ ad iudicium dispositiones, hoc est, prærequisitum exactum á iudicio, non tamen, requisitum ab apprehensionibus, ad modum, quo gratia, & actus supernaturales exigunt naturam humanam, hæc autem, nec gratiam, nec actus supernaturales exigit, vel sicut acervus lapidum petit essentialiter lapidem, ex quo componitur, lapis vero non petit essentialiter acervum.

642. Objic. 4. Pars ex natura sua ordinatur ad totū, sed omnia, quæ tractantur in logica sunt partes demonstrationis: ergo ex natura sua ordinantur ad demonstrationem. Hinc inferes regulas definitionis divisionis, &c. etiam ad demonstrationem ordinari hoc modo, cognitio partis ordinatur ad cognitionem totius: ergo cognitio, seu regula definitionis ad cognitionem, seu regulam demonstrationis. Probatur antecedens, quia sicut se habent res in esse, se habent in cognosci.

643. Respondeo. *Distinguo* antecedens. Pars per se, transeat: Pars per accidens: nega. Dico *transeat* loquendo de parte per se, quia licet certū sit, partem per se ordinari intrinsecè ex natura

ra sua constitutivè ad totum, non verò inde infertur, attributivè ordinari similiter ad totum, tamquam ad obiectum attributionis scientiæ; hoc enim non est munus naturę, sed voluntatis liberè instituentis scientiam, quæ prolibito suo potest ordinare totum ad cognitionem partis, cum ad hoc deservire possit. Sic anima, quæ est pars viventis in ordine ad vivens definiri solet, ita vt totum iam deserviat ad cognitionem partis. *Dixi partem totius per accidens*, non ordinari per se ad totum, quia pars totius per accidens est totum per se, vnde non exigit constituere, licet constituere non repugnet, sic homo non ordinatur tamquam ad finem vltimum ad exercitum, quem componit, neque Petrus ad numerum binarium, quem constituit, quia exercitus, & numerus binarius sunt totum per accidens, sed demonstratio etiam est totum per accidens: ergo licet illam componat definitio, hęc tamen intrinsecè non exiget demonstrationem.

644. Item deductio argumenti est falsissima; non enim cognitiones in omnibus imitantur obiecta. Sic cognitio Dei non est Deus, cognitio substantiæ non est substantia, cognitio infiniti non est infinita: ergo neque cognitio rei ordinatæ ad totum, ad totum ordinabitur. Verum solum est, quód sicut res se habent in esse, ita se habent in cognosci obiectivè, non formaliter. Hoc est si cognitio sit rei spiritualis rem spiritualem, si cognitio sit rei materialis, rem materialem repræsentabit.

645. Replicas. Lapides artefacti, & perpoliti ordinãtur ad domum; ergo & actus intellectus v.g. artificio definitionis perpolitus in demonstrationem ordinabitur.

646. Respondeò. Admitto antecedens, & nego consequentam; quia lapidibus inducta perpolitio est extrinseca solum ea intentione, vt domum cõstituant; at vero artificium definitionis est ipsamet definitionis intrinseca repræsentatio, quæ comparanda est cum lapide secundum se, qui nullo modo habet hanc ordinationem intrinsecam ad constitutionem domus, sed non repugnantiam, induunt tamen illam ordinationem ratione politionis, & ordinationis extrinsecè. Sic definitio ex ordinatione extrinseca Aristotelis respicit demonstrationem, vt finem.

647. Objic. 5. Si á voluntate inventoris dependeret, quod hoc obiectum præ alio esset attributionis, aut attributum, quælibet res prolibito posset institui in obiectum attributionis facultatum, hoc dici nequit, aliâs pecunia posset dici logicæ, vel Medicinæ attributionis obiectum, si ad illam adquirendam ordinarentur à Medico, & logico.

648. Respondeo, distinguendo duplicẽ finẽ, vnũ, qui sine vlla intrinseca conducibilitate potest haberi solum ex voluntate agentis, & alium, qui haberi potest ex intrinseca conducibilitate medij; v.g. adquisitio dignitatum, divitiarum, & honorum sæpe est finis, adquen homines scientias ordinant absque vlla conducibilitate intrinseca, & speciali scientiarum. Hic enim finis pro libito cuiuscumque scientis variari potest. Alium vero, qui cum aliqua intrinseca conducibilitate haberi potest, v.g. demonstratio respectu definitionis, vel definitio respectu demonstrationis. Ad finem, qui se habet vt obiectum attributionis scientiæ, debent habere aliquam specialem conducibilitatem in actu primo obiecta attributa. Ideo que diximus, obiectum attributionis alicuius scientiæ debere esse vnum ex obiectis partialibus illius; quia obiecta partialia alicuius scientiæ inter se habent aliquam conducibilitatem, supposita autem hac intrinseca conducibilitate in actu primo, in qua æqualiter se habent, & definitio respectu demonstrationis, & demonstratio respectu definitionis, quod in actu secundo ordinetur potius definitio ad demonstrationem, quam demonstratio ad definitionem, dependet á libera Aristotelis determinatione. Ex quo inferes pecuniam neque esse, nec posse esse obiectum attributionis logicæ, Medicinæ, &c. Tum quia cognitiones definitionis, divisionis, &c. nullam intrinsecam conducibilitatem habent ad pecuniam. Tum quia obiectum attributionis debet esse obiectum materiale scientiæ, & pecunia non est obiectum materiale logicæ.

649. Replicas 1. Ergo eadem logica á diversis inventa poterit habere distincta attributionis obiecta pro cuiusque inventoris libito. Respondeo concedo totum. Instas primo. Ergo non erit eadem logica, cum mutetur ipsius obiectum. Respondeo. Nego consequentiam, solúm enim ex mutatione vel obiecti materialis, vel formalis mutatur scientia, non ex mutatione obiecti attributionis, nam hæc est pura denominatio á voluntate authoris desumpta, quæ non attingitur â scientia, hæc enim non attingit obiectum attributionis vt obiectum attributionis, vnde illa denominatione immutata, nec mutatur intrinsecè obiectum scientię, neque ipsa scientia.

650. Instans 2. Ergo plures scientiæ possunt habere vnum, & idem attributionis obiectum, cum hoc sit arbitrarium. Respondeo. *Distinguo* consequens vnum, & idem sub eadem ratione formali, nego: Sub diversa, transeat. Nam cum á ratione formali, & modo attingendi obiecta materialia scientię diversificentur, nequeunt esse scientiæ diversæ, si illa sit eadem, sub diversa tamen ratione formali nullum reperio inconveniens, in eo quod duæ, plures ve facultates idem habeant obiectum attributionis.

651. Replicas 2. Si per definitionem declararem essentiam demonstrationis absque voluntate inventoris scientię, etiam in actu secundo ordinaretur definitio ad demonstrationem: Ergo ad ordinationem in actu secundo non requiritur voluntas inventoris. Respondeo. Distinguo antecedens. Ordinaretur in actu secundo, ita vt possit etiam demonstratio ordinari ad definitionem, concedo: Aliter, nego. Cum dari possit hæc mutua ordinatio inter definitionem, & demonstrationem, casu quo demonstratio explicaretur per definitionem, & definitio per demonstrationem, hoc non est sufficiens ad determinandum vnum potiús quam aliud in obiectum attributionis. Vnde ad hoc vltra requiritur voluntas instituentis.

652. Obijc. 6. Ex Patre Quiros, qui varijs exemplis intendit, quod sicut intrinsecè ordinantur præmissæ ad conclusionem, ita obiecta attributa scientiarum ad obiectum attributionis ordinari debere: Primum, licet cuilibet pręmissæ secundum se non sit intrinsecum inducere determinatam conclusionem, at simul cum alia independenter ab hominum arbitrio determinatam infert conclusionem: Ergo licet cuilibet actui logicæ non sit intrinsecum respicere vnum obiectum attributionis, omnibus tamen simul sumptis erit intrinsecum. Secundum. Licet varij eventus vnius historię secundum se non ordinentur ad vnum finem, v. g. varij eventus Iulij Cæsaris; at omnes simul sumpti ad Iulium Cæsarem, vt obiectum attributionis ordinantur.

653. Tertium. licet vnus, vel alter paries non ordinetur ad domum, at collectio parietum, fenestrarum, &c. ad domum, & non ad turrim ordinantur. Quartum, quia plures quęstiones inveniuntur de novo in logica, sed omnes ordinantur ad idem obiectum attributionis,

tionis, quin intercedat voluntas Aristotelis ordinantis: Ergo independenter ab ea; datur attributionis obiectum.

654. Respondeo. Nego assumptum, Ad primum exemplum assigna disparitatem; pręmissæ, cum repræsentent identitatem extremorum cum tertiò, virtualiter continent identitatem extremorum inter se, vnde ad hanc determinant intellectum. Insuper solum possunt inferre identitatem eorum extremorum inter se, quorum identitatem cum tertio repræsentant, cum ergo determinatam identitatem extremorũ cum tertio repræsentent, determinatam identitatem extremorum inter se etiam repræsentant, ad quam & ipsæ sunt determinatę, & determinant intellectum; at vero neque regulæ definitionis, neque definitio continent virtualiter aliud obiectum pręter definitionem, neque ita determinatæ. Sunt, vt determinent ad demonstrationem, vt eis positis nequeat intellectus, vel non elicere demonstrationem, vel elicere definitionem, si velit.

655. Ad secundum exemplum dic, eventus varios eiusdem subiecti v.g. Iulij Cæsaris conglobari non esse indiferentes, vt aliud obiectum v.g. Augustum vt obiectum attributionis respiciant, nam gesta militum, & ducum iuxta prudentum existimationem Principi sub cuius ditione sunt tribuuntur. At vero omnes actus logici etiam collectivè sumpti nullum vt principem, cui deserviant, & sub cuius ditione sint, conspiciunt, sed indiscriminatim possunt ad invicem sibi ipsis servire. Vt autem demonstrationi potius, quam alteri, faces submitant, egent extrinseco determinativo, voluntate nempe invẽtoris, & hæc etiam est disparitas ad tertium exemplum Parietes enim, fenestrę, pavimenta, &c. ita domum constituunt, vt nequeant turrim constituere, at actus logici ex se indifferentes se habent, vt ad invicem se respiciat.

656. Ad quartum respondetur; quæstiones de novo inventas, si continentur virtualiter in primò inventis, cum nitantur eisdem principijs, & sunt in eadem materia; implicite, & virtualiter etiam determinari ab inventoris voluntate, si verò non continentur, non constituent scientiam, sed erunt quasi intrusæ, & incertæ.

657. Objic. 7. Obiectum attributionis est arbitrarium? Ergo & obiectũ formale *quod*. Resp. Nego consequentiam. Quia obiectum formale, *quod* propriè attingitur ab actu, vnde intrinsece, & essentialiter specificat illũ, neque actus respiciens rectitudinem definitionis potest, nec potuit rectitudinem definitionis non respicere; aut aliam rectitudinem, respicere. At vero idem actus eademque definitio potest esse obiectum attributum, iam divisionis, iam demonstrationis prolibito inventoris, cum, vt iam dixi, hę denominationes obiecti attributi; & attributionis, non conspiciantur ab actibus, sed illis extrinsecè adveniant.

658. Objic. 8. Specialiter contra secundam conclusionem. Demonstratio nequit esse obiectum materiale logicæ: ergo neque obiectum attributionis adhuc ex voluntate inventoris. Probatur antecedens. Quod addit demonstratio supra syllogismum vt talẽ, est materia necessaria; sed hanc non respicit logica: ergo neque demonstrationem, vt talem. Confirmatur. Logica analitica, & topica solum diriguntur penes materiam, sed hanc non respicit logica, & solũ curat definitione æquali in materia probabili, & necessaria: ergo syllogismus pręscindens ab vtraque materia erit obiectum attributionis, non verò demonstrativus.

659. Respondeo falsum esse; logicam non respicere materiam per se, nam licet eam non respiciat in particulari,

lari, & secundum se, attamen inconfuso prout definibilem, &c. eam respicit. Quo funditus argumentum ruit.

660. Objic. 9. Syllogismus probabilis adhuc nec in actu primo conducit ad demonstrationem: ergo hæc nequit esse obiectum attributionis totius logicæ. Resp. Negando antecedens. Potest enim conducere ad demonstrationem primò, quia cum eadem sit forma in syllogismo probabili, ac in demonstratione ex cognitione formæ in materia probabili facilitatur intellectus ad cognitionem, & directionem formę in materia evidenti. Secundò, quia cognitio vnius contrarij maximè conducit ad alterius contrarij cognitionem: ergo & cognitio syllogismi probabilis aliquo modo syllogismo demonstrativo contrarij potest ad cognitionem syllogismi evidentis deservire.

661. Objic. 10. Ergo sola conclusio erit obiectum attributionis logicæ, cum ad eam omnia quæ tractantur in logica, & etiam ipsæ præmissæ ordinentur. Respondeo. Nego consequentiam, nam licet conclusio sit vltima pars demonstrationis non est tota demonstratio, quæ consurgit etiam expręmisis, & ex Aristotele constat, totam demonstrationem esse attributionis obiectum.

662. Replicas ex opposito cum Comptono: Ergo solæ præmissæ absque conclusione erit attributionis obiectum; tum, quia in eis consistit totum demonstrationis artificium, tum quia conclusio necessario infertur expræmissis: ergo non dirigitur á logica. Resp. Nego consequentiam. Tum quia falsum est, in solis præmissis consistere totum demonstrationis artificium. Tum quia etiam si necessariò posito medio efficaci consequatur finis, non infertur, finem non intendi, & dirigi. Sic natura primariò formę introductionem intendit, licet hæc ad vltimam dispositionem necessariò sequatur: ergo etiam si positis præmissis, necessariò inferatur conclusio, hæc primariò intendi, dirigi que poterit á logica.

663. Objic. 11. Obiectum attributionis scientiæ practicæ debet esse operabile; sed demonstratio vt sic non est operabilis á logica: ergo. Respondeo distinguo minorem; non est operabilis; prout est ratio communis abstracta, concedo; quasi inconfuso nego; Cum dicitur, demonstrationem in cõmuni esse obiectum attributionis logicę, non loquitur de aliqua ratione abstracta, sed de omnibus demõstrationibus confusè cognitis sub nomine demonstrationis.

664. Ad omnia argumenta, quibus Comptonus probat, definitionem esse obiectum attributionis logicæ, eo quod sit perfectior modus sciendi; in super ad ea, quibus Quiros probat, esse integram scientiam. Item ad ea, quibus Spinula probat, esse syllogismum, provt præscindit á probabili, & demõstrativo: Deniq; ad ea, quibus Linceus, esse veritatẽ, probat; respõd. vniversaliter, quod ad huc concesso, quod omnia ea capacitatem habeant in actu primo, vt sint obiectum attributionis; vt actẽ de facto, & in actu secundo ita sint, dependet á voluntate inventoris, hanc pro demonstratione stare, & non pro definitione, veritate, syllogismo, &c. satis constat ex nostris probationibus.

(o)

(o)

DISPUTATIO III.

DE INFLVXV, ET NECESSITATE logicæ.

SECTIO I.

DE INFLVXV LOGICÆ ERGA actus tam proprios, quam aliarum scientiarum.

665. NOta primò. Tam in proprijs actibus, quam in actibus aliarum scientiarum relucere quoddam artificium logicale definitionis, diuisionis, argumentationis, &c. Quæritur nunc quemnam influxum habeat logica erga tales actus artificiosos directiuum, an effectiuvm: &c.

666. Nota secundo: Modum directiuè concurrendi distingui á modo concurrendi effectiuè in eo, quod dirigens regulas tantum præscribat, & modum, quo res debet fieri, illuminando intellectum, & quasi lucem præferendo, vt res fiat; efficiens vero, physicè producit, & efficit. Exemplo res clarescet. Dupliciter potest Magister concurrere ad imaginem quam Discipulus, v. g. pingit. Primò verbis tantum illi explicando modum, quo depingere debet. Secundo Discipuli manu apprehensa simul cum ipso colores, & penisillum movendo. Primus modus concurrendi dicitur directiuus, secundus effectiuus.

667. Logicam effectiuê concurrere, tenent Baconius, Rubi. q. 3. & alij apud Hurtadum. Logicam solum directiuè concurrere, tenet fere omnium sententia quam amplectitur N. Olea. d. 59. num. 2. Ego cum distinctione loquar.

668. Dico 1. Logica actualis solum directivé concurrit tam ad proprios, quam ad actus aliarum scientiarum. Probatur primo. Non est vlla necessitas concedendi physicum influxum logicę actuali, cum sufficiat illi directivus: Ergo solum directivè concurrit. Probatur antecedens. Neque ex parte causæ, neque ex parte effectus requiritur physicus influxus logicæ. Non ex parte causæ, nam cum hæc sit intellectus, intellectus cum specie impressa est causa sufficiens, & completa effectivè cuiusque actus. Etiam ante logicæ adquisitionem potest intellectus actus scientificos efficere: Ergo supponitur completus in esse causæ: Ergo nō requiritur ex parte causæ alia concausa in linea efficientis.

969. Non requiritur ex parte effectus. Nam ex parte effectus solum requiritur logica ad hoc, vt actus qui ante eam, eliceretur dificulter, & cum periculo erroris, eliciatur secure, & sine erroris periculo, sed vt actus ita eliciatur, non requiritur physicus influxus affectivus logicæ, sed sufficit illuminativus dictans, qualis sit rectus, qualis vero irrectus modus sciendi, vt hoc vitato efformetur ille: Ergo.

670. Explicatur conclusio. Si aliquis haberet in arca nummos aureos, & argenteos deauratos, & aliàs ipse sufficienter non discerneret, quales essent re ipsa aurei, quales verò deaurati, vt educeret aureos præ deauratis, nō requireretur, quod alius simul eos physicè ex arca manu propria educeret, sed sufficeret ad eos educendos, quod ipse de vnius cuiusque differentia satis instrueretur. Similiter in statu possibili sunt plures auræ, & rectę definitionis, pluresque deauratæ apparenter scilicet bonæ, irrectæ tamen: vt ergo intellectus eliciat rectas, vitet, que irrectas logica inventa est: Ergo necessum non est, quod logica simul cum intellectu illas effectivè eliciat, sed tantum quod proponat illi quales sunt rectæ, qualesve irrectę, illum dirigendo, & illuminando.

671. Confirmatur. Ideo cognitio solum concurrit directive ad actus voluntatis iuxta fere omnium Doctorum sententiam; Scientia simplicis intelligentiæ solum directivè ad productionem possibilium iuxta Sanctum Thomam, 1. p. q. 25. art. 1. & reliqui artes solum directivè ad suos effectus v. g. ars domifactoria ad domum: ars ferraria ad clavem, & ars lignaria ad fenestram, quia cognitio concurrit proponendo voluntati obiectum amandum: scientia simplicis intelligentiæ proponendo Omnipotentię creaturas factibiles: & artes proponendo modum, quo faciendę sunt clavis, domus, & fenestra. Sed logica solum concurrit proponendo intellectui modum, quo facienda sit recta definitio, divisio, & argumentatio: ergo solum directivê concurrit.

672. Dico secundò. Logica habitualis, nec directivè, nec effectivè concurrit ad actus aliarum scientiarum. Probatur quoad primam partem. Solum concurrit directivè, quod potest instruere, & illum inare intellectum, sed logica habitualis nequit illum instruere, aut illuminare: ergo. Probatur minor. Logica habitualis est qualitas mortua, sed solum actus vitalis potest instruere, & illuminare: ergo logica habitualis nequit instruere, & illuminare intellectum.

673. Probatur quoad secundam partem. Logica habitualis est habitus adquisitus, & generatus ex repetitione regularum logicalium: ergo solum concurrit ad regulas logicales, sed actus aliarum scientiarum non sunt regulæ logicales: ergo ad eos effectivè non concurrit. Antecedens est certum. Probatur consequentia. Habitus solum concurrit ad actus omninò similes illis, á quibus fuit productus, & ratio est, quia habitus est velut semen ex actibus relictum, & sicut semem arborum arbores tantum producit, ita habitus regularum solas regulas producit: ergo.

674. Objic. 1. Contra primam conclusionem. Regula logicalis concurrit vt causa exemplaris ad suos effectus: ergo effectivè. Probatur consequentia. Causa exemplaris reducitur ab Aristotele ad efficientem: ergo. Resp. Transeat antecedens. Negatur enim ab aliquibus eo quod exemplar sit solum id, quod proponitur imitandum, vt vna imago ad aliam similem efformandam ob oculos pictoris exposita, quo modo tantum se haberet regula, quæ simul esset definitio v. g. & proponetur imitanda, sed admisso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem dico, quod si solum dicatur reductivé, non verò propriè, & formaliter causa efficiens logica actualis, non renuam illam reductivè efficientem, causamque exemplarem appellare.

675. Objic. 2. Ideo logica habitualis concurrit effectivè ad regulas, quia facilitat ad eas, sed etiam facilitat logica actualis ad actus proprios, & alienos: ergo. Confirmatur. Species impressa concurrit effectivè ad actus; ergo & logica actualis.

676. Resp. Distinguo maiorem, quia facilitat vt cumque, nego; quia facilitat per modum qualitatis mortuę, concedo. Tam concursus effectivus, quam directivus facilitat ad effectum, sed aliter, & aliter. Habitus, & species impressa facilitant per modum qualitatis mortuæ, cui præter effectivum nō est concedendus alius concursus; at verò logica habitualis concurrit facilitando

tando per modum regulæ, quę cum sit vitalis, capax est influxus directivi, & alius illi sine necessitate concedendus non est.

677. Objic. 3. Rectitudo actuum intellectus in modum sciendi est specialis formalitas relucens ex parte effectus, ergo petit speciale principium effectivum simile, cui correspondeat. Probatur consequentia á paritate visionis Beatę, inqua quia relucent formalitates supernalitatis, & vitilitatis requiritur ex parte principij lumen gloriæ simile, cui correspondeat supernaturalitas, & intellectus similis, cui vitalitas correspondeat: ergo si in definitione vltra vitalitatem, quę intellectui correspondet, datur rectitudo modi sciendi, vltra intellectum debet dari aliquod principium effectivum, cui correspondeat. Hoc non est aliud, nisi regula logicalis: ergo.

678. Retorque argumentum in effectu artis mecanicæ, quæ effective nō influit in effectum, & tamen in eo relucet specialis rectitudo. Insuper ex argumento sequitur; nullum posse dari actum scientificum sine effectivo influxu logicæ, cum in omni actu reluceat rectitudo modi sciendi, cui debet correspondere per vos principium simile, & non est aliud nisi regula logicalis.

679. Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens. Ergo petit speciale principium effectivum simile habens sufficientem similitudinem, vt illam formalitatem sub sua virtute cōtineat, concedo, Aliter, Nego. Intellectus enim ex se sufficientem similitudinem habet cum modo sciendi, ita vt non egeat alio comprincipio effectivo, nam similitudo, quæ requiritur, est, quod effectus contineatur sub virtute principij. Vnde ad visionem Beatam, idem est respectu cuiuscumque actus supernaturalis, ideo requiritur ex parte intellectus lumen gloriæ, quia visio Beata vtpotè supernaturalis non continetur suo virtute naturali intellectus, ideoque hic eget aliquo comprincipio supernaturali, nempe lumine ad effectus productionem. Cum verò intellectus ex se possit actus scientificos producere, & de facto ante logicam plures produxerit, ad virtutem efficiēter productivam complendam non requiritur logica actualis, sed solum ad illuminandum intellectum.

680. Objic. 4. Licet Magister aliquando dirigat tantum, aliquando simul cum Discipulo opus efformat: ergo & logica aliquando etiam actus efformat. Resp. Nego consequentiam. Nam primum ipsa experientia docet; secundum nec ratio, nec fundamentum, nec experientia dictat, sed potius contrarium teneri debet ob rationes nostræ conclusionis.

681. Objic. 5. Opera Artis fiunt ab Artifice, vt artifex est; sed vt artifex est dicit artem in recto, ergo & fiunt ab arte. Resp. Distinguo maiorem. Fiunt ab artifice, vt artifex est, ita vt ars concurrat solum directivè, concedo; aliter, nego.

682. Objic. 6. Cognitio ad amorem, & præmissæ ad conclusionem effectivé concurrunt, ergo & logica actualis ad actus. Resp. Nego antecedens, sed potius exemplo cognitionis, & præmissarum nostra conclusio roboratur. Et licet aliquale daretur fundamentū; vt cognitioni ad amorem, & pręmissis ad conclusionem concederetur concursus effectivus, nempe necessitas methaphysica cognitionis ad amorem, & præmissarum ad conclusionem, ęqualis ratio non datur in logica, vtpotè nullo modo ad actus metaphysicè necessaria.

683. Objic. 7. Logica actualis causat effective logicam habitualem, ergo & actus logicales. Resp. Nego consequentiam. Nam cum ex repetitione

tione regularum logicæ actualis generetur habitualis, inferimus; hanc ab illa produci, non directivè; quia actus non dirigit, quod non repræsentat; & habitum, quem causat nullatenus repręsentat, ergo effectivè; at actus directivè producit, vnde illi concedere concursum effectivum omninò superfluum est.

684. Replicas. Logica actualis producens habitum illi confert virtutem producendi effectivè actus; ergo logica actualis hanc virtutem habet. Nemo enim dat, quod non habet. Respondeo. Concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo hanc virtutem habet, formaliter, nego: virtualiter causativè, concedo. Et ita proloquium explica. *Nemo dat, quod non habet, tam formaliter, quam virtualiter causative*, non vero necessariò *formaliter*. Sic prudentia & artes mechanicæ generant effectivè habitum efficienter causativum actuum quin ipsæ efficienter causent eos actus. Sic Deus confert homini esse animal rationale, quin sit formaliter animal rationale. Sic Sol confert muri v. g. virtutem generativam per generationem viventium alterius muris, quin ipse talem virtutem formaliter habeat.

685. Objic. 8. Contra secundam conclusionem: in quocumque actu cōcurrit materia, & forma, sed materia producitur effectivê ab habitu scientiæ particularis, ad quam pertinet actus: ergo & forma effectivè producetur à logica habituali, ad quā pertinet, Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Materia tantum, nego, & simul forma, concedo. Nam cum materia, & forma sint identificatæ, implicat, produci materiam ab actu scientię particularis, quin simul physicè producatur forma. Vnde tam forma, quam materia producitur physicè ab habitu illo, & directivè à logica actuali, á logica vero habituali, nec directivè, nec effectivè.

686. Objic. 9. Habitus adquisitus per repetitionem huius regulę *Definitio est modus sciendi explicans essentiam rei*, &c. est logicalis, sed hic concurrit non solum ad regulas, sed etiam ad definitiones inquacumque materia; ergo. Probatur minor. Habitus adquisitus per definitionem in vna materia facilitat ad definitiones in quacumque materia. Eergo.

687. Hoc argumentum confundit logicam habitualem cum habitu logicali. Logica habitualis est tantum habitus adquisitus per repetitionem regularum, quocumque modo fiant, de hac dicimus, tantum effectivê concurrere ad regulas logicales, & nec effectivè, nec directive ad actus tam proprios ipsius logicę, quam aliarum scientiarum. Habitus vero logicalis est habitus adquisitus ex repetione actuum in propria materia logica v.g. ex definitione facta in materia definitionis v.g. quæ est propria ipsius logicę. Unde adhuc cōcesso, quod habitus logicalis, seu facilitas orta ex definiendo in materia propria logicę effectivè concurreret ad actus aliarum scientiarum, non tamen inferretur; logicam habitualem ad eos actus effectivè concurrere.

688. Replicas primò, *Dum quis* defini in materia Theologica, logica habitualis concurrit facilitando: ergo & effectivê influendo in definitionem Theologicam. Resp. Distinguo antecedens. Concurrit facilitando immediatè, nego; mediatè, concedo. Logica habitualis, cum quis definit in quacumque materia, concurrit producendo regulam dirigentē ad definitionē, non vero producendo ipsam definitionem, vnde solum mediatè facilitat, quatenus producit id, quod immediatê dirigit.

689. Replicas secundò. Si quis repetat definitiones in Phylosophia, redditur facilis ad definiendum inquacumque materia: ergo quia idem habitus

tus logicus generatur á quacumque definitione, ergo & idem habitus ad quácumque definitionem concurret. Resp. Distinguo antecedens. Redditur facilis ex precissa repetitione definitionis. Nego; ex productione regulæ dirigentis comitáte productionem definitionis, concedo. Cum ad quamcumque definitionem producatur regula actualis dirigens illam ex repetitione huius regulæ intenditur, & crescit logica habitualis, & facilitas ad similem regulam producendam non præscisse ex repetitione definitionis.

690. Replicas Tertiòs habitus logicalis ortus ex hac definitione. *Definitio est modus sciendi explicans essentiam rei, &c* concurrit ad alias definitiones in materia logicæ, ergo & ad alias in materia Phylosophiæ. Probatur consequentia. Nam tam dissimilis est definitio divisionis, ad quam concurrit definitio definitionis, á qua oritur, quam definitio hominis in materia Phylosophiæ, ergo. Respondetur, habitum illum logicalem adhuc ad alias definitiones in materiá propriá logicę non cócurrere ob rationem argumenti; sed tantum concurrere ad actus similes illi, á quo fuit generatus.

SECTIO II.

DE NECESSITATE LOGICÆ AD *Alias scientias.*

691. Logicam esse vtilem, immo & aliquo modo necessariam ad alias scientias adquirendas, nemini dubium est, qualis sit autem hæc necessitas? Nunc in disputationem venit.

692. Nota, rem tripliciter dici necessariam, metaphisicè, physicè simpliciter, & physcice secumdum quid. Res dicitur metaphysice necessaria, quando sine ea adhuc nec *Divinitûs* aliquid existere potest, sic se habet rationale v.g. respectu hominis. Res dicitur physicè simpliciter necessaria, quando sine illa aliquid naturaliter obtineri nequit, vt respiratio, & cibus ad vitam per longum tempus conservandam. Res dicitur physicè secundum quid necessaria, quando sine illa absque miraculo aliquid obtineri potest, dificulter tamen, vt equus ad longum iter faciendum. Hæc necessitas secundum *quid* vlterius est duplex. Prima dicitur summa necessitas *moralis*, seu necessitas moralis simpliciter, qualis apud Theologos est necessitas gratiæ specialis in homine, ad vincendã gravissimam tentationem, seu omnia peccata venialia, *simul* sumpta. Secũda dicitur necessitas moralis gravis, non tamen summa, v.g. illa, quam habet homo artis ad rectè cytharizandum.

693. Prima sententia tenet; logicam esse simpliciter necessariam etiam ad singulos actus scientificos adquirendos. Ita plures Thomistæ, quod citat, & sequitur Lerma lib. 1. quest. 2.

694. Secunda sententia tenet, logica esse simpliciter necessariam non ad singulos actus, sed ad integram scientiam adquirendas, ita plures etiam Thomistæ, quos sequuntur vterque linzeus dominicanus, & Iesuita apud, Patrem Peinadum poste à citandum. Ex D. Tell. Quir. & Rhod. d. 1. q. 1. l. 4.

695. Tertia sententia docet; logicam solúm secundum quid physicé, & moraliter simpliciter esse necessariam ad alias scientias instatu perfecto adquirendas. Ita Scotus 2. Metaphysicæ, q. 12. Pontius. Ex nostris Fonseca, Arriaga, Oviedo, Corpton, Peinado Tract. Proæm. d. 1. sect. 5. quos sequitur P. Olea. d. 60. n. 9.

696. *Dico* 1. logica actualis non est physcice simpliciter necessaria tam ad aliquos actus vnius scientiæ, quam ad omnes perfectè adquirendos. Probatur 1. Conclusio. Nullo interveniente miraculo potest quis elicere aliquos actus scientificos vnius facultatis absque logicá dirigente, ergo & omnes pro-

Probatur antecedens 1. Nullo interveniente, miraculo de facto eliciti fuerunt primi actus logici à primis eius inventoribus sine logica prævia dirigente, aliás illi non essent primi: ergo nullo interveniente miraculo potest quis elicere aliquos actus scientificos vnius facultatis, nam ab actu ad potentiam valet consequentia.

697. Probatur secundò idem antecedens. Defacto experientia probatur, homines logicæ omnino inscios veritate obiectorum, & principijs naturalibus ductos plures demonstrationes efformare iuxta illud Pauli ad Romanos. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Potest enim aliquis naturaliter incidere in hæc principia. *Totum est maius sua parte. Qui debet, tenetur solvere. Quia crimen commisit, puniendus est.* Ex quibus postea ita discurrat: mundus est totum, hæc civitas est pars illius. Ego debeo. Petrus crimen commisit. Ex quibus evidenter & scientificè consequentias inferat. *Ergo mũdus est maior hac civitate. Ergo teneor solvere. Ergo Petrus puniendus est.* Quod autem hi assensus sint scientificè demonstravi, patet; nam, vt constat ex Aristotele primo Posteriorum, demóstrativè cognoscere intellectum aliquã veritatem, in eo stat, quod intellectus evidenter cognoscat illius causas, & principia, & talia principia determinata esse ad eam veritatem obiectivam, & talem veritatem obiectivam, positis illis causis, aliter se habere non posse; sed in casu posito ita se haberet intellectus firmiter cognoscens, ex illis principijs talem veritatem inferri, hanc que aliter se habere non posse. Ergo.

698. Consequentia prima primi antecedentis, scilicet aliquos actus potest quis elicere absque logica dirigente, ergo & omnes: Probatur. Semel concesso, quod sine logica possit fieri primus actus logicus, vel Pylosophicus, ergo & secundus, & tertius, & sic omnes, cum nulla sit maior difficultas in secundo quam in primo, & intertio quam in secundo. Idem, quod de actibus dic de scientijs, nam semel concesso, quod vna scientia possit sine logica comparari secundum omnes suos actus; ergo & omnes scientiæ.

699. Confirmatur. Ante logicæ inventionem Ægyptij, & Hebræi Mathematicus excelluerunt, vt eruditissime testantur Patres Conimbricenses. Hipocrates etiam Medicinæ scientissimus peritus logicam ignoravit. Item Iurisprudentię Doctissimi sæpe præcepta logicæ nesciunt, ergo hæc non est physice simpliciter necessaria ad alias scientias adquirendas.

700. *Dico* secundò. Etiam si logica actualis esset physicè simpliciter necessaria ad actus aliarum scientiarum, logica habitualis solum esset necessaria secundum quid. Probatur. Necessitas logicæ habitualis ad actus aliarum scientiarum solum est mediata, cum in eos nec effectivè, nec directivè influat, vt supra vidimus, quatenus scilicet requiritur ad regulas logicas producendas, sed ad has solum requiritur secundum quid habitus; ergo etiam si logica actualis physicè simplicitèr requiratur ad actus aliarum scientiarum, logica habitualis solum secundum quid requiritur. Probatur minor primo. Habitus adquisitus solum est ad faciliter posse, sed quod requiritur ad faciliter posse, solum requiritur secundum quid: ergo. Probatur secundo. Habitus generatur ab actibus, ergo actus habitum præcesserunt, ergo aliqui actus producti fuerunt sine habitu, ergo & omnes poterunt sine eo produci ob rationem supra allegatam.

701. *Dico* tertiò. Logica actualis est necessaria physicè secundum quid, & moraliter simpliciter, non necessitate summá, sed necessitate graui mediá inter

ter summam, & levem, non solùm ad omnes collectivè, verum ad singulos actus aliarum scientiarum adquirendos, ita expressè Sanctus Thomas 1. poster. lect. 1. asserens; logicam esse necessariam, vt ordinate, & faciliter actus dirigantur. Probatur. Quod requiritur advincendam gravem difficultatem, & ingens errandi periculum, est necessarium physicè secundum quid, & moraliter simpliciter non summè; sed in eliciendis actibus aliarum scientiarum sine logica datur gravis difficultas, & ingens errandi periculum, non minùs quàm ad rectè cytharizandum, & ad ordinatos motus efformandos sine arte cytharizandi, & saltatrice, & ad hoc requiritur logica actualis, vt patet ex dictis, ergo.

702. Dico quartò. Logica non solum physice simpliciter, verùm & metaphysicè necessaria est ad omnes, & ad vnicum actum aliarum scientiarum adquirendos ita perfectè, vt reddi possit ratio de bonitate formali definitionis, *divisionis*, &c. Ita in re Pater Quiroz, disp. 7. logicæ, sect. 5. & aliqui, qui citari solent pro nobis contrarijs, sed certè nobis non opponuntur immediatè, sed solum mediatè, hoc est, quatenus affirmant; hanc cognitionem reflexam de bonitate formali actuum requiri ad scientiam, quam nos ad scientiam esse necessariam, negamus. Reddunt que questionem de nomine.

703. Conclusio explicatis terminis patet. Nemo enim potest cognoscere, hanc definitionem *Animal rationale*, hunc syllogismum *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo est animal*, gaudere bonitate formali, nisi agnoscat esse conformes regulis logicalibus, sed nemo potest cognoscere, esse conformes regulis logicalibus, sine regulis logicalibus; ergo hæ non solum physicè simpliciter verum & methaphysicè necessariç sunt, vt cognoscatur bonitas illationis, & definitionis, vt talis formaliter.

SVBSECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONDEO.

704. OBjic. 1. Contra primam conclusionē. Iuxta Aristotelem; *Nemo scit, nisi sciat se scire; sed nemo scit, se scire, nisi sciat, se habere demonstrationem*. Nemo scit, se habere demōstrationem, nisi sciat, quid sit demonstratio, nemo scit, quid est demonstratio sine logica, ergo sine logica non datur scientia; ergo est simpliciter physicè necessaria.

705. Resp. Distinguo maiorem Nisi sciat, se scire exercitè, concedo; signatè, & reflexé, nego. Et ita reliquas propositiones distingue. Ad scientiam solum requiritur evidentia, & certitudo directa obiecti, hoc est, quod quis percale.. rem, quam in præmissis affirmat, vel negat. Unde si rusticus firmiter cognovit, civitatem hanc esse partē vniversi, totum que esse maius sua parte, firmiter, & sine vllo errandi periculo assentitur huic conclusioni. Ergo *hac civitas minor est universo*, ita vt si millies rogetur, cur assentiatur tali conclusioni? Respondebit; quia hæc civitas est *pars*, & vniversus orbis *totum* & totum est maius sua parte.

706. Quod autem actus reflexus, ad scientiam non, sit simpliciter necessarius, patet, primò, quia talis actus reflexus cognoscit, actum directum esse scientificum, ergo non constituit illum in esse scientifici, sed supponit. Secundo, quia ratio scientiæ in actibus est tendentia ipsorum, sed tendentia ipsorum est ipsis intrinseca, & essentialis: ergo supponitur, non vero constituitur per actum reflexum. Tertio, quia cum actus reflexus sit scientificus, ad hunc requireretur alius de ipsius actus reflexi securitate, & ad hunc calius, & si infinitum.

Replicas primò. Vt actus sit scientificus, debet cognosci bonitas illationis illius, sed hæc non cognoscitur absque logica, ergo absque logica non datur actus scientificus. Respondeo. Distinguo maiorem. Debet cognosci bonitas illationis obiectiuæ, Concedo; formalis, Nego. Vt cognoscatur bonitas illationis formalis, & conformitas cum regulis certè requiritur logica, vt vidimus quarta Conclusione; at vero hęc cognitio bonitatis illationis formalis reflexa ad scientiam non requiritur, vt proximè probavimus. So ùm enim requiritur, quod cognoscatur bonitas illationis obiectivæ. Hoc est, quod penetretur obiectiuè, mundum esse totum, hanc civitatem esse partem, & totum esse maius sua parte, vnde infertur, mundum esse maiorem hac civitate.

708. Replicas secundo. Qui assentitur obiecto cum formidine, non habet scientiam, sed qui reflexè non cognoscit illationem formalem, assentitur obiecto cum formidine, ergo hæc debet cognosci. Respondeo, Nego minorem. Vt enim quis sine formidine assentiatur huic obiecto, ergo *dies est nūc*, solū requiritur, quod perfectè penetret præmissas obiectivas, nempe *adesse solem*, & quoties *sol adest diem esse*, quod sine reflexione supra illationem formalē fieri potest.

709. Replicas tertiò. Talis actus elicitur sine logica cum periculo errandi: ergo sine logica non erit scientificus. Respondeo; distinguo antecedens. Cum periculo errandi, quia potuit elici alius; Concedo. Cum periculo errandi in ipso actu, Nego. Potuit enim intellectus loco huius actus recti alium irrectum elicere, & sic errare, cúm non dirigatur á logica, ex quo solùm arguitur; esse necessariam secundum quid. Hoc tamen elicito in ipso actu nec est, nec potest esse error, neque vlla formido scientiæ impeditiva in assentiendo obiecto talis actus, vnde scientificus est, nam ad actum scientificum hæc tantún securitas requiritur. Immo adhuc positá logica in intellectu potest hic errare non eli ēdo actum regulis conformem, quin hoc efficiat, quod non sit scientificus actus iuxta ipsas regulas semel ellicitus.

710. Obijc. 2. & simul replicas. 4. si ad scietiam sufficeret, quod quis in actu exercito demonstrationem eliceret, & nō requireretur reflexa cognitio, omnis demonstratio esset scientia, sed hoc est falsum, ergo. Probatur minor. Si aliquis eliciat demonstrationem, nesciens esse demonstrationem, vel iudicans esse syllogismum probabilem, talis demonstratio non esset scientia: ergo.

711. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem rogo: vel talis homo iudicaret, actum á se elicitum non esse demonstrationem, sed syllogismum probabilē, eo quod solum probabiliter assentiatur alicui ex præmissis, vel non? Si primū? Optimè iudicaret, ū re ipsa talis actus solum esset probabilis. Si secundum, hoc est si vtrique præmissæ, & consequentię firmiter adhæreret: talis actus esset re ipsa demonstratio, & scientia, licet ex ignorantia significationis vocis *demonstrationis* negaret, talem actum esse demonstrationem, sicut qui diceret *Petrum esse animal rationale*, & negaret, *esse hominem*, re ipsa hominem fateretur, & solum explicite ex ignorantia vocis, illum negaret.

712. Objc. 4. & replicas 5. Licet quis habeat notitiam evidentem in actu

tu exercito, si non habeat notitiam reflexam de bonitate illationis formalis provenientis á logica, potest induci á sophysta in aliquem errorem, vt contigisse refert Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 31. per hæc verba. *Proposuit quidam alteri, cum quo loquebatur, quod ego sum, tu non es. At ille consensit; verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit. Ego autem homo sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit dicens, tu igitur non es homo.* En hic veritatem obiectivam optimè percalebat, & in errorem incidit ex defectu logicæ; ergo hęc necessaria est simpliciter.

713. Respondeo, hominem illum non tam ex defectu logicæ, quam ex tarditate ingenij incidisse in illud sophisma, quo si polleret absque præceptis sophysma cognosceret. Plerumque (ait ipse S. Augustinus de doctrina Christiana, cap. 33.) citius ingeniosus videt, non esse rectam conclusionem, quam præcepta eius capit, tardus autem eam non videt, sed multò minus, quod de ea pręcipitur. Vnde ille veritatem obiectivam non percaluit, quam si percaluisset, sophisma contemneret. Sicut quidam Pater cuiusdam sophistæ filij ex tribus sex ova probantis detexit. Ita dispositum fuit sophisma: *Vbi tria, ibi duo; vbi duo, ibi vnum; tria, duo, vnum, sunt sex; ergo hic sex sunt ova.* Responsio Patris ita. *Mihi duo, Matri tuæ vnum, reliqua tria sume tibi fili mi.* En quo modo sine logica possunt detegi, & fugi sophismata, immò & efficax argumentum efformari.

714. Objic. 4. Sicut se habet prudentia respectu actuum virtutum, ita logica actualis respectu actuum aliarum scientiarum, sed ad actus virtutum est physicè simpliciter necessaria prudentia; ergo ad actus scientiarum erit simpliciter physicè necessaria logica.

615. Resp. Distinguo maiorem, sicut se habet prudentia adquisita, Concedo; Prudentia naturalis, Nego. Prudentia naturalis est lumen naturalis rationis, cuius ductu homo operatur actus virtuosos, & virtuti conformes; vnde hæc se habet respectu actuum virtutum, non sicut logica artificialis, sed sicut logica naturalis respectu actuum scientiarum. Logica verò artificialis se habet sicut prudentia adquisita, quę ex repetitione actuum genita fuit, sicut logica artificialis; ideo quę prudentia adquisita non requiritur ad simpliciter, sed ad faciliter posse, ac pro inde secundum *quid*, ita logica artificialis. In super ideo prudentia simpliciter requireretur ad actus virtutum, quia omnis moralitas actus desumitur ex conformitate cum prudentia naturali, quæ est prima radix moralitatum, at ratio scientiæ non desumitur ex conformitate cum logica, sed ex conformitate cum obiecto.

716. Objic. 5. Omnis scienitia reducit suas conclusiones ad prima principia, sed hæc reductio nequit fieri sine logicá: ergo. Probatur minor. Reductio est cognitio obiecti redacti ad principia; sed hæc nequit dari sine logicà: ergo.

617. Respondeo, distinguo minorem. Si sit reductio formalis, Concedo; obiectiva, Nego. Reductio potest esse vel ad probandam bonitatem consequentiæ, & structuræ syllogismi, hoc est, quod concessa maiori, & minori, nequeat negari consequentia, & hæc pertinet ad logicam; ad hanc enim recurrendum est vltimo, vel potest esse ad probandam bonitatem consequentis, hoc est impossibile; v. g. adesse solem, & diem non adesse. Hoc ad logicam non pertinet, nec ad eam recurrendnm est. Hæc enim tantum vltima reductio, & non illa prima requiritur ad scientiam, ad quam logica solum est vtilis, non verò physicè simpliciter necessaria.

Obj-

718. Objic. 6. Licet Fides sit certa, non redditur certus intellectus, nisi per actum reflexum cognoscentem infallibilitatem nostræ fidei: ergo similiter intellectus non habebit certitudinem scientificam, nisi eam reflexé cognoscat.

719. Nota, argumentum non probare, non dari actus scientificos sine reflexione logicæ, sed intellectum reddi certum; se habere actus scientificos, per talem reflexionem, quod distinctissimum est: ergo potest elicere intellectus, & habere actus scientificos sine logica, licet non possit sine ea reflectere, & certificari; se ipsos habere. Assigno disparitatem inter Fidem, & scientiam. Per Fidem proponitur obiectum obscure, & ideo requiritur reflexa cognitio de eius infallibilitate, vt firmiter illi assensum præbeat intellectus, at verò per actum scientiæ ita clare, & evidenter proponitur obiectum, vt non requirat intellectus actum reflectentem, vt firmiter, & sine vlla hęsitatione illi assentiatur.

720. Objic. 7. Visio Beata licet sit æterna nō est Beatitudo, vsq; dum reflexè cognoscatur eius perpetuitas, & vsq; tūc manet intellectus anxius, & inquietus; ergo similiter, licet demonstratio sit evidens, non erit scientifica, vsque dum reflexè cognoscatur vt evidens, si quidem vsque tunc erit intellectus dubius de eius certitudine.

721. Nota primò idem quòd ad antecedens argumentum. Nota secundò Argumentum sibi implicare, dum supponit, cognitionem esse demonstrationem, & evidentem, & probat non esse scientificam, concedit namque definitionem, & negat definitum. Respondeo, assignando disparitatem primò quia beatitudo essent aliter constituitur per actum reflexum perpetuitatis, cum sit omnium bonorum aggregatio perfecta, exclusio que omnis anxietatis, & si tali reflexione careret, nec excluderet anxietatem omnem, careret; que aliquo bono; at verò scientia solùm dicit obiecti evidentiam, & certitudinem, quæ excludit incertitudinem ex vi motivi assentiendi, quod salvatur sine logicæ reflexione. Secundò quia per visionem claram Dei nec exercité, nec signatè attingit beatus perperpetuitatem visionis: vnde cognitio reflexa requiritur. At cognitio evidens, licet non signatè, exercitè inducit certitudinem de existentia obiecti, & bonitatem illationis obiectivæ, quod sufficit ad scientiam.

722. Objic. 7. Contra secundam conclusionem. Ad actum virtutis requiritur physicè simpliciter habitus virtutis, sicut ad visionem Beatam Lumen gloriæ, ergo similiter ad actus scientiæ physicè simpliciter requiritur habitus.

723 Respondeo, quod si hic loquatur de habitu adquisito, admitto paritatem inter eum, & logicam habitualem respectu regularum logicæ, quia vterque adquisitus est per repetitionem actuum. Sed nego habitum adquisitum requiri physicè simpliciter ad actus virtutum, solum enim requiritur ad eos faciliús producendos, sicut logica habitualis; si vero loquatur de habitu supernaturali respectu actuum supernaturalium, nego paritatem, nam habitu supernaturalis infunditur ad simpliciter posse, & se habet sicut potentia, ita lumen gloriæ respectu visionis beatæ, quia potentię naturales sine habitu, seu comprincipijs supernaturalibus, nequeunt actus supernaturales producere. Non se habere ita logicam, satis probatum manet.

724. Objic. 9. contra tertiam conclusionem intendens probare, logicam esse necessariam ad adquirendas omnes scientias non solùm necessitate morali media, sed necessitate summá Theologica. Licet possit homo vnum, & alte-

alterum militem superare integrum tamen exercitum vincere est illi moraliter imposib.le, egetque iuvamine necessitate summà: ergo licet sine logicá possit homo vnum, vel alterum actum elicere scientificum, at omnes elicere est illi moraliter impossibile, egetque necessitate summá logicæ iuvamine.

725. Nota. Intellectum humanum non posse elicere simultate actus omnes actus scientiarum, qui se habent velut exercitus invincibilis humano intellectui in eodem instanti, hoc tamen non provenit ex defectu logicæ; nam & simile logicis protegatur adhuc imbecillis manet, provenit enim hoc ex defectu capacitatis impotentis tot simul capere, vnde cum congressus cum actibus sit tantum cum singulis successivè, si aliquem potest vincere sine logica, & omnes etiam vincere potest. Hinc respondetur; concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est manifesta, nam per congressum cum vno, vel altero milite pugnatoris vires physicé enervantur, ita vt tandem languescat, & ex discrimine non adquirit, sed amittit vires, non firmior, sed infirmior evadit. At intellectus in actuū scientiarum elicientia, non solum non amittit, verum adquirit novas vires, visque ingenij acuitur, & vivacior fit ad elicientiam aliorum. Vnde rectè deducitur. *Potest intellectus vnum, vel alium actum elicere sine logica; ergo & omnes.* Non tamen, potest homo vnum, vel alterum militem superare, ergo & integrum exercitum.

726. Replicas. Sicut ex elicientia vnius actus scientifici non amittit intellectus vires, sed potiûs eas adquirit ad alios actus eliciendos, ita ex observatione vnius legis, & ex vitatione vnius peccati venialis non amittit, sed potiûs adquirit vires voluntas ad observationem alterius legis, & ad vitationem alterius peccati venialis, & tamen licet ad observantiam huius, vel alterius legis, et ad vitationem huius, vel alterius venialis, non sit necessaria, necessitate summá morali, gratia Dei specialis, est summè moraliter necessaria ad observantiam totius legis, & vitationem omnium venialium; ergo similiter.

727. Gravissima inter Theologos difficultas cum logica difficultate miscetur. Quomodo scilicet possit homo vitare divisiuè singula peccata venialia, & observare singulas leges vnam post aliam sine speciali gratia Dei, & non possit vitare omnia collectivè, & observare omnes leges collectivè, cum omnia collectivè sint eadem, ac singula divisiue? Ego vt divisiue, & collectiue difficultates Theologicas procul á logicis reijciam.

728. Respondeo, assignando disparitatem, nam vires tam intellectus quam voluntatis taxare ad Theologos, Patres, & Concilia attinet; communiter Theologi, Patres, & Concilia asserunt, voluntatem moraliter non habere vires sufficientes ad vitanda omnia venialia simul sumpta, & observandam totam legen propter summam difficultatem, quæ in hoc relucet, & summam nostræ naturæ lapsę fragilitatem semper ad malum intentam. Licet habeat vires moraliter ad vitandum hoc, vel illud veniale. Hanc vel illam legem observandam, ita vt Deus per scientiam mediam prævideat nullum hominem vitaturum omnia venialia, licet possit ea vitare. Cum autem vires intellectus erga actus aliarum scientiarum non sint taxatę à Patribus, & Concilijs, immo à fere omnibus *Doctoribus* extendatur ad eos omnes actus physicê, & moraliter eliciēdos sine logicá, nec impotentia intellectus ad eorum elicientiam fundet scientiam mediam de non superanda á nemine difficultate, colligimus, intellectum potentem divisiuè vincere singulos actus scientiarum, posse etiam eos col-

collectiuê vincere. Videantur eximius Doctor, tract, 1. de Gratia lib. 1. cap. 24, num. 18. Acutissimus *Doctor* 1. 2. & disp. 133. Pater Ripalda, disp. 117. Sect. 2. & plures apud ipsum.

729. Objic. 10 In scientijs possunt occurrere aliquæ conclusiones, quarum illationes ex præmissis non sunt per se notæ, neque aptæ convincere, nisi reducantur ad aliquem modum syllogisticum primę figuræ, sed ad hanc reductionem est moraliter summe necessaria logica: ergo. Confirmatur. Licet natura habeat sufficientes vires ad sanitatem adquirendam, & vincendas graves infirmitates, ast potest ita gravis ęgritudo evenire, vt sit summè moraliter necessarius concursus artis Medicæ: ergo similiter.

730. Respondetur: distinguo maiorem. Nisi reducatur artificiciosè, nego, naturaliter. Concedo. Potest enim intellectus, etsi difficilius, conclusionē minus notam palam facere, in talem formam illam disponendo, vt necessitet ad assensum. Sic sępe homines semel negatam conclusionem convincunt, etsi logicæ ignari sint; quia penetrando præmissas, & cōclusionem obiectivam, vel negatam, vel minus notam tali modo disponunt, vt notior, & patens fiat conclusio. Hoc maiori difficultate fit, sed non tali, vt inducat necessitatem moralem summam logicæ, & impotentiam moralem Theologicam in intellectu.

731. Idem dic de Medica facultate, scilicet non esse summè necessariam adhuc pro gravissima ęgritudine, quam se ipsa natura potest vincere, licet facilius Medicinę iuvamine illam vinceret, immo sæpe desperata á medicis salute á natura sine arte consequitur: ergo similiter eveniet in logica.

732. Objic. 11. Intendens, logicam non requiri adhuc morali illa media necessitate, & physica secundum quid. Inde deducimus, logicam non esse physicè simpliciter necessariam ad actus aliarum scientiarum, quia ad primos actus necessaria non fuit physicè simpliciter, sed ad eos neque physicê secundum quid fuit necessaria, ego neque ad alios.

733. Resp. Nego maiorem. Nam ad illos fuit necessaria logica secundū quid. Hoc est, ad primum actum, non ipse primus, sed alius individualiter, vel specifice distinctus fuit necessarius, qui cum non præcesserit ad illum, quem primum supponimus, talis primus actus elicitus fuit difficulter, & cum gravi periculo errandi, quo careret, si supponeret alium ante se.

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS

DE ENTE RATIONIS.

Tractatum hunc ad Metaphysicam pertinere, certum est, sed quia communiter in logica, præcipue á Manuscribentibus apponitur; eorum vestigijs insistens, hic laruas, & spectra eius detegere conabimur; tractatum hunc in duplicem disputationem dividemus. Primam de natura, & eius proprietatibus, secundam de eius causis.

DISPUTATIO I.

DE NATURA ENTIS Rationis.

1. Revocandum est in memoriam, quod supra notavimus; scilicet ens rationis multifariam sumi. Primò, ens rationis *effectivè* dicitur, quidquid ab intellectu producitur, vt cognitiones, discursus, &c. Secundò, ens rationis *subiectivè* dicitur, quidquid in intellectu subiectatur, vt cognitiones. Tertiò, ens rationis *fundamentale* dicitur, quidquid est fundamentum, vt intellectus aliquid fingat, vt privationes, negationes, &c. Quartò, ens rationis *obiectivè* dicitur, quod habet esse in intellectu fingente obiectivè. *De* hoc vltimo in præsenti, vtpotè de Ente rationis propriè, & rigorosè, loquimur.

SECTIO I.

VTRVM DETVR ENS rationis distinctum ab Ente reali?

2. Prima sententia negat, dari ens rationis absolutê. Ita *Durand.* & alij solo vocum *ens*, & *rationis* scrupulo laborantes, iudicant enim, eas solis entibus realibus posse applicari. *Durandum* in conclusione sequuntur Caram. in methalogia lib.2.num. 122. Spinula disp.4. logicæ sect.2. conclusione vnica num.33. & aliqui Moderni Aurelianæ familiæ; legi Spinulam, audivi in publicis dissertationibus Aurelianos Modernos; & neque hi, neque ille re ipsa negant ens rationis, sed ens rationis distinctū ab ente reali, seu Idolum intrinsecè fictum; Spinula namque asserit Chimæram, Hircoservum, &c. quæ entia rationis intrinsecè ficta communiter appellantur, non distingui à cognitione Chimæræ; sed in ipsamet cognitione consistere, quæ quidem cognitio est ens reale. Aureliani asserunt *hominem Equum* v.g non distingui ab homine, Equo, & identitate reali inter animal, & rationale v.g. cuius speciem aliàs

aliàs

aliàs habebat intellectus, quamque ponit inter hominem, & Equum, & quia ibi applicatur identitas, vbi non erat; dicitur intellectum effingere; vnde cum *homo Equus*, & identitas inter animal, & rationale sint entia realia, non datur Idolum fictum distinctum ab ente reali.

3. Vehementer displicent. Aliud est, non dari ens rationis; & aliud non dari ens rationis distinctum ab ente reali; sicut aliud est non dari vnionem inter materiam, & formam, quod nemo dicet; & aliud non dari vnionem a materia, & forma distinctam, quod Schola Thomistica contra Iesuiticam communiter tenet. Aliud, non dari potentias animę, intellectum nempe, & voluntatem, quod nullus huc vsque somniavit; & aliud, non dari potentias distinctas ab anima, quod fere omnis Schola Iesuitica contra Thomisticam tuetur; & aliud, non dari subsistentias in Divinis, quod est error in fide; & aliud, non dari subsistentias distinctas realiter á natura, quod est fidei dogma, & sicut male audiret ab omnibus Thomistis, qui assereret; non dari vnionem inter materiam, & formam; & postea probaret non dari vnionem distinctam á materia, & forma; ita Spinula, & Moderni citati merito ab omnibus malè debent audiri, cum absolutè negent; dari ens rationis, & postea probent, non dari ens rationis distinctum ab ente reali.

4. Neque aliquid speciale defendunt, cum idem ipsum defensaverint Pater Erice 1. parte, disp. 8. cap. 1. Hemelman, Card. Palav, Linceus libro 4. metaphysicę tract. 1. n. 4. Quiros disp. 23. num. 53. Displicet etiam prædicta Doctrina, primò quia licet extrema sint realia, identitas illa posita inter ea ab intellectu est impossibilis, & ficta; probatur: nam identitas quæ nectit alia extrema ab eis, quorum est identitas, est impossibilis. Item vi illius cognitionis *homo est equus*, mutatur essentialiter talis identitas, nam si per possibile, vel impossibile adderetur alicui essentiæ aliquod prędicatū, essentialiter mutaretur, non secus ac si illi aliquod prædicatum essentiale adimeretur, atqui vi illius cognitionis *homo est equus*, additur illi identitati reali *animalis*, & *rationalis* aliquod prædicatum essentiale, nempe afficere, & identificare *hominem* & *equum*: ergo essentialiter mutatur: ergo iam non est eadem illa identitas realis, sed alia impossibilis & chimęrica.

5. Secunda sententia affirmat, dari ens rationis obiective fictum adæquatè ab omni ente reali; ita vt obiectum huius actus *homo est equus*, sit non solúm identitas ficta, sed etiam *homo fictus*, & equus fictus, est enim obiectum ipsius non *homo* & *equus* vt cumque, sed homo capax identitatis cum *equo*, & *equus* capax identitatis cum *homine* sunt *homo*, & *equus*, chimęrici: ergo obiectum actus factivi entis rationis est distinctum adæquatè ab ente reali. Ita Pater S nig. in Logic. disp. 1. vsque ad 9. Sancta Cruz num. 166. & communiter RR. cum P. Maza tract. 2. s. 2.

6. Displicet primò: quia hæ propositiones contradictoriæ opponuntur, *homo est equus, homo nō est equus*: ergo debent habere idem predicatum, idemque subiectum, nā contradictoria sunt eiusdē de eodē; hoc est, affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto; sed subiectum, & prędicatum propositionis negatiuæ veræ non est *homo* & *equus* ficti, sed *homo*, & *equus reales*: ergo subiectum, & prædicatum propositionis affirmativæ falsę, indeque factivæ, entis rationis, non est *homo* & *equus* ficti, sed reales; aliás si secunda propositio negaret de homine reali equum realem, & prima afirmaret de homine ficto equum fictum, non haberent idem subiectum, cum *homo* realis non sit *homo* fictus; nec

idem

idem prædicatum, cum *equus* realis non sit *equus* fictus.

7. Secundò eijsdem apprehensionibus determinatur quis ad dicendum *homo est equus ac homo non est equus*, ergo vtrumque iudicium habet idem subiectum, & idem prædicatum; nam subiectum, & prædicatum iudicij sunt, quæ per prævias apprehensiones cognita præcessere, sed cognitio vera reprę̄sentat pro subiecto hominem realem; & pro prędicato equum realem: ergo eosdem repręsentabit cognitio falsa.

8. Tertio, sequeretur, propositiones hæreticas esse veras v. g. *Deus non est trinus, & vnus; non est omnipotens. Christus non est Deus, non fuit passus pro salute humana &c.* Patet, nam negare de Deo ficto v. g. *Mercurio*, esse trinum, & vnũ, esse Omnipotentē, negare que de Christo ficto v.g. Simone Mago esse Deum, & fuisse pro salute hominum, passum, est verum, sed per vos Deus, qui se habet vt subiectum primæ propositionis non est Deus realis, sed fictus, & Christus qui se habet vt subiectum secundę propositionis est Christus fictus, & non realis; ergo. Insuper hæc propositio erit vera *homo potest esse equus.* Probatur: ideo hæc propositio est vera; *Deus potest esse homo*, quia subiectum, de quo loquitur, habet capacitatem ad vnionem cum natura humana, & prædicatum habet capacitatem, vt vniatur cum Deo, sed per vos subiectum, de quo loquitur illa propositio *homo potest esse equus*, est *homo* capax identificari cum *equo*, & prędicatum est *equus* capax identificari cum *homine*: ergo est vera.

9. Tertia sententia tenet; in ente rationis vnionem semper esse fictam, extrema vero posse esse realia. Ita patres Hurtado, Arriaga, Oviedo, Izquierdo, & Alij.

10. Non placet, primò. Ideo per vos identitas non est realis sed ficta, quia per talem actum *homo est equus* v. g. non repræsentatur identitas vtcumque, sed identitas, vt possibilis inter hominem, & equum, & similiter per talem actum non repræsentatur *homo*, & *equus* vt cumque, sed vt identificabiles inter se: ergo similiter *homo*, & *equus* nequeunt esse reales. Secundò. Ideo per vos identitas inter hominem, & equum non est realis, quia si rogaretur efformans illud ens rationis, responderet; se non loqui de identitate reali possibili; sed de alia omnino distincta, sed ob eandem ipsissimam rationem, si rogaretur, etiam responderet; se non loqui de homine, & equo realibus, & possibilibus, sed de alijs omnino distinctis: ergo.

11. Ante conclusionem nota primò ex dictis. Dari ens rationis re ipsa siue distinctum siue in distinctum ab ente reali, non posse dubitari; cum certum sit, dari cognitiones falsas, & actus fingentes, attingentes que obiecta aliter ac sunt in se; experientia enim compertum est, sæpe homines falli, & inter otiandum montes aureos, chimæras, regias dignitates, honoresque Divinos sibi fingere, hęc omnia Entia rationis appellantur: ergo datur ens rationis.

12. Nota secundò. Ens rationis communiter ita definiri: *Id quod habet totum suum esse obiectivè in intellectu fingente*: hoc est, concipiente rem aliter, ac est in se practicè. Aliqui ab hac definitione auferunt ly *fingente*; vt asserant, ens rationis fieri per actum verum, ac proinde per intellectum Divinum; sed hoc est, reddere totum hunc tractatum ad pura nomina, quod autem non debeat in definitione expungi ly *fingente*, Probatur primo ex communi tam Phylosophorum, quam Theologorum consensu, à quo in quęstione denomine sine vrgenti necessitate recedendum non est, quæ necessitas hic non relucet. Secundo. Ex vulgari intelligentia; nã pro ente rationis, ens fictum statim ex ipsa

ipsa voce intelligimus. Tertio. Ex Angelico Præceptore opusc. 42. cap. 1. dicente: *Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, fingendo ac si esset*: quid clarius? Vnde cognitio entis rationis factiva, seu vt melius loquar, entis rationis fictiva, est cognitio rei aliter ac est in se practice.

13. Si vero Roges, quid sit illud esse obiectivum, quod habet ens rationis ab intellectu fingente? Respodeam, nil aliud esse, quam esse obiectum actus, seu cognosci, aut esse cognitum per actum. Vnde esse obiectivum in potentia est denominatio extrinseca ipsi communicata, siue actus sit verus, siue falsus; in hoc tamen distinguitur obiectum, quod denominatur ens rationis, ab eo quod ita non denominatur, quod illud accipit esse obiectivum intentionalem disconforme cum suo esse Physico, hoc est, denominationem *cogniti* aliter ac est in se. Hoc vero accipit esse obiectivum intentionale conforme cũ suo esse physico, hoc est, denominationem *cogniti* sicuti est in se; ideoque denominationem entis ficti, seu entis rationis non accipit.

14. Nota tertiò. Modum disconvenientem, ratione cuius cognitio est falsa, obiecto que difformis, non esse aliquid obiectivè supperadditum, seu aliquod Idolum intrinsece fictum, quod ex parte obiecti, non sit realiter possibile, nec impossibile, distinguatur que ab obiecto reali, & cognitione fingente; sed esse specialem modum tenendi actus affirmative, vel negativè, qui quidem nihil ponit in obiecto intrinsecè; sed solum extrinsecè illud denominat. Vnde idem met obiectum invariatum hoc modo cognitum, constituet ens rationis, alio vero modo cognitum illud non constituet. Quod videri potest ex quadam Divi Gregorij doctrina Homilia 23. in Evangel. Vbi *fingere namque componere dicimus; vnde compositores luti figulos vocamus.* Exemplum Gregorij mirabile est ad rem, sicut enim ex eadem massa lutea invarieta quoad entitatem, iam vas ad honorem, iam vas ad contumeliam efformat figulus; solũ hac, vel illa collocatione materiæ mutata hoc, vel illo modo collocata, ita intellectus noster tanquã dexterrimus figulus, ex eijsdem entibus realibus, tanquã ex materiá entia rationis fictitia specierũ mixtarum, quasi rotabili inversione iuvãte componit, solum variato modo attingendi talia entia.

15. Nota quartò. Materiam circa quam affimationis, vel negationis esse triplicem, necessariam, impossibilem, & contingentem, ex quibus vna quæque suum modum repræsentandi exigit vt sit ipsi proportionatus, & conformis. Materia necessaria modum affirmativum exigit, v. g. *homo est animal rationale*; vnde modus negativus erit illi disconformis; v. g. *homo non est animal*: ac proinde ens rationis constituit cum tali materia. Materia impossibilis modum negativum exigit, v. g. *equus non est homo*: vnde modus affirmativus erit illi disconformis, *equus est homo*: & cum illa ens rationis efformabit. Materia contingens, non exigit modum determinatè, si obiectum existat pro tempore quod verbum affirmativè connotat, erit vera propositio, conformis que materiæ significatę, vt si diceret, *Sol existit*, si vero non existat obiectum, erit falsa, & disconformis materiæ, vt *Antichristus nunc existit*; & constituet ens rationis. E contra vero, eveniet in negativa, cu totus modus repręsentandi rem aliter ac est in se, nil superaddit obiectivum, sed se tenet ex parte actus.

16. Quod vlteriús clarè ostendo supposita sententia probabili asserente, eundem actum posse transire, de vero in falsum. Hic actus Petrus currit, currente Petro est verus; non currente Petro, est falsus; ergo *concurrente Petro*, non

non producit Idolum distinctum á Petro, cursu, & ipso actu, sed tãtum illud obiectum extrinsecè denominabit cognitum sicuti, vel aliter ac est in se: patet consequentia, quia ille actus, curtat, vel non currat Petrus invariatus manet, sed Petro currente, non producit Idolum: ergo Petro non currente, Idolum non producit.

17. Conclusio *Ens rationis consistit, in complexo obiecti realis, & cognitionis illud modo disconformi, seu aliter ac est in se attingentis, denominantis que illud fictum.* Itaque obiectum actus fingentis non est aliquid intrinsecè fictum, distinctumque ab ente reali, sed sunt entia realia, actus que dicitur fingens, quatenus ea malè, & inordinatè conspicit. Ita novissimè Pater sapientissimus P. N. Generalis Pater Thirsus Gonzalez tomo 1. disp. 9. numero 17. & sapientissimus meus in Theologia Magister, P. Nicolas de Olea d. 63. quem in omnibus primum alij ingeniosi Neoterici postea secuti fuere.

18. Probatur primò, & simul explicatur conclusio. Sicut obiectum denominatur cognitum á cognitione, ita denominatur taliter cognitum á tali cognitione; v. g. Deus denominatur cognitus à cognitione creatá, & taliter cognitus, comprehensus scilicet á sua propriâ cognitione, quia hæc est taliter cognitio, scilicet comprehensio, hoc est, cognoscit obiectum, quantum ipsum petit cognosci: ergo similiter hæc cognitio *homo est animal*, denominabit hominem cognitum, & hęc: *homo non est animal.* eundem hominem *fictum* denominabit: quia talis cognitio est fictio, hoc est cognoscit obiectum aliter ac est in se; similis: ergo hoc concretum *homo fictus* est complexum ex homine tanquam ex materiá, & ex fictione, seu cognitione eum aliter ac est in se attingente, tanquam ex forma; sed ens rationis est ens fictum: ergo consistit in complexo obiecti realis, & cognitionis fingentis, seu obiecto disconformis.

19. Confirmatur. Ens rationis est, quod habet suum esse obiectivè in intellectu fingente; sed habere suum esse obiectivè in intellectu fingente, consistit in denominatione extrinsecá obiecto á cognitione communicata: siquidē solùm est cognosci obiectum á potentiâ, seu obiectum esse cognitum, vt probatum manet in secundo notabili: ergo.

20. Probatur secundò conclusio, quod scilicet cognitio ingrediatur constitutionem entis rationis. Illud est constitutivum alicuius rei, quo ablato manentibus omnibus alijs, non manet res, sed ablata solùm cognitione fingente, & manente toto obiecto illius, non manet ens rationis: ergo cognitio fingens est cōstitutivum illius. Maior ex cōmuni consensu Phylosophorum nunc suppono: hæc cognitio: *homo est equus*, est fictiva entis rationis: sed ea solum ablata, & toto illius obiecto manente, non manet ens rationis: ergo. Probatur minor totum obiectum illius manet in eius contradictoria: *homo non est equus*, alioquin, si idem obiectum non maneret respectu contradictoriç, contradictoria non esset, sed obiectum huius propositionis, *homo non est equus*, non est ens rationis: ergo actus fingens est constitutivum illius.

21. Probatur tertiò. Obiectum actus fingentis prout ab ipso actu distinctum ante omnem operationem intellectus, vel repugnat existere, vel non repugnat existere? Inter has enim contradictorias nullum est medium, aliàs possent esse simul falsæ; sed si non repugnat existere, est ens reale positivū, & si repugnat existere, est ens reale negativum, vt per se patet, & constat ex definitione entis realis negativi, & entis realis positivi: ergo obiectum actus fingentis, seu ens rationis obiectivum non est ens intrinsecè fictum, distinctūque ab omni ente reali.

Pro-

22. Probatur quartò. Non minus facit ens rationis, qui dicit *Petrus est equus*, ac qui diceret, *Petrus est omnino incognoscibilis, seu in intelligibilis*, sed hic secundus actus non repræsentat ex parte obiecti omnimodam incognoscibilitatem; nam eo ipso quod illam repręsentet, illam cognoscit, neque repræsentat Petrum distinctum ab omni cognoscibili: ergo similiter primus actus, *Petrus est equus*, non repręsentat Petrū distinctum ab omni ente reali.

32. Probatur denique argumento desumpto à contradictorijs, quæ debent habere idem subiectum, idemque prædicatum, posito iam supra n. 6.

SVBSECTIO I.

EVASIONES ADVERSARIorum ad argumenta posita.

24. AD tertium argumentū respondēt Adversarij primò. Quod licet obiectum cognitionis fingentis sit ante omnem fictionem repugnans existere, realiter que impossibile, tamen non cognoscitur vt impossibile, sed vt possibile, & vt non repugnans existere: ergo iam ex parte obiecti correspondet cognitione fingenti aliquid distinctum ab ente reali, nempe possibilitas & nō repugnātia repugnātis

25. Contra primò. Idem instauratur argumentum. Vel illa positiva possibilitas impossibilis, & non repugnantia repugnantis est repugnans ante omnem fictionem, vel non est repugnans? Si primum: ergo est ens reale positivum. Si secundum: ergo est ens reale negativum.

26 Contra secundò. Licet cognitio factiva entis rationis attingat impossibile vt possibile, & repugnans vt non repugnant, hoc totum se tenet ex parte modi attingendi actus disconformis materiæ, cui applicatur affirmatio, vel negatio, non verò eo quod ex parte obiecti ponatur aliquid intrinsecè fictum distinctum ab obiecto, & cognitione. De hoc iam satis.

27. Respondent secundò ad idem argumentum negando suppositum illius, quod scilicet ante omnem operationem intellectus detur ens rationis obiectivum. Prius enim, inquiunt, est, an sit res? Postea vero quid sit; hoc exemplo se explicant, si aliquis rogaret ita, quis melius cantat scamnum, an paries? Certè negaretur illi suppositum, quod scilicet scamnum, & paries cantent. Prius enim est quod cantent, postea verò quod melius, vel peius cantent; ita nobis rogantibus. An ens rationis ante omnem operationem intellectus repugnet, vel non repugnet existere? Rectè negatur suppositum, quod scilicet ante omnem operationem intellectus sit ens rationis; Prius enim est quod sit, postea verò quod repugnet, vel non repugnet.

28. Suo se gladio iugulant Adversarij. Ideo rectè negatur suppositum in exemplo cantus scamni, vel parietis, quia melius, vel peius canere non est primum esse cantus, sed secundum esse, & parietem melius, vel peius canere, nō est propositio de secundo, sed de tertiô adiacente supponens propositionem de secundo adiacente, nempe scamnum, & parietem canere; sed repugnantia, vel non repugnantia rei ad existendum est primum esse rei, si quidem est eius possibilitas, vel impossibilitas ipsius, non verò secundum esse; & repugnare, vel non repugnare aliquid, non est propositio de tertio; sed de secundo adiacente, vt per se patet; quid enim supponit ante se possibilitas, vel impossibilitas? Ergo primum argumentum manet inconcussum. Vnde sicut malè mihi ita

Fff ro-

roganti; paries, & scamnum, vel cantat, vel non cantant? Negaretur suppositum ita: Nego suppositum quod cantent, cum talis propositio nil supponat, ita malê nobis negatur suppositum, quod ens rationis sit ante omnem fictionem, cum rogamus; vtrum repugnet, vel non repugnet existere? Cum hæc interrogatio nil supponat.

29. Item tunc rectè negatur suppositum, quando id, quod inquiritur, licet supponat necessariò aliud, non includitur in illo, quod supponitur, vt patet in exemplo allato; melioritatis cantus scamni, præcantu parietis, quæ melioritas supponit cantum, sed in cantu non involuitur, & ratio est quia si involueretur in illo, iam non esset suppositum, sed ipsummet supponens, sed in ipsomet esse alicuius rei involuitur repugnantia, vel non repugnantia ad existendum; cum esse entis positiui definiatur, per non repugnantiam ad existendum, & esse entis negatiui, per repugnantiam, sicut homo per animal rationale; ergo sicut animal rationale, non supponit hominem; sed est ipse homo; ita repugnantia, vel non repugnantia ad existendum non supponit esse rei, sed est ipsummet esse: ergo suppositum illud perperam negatur.

30. Ad adgumentum desumptum á contradictorijs respondent, solûm versari circa idem obiectum virtualiter, & æquiualenter idem; in ordine ad repugnantiam veritatis, vel falsitatis, non vero realiter, & formaliter idem. Vnde licet obiectum huius propositionis, *Deus non existit* sit Deus fictus, & obiectum huius *Deus existit*, Deus realis, cum Deus fictus, & Deus realis sibi ęquivaleant in ordine adhoc, vt vtraque propositio illa neque sit vera, neque falsa, simul, erunt contradictoriæ.

31. Contra primò. Ergo hę propositiones erunt contradictoriæ *Petrus currit, Paulus non currit*. Probatur consequentia; magis sibi æquivalent, & sunt virtualiter idem *Petrus, & Paulus*, quam *Deus* verus, & *Deus* fictus, siquidem Petrus, & Paulus in pluribus conveniunt, & in nihilo conveniunt *Deus* verus, & *Deus* fictus.

32. Si tamen dicas, Deum verum, & fictum sibi æquivalere in ordine ad veritatem, & falsitatem propositionum, quia scilicet ita impedit *Deus fictus* veritatem huius propositionis *Deus non existit*, ac si esse Deus verus.

33. Contra erit, nam si obiectum huius propositionis *Deus non existit*, est Deus fictus, nō impedit veritatem ipsius sed potiús ipsam verificat; nam verissimum est Deum fictum non existere. Vnde iam insipiens non erit ille, dequo Psalmista ita: *Dixit insipiens inco de suo: non est Deus*; Item nec hæreticus, qui negaret Deum esse trinum, vel huic thimemati responde: Vel hæretius negat esse Trinum de Deo, de quo fides Catholica affirmat, vel non? Si primum: ergo de Deo vero, & non ficto; si secundum: ergo Hæreticus non erit, sed potius actus fidei perfectissimæ eliciet, meritorium que vitæ æternæ.

34. Contra secundò. Hæ propositiones: *Petrus est ens reale Petrus non est ens reale*, non erunt contradictoriæ. Probatur, sunt simul veræ: ergo non contradictoriæ. Probatur antecedens, prima est verá; sed etiam secunda: Ergo. Probo minorem. Tunc aliqua propotitio est vera, quando subiecto convenit prædicatum ipsius; sed Petro, qui est subiectum illius propositionis, convenit illud prædicatum scilicet non esse ens reale: Ergo. Probo minorem. Ens fictum per vos non est ens reale; sed Petrus qui se habet vt subiectum illius propositionis est ens fictum per vos: Ergo non est ens reale, ergo illa propositio erit vera: Argumentum convincit.

35. Respondent secundò alij. Propositiones habere duplex obiectum, signatum, & exercitum: obiectum signatum supponitur ad actum, & est illud, quod actus signat expressè, & de quo cognoscens, si rogetur, rationem reddet: obiectum exercitum est, quod actus exprava sui repræsentatione præbet intellectui prospiciendum, & circa quod actus practicè procedit, v. g. obiectum signatum huius actus *homo est equus*, est homo realis; obiectum vero exercitum, & practicè productum ab actu est homo fictus, ad oppositionem ergo contradictoriam non requiritur, quod propositiones habeant idem obiectum exercitum, sed sufficit, quod habeant idem obiectum signatum.

36. Contra primò. Hæc distinctio obiectorum est omnino chimęrica; rogo obiectum exercitum provt exercitum, vel repræsentatur abactu, vel non? Si non reprçsentatur: ergo nullo modo est obiectum, cum actu nullo modo obijciatur: si repræsentatur: ergo est obiectum signatum, aut repræsentatum. Rogo iterum: obiectum signatum, vel est propiè obiectum actus, vel non; sed solùm quoad sonum vocis dicitur obiectum, sicut dicitur voluntas signi ea, quę sonat, & non est voluntas? Si est propie obiectum actus: ergo est obiectum exercitum seu circa quod exercetur actus, nil enim aliud videtur obiectum exercitum significare. Si non est ipsa obiectum, sed solúm quoad voces? Contra primò. Ergo illæ propositiones re ipsa non sunt contradictoriæ, sed solúm sonant contradictionem, cum re ipsa idem obiectum non habeant. Contra secundo. Ergo hæ propositiones: *Petrus currit, Petrus non currit*, erunt contradictoriæ, etiam si re ipsa de distinctis subiectis verificentur, cum sonent contradictionem, & quoad voces videantur idem habere subiectum.

37. Contra tertiò. Ergo re ipsa propositio non habet obiectum, de quo cognoscens rationem reddit, & ait, se intali propositione loqui de quo re ipsa non loquitur in illa. Patet consequentia, homo de quo re ipsa loquitur illa propositio, & quem habet vt obiectum, per vos, est homo fictus; sed cognoscens reddit rationem, ait que, se loqui de homine vero: ergo non est idem obiectum, quod re ipsa cognoscit, & de quo loquitur, ac illud de quo reddit rationem, & ait se loqui; vnde falsò dicet cognoscens, se loqui de homine vero, cum de homine ficto loquatur.

38. Respondent alij. Tertiò. Quod licet propositiones contradictoriæ debeant idem subiectum, & prędicatum habere, non tamen idem obiectum, sed potius diversa. Probatur primo. Ad contradictionem debet esse vna propositio affirmativa, adque adeo repræsentativa vnionis obiectivæ prædicati cum subiecto, & altera negativa, ideoque repræsentativa divisionis inter prædicatum, & subiectum; sed vnio, & divisio, non sunt idem obiectum, sed diversū: ergo. Confirmatur. Obiectum propositionis affirmativæ resultat ex subiecto prædicato, & vnione. Obiectum vero negativę ex subiecto, prędicato, & divisione; sed concretum resultans ex subiecto, prædicato, & vnione saltem inadęquatè distinguitur á concreto resultante ex subiecto prædicato, & divisione: ergo.

39. Probatur secundò. Oppositio propositionum est in repræsentando obiecta opposita in essendo; versatur enim inter esse, & non esse rei: ergo obiecta debent esse opposita in essendo, ac proinde distincta. Hoc confirmatur ex quadam doctrina Cardinalis de Lugo disp. 1. de Pœnitentia á num. 17. vbi asserit; omnem propositionem negativam esse simul affirmativam, vnde hæc propositio, *Deus non existit*, licet neget existentiam realem Dei, affirmat etiam carentiam talis existentiæ, quæ quidem carentia est intrinsecè ficta, & á propositione

sitione affirmativa non attingitur: ergo non debent habere idem obiectum.

40. Contra, & Nota doctrinam maxime necessariam ad quæstionem præsentem desumptam ex Patre Arriaga disp.3.de Pænitentia, á n.27.sectionis 31.& ex Patre Thirso supra n.37. Propositio affirmativa v. g. *Petrus est equus* non repræsentat ex parte obiecti aliquam specialem identitatem distinctam ab extremis realibus, sed solum repræsentat extrema ea coniungendo ex modo repræsentandi. Similiter propositio negativa; v.g. *Petrus nõ est equus*: non repræsentat ex parte obiecti aliquã divisionem, seu carentiam vnionis ab extremis realibus distinctam; sed ea ex modo speciali tendendi intentionaliter reprẹsentat, ac dividit. Unde ex parte obiecti idemmet equus, idemque Petrus absque addito identitatis, vel carentiæ identitatis, aut divisionis ab ipsis entitatibus *Petri*, & equi distinctarũ, se habent vt obiectum vtriusque propositionis, tam affirmativẹ, quam negativæ, quin ly *est* propositionis affirmativæ correspondeat aliqua identitas specialis, nec ly *non est*: propositionis negativæ aliqua specialis carentia, aut negatio identitatis; sed tota specialitas se tenet ex parte modi repræsentandi, qui quidem modus denotatur per illas copulas *est*, & *non est*. Sicut hæ propositiones. *Petrus, & Paulus currit. Petrus, vel Paulus currit* idem omnino obiectum repræsentant; & non aliquam specialem formalitatem, quẹ sit desiunctio, & correspondeat ly *vel* secundæ propositionis, aut sit coniunctio, & correspondeat ly & primæ; sed ly *vel*, & ly & denotant speciales modos tendendi actuum in idem obiectum. Hẹc doctrina nostris principijs maximè cõformis in memoriam revoca, quẹ docui disputatione primá Summularum sectione 7. scilicet vnionem formalem logicalem non desumi ab obiecto; vnde in propositione negativa vnionem formalem statuimus; ab exercitio enuntiandi, & non ab obiecto desumptam.

41. Advertenter dixi, *non correspondere specialem identitatem*, aut *divisionem distinctam abentibus obiectivis, propositionibus affirmativis, & negativis*; quia si vis, potes dicere, illis correspondere identitatem, & divisionem indistinctam abipsis extremis, ac proinde idem correspondere vtrique propositioni affirmativæ, & negativẹ, nam cum entitas *Petri*; v. g. se ipsa sit divisio abentitate equi, & sit identitas impossibilis cum equo, divisio ab equo, & identitas impossibilis cum eo idem sunt, seu sunt eadem entitas *Petri*, quæ cognita, per propositionem negativam exercet officium divisionis, & cognita per propositionem affirmativam exercet officium identitatis, re ipsa tamen impossibilis sed cognita modo disconformi, nam modus conformis materiæ impossibili, non est affirmativus: vnde falsum est, quod asseritur in prima confirmatione, scilicet obiectum propositionis affirmativæ resultare ex subiecto prædicato, & vnione, cum talis vnio distincta, & specialis non correspondeat ex parte obiecti.

22. Item, quod asseritur in secunda probatione contradictionem scilicet esse *in repræsentando obiecta opposita in essendo, seu inter esse, & non esse obiectivum*, est omnino falsum; tota namque oppositio salvatur in modo repræsentandi idem obiectum, iam affirmativè, iam negativè, quin ex parte obiecti requiratur aliqua oppositio, seu aliquod esse, & non esse obiectivum. Nam circa idem *esse*, & circa idem non *esse* datur in propositionibus oppositio.

43. Doctrina Cardinalis de Iugo optimè impugnatur ab Arriaga loco citato: primò, quia sicut experimur in mente puram affirmationem, ita & puram negationem, vel dicat, cur propositio

sitio negativa erit mixta affirmatione, & propositio affirmativa non esset mixta negatione? Vel quo argumento nisi desumpto ab experientia, impugnari potest caram. Asserens, propositionem negativam esse purè affirmativam? Secũdò cur sicut datur purum odium; quin aliquo amore carentiæ obiecti permisceatur, cur etiam pura negatio non dabitur absque affirmationis permissione? Tertiò quia non rectè divideretur propositio in affirmativam, & negativam cum negativa, etiam esset affirmativa; sicut non recte dividuntur animal in *hominem, & rationale*, quia vnum membrum dividens nempè homo includit aliud nempe *rationale*. Denique de vtraque propositione eodem modo discurrendum erit: quapropter si negativa dicatur virtualiter affirmativa, etiam affirmativa virtualiter negativa debet dici.

SVBSECTIO II.

ALIQVIBVS OBIECTIONIBVS fit satis.

44. OBij. primò. Per nos ens rationis est, quod habet totum suum esse obiective in potentia fingente: ergo non habet esse reale, aliás iam haberet aliquod esse independenter a tali potentia, & consequenter totum suum esse ab ea non haberet.

45. Respondeo, quod licet materia entis rationis habeat totum suum esse intrinsecum independenter ab intellectu, attamen totum suum esse extrinsecum a b intellectu accipit; nam eo modo quo reprẹsentatur ab actu fingente, solum habet esse in actu. Hoc est, licet hircus, & cervus habeant suum esse reale divisiuè, & per modum plurium; attamen simul sumpti, & per modum vnius non habent esse in se conforme tali repræsentationi, sed solùm in ipsa repræsentatione, seu vt repræsentati; cumque repræsentatio sit extrinseca obiecto, seu obiectum vt repræsentatum sit denominatio extrinseca, & hoc solùm significet ly *habere totũ suum esse obiectivè* inde est quod ens rationis, & sisit intrinsecè ens reale, dicatur habere totum suum esse obiectivè á potentia fingente.

46. Replicabis primò. Ergo etiam cum dico *Petrus est homo*: Petrus, & homo habebunt totum suum esse obiectivè in intellectu, quia licet *Petrus & homo* habeant esse in se, attamen vt cogniti solum habent esse in cognitione.

47. Respondeo primò. Concedo totum, sed quia non habent esse obiective in inpotentia fingente, hoc est cognoscente *Petrum, & hominem* aliter ac sunt in se, sed inpotentia eos, vt sunt in se, modo affirmativo proportionato materiæ necessariæ reprẹsentante, non sunt ens rationis; aliter *hircus, & cervus* cum habeant esse obiectivè in potentia fingente, hoc est, repræsentante eos eo modo, quo non sunt, modo scilicet affirmativo improportionato materiæ impossibili, ens rationis componit, in hoc actu: *Hircus est servus*.

48. Respodeo secundò. *Petrum, & hominem* habere esse intrinsecum eo modo, quo per illum actum repræsentatur, scilicet per mododum vnius, vnde totum suum esse habere non dicuntur in modo cognoscendi; at vero *hircus, & cervus*, eo modo quo repræsentantur nullum habent esse intrinsecum in se, sed solum extrinsecum incognitione, vnde dicuntur habere totum suum esse in potentia fingente.

49. Instas, ergo saltem ille modus, quo cognoscuntur *hircus, & cervus*, per modum vnius, erit intrinsecè. Respondetur, nego consequentiam; quia modus ille est ipsamet cognitio, quæ est terminus realis productionis intel-

lectus, & licet sit fictio, non est ficta, sicut licet intellectus sit fingens, ipse non fingitur.

50. Instas iterum; sed cognitio fingens est ens rationis: ergo. Probatur antecedens, ens rationis est: quod habet totum suum esse ab intellectu fingente; sed cognitio fingens habet totum suum esse ab intellectu fingente: ergo. Probatur minor. Hic & nunc producitur cognitio fingens ab intellectu: ergo habet totum suum esse hic, & nunc ab intellectu; sed hic, & nunc intellectus est fingens: ergo habet totum suum esse ab intellectu fingente.

51. Resp. Distinguo minorem, est ens rationis formaliter, nego: effective, concedó. Ad probationem. Nota, á definitione in ea ablatam esse particulam *obiectivè*: in qua distinguetur ens rationis formale ab ente rationis effectivo. Certum est, cognitionem fingentem produci, ac proinde habere totum suum esse effectivum ab intellectu. Ex quo solum sequitur, esse ens rationis effectivum, non vero habet totum suum esse obiectivè in intellectu fingente, hoc est, non se habet vt obiectum intellectus concipientis illam aliter ac est in se, modo disconformi, vnde non est ens rationis formale.

52. Replicabis secundò. Si habere esse reale non obstat quominus aliquid sit simul ens rationis, Verbum Divinum esset ens rationis. Probatur. Verbum Divinum habet totum suum esse obiectivè in intellectu Patris: ergo erit ens rationis. Respondeo, Verbum Divinum habere totum suum esse obiectivum in intellectu Patris cognoscente illud modo conformi, & physicè illud generante, non fingente, & cognoscente illud alirer ac est in se; vnde non est ens rationis.

53. Objic. 2. Ea, quæ opponuntur, distinguntur, sed ens rationis, & ens reale opponuntur: ergo distinguntur: ergo ens rationis est quid intrinsece fictum, distinctum que ab ente reali.

54. Resp. Distinguo maiorem, eo modo, quo opponuntur, concedo: alio modo, nego. Ens rationis, & ens reale opponuntur, sicut opponuntur totum per accidens, & totum per se, v. g. vnus miles, & exercitus; sicut enim exercitus est totum per accidens resultans ex pluribus militibus cum aliqua vnione extrinseca; ita ens rationis est totum per accidens, resultans ex pluribus entibus realibus, aliquo modo copulatis, sed quia copulari debent per cognitionem fingentem, dicitur ens fictum, & aliquo modo oppositum enti reali, quatenus per ens reale, communiter significamus ens non fictum, seu potens existere independenter á fictione.

55. Objic. 3. Hic actus, *homo est equus* non solum respicit hominem, & equum; sed etiam identitatem inter vtrumque; sed licet *homo*, & equus sint entia realia, identitas inter vtrumque est aliquid distinctum ab omni ente reali: ergo.

56. Resp. Nego maiorem; propositio namque affirmans prædicatum de subiecto, tantum respicit prædicatum, & subiectum, quæ ipsa ex modo tendendi inter se intentionaliter annectit; vnde vt cũ Arriaga, & Thirso notavi numero 40. ly *est* propositionis affirmativę non correspondet ex parte obiecti aliqua identitas repræsentata, sed copula illa tantum indicat modum tendendi actus identificantis intentionaliter prędicatum cum obiecto. Idem dic de sucopula negativa *non est* propositionis negativæ, cui similiter non correspondet aliqua divisio repræsentata ex parte obiecti; nam certum est, plura, quæ videntur ex parte obiecti terminare actum, tantum denotare modum cognoscendi, quin eis ex parte obiecti aliquid respondeat, vt patet in exemplo proposito propositionis copulativæ, & disiunctivę. Re-

57. Replicabis primò. Ergo hoc Iudicium: *homo est equus*: nil amplius attingit ex parte obiecti, quã hęc apprehensio complexa; *homo equus*: Resp. Cõcedo totum, solum enim distinguitur iudicium ab illa apprehensione in modo attingendi obiectum; sicut illę propositiones, *Petrus, vel Paulus currit: Petrus, & Paulus currit* idem ipsissimum obiectum attingunt, diverso tamen modo. Immo hinc magnum robur nostræ conclusionis elucet. Nam iudicium nihil amplius attingit, quam, id quod per appredensionem complexam, aut incomplexam manet apprehensum; sed quod per eas manet apprehensum, est quid reale, & non fictum: ergo quod perjudicũ attingitur similiter erit quid reale, & non fictum.

58. Instas. Hæc apprehensio complexa: *homo equus* non est falsa, neque obiectum ipsius est ens rationis, sed impossibile reale. Hoc vero iudicium: *homo est equus*, est falsum, obiectum que ipsius est ens rationis: ergo aliquid amplius attingit in obiecto hoc judicium quam illa aprehensio. Hoc amplius nequit esse nisi identitas inter hominem, & equum: ergo hanc attingit; sed hæc est ficta; ergo.

59. Retorque. Hic actus, *Petrus, sed Paulus currit*, currente tantum Petro, est verus, & hic, *Petrus, & Paulus currit*, currente tantũ Petro, est falsus: ergo aliquid amplius attingit in obiecto hic secundus actus, quam primus; hoc dici nequit: ergo ex eo quod iudicium illud *homo est equus*, non sit falsa non sequitur, hoc judicium respicere aliquid ex parte obiecti, quod apprehensio non respiciat. Unde sicut (& hæc est directa responsio) licet idem attingat ex parte obiecti vtraque illa propositio, disiuntiva est vera, & copulativa falsa Petro tantum non currẽte, solum ex diverso modo attingendi actus; quia scilicet primus attingit disiunctivè, secundus verò copulativè, ideo quod primus non requirit, vtrumque currere, secundus vero vtrumque currere, requirit ad sui veritatem, ita ex diverso modo attingendi, apprehensio illa complexa non erit falsa, quia non tendit coniungendo, aut componendo formaliter, iudicium vero, quia tendit componendo intentionaliter obiecta, erit falsum.

60. Ad illud, quod additur, nempe obiectum iudicij esse ens rationis. Dico, non esse ens rationis adęquatè, sed solûm inadęquatè obiectum illius. Hoc est materia entis rationis, cui se ipsum exhibendo vt forma extrinseca ens rationis constituit adęquate atque ideo hęc apprehensio *homo equus*, non constituit ens rationis, quia cum non sit fictio, vt postea videbimus, non constituit cum suo obiecto, seu materia ipsius concretum fictum, in quo ens rationis consistit: at vero cum actus iudicij sit fictio, hoc est, cognoscat obiectum modo disconformi, cum eo constituit concretum fictum.

61. Si vero Roges. Quid ergo est ille modus coniungendi, & dividendi actum? Respondebo ex Arriaga, loco citato disputatione tertia de Penitentia numero 28. Nos non posse aliter eum explicare, quam ipsa experientia, qua in nobis cognoscimus, eos diversos modos affirmandi, & negandi, & ita debemus respondere, si rogemur, quid sit ille diversus modus affirmandi, per *vel* aut per Possumus tamen id per instantiam in phycicis declarare; vti enim vnio physica nullam vnionem producendo, sed per se ipsam connectit animam & corpus, & in hoc natura eius consistit, quæ amplius declarari non potest; ita in intellectu dantur aliqua iudicia, quæ nullam vnionem intentionaliter respiciendo, pre se ipsa formaliter annectur intentionaliter prædicatum cum subiecto. Alia vero esse, quæ absque respicientia alicuius negations seipsis formaliter ea dividunt, & hoc ipsa experientiá constat. Repli-

62. Replicabis ſecundò. Hæc propoſitio, *homo eſt animal*, repræſentat identitatem hominis cum animali, ex parte obiecti; ergo hæc *homo eſt equus*: identitatem hominis cum æquo. Probo antecedens, illa propoſitio ſignificat: hominem eſſe idem cum animali: ergo: Reſpondeo, nego antecedens, ſolum enim attingit *hominem, & animal*, quæ ex modo tendendi intentionaliter identificat. Ad probationem diſtinguo antecedens, ſignificat, hominem eſſe idem cum animali ſignatê, ſeu attingendo per modum obiecti repræſentati eam identitatem, nego, exercitè vniendo intentionaliter extrema repræſentata, concedo.

63. Obij. quartò, & ſimul replicas ex P. Comptono. In hac, & ſimilibus propoſitionibus, *equus identificatur cum homine: inter equum, & hominem intercedit identitas*, quis quis illas profert, vel audit, concipit identitatem; ſed hęc identitas non eſt quid reale, ſed fictum, diſtinctumque ab omni ente reali; ergo.

64. Retorque, etiam cum quis profert, vel audit hanc propoſitionem, *homo identificatur cum incognoſcibili*: concipit incognoſcibile, ſeu obiectum diſtinctum ab omni cognoſcibili: ergo datur obiectum ab omni cognoſcibili diſtinctum; quod inplicat, cum per talem cognitionem cognoſcatur. Reſpondeo directe: Quis quis illas profert, & audit, concipit identitatem, quę ſit hominis, & equi, quatenus ſunt obiectum repræſentatum per actum, nego; quæ ſit hominis, & equi formaliter per ipſum actum fingentem ex modo tendendi ipſius, concedo. Certum eſt, tales actus exparte obiecti repræſentare identitatem, non tamen repræſentant identitatem hominis cum equo, ſed aliam identitatem realem, quæ antecedenter per ſimplicem apprehenſionem ſupponitur repræſentata, quam quidem identitatem, ille actus iudicij ex modo tendendi applicat homini, & equo, & cum inter hominem, & equm re ipſa talis identitas non ſit, ille actus eſt falſus, diſconformis que cum obiecto; nam obiectum eſt materia impoſsibilis, & actu eſt affirmativus, cum deberet eſſe negativus.

65. Nota, me numero 4 huius ſectionis impugnaſſe Aurelianos Magiſtros, eo quod, meo videri, dicant, intellectum ita applicare identitatem realem cuius habet ſpeciem, extremis, quorum non eſt identitas, v.g. inter hominem, & equum, ita vt actus fingens eam ſignatè cognoſcat vt identitatem hominis cum equo, quin in eſſe talis per applicationem figentem extrinſecè conſtuatur, aliás cognitio fingens ſe ipſam reſpiceret. Vnde optimè contra eos infero: ergo identitas, quam talis actus cognoſcit, non eſt identitas realis, ſed ficta; nam identitas hominis cum equo non eſt realis, ſed ficta, aliunde iuxta ipſos non conſtituitur in eſſe fictæ per cognitionem fingentem: ergo eſt intrinſecè ficta, ſed ſi idem, quod nos doceant, in pace erunt omnia.

66. Replicabis primò. Hic actus, *homo eſt idem realiter, ſeu habet identitatem realem cum animali* attingit per modum obiecti repræſentati identitatem inter animal, & hominem, ergo h c actus Homo eſt idem realiter cum equo attingit per modum obiecti repræſentati identitatem inter hominem, & equum.

67. Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia apprehenſio pręcedens ad vtrumque iudicium cognovit identitatem realem; cum autem illa realis identitas verê contrahatur ad hominem, & animal, apprehenſio illa attingens talem identitatem, cognovit identitatem, quæ vere datur inter animal, & hominem. Vnde eſt, quod iudicium applicans illam identitatem, per apprehenſionem propoſitam reverá attingit per modum obiecti repræſentati identitatem inter hominem, & animal. Ideoque eſt verum, quia identitas quam ex modo intrinſeco tendendi extremis applicat, reverá ex parte obiecti datur inter ea. At vero cum illa ratio communis identitatis realis apprehenſa, neque contrahatur, neque contrahi poſsit ad hominem cum equo, cognitio ex modo tendendi eam homini, & equo applicans nunquam attingit ex parte obiecti repręſentati identitatem inter hominem, & equum, ſed eam facit.

68. Replicabis ſecundò. Ex eodem Comptono: in hac propoſitione: *Identitas inter hominem, & equum eſt chimæricæ*, repræſentatur identitas, de qua prædicatur, quod ſit chimærica: ergo concipitur obiectum intrinſecè fictum. Probatur conſequentia; ſi identitas, quæ ſe habet vt ſubiectum talis propoſitionis, non eſſet intrinſecè ficta, eſſet falſa talis propoſitio; nam nec identitas realis poſitiva, nec identitas realis negativa eſt chimærica; ſed talis propoſitio eſt vera: ergo identitas, quæ ſe habet vt ſubiectum illius, eſt intrinſecè ficta.

69. Reſp. Concedo antecedens, & nego conſequentiam; ad probationem, nego ſequelam, & ad ſubſumptam probationem, dico quod ſive illa identitas ſit realis poſitiva, ſive ſit realis negativa, vera eſt illa propoſitio aſſerens, inter hominem, & equum poſitam eſſe chimæricam identitatem; nam vel identitas eſt realiter poſsibilis applicata vbi non eſt, vel realiter impoſsibilis, ſeu negativa cognita diſconformiter, ſeu aliter ac eſt in ſe, hoc eſt, cogitan vt poſsibilis, cum re ipſa ſit impoſsibilis, & in vtraque acceptione, cum de ea prædicatur, eſſe chimæricam, loquitur propoſitio non de identitate ſecundum ſe; nam ſic eſſet falſa propoſitio, ſed de identitate prout illi applicatá, & involuente iam cognitionem fingentem, ſeu applicationem fictitiam, aqua ſicut denominatur extrinſecè, non intrinſecè ficta, ita denominatur non intrinſecê, ſed extrinſecè chimærica. Vnde ſenſus illius propoſitionis, ſi loquatur de identitate reali poſsibili ita ſe habet, identitas, quæ re ipſa eſt poſsibilis male applicata ab intellectu inter hominem, & equum eſt chimęrica, ſi verò loquatur de identitate reali impoſsibili, ita dentitas realiter impoſsibilis diſconformiter cognita vt poſsibilis inter hominem, & equum eſt chimærica. Eodem modo diſcurrendum eſt in ſimilibus propoſitionibus; v.g. *Alius Deus eſt chimæricus: homo brutum eſt quid fictum, &c.*

70. Obj. 5. Ex eodem Comptono: hęc propoſitio eſt vera: *Deus per ſuam entitatem excludit alium Deum*: ergo ex parte obiecti repręſentatur alius Deus non verus, & realis: ergo fictus.

71. Reſp. *D*inſtinguo propoſitionem, excludit alium Deum, hoc eſt, diſtinguitur ab alio Deo inadæquate, concedo; aliter intellecta propoſitio eſt vera, nego. Alius Deus nil aliud eſt niſi complexum ex Deo vero, & reali & ex alietate etiam reali; cum autem Deus á ſe ipſo non diſtinguatur, niſi ab alietate, non excludit alium Deum adæquatè, hoc eſt, non diſtinguitur ab alio Deo adæquatê, ſicut materia prima non diſtinguitur adæquatè a compoſito; ſed illud inadæquatè excludit, ea parte ſcilicet, qua compoſitum dicit formam, & vnionem.

72. Replicat primò Comptonus: ergo illa propoſitio: *Deus per ſuam entitatem excludit alium Deum*, eſt falſa. Probatur. Deus coexiſtit cum alietate reali, & vero *Deo*: ergo ſi ly *alius Deus*, nil aliud eſt, quam verus *Deus, & alietas* realis, falſum eſt, *D*eum per ſuam entitatem alium *D*eum excludere.

73. Reſpondeo, in ſenſu iam explicato, ſcilicet *D*eum ab alio Deo ratione alietatis diſtingui, veram eſſe illam propoſitionem, licet Deus coexiſtat cum vero *D*eo, & alietate reali. Si

vero sensus illius sit, Deum ita excludere alium Deum, vt nequeat intellectus alium Deum fingere conferendo ipsi *Deo* prædicatum alietatis, falsa est propositio, nam certum est, *Deum* posse coexistere cum tali fictione; vel etiam si sensus illius sit, Deum verum excludere alium Deum realiter impossibilem, hoc est, non posse coexistere cum impossibilitate alius Dei, est etiam falsa; nam tam verum est, Deum verum existere positivé independenter ab omni fictione; ac alium Deum existere negativè. Clarius; tam verum est, nunc dari existentiam veri Dei, ac carentiam existentiæ alius Dei.

74. Replicat secundò. Si alius Deus nil aliud esset, quā verus Deus, & alietas realis, a parte rei darentur omnia constitutiva alterius Dei, cum à parte rei detur verus *Deus*, & vera alietas: ergo daretur similiter alius Deus á parte rei.

75. Respondeo, á parte rei dari omnia constitutiva alterius *Dei* realiter impossibilis, non vero alterius *Dei* qui sit ens rationis, ad hoc enim deficit forma, vsque dum cognitio fingens adveniat, & Deum verum, & alietatem, modo disconformi affirmativo dicat, *datur alius Deus*; ex quo actu, & ex tali materia, cui actus communicatur, resultat ens rationis; vnde licet verus *Deus*, & alietas existant á parte rei, non tamen eo modo, quo per actum repræsentantur.

76. Instat, modus ille, cum per nos se teneat ex parte actus, cum ipso que identificetur, existit á parte rei; nam talis actus, licet sit fictio, non est fictus: ergo quid quid est de conceptu intrinseco, & essentiali alterius Dei, existit á parte rei: ergo alius Deus similiter existit, quod tamen Orthodoxi omnes adversantur, dicente Deo per Prophetam, Deutoron. 38. versu. 39. *Non est alius Deus præter me.*

77. Respondeo, distinguo Primum consequens: ergo quid quid est de conceptu alterius Dei, existit á parte rei, hoc est, est ens reale, concedo, hoc est existit sine fictione: nego. Bene verum est, alium *Deum*, vt est ens rationis, seu quod idem est, Deus hic verus cognitus aliter ac est in se, involuere Deum verum, alietatem realem, & cognitionem realem fingentem; vnde nihil intrinsecè fictum involuit; attamen cum cognitio illa sit fingens, non datur alius Deus sine fictione, seu non datur absque eo quod sit fictus. Quid ergo contra vnitatem veram, & realem veri Dei negantis, præter se dari alium Deum verum, quod dentur mille, vel millies mille *Dij* ficti? Seu quod idem est, quod millies ab hominibus aliter ac est in se cognoscatur? Quomodo autem intelligatur illa *Deutoronomij* propositio: *Nō est alius Deus præter me*: postea videbitur?

78. Neque ex eo quod dentur á parte rei fundamentalia constitutiva alterius Dei, sequitur; dari á parte rei, seu independenter á cognitione fingente alium Deum. Patet exemplo vniversali cuius constitutiva fundamentalias dantur à parte rei, seu independenter á cognitione abstrahente, nempe plures naturæ convenientia in aliquo prædicato, quin tamen ipsum vniversale detur à parte rei; quia á parte rei naturæ illæ se habent, vt plures, carent que illa vnitate extrinseca, quam accipiunt á cognitione præcisiva attingente illas naturas per modum vnius. Ita licet á parte rei dentur constitutiva alterius Dei, nempe Deus verus, & alietas realis, cum solúm dentur vt plura entia, sine vlla vnitate, non datur á parte rei ens rationis; vsque dum per cognitionem fingentem, reddantur vnum quid in modo extrinseco concipiendi, non tamen in modo intrinseco, & obiectivo essendi

Obj.

79. Objic. 6. Ego cognosco id quod dubito, sed dubito, an detur ens distinctum ab omni ente reali. Ergo cognosco ens distinctum ab omni ente reali. Confirm. Ego cognosco id, quod nego; sed nego ens distinctum ab omni ente reali: ergo.

80. Respondeo distinguo maiorem: cognosco, id quod dubito, eo modo, quo dubito, concedo; alio modo, nego, & distinguo minorem; sed dubito, an detur ens distinctum ab omni ente reali? Idest an detur aliquod obiectum, quod posit verificare opinionem contrariam, concedo aliud, nego, & distinguo consequens: ergo cognosco ens distinctum ab omni ente reali, distinctione terminante cognitionem fingentem; nego, distinctione constituta, & applicata per ipsam cognitionem fingentem, concedo. *Dum* ego dubito, an detur ens distinctum ab omni ente reali? Solum attingo omnia entia realia, & quæro vtrum aliquod ex illis posit verificare sententiam, seu actus contrariorum asserentium, distingui ab omni ente reali; vnde solum cognosco ens reale, & actus falsos contrariorum, sed neque ens reale, neque actus contrariorum distinguuntur ab omni ente reali: ergo.

81. Idem ad confirmationem respondetur. Me scilicet cognoscere id, quod nego, sed eo tamen modo, quo illud nego, cum autem ego nego, dari ens rationis intrinsecè fictum, seu distinctum ab omni ente reali, tantum nego, dari aliquod ens reale, quod posit esse verificativum contrariæ sententię; seu tantum nego eum actum, quo Adversarij affirmant, dari ens distinctum ab omni ente reali, esse verum, per quem actum tantum attingitur ens reale, & actus adversariorum, qui etiam sunt ens reale. Falsitas argumenti patet hac duplici evidenti retortione. Ergo dum nego, dari ens reale distinctum, & indistinctum simul ab ente reali cognosco ens reale distinctum, & indistinctum simul. Item. Ergo dum nego; dari aliquod ens intelligibile cognosco in intelligibile. Patent consequentiæ; quia ego cognosco, quod nego, sed nego ens distinctum simul, & indistinctum ab omni ente reali, & etiam ens in intelligibile; ergo.

82. Instas: ergo de obiecto reali habeo actum dubitandi, vtrum sit ens reale, vel quid distinctum ab ente reali? Resp. Distinguo consequens: de obiecto reali confusè cognito; concedo: clarè cognito, nego; nec hoc est absurdum, sed necessarium, sicut intellectus dubitans, an Deus sit Trinus, dubitat de *Deo* Trino confusè, & non clarè cognito, an sit Trinus?

83. Replic. primò. Hæc est vera propositio, *si daretur ens rationis distinctum ab omni ente reali, daretur ens rationis distinctum ab omni ente reali*, cum sit identica; ergo cognosco ens rationis distinctum ab omni ente reali: Probatur consequentia, per hanc propositionem cognosco nunc, quod tunc daretur, sed tunc daretur ens rationis distinctum ab omni ente reali; ergo illud nūc cognosco: ergo datur ens rationis ab omni ente reali distinctum.

84. Instantijs sophysma cognoscitur: primá sit, hęc est vera propositio *si daretur* ens distinctum, & indistinctum simul ab omni ente reali, daretur ens distinctum simul, & indistinctum ab omni ente *reali*. Secunda sit. *si daretur ens distinctum* ab omni ente intelligibili, daretur tale *ens*: ergo nunc cognosco ens distinctum ab omni intelligibili; nam cognosco, quod tunc daretur, quo quid ab ardius? Videas tuæ instantiæ efficaciam, quæ licet ob nimiam eius æquivocationem difficilius sit, clare, & directè qua possim claritate, & distinctione respondere conabor.

85. Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo cognosco

ens

ens rationis distinctum ab omni ente reali eomodo, quo tunc daretur, concedo, eo modo quo tunc non daretur, nego. Ad probatione similiter distinguo maiorem: cognosco, quod tunc daretur eomodo, quo tunc daretur, concedo, alio modo quo tunc non daretur, nego, & distinguo minorem, sed tunc daretur ens rationis distinctum ab omni reali distinctione intrinseca ipsius, ente reali distinctione intrinseca ipsius, nego; distinctione, quę extrinsecè fieret talis per aliquam cognitionem fingentem, concedo; & similiter distinguo vltimum consequens: ergo daretur ens rationis distinctum ab omni ente reali distinctione intrinseca ipsius, nego. Distinctione constituta in esse talis extrinsé é per actum fingentem, concedo. Solutionem explico. Dupliciter potest intellectus tendere in aliquod ens primò: si d rectè dicat, hoc ens distinguitur ab omni ente reali: quo casu fingeret, nam quod tunc attingeret ex parte obiecti, esset aliquod ens reale, & aliqua distinctio realis huius, vel alterius entis à quolibet alio seorsim, vel á collectione omnium prer ipsum, quam falsò applicat tali enti respectu collectionis omnium, prout etiam comprehendit ipsum, quæ quidem distinctio in esse distinctionis respectu omnium non repręsentatur ab actu fingente, sed potius constituitur extrinsece in esse talis per ipsum actum fingentem.

86. Secundò. Potest intellectus reflexè tendere in illud ens cognoscendo eam distinctionem ab omni ente reali ipsi extrinsecè communicatam beneficio intellectus, ita vt diceret: *hoc ens distinguitur ab omni ente reali distinctione constituta in esse talis ex rinsecê per cognitionem fingentem; qui quidem actus non efformaret ens rationis, neque attingeret ens intrinsecê, sed tantum extrinsecè distinctum ab omni ente reali, cum non attingeret distinctionem, quæ prout est obiectum terminus cognitionem directam, sit distinctio respectu omnium entium realium; sed distinctionem, quæ in ratione talis respectu omnium constituatur per ipsum actum directum, & reflexè cognoscatur ab ipso. Hoc supposito.

87. Dico: illum actum, si daretur ens rationis distinctum ab omni ente reali, &c. esse verum, quia est reflexus supra ens rationis constitutum per cognitionem fingentem in esse distincti ab omni ente reali; & sensus illius est, si daretur aliquod ens reale, cui falsò applicaretur ab intellectu distinctio ab omni ente reali, daretur tale ens. Inquo cum tantum attingitur ens reale, distinctio realis, & cognitio realis fingens, applicans que eam distinctionem, vbi non est, per eam nil attingitur intrinsecè fictum. Mitto alias intelligentias talis propositionis, quas apud me conscriptas habeo, tum quia præcedens sufficit, tum ne ijs multiplicatis, vos confundam.

88. Replicabis secundò. Rogatus quis, quid percipiat per vocem *non homo* diceret, se concipere obiectum distinctum ab omni homine, quia vox ipsa hoc significat: ergo similiter per hunc terminum complexum, *obiectum distinctum ab omni ente reali* concipiet aliquod obiectum ab omni ente reali distinctum; Uox enim hoc significat; sed obiectum distinctum ab omni ente reali solum potest esse obiectum intrinsecè fictum: ergo hoc datur.

89. Respondeo, admisso antecedenti nego consequentiam, & paritatem; nam præter hominem, dantur plura obiecta, quæ possint terminare cognitionem illam. Vnde si rogatus quis diceret; se concipere aliud obiectum distinctum ab omni ente reali, erit aliud solum ex modo concipiendi extrinseco, non verò in modo essendi intrinseco, sicut quid diceret; se concipere aliquod obiectum omnino incognoscibile,

bile, vel aliquod obiectum distinctum tam ab ente reali, quam ab ente ficto, iuxta omnes hoc solum salvaretur in modo extrinseco cognoscendi, nec ly *incognoscibile*, se teneret intrinsecé ex parte obiecti, quia eo ipso quod illud cognoscat, exercitè, & intrinsecè est cognoscibile, cum exercitè terminet cognitionem; ita eo ipso quod quis concipiat aliquod obiectum, hoc erit intrinsecè ens reale, licet signaté, & extrinsecè dicatur esse ab omni ente reali distinctum.

90. Obj. 7. Per hunc actum *Deus non existit*: cognosco non existentiam Dei, seu carentiam existentiæ, non realem: ergo fictam.

91. Resp. Distinguo antecedens ex parte obiecti, nego, ex modo tendendi actus concedo. Cum dico; Deus non existit, non attingo in obiecto carentiam aliquam, aliás non esset illi contradictoria hæc propositio *Deus existit*: nam cum hæc carentiam non attingeret, non haberet idem obiectum. Vtraque enim propositio eandem existentiam attingit, vna affirmativo, altera negativo modo, in quo quidem modo se tenente tantum ex parte actus salvatur tota propositionum oppositio, vnde ly *non* in propositionibus negativis, sicut ly *est* in affirmativis, solum se tenent ex parte actuum, quin illis correspondeat aliquid speciale ex parte obiecti, sicut non correspondet particulis disiunctivis, & copulativis.

92. Objic. 8. Ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: ergo sicut hæc propositio *Petrus est homo*: est vera, quia respicit esse hominis in Petro, hæc *Petrus non est homo*: est falsa, quia respicit non esse hominis in Petro; sed non esse hominis in Petro est quid intrinsece fictum: ergo.

93. Resp. Illud principium ita intelligendum esse: si res sit eo modo, quo repræsentatur, erit vera propositio, si vero non sit eo modo, quo repræsentatur, erit falsa propositio, sed eadem res repræsentari debet ab vtraque contradictoria, quin vlli correspondeat ex parte obiecti aliquid, quod similiter alteri non correspondeat. Vnde huic vtrique propositioni: *homo est equus*; *homo non est equus*: idem homo, idem que equus correspondet ex parte obiecti, sed prima est falsa, quia homo non est eomodo, quo repręsentatur. Secunda est vera, quia homo est eomodo, quo repręsentatur.

94. Replicabis. Oppositio contradictoria fundatur in illo principio: impossibile est, idem simul esse, & non esse: ergo ex propositionibus contradictorijs vna terminatur ad esse, & altera ad non esse. Respondeo; principiũ illud ita intelligendum est: impossibile est quod aliquid sit simul sicut affirmatur, & negatur, ex quo infertur; ex contradictorijs vnam propositionem debere esse falsam, & aliam veram.

95. Objic. 9. Dum efformo ens rationis, illud cognosco: ergo non constituitur per ipsam cognitionem, quia iam cognitio esset reflexa. Respondeo, sæpe me dixisse, cognitionem factivam entis rationis non respicere vt obiectum ens rationis adæquatê sumptum, quia iam ipsa cognitio vtpotè vnum ex cõstitutivis ipsius entis rationis se ipsam attingeret, respicere tamen ens rationis inadæquatè sumptum, seu materiam entis rationis, supra quam ipsa cognitio vt forma cadit, ex qua, & ex illa materia ens rationis conflatur.

96. Replicabis. Ens rationis habet esse obiectivè in intellectu, seu cognitione fingente, ergo non constituitur per ipsam cognitionem fingentem. Probatur consequentia, si ens rationis constitutum per cognitionem fingentem haberet esse obiectivè in cognitione fingente, ipsa cognitio fingens haberet esse obiectivè in se ipsa, ac proinde

inde supra se ipsam reflecteretur: ergo.

97. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem nego antecedens, nam vel loquimur de ente rationis denominativè, hoc est, de subiecto denominationis, supra quod cadit denominatio ficti, vel de ipso ente rationis concretivè sumpto, & de vtroque quod habeat totum suum esse obiectivè in intellectu fingente verificatur, diverso tamen modo, verificatur de subiecto denominationis, quia obiecta falsò applicata per cognitionem fingentem, quę vt sic denominantur ens rationis, tantũ possunt per intellectum fingentem applicari, quin possint se habere sicuti applicantur. Verificatur de ente rationis concretivè sumpto, quia cum dicitur ens rationis habere totum suum obiectivè in intellectu solum significatur, ens rationis habere hoc, quod est fingi, seu esse fictum, vt constitutivum; non vero significatur, habere totum suum esse obiectivè extrinsece, vt obiectum repræsentatum á cognitione, & vt terminus ipsius, ita vt prout est quid obiectivè fictum comparetur ad actum vt obiectum ipsius, cum iam ita ipsum actum includat.

98. Objic. 10. Inde probamus, aliquid esse ens reale, quod sit ante omnem fictionem mentis; sed ens rationis non est ante, sed post fictionem mentis; ergo non est ens reale. Resp. Distinguo maiorem, prout ens reale convertitur cum ente non ficto, concedo, aliter, nego; concedo minorem, & distinguo consequens: ergo non est ens reale, prout ens reale convertitur cum ente non ficto, concedo: aliter, nego. Nota aliud esse, prædicatum aliquod realiter convenire, vel non convenire alicui subiecto, & aliud, prædicatum aliquod esse ens reale, vel non esse ens reale. Inde probamus, aliquod prædicatum realiter alicui subiecto convenire, quia illi convenit ante omnem fictionem, hoc est non vi, & efficacia fictionis; & inde non convenire illi realiter, quia illi non convenit nisi post fictionem, & tamen est ens reale. Sic ens rationis est ens reale, licet non sit ante fictionem, & in hac propositione *homo est equus*, ly equus est prædicatum in se reale, licet realiter non conveniat subiecto, quia solum illi convenit post fictionem vi, & efficacia fictionis.

99. Obj. 11. Omnis causa distinguitur ab effectu; sed cognitio fingens est causa entis rationis, sicut ignis est causa caloris: ergo distinguitur ab ente rationis, sicut ignis à calore.

100. Resp. Distinguo antecedens Omnis causa extrinseca effectiva, concedo, omnis causa intrinseca formalis, nego. Cognitio enim fingens non est causa effectiva entis rationis, sed causa formalis, vnde ab eo non distinguitur, nisi solum inadæquatè, sicut cognitio a concreto *cognitum*, quod constituit vt forma.

101. Obj. 12. Si ens rationis esset ens reale, vel esset ens reale positivum, vel ens reale negativum; sed neutrum: ergo. Probo minorem quo ad primam partem, si esset ens reale positivum, non repugnaret existere á parte rei; sed repugnat existere: ergo. Probatur quo ad secundam partem, sæpe componitur adęquatè ex entibus positivis v.g. *homo est equus*, quod ex homine, & equo, & cognitione fingente compositum est; sed ens compositum ex entibus positivis nequit esse ens negativum, sicut ens compositum adæquatè ex entibus realibus nequit esse intrinsecè fictum, vt contra Comptonum, & hinc communiter defenditur: ergo.

102. Respondeo, quod cum ens rationis non sit vnum ens simpliciter, sed plura entia cum aliqua extrinseca vnitate, nequit absolutè dici, quod sit ens negativum, neque quod sit ens positivum; si fuerit compositum ex entibus positivis, vt *homo est equus* erit plura entia positiva non repugnantia existere positive; si fuerit ex entibus negativis compositum, vt *hyrcus servus est homo leo*: erit plura entia negativa. Si verò fuerit mixtum exente negativo, & positivo, vt *hyrcus servus est homo*; erit ens negativum, & positivum. Dicitur tamen, & communiter á nobis appellatur ens reale, non quia iudicemus, ipsum esse aliquod ens reale simpliciter tale; sed ita illud appellamus, quia ex pluribus entibus realibus componi, dicimus.

103. Nota. Ex huiusque dictis facilè posse defendi; non dari ens rationis, quin adversus te aliquod possit argumentum apponi, quod iam solutum non maneat. Nam si in toto rigore, & communi hominum apprehensione sumatur ens rationis, intelligitur quid distinctum ab omni ente reali, tam positivo quam negativo, ita habens totum suum esse dependenter ab intellectu, vt aliàs nullum habeat esse, nec possit habere, quomodo ens rationis á nobis concessum non se habet. Ex quo non sequitur, me negare intellectum sæpe fingere, darique plures cognitiones fingentes habentes proprium obiectum; sed obiectum reale, non vero quid obiectivè fictum ab ente reali distinctum quod communiter intelligitur per ens rationis strictissimè sumptum.

SECTIO II.

VTRVM DENOMINATIONES extrinseca sint ens rationis?

104. Diximus iam, ens rationis consistere in extrinsecá denominatione. Nunc quærimus, vtrum omnis extrinseca denominatio sit ens rationis? Quod secũdum ex primo non infertur; sicut licet omnis homo sit vivens, non tamen omne vivens est homo. Nota primò. Dari duplicem denominationem, intrinsecam, & extrinsecam. Denominatio intrinseca provenit á forma vnita, vel inhęrente subiecto, vt denominatio *albi* in pariectate ab albedine illi vnita, & denominatio *cognoscentis*, & *amantis* in homine á cognitione, & amore illi inhærentibus. Extrinseca est, quæ provenit á forma nec vnita, nec inhærente subiecto, vt denominatio *amati*, *cogniti*, &c. ab amore, & cognitione non inhærentibus termino, sed principio. Nota etiam, has formas, amorem scilicet, & cognitionem extrinsecè denominantes, per accidens posse esse intrinsecas, si cognitio, & amor sint reflexi ad principium, v.g. cognitio, & amor quibus Deus se cognoscit, & amat. Nota item, amorem, & cognitionem extrinsece denominantes terminos amatos, & cognitos intrinsece, denominare principium amans, & cognoscens, sed diversa denominatione. Denominatio extrinseca est duplex, Physica, & intentionalis; physica est, quæ provenit à forma physica, vt denominationes *dextri*, *sinistri*, &c. Intentionalis, quæ procedit á forma intentionali, vt denominationes *cogniti*, *generis*, *speciei*, *amati*, &c. Hic addi solent denominationes morales, quæ etiã extrinsecæ sunt, vt denominationes *Domini*, *servi*, *Mariti*, &c. ab aliqua forma morali provenientes.

105. Nota secundò. Sæpe subiectum denominatum esse chimęricum, vt cum *hirco servus* denominatur cognitus. Certum est, talem denominationem includere ens rationis; sed non ex conceptu communi denominationis; sed ex speciali subiecto, quod denominatur; sicut hęc denominatio amati Petri v.g. includit Petrum non tamen ex conceptu communi, denominatio nis ama-

amati, sed ex conceptu speciali talis denominationis.

106. Nota tertiò. Cum Patre Arriaga, disputatione 7. metaphysicæ sectione 1. num. 1. Quæstionem esse purè denomine: Thomistæ enim affirmantes denominationes extrinsecas esse entia rationis, alio sensu ens rationis accipiūt, in quo á nemine esse entia rationis, negatur, scilicet esse entia rationis fūdamētaliter, quatenus scilicet præbent intellectui fundamentum, vt eas vt intrinsecas concipiat, efformet que ens rationis formaliter. Aliter enim impetendum est contra Thomistas 1. ex inconsequentia in appellandis nomine entis rationis denominationibus intentionalibus: *cogniti, amati* v. g. quia extrinsecę sunt, cum alias entis rationis nomine non insigniant denominationes physicas, *dextri, sinistri, prioris*, &c. quæ etiam extrinsecæ sunt Secundò ex pravo vsu talis vocis, cum ens rationis vsurpent pro omni eo, quod est extrinsecum obiecto, seu pro ente rationis fundamentali, quod re *ipsa* non est ens rationis, sed fundamētum ad illud.

107. Prima sententia affirmat, denominationes extrinsecas intentionales esse entia rationis, ita communiter Thomistæ, & Schotistæ. Smisig. Rada. Faber. Ex nostris Toletus. Rubius, Alphonsus. Sed argumento numero antecedenti posito convicti affirmant; esse entia rationis omnes denominationes extrinsecas, tam intentionales quā physicas. Ortiz. Ioannes á Stothom. Ex nostris Bazquius, Alarcon, Fonseca 5. metaphysicæ capite 6 quæst. 6. Ex his tamen diversa graditur vnusquisque via postea carpenda.

108. Secunda sententia vniversaliter negat de omni denominatione extrinseca vt tali: ita Eximius Doctor. Hurtado. Arriaga vbi supra, Izquierdo, Oviedo, Quiroz. Scotista Pontius, & Thomistæ Lerma, & Pradus apud Patreum Pinado tract. 4. de ente rationis, disputatione 3. num. 25.

109. Dico. Denominationes extrinsecę non sunt entia rationis formaliter. Probatur primo denominationibus physicis; id, quod sine vlla fictione datur, non est ens rationis formaliter tale; sed sine vlla fictione dantur denominationes extrinsecæ physicæ: ergo. Maior est certa. Ens namque rationis ex propria definitione fictionem requirit. Probatur minor: posita forma extrinsecá, & subiecto denominabili, ablato quocumque alio, & imposibili omni fictione datur denominatio extrinseca: ergo. Probo antecedens. Posita creatione Angeli, & Deo, á quo provenit, ablato quocumque alio, & imposibili omni fictione, *Deus* denominaretur extrinsecè *creans*: ergo. Patet antecedens. Angelus denominaretur intrinsecé *creatus*; ergo Deus extrinsecè creans Imposibile enim est dari vnum correlativum sine alio.

110. Probatur quoad denominationes intentionales Per vos me cognoscere, & amare Petrum, non est ens rationis: ergo neque Petrum esse cognitum, & amatum a me, erit ens rationis. Patet consequentia. Idem est ejsdem que gaudet constitivis (Pueris hoc vocitantibus) mutata solum voce activa in pasivam; me cognoscere Petrum, ac Petrum esse cognitum a me, me namque cognoscere Petrum, est meam cognitionem terminari ad Petrum. Petrum esse cognitum a me, est, Petrum meam cognitionem terminare; sed meam cognitionem terminari ad Petrum, & Petrum terminare meam cognitionem, idem est formalissimè: ergo.

111. Probatur secundò. Ad hominem contra Thomistas primo. Per vos denominationes physicæ, vt denominationes *dextri, sinistri*, &c. & denominationes morales, vt denominationes *Domini, servi*, &c. non sunt entia rationis: ergo neque denominationes intentionales, cum tam intrinsecæ sint illæ quam hæ. Secundo contra omnes. Beatus per vos est cognitus á Deo, quin *Deus* efformet ens rationis: ergo iam datur aliqua denominatio extrinseca, quæ ens rationis non sit.

112. Confirmatur, & roboratur tota doctrina simul pręocupādo Adversariorum effugia. Ponamus; Deum creasse Cœlum ante creationem Angelorum, & hominum, in illo que complacuisse; Posita actione creativa datur in *Deo* denominatio extrinseci *creantis*: & posita complacentia datur in Cœlo denominatio extrinseca *voliti*. Rogo. Hæ denominationes sunt entia rationis, vel non? Si secundum? Ergo iam dantur denominationes extrinsecæ, quę entia rationis non sint. Si primum? Rogo iterum: á quo intellectu fiunt? Non ab intellectu Divino, qui per vos ens rationis non efformat. Non ab intellectu creato, siquidem nullus est. Dicere ens rationis ex se resultare, absurdum est: quomodo enim sine fictione, resultare potest ens fictum? Ergo.

113. Objic. 1. & est prima responsio aliquorum Thomistarum. Per nos denominationes extrinsecæ sunt tantum ens rationis fundamentaliter, quatenus scilicet posita forma extrinseca denominante, & subiecto denominabili, datur fundamentum intellectui, vt cōcipiat talem formam intrinsecam in subiecto, & sic faciat ens rationis formaliter: Ergo similiter: Posita creatione vel amore, quę sunt formæ extrinsecæ denominantes, & Deo, & creatura quæ sunt subiecta denominabilia, solum reddetur Deus fundamentaliter creans, & creatura fundamētaliter volita. Probatur cōsequentia. Ideò per nos denominationes extrinsecę sunt tantū entia rationis fundamentaliter non verò formaliter, quia ad ens rationis formaliter tale requiritur, quod forma extrinseca cōcipiatur, vt intrinseca, sed similiter ad denominationem *creantis amat* formaliter talis requiritur quod forma extrinseca cōcipiatur vt intrinseca; ergo. Probo minorem: nulla forma potest denominare aliquod subiectum nisi sit in subiecto per aliquam vnionem: ergo vt forma extrinseca denominet formaliter aliquod subiectum debet concipi, vt intrinseca illi per aliquam vnionem, non realem, quia hæc non datur: ergo fictam.

114. En summè voluntariam, falsitate que conspersam solutionem. In primis maximam asigno disparitatem ad argumentum. Ideò denominationes extrinsecæ nō sunt formaliter, sed solum fundamentaliter ens rationis, vsque dum intellectus, eas vt intrinsecas concipiat, quia vsque dum intellectus eas ita concipiat, non convenit eis definitio enti rationis, nempe habere totum suum esse ab intellectu fingente, concipiente scilicet eas aliter ac sunt in se; At verò ante quam intellectus supra denominationes extrinsecas reflectat, concipiat que creationem vt intrinsecā *Deo*, & amorē vt intrinsecum creaturæ, Deo competit definitio creantis, & creaturæ definitio amatę. Patet primo: nil aliud est *esse creans* aliquod subiectum, quam elicere aliquam actionem propiè creativam, & *esse amatū*, quam esse propiè terminum amoris; sed absque vlla fictione, actuque concipiēte, immò imposibili omni intellectu, posita actione creativa proveniente á Deo, & amore terminato ad creaturam, Deus elicit actionem propriè creativam, & creatura propiè terminat amorem: ergo.

115. Patet secundo. *Deus* est propiè, & simpliciter formaliter creans, ergo vt ita denominetur non requiritur ens rationis. Probatur: id quod alicui competit per fictionem, non competit illi propriè, & simpliciter, sicut Petro nō com-

competit propriè, & simpliciter esse equum; quia solum per fictionem illi competere potest. Item, per vos ante vllam fictionem, *Deus* est fundamentaliter creans, sed *Deus* fundamentaliter creans est aliqua denominatio extrinseca: ergo datur aliqua extrinseca denominatio, quæ fictionem non involuat.

116. Ad illud vltimum quod additur nempe nullam formam posse denominare subiectũ, nisi sit in subiecto per aliquam vnionem. Dico; iam ex eo destrui omnem denominationem extrinsecam, reddique quæstionem de subiecto non supponente; in hoc enim distinguitur extrinseca denominatio ab intrinseca, quod hæc requirat formam per aliquam vnionem esse in subiecto, vt albedo in pariete ad denominationem intrinsecam *albi*, illa vero talem vnionem non requirat. Item si re ipsa talis vnio requiritur ad denominationem quamcumque, vnde fingenda est in denominatione *amati*; nulli dabitur denominatio extrinseca simpliciter talis; sicut quia re ipsa nequit dari homo sine animali rationali, vnde fingendum est animal rationale in hoc concreto *homo est equus*, nullus datur homo equus, propriè, & simpliciter talis.

117. Hinc infertur quod tam falsum esset dicere. Deum *esse factorem Cæli, & terræ. Divum Ioannem fuisse dilectum à Christo. Christum segregaturum in die iudicij Hædos ad sinistram, Agnos ad dexteram: Beatam Virginem fuisse visam à Christo in Crucis patibulo pendente; Petrum esse equum.* Probo paritatem: Ideo per vos falsum est dicere; Petrum esse equum; quia per illum actum cognosco, vel pono vnionem inter *Petrum*, & *equum*, vbi revera non est: ergo. Vnde negandum est absolutè, requiri talem vnionem formæ cum subiecto, vt detur vlla extrinseca denominatio.

118. Replicabis; Omne concretum habet vnionem; sed omnis denominatio extrinseca est concretum: ergo omnis denominatio extrinseca habet vnionem. Resp. Omne concretum habere vnionem eo modo, quo est concretum, si fuerit intrinsecum, intrinsecam, si extrinsecum, solum extrinsecam, vel ordinis, & respicientiæ, vt inter cognitionem, & obiectum ad concretum *cognitum*; vel collocationis, vt inter Petrum, & Paulum, ad denominationes *dextri*, vel *sinistri*; vel durationis simultaneæ ad denominationem *coëxistentis*, &c. quæ quidem vniones extrinsecæ non sunt fictæ, & sufficiunt in prudentum existimatione ad duo entia, vel plura aliquo nomine singulari compellanda, sicut exercitus, civitas, &c.

119. Objic. 2. & est secunda responsio complutensium. A cognitione v.g. in obiectum cognitum derivari aliquod ens rationis fictum, á quo tanquam á forma intrinseca denominatio *cogniti* resultat.

120. Contra primò. Ergo denominatio cogniti non est extrinseca, sed intrinseca. Patet. Forma illius concreti est illud ens rationis derivatum à cognitione; sed hoc per vos est intrinsecum obiecto: ergo denominatio erit intrinseca. Contra secundò: etiam ad denominationem intrinsecam *cognoscentis*, similiter poterit quis fingere resultiam entis rationis. Tertio. Solum cognitio potest conferre vt forma denominationem cogniti; siquidem solum cognitio continet in se talem effectum; sed illud ens rationis derivatum non est cognitio: ergo non confert vt forma denominationẽ *cogniti*. Quartò: denominatio proveniens à cognitione si per possibile, vel impossibile non resultaret tale ens rationis esset intrinseca; sed non est ens rationis: ergo. Quinto. Cognitio hæc *Petrus est homo* solum cognoscit Petrum, & hominem: ergo non fingit, cum illos cognoscat modo conformi, ergo neque efficit ens rationis, sed denominat obiectum cognitum: ergo. Respondeo denique, talem resultantiam, seu derivationem entis rationis in obiectum esse omnino chimericam, & superfluam, cum ab æterno Deus creaturas cognoverit, quin á cognitione Divina, tale ens rationis in eas sit derivatum.

121. Objic. 3. *Cognitum*, sicut & quælibet alia denominatio non est substantia, sed accidens: ergo debet inhærere alicui subiecto, non termino, quia supponimus, esse illi extrinsecum; non item potentiæ, aliás ipsam denominaret cognitam, sicut denominat obiectum: ergo ea denominatio non est accidens reale, sed fictum.

122. Resp. *Denominationes* extrinsecas esse accidentia ratione formarum: v.g. cognitum ratione cognitionis, quæ non termino ob rationem argumenti, sed potentię inhæret, quin ob hoc illam denominet cognitam. Cognitio enim solum tribuit denominationẽm *cogniti* obiecto ab ipsa repræsentato, cum tamen potentia ita non se habeat, licet ei inhæreat, non tamen eam cognitam denominat.

123. Objic. 4. *Denominatio cogniti* habet totum suum esse ab intellectu: ergo est ens rationis. Confirmatur talis denominatio non datur á parte rei: ergo. Probo antecedens; quod dependet ab operatione intellectus, non datur á parte rei, sed denominatio cogniti dependet ab operatione intellectus; ergo.

124. Resp. Distinguo antecedens habet totum suum esse ab intellectu cognoscente rem, vt est in se; concedo; cognoscente rem aliter ac est in se; nego. Vnde non est ens rationis. Non enim omne id, quod non datur nisi dependenter ab intellectu est ens rationis; nam ipsa met cognitio non datur nisi dependenter ab intellectu, & non est ens rationis: ergo licet denominatio hæc, & aliæ similes dentur solum modo dependenter ab intellectu, non inde infertur, non existere à parte rei, si per existere à parte rei intelligatur, existere absque vlla fictione intellectus.

125. Objic. 5. Denominatio *creatoris* de novo advenit Deo: sed nil reale potest Deo in tempore advenire, aliás Deus mutaretur: ergo talis denominatio non est realis, sed rationis.

126. Resp. Deo advenire in tempore plures denominationes reales extrinsecas, *amati, cogniti, visi* ab hominibus, *Creatoris Cæli, & terræ*, immò & *Domini* ex hominis temporali productione, *Nam qui ante erat solus Deus, ex hominum factione Dominus factus est*: ait Sanctus Augustinus super Genes. 2. vers. 7. quin ex hoc inferatur; Deum mutari intrinsecè; neque advenire illi prędicatum intrinsecum, quod solum argueret veram mutationem indignam Deo.

127. Objic. 6. Si Iudicem, *Petrum esse amatum*, cum amatus non sit, ea denominatio erit ens rationis, & extrinseca; ergo iam aliqua denominatio extrinseca ita compellanda est.

128. Respondeo. Distinguo antecedens: erit ens rationis, vt cognita aliter, ac est in se; concedo; vt formaliter denominatio est; nego. Potest denominatio considerari, vt formaliter talis, vt cum á cognitione Petrus dicitur cognitus, & á visione visus, & de his denominationibus dicimus; non esse ens rationis, si tamen per alias cognitiones supra ipsas denominationes reflectentes aliter ac sunt in se cognoscantur, tunc certè constituent ens rationis. Hoc est, licet in se entia rationis non sint; erunt obiecta actuum efformantium ens rationis, sicut licet Petrus, & equus

equus non sint entia rationis, sunt tamen obiecta huius actus *Petrus est equus* factivi entis rationis.

129. Objic. 7. Denominationes extrinsecæ morales *Servi, Domini, Magistri, Mariti*, &c. nullam habent formã realem: ergo rationis: ergo sunt entia rationis.

130. Resp. Distinguo antecedens, formam realem physicè existentem; concedo; saltem moraliter existentem; nego. Duplex est placitum circa formam constitutivam harum denominationum. Primum. Petrum v.g. constitui Dominum per voluntatem Francisci conferentis ius in rem. Magistrum per voluntatem conferentium talem honorem. Maritum per voluntatem vxoris conferentis ius in corpus, quæ quidem voluntates sunt formæ reales, licet non semper physicè, moraliter tamen permanentes. Secundum, sicut bonitas, & malitia moralis desumitur á iudicio, quod quis efformat circa opus hic & nunc eliciendum, vel omittendum; ita denominationes morales desumuntur à iudicio prudentum, qui supposito tanquam fundamento pacto, cessione, aut voluntate conferendi ius; iudicant, *Petrum esse Dominum, Magistrum*, &c. de hoc agunt Theologi in prima secundæ: videantur Eximius Doctor tract. 3. disp. 1. sect. 2. á num. 15. Bernal libro 3. de virtutibus sectione 1. cap. 20. & alij. Sed nil in hoc fictionis: ergo.

151. Objic. 8. Denominatio extrinseca cognoscitur instar vnius entis totalis, & instar vnius rei per compositionem intrinsecam; sed hoc est cognosci aliter ac est in se, cum re ipsa denominatio non sit vnum, sed plura entia: ergo fit ens rationis.

132. Hoc Argumentum non probat, denominationes extrinsecas esse in se entia rationis, vt formaliter tales, sed esse obiectum actus factivi entis rationis, nec posse reflexè cognosci, quin á cognoscente fiat ens rationis, quod tenent Cardinalis de Lugo disp. 1. de Sacramentis, sect. 3. Dicastillo. Disputatione 1. de Sacram. Dubio 15. num. 306. Sed nec hoc probat, nam cognoscere vnum instar alterius, non est affirmare, vnum esse aliud, sed potius est, virtualiter negare; nam cognoscere vnum instar alterius, est cognoscere vnũ esse simile alteri, & omnis similitudo dicit distinctionem: Sic cognoscere Angelum instar iuvenis pulcherrimi, Patrem Æternum instar venerabilis Senis, Spiritum Sanctum instar alatæ columbæ, non est facere ens rationis, cum non fiat affirmare, Angelum esse iuvenem, Patrem esse Senem, & Spiritum Sanctum esse columbam; sed potius ex imperfectione intellectus creati per alienas species imperfecto modo cognoscere, & repræsentare entia, quorum proprias species non habet.

133. Objic. 9. Iudicium indifferens concursus Dei, libertas voluntatis, & prohibitio Divina constituunt actum malum, & peccaminosum, licet in se sint bona: ergo similiter licet cognitio, quæ se habet vt forma in hoc concreto *cognitum*, sit realis, poterit concretum esse ens rationis, seu fictum.

134. In nostris principijs defendẽtibus, ens rationis componi ex entibus realibus, nullam difficultatem habet, sed potius pulchram similitudinem affert. Neque in probationibus præsentis quæstionis ei difficultas accrescit. Consultò enim omisi probationem communem, in qua hoc argumentum fundatur, scilicet ex entibus realibus nequit ens rationis componi, &c. Ne vbi nulla est difficultas, huic, & alijs non parvi momenti occasionem tribuerem. Vnde Respondetur. Transeat totum. Non enim inde probamus nos, denominationes extrinsecas non esse entia rationis, quia componuntur ex entibus realibus, & ex entibus realibus nequit quid fictum resultare, sed quia denominationes extrinsecæ dantur independenter à cognitione fingente. Insuper antecedens argumenti doctrinam, quæ dubitari potest continet, sed brevitatis gratia illam omitto.

SECTIO III.

VTRVM NEGATIONES, ET PRIvationes sint entia rationis?

135. Negatio est carentia alicuius rei in subiecto incapaci habendi illam, vt carentia gratiæ in lapide. Privatio est carentia alicuius rei in subiecto apto, seu capaci ad illam habendam, vt carentia visus in homine. Supponimus, dari has negationes, & privationes sive distinctas, sive indistinctas ab entibus positivis, & quæritur vtrum sint entia rationis?

136. Affirmant Pater Fonseca 4. Metaphysicè cap. 2. in commentar. Spinula disp. 1. Physicorum, apud quos alij Antiquiores. P. Isquierdo disp. 9. quęst. 3. num. 36. eas ens rationis suppositivum, seu improprium appellat. Negant melius Suarius, Arriaga, Oviedo, Hurt. Linze, Compt. disp. 18. per totam.

136. Probatur primò. Imposibili omni fictione tam verum est, aerem esse noctu tenebrosum, hominem esse cæcum, lapidem carere gratia; ac aerem die habere lucem, hominem habere visum, lapidem esse ens; sed aerem esse lucidum, esse in homine visum, & in lapide ens, non sunt entia rationis, sed entia realia: ergo similiter esse tenebrosum, &c. non erunt entia rationis, sed realia. Ratio á priori est; quia id, in quo aliqua fictio non involuitur, non est ens rationis; sed in privatione, & negatione aliqua fictio non involuitur: ergo. Confirmatur. Christum non peccasse, & Beatam Virginem nõn extitisse ab æterno; Beatum Petrum non esse damnatum, non sunt entia rationis, neque in his propositionibus aliqua fictio esse censetur; sed hæc sunt carentiæ: ergo.

138. Objic. 1. Ens rationis non est ens reale positivum: ergo est negatio entis realis positivi; sed negatio entis realis positivi non est ens reale, aliás esset simul ens reale, & negatio entis realis: ergo.

139. In nostris principijs primum antecedens eget explicatione; licet ens rationis non sit vnum ens reale positivum vnitate propria sufficienti, vt dicatur esse aliquod particulare ens existens á parte rei, est tamen sæpè ens reale positivum, hoc est, plura entia realia positiva, & semper est ens reale, hoc est plura entia realia. Sed admisso antecedenti, nego consequentiam, quæ ex eo non infertur; sicut neque ex hoc antecedenti, *Petrus non est Paulus*, infertur hæc consequentia; ergo *Petrus est negatio Pauli.* Solum enim infertur hæc: ergo *distinguitur á Paulo.* Ita similiter ex eo, quod ens rationis non sit ens reale positivum, non infertur, esse negationem entis realis positivi, sed solum; distingui ab ente reali positivo. Nota aliud est, esse *negativum*, & aliud est, esse *negationem*, negatio est carentia modalis rei determinatę. Ens negativum absolutum est, quod componitur ex pluribus partibus incomposibilibus, vt *chimæra, Hircoservus*, &c. quæ imposibilia nil determinatè negant. Ens ergo negativum est, *quod non est positive.* Si tamen roges quid sit; *non esse positive*? Rogaberis vtique a me: *quid sit esse positive*? Si respondeas: esse per se notum; idem respondebo, non existere positive, esse etiam per se notum.

140. Neque id, quod ex minori infert argumentum, re ipsa infertur. Ex eo

eo enim,quod negatio entis realis positivi sit ens reale, non infertur,esse ens reale, & negationem entis realis, sed quod infertur,est esse ẽs reale,&negationem entis realis positivi. Quod vlterius aliquid addit. Negat namque speciem entis realis positivi,non tamen genus,nempe ens reale. Sicut eo quod equus neget,esse hominem, non infertur,quod neget,esse animal; sed simul & est animal, & negat,esse animal rationale. Ita negatio entis realis positivi negat, esse ens reale positivum, & tamen est ens reale negativum.

141. Replicabis. Inter esse,& non esse non datur medium;ergo ens rationis,vel est ens reale positivum, vel negatio entis realis positivi.

142. Mala consequentia: ita enim deberet inferri:ergo ens rationis vel est ens reale positivum, vel non est ens reale positivum. Ex quo adhuc concesso,quod non sit ens reale positivum, non sequitur; quod non sit ens reale, neque quod sit negatio entis realis. Vnde illa propositio inter esse, & non esse non datur medium,ita debet intellig: inter esse affirmatum in vna propositione,& idem esse negatum in alia non datur medium;v g. *Petrus est homo, Petrus non est homo*,idem enim homo affirmatur in vna ac negatur in alia,ac proinde inter esse *Petrum hominem,& non esse hominem*,non datur medium. Item non est idem affirmatum, & negatum in propositione illa, quę infertur vt consequentia,nempe:ergo *ens rationis, vel est ens reale positivum, vel negatio entis realis positivi*, cum vtraque propositio sit affirmativa.

143. Objic.2. Qui concipit tenebras v g. illas concipit ad modum cuiusdam nigredinis positivæ occupantis aerem: ergo format ens rationis, cum tenebræ non sint talis nigredo positiva,sed privatio lucis.

144. Resp. Ex hoc solum infertur, vt antea indenominationibus notavi,negationes esse entia rationis fundamentaliter,non verò formaliter,cum ex argumento solum inferatur;tenebras iam independenter á fictione suo modo existentes non posse concipi reflexè sine fictione,ex imperfectione, & limitatione intellectus; verum nec hoc inferri licet. Nam concipere vnum instar alterius,non est facere ens rationis. Vide supradicta sectione antecedenti numero 133.

SECTIO IV.

DE DIVISIONE, ET PROPRIETATIBUS ENTIS RATIONIS.

145. VArié á varijs ens rationis dividitur. Communiter dividitur á Thomistis in negationem, privationem, & relationem. Pessima divisio,nam vel loquuntur de ente rationis formali, & iam vidimus,neque relationes, neque privationes, neque negationes esse entia rationis formalia. Item neque esset adæquata divisio;nam existentia chimæræ non est privatio,relatio,aut negatio, & est ens rationis. Vel loquuntur de ente rationis fundamentali, vt loqui videntur, & ita non est adęquata hæc divisio. Etiam deberet dividi in ens positivum,& absolutum: nam ideo per vos relatio, & negatio sunt entia rationis fundamentalia,quia possum concipere ea,quæ non referuntur,vt relata,& negationem per modum entis positivi, sed etiam possum concipere, ea quæ referuntur,tanquam non relata, & ens positivum per modum entis negativi: ergo etiam similiter ens positivum, & absolutum erunt entia rationis.

146. Dicendum ergo est. Ens rationis dividi eo modo, quo est ens,vnitate

tate scilicet impropria, in ens rationis positivum, & negativum, & mixtum. Hoc est in ens rationis compositum ex partibus positivis, vt *homo est equus*. Compositum ex partibus negativis, vt *Hircocervus est homo leo*; & in compositum ex vna parte positiva, & alia negativa, vt *Petrus est hircocervus*. Omnes tamen partes componentes illud sunt reales,vel positivæ,vel negativæ.

147. Proprietates entis rationis sunt proprietates reales; nam cum ipsum sit reale,quales sunt essentiæ, tales esse proprietates, necesse est. Sic proprietates essentię increatæ, increatæ sunt:ergo proprietates entis realis,reales sunt.

148. Dices:ens rationis est fictum: ergo & eius proprietates erunt fictæ. Respondeo ens rationis esse fictum extrinsece,intrinsece tamen esse ens reale quoad essentiam.Cum ergo proprietates essentiam sequantur,erunt reales.

DISPUTATIO II.

DE CAUSIS ENTIS RATIONIS.

149. ENs rationis componi ex proprio obiecto actus, tanquam ex materia circa quã, & ex cognitione fingente tanquam ex forma in nostris principijs indenominatione *ficti* totum ens rationis constituentibus,certum est. Non requiri ad ens rationis simpliciter causam finalem, etiam certum est,vt ad notat Eximius Doctor; potest tamen concurrere, si propter aliquem finem in fictionibus absumatur tempus tota enim ad causam eius efficientem evoluitur presens disputatio, quæ autem solúm debet, & potest esse aliqua potentia intentionalis, quatenus scilicet efficit aliquem actum attingentẽ obiectum aliter, ac est in se, modo disconvenienti fingendo scilicet, & tribuendo obiecto prędicatum illi repugnans, vel auferendo ab objecto prædicatum conveniens.Cum autem solûm ita possit se habere intellectus, iam velut á principio resolutio vniversalis colligitur; sed quia potentia intentionalis vel est spiritualis, vt intellectus, & voluntas; vel materialis,quæ dividitur in sensum internum, qui sensus communis phantasia, vel imaginativa dicitur, & in sensus externos, qui sunt visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus; & in vnaquaque ex his possunt peculiares relucere difficultates, per singulas discurremus.

SECTIO I.

UTRUM INTELLECTUS EFFORMET ENS RATIONIS?

150. CErtum est apud omnes Doctores, intellectum creatum, ens rationis efformare, si demas Recentes aliquos apud Patrem Oviedum punt. 7. numero 15. asserentes, á solo Deo fieri ens rationis. Quo iure, postea videbitur; sed quia intellectus pluribus gaudet actibus iam veris, iam falsis, iam simplicibus, iam compositis, sit

SVBSECTIO I.

AN PER SOLUM, ET OMNEM *actum falsum fiat ens rationis?*

151. DVplex difficultas sub titulo continetur. Prima; an per solum actum falsum, & per nullum actum verum fiat ens rationis? Secunda, an per omnem actum falsum fiat?

152. Nota, hanc, sicut & reliquas circa causas entis rationis quæstiones, esse pure de nomine. Nam aliqui, vt iam notavi, ad hoc vt per aliquem actum fiat ens rationis, non requirunt, talem actum esse fingentem, neque conferentem obiecto prædicatum repugnans; neque illud aliter ac est in se concipientem, sed tantum, quod id, quod cognoscit actus, non habeat á parte rei aliquod esse positivum, vel reale, vnde dicunt; talem actum illi obiecto conferre esse obiectivum, quod solum habet in intellectu. Hinc inferunt, per hunc actum verum, *chimera est impossibilis*, fieri ens rationis; quia chimæra se habens vt subiectum illius propositionis, non habet esse positivè, habet que esse in illa repræsentatione. Hinc etiam deducunt, Deum ens rationis efformare. Item ens rationis fieri per simplicem apprehensionem tam complexam, quam incomplexam. Ita Arriaga disp. 6. Metaph. sect. 4. Compton. Disp. 16. sect. 4. Oviedus puncto 6. numero 11. Peynado tract. 4. sect. 7. num. 9.

153. Alij vero ad actum factivum entis rationis requirunt actum fingentem, conferentem que obiecto prædicatum repugnans, vel auferentem illi prædicatum conveniens, illud que aliter ac est in se concipientem. Ex quo inferunt; ens rationis non fieri per actum verum, neque illud Deum efficere neque efformari per apprehensionem complexam, aut incomplexam. Ita omnes fere Doctores cum Sancto Thoma. Pater Vasquez, Recupitus, Hurtadus sect. 5. & 6. Alarcon tractatu 2. cap. 3. num. 5. Herice, Linceus, & nostrates manu scribentes Magistri communiter.

154. Deductiones vtriusque sententiæ, supposito vtriusque proprio fundamento, á nemine dubitari possunt. Vnde totum dissidium in fundamentum reducitur. Audias Arriagam, cui semper veritas cordi, & cri est, vbi supra numero 55. *Hæc quæstio est de sola voce, designatione scilicet verbi facere ens rationis; si enim facere dicatur idem, ac fingere, certum est â Deo non fieri, quia Deus non fingit, at, si facere nil aliud sonet, quam dare illi esse cognitum, certum est â Deo fieri*: Idem ego, sed ne quæstiones irresolutæ maneant secundus modus loquendi mihi in re denomine probabilior iam supra visus fuit. Ideoque.

155. *Dico primo*: per nullum actũ verum fit ens rationis. Probatur; ens rationis solùm fit media cognitione fingente, sed nullus actus verus est fingens: Ergo per nullum actum verum fit ens rationis. Probatur primo. Ex Angelico Præceptore 1.m â nobis allato Opusc. 42. cap. 1. vbi: *Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere, quod non est, fingendo ac si esset.* Probatur secundo ratione. Ens rationis fit media cognitione attingente obiectum aliter ac est in se, conferendo illi aliquod prædicatum repugnans, vel auferendo ab illo aliquod prædicatum conveniens; sed huiusmodi cognitio est fingens: ergo. Probatur tertio. Per nos ens rationis nil aliud est, quam hæc denominatio *obiectum fictum*, sed hæc denominatio nequit fieri sine cognitione fingente; sicut hęc denominatio obiectum cognitum nequit fieri nisi media cognitione; ergo.

156. Dico secundò. Per omnem actum falsum fit ens rationis. Ita Hurtado, Arriaga, Oviedus, Comptonus, Isquier. & Peinado, vbi supra numero 6. Probatur; per nos ens rationis nil aliud est nisi concretum *fictum, seu cognitum aliter ac est in se*: ergo fit per omnem actum falsum. Probatur consequentia; omnis actus falsus, cum sit fictio, est forma constitutiva concreti *fictum*; omne obiectum est capax talis denominationis; posita forma in subiecto capaci necessario resultat denominatio; ergo posito quocumque actu falso, cum necessario habeat obiectum, resultabit ens rationis. Confirmatur: Ens rationis nil aliud est quam obiectum reale falsò cognitum, sed per omnem actum falsum obiectum reale falsò cognoscitur, sicut per omnem actum verum, verè cognoscitur: ergo per omnem actum falsum fit ens rationis.

157. Objic. 1. Contra primam cõclusionem. Cognitio præcisiva animalis â rationali est vera; sed efficiens rationis: ergo. Probatur minor; cognoscit animal aliter ac est in se; nam animal est rationale, & á tali actu sine rationali cognoscitur: ergo.

158. Resp. Nego minorem, cuius probatio in ipsis terminis implicat. Supponit namque talem cognitionem esse veram, & aliunde probat, attingere obiectum aliter ac est in se, quod est idem ac esse falsam Dico, non esse idem cognoscere animal non cognito rationali; ac cognoscere animal aliter ac est in se positive, siut ad entis rationis efformationem requiritur. Primum solũ arguit cognitionem esse inadæquatam, hoc est, non cognoscere totum obiectum ex defectu speciei. Secundum arguit, cognitionem ex modo tendendi compositivo, vel divisivo conferre prędicatum repugnans obiecto, vel auferre prædicatum conveniens, ac proinde cognitio ita se habens ens rationis efformat: exemplum sit; video manus hominis per fenestram, sicut Balthasar manus quasi hominis scribentis in pariete, non visis reliquis partibus corporis; quia intra cancellos cõtinentur; hæc cognitio manum hominis intentionáliter præscindit á corpore quatenus scilicet vidit manum, non viso corpore, quin efformet ens rationis, quia solum præscisive dividit. At verò si positivè diceret, manus illa est divisa â corpore, certè tunc efformaret ens rationis, quia positivê divideret. Ita in nostro casu, cum cognosco animal non cognito rationali, non efformo ens rationis; quia solum præscisivè divido; si tamen dicerem, animal non est rationale; tunc ens rationis efformarem, quia positivè dividerem.

159. Objic. 2. Hic actus: *Chimæra est ens fictum*, est verus: sed efficit ens rationis: ergo. Probo minorem, ex vi huius actus chimæra habet existentiam intentionalem obiectivé in intellectu: ergo ex vi illius actus fit ens rationis.

160. Nota, maiorem esse falsam; nam chimæra non est ens fictum, sed ens reale impossibile, sed ea admissa, si ly *fictum* idem, ac est. *Impossibile*, significet, nego minorem, & distinguo antecedens, habet existentiam intentionalẽ in intellectu fingente; nego; non fingente, sed potius cognoscente rem, sicuti est in se; concedo. Chimęra independenter ab intellectu est realiter impossibilis, & ita cognoscitur ab actu; vnde illi non confertur prædicatum repugnans, nec aufertur prędicatum conveniens. Ea intentionalis positiva existentia, quam in esse cognitæ accipit chimæra, quamque entia positiva similiter accipiunt, non sufficit ad ens rationis conficiendum, cum non sufficiat ad conficiendam denominationem ficti.

161. Objic. 3. Contra secundam

 con-

conclusionem: Hic actus *Petrus currit*: Petro non currente est falsus, sed non efficit ens rationis: Ergo non omnis actus falsus efficit ens rationis. Probo minorem, cursus Petri licet nunc non existat, non est impossibilis, sed possibilis: Ergo actus terminatus ad cursum Petri pro tempore, quo non existit, non efformat ens rationis.

162. Hoc argumentum contra nos non militat, sed contra illos qui asserunt; obiectum actus factivi entis rationis, esse intrinsecè fictum, distinctum que ab omni ente reali possibili. Ego vero contrarium affirmo, scilicet; actum fictivum entis rationis terminari ad ens reale, sicut actus verus modo tamen disconformi ex parte actus, qualiter terminatur hic actus, qui cursum Petri possibilem attingit vt existentem, conferendo illi existentiam actualem, quam non habet.

SUBSECTIO II.

VTRUM APPREHENSIO SIMPLEX efformet ens rationis?

163. APprehensio simplex est duplex; in complexa, quæ est apprehensio vnius termini vt *Petrus*: Vt complexa, quæ est plurium terminorum apprehensio, vt *homo iustus*. Dixi plurium, quia apprehensio complexa vlteriús divisibilis est in puram, & non puram. *Pura* est duorum terminorum, sine copula *est* vel *non est* repræsentatio, *vt Petrus albus*. Non pura est cum tota integra propopositio apprehenditur ab intellectu, absque eo quod hic determinetur, vt assensum præbeat, vel dissensum: Quod tripliciter potest evenire. Primò cum audio alium dicentem, v.g. *astra sunt paria*, totam propositionem apprehendere possum, quin determinatê affirmem, vel negem esse paria. Secundo cum dubitativê dico. *Petrus est dives*? Quin divitem esse affirmen. Tertio interrogativè: v.g. cum rogo *Petrus est nobilis*?

164. Iudico nullam apprehensionem vt talem, gaudere falsitate quidquid sit de veritate, de qua eodem modo discurrunt communiter DD. 1. Primo, quia nulla apprehensio, sive complexa confert obiecto prædicatum repugnans, vel conveniens per affirmationem, vel negationem; sed actus verus est, qui confert obiecto per affirmationem prædicatum conveniens, & aufert per negationem prædicatum disconveniens, & ê contra ille actus est falsus qui confert per affirmationem prædicatum repugnans, vel aufert per negationem prędicatum conveniens ergo. Secundo nullus actus, qui est determinatè verus, vel falsus, est indifferens ad veritatem, vel falsitatem; sed tam apprehensio incomplexa *homo*, quam complexa *homo equus*: Sunt indifferentes ad veritatem, & falsitatem: Ergo. Probo minorem: Hęc apprehensio incomplexa *chimæra*, & hæc complexa *homo equus*, sunt indifferentes ad hoc vt dicatur *chimæra est possibilis: Homo equus non repugnat existere: & sic* constituant propositionem falsam: vel vt dicatur *chimæra est impossibilis: Homo equus repugnat existere* & sic constituant propositionem veram: Ergo tam apprehensio incomplexa, quam complexa indifferentes sunt ad veritatem, vel falsitatem. Hoc supposito pro nunc licet contrarium iudicem in veritate, id que teneam tract.6. sect.4.

165. *Dico* 1. nulla apprehensio in cõplexa aut cõplexa pura efformat ens rationis. Probatur primo. Nulla apprehensio componit concretum fictum: Ergo nulla efformat ens rationis. Probatur antecedens. Nulla apprehensio est fictio: Ergo nulla componit concretum fictum. Probatur antecedens, nulla apprehensio est compositio terminorum incompossibilium; omnis náque compositio intentionalis fit per affirmationem coniungendo prædicatum subiecto: Ergo nulla apprehensio est fictio, cum nulla possit per affirmationem terminos incompossibiles coniungere.

166. Confirmatur Authoritate Divi Gregorij. Homilia 23. vbi: *Fingere, componere dicimus*. Et Sancti Damaseni dicentis: *Fingere est ex his quæ sunt, ea quæ non sunt per rationem componere*: Ergo ad fictionem requiritur modus compositivus repræsentandi, sed per simplicem apprehensionem sive complexam, sive incomplexam non repræsentatur obiectum modo compositivo: Ergo.

167. Probatur secundò. Nulla apprehensio est actus falsus: ergo nulla apprehensio constituit hoc concretum obiectum falsò cognitum, sed in hoc concreto per nos ens rationis consistit: ergo. Antecedẽs manet iam probatum. Consequentia rectè infertur.

168. Probatur tertiò. Specialiter de apprehensione incomplexa. Apprehensio incomplexa est vnius tantum termini: ergo non confert subiecto predicatum repugnans. Patet consequentia; vt conferret subiecto prædicatum repugnans, deberet attingere subiectũ, cui confertur, & prædicatum, quod confertur: ergo iam non esset vnius, sed duplicis termini apprehensio, ac proinde non esset incomplexa, sed complexa.

169. *Dico* secundò. Nec apprehensio complexa non pura efformat ens rationis. Probatur, vel talis apprehensio non pura v. g. *Petrus est homo*, tribuit obiecto prædicatum repugnans, vel non? Si tribuit iam non est apprehensio, sed iudicium, & sic efformare ens rationis non negabimus, si non tribuit: ergo nullo modo efformat ens rationis, cum non sit actus falsus, nec fictus, nec compositivus per enuntiationem.

170. Dices, non conferre prędicatum formaliter, & ea perfectione, quia iudicium confert; conferre tamen virtualiter, & minus perfectè.

171. Contra vel conferre virtualiter prædicatum repugnans est propriè, & simpliciter conferre, vel non nisi solum dispositive, & fundamentaliter? Si primum: ergo propriè, & simpliciter errat, qui integram illam propositionem apprehendit, ac consequenter chatolicus dum apprehendit propositiones hæreticas, hanc v.g. *Deus non est Trinus* vt eas refellat, erit propriè, & simpliciter hęreticus. Probatur, nam eodem modo est hæreticus quis, quo errat in fide, sed propriè, & simpliciter errat in fide, qui integram illam propositionem apprehendit, cum propriè, & simpliciter auferat à Deo prædicatũ *Trinitatis*: ergo erit propriè, & simpliciter hæreticus.

172. Si conferre virtualiter prędicatum repugnans est solum dispositivê, & fundamentaliter conferre, quatenus scilicet apprehendendo integram illam propositionem, prębetur intellectui fundamentum, vt ei assentiatur determinatè ipse intellectus? Libenter annuo, sed confert dispositivé, non est propriè, & simpliciter conferre; sic communiter Theologi contra Patrem Vazquium, & alios, asserunt amorem Dei supernaturalem super omnia non sanctificare propriè, & formaliter, licet sanctificet dispositive; ac proinde talis apprehensio solum efficiet ens rationis fundamentale non verò formale.

173. Objic. 1. Contra primam conclusionem: Angelicum Præceptorem sæpe á nobis citatum dicentem. *Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est*. Ergo iuxta Angelicum Præceptorem per apprehensionem fit ens rationis. Respondetur. Per ly *apprehendere* non stricte

stricte apprehensionem, sed quasi vulgari modo loquendi iudicium significare voluisse Angelicum Doctorem; quod patet ex contextu. Sic prosequitur *quando nititur apprehendere, quod non est & fingit illud ac si esset ens*: Quæ vltima verba silentio prætermittuntur ab Arriaga, & Adversarijs, quia ex illis aperte constat mens, & sensus Sancti Thomæ, nam fingere soli iudicio competit.

174. Obijc. 2. Apprehensio potest esse falsa: Ergo, & factiva entis rationis. Probatur antecedens: Si præsente auro apprehenderem argentum, talis apprehensio non conformaretur cum suo obiecto: Ergo esset falsa. Respondeo. Nego antecedens, ad probationem nega suppositum, quod obiectum talis apprehensionis sit aurum, esset enim argentum, cui conformatur; nam licet aurum præsens esset, nil haberet cum auro talis apprehensio, si tamen diceret: Illud obiectum præsens esse argentum, ens rationis efformaret; sed non esset apprehensio, sed iudicium.

175. Objic. 3. Hæ sunt apprehensiones incomplexę, *Chimæra, Iupiter*, &c. sed faciunt ens rationis: ergo. Probatur minor primo. Chimæra, & Iupiter, qui sunt obiectum illarum apprehensionum, nullum habent esse, nisi obiective in intellectu; sed actus, cuius obiectum solum habet esse obiective in intellectu, efficit ens rationis; ergo. Probatur secundo. Gentilis apprehendens Iovem, illud obiectum apprehendit, quod iudicat, esse Iovem; sed iudicat, Iovem esse verum Deum: ergo apprehendit Iovem verum Deum: ergo Iovem fictum, non fictum ab alio actu: ergo fictum ab ipsamet apprehensione.

176. Resp. Nego minorem: Ad primam probationem nego maiorem; nam independenter ab illis apprehensionibus, Chimera, & Iupiter habent suum esse realiter negativum, quo cum tales apprehensiones conformantur. Nota: aliud est non habere esse nisi obiective in intellectu, quod falsum est, & aliud, habere esse obiective in intellectu, quod verum est; sed hoc ad ens rationis non sufficit, nam illud esse, quod habent, non est in intellectu fingente; sed in intellectu cognoscente rem per conformitatem cum ea. Vnde esse, quod accipit chimera vi illius apprehensionis, est esse cognitam, sicut Petrus á cognitione vera esse cognitum accipit, non vero esse fictum, quod necessarium est vt esset ens rationis.

177. Ad secundam probationem respondeo. Concedo maiorem, minorem, & primam, & secundam consequentiam; nego tamen minorem subsumptam, & vltimam consequentiam, cuius falsitas ex ipso modo arguendi cognoscitur; nam si apprehendit Iovem, quem, iudicat, esse verum Deum; ergo apprehendit Iovem fictum ab illo actu, quo esse verum Deum iudicavit: Ergo Iovem apprehendit fictum ab alio actu, non vero ab ipsa apprehensione, per quam nullatenus iudicat intellectus, Iovem apprehensum esse verum Deum, alias iam non esset apprehensio, sed iudicium.

178. Replicabis. Chimęra ab illa apprehensione accipit non solum esse cognitam aliter ac est in se: Ergo accipit esse fictum. Probatur antecedens primo: chimæra accipit ab illa apprehensione esse cognitam per modum vnius entis; sed chimæra in se non est vnum, sed plura entia: Ergo accipit esse cognitam aliter ac est in se. Probatur secundo: cum apprehendo chimęram attribuo per identitatem vnum extremū, nempe *hominem* alteri repugnanti, nempe *Leoni*; nam chimęra est complexum ex *homine, & Leone*: Ergo cum concipio chimæram, concipio obiectum modo disconvenienti, & aliter ac est in se.

179. Resp. Nego antecedens. Ad primam probationem iam sæpe dixi, cognoscere vnum ad instar alterius, sicut Angelum ad instar Iuvenis, non esse facere ens rationis; sed cognoscere obiectum per alienas species; admitto nunc chimęram non esse vnum, sed plura entia, quod dependet á determinatione constitutionis impossibilis; an scilicet distinguatur, vel non ab entibus positivis, de quo in Metaphysica. Nunc á tali quæstione præscindo; sed communem sententiam suppono; distingui scilicet, iuxta quam deberet negari, chimęram esse plura entia, affirmare que vnum ens negativum, sicut Petrus est vnum ens positivum. Hinc ad secundam probationem respondeo, hanc apprehesionem non attribuere *hominem Leoni*; sed cognoscere illum, cum supponatur ex parte obiecti dari talem complexum impossibile realiter, sicut supponitur ex parte obiecti, dari hominem realiter possibilem, qui est compositum ex materia, & forma.

180. Objic. 4. Potest quis apprehendere identitatem inter hominem, & equum: ergo & efficere ens rationis per apprehensionem; cum talis identitas nullum habeat esse á parte rei. Respondeo id, quod ad antecedentem replicam; talem identitatem habere suum esse impossibile á parte rei, quo cum conformatur apprehensio. Vel si admittamus, esse fictam, erit ficta antecedenter á iudicio, non fingetur ab apprehensione eam attingente. Insuper si apprehensio est identitatis inter hominem, & equum, non erit incomplexa cum plurium terminorum sit apprehensio.

181. Objic. 5. Possibilis est intellectus apprehensivus, & non iudicativus: ergo saltem talis intellectus efformaret per apprehensionem ens rationis. Respondeo admisso antecedenti, nego consequentiam, & suppositum, quod talis intellectus vllum ens rationis efformaret; in illo enim apprehensiones non essent alterius, sed eiusdem speciei, cum apprehensionibus intellectus iudicativi de facto existentis; vnde non procederent modo compositivo, nec efficerent ens rationis.

182. Objic. 6. Per nos apprehensio est obiectum logicæ, dirigibilis que ab ipsa: ergo quia capax est erroris; sed actus erroris capax, similiter capax est efficere ens rationis: ergo. Confirmatur, si loco *animalis*, quod est genus in definitione hominis, assumerem *equum*, efficerem ens rationis: ergo vi illius apprehensionis. Probatur antecedens. Si dicerem, *homo est equus rationalis*, ens rationis efficerem: ergo quia loco animalis equum assumpsi.

183. Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens: est capax erroris in se, nego; in ordine ad definitionem, concedo. De hoc iam suo loco abunde, quæ cum sit apprehensio, conformatur cum suo obiecto, vnde ens rationis non efformat; quia huius efformatio á difformitate cum obiecto sumitur. In hoc enim capax erroris non est apprehensio; dicitur tamen capax erroris, seu vt melius loquar, intellectus dicitur capax erroris in eius elicientia, & electione in ordine ad definionem, ad quam si loco generis proximi assumatur remotum, irrecta evadit definitio, & ob hanc causam ad summum apprehensiones dicuntur dirigi, & esse obiectum logicæ.

184. Ad confirmationem respondeo, quod si loco animalis *equum* apprehenderem, vi apprehensionis præcisé non efformarem ens rationis, licet in eius electione á regulis logicæ deviarem. Ad probationem, nota; illam propositionem *homo est equus rationalis* ens rationis efformare, non quia loco generis proximi aliud prædicatum fuit assumptum, quod genus proximum

non sit, nam etiam in hac propositione *homo est substantia rationalis* loco generis proximi animalis assumpta fuit *substantia*, quæ genus proximum non est, & tamen non efficit ens rationis, sed quia loco prædicati convenientis subiecto assumptum fuit prædicatum disconveniens, nempe *equus* vnde actus potest esse irrectus in esse definitionis, & ens rationis non efformare, vt patet in casu iam posito; qui potest non conformari regulis logicæ, & conformari suo peculiari obiecto. Idem evenit in apprehensione *Equi* loco animalis.

185. Obijc. 7. Cognitio conformis enti ficto efficit ens rationis, sed hæc apprehensio *chimara* conformatur enti ficto, nempe chimeræ: ergo. Probatur maior. Cognitio disconformis enti reali efficit ens rationis, sed cognitio conformis enti ficto est disconformis enti reali: ergo.

186. Resp. Nego maiorem, ad probationem distinguo maiorem, cognitio disconformis enti reali efficit ens rationis, quia disconformiter attingit ens reale, tribuendo illi prædicatum repugnans, concedo; aliter, nego. Illa ergo solum cognitio ens rationis efformat, quæ fuerit proprio obiecto disconformis, tribuens nempe illi prędicatum repugnans, sive obiectum sit fictum, sive non sit fictum. Vnde tam longe est, vt actus conformis enti rationis, seu enti ficto ens rationis efficiat, vt potius si esset illi disconformis efficeret ens rationis, sic tam factivus entis rationis esset hic actus, *chimara ficta non est homo Leo*, quia non conformatur cũ suo obiecto nempe ente rationis, quam hic actus; *homo non est animal*, & tam verum esset dicere, *chimara ficta est homo Leo*, ac dicere, *homo est animal*.

187. Obijc. 8. Apprehensio incõplexa potest esse vera: Ergo poterit esse falsa: Probatur antecedens, talis apprehensio est conformis cum suo obiecto; cur ergo hæc conformitas veritas non appellabitur?

188. Resp. Hanc conformitatẽ cõmuniter veritatem non appellari ob rationes supra positas numero 164. & quia in quæstione de nomine communis, & magis authoratus loquendi modus debet amplecti. Audi communem Magistrum Eximium Suarez disput. 8. Metaphy. sectione 3. *Veritas, & falsitas tantum dantur in intellectu componente, & dividente; minime vero in conceptu simplici.* Pro hoc modo loquendi citat ipse Suarez Aristotelem, & Sanctum Thomam, quos sequi tenemur; & licet veritatem apprehensionis concederem ex conformitate cum obiecto, vt dicemus tract. de Peryherme. supra citato falsitas ei concedi nequit, cum possibilis non sit epprehensio, quæ suo obiecto non conformetur, sive obiectum sit possibile, sive impossibile.

189. Obijc. 9. Saltem apprehensio complexa poterit esse vera, vel falsa: Ergo etiam poterit ens rationis efformare. Probatur antecedens: Apprehensio complexa componit duos terminos, eos que coniungit, vnum alteri attribuẽs: Ergo si termini alias incompossibiles sunt vt *homo equus*, efficiet ens rationis. Confirmatur hic actus *homo est equus* ens rationis: componit: Ergo hic: *Homo equus*, idem ens rationis componit, cum habeat idem obiectum.

190. Respondeo ad argumentum ex supra dictis, nego antecedens. Ad probationem nego item antecedens; apprehensio namque complexa, neque vnit, neque componit illos terminos, sed ante talem apprehensionem supponitur *homo equus* realiter impossibilis, quem talis apprehensio repræsentat. Vnde ad summum erit vera, nunquam tamen falsa.

191. Ad confirmationem nota cũ Patre Fonseca 4. Metaphy. cap. 2. quæst. 6. ad 3. apprehensionem complexam

ita

ita simplici modo repræsentare terminos obiectivos, vt quem ad modum apprehensio incomplexa, *homo* v. g. repræsentat animal rationale, taliter vt non repræsentet animal vt sic, sed animal quod sit rationale, ita complexa *homo equus*, taliter repræsentat hominem, vt non repræsentet hominem vt cumque, sed hominem, qui fuerit equus, vnde nũquã potest esse falsa talis apprehensio, sicut enim hæc apprehensio: *Omnis homo iustus*, falsa esse nequit, licet aliqui homines non sint iusti, quia talis apprehensio non repręsentat hominem vt cumque; sed eum, qui iustus fuerit. Ita hęc *homo equus* falsa esse non potest; quia licet dentur homines, qui non sint equi, possibiles nempe; illa tamen non repræsentat nisi hominem qui fuerit equus, qualis supponitur, esse hominem realiter impossibilem, cui talis apprehensio repræsentat, & cui iure conformatur. Ideoque licet evadat vera, nunquam tamen falsa.

192. Hinc inferes, hanc propositionem: *Homo est equus*, non habere idem obiectum, quod hæc apprehensio, *homo equus*; nam propositio habet pro obiecto hominem possibilem positivè t lem; & apprehensio habet pro obiecto hominem impossibilem: Propositio habet pro obiecto *hominem*, de quo falsum est affirmare *esse equum*, & de quo verum esset negare tale prædicatum; & apprehensio habet pro obiecto hominem, de quo verum est affirmare esse equum, & falsum esset negare tale prędicatum; sicut enim verum est negare de homine esse equum; ita falsum est negare de homine equo esse equum; sicut de homine iusto esse iustum, licet alias de homine solitariè sumpto verè possit negari, esse iustum.

193. Inferes secundo, terminos propositos incomplexè, sæpe sæpiùs non esse eosdem, qui complexè proponuntur; nam ex his, qui in complexè proponuntur, sępæ habet vnus respectu alterius aliquam vniversalitatem, ratione cuius non convertuntur ad invicem, quam habere nequeunt termini complexe propositi. Itaque tunc solum iudicium, & apprehensio complexa habent idem obiectum, quando termini obiecti repræsentati per pręvias apprehensiones incomplexas non distinguntur à terminis repręsentatis complexè, quod convenit, quando termini non sunt incompossibiles, & aliás ita sunt ęquales inter se, vt nullus habeat aliquam vniversalitatem respectu alterius. Exemplo res c arescet.

194. Hæc propositio *homo est visibilis*, & hæc apprehensio: *homo risibilis* idem obiectum habent; quia *homo*, & *risibile*, sunt termini compossibiles inter se, & ita æquales, vt neque *homo* respectu visibilis, neque *risibile* respectu hominis habeant aliquam vniversalitatem. Valet enim: est *risibile*: ergo *homo* est *homo*: ergo *risibile*. At vero hæc propositio: *homo est animal*, & hæc apprehensio complexa, *homo animal* non habent idem obiectum; quia licet termini repræsentati complexè non sint repugnantes, non sunt tamen æquales, sed animal dicit aliquam vniversalitatem respectu hominis, vnde non valet, *est animal*: ergo *homo*: terminus enim *animal* in illa propositione incomplexè sumptus plures repræsentat, vtpotè ratio generica, quam *animal* complexè sumptum, provt animal humanum, quod est ratio specifica; vnde cum in hac propositione *homo est equus*, neque termini sint complosibiles, nec sint æquales, quia præter equum, qui sit homo realiter impossibilis, datur equus qui non sit *homo*, sed *animal hinnibile* verè, & realiter talis, inde est quod hæc propositio *homo est equus*, & hæc apprehensio *homo equus*, idem obiectum non habeant. Ita latè hanc doctrinam proposui, quia maximé vtilis ad plura.

195. Nos

195. Nota. Præsentem doctrinam locum habere supposita distinctione impossibilium ab entibus positivis, iuxta quam *homo equus* non identificatur cum homine,& equo, sed realiter ab ipsis distinguitur. At iuxta sententiam identificantem impossibilia cum entibus positivis termini huius apprehensionis complexæ *homo equus* sunt idem ac incomplexè propositi;item ex parte obiecti idem attingit apprehensio illa *homo equus*, ac propositio integra *homo est equus*,& ratione diversitatis in modo tendendi apprehensio complexa non est falsa, sicut propositio, vt diximus disputatione prima sectione prima, subsectio 2.num.57. In principijs huius secundæ sententiæ loquuti,non tan defendentes eam vt veram, quam intentantes demonstrare, apprehensiones complexas non distingui á propositionibus in eo, quod propositiones attingant ex parte obiecti identitatem prædicati cum subiecto, aliter autem apprehensiones complexas talem identitatem non attingere, cum in hoc pari pede currant;hoc notare libuit,ne malè intellectus in consequentię arguar.

SUBSECTIO III.

AN IVDICIVM, ET DISCVRSVS *ens rationis efforment.*

196. PRima sententia negat, quia totum ens rationis supponunt fictum per apprehensiones antecedentes ad iudicium, ita P.P. Compton .Isquierd. Alphonsus,& alij. Secunda sententia affirmat, ita Hurt. Arriaga,& fere omnes.

197. *Dico* primò. Iudicium efformat ens rationis. Ex supra dictis manet iam conclusio probata. Iudicium enim est actus fingens,cognoscit obiecta aliter ac sunt in se,confert illis prædicata repugnantia, & aufert prædicata convenientia,ea etiam modo disconvenienti attingit:ergo efformat ens rationis.

198. Objic. Ens rationis supponitur factum per prȩvias apprehensiones ad iudicium:ergo per iudicium non fit. Probatur consequentia:effectus ab vna causa adæquata productus ab alia provenire nequit,aliás darentur duæ causæ totales:ergo.

199. Argumentum in nostris principijs negantibus, ens rationis fieri per vllam apprehensionem, nullum est, sed adhuc admisso,quod per apprehensionem fiat, nullum erit; nam iuxta ipsos Adversarios, idem ens rationis fit per potentias materiales, & tamen fit postea per apprehensiones, idem etiam fit primo à Deo per vos, & postea á creatura. Hinc dico; non repugnare plures causas totales intentionales respectu eiusdem effectus (adhuc admisso, quod repugnent plures causæ physicæ totales) sic respectu ejusdem entis rationis plures cognitiones, á quibus fiat; nam sicut idem obiectum potest denominari *cognitum* á pluribus cognitionibus, *amatum* á pluribus amoribus, *visum* á pluribus visionibus; ita *fictum*, seu *cognitum* aliter ac est in se, á pluribus fictionibus : ergo poterit vtique ab apprehensione,& á iudicio idem obiectum constitui in esse entis rationis,seu in esse ficti.

200. Dico secundò. *Discursus* potest facere ens rationis non solum materialiter, vt continet actus iudicij falsos,quoad consequens, de quo postea determinatè loquar,sed etiam formaliter,& quo ad consequentiam,& illationem formalem. Probatur. Potest consequentia ex antecedenti non inferri; ergo tunc quo ad illationem formaliter erit falsus discursus,sive consequens sit falsum,vt in hoc: *Petrus est homo*: ergo *est hinnibilis*,sive consequens sit verum,

vt

vt in hoc:*Petrus est animal*:ergo *est bipes*, in vtroque enim discursu, consequentia vt consequentia est, est omninò falsa, & ly *ergo* denotat consequentiam illam,ex illo antecedenti inferri, sensus que eius est:ex eo quod *sit Petrus homo* infertur,esse *hinnibilem*, & ex eo quod *Petrus sit animal* infertur, esse *bipedem*, quod quidem falsum est.

SECTIO II.

DE INTELLECTV DIVINO ERGA ens rationis.

SVBSECIO I.

AN INTELLECTVS DIVINVS ens rationis cognoscat?

201. PRima sententia negat : ita Acutissimus Doctor 1. p. disp. 118 art.4.eius Discipuli Torres,& Alarcon. Item Linz. problematicè, & Izquierdo quoad entia, quæ ab ipso suppostititia,seu entia rationis impropriè appellantur. Quir.& Caram. in Metalog.n.122.

202. Reliqui omnes DD. affirmant, immò & aliqui contrariam gravibus inutrunt censurijs præcipuè Pater Molin 1.p.quęst.14.art.9. eam hæreticam appellans,& nisi ad quęstionem de nomine reduceretur, indubitabile esset punctū.Ita deniqueP. Olea d.68.n.2.& M.Linz.q.2.art.1.n.6.

203. Probatur primò. Authoritatibus: prima ex Psalm. 102. *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*. Sed ens rationis est figmentum nostrum : ergo. Secunda. Ex Angelico Præceptore 1. part.q.14.de scientia Dei art.9. vbi ait: *quæcumque possunt per creaturas fieri, vel cogitari vel dici,omnia cognoscit Deus*. Sed ens rationis potest per creaturas fieri, cogitari , & dici ; ergo hoc cognoscit Deus.

204. Probatur secundò ratione, & quidem in nostris principijs adstruentibus,ens rationis consistere in extrinseca denominatione *ficti* nemini dubium erit. Sicut Deus cognoscit denominationes *amati*,*cogniti*,&c. ita & denominationem *ficti*,cum hęc denominatio tam constet entibus realibus,quam illę , & vlterius Deus scit , me cognoscere obiectum aliter ac est in se: ergo cognoscit obiectum aliter ac est in se esse cognitum;sed hoc est ens rationis : ergo illud cognoscit.

205. Probatur tertiò. Supposito quod ens rationis sit intrinsecè fictum; Deus cognoscit comprehensivé actum factivum entis rationis ; sed implicat; Deum cognoscere comprehensivè actum factivum entis rationis , & ens rationis non cognoscere:ergo. Maior est de fide,minor evidens; implicat enim me cognoscere Imaginem Cæsaris vt Cæsaris repræsentativam, & Cæsarem non cognoscere; sed cognitio comprehensiva cognoscit actum factivum entis rationis;vt repræsentatiuum ipsius: ergo. Consequentia convincit.

206. Probatur quartò. Omne id, quod cognoscibile est, vel in se vel in alio , cuius cognitio imperfectionem nō affert,á Deo cognoscitur;sed ens rationis cognoscibile est vel in se , vel in actu illud fingente , & eius cognitio nullam affert imperfectionem: Ergo cognoscitur á Deo. Maior est evidens. Minor ex solutione argumentorum constabit: Ergo.

207. Confirmatur. Incredibile est; Deum nostræ disputationi attendere, & ignorare obiectum talis disputationis. Item quomodo *Deus* certò scit ; hanc cognitionem esse falsam , & hæreticam, *Deus est creatura*: Cum ignoret eius obiectum? Quomodo certò scit; esse dis-

con-

conformem obiecto, cum obiectum non cognoscat?

208. Hæc argumenta ita evidenter convincunt, vt adversarij ad nomina recurrere teneantur sic Pater Vazques. Torres, & alij respondent, *Deum* per dissensum cognoscere ens rationis, non verò per assensum. Sed contra: Dissensus est species cognitionis propiè talis: Ergo cognoscere per dissensum ens rationis est propriè, & simpliciter cognoscere illud. Item si cognoscere per assensum est cognoscerê affirmativê, & cognoscere per dissensum est cognoscere negativè, *Deus* tam per assensum, quam per dissensum ens rationis cognoscit, cum non minús dicat per negationem, *ens rrtionis non existit realiter positivè* (loquor in sententia admittente illud esse intrinsecè fictúm) quam per affirmationem dicens: *Ens rationis est quid fictum*. In super si per hoc quod est cognoscere per assensú intelligamus idem, ac cognoscere ens rationis, assentiendo illi v.g. assentiendo, & affirmando *hominem esse equum*: Dico, á nemine hucusque dictum fuisse, Deum ens rationis per assensum cognoscere, sed hoc negamus, requiri scilicet talem assensum, vt ens rationis cognoscatur.

209. Obijc. 1. Deus non cognoscit vniversale formaliter: Ergo neque ens rationis. Probatur antecedens. Vniversale non cognoscitur formaliter nisi cognitione præscissiva, & confusa, quæ Deo repugnare, certum est; & ratio huius est; quia sunt aliquę veritates, quæ formaliter nequeunt cognosci nisi speciali modo tendendi in ipsas; ita ens rationis nequit cognosci nisi modo tendendi fallò, & eo modo, quo ab homine cognoscitur; hoc est totum fundamentum Patris Quiros, & Lincei, asserentium; Deum non cognoscere ens rationis formaliter, sed solum æquivalenter.

210. Vide quæstionem ad pura nomina ab his DD. redactam. Rogo. Cognoscere ens rationis, & vniversale formaliter, vel est cognoscere practicè efficiendo illa, vel non? Si est cognoscere practicè, vt videtur hi Doctores intelligere: à nemine potest affirmari, nec assertum est huiusque; Deum ita ens rationis, & vniversale cognoscere. Si vt dicatur, *Deum* cognoscere formaliter ens rationis, sufficiat illud speculativè cognoscere, ita vt possit *Deus* vitalis cognitionis rationem reddere de ente rationis; cognoscendo, hominem, obiectum aliter ac est in se cognovisse, subiecto que prædicatum repugnans contulisse, dubitari nequit, Deum ita cognoscere ens rationis, nec ab ipsis dubitatur. Asseritur tamen; hanc cognitionem non esse entis rationis formaliter, sed æquivalenter talis; vnde solúm quo ad nomen á nobis dissident; sed etiam quo ad nomen displicent.

211. Quis enim dubitare potest cognitionem definientem ens rationis esse cognitionem non solum æquivalentem, sed etiam formalem entis rationis, sicut cognitio deffiniens hominem, est cognitio formalis hominis formaliter talis; sed Deus habet cognitionem definitivam entis rationis, cum cognoscat, totum suum esse habere in intellectu fingente: Ergo habet cognitionem formalem entis rationis formaliter talis; qua propter ad argumentum respondeo. Distinguo antecedens, Deus non cognoscit vniversale practicê; concedo. Speculativè; nego; & similiter distinguo consequens; ad probationem nego absolutè, ad cognitionem speculativam vniversalis requiri modum specialem præscisivum, qui solum requiritur ad cognitionem practicam illius. Item ad cognitionem speculativã entis rationis requiri cognitionem falsam, quæ solum ad cognitionem practicam illius requiritur.

212. Obijc. 2. Si Deus conoscerer ens

rationis, vel cognosceret illud in se ipso, vel in actu fingente: Non in se ipso, quia nullam habet cognoscibilitatem; non in actu fingente; quia iam Deus haberet cognitionem abstractivam, quę vt pote imperfecta, & per alienas species repugnat Deo: Ergo.

213. Respondeo. Deum tam in se ipso, quam in cognitione fingente posse cognoscere ens rationis, in se ipso, quia cum per nos sit ens reale, habet realem existentiam, realem que cognoscibilitatem. In cognitione fingente, quia cognitio Divina ita cognoscens, licet esset minus perfecta, quam cognitio attingens obiectum in se ipso, non tamen esset imperfecta, sicut voluntas Divina, quæ iuxta probabilem sententiam admittentem inæqualitatem in attributis Divinis, est minus perfecta, quam intellectus, & tamen non ideo est positivè imperfecta. Vtrum autem talis cognitio vocanda sit abstractiva, nec ne? Dubitatur. Aliqui non renuunt *Deo* concedere cognitionem abstractivam, immô & formaliter pręscisivam ex vi medij, ita Albis, & Arriaga. Alij asserunt, omnem cognitionem Divinam etiam in alio esse adequatam, & quidditativam respectu obiecti, vnde etiam si *Deus* se cognoscat in creaturis, & hæ solum connectantur cum *Deo* vt vno, & non vt trino, se adæquatè, & comprehensivê cognoscit vi talis cognitionis, quia alias habet speciem adæquatam sui ipsius, ita Sapientisim. Pater Leonardus de Peñafiel, sed quidquid sit de nomine, concede, Deum cognoscere ens rationis in actu fingente non verò per alienas species, si tamen per cognitionem abstractivam præscisse significetur cognitio in alio, concede item, cognitionem illam esse abstractivam; si verò aliud significetur, nega vocem.

214. Obijc. 3. Si *Deus* cognosceret ens rationis, illud efficeret; sed illud non efficit: Ergo neque cognoscit. Probatur maior. Si *Deus* nunc in tempore cognosceret hoc ens rationis factum ab intellectu, etiam ab æterno illud cognovisset, nil enim in tempore novit *Deus*, quod ab æterno non noverit; sed si ab æterno illud novit, illud fecit: Ergo. Probatur minor, si ab æterno illud novit, ens rationis habuit ab ęterno existentiam in intellectu Divinô; sed non communicatam ab intellectu creato; hic namque ab æterno non existit: Ergo ab ipso intellectu Divino existente ab æterno.

215. Retorqueo. *Deus* nunc cognoscit, hunc actum: *Homo est equus*, esse falsum; item nunc cognoscit Deus, peccatum hominis falsò iurantis: Ergo ab æterno actum illum, & peccatum cognovit, non factum ab homine, quia homo ab æterno non existit: Ergo ab ipso Deo factum? En tota efficacia argumenti in principia fidei retorta. Respondeo. *Deum* abæterno cognovisse speculativè ens rationis non factum, sed faciendum ab humano intellectu pro tali temporis differentia, & eodem modo cognoscit *Deus* actus humanos, & peccata ab hominibus facienda, immõ & factibilia, quia Deus practicé ipsa peccata cognoscat.

216. Obijc. 4. Si Deus cognosceret ens rationis, destructo intellectu humano illud mens divina conservaret: Ergo & illud faceret; nam actio conservativa eiusdem rationis est cum primò productiva: Respondeo, destructo intellectu humano entis rationis factivo maneret ens rationis in cognitione *Divina*, sed non in cognitione *Divina* fingente, sed cognoscente ipsum ens rationis fictum fuisse ab illo intellectu iam destructo, hoc non est conservare ens rationis formaliter; solum enim fictio illud formaliter conservat; quia fictio potest illud primo producere, cognitio tamen vera, qualis est Divina, illud solum conservat obiectivè; hoc

hoc est, respicit illud vt obiectum, sicut Deus nunc peccata preterita cognoscit, quin illa conservet, ita illa etiam rationis cognosceret destructo intellectu humano; quin conservaret.

217. Objic. 5. Æquè perfectus est Deus in operando ac in cognoscendo; sed non operatur ens rationis: ergo neque illud cognoscit. Retorqueo. Æquè perfectus est Deus in operando, ac in cognoscendo, sed non operatur peccata. Ergo neque ea cognoscit. Item, sed non operatur possibilia numquam producenda; ergo neque ea cognoscit. Resp. Plus se extendit cognitio, quam operatio, virtus cognoscitiva quam productiva; nam indignum est; Deum ens rationis fabricare, quia fingeret, & tamen dignissimum est; Deum ens rationis fictum ab homine cognoscere, quia omni scius est, & iuxta Sanctum Thomam supra: *quacumque possunt fieri, vel cogitari, vel dici per creaturas, cognoscit Deus.*

218. Objic. 6. Ens rationis est nihil: ergo dum illud cognoscit, *Deus* cognoscit nihil; sed nihil cognoscere, est non cognoscere: ergo Deus non cognoscit ens rationis. Retorqueo. Ergo neque homo cognoscit illud, nam etiam respectu hominis est nihil, & nihil cognoscere, est non cognoscere. Item nec privationes, nec negationes cognoscit *Deus* ob idem argumentum. Resp. In nostris principijs de ente rationis ex entibus realibus constituto, nullum esse argumentum; nam ens rationis non est nihil: in alijs distinguo antecedens, est nihil physicè, & realiter; concedo; est nihil fictum, nego. Sic distinguo consequens, & minorem subsumptam ita, nihil cognoscere, est non cognoscere, idest, cessare á cognitione est non cognoscere, concedo; idest, cognoscere aliquid fictum, & nihilum reale est non cognoscere, nego. Nihil cognoscere indifferens est vt ly *nihil* cadat supra cognitionem, & significet idem; ac cessare á cognitione, vel vt cadat supra obiectum. Primum esset non cognoscere, secundum non esset non cognoscere, sed cognoscere nihilum reale, & aliquid fictum.

219. Objic. 7. Cognitio duplicis contradictorij repugnat Deo; sed si *Deus* cognosceret ens rationis, cognosceret duplex contradictorium: ergo. Probatur minor Cognosceret, hominem esse leonem, & non esse leonem: ergo. Resp. Disting. maiorem. Cognitio duplicis contradictorij assentiendo vtrique vt possibili; concedo; cognoscendo vnum esse impossibile, & alterum possibile; nego. Ita defacto dantur infinitæ cognitiones duplicis cótradictorij in Deo, vnde in casu posito cognoscit *Deus*, Petrum de facto non esse leonem, cognoscit etiam, impossibile esse, quod Petrus sit leo. Item cognoscit, ab homine fingi hoc impossibile vt possibile, & ita ens rationis cognoscit, cognoscet scilicet cognitionem vt est in se, cognoscentem rem aliter ac est in se.

120. Replicabis primò. Cognoscere ens rationis, est cognoscere non ens, ac si esset ens; sed cognoscere non ens, ac si esset ens, est cognoscere duplex contradictorium: ergo. Resp. Neg. mai. sed cognoscit ens rationis, vt non ens, & aliunde cognoscit, ab intellectu cognosci tale non ens, ac si esset ens.

221. Replicabis secundò. Ergo simul sunt in intellectu Divino esse, & nó esse entis rationis. Resp. Dist. consequens, idest simul cognoscit esse ens rationis fictum, & non esse reale, concedo; esse & non esse eodem modo, nego: Esse fictum, & non esse reale, non sunt contradictoria, quia illud esse, & non esse, non se habent eodem modo, sed diverso.

222. Objic. 8. Deus non cognoscit in voluntate creata adhuc vt vltimò disposita determinatè actus liberos; ergo neque in intellectu fingente ens rationis cognoscit. Resp. Neg. cósequentiam, & paritatem, ideo in voluntate creata adhuc vt vltimo disposita non cognoscit Deus actus liberos determinatè, quia adhuc vt vltimò disposita manet voluntas libera, & indifferens ad amorem, & odium, nec determinatam connexionem dicit cum amore potius quam cum odio, ideoque nequit determinatè ducere cognitionem ad vnum potius, quam ad aliud; at verò cognitio factiva entis rationis dicit essentialem, & determinatam connexionem cum ente rationis, quid ergo mirum quod in ea, & in intellectu fingente ens rationis cognoscatur?

223. Objic. 9. Deus solum cognoscit ens rationis per dissensum; sed cognoscere per dissensum, est non cognoscere, ergo. Probatur minor, cognoscere per dissensum est removere; sed removere est non cognoscere; ergo. Resp. neg. maiorem in sensu, quo supra num. 210. loquuti sumus; sed ea admissa nego minorem, ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem; cognoscere per dissensum est removere á ratione obiecti cognitionis, nego; hoc enim implicaret, quia esset obiectum, cum per cognitionem removeretur; & non esset obiectum, quia removeretur á ratione obiecti; est removere intentionaliter, idem ac negare illud esse sicut fingitur esse; concede, & vt ita negetur, debet cognosci.

SVBSECTIO II.

VTRVM DEVS EFFORMET ens rationis?

224. QUestio est purè de nomine, in qua affirmantes idem negant, & negantes idem affirmant; si stemus supposito affirmantium, certum est, Deum ens rationis efficere, cum certum sit, vt iam probabimus, Deum ens rationis cognoscere, & facere ens rationis iuxta affirmantes nil aliud sit, quam illud cognoscere, habere que esse cognitum in intellectu Divino: si tamen stemus supposito negantium, de fide est, Deum non efficere ens rationis, vt notat Hurtadus, cum facere ens rationis sit fingere, & de fide certum sit; Deum non posse fingere.

225. Affirmant, Deum efficere ens rationis, Patres Amic. Albertinus, Valentia, Arriaga. Arrubal, Isquierdus, Sancta Cruz, Peynadus, item Spinula, & alij, quos sequitur Suar. Lusit. d. 2. n. 92.

226. Negant, Deum ens rationis efformare PP. Vazques, Hurtadus, Herice Falolus, Alarcon, Alphonsus, Quiros, Linceus, Comptonus, Disputatione 16. sectione, 2. Sapien. Pater Thyrsus Gonzalez, *Disputatione* 9. de scientia: num. 33. Item Ioannes á Sancto Thoma, & Ioannis, & M. Linc. q. 2. art. 7. num. 9.

227. *Dico*. *Deus* non efformat ens rationis. Probatur hoc vnico syllogismo: *Deus* non potest elicere actum falsum, neque fingere; sed ad efformationem entis rationis requiritur actus falsus, & fictio: Ergo *Deus* non potest ens rationis efformare. Maior est de fide; minor supponitur á nobis sæpe probata ex Aristotele 5. metaphysicæ, textu 14. & Sancto Thoma Opusculo 42. capite 1. consequentia convincit.

228. Confirmatur. En nostris principijs ab illa solum potentia fit ens rationis, per cuius actus obiectum potest denominari *falsò cognitum, fictum, seu cognitum aliter ac est in se*, sed per nullum actum intellectus Divini potest aliquod obiectum denominari falsò cognitum fictum, seu cognitum aliter ac est in se, cum nullus actus intellectus Divini, sit cog-

cognitio falsa, fictio, seu cognitio obiecti aliter ac est in se: ergo ab intellectu Divino nequit fieri ens rationis.

229. Objic. 1. Sanctum Thomam 1. p q. 15. art. 2. asserentem; respectus quibus multiplicantur ideæ non causantur á rebus, sed á Divino intellectu comparante essentiam suam ad res; non tamen sunt reales respectus, sicut illi quibus distinguntur personæ, sed respectus intellecti à Deo; ergo à Deo causantur illi respectus; non reales; ergo rationis.

230. Ex verbis vt sonant sequitur Deum in se ipso formalitates præscindere, ne tamen hoc dicatur, sensum Verborum debes attendere, crede Acutissimo Doctori Sanctum Thomam 1. part. disp. 73. cap. 2. sic interpretante; sunt ab æterno in Deo plures ideæ non actu distinctæ, sed quę possent distingui, si esset intellectus creatus: hoc cognoscit Deus, vnde illas ideas, vt fundamentaliter distinctas cognoscit; dantur enim plures ideæ, & respectus fundamentaliter, non formaliter, aliter enim dantur plures personæ realiter.

231. Objic. 2. Impossibili intellectu creato Deus cognosceret ens rationis: ergo factum ab ipso Deo, cum non detur nec possibilis sit alius intellectus, á quo fieri possit. Resp. Neg. antecedens, nam impossibili intellectu creato, impossibilis esset fictio, à qua obiectum denominetur fictum, vnde & concretum esset impossibile, sicut impossibili albedine esset impossibile concretum album albedine tanquam forma constitutum.

232. Objic. 3. Deus non cognoscit ens rationis sicuti est in se, ergo facit ens rationis. Probo antecedens, quod non est in se, non cognoscitur sicuti est in se; sed ens rationis non est in se, cum nullum esse habeat: ergo. Retorq. ergo nec cognoscitur aliter ac est in se, nam quod in se non est aliter, ac est in se nō cognoscitur: ergo. Resp. In nostris principijs obiectum actus factivi entis rationis est ens reale, ac proinde in se habet esse, vt cognoscatur vel vt est, vel aliter ac est in se. In contarijs ens rationis habet suum esse, licet non reale, fictum tamen ab homine iuxta quod esse cognoscitur á Deo sicuti est in se, idest, cognoscitur vt quid fictum ab homine.

233. Objic. 4. Aqua ex se non est ordinata ad causandam gratiam; sed Deus eam ordinat ad causandam gratiam in Sacramento Bauptismi: ergo aquæ confert ordinem, quem non habet: ergo efformat ens rationis. Respondeo, aquam habere hanc ordinabilitatem obedientialem, licet non naturalem, indeque iuxta illam obedientialem capacitatem, ordinem contulit illi Deus.

234. Objic. 3. Deus potest habere hanc propositionem: *Equus est rationalis, est falsa propositio*: Dividatur secunda á prima propositione, & manet hæc, *equus est rationalis*: En propositio factiva entis rationis; hæc existit in intellectu Divino ergo in intellectu Divino existit propositio entis rationis factiva.

235. Ridiculum Argumentum. Ergo Deus erit hęreticus, blasphemus, & mendax; patet consequentia. In intellectu Divino sunt hæ, & similes propositiones, *Verbum Divinum est creatura, Deus est iniustus, Antichristus salvabitur, sunt falsæ propositiones*, dividantur ab hac vltima antecedentes, ex quibus prima est hæretica, secunda blasphema, tertia falsa: Ergo.

236. Respondeo, non esse in intellectu divino illam primam propositionem á secunda divisam, sed solum cum illa coniunctam, vnde tota illa integra proposio est subiectum propositionis Divinæ hypoteticę, cui prædicatum conveniens, nempe *esse falsam propositionem*, tribuitur. Obiectum ergo Divinæ cognitionis non est *equus rationalis*; nam de equo rationali falsum esset dicere, esse *falsam propositionem*, sed actus fingens; equum *esse rationalem*, de quo verissimum est dicere, esse falsam propositionem, sensus tamen cognitionis Divinę ita se habet, *actus dicens, equum esse rationalem, est falsa propositio*, hoc est, id quod á tali propositione affirmatur, falsum est.

237. Objic. 6. Causa causæ, & causalitatis, est causa causati; sed Deus est causa cognitionis factivæ entis rationis, quæ est causa, & causalitas illius: Ergo est causa ipsius entis rationis.

238. Respondeo. Distinguo maiorem, si sit causa causæ, & causalitatis in eo genere inquo effectus per causalitatem producitur, concedo: in alio genere; nego; & destinguo minorem. Deus est causa cognitionis factivæ entis rationis, causa physica; concedo: intententionaliter repræsentativa; nego. Sic Deus est causa voluntatis, & volitionis peccaminosæ, & non est causa moralis peccati; sic est causa physica suasionis, qua Petrus persuadet Ioanni, vt peccet, non tamen est causa peccati, quia non concurrit adsuasionem in eo genere, inquo suasio concurrit ad peccatum Ioannis, hæc enim concurrit suadendo moraliter, & Deus concurrit producendo physicè; sic cognitio factiva entis rationis concurrit repræsentativè, & vitaliter ad ens rationis, in quo solum genere hoc producitur, & Deus non concurrit ad cognitionem illam repræsentando per ipsam intentionaliter, & vitaliter obiectum aliter ac est in se, sed physicê producendo talem cognitionem.

239. Objic. 7. Deus cognoscit rem aliter, ac est in se cognoscibilis: ergo efformat ens rationis. Probatur antecedens: res creata non est in se infinitè cognoscibilis; sed Deus attingit rem creatam infinitè cognoscibilem: ergo. Probatur minor, res creata denominatur à cognitione Divina infinitè cognita: ergo Deus attingit rem creatam, vt infinitè cognoscibilem; eodem enim modo, quo res denominatur cognita, debet esse cognoscibilis. Confirmatur. Deus est infinitè cognoscens comparationę rei creatæ: ergo res creata est infinitè cognoscibilis comparatione Dei; sed non est in se infinitè cognoscibilis: ergo in intellectu Divino.

240. Æquivoco laborat argumentum. Respondeo: nego antecedens, ad probationem distinguo maiorem, non est infinitè cognoscibilis, idest non est capax terminandi cognitionem infinitam super comprehensivam; nego: idest, non habet infinitam cognoscibilitatem secum identificatam, concedo; & distinguo minorem; attingit rem creatam, vt infinitè cognoscibilem, cognoscibilitate se tenente ex parte ipsius creaturæ, nego; hoc est, attingit rem creatam capacem terminandi cognitionem infinitam; concedo. Ad probationem, dico; certum esse, ex cognitione Divina, & creatura resultare hoc concretum *infinité cognitum*, sed infinitate se tenente ex parte cognitionis, nō verò ex parte obiecti, quod idē est, ac dicere; rem creatam cognosci á cognitione infinita, ex quo solum sequitur; cognoscibilitatem extrinsecam creaturæ esse infinitam, quæ est denominatio extrinseca, sicut denominatio *cogniti*, non verò cognoscibilitatem intrinsecam se tenentem ex parte obiecti, in quo nulla datur attributio ficta, nec obiecto confertur vlla capacitas, quam ipsum obiectum non habeat. Hinc ad confirmationem respondeo; Deum esse infinitè cognoscentem ex parte actus, non vero ex parte obiecti, hoc est, actus cognoscens creaturam est cognitio infinita rei finitę, vnde res creata etiam est infinitè cognoscibilis extrinsecè, & ex parte

parte actus, hoc est, res finita est capax cognitionis infinitæ.

241. Obijc. 8. Deus ponit distinctionem, vbi non est distinctio: Ergo facit ens rationis. Probatur antecedens primò: *Deus* cognoscit essentiam Divinam virtualiter distingui á relationibus, & vnum attributum ab alio: Ergo talem distinctionem facit actualem. Probatur. Distinctio virtualis fit actualis eo præscissè, quod cognoscatur: Ergo. Probatur secundo. Deus affirmat de sua natura *non produci*, & de filiatione *produci*: Ergo distinguit naturam à *filiatione*: item cognoscit, se generare per intellectum, & non generare per voluntatem, misereri per misericordiam, & non per iustitiam: Ergo inter hæc indistincta distinctionem agnoscit. Probatur tertiò. Amor strictus tendit in obiectum bonum præscindendo ab existentia illius, sed in *Deo* est amor strictus: Ergo & cognitio, quæ proponat voluntati bonitatem Divinam præscindendo ab existentia. Ergo eam ab existentia distinguens. Probatur quartò. *Deus* se cognoscit in creaturis vt vnum, non verò vt trinum, quia solum se potest cognoscere vt terminum connexionis creaturæ; sed solũ vt vnus, non vero vt trinus, est terminus connexionis creaturæ: Ergo solum vt vnum se cognoscit: Ergo distinguit vnitatem á Trinitate.

242. Argumentum, & omnes eius probationes tantum probant; in *Deo* dari cognitiones præscisivas, quod si concedatur, non infertur, dari cognitionem factivam entis rationis; nam cognitio pręscisiva illud non facit, vt vidimus supra.

243. Respondeo ergo. Nego maiorem ad primam probationem dic: Deum solum cognoscere distinctionem virtualem, quæ in *Deo* re ipsa datur, quæ quidem distinctio (si sit rigorosa virtualis) est capacitas ad terminanda prędicata apparenter contradictoria (si sit virtualis lata) ad terminandas cognitiones præscisivas creaturaram, quin talis cognitio constituat distinctionem illam virtualem, quam cognoscit in esse actualis; distinctio obiectiva virtualis tantum redditur formalis actualis per cognitionem inadæquatam, & præscisivam v. g. distinctio virtualis quę realiter datur inter animal & rationale, solum redditur formalis actualis per cognitionem, qua cognoscitur animal, non cognito rationali; sed cognitio *Divina* nequit cognoscere personalitatem *sine* natura, nec naturam sine personalitate, aut vnum attributum sine alio: Ergo nequit constituere formalem actualem distinctionem virtualem, quam attingit.

244. Ad secundam probationem respondeo, aliud esse, nos præscindere scientiam Divinam in plures formalitates; & aliud scientiam Divinam pręscindere in obiecto vnam formalitatem ab alia, hoc secundum repugnat; nam cum cognitio quælibet divina sit comprehensiva, debet cognoscere, quidquid est idem, & quidquid connectitur cum obiecto: Ergo cognitio *Divina*, qua Deus cognoscit, naturam Divinam cõmunicari, cognoscit vtique, non communicari paternitatem, & qua cognoscit *Deus*, se punire per iustitiam, cognoscit etiam se per misericordiam misereri. Falsum tamen est, dicere, *Deum* cognoscere, se non punire per misericordiam; hæc enim negativa propositio involuit distinctionem formalem. Ergo cognoscit Deus, se punire etiam per misericordiam, realiter enim hæc est vera propositio; *Deus per misericordiam punit*; primum vero, nempe, nos scientiam Divinam in plures formalitates dividere, sępe evenit, sic in cognitione, qua *Deus* Petrum, & Paulũ simul cognoscit, dividimus formalitatem repræsentatem Petrum á formalitate repræsentante Paulum. Sic concipimus Deum affirmantem de natura sua, quod communicetur, quin concipiamus Deum negantem de Paternitate, quod communicetur, non tamen datur in Deo vnus actus, quin primum solum affimet, & alius qui solum neget secundum.

245. Ad tertiam probationem negant in Deo amorem strictum Patres Herice, Leonardus prima parte tract. 10. disputatione decima, sectione 2. & Neoterici Plures ob rationem argumenti, cum Sapientissimo P. Maza in materia de voluntate: nam iuxta definitionem Sancti Thomæ, amor strictus debet esse præscisivus existentiæ adhuc tanquam obiecti materialis, & repugnat in Deo talis cognitio præscisiva. Concedunt tamen in Deo amorem strictum Eximius Doctor. lib. 3. de Attributis cap. 6. num. 30. Ruiz, & Arriaga, quod si amor strictus requirat præscisionem existentiæ vt ab obiecto materiali, in *Deo* non datur; si verò solum requirat præscisionem ab existentia, vt á ratione formali, hoc est, quod licet attingat bonitatem existentem, eam tamen non attingat, quia existens, vt tenent affirmantes, datur in Deo talis amor, nunquam tamen ens rationis.

246. Ad quartam probationem negant; *Deum* se cognoscere increaturis Eximius *Doctor*, Alarcon, Hemelmam, & alij. Affirmant Herice, Noster Leonardus, & Arriaga, & alij dicunt, Deo non repugnare cognitionem pręscisivam ex parte actus ratione medij, dum aliás non esset pręscisiva ex parte obiecti, hoc est, dummodo nihil esset in obiecto, quod per alios actus realiter identificatos cum illo non cognosceretur, hinc enim esset defectus medij, nempe creaturæ, ex se solum ducentis ad *Deum* vt vnum, quocum connectitur, non verò ad Deum vt Trinum, quo si cum non connectitur Pater verò Ruiz disputatione 111. de Trinitate per totam tenet, creaturas connecti formaliter cum Deo vt Trino, vnde etiam ex vi medij Deus se cognosceret increatura tam vt vnum, quam vt Trinum. Pater Leonardus tenet, quod licet medium nempe creatura sit solum, modò cum Deo vt vno connexa, in ea etiam se cognoscit vt Trinum, quia quoties cognoscens habet speciem perfectam alicuius obiecti, licet medium sit imperfectum, in eo cognoscitur tale obiectum maiori perfectione, quam vi solius medij cognosceretur.

247. Objic. 9. Deus potest cognoscere ens rationis instar entis positivi: ergo & illud facere. Resp. Adhuc concesso antecedenti, consequens non infertur, quia cognoscere vnum ad instar alterius, non est facere ens rationis. Sed antecedens est falsum; Deus namque nil per alienas, immò neque per proprias species, cognoscit, cum enim sit intimè præsens omnibus, essentialiter, & ratione sui omnia repræsentat, nos autem speciebus egemus ad supplendam distantiam obiectorum, quæ intellectui nostro intimè pręsentia non sunt, & cũ sæpe propria specie careamus, ipsum vnum instar alterius, vel per speciem alterius concipimus.

248. Objic. 10 Deus cognoscit ens rationis vt tale: ergo illud efficit; Probatur consequentia, eo ipso quod cognoscat ens rationis vt tale, cognoscit rem aliter ac est in se, v. g. si cognoscit hoc ens rationis. *Homo non est rationalis*, cognoscit hominem vt non rationalem; sed homo in se est rationalis: ergo cognoscit rem aliter ac est in se, Confirmatur. Ille homo haberet in intellectu Divino esse, quod nec habet, nec habere potest á parte rei: ergo in intellectu Divino esset aliter ac est in se.

249. Ob hoc argumentum potissimè tenet Pater N. Generalis Thyrsus

 Gon-

Gonçalez disputatione 9. de scientia num. 47. quod si concedatur ens rationis distingui ab omni ente reali; Deus ens rationis non cognosceret, nam etiam si illud non efficeret, illud cognosceret aliter ac est in se, seu in intellectu Divino haberet homo v.g. aliquod esse quod nec habet, nec habere potest á parte rei. Respondeo. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad probationem nego assumptum; cum enim Deus cognoscit hoc ens rationis, *homo non est rationalis*: cognoscit illud vt est in se, nempe vt quid fictum ab homine, & simul cognoscit verè, & realiter esse *rationalem*; cognoscit tamen ab intellectu humano aliter ac est in se, cum dicit, *homo non est rationalis*. Ad confirmationem respondeo. Illum hominem habere in intellectu Divino, esse cognitum sicuti est in se, & etiam esse cognitum, sicuti ab homine cognoscitur, non tamen habere aliquod esse, quod nō habet saltem incognitione humana fingente. Hinc ad ponderationem Patris Thyrsi respondeo. Ens rationis, & hominem illum habere hoc esse cognitum in mente Divina, & hoc intellectū summe perfectum non dedecere, nam ex eo solum infertur, Deum cognoscere, hominem fingere. Sicut enim habere peccata esse intentionale in cognitione Divina non dedecet; quia hoc solum arguit, homines peccare, & Deum cognoscere peccata hominum: ita habere ens rationis esse cognitum in intellectu Divino non dedecet, quia hoc solum arguit, homines fingere, & Deum hominum figmenta cognoscere.

250. Objic. II. Etiam impossibili intellectu creato Deus haberet hunc actum: *Deus alius præter me est impossibilis*: ergo cognosceret *alium Deum*: ergo alius Deus heberet esse obiectivè in intellectu Divino: ergo hic ens rationis efficeret.

251. Respondeo. Transeat antecedens, hoc est, quod vt sonat detur talis actus in intellectu Divino, & distinguo consequens; cognosceret alium Deum vt est in se; concedo, aliter ac est in se; nego, & similiter distinguo secundum consequens: Alius Deus haberet esse obiectivè in intellectu Divino, esse fictum; nego, esse cognitum; concedo, quod, sepæ diximus, ad ens rationis non sufficere; cum enim alius Deus non sit in se realiter possibilis, & ita cognoscatur, sicuti est in se cognoscitur; idem dic de alijs propositionibus huic similibus v.g. Chimæra repugnat, &c.

252. Replicabis. Non solum cognoscit Deus impossibili omni intellectu creato alium Deum vt impossibilem; sed etiam vt possibilem: ergo efformat ens rationis. Probatur antecedens. Impossibili omni intellectu creato, non solum haberet Deus actum supra propositum, sed etiam hunc: *alius Deus non est possibilis*; sed per hunc actum cognosceret alium Deum impossibilem vt possibilem: ergo. Probatur minor: per hunc actum negaret possibilitatem alterius Dei vt possibilem, sed negare possibilitatem alterius Dei vt possibilem, est cognoscere alium Deum impossibilem, vt possibilem; ergo. Prob. mai. Si per hunc actum non negaret possibilitatem alterius Dei vt possibilem, negaret illam vt impossibilem, sed si negaret possibilitatem alterius Dei vt possibilem, falsò negaret; falsum enim est negare possibilitatem impossibilem alteri Deo, cum verum sit, alium Deum habere possibilitatem, eiusque possibilitatem impossibilem esse: ergo Deus negans possibilitatem alteri Deo, non negat possibilitatem impossibilem; sed possibilem: ergo cognoscit alium Deum impossibilem vt possibilem, ac proinde aliter ac est in se: ergo efformat ens rationis.

253. En Princeps Adversariorum argumentum, cui vtpote Catholici & ipsi

ipsi respondere tenentur; nam eodem tenore, quo probant, talem actum ens rationis efformare, probatur, esse falsum; & eodem modo, quo ipsi à falsitatis nota eum liberaverint, nos vtique ab entis rationis fictore liberabimus; pro omnibus ita que

254. Respondeo, distinguo antecedens, sed etiam vt possibilem, per assensum; nego, per dissensum; concedo. Ad probationem transeat maior, & distinguo minorem, cognosceret alium Deum impossibilem vt possibilem per assensum; nego: Per dissensum; concedo. Ad probationem distinguo similiter minorem; sed negare, &c. est cognoscere alium Deum impossibilem vt possibilem; cognoscere per assensum; nego. Per dissensum; concedo. Solutionem explico: Dupliciter potest cognosci Deus impossibilis vt possibilis, vel per assensum, vel per dissensum, cognoscere Deum impossibilem vt possibilem per assensum, est cognoscere possibilitatem affirmando, illam convenire tali Deo, & adhærendo tali possibilitati speciali modo tendendi actus, affirmativo scilicet: Cognoscere verò Deum impossibilem vt possibilem per dissensum, est cognoscere possibilitatem negando, illam convenire subiecto; quod verissimum est, & à fabrica entis rationis prorsus alienum; ita ergo Deus vi illius actus *alius Deus non est possibilis*, cognoscit possibilitatem alterius Dei, non assentiendo, & adhærendo illi modo tendendi affirmativo; sed dissentiendo illi modo tendendi negativo, vnde nullatenus efformaret ens rationis.

255. Instas simul rogando Quænam sit hęc possibilitas, quæ per dissensum cognosceretur à Deo, negareturque per illum actum, cum non sit possibilitas impossibilis ob rationem argumenti? Respondeo. Vel esse possibilitatem positivam entium possibilium creatorum; vnde idem est dicere: *Alius Deus non est possibilis*, ac dicere: *Illi non competit possibilitas Petri, Pauli, Andreæ, &c.* Vel possibilitatem ipsius Dei veri, & realis; vnde sensus illius erit: *alteri Deo mea possibilitas non competit*.

256. Sed contra hanc solutionem efficaciter instans; possibilitatem illam removet Deus per illum actum ab alio Deo, quæ si illi competeret, esset positivè alius Deus, & hic verus Deus non esset vnicus, sed etiam si illi competeret possibilitas creaturarum, vel possibilitas ipsius Dei veri non esset positivé alius Deus, neque ab hoc vero Deo vnicitas auferretur: Ergo per illam propositionem Deus non removet ab alio Deo possibilitatem creaturarum, nec possibilitatem ipsius veri Dei. Probatur minor quoad primam partem; possibilitas creaturarum est possibilitas creata, & ab alio, sed si conveniret alteri Deo possibilitas creata, & ab alio, non esset alius Deus, sed potiùs creatura, neque tolleret vnicitatem Dei veri ob eamdem rationem: Ergo.

257. Probatur quoad secundam partem. Si illi Deo communicaretur possibilitas huius Dei, esset Deus; non vero alius Deus, sed idem Deus; sicut ideo communicata natura Divina filio non esset alius Deus á Patre, sed idem Deus, quia filio communicatur eadem possibilitas, & idem esse naturæ Divinę quod est in Patre; ergo.

258. Resp. Quod si alteri Deo conveniret possibilitas creaturarum, vel ipsius Dei veri, esset alius Deus, & non esset alius Deus; Deus hic verus maneret vnicus, & nō maneret vnicus; hæc tamen contradictio non sequeretur præscisse ex vi hypotesis; sed ex tota propositione hypotetica. Hoc est, vnum contradictorium ex illis sequeretur ex subiecto propositionis, & alterum

rum ex prædicato ; non vero sequeretur vtrumque ex prædicato: nam si illi Deo communicaretur possibilitas creaturarum, esset Deus, vt supponitur ex parte subiecti, & non esset Deus, quia illi ex parte prædicati, communicaretur possibilitas creata, & non Divina; si vero illi communicaretur possibilitas Divina, esset alius, vt supponitur ex parte subiecti, & non esset alius, quia illi cõmunicaretur possibilitas, & natura Divina, quæ ex se non facit alium Deum, vt patet in secunda Persona respectu primæ. Hæc doctrina explicari potest exemplo Theologico: Quærunt Theologi in materia de Trinitate v.g. *Si spiritus sanctus non procederet à filio, distingueretur ab illo, nec ne*? Alij affirmant, alij negant, communiter tamen Recentes ex Sapientissimo P. Maza respondent. Ex vi hytesis, quod *scilicet non procederet*, sequeretur, non distingui: cum tamen supponatur, subiectum propositionis esse eundem Spiritum Sanctum, ac nunc est ex subiecto sequeretur distingui, vnde licet ex hypotesi propositionis, non sequatur quodlibet, distingui scilicet, & non distingui; ex integra tamen propositione hypotetica, hoc sequitur, quid aptius ad rem nostram explicandam?

259. Sed contra proximè dicta instabis. Terminus oppositus vnicitati Divinæ essentialiter excluditur per vnicitatem: sed possibilitas positiva ipsius Dei, aut possibilitas creaturarum non excluduntur per vnicitatem; nam vnicitas cum possibilitate Dei identificatur, & cum possibilitate creaturarum simul coexistit: ergo terminus vnicitatis ab ea exclusus, ei que oppositus non est possibilitas positiva Dei, nec possibilitas creaturarum, sed alia possibilitas; non possibilitas impossibilis, nam cum hac etiam de facto coexistit vnicitas: ergo possibilitas possibilis: ergo & possibilitas ficta. Confirmatur: vnicitas est negatio possibilitatis alterius Dei, sed negatio non compatitur cum termino negato, alias simul existerent esse, & non esse rei: ergo terminus vnicitatis Divinæ non est possibilitas ipsius Dei, nec possibilitas creaturarum, nec possibilitas impossibilis, cum quibus optime compatitur.

260. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem, sed possibilitas positiva ipsius Dei, aut possibilitas creaturarum non excluduntur per vnicitatem ab ipso Deo, & á creaturis, quorum sunt possibilitas; concedo; ab alio Deo, cuius non est possibilitas; nego. Terminus oppositionis vnicitatis Divinæ non est possibilitas propria ipsius Dei, aut possibilitas creaturarum, quibus cum, vt optimê probat argumentum, compatitur Deus, sed est ipsa met possibilitas ipsius Dei, quam creaturarum comparatione alterius Dei, sive quod negat, est; propriam possibilitatem, aut possibilitatem propriam creaturarum alteri Deo convenire; vnde terminus vnicitatis neque est alius Deus possibilis vtcumque, neque possibilitas positiva ipsius Dei, neque denique possibilitas positiva creaturarum, sed possibilitas veri Dei, & creatuearum, vt ab alio Deo remota.

261. Dixi transeat in ordine ad admittendas illas propositiones in intellectu Divino, vt sonant: *Alius Deus præter me est impossibilis alius Deus præter me non est possibilis* quia facillimè possum respondere cum gravissimis Doctoribus, & Patre Thyrso supra num. 94. negando, Deum posse habere tales actus & alios similes v.g. *Hominem esse equum est impossibile, si homo esset equus esset hinnibilis* quoad modum significandi, sed solum illos habet quoad rem significatam. Deus enim modo convenienti, & simplicissimo res significatas per hos actus cognoscit, quas quidem res nos ob imperfectionem nostri intellectus signi-

significamus, modo illo exprimente alteritatem ex parte subiecti, & non possibilitatem ex parte prædicati, quod explicari potest doctrina Theologica; Rogant Theologi, vtrum in intellectu Divino dentur hæ cognitiones: *Natura cõmunicatur, Paternitas nõ communicatur*? Resp. Inter alios P. Granadus, has propositiones dari in intellectu Divino quo ad rem significatam, non vero quo ad modum significandi imperfectum. Si tamen Roges: Quæ nam sit res significata? Respond. Deum esse trinum & vnum, quod cognoscendo Deus, re ipsa cognoscit quod nos ob imperfectionem, & tenuitatem intellectus, illis propositionibus significamus. Ita hęc: *Alius Deus non est possibilis*, & similes propositiones erunt in intellectu Divino quo ad rem significatam; non verò quo ad modum significandi, & eo modo imperfecto, quo á nobis significatur: Si tamen roges: Quæ nam sit res significata per illam propositionem, *alius Deus non est possibilis*? Respondeo, ita Deum se habere: *Ego á nullo dependeo, & omnia possibilia á me necessario dependent.* Ex quo deducimus; alium Deum esse impossibilem, seu non possibilem.

262. Si verò tibi opponant; ipsum Deum Deutoronom. 3. vers. 29. dicentem: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*; vnde videtur inferri; Deum posse habere illum actum. Respondeo. In casu allegato, Deum habuisse pro obiecto Deos fictos á Gentilibus, cognovisse que eos, entia rationis facere tribuendo intentionaliter divinitatem marmoribus, statuis, & hominibus, dixisse, que: Eaquæ vos vt Deos adoratis, non sunt Dij vel melius poteris respondere; in tali casu Deus in suis vocibus se accomodasse tenuitati nostri captus, sic Exod. 2. ve s. 8. ad Moysem loquutuus ait: *Sciens dolorem eius* (loquitur de populo Israelitico) *descendi, vt liberem eum de manibus Ægiptiorum*, & tamen re ipsa non descendit, cum sit vbique. Sic Genes. 9. Noemo dixit, *& recordabor fæderis mei vobiscum*? Et tamen non recordatur, quia non obliviscitur, sed se accommodat modo nostro intelligendi, non quia ipse intelligat, sicut verba sonant.

263. Idem dicas de cognitione, qua Deus se vt vnicum, & vnum cognoscit; nempe cognoscere se vnum, & vnicum quoad rem significatam, non verò quoad modum significandi, nam hę cognitiones vnicitas, & vnitas, quo ad modum significandi videntur denotare terminos exclusionis; sonant item negationem alterius Dei, quæ quidem omnia á nobis explicari nequeunt aliter ob penuriam vocum, & ingenij tarditatem, sed à Deo aliter intelliguntur, modo scilicet non involuente, vllam imperfectionem, quem modum nos illis vocibus explicamus.

264. Nota tamen; hos actus non excludi ab intellectu Divino; quia per illos ens rationis efficeret, sed quia essent prorsus alieni á perfectione Divina in cognoscendo; sic non quia falsus, sed quia indecens excluditur á Deo actus fidei. Sic etiam iuxta Patrem Granadum reijciuntur à mente Divina actus illi: *Natura communicatur, Paternitas non communicatur*: Non quia falsi, sed quia alieni à mente comprehensiva.

SECTIO III.

VTRVM VOLVNTAS EFFICIAT ens rationis?

265. PRima sententia affirmat. Ita Scotistæ, Arriaga, Herice, Quiros, Spinula, Disputatione 4. sectione 3. num. 37. Bonespei, Lince, & Alij.

266. Secunda sententia negat. Ita Eximius Doctor, Acutissimus Doctor, Hurt. Compton. Oviedo, Alphonsus, Ponce, *Disputatione* 1. logicæ, quęstione 7. num. 81. Pater N. Thyrsus Gonzalez disputatione 9. de scientia sectione 6. num. 89. & M. Lince. q. 2. art. 4. n. 6. Item Nostrates Maza, & Olea. d. 11. n. 2.

267. *Dico* voluntas nequit ens rationis efficere. Probatur primò. Ex ipsa nominis ethimologia. Quomodo enim ens rationis efficiet potentia, quæ ratio non est? Probatur secundo. Æns rationis per nos est ens fictum, seu obiectum falsò cognitum resultans ex obiecto reali, & actu fingente, & falsò tanquam ex formâ: sed nullus actus voluntatis est actus fingens, & falsus: ergo ex nullo actu voluntatis potest resultare ens rationis.

268. Probatur tertiò. Illa solum potentia potest ens rationis efficere, quæ potest obiectum suum attingere modo disconvenienti, conferendo illi prædicatum repugnans, vel auferendo ab illo prædicatum conveniens, sed voluntas nequit attingere suum obiectum modo disconvenienti conferendo illi prędicatum repugnans, vel auferendo prędicatum conueniens; hoc enim intentionaliter solum fit per affirmationem, vel negationem, vel dividendo, vel componendo obiecta: ergo voluntas nequit ens rationis efficere.

269. Probatur quartò. Actus reflexus supra ens rationis factum, v.g. Cognitio qua Deus ens rationis factum ab hominibus attingit, non facit ens rationis, quia supponit illud iam factum, & solum speculativè illud respicit, licet illi conferat denominationem cogniti: ergo actus voluntatis similiter, cum sit quasi reflexivus supra ens rationis factum, & propositum sibi ab intellectu, illud non efficiet, sed speculativè respiciet, licet illi conferat denominationem *amati*. Et ratio á priori est; quia voluntas vtpotè potentia cæca nihil potest attingere, quod sibi ab intellectu non proponatur iuxta illud: *Nihil volitum, quin præcognitum*: ergo licet voluntas attingat bonitatem fictum, obiectum aliter ac est in se physicè, &c. hoc non erit defectus voluntatis fingentis, sed intellectus proponētis. Huic enim crimen attribuitur non voluntati; quis enim cordatæ mentis cæcum, qui in foveam incidisset, reprehenderet, dicente oculato; cū huic defectus imputetur, non cæco ductosita intellectui ducenti non voluntati ductæ defectus entis rationis imputandus est.

270. Objic. 1. Ex Patre Lince. Ideo ab intellectu repręsentāte chimæram vt possibilem fit ens rationis, quia obiectum non est sicuti ab illo actu repræsentatur, vnde illud attingit aliter ac est in se: ergo ob eandem rationem ab actu voluntatis desiderante possibilitatem chimæræ fiet ens rationis cum idem attingat, &c.

271. Respondeo, nego consequentiam, & paritatem; primo, quia ab intellectu repræsentatur chimæra vt possibilis practicè, conferendo illi possibilitatem; at vero à voluntate attingitur chimęra vt possibilis speculativê, attingendo possibilitatem, sed ab intellectu collatam. Secundo ab intellectu illa possibilitas denominatur ficta cognita aliter ac est in se, &c. in qua denominatione tota entis rationis essentia consistit; at verò à voluntate solum denominatur amata, non ficta. Tertio fabrica entis rationis huius actus voluntatis proveniret à possibilitate, quam conferret chimæræ; sed hæc possibilitas ab ipsa voluntate non confertur sed ab intellectu, qui illi talem possibilitatem proposuit, si enim illi non proponeretur possibilitas chimæræ, illam non amaret, cum solum attingat, quod ipsi proponitur: ergo.

272. Objic. 2. Actus ordinans aliquid vt medium ad finem, ad quem ordinabile non est, ens rationis efformat, conferens talem ordinabilitatem obiecto, sed voluntas sæpe ordinat virtutem ad bona temporalia adquirenda, ad quæ virtus ordinabilis non est: ergo. Confirmatur: voluntas peccans ordinat *Deum* ad creaturas, quas facit vltimum finem; nec valet dicere, intellectum *Deū* proponere voluntati vt ordinabilem ad creaturas; quia si hoc ita eveniret, quoties voluntas læthaliter peccat, intellectus incurreret hæresim: ergo.

273. Resp Concedo maiorem, & distinguo minorem. Sed voluntas sæpe ordinat virtutem ad bona temporalia, ad quę ordinabilis non est, neque vt ordinabilis proponitur; nego; adquæ ordinabilis non est, & ipsi vt ordinabilis proponitur, concedo. Admitto, virtutem non esse ordinabilem ad bona temporalia, quod falsum est, aliud enim est stando rectæ rationi non debere ordinari, & aliud non esse vtilem, & ordinabilem; primum est certum, secundum falsissimū; immò & *Deus* ipse vtilis & ordinabilis est ad bona temporalia adquirenda, iniustè tamen; admitto inquam, virtutem non esse re ipsa ordinabilem ad bona temporalia, attamen volūtati proponitur ab intellectu vt ordinabilis, quod ita propositum, collatam que virtuti ordinabilitatem ab intellectu appetit voluntas quin illi conferat nisi solum denominationem amatæ. Nota, voluntatem iuxta Angelicum Doctorem, non esse potentiam ordinativam, ordinare enim vnum ad aliud ad intellectum solum pertinere, docet 1. 2. quæstione 17. art. 2. & iuxta ipsos Scotistas, voluntas non est potentia collativa, nam conferre vnum ad aliud est proprium munus solius intellectus.

274. Ad confirmationem respondeo, voluntatem peccantem solum interpretativè facere creaturas vltimum finem, quatenus scilicet voluntas per peccatum se privat possessione vltimi finis, & amorem soli Deo debitum transfert ad creaturas ordine inverso; non vero facit proprie, & formaliter creaturas vltimum finem, volendo hoc expresè, & affectivè: Vult enim solum voluntate delectabili frui, quæ quidem voluptas ab intellectu pr. ponitur, immò sępe voluptas peccat, quantum est ex se volens, in efficaciter tamen, Deum non offendere; firmiter confitendo, Deum esse vltimum finem creaturarum.

275. Replicabis 1. Voluntas amās peccatum tribuit bonitatem, quam non habet cum voluntas nihil amet, nisi sub ratione boni: Ergo. Respondeo voluntatem nihil amare nisi sub ratione boni vel physici, vel moralis; peccatum enim in se licet sit malum morale, est tamen bonum physicum, & delectabile, vnde voluntas peccans, cūm solum amet bonitatem physicam, & delectabilem, quam peccatum habet, non verò bonitatem moralem, quam non habet, non afformat ens rationis.

276. Replicabis 2. Cūm quis peccat, errat voluntas non intellectus: Ergo talis error erit ens rationis voluntatis. Respondeo distinguo antecedens quo ad primam partem, errat voluntas moraliter; concedo; physicè; nego: Error moralis non est ens rationis, cum solum consistat in difformitate cum regula rectæ rationis dictante, talem actum non esse eliciendum; non verò in difformitate cum obiecto, conferendo illi prędicatum repugnans, & sicut quis dicens *homo est substantia rationalis*: difformaretur regulis logicæ dictantibus aliter eliciendam esse hominis definitionem, non tamen ens rationis efficeret; quia talis actus non est difformis obiecto, per collationem prędicati repugnantis, ita in casu argumenti:

277. Replicabis 3. Poteſt voluntas amare miſericordiam, & odio habere iuſtitiam: Ergo conferre iuſtitiæ prædicatum odibilitatis, quod non habet: Reſpondeo. Diſtinguo antecedens quoad ſecundam partem, ſi ab intellectu errante vt odibilis proponatur; concedo; ſi ita non proponatur; nego. Vnde intellectus, non vero voluntas, phyſicè erraret.

278. Replicabis 4. Voluntas peccans confert Deo relinquibilitatem, & rebus creatis proſequibilitatem iuxta illud: *dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*: Ergo & efficit ens rationis. Reſpondeo, diſtinguo antecedens, id eſt, *Deum* non amat, & proſequitur bonum delectabile contra præcepta *Dei*; concedo: Ideſt, iudicat formaliter, Deum eſſe deſerendum, & prçferẽdas creaturas, nego; hoc enim ſi ita eveniret, cum voluntas peccat, non ipſa, ſed intellectus efficeret ens rationis, ſolum enim intellectus comparat vnum alteri.

279. Objic. 3. Eo quod intellectus vniat, vel dividat obiecta, quæ in ſe non ſunt vnita, aut diverſa, ens rationis efformat; ſed voluntas vnit ſibi obiecta per amorem, & dividit á ſe per odium: ergo & efficiet ens rationis. Reſp. Eo quod intellectus vniat, & dividat obiecta conferendo illis prædicatum aliquod repugnans, ens rationis efficere, quomodo voluntas non vnit, aut dividit; ſed ſolum affectivê; item per amorem voluntas non vnit ſibi obiecta, ſed potius ipſa vnitur obiectis iuxta illud Divi Auguſtini: *Amor meus pondus meum illo feror quocumque feror*: & iuxta illud: *voluntas plus eſt vbi amat, quam vbi animat*: voluntas namque fertur in obiecta ad diſtinctionem intellectus, qui obiecta trahit ad ſe.

280. Objic. 4. Saltem voluntas conſervabit ens rationis factum ab intellectu, cum illud amet, ſicut illud conſervat iudicium ſubſequens, cum illud approbat. Reſp. Voluntatem non conſervare ens rationis, ſolum enim illud conſervat potentia, quæ illud poteſt primò producere. Ideo actus approbativus illud conſervat, quia ſi productus non eſſet, ab illo primò fieret, non verò actus voluntatis, á quo, ſi factum non poneretur, nullo modo poſſet fieri.

281. Objic. 5. Diverſo modo tendit voluntas in obiectum, diverſam quę denominationem confert, quam intellectus: ergo & diverſum ens rationis efficiet. Confirmatur. Ens rationis vi actus intellectus pręcedit vt cognitum, non tamen vt amatum; ergo vt amatũ accipit novum eſſe, non collatum ab intellectu: ergo á voluntate.

282. Reſp. Concedo antecedens, & nego conſequentiam; nam modus tendendi voluntatis non eſt efformativus entis rationis, cum ſit ſolum modus tendendi affectivus conformis cum obiecto proximo, quod eſt obiectũ vt repræſentatur ab intellectu, non verò diſconformis obiecto per collationem prædicati repugnantis, vel ablationem prędicati convenientis, qui modus tendendi neceſſarius eſt ad efformationem entis rationis; vnde licet ex actu voluntatis reſultet nova denominatio, nempe denominatio *amati*, non datur novum ens rationis, ſed idem, quod iam ſupponitur, *amatum* redditur, ſicut á cognitione Diuina redditur *cognitum*, quin detur novum ens rationis. Hinc ad confirmationem reſpondeo. Simul retorquendo illam: vi cognitionis creatę, aqua fit, præcedit ens rationis cognitũ á creatura, non tamen cognitum á *Deo*: ergo vt cognitum á *Deo* accipit novum eſſe. Infertur ne ex hoc, cognitionem *Divinam* ens rationis efformare? Neutiquam; nulla alia ratione, niſi quia etiam ſi accipiat novam denominationem á mente *Divina*, non tamen quæcumque denominatio eſt ens rationis, ſed denominatio proveniens ab actu conferente obiecto prædicatum repugnans; qualis non eſt amor, à quo provenit denominatio illa *amati*.

283. Objic. 6. Aliquid poteſt voluntas conferre, quod non præſtat intellectus: ergo & facere ens rationis, quod intellectus non facit. Probatur antecedens; voluntas efficax Divina confert obiecto futuritionem abſolutam; ſed hanc non præſtat ſcientia ſimplicis intelligentię præcedens; immò nec talem futuritionem cognoſcit, cum ſolum terminetur ad poſſibilia: ergo.

284. Reſp. Argumento potius probari, voluntatem poſſe ferri in incognitum, amareque aliquod obiectum quod non præſupponitur cognitum; nam Deus amat futurum, quod a ſcientia ſimplicis intelligentiæ præcedente non cognoſcitur, eo que ad hoc intentum vtuntur aliqui Thomiſtæ. Inſuper probat argumentum, ſolam voluntatem Divinam, quæ conferre poteſt primò aliquod prædicatum, non verò voluntatem creatam poſſe efficere ens rationis. Reſp. Ergo, futuritionem eſſe ſolũ extrinſecã denominationẽ poſſibili proveniẽtẽ vel ab ipſa volũtate efficaci Dei decernentis exiſtentiam rei pro tali temporis differentia, vel ab ipſa exiſtentia tali tempore extitura, item non eſt vtcumque denominatio, ſed denominatio conveniens, & nullatenus repugnans poſſibili vt tali; & hinc alia diſparitas; licet enim futuritio eſſet aliquod prædicatum intrinſecum rei, cum non ſit illi repugnans, collatio talis prædicati non eſſet ens rationis. Nota; futurum eſſe obiectum ſimplicis intelligentiæ per modum effectus, futurum tamen quod reſpicitur vt effectus á ſcientia ſimplicis intelligentia, reſpicitur vt obiectum á ſcientiæ viſſionis.

285. Objic. 7. Voluntas poteſt amare aliquod impoſſibile vt poſſibile; ergo & facere ens rationis. Probatur antecedens. Si aliquis ferventi *Dei* amore ductus eliceret hunc actum; *vellem eſſe impeccabilem, ne Deum offenderem*; Amaret impoſſibile, *eſſe* nempe *impeccabilem*, quod impoſſibile eſt; ſed non amaret illud vt impoſſibile; nam vt impoſſibile non allicit voluntatem; impoſſibile namque ſub ratione impoſſibilis amari nequit: Ergo amaret illud impoſſibile, vt poſſibile.

286. Si dicas, amare impoſſibile vt poſſibile propoſitum tamen ita ab intellectu; contra erit: Talis actus: Eſſet charitatis: Rogo: Actus regulans illum vel eſſet actus, quo proponeretur impeccabilitas vt poſſibilis, vel vt impoſſibilis? Si eſſet actus, quo proponeretur impeccabilitas vt poſſibilis, eſſet falſus, & hæreticus, ac proinde non poſſet regulare actum charitatis; ſi eſſet actus, quo proponeretur impeccabilitas vt impoſſibilis habetur intentum: Ergo poſſibilitas impeccabilitatis, quæ amatur, non ab intellectu, ſed á voluntate tribuitur.

287. Huic argumento mihi aliquando in publicis diſſertationibus oppoſitio, ſic reſpondeo; intellectum voluntati proponere, eſſe impoſſibilem impeccabilitatem, aliunde etiam cognoſcere, bonam eſſe impeccabilitatem, vtpotè incompatibilem cum potentia peccandi. Voluntas ergo his cognitionibus illuſtrata, amore que ferventi rapta in hunc actum cõditionatum prorumpi: *Vellem eſſe impeccabilem*: hoc eſt, *ſi eſſet poſſibile, quod ego eſſem impeccabilis, hoc efficaciter vellem, ne Deum offenderem*: qui actus eſt ferventiſſimæ charitatis attingens impeccabilitatem, non vt impoſſibilem, neque vt poſſibilem abſolutè, ſed vt poſſibilem ex ſuppoſitione, in quo nullum datur ens rationis, ſed fervens amor. Sic dicere ſolebat Auguſtinus; *Si Auguſtinus eſſet Deus, & Deus eſſet Auguſtinus, vellem vt Deus eſſet Deus, & Deitate privari propter Deum*

Sic communiter dicere solemus *vellem moriar, ante quam peccem: vellem non peccavisse*; qui quidem omnes actus sunt cõditionales, & ferventis simi actus charitatis, cum omnes habeant hunc sensum: *si esset possibile*. Nota, in ly *vellem* conditionalem voluntatem denotari, non enim ait absoluté, *volo*, sed *vellem*.

288. Objic. 8. Voluntas Luciferi *D*eum cum creatura componere appetivit iuxta illud *similis ero altissimo*: error namque hic non intellectus Angelici perfectissimê illustrati, sed voluntatis prævaricãtis fuit: ergo & efficientis ens rationis. Resp. Ob superbiam, & invidiam intellectum Luciferi, licet perfectissimum in cognoscendo, fuisse desertum, & obscuratum, effecisse que ens rationis, sicut de Protoparente Adamo discurrit Sanctus Augustinus, proposuisse voluntati possibilem æqualitatem cũm Deo, quam Lucifer adamavit.

289. Objic. 9. Bonitas entis rationis vt ratio formalis motiva est quid fictum; sed bonitas vt ratio formalis motiva non attingitur ab intellectu, sed solum á voluntate: ergo ab hac, & non ab intellectu, fingitur. Maior est certa; probatur minor, solum attingitur ab intellectu vt ratio formalis motiva *veritas*, ad distinctionem volũtatis, a qua solum attingitur, vt ratio formalis bonitas: ergo.

290. Æquivoco tantum laborat argumentum, & vt illud videas, probo eodem. Deum non cognoscere bonitatem entis realis: bonitas vt ratio formalis motiva voluntatis non attingitur ab intellectu, sed solum á voluntate; ergo vt ratio formalis motiva voluntatis nõ cognoscitur à *D*eo. Resp. *D*istinguo maiorem; bonitas vt ratio formalis motiva est quid fictum vt ratio formalis motiva voluntatis, concedo, vt ratio formalis motiva intellectus, nego, & distinguo minorem; sed bonitas vt ratio formalis non attingitur ab intellectu, vt ratio formalis motiva voluntatis, nego. Vt ratio formalis motiva ipsius intellectus, concedo. Cum ens rationis fingit intellectus (suppono, esse quid intrinsecè fictum) fingit vtique veritatem, & bonitatem eius; nam qui dat esse, dat consequentia ad esse; & cũ veritas, & bonitas sint proprietates entis qualiscũq; fuerit, qui efficit ens rationis, efficit quoque veritatẽ, & bonitatẽ eius, sed cũ hac distinctione, quod veritatem fingit vt rationem formalem sui ipsius, bonitatem verò, vt rationem formalem motiuam voluntatis. Unde sicut verum est dicere; Deus cognoscit bonitatem vt rationem formalem motiuam voluntatis, & tunc bonitas se habet vt obiectum materiale, non verò vt ratio formalis motiua ipsius intellectus: Ita verum erit dicere; bonitas entis rationis attingitur ab intellectu vt ratio formalis motiua voluntatis, quin ideo attingatur, vt ratio formalis motiua intellectus, sed solum vt obiectum materiale, vel si vis. Resp. neg. supositũ quod ad hoc, vt dicatur ficta bonitas vt ratio formalis est volũtatis, requiratur, quod sit ratio formalis actus fingẽtis vel quod fingatur reduplicatiuè vt ratio formalis est, cum sufficiat, quod sit obiectum materiale.

291. Objic. 10. Plura potest attingere voluntas, quæ non proponantur cognita ab intellectu: ergo poterit ens rationis non propositum ab intellectu ipsa efficere. Probatur antecedens primo. Potest res iudicari, quin pręcesserit apprehensa: ergo & amari, quin cognita præcedat; non enim minus certum videtur: *Nil volitum quin praecognitum*, quam nil iudicatum quin apprehensum. Probatur secundo. Voluntas erogandi eleemosynam Pauperi apparenter tali tangit pauperiem, sed hanc non tangit actus regulans eleemosynam, qui vtporè supernaturalis nequit esse falsus: ergo.

Ar-

292. Argumentum probat; voluntatem posse ferri in incognitum: Contrarium in præsenti non defendimus, sed supponimus; sed neque hoc probare videtur. Resp. Nego antecedens, ad primam probationem; transeat antecedens, de quo suo loco, & nego consequentiam; ratio disparitatis est; intellectus est lux ipsa, vnde ad iudicandum sæpe luce præeunte non eget; at voluntas penitus cæca quomodo sine face prælucente tendere poterit in obiectum? Ad secundum. Distinguo maiorem; tangit pauperiem vt realiter talem, nego, vt apparenter talem, concedo. Actus regulans eleemosynam proponit pauperiem, non qua realiter talem, sed qua apparenter talem, vnde verus est.

293. Objic. 11. Voluntas fingit: ergo & efficit ens rationis: antecedens probatur authoritatibus, Sancti Augustini Epistola ad Marcelinum, Divi Anselmi, & etiam ex varijs Poetarum dictis præcipuè Claudiani, *mens omnis aberrat in vultus, quos finxit amor*.

294. Respondeo. Ab his authoribus dictum esse, voluntatem fingere, ordinare, & falli, non quia ipsa fingat, ordinet, & fallatur; sed quia sequitur intellectum, qui fallitur, ordinat, & fingit, sicut ob eandem rationem dicitur potentia rationalis. Fingere, & ordinare est solius intellectus. Patet ex supra dictis, & ex authoritate Angelici *D*octoris 1. 2. quæstione 23. articulo 2. vbi probat, in Brutis non esse imperium, quia imperare, & ordinare est actus proprius rationis, cuius particeps non est Brutum. Uultus non fingit amor, sed mens amore ducta fæditatem pulcritudinem iudicat iuxta illud: *quis quis amat Ranam, Ranam putat esse Dianam*. Nota *ly putat*, quod est solius intellectus.

295. Obijc. 12. Casu, quo voluntas ferretur in incognitum, ens rationis efficeret, tunc enim non supponeretur factum ab intellectu.

296. Casus est implicatorius, vel dic cum aliquibus; tunc voluntatem ens rationis effecturam, quia esset distinctę speciei ab hac voluntate, & simul non effecturam; quia cum esset voluntas, non esset compositiva per affirmationem, & negationem, qualiter requiritur, vt ens rationis fiat. Vel dic cum alijs: Tunc non effecturam ens rationis, maneret namque in esse voluntatis, vnde non componeret modo dicto, nec in tali prouidentia daretur ens rationis actuale.

295. Sed nota, me non excludere voluntatem ab entis rationis fabrica eo præscisse, quod iam supponatur ens rationis factum ab intellectu, cum sæpè dixerim, idem ens rationis iterum atque iterum per plures actus illud approbantes posse fieri, etiam si factum quaterque supponatur: Sed quia ipsa non habet virturem compositivam, aut divisivam obiecti per attributionem prędicati repugnantis, & ablationem convenientis; inferimus tamen ex ipsius cęcitate, quod si attingat aliquid, quod re ipsa non est, hoc provenire, quia ipsi proponatur ab intellectu, ac si esset, vnde ipsa illud non effingit, sed effectum supponit.

SECTIO IV.

AN SENSUS EXTERNUS ENS rationis effingat?

294. AFfirmant Conimbricenses. Izquierdus, Valentia, & alij. Negant Eximius Doctor, Hurt. Alphonsus, Suarez Luzitanus tract. 9. de ente rationis sectione 2. §. 1. n. 74. Pater Olsina nu. 634. Lec. M. Linc. q. 2. art. 4. num. 10.

299. Nota. Licet quinque sint sensus.

sus.

ſus externi ad viſum tota reducitur quæſtio. *Dicò*. Senſus externus non efficit ens rationis. Qui ens rationis ponunt in obiecto intrinſecè ficto, concluſionem probant eo, quod ens rationis ſit extra ſphæram pontentiæ materialis, cum non ſit lucidum coloratum: Ergo percipi nequit á potentia materiali: Ergo neque fieri ab ea, ens enim rationis ſolum fit per actus illud vt obiectum attingentes. Nos verò, qui ens rationis ab ente reali non diſtinguimus, aliter concluſionem probare debemus.

300. Probatur 1. In potentia viſiva non reperitur actus falſus: Ergo neque factivus entis rationis. Probatur antecedens; in potentia viſiva non reperitur actus attingens obiectum modo diſconvenienti per affirmationem, & negationem, conferendo ſcilicet ſubiecto prædicatum repugnans, vel auferendo prędicatum conveniens modo compoſitivo: Ergo neque actus falſus. Ariſtotelem conteſtor, qui libro 3. de anima textu 21. ſic ait: *In quibus eſt falſum, eſt compoſitio conceptuum, tanquam vnum exiſtentium*, ergo neque actus factivus entis rationis eo modo, quo ad ens rationis requiritur. Patet hęc vltima conſequentia; ad Ens rationis requiritur actus fingens; vt ſæpe diximus, & probavimus ex Ariſtotele, & Sancto Thoma; ſed actus fingens eſt actus falſus, attingens obiectum modo diſconvenienti per affirmationem, & negationem, &c. Ergo.

301. Probatur ſecundò ad hominem contra aliquos Doctores, præcipuè Manuſcribentes defendentes, ens rationis non fieri per apprehenſiones complexas, & in complexas; quia hæ neque affirmant, neque negant, nec prædicatum repugnans conferunt per affimationem, & negationem; ſed prępcedunt iudicium indifferenter ſe habentes ad ens rationis componendum, vel non componendum, ad propoſitionem veram, vel falſam iuxta affirmationem, vel negationem intellectus convenientem, vel diſconvenientem obiecto; ſed viſiones materiales neque affirmant, neque negant, neque prædicatum repugnans conferunt per affirmationem, aut negationem, ſed ita præcedunt iudicium indifferenter, vt illud poſsit eſſe verum, vel falſum: ergo. Item ideo per vos voluntas non efficit ens rationis, quia neque eſt ratio, nec falſitatis capax, nec potens componere, aut dividere, per attributionem prædicati repugnantis, vel ablationem prędicati convenientis; ſed eodem modo ſe habet potentia viſiva: ergo.

302. Confirmatur primò. Ideo voluntas non efficit ens rationis, licet ſæpe attingat rem aliter ac eſt in ſe, vt cum vult poſsibilitatem chimæræ: quia quin affirmet, obiectum ita ſe habere, aut neget, ita ſe habere, ſolum percipit id, quod ſibi proponitur ab intellectu: ſed potentia viſiva, quin affirmet, aut neget obiectum, ita ſe habere, ſolum percipit id, quod ſibi per ſpecies inſtrumenta, aut alias cauſas naturales repręſentandum proponitur: ergo licet ſępe attingeret id, quod re ipſa non eſt, v, g. Colores Iridis, aut curbitatem virgę in aqua immerſę, non efficiet ens rationis.

303. Confirmatur ſecundò. Ideo per cognitionem præſciſsivam animalis â rationali non efficitur ens rationis; quia ex vi talis cognitionis ſolum attingitur animal; quin affirmetur, eſſe rationale, vel non eſſe rationale; ſed ex vi viſionis colorum Iridis v.g. Solum attinguntur colores, quin affirmetur, eſſe veros, vel apparentes: ergo.

304. Obijc. 1. Sanctum Thomam 1. part. quæſt. 17. art. 2. aſſerentem, falſitatem eſſe in ſenſu. Reſp. Senſus dici falli nimis latè, quia ſcilicet ſunt occaſio erroris, ita in ſimili caſu explicat Ariſtotelem Acutiſsimus Doctor 1. p. diſputatione 75. capite 2. à num. 14.

305. Obj. 2. Vifio materialis confert luci prędicatum re ipſa non conveniens, Cælo v.g. Colorem cæruleum, Iridi varios colores, Item collo columbæ: ergo efficit ens rationis, fallitur que dicente Ovidio. Sexto Methamorph.

> *In quo diverſi niteant cum mille colores,*
> *Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina falli.*

306. Eximus Doctor libr. 3. de Anima capite 15. n. 7. & 8. cum Ariſtotele. Pater Comptonus. Item Caramuel in Methalogia lib. 2. docent, omnes illos colores nubium, colli Columbæ, Iridis præcipuè, eſſe veros colores, & cũ Eccleſiaſticus c. 33. verſ. 12. præbeat excellẽtiã *Dei* cõmendatã ex Iridis pulcritudine; *vide arcũ, & benedic eum, qui fecit illũ, valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo*, incredibile eſt ex fictis, & mentitijs coloribus Deum commendare voluiſſe. Oriuntur enim illi colores ex repercuſsione, & refractione lucis in corpore opoco admixta vmbris ipſius corporis, & ex varia admixtione, & reflexione varietas colorum oritur.

307. Sed Demus, tales colores eſſe ſolum apparentes; cum enim ideo videantur, quia apparent, non è contra, ideo appareant, quia videntur; viſus eos non fingit, cum ipſi ſint à parte rei apparentes, & ſupponantur ad viſum, & ipſe viſus non affirmet, tales colores eſſe veros, ſed eos attingat eo modo, quo ſibi proponantur. Rogo quid efficit potentia viſiva? Fingit ipſos colores? Neutiquam; ſupponuntur enim apparentes ex reflexione, & repercuſſione lucis; affirmat, eſſe veros? Minus: Affirmare enim ſolius intellectus munus eſt; ſolûm enim denominat illos extrinſecè; & ſpeculative viſos, in quo nullum datur ens rationis.

308. Replicabis 1. Ergo ſi illi colores verè apparent cęrulei, poterunt, vt cærulei ab intellectu *Divino* repræſentari: Reſpondeo, diſtinguo conſequens, vt cærulei revera, nego, vt apparenter cærulei, concedo; & ita cognoſcuntur á Deo.

309. Replicabis 2. Ergo neque intellectus ens rationis efficiet, iudicans eos colores eſſe cæruleos, cum ſolum percipiat id, quod per ſenſus ſibi propoſitum eſt. Reſpondeo, nego conſequentiam, intellectus enim apparentias vt tales cognoſcere debet, non affirmare eas, vt realitates; á ſenſibus proponuntur ipſi non vt veri, ipſe debet diſquirere, vtrum veri, vel apparentes ſint.

310. Replicabis 3. Turris quadrata á longe perſpecta videtur ſæpe rotunda: Ergo aliter ac eſt in ſe. Reſpondeo, diſtinguo antecedens; videtur rotunda; quia ratione diſtantiæ ita apparet in ſe; concedo; quia fingitur, ita apparere; nego. Illa enim viſio eſt quaſi præſciſsiva; quidquid videt, eſt in obiecto, licet non videat quidquid eſt in obiecto, eo quod ratione diſtantiæ lateant Angulares prominentiæ illius, vnde attingitur, ſicut apparet, abſque eo quod affirmetur eſſe ſicut apparet, hoc enim ad intellectum attinet.

311. Obijc. 3. Potentia viſiva reſpicit colorem vbicatum, vbi vbicatus non eſt: Ergo facit ens rationis. Probatur antecedens multiplici experientia; qui reſpicit in ſpeculo aliquod obiectum, reſpicit in ſpeculo vbicatum colorem talis obiecti. Qui reſpicit medijs perſpicilijs multangulis. Qui lipidine oculorum laborant, conſpiciunt eundem colorem in pluribus locis; ſed idem color in pluribus locis non eſt: Ergo.

312. Confirmatur: Non ſolum idem color; ſed eadem vbicatio coloris in pluribus locis conſpicitur; ſed vbicatio eadem in pluribus locis eſſe, repugnat

nat, cum sit modus loco determinato affixus: Ergo conspicitur vbicatio, vbi re ipsa repugnat esse. Probatur maior. Color in pluribus locis conspicitur: Ergo media aliqua vbicatione. Rogo; vel est media eadem, vel media distincta vbicatione? Si primum? Habeo intentum: Si secundum? Ergo cum re ipsa tantum detur vna vbicatio, aliæ a visu fingentur.

313. Si vera est plurium sententia asserentium; species rerum materialium videri, totum rueret argumentum, dicendo, neque in speculo, nec medijs perspicilijs multangulis, nec lipidine oculorum idem color, eademque vbicatio in multiplici loco videri; sed videri species eiusdem coloris, & vbicationis; non enim repugnat eundem colorem multiplices species sui emittere, ex quibus iam hic, iam illic iuxta capacitatē materiæ, inqua repręsentantur videantur; verum omissa hac doctrina, & admissa illa, quæ tenet; vbicationes videri materialiter, quod talè negant Cardinalis de Lugo disputatione 5. de Eucharistia, Bonespei in logica disputatione 3. respon. 1.

314. Resp. Distinguo antecedens, respicit colorem vbi vbicatus non est, vel vbicatus non apparet, nego antecedens, vbi vbicatus est, vel vbicatus apparet, concedo. Certè color ille (idem dic de vbicatione, & simul ad connfirmationem. Respondeo) & eius vbicatio re ipsa non multiplcantur, sed multiplicantur eius apparentes pręsentiæ, ratione dispositionum naturalium speculi perspiciliorum, & oculorum lipidinis, & sicut eadem res potest habere multiplicem præsentiam intentionalem, vel in eodem, vel in pluribus intellectibus, illam repręsentantibus, media specie ab illa emissa, ita media eadem specie habet multiplicem apparentem præsentiam, quin multiplicetur; oculus autem solum perscipit, quod apparet, cum enim non appareat, quia conspicitur, sed potius ideo conspicitur, quia apparet, non tribuendum est hoc potentiæ visivę, sed dispositioni rerum naturali.

315. Replicabis. Quod apparet, nō habet esse á parte rei: ergo si attingitur á potentia, ab illa habet esse. Respondeo distinguo antecedens: non habet esse physicum, vel apparens; nego; physicū, & reale; concedo: licet idem, quod apparet, non habeat illud esse physicum, cuius apparentia est, vt spectrum hominis non est homo; attamen verè, & realiter, & sine vlla fictione habet esse apparens rei illius. Potentia autem visiva non affirmat, illud, quod apparet vt color, colorem esse, sed solum illud attingit, vt apparet.

316. Objic. 4. Virgam, & remum in se rectos videt oculus in aqua curvos, & quasi fractos: ergo facit ens rationis, conferendo curvitatem virgæ, quæ curva non est.

317. Hoc argumentum ex Academicis lib. 3. contra eos, sibi apposuit Divus Agustinus, ipse respondet, audiatis. Quidquid possunt videre oculi, verum vident: ergo ne verum est, quod de remo in aqua vident? Prorsus verum; nam causa accedente, quare ita videretur, si demersus vndæ remus rectus appareret, magis oculos meos falsæ enuntiationis arguerem, non enim videret, quod talibus existentibus causis, videndum fuit. Nolli plures assentiri, quam vt ita tibi apparere persuadeas, & nulla deceptio est. Quid clarius pro nostra sententia illustranda, & explicanda afferri potest, idem ipse vlterius profitetur libro de vera religione capite 33 dicens: *Oculum rectè videre, sed animam perverse iudicare.* Hoc est iudicat; re ipsa remum esse sicut apparet. Ratio autem naturalis illius apparentiæ provenit ex indispositione medij, per quod emittunt species illæ medietates remi, altera per aquam, & alia per aerem, quæ sunt media diversa.

318. Objic. 5. Tactus Isaac ens rationis fecit, dum manus Iacob tetigit dicens: *Manus autem sunt Esau:* ergo tactus ens rationis potest facere. Resp. Nego antecedens: ad tactum enim solum attinet id, quod sibi applicatur, percipere; discernere autem inter res applicatas, sententiam que ferre de ejs, ad intellectum pertinet.

319. Objic. 6. Gustus dulces cibos, & bene conditos vt insipidos percipit. Resp. Hoc ex prava palatus dispositione provenire, in quo ex humore bilis excitato per cibos amaros resilit in cibos quos inficit.

SECTIO V.

VTRVM SENSVS INTERNVS efformet Ens rationis?

320. SEnsus internus appellatur imagininativa, seu phantasia hominibus, & brutis cōmunis. Prima sententia vniversaliter affirmat, tā de sensu interno hominis, quam bruti. Ita Rubius. Vallius, Arriaga, & alij. Secunda sententia negat de sensu bruti, affirmat de sensu hominis, ita Cardenalis Toletus, Eximius Doctor, M. Linc. q. 2. art. 5. num. 8. Telles, Comptonus. Sectione 2. num. 4. hic asserit; sensum, vt elevatum ab intellectu simul cum illo ens rationis efficere.

321. Tertia sententia vniversaliter negat. Ita Hurtadus, Quiros, Alphonsus, Oviedus, Suarez Lusitanus, tractatu 2. de ente rationis disputatione 2. num. 76. Olsina, num. 639. Probatur ratione sæpe laudata. Illa solum potentia medijs suis actibus efficit ens rationis, quæ potest conferre objecto prædicatum repugnans repræsentans, illud modo disconvenienti; sed sensus internus medijs suis actibus nequit ita se habere respectu objecti. Ad hoc enim prædicatum intentionaliter tribuendum requiritur affirmatio, vel negatio, tendentia que compositiva objecti: Ergo. Ratio à priori est; quia licet imaginatio possit duo extrema simul, & semel concipere; nequit vnum alteri imaginando tribuere, & sicut cognitio Divina vno simplici actu omnia attingit, quin vnum alteri tribuat, & apprehensio Petri, & Pauli vtrumque attingit, quin vtrumque intētionaliter vniat: Ita phantasia simul, & semel attingit hircum, & servum, quin tribuat hircum servo, licet fundamentum proximum prębeat intellectui, vt illos media affirmatione vniat, & efficiat ens rationis, dicendo: Hircus est sevus.

322. Objic. 1. Phantasia componit entia impossibilia: Ergo. Probatur antecedens. Primo sæpe in somnijs concipimus Taurum, in nos impetum facientem habere manum auro plenam, &c. iuxta illud.

323. Omnia quæ sensu voluuntur vota divino tempore sopito reddit amica quies.

324. Secundo imaginativa montem aureum item efformat. Tertiò canes ad vmbram, & columnam, tanquam si fures essent, allatrant; blandiuntur statuæ Dominum esse phantasiantes, sed hæc omnia sunt opera imaginativę habentia esse tantum in ea: Ergo sunt entia rationis.

325. Respondeo, nego antecedens; nam imaginativa hominis solum fundamentaliter, aut ocasionaliter, cōponit percipiendo scilicet simul, & semel extrema incomposibilia, quæ intellectus componit, vel dividit per affirmationem, vel negationem. Ad primum respondeo, quod si aliquando homo componat extrema incomposibilia

lia in somnijs, hoc tribuitur imaginationi non formaliter, sed occasionaliter ob proximitatem cum intellectu; formaliter tamen erit talis compositio opus intellectus. Sic plures in somnijs discurrere, soluere argumenta, concinnare carmina solent. Ut de quodam Socratis Scholari, se audijs, refert Pater Eusebius in sua phylosophia, & tamen hoc nequit formaliter tribui imaginativę.

326. Ad secundum idem dic: montem aureum non componi formaliter, sed solum occasionaliter, aut fundamentaliter ab imaginativa, qui solum per *est*, aut *non est*, datur compositio, aut divisio formalis intentionalis. Ad tertiam respopodeo. Canes ad vmbram, & columnam allatrantes (idem dic de blandientibus statuæ tanquam herum) non componere extrema, sed solum ea simul percipere, vnde datur occasio latratui, aliás incideremus in sententiam damnatam Chrisipi, & Laurentij Valle afferentium; Canes habere iudicia, discernere, & discurrere; nam quibus conceditur vis compositiva, vis iudicativa, & discursiva concedi, necesse est.

327. Obj. 2. Phantasia simul cum intellectu operatur: ergo cum eo concurrit ad fabricamentis rationis. Confirmatur primo Ex Sancto Thoma 1. 2. quęstione 14. art. 4. dicente, cogitativam, & reminiscentiam in homine pertingere ad hoc vt propter refluentiam animæ rationalis in ipsa iudicent, ac discurrant circa singularia: ergo saltem vt elevata ab intellectu poterit phantasia simul cum eo ens rationis elicere. Confirmatur secundo ex illo communi axiomatê: *Latius patet ens imaginabile quam possibile*. Ergo imaginatio ens impossibile attingit.

328. Resp. *D*ist. anteced. ea, quæ est capax operari, transeat; ea quæ incapax est operari, nego: Ens rationis incapax est operari phantasia, quia incapax est componere, vel dividere, vt iam probatum manet. Ad primam confirmationem. Respondeo, Sanctum Thomam loco allegato non loqui de cogitativa, & reminiscentia prout convertuntur cum phantasia, sed prout sunt partes intellectus, quomodo phantasię, & imaginativæ poterat Sanctus Thomas discursum concedere? Ita etiam intellige illud axioma: *Ens imaginabile*, &c. Sumitur enim frequænter imaginativa pro ipso intellectu, & imaginatio præcipuè pro apprehensione; sic explica *ens apprehensibile latius patet quam possibile*. Vnde Phantasia elevari nequit ab intellectu ad efformationem entis rationis; cum elevari nequat ad affirmandum, vel negandum vt per se patet.

329. Objic. 3. Phantasia elicit actus falsos: ergo. Respondeo. Distinguo; falsos fundamentaliter; concedo formaliter; nego, falsitas fundamentalis non sufficit ad ens rationis, vt patet in apprehensione præcipuè complexa, est enim falsitas indifferens ad veritatem compositivam, vel falsitatem formalem iuxta determinationem intellectus.

SECTIO VLTIMA.

CONCLVSIO SPECIALIS DE efformatione Entis rationis per discursum.

300. DIco: hic discursus. *Omnis homo est arbor*; sed *Petrus est homo: ergo arbor*: vt formaliter discursus est, non efformat ens rationis. Hanc conclusionem apud neminem vidi; sed meo videri facillime potest defendi. Probatur. Discursus in hoc syllogismo est illatio vt talis; sed illatio vt talis est vera: ergo & discursus; tunc sic; sed solum actus falsus efficit ens

ens rationis: ergo hic actus, vt formaliter discursus est, ens rationis non efficit. Maior est certa: probatur minor. Hæc propositio hypotetica est vera *si Petrus est equus, Petrus est hinnibilis*: ergo similiter illatio illa vt talis erit vera. Probatur consequentia. Vis illius particulę illativę: *ergo* æquivalet huic iudicio, *hinc sequitur*. Vnde sensus illius syllogismi ita se habet: *Ex eo quod omnis homo sit arbor, & Petrus sit homo, sequitur quod sit arbor*; sed non minus verum est, inferre Petrum esse arborem, ex eo quod omnis homo sit arbor, & *Petrus sit homo*, quam inferre, esse hinnibilem, ex eo quod sit equus: ergo quem ad modum illa propositio hypotetica esset vera, licet sit in materia falsa; ita hæc illatio erit vera, licet præmissa vniversalis sit falsa: ergo vt illatio est, ens rationis non efficit, quidquid sit an materialiter, & vt consequens ens rationis efficiat.

331. Confirmatur primò. Hæc propositio: *si Spiritus Sanctus non procederet á filio, non distingueretur ab eo*: apud Doctos Theologos ens rationis non efficit, quia non affirmat Spiritum Sanctum non distingui á filio, in quo certè efficeret ens rationis, sed non distingui ex suppositione, quod non procedat, quod est verum iuxta ipsos, sed illatio illa vi particulæ illativę *ergo*, non affirmat, Petrum esse arborem vt cumque, in quo ens rationis efformaret, sed esse arborem ex suppositione, quod omnis homo sit arbor, & Petrus sit homo, quod verum est: ergo vt illatio est, ens rationis non efficit.

332. Confirmatur secundò. Ideo voluntas non efficit ens rationis, vt vidimus, quia amat, quod amabile proponitur ab intellectu, & ei non præstat denominatiom ficti, sed solum *amati*; sed conclusio illa solum infert, quod proponitur inferibile ab illis præmisis, cui solum prębet denominationem *illati*, & non *ficti*: Ergo: Maior est communis doctrina; probatur minor: Præmissæ proponunt Petrum, & arborem identificatum cum homine; sed ex Petro, & arbore identificatis cum homine, solum proponitur inferibile Petrum, & arborem identificari inter se: Ergo quod inferibile proponitur ab illis præmisis, hoc solum infert consequentia illa: Ergo.

333. Confirmetur tertio. Iuxta omnes etiam si tam antecedens, quam consequens sint vera in hoc enthimemate; *Petrus est animal: Ergo est bipes*, vt discursus est, efficit ens rationis, quia consequentia ex antecedenti non proponitur vt inferibilis: Ergo ê contra in syllogismo posito, licet tam præmissa vniversalis, quam consequens sint falsa attamen vt discursus est, non efficit ens rationis, quia consequentia ex præmisis inferibilis proponitur.

334. Objic. 1. Obiectum præmissarum est connexio extremorum cum medio, obiectum conclusionis est connexio extremorum inter se; sed in syllogimo posito tam ficta est connexio extremorum cum tertio nempe arboris, & Petri cum homine, quam connexio extremorum inter se, nempe *Petri, & arboris*, Ergo tam efficiunt ens rationis præmisæ conferendo connexionem extremis cum medio, quam efficit ens rationis conclusio, conferendò connexionem extremis inter se.

335. Respondeo. Distinguo maiorem quod ad secundam partem, obiectum conclusionis est connexio extremorum inter se absolutè, nego; vt inferibilis ex præmisis, concedo, & distinguo minorem, tam ficta est connexio extremorum cum tertio, quam connexio extremorum inter se, si absolutè asfirmetur talis connexio, concedo; si affirmetur vt illata ex connexione extremorum cum medio, nego. Certum est, connexionem identitatis inter *arborem*, & *Petrum* esse fictam absolutè, vnde illa

la propositio *Petrus est arbor* nudè sumpta sine particula *ergo* est factiva entis rationis; at verò talis connexio vt inferibilis, & illata exidentitate, & connexione extremorum cum tertio, nempe *Petri, & arboris* cum *homine* non est ficta. Unde propositio illa coniuncta particula *ergo*, seu vt conclusio, & illatio formalis, ens rationis non efficit, licet aliás si tali particula careret, ens rationis efficeret, quia tali particula modificata illa propositio distinctum, & verum sensum facit, vt iam probatum manet.

336. Obijc. 2. Idem ens rationis, quod supponitur factum ab apprehensione, vel saltem ab vno iudicio, posset vlterius ab alio iudicio fieri. Ergo similiter idem ens rationis factum á præmissis potest á conclusione fieri.

337. Respondeo. Nego consequentiam, & paritatem, nam licet idem obiectum supponatur cognitum aliter ac est in se, potest vlterius á pluribus cognitionibus falsis aliter ac est in se cognitum, seu á pluribus fictionibus fictum denominari, vnde á pluribus cognitionibus idem firiens rationis. At veró nequit obiectum, quod ab vna cognitione falsa fictum de nominatur, ab alia cognitione vera fictum de nominari; vt per se patet; sed conclusio, vt formaliter illatio, est vera: Ergo nequit ens rationis fictum á præmissis, fictum á conclusione denominari: Ergo.

338 Obijc. 3. Obiectum conclusionis cognitum est aliter ac est in se; nam Petrus in se non est arbor, & cognoscitur vt arbor; sed ita non denominatur á præmissis: Ergo à conclusione.

339. Respondeo. Distinguo maiorem. Cognitum est aliter ac est in se, materialiter, & vt consequens, transeat, vt obiectum conclusionis, nego, vel clarius: Vt illatum, nego: Aliter; transeat. Solutio patet ex dictis; licet enim materialiter vt consequens, & vt obiectum talis propositionis esset cognitum aliter ac est in se, proinde que ens rationis, attamen vt illatum est ex illis præmissis, aliter ac est in se non cognoscitur, cum nil aliud proponatur á talibus præmissis inferibile.

340. Obijc. 4. Licet Petrum esse arborem contineatur in maiori præmissa, scilicet: Omnis homo est arbor, continetur tamen confusè, & in communi; at conclusio expressè, & singulariter prædicatum arboris Petro confert: Ergo ens rationis efformat.

341. Respondeo. Distinguo antecedens quoad secundam partem: prædicatum arboris Petro confert absolutè vt conclusio est, nego; vt inferibile ex præmissis concedo; cum ergo ex præmissis hoc prædicatum erga tale subiectum solum sit inferibile, inde est, quod ens rationis non faciat. Exemplum sit: audio Petrum dicentem *Ioannes est equus*: statim hanc consequentiam infero: ergo est animal hinnibile: Rogo: hæc consequentia vt illatio est, est falsa? Neutiquam; quia implicetè continebatur in antecedenti, licet explicitè prædicatum *hinnibilis* Ioanni conferat, & sensus illius, vt illatio est, ita se habet: Ex eo quod Ioannes sit equus, infertur esse animal hinnibile, quod est ipsa veritate verius: ergo similiter licet expræssè conferat illa consequentia Petro prædicatum arboris sufficit, quod hoc sit implicité, & in communi contentum in propositione maiori ad hoc vt consequentia, vt illatio est, ens rationis non faciat. Immò si audiens hanc propositionem: *Ioannes est equus*: hanc consequentiam inferrem: ergo est *animal rationale*; ens rationis efformarem, licet aliàs propositio illa, vt consequens, & materialiter sit vera, quia ex illo antecedenti non infertur; sed solum esse *animal hinnibile*.

Pro

342. Pro quo. Nota, obiectum adæquatum conclusionis, vt illatio est, non esse *Petrum*, & *arborem* fallo applicata inter se, sed hoc coniunctum (quod in præmissis licet implicitê, iam tamen formatum manet) se habet vt subiectum, ac proinde vt obiectum inadæquatum conclusionis, cuius prædicatum, & partiale obiectum est id, quod sequitur: obiectum enim adæquatum conclusionis ita se habet: *Petrum esse arborem est id, quod sequitur ex his præmissis*, &c. sed hæc propropositio est vera, licet subiectum illius contineat quid falsum, quod si per simplicem propositionem proferretur esset ens rationis: ergo. Patet minor; rectum subiecti identificatur cum recto prædicati: ergo talis propositio est vera. Item hæc propositio copulativa est vera: *Petrus est equus est propositio*: quia licet falsum sit, *Petrum esse equum*, Tamen verum est; illam propositionem falsam esse propositionem, quod solum est formale obiectum propositionis complexæ: ergo similiter illa propositio: *Petrus est arbor est id, quod sequitur ex his præmissis*: erit vera, quia licet falsum sit, Petrum esse arborem, verissimum est, hanc falsitatem sequi ex illis præmissis.

343. Objic. 3. Ergo si illa consequentia ens rationis non efficit, poterit Deus auditis præmissis illam inferre. Respondeo, concedo consequentiam, nā dicere ex his præmissis ab intellectu humano positis hæc consequentia infertur, cum verissimum sit, dignissimum quoque est intellectu Divino, nam sicut attento errore insipientis dicentis in corde suo *non est Deus*: ait Spiritus Sanctus per Psalmistam 61. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: etiam si falsa sit talis propositio, quia verum est insipientem hanc falsitatem in corde suo dixisse; ita etiam si falsa sit hæc propositio: *Petrus est arbor*: poterit Deus dicere: ergo *Petrus est arbor*; quia verissimum est hanc falsitatem, ex illis præmissis *omnis homo est arbor*, *sed Petrus est homo*: inferri.

(o)

TRACTATVS III.

DE UNIVERSALIBVS.

1. Omnium, quæ vulgò tractantur subtilissimum, & vtilissimum tractatum præ manibus habemus, in cuius studio dimidiam sui studij partem insumpsisse fatetur illustrissimus Caramuel. Tractatum hunc in duplicem dividam disputationem. Prima erit de essentia vniversalis. Secūda de eius causis.

DISPVTATIO I.

DE ESSENTIA VNIVERSALIS.

SECTIO I.

QVID ET QVOTVPLEX SIT universale.

2. VNiversale, quod ab vno, et verso denominationem accipit,

cipit, quia cum sit vnum versatur circa plura est duplex complexum, & incomplexum; complexum est quævis propositio signo vniversali affecta. Vt hæc. *Omnis Homo est Vivens.* Incomplexum est simplex entitas, plura tamē respiciens, vt *animal.* Hoc est quadruplex vniversale in causando, quæ est causa productiva plurium effectuum, vt Deus, Sol, &c. Vniversale in repræsentando cum eadem entitas plura repræsentat. Ut *idem actus intellectus repræsentativus multorum.* Vniversale in significando vt eadem vox canis v.g. quæ significat canem terrestrem, & marinum. Denique vniversale in essendo, & hoc est proprissimum vniversale, de quo in præsenti agimus.

3. Hoc vniversale varie definitur: Sed omnes definitiones in idem recidunt. Aristoteles 7. metaphysicę, cap. 13. Sic illud definit: *Vniversale est, quod est aptum, vt pluribus insit*; primo de interpraetatione cap. 5. Sic: *Est aptum vt de pluribus prædicetur.* Secundo Priorum cap. vltimo: ita vniversale est *vnum in multis, & præpter multa.* Ex quibus omnibus definitionibus nota, vniversale iam dici metaphysicum, iam logicum. Vniversale metaphysicum sic define: *Est vnum aptum esse in multis.* Vniversale logicum sic: *Est unum aptum prædicari de multis.*

4. Explicatur definitio ly *vnum* ponitur vt ratio communis, vniversale namque requirit vnitatem non solum vocis (vt Nominales asserunt) sed vnitatem in re significata per nomen, v.g. *animal* est vniversale, vox est vna. Res item significata per vocem est vna per convenientiam in inferioribus, idem scilicet viuens sensibile in homine, & bruto; vnde nec analoga nec æquivoca; sed solum vniuoca sunt proprie vniversalia.

5. Ly *aptum esse in multis*, quod ponitur vt differentia, denotat vniversale requirere veram, & realem pluralitatem in eadem ratione, inqua est vnū, vnde communiter dicitur vnum, & multiplex. U. g. animal in ratione viventis sensibilis, inqua est vnum per convenientiam, multiplicatur realiter in inferioribus, realiter enim distinctum est viuens sensibile, quod datur in homine à viuenti sensibile, quod datur in bruto. Defectu huius multiplicationis non est vniversalis natura Divina quia licet sit vna communis intribus Divinis Personis, non tamen *est* multiplex, sed eadem: nec anima in pluribus partibus corporis, nec eadem albedo Divinitus posita in duplici subiecto, quia nec anima, nec albedo multiplicantur in ratione albedinis, & animæ inqua habent vnitatem; aliud enim est esse vnum, & multiplex, & aliud esse vnum in se, & simul esse vel in pluribus partibus subiecti, vt anima; vel in pluribus subiectis vt albedo.

6. Ratio huius vnitatis, & multiplicitatis vniuersalis nulla alia potest dari, vt optimê Arriaga hic num. 4. nisi communis consensus Philosophorum, qui nomine hoc *vniversale* solum significant rem, quæ cum sit in se vna, multiplicatur tamen in suis inferioribus, ita vt inferiora sint plura in ratione superiori modo explicato: nec in puncto præsenti, quod solum est de significato huius vocis *vniversale* alia ratio à priori quærenda est nisi communis consensus.

7. Objic. 1. Vnitas est proprietas, & attributum entis: ergo nequit vniversale per vnitatem definiri.

8. Resp. Disting. antec. Vnitas transcendentalis seu indiuisionis á se, & diuisionis á quolibet alio, transeat: de hoc enim in metaphysica; vnitas indiuisionis in se seu vnio essentialis, nego: sicut enim Petrus v. g. habet duplicem vnitatem, transcendentalem vnam, per quam distingitur ab omni alio Ioanne

v.g. &c. Essentialem aliam, perquam materia, & forma ipsius Petri vniuntur ad constituendum eum: ita in vniversali datur duplex vnitas; prima essentialis, per quam vniuntur eius partes extrinsecè; & hęc est per quam definitur: secunda attributalis, per quam vniuersale iam constitutum distingitur ab alio, quod non est ipsum, & qua non est plura vniuersalia; per hanc non definitur, vnde nec per prædicatum secundarium.

9. Objic. 2. Vnitas intentionalis est extrinseca, & secundum quid; ergo si hæc sufficit ad vniversale, analoga v.g. *sanum* respectu hominis, & vrinæ, erunt vniuersalia: cum hanc vnitatem secundum quid habeant. Respondeo. Nego consequentiam: & ratio est quia licet vnitas intentionalis sit secundum quid, est tamen vnitas nominis, & omnimodæ convenientiæ obiectivæ significatæ per nomen; at vero vnitas analogorum non est vnitas omnimodæ convenientię obiectiuæ: nam ratio significata per nomen analogum est partim eadem, & partim diversa.

10. Objic. 3. Vniuersale non convenit cum vnitatibus realibus in esse vnius, cum sit vnum extrinsecè, & secundum quid; ergo ly vnum positum indefinitione non est genus. Resp. Distinguo antecedens; nō convenit vniuocè, concedo; analogicè, nego. Ex quo ad summum infertur; definitionem vniuersalis non esse strictè, & rigorosè definitionem. Insuper ad propriam definitionem sufficit aliqua ratio communis per analogam convenientiam, vt diximus in Summulis.

Objic. 4. Implicat idem secundum idem esse vnum, & multiplex; ego vniversale vel est vnum tantum; vel multiplex tantum. Resp. Distinguo antec. Vnum, & multiplex in eodem genere concedo; indiuerso genere nego; sicut enim non implicat identitas, & distinctio in diuerso genere, sic animal, & rationale realiter identificantur, & formaliter distinguntur; sic non repugnat in diuerso genere vnitas, & multiplicitas, multiplicitas realis, & vnitas intentionalis.

11. Objic. 5. Ad vniuersale sufficit vnitas extrinseca cum pluralitate intrinseca; ergo è contra etiam sufficiet pluralitas extrinseca cum vnitate intrinseca, ac proinde anima, quæ est vna intrinsecè, & habet pluralitatem extrinsecam ratione plurium partium corporis, inquibus vbicatur, erit vniuersalis. Resp. Nego consequentiam; nam cum constitutio vniuersalis dependeat á libera Phylosophorum voluntate, potuerunt enim per hoc nomen vniuersale aliud constitutum significare, eorum dictis debemus stare. Ipsi dicunt, vniuersale debere esse vnum extrinsecè & multiplex intrinsecè hoc ergo tenemur dicere, & contrarium negare.

12. Replicas. Vniuersale est vnum capax esse in pluribus, & de illis prædicari; sed cum vnitate intrinseca, & pluralitate extrinseca natura Divina est vna in pluribus personis, de quibus prædicatur: ergo sufficit vnitas intrinseca cum pluralitate extrinseca ad vniversale. Respondeo. Distinguo maiorem: & de illis prędicari, in quibus multiplicetur sub eodem nomine, & ratione, concedo, aliter nego. Natura Divina non multiplicatur in personis, sed eadem manet in omnibus, ideoque non est vniversalis.

(o)

(o)

SECTIO II.

UTRUM DETUR UNIVERSALE à parte rei.

13. CElebris eſt prima ſententia, quam Ariſtoteles attribuit Magiſtro ſuo Platoni, aſſerens, vniuerſale à parte rei. Eo quod ſtatuat, dari naturas quaſdam ſpecificas ingenerabiles, & incorruptibiles in cornu Lunæ collocatas, à quo ſuo tempore deſcendere, & identificari cum ſingularibus, quam quidem vnitatem habent ante vllam intellectus operationem vtpotè ſeparatæ à ſingularibus reali ſeparatione; & etiam pluralitatum vtpotè aptæ ad ſui realem multiplicitatem per aduentum ſingularitatem, quibuſcum identificantur. Ab errore excuſant Platonem Coninbricenſes in præfatione Porphirij quæſt. 1. art. 3. Eximius Doctor, & Sanctus Auguſtinus.

14. Sed quidquid ſit, an Ariſtoteles malè fingeret vt bene impugnaret: contra primo: illæ naturę vel ſunt improductę, vel productæ? Si improductę, ergo & Deus: patet conſequentia, quia omne poſitivum ab æterno exiſtens, & improductum Deus eſt. Si productæ: ergo non ſunt vniuerſales; patet item conſequentia, quia nil producitur niſi in ſingulari. Contra ſecundo, quę ſemel non ſunt idem numquam poſſunt identificari, vt per ſe patet; item quæ ſemel realiter ſeparantur ſemel non ſunt idem, ſæparatio enim eſt ſignum diſtinctionis: ergo ſi illæ naturæ vniverſales ſæparatæ ſunt á ſingularibus, realiter diſtinctæ ſunt ab ipſis; ergo numquam poſſunt identificari cum ipſis, ac proinde nec multiplicari in inferioribus, quod requiritur ad vniuerſale.

Uide hanc ſententiam pulchre á Comprono impugnatam in logica diſp. 26. num. 2.

15. Secunda ſententia aſſerit, dari vniuerſale á parte Rei, quia vniuerſale ſolum conſiſtit in vocibus, & voces dantur à parte Rei habentes vnitatem in ſe, & pluralitatem, cum plura ſignificent. Ita Nominales.

16. Sed falſiſsimè. Hęc prædicatio eſt vniuerſalis: *Petrus eſt Homo*, ſed de Petro non prædicatur vox *Homo*, aliás eſſet falſa prędicatio, ſed ſignificatum vocis; ergo vniuerſale in voce non conſiſtit. Inſuper adeò abſurda eſt hæc ſententia, vt eius inſenſus Sanctus Anſelmus lib. 2. de incarnat. Hæreſiarcas dialecticè compellet nominales hoc aſſerentes.

17. Tertia ſententia eſt Patris Fonſecę 5. metaphiſicę, cap. 28. q. 3. ſect. 2. *D*octor hic triplicem ſtatum in natura diſtinguit, primus eſt naturæ ſecundum ſe, in quo ad ſingularitatem precedit in differes, vt ſit in hoc, vel in illo indiuiduo. Secundus eſt ſtatus realis contractionis ad ſingularia. Tertius eſt ſtatus præſciſsionis per intellectũ. In primo ſtatu eſt natura vniuerſalis á parte rei, cum ſit vna, & apta vt multiplicetur in inferioribus, in ſecundo ſtatu, cum careat vnitate, non eſt vniverſalis in tertio ſtatu redditur vniuerſalis per intellectum.

18. Contra: per vos natura humana v. g. realiter identificatur cum ſingularitatibus; ergo nec præcedit realiter ipſas ſingularitates, neque eſt indifferens ad ipſas. Aliás idem præcederet, & eſſet indifferens ad ſe ipſum, ac proinde diſtingueretur á ſe ipſo, cum præcedentia, & indifferentia arguat ſeparationẽ, & ſeparatio diſtinctionem. Vide Arria. diſp. 4. logicæ ſect. 2. n. 13.

19. Quarta ſententia Scotiſtarum cum ſuo Scoto 3. metaphyſicæ, q. 16. Aſſerit; realiter dari vnam naturam
non

non realiter ſeparatam à ſingularitatibus, ſed tantum formaliter ex natura rei ita, vt natura humana ex natura rei vna ſit in Petro Paulo, &c. qui ſolum diſtinguntur ratione ſingularitatum, quæ ſuperadduntur naturæ. Ab hac ſententia vindicant Scotum Meriner. & Pont. Scotiſtæ.

20. Contra primo. In principijs Scoti natura humana Petri diſtinguitur á natura humana Pauli ex natura rei: ergo non ſunt vna natura: patet antecedens in principijs Scoti ea diſtinguntur ex natura rei, quibus competunt prædicata contradictoria; ſed naturæ humanę Petri, & naturæ humanæ Pauli competunt prædicata contradictoria; ergo. Probatur minor. Naturæ humanę Petri competit eſſe realiter communnicatam Petro, & non eſſe cõmunicatam Paulo; & ſimiliter naturæ humanæ Pauli competit eſſe realiter cõmunicatam Paulo, & nõ eſſe realiter cõmunicatam Petro; ergo. Contra ſecũdo. Ideo eſt vna tantum natura humana in Petro, & Paulo ex natura rei, quia realiter conveniunt in ratione hominis, ſed etiam realiter conveniunt in ratione individui: ergo ex natura rei erit vnum tantum indiuidum in Petro, & Paulo. Contra tertio iam increatis eſſet pluſquam Myſterium Trinitatis, cum vna natura eſſet non ſolum in tribus ſed in pluribus perſonis; item iam Petrus, & Paulus eſſent idem inter ſe, cum ſint idem vni tertio, nempe naturę humanę. Inſuper, eadem natura humana eſſet Beata in *D*ivo Petro, damnata in Iuda, vnita Uerbo in Chriſto, & ſeparata á Verbo in Ioanne. Vide Arriag. ſupr. n. 9

21. Quinta ſententia eſt Caietani cap. 4. de ente, & eſſentia q. 6. Vbi aſſerit; dari vniuerſale á parte rei non poſitive ex defectu vnitatis poſitivæ, ſed negativè, eo ſcilicet quod natura humana á parte rei habet quamdam vnitatem negativam; ſeu non repugnantiam ſecundum ſe v. g. licet natura humana Petri non ſit poſitiuè in Paulo, attamen ex ſe non repugnat eſſe in Paulo, nec ex ſe eſt ſingularis aut diſtincta á natura humana Pauli. Vnde ex ſe eſt communis. Hanc fuiſſe mentem Scoti tenet Merinerus cap. 1. de vniuerſalibus diſp. 2. q. 1. Sed hanc non fuiſſe mentem Caietani aſſerunt aliqui Thomiſtę cum Lerma lib. 3. q. 6. dicentes; ſolum ſignificaſſe naturam ſecundum ſe habere vnitatem negatiuam quatenus non repugnat vt ab inferioribus abſtrahatur, quam nos vnitatem fundamentalem poſtea appellabimus.

22. Contra. Vel natura quæ eſt in Petro non repugnat ex ſe determinari realiter per varias differentias ſimul, vel ſucceſsive? Non primum, quia natura, quæ identificatur realiter cum Petreitate, nequit ſimul cum Pauleitate identificari; aliás ſequeretur in creatis Myſterium Trinitatis. Non ſecundum, quia identitas eſt invariabilis, ac proinde repugnat, quod natura ſemel identificata Cum Petreitate, iam cum hac, iam cum alia individuatione ſucceſſivè identificetur; ergo.

23. Sexta ſententia eſt Patris Linzei lib. 8. tract. 4. cap. 1. quæ concedit á parte rei vniuerſale denominativum v. g. anima in pluribus partibus corporis, Albedo in pluribus ſubiectis Diuinitus collocata; albedo enim v. g. eſt vna intrinſecè, eſt item pluribus communicabilis, haberetque multiplicitatem ſaltim in concreto, hoc eſt licet nõ eſſent *plures albedines* eſſent tamen *plura concreta alba*.

24. Septima ſententia cuius meminit Arria. ſupr. n. 22 pro qua etiam citat P. Peynad. poſtea citandum P. Bartholi Amic. tract. 4. logicę. q. 4. dub. 1. & cum eo recentes aliquos, quam que á ſe reſuſcitatam reſpirare, gloriatur Sapientiſs. P. Fran. de la Maſſa hic d. 7. ſect. 2. §. 5 defendit; dari vniuerſale á parte rei.

Quia

Quia natura humana à parte rei est vna & multiplex, vna per similitudinem eiusdem naturę specificæ, quę vnitatem quamdam importat iuxta Aristotelem dicentem Similia sunt, *quorum qualitas est vna*, immò ab eodem similitudo appellatur identitas, iuxta illud, vnivoca sunt: *quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen omnino eadem.* Multiplex autem verè, & realiter, cum natura Petri sit realiter distincta á natura Pauli.

25. Hæc duplex sententia Lincei, & Amici ad nomina reducunt præsentem quæstionem vt optimè Arr. n. 22. allegatur, nihil enim in re affirmant, quod nos negare possimus; certum enim est; eamdem animam esse, & vbicari in pluribus partibus corporis quæ plures partes animatæ dicuntur, item eamdem albedinem posse *D*ivinitus poni in duplici subiecto, quod duplex album diceretur; insuper nemo dubitare potest, Petrum, Paulum, & reliqua individua eiusdem speciei esse similia in natura humana, & simil in eis esse plures naturas humanas realiter distinctas, item similitudinem esse quandam vnitatem; hæc á nemine dubitantur, an autem illa multiplicitas animæ, & albedinis in concreto, an hæc vnitas similitudinis naturæ humanæ sufficiant, vt anima, albedo, & natura humana dicantur vniuersalia, nec ne? Est quęstio purê de nomine. Vnde affirmativa opinio nullam aliam instantiam pati potest nisi communem insimilibus quæstionibus; Hoc est, in re denomine cum pluribus esse loquendum.

26. Sit ergo nostra conclusio Non datur vniuersale à parte rei; ita Peripatetica Schola cum Aristotele Angel. Præceptore opusc. de Ente essentia cap. 4. Eximio *D*octore 6. metaphysicę sect. 2. Quiroz, Arriag. Ovied. Cópt. Pontio, Ioanne á Sácto Thoma. P. Pein. tract. 2. de vniuersalibus disp. 4. §. 2. n. 21. P. Olea, tract. 4. de vniv. d. 75. n. 28.

27. Prob. primò. Uniuersale est vnum in multis, seu vnum multiplex; sed repugnat á parte rei aliquod, quod simul sit vnum, & multiplex: ergo repugnat á parte rei vniuersale. Probatur minor. Quidquid á parte rei est vnum, est vnum realiter, & quidquid á parte rei est multiplex, est multiplex realiter; sed repugnat aliquid esse simul vnum realiter, & multiplex realiter: ergo.

28. Probatur secundò. Repugnat à parte rei vnitas constitutiva vniuersalis; ergo & vniuersale. Probo antecedens. Vnitas vniuersalis constituit rem extra plura, inquibus est realiter; nam iuxta Aristotelem sæpe vniuersale dicitur esse vnum in multis, & extra multa; sed repugnat vnitas á parte rei, qua res aliqua constituatur extra plura, inquibus est realiter, vt per se patet: ergo.

29. Objic. 1. Obiecta scientiarum sunt vniuersalia; sed dantur á parte rei: ergo & vniuersale. Resp. Distinguo antecedens: sunt vniuersalia vel fundamentaliter, vel formaliter, concedo, formaliter præscisè, nego: & distinguo minorem: sed dantur á parte rei ea, quę sunt fundamentaliter vniuersalia, concedo; ea, quæ sunt formaliter talia, nego. Solutionem explico. Omnes fere scientiæ v.g. metaphysica, physica, &c. habent pro obiecto non vniuersale formaliter tale, sed fundamentaliter tale, hoc est plures res in aliqua ratione convenientes. Sic Metaphysica habet pro obiecto omnia singularia convenientia in ratione entis, aliquæ vero scientiæ, logica præcipuè, habent pro obiecto vniuersale non solum fundamentaliter, sed formaliter tale, genus scilicet, species, & reliqua prædicabilia. Obiecta illarum scientiarum dantur á parte rei; ex quo solum sequitur, dari à parte rei vniuersale fundamentaliter, obiecta autem harum scientiarum nullo modo dantur

dantur á parte rei, hoc est, independenter ab intellectu. Sic cognitio est obiectum Animasticæ, & non datur independenter ab intellectu.

30. Objic. 2. Quoties definitio est vna, res definita etiam est vna á parte rei; sed erga naturam humanam vna datur definitio: ergo & natura humana est vna à parte rei.

31. Resp. Nego maiorem, vel illam distinguo: est vna fundamentaliter, concedo, formaliter, nego; sicutá duplici definitione physicá, & metaphysica, qua homo definitur, non infertur; naturam humanam esse duplicem à parte rei, sic ab vnica definitione non infertur; naturam definitam esse vnam formaliter, sed solum fundamentaliter.

32. Objic. 3. Omne obiectum cognitionis saltem speculativę pręcedit ipsam cognitionæ; sed vniuersale est obiectum cognitionis: ergo illam præcedit: ergo datur ante, seu independenter á cognitione. Resp. transeat maior. Sic cognitio Diuina supra se ipsam reflectens se ipsam non supponit; & nego minorem nam vniuersale non est obiectum cognitionis illud constituentis, sicut cognitum non est obiectum cognitionis, qua exercitè tale concretum constituitur, sed est effectus formalis ex ipsa cognitione, & ex obiecto resultans.

33. Obj. 4. Vniuersale est denominatio extrinseca resultans ex natura, & cognitione; sed denominatio extrinseca, natura, & cognitio dantur á parte rei: ergo & vniuersale. Resp. Concedo maiorem; & distinguo minorem: à parte rei, idest, sine fictione, concedo; à parte rei, id est independenter ab intellectu, nego; hoc solum negamus vi præsentis asserti.

34. Objic. 5. A parte rei datur singulare: ergo & vniuersale; probatur. Quoties á parte rei datur vnum correlativum, & aliud similiter debet dari; sed vniuersale, & singulare sunt correlativa: ergo vtrumque debet dari á parte rei. Resp. *D*istinguo antecedens; singulare fundamentaliter, concedo; formaliter, nego, & sic distinguo consequens. Vniuersale fundamentale, & singulare fundamentale sunt correlativa, vtrumque datur à parte rei; singulare formaliter hoc est in esse inferioris respectu alicuius rationis superioris est correlativum vniuersalis formaliter in esse superioris; vtrumque non datur á parte rei, aliter correlativa non sunt.

35. Objic. 6. Cui conveniunt proprietates entis existentis á parte rei, cóvenit etiam existere à parte rei; sed vniversali conveniunt huiusmodi proprietates: ergo. Probatur minor. Uniuersale est ingenerabile, & incorruptibile: ergo. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem distinguo antecedens: est ingenerabile, & incorruptibile positivè, nego; præscisivè, concedo; esse positivè ingenerabile, & incorruptibile sunt proprietates entis existentis à parte rei, hæc non conveniunt vniuersali; cum non sit aliqua entitas positiva capax generationis, & corruptionis; esse ingenerabile, & incorruptibile præscisivè hoc est præscindere ab inferioribus, & singularibus inquibus exercetur generatio, & corruptio, convenit vniuersali; hæ tamen præscisivæ denominationes non sunt proprietates entis existentis á parte rei.

36. Objic. 7. Natura humana realiter non est singularis: ergo est vniversalis. Prob. consequentia. Si natura humana realiter esset singularis, non posset fieri per mêtem vniversalis; Ideo enim natura Diuina fieri nequit vniversalis per mentem, quia in se singularis est. Respondeo. Nego suppositum, quod detur natura humana prout hoc nomine significatur, ita enim significata iam sonat præscisionem: á parte rei solum dantur plures naturæ huma-

næ realiter distinctæ, convenientes tamen, & similes. Ad probationem respondeo, naturam Diuinam nec per mentem fieri vniuersalem, non quia est singularis præscissè, sed quia est vnicè singularis; hoc est, quia ita singularis est, vt nullam habeat convenientiam, quæ est fundamētū, vt intellectus illam vniuersalem efficiat.

37. Objic. 8. Nulli potest vere convenire per intellectum prędicatum, quod illi repugnat, & cuius oppositum habet in se; sed per nos naturæ à parte rei repugnat vniuersalitas, & ipsa habet in se prędicatum oppositum vniversalitati, nempe singularitatem; ergo nec per mentem potest illi convenire vniuersalitas, si est singularis realiter. Confirmatur. Ideo nec per mentem verè convenit equo prædicatum rationalis, quia tale prædicatum realiter illi repugnat, & equus oppositum in se habet: ergo.

38. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem quoad primam partem; repugnat vniuersalitas extrinseca per mentem, nego; intrinseca, & realis concedo; & nego suppositum secundę partis, quod singularitas realis, & intrinseca sit opposita vniuersalitati extrinsecæ per mentem. Naturæ realiter singulari repugnat intrinseca vniversalitas, hęc nec per mentem illi advenit; vniuersalitas autem extrinseca pręscisiva non repugnat vnicuique naturæ, sicut & vnitas extrinseca omnibus naturis: Hæc vniuersalitas extrinseca solum advenit naturæ intrinsecè singulari, & hęc vnitas extrinseca solum advenit naturis realiter distinctis per intellectum; vnitas extrinseca non opponitur pluralitati intrinsecæ, sicut nec vniuersalitas extrinseca singularitati intrinsecæ. & hæc est confirmationis solutio. Rationalitas non est prædicatum secundæ intentionis, quod nequit convenire alicui solum per mentem, sed eo ipso quod conveniat, convenit realiter intrinsecè, ideoque opponitur equo; aliter prædicata vniversalis, generis, &c. quæ sunt secundæ intentionis, & denominationes extrinsecæ á cognitionibus in obiecta provenientes.

39. Instas. Homo per intellectum non est simpliciter homo: ergo nec vniversale per intellectum erit simpliciter vniversale. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam: quia prædicatum hominis est primæ intentionis, cū sit esse principium sensationis, & ratiocinationis, quod per mentem nulli potest propriè convenire: at esse vniuersale est prædicatum secundæ intentionis, & solum per mentem potest propriè convenire.

40. Obj. 9. Petrus, & Paulus non distinguntur essentialiter; ergo sunt eiusdem naturæ seu idem essentialiter: ergo datur vna natura á parte rei. Respondeo. Distinguo antecedens: id est non habent naturas, & essentias diversas, concedo, non habent naturas, & essentias realiter distinctas, nego, quæ distinctio, licet non sit diuersitas, impedit vnitatem vniuersalis á parte rei. Ex quo solum infertur, dari vnam naturam fundamentaliter, non vero formaliter.

41. Objic. 10. P. Lince. Una albedo posita divinitus in pluribus subiectis ratione vnitatis intrinsecæ, & pluralitatis concretivæ (resultarent namque plura concreta alba) esset vniuersalis, sed hoc totum eveniret á parte rei: ergo & vniversale. Probatur maior. Ab illis concretis albis vniuersalis præscindi potest, cum conveniant simpliciter in ratione albi: ergo albedo constitutiva talis concreti esset vniuersalis. Probatur consequentia. Nequit constitutum esse vniuersale, quin constitutiva sint vniuersalia: ergo neque album poterit esse vniuersale, si albedo vniversalis non est. Resp.

42. Resp. Nego maiorem. Ad probationem distinguo antecedens: potest pręscendi ratio albi subiectiuè sumpta, cōcedo; concretive sūpta, nego. Distinguo item implicitam probationem: Conveniunt in ratione albi subiective, concedo; obiective, nego; hoc est potest præscindi á pluribus illis albis ratio habentis albedinem, cum dentur plura subiecta habentia albedinem, ac proinde in ea ratione datur vnitas confusionis, & multiplicitas realis intrinseca sub eodem nomine, & ratione, convenientia que simpliciter; non tamen potest pręscindi ratio albi concretive sumpta; nam cum sit eadem albedo in omnibus concretis non datur convenientia in albedine, nec multiplicatur albedo, sed eadem est in omnibus. Vnde concretive, hoc est, adæquate secundum omnes suas partes non est vniuersalis illa ratio albi, sicut ratio Personæ Divinæ abstracta a tribus Personis *Divinis* ob eamdem rationem non est vniversalis adęquatè, cum constituatur ex natura *Diuina* eadem in tribus Personis; scio, communiter similia concreta accipi subiectivê, dicunt enim subiectum in recto; sed ad æquivocationes tollendas semper distingui debent vt supra.

43. Objic. 11. Ex P. Amico. Natura humana á parte rei est indivisa, & indivisibilis in plures naturas in specie: ergo habet vnitatem vniuersalis; Declaratur. Petrus, & equus á parte rei sunt diuersæ speciei; Petrus, & Paulus sunt eiusdem speciei: ergo á parte rei datur vna species. Resp. Neg. suppositum, quod detur á parte rei natura humana, aut species pro vt his nominibus significantur. Unde licet Petrus, & Paulus nō sint a parte rei diuersæ speciei, sicut Petrus & equus, non sunt eiusdem speciei, quæ sit formaliter eadem, seu vna in vtroque, sed solum fundamentaliter vna, vnde à parte rei solum datur species fundamentalis, non vero formalis.

44. Replicas. Petrus, & Paulus á parte rei sunt vnum in specie formali: ergo non solum fundamentalis, sed etiam species formalis datur á parte rei. Probo antecedens. Petrus, & Paulus á parte rei non sunt plures in specie formali: ergo sunt vnum. Probo consequētiam: quia in ea ratione, qua aliqua non sunt plura, sunt vnum. Secundo quia ideo Petrus á parte rei est vnus numero homo, quia á parte rei non est plures homines numero: ergo si Petrus, & Paulus á parte rei non sunt plures in specie formali, erunt vnum.

45. Retorqueo. Petrus á parte rei non est plures lapides, nec chimæræ: ergo est vnus lapis, & vna chimera. Probatur. Eo modo quo aliqua non sunt plura, sunt vnum, sed Petrus non est plures lapides, nec chimeræ: ergo erit vnus lapis, & vna chimera. Resp. Negando suppositum primi antecedentis, quod detur a parte rei species formalis. Ad probationem concedo anteceden, & nego consequentiam. Ad cuius primam probationem distinguo illam; in ea ratione, inqua aliqua non sunt plura sunt vnum si participent talem rationem, concedo; si illam non participent, nego; vt valeret argumentum, ita deberet procedere, Petrus, & Paulus participant á parte rei speciem formalem, non plures: ergo vnam; si concederetur maior, quæ falsa est argumentum convinceret ea probatione fulfultum scilicet. Eo modo quo aliqua non sunt plura, sunt vnum: at vero maior est falsa, vnde cum á parte rei Petrus, & Paulus non participent speciem formalem, ex eo quod non sint plures in specie, non infertur, esse vnum. Sed negatur suppositum, quod participent speciem formalem, & quod hæc detur à parte rei.

46. Objic. 12. Pro modernis. Vnitas convenientiæ, quæ datur á parte rei suffi-

sufficiens est ad vniversale formaliter: ergo hoc datur á parte rei. Probo antecedens. Tam impropria vnitas est vnitas confusionis, quam vnitas similitudinis, & convenientię, sed ad vniuersale sufficit vnitas confusionis: ergo & sufficiet vnitas convenientię. Probatur maior. Tam componitur cum pluralitate reali inferiorum vnitas confusionis, quam vnitas convenientiæ: ergo tam impropria est vna quam alia.

47. Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: tam impropria est vna quam alia, si vtraque comparetur cum vnitate singulari, transeat; si vtraque in esse constitutivæ vniuersalis sumatur, nego; certum est; vnitatem confusionis esse impropriam absolutè, & comparatam cum vnitate singulari, quæ est propria vnitas; at vero in ordine ad constitutionem vniuersalis est vnitas proprisisima, hoc est, illa, quæ propriê constituit vniversale formaliter, quod non habet vnitas convenientiæ, quæ tam absolutè, quam in ordine ad vniversale est impropria. Primo. Quia non constituit naturam extra multa, quod ab Aristotele ad vniversale requiritur. Secundo quia ratione illius non excluditur pluralitas formaliter, cum sit ipsamet pluralitas formalissimè. Tertio, quia per eam non manet actu natura intentionaliter diuisa á pluribus; per vnitatem autem confusionis natura constituitur extra plura, ratione illius excluditur pluralitas formaliter, & per eam diuisa est intentionaliter á pluribus: ergo licet vtraque vnitas sit impropria absolutè, non est vtraque excludenda, nec admittenda vtraque ad vniuersalis constitutionem.

48. Replicas primò. Ideo excluditur vnitas convenientiæ á constitutione vniversalis, quia est formaliter pluralitas, sed etiam vnitas confusionis est formaliter pluralitas: ergo. Probatur minor. Ideo vnitas convenientiæ est formaliter pluralitas, quia est convenientia plurium; sed vnitas præscissionis est confusio plurium: ergo.

49. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem: est confusio plurium, ita vt plura attingantur per ipsum actum, nego; ita vt presupponantur cognita per comparationes antecedentes, concedo. Vnitas convenientiæ consistit in pluralitate actuali plurium rerum similium, nihil enim aliud est vnitas convenientię inter Petrum, & Paulum, quam Petrum esse hominem, & Paulum esse hominem. Vnde nequit hæc vnitas non esse pluralitas, aut præscindere á pluralitate formali; at vnitas prescissionis consistit in actu, qui licet præsupponat plura præcognita, ipse tamen plura non cognoscit, sed ab illis præscindit.

50. Replicas secundo. Vniuersale non minus debet esse in multis quam extra multa; sed ad vniuersale sufficit, quod sit in multis aptitudinaliter, quatenus potest contrahi ad plura; non vero requiritur, quod sit actu in multis: ergo nec requiretur, quod sit actu extra multa, sed sufficiet, quod sit aptitudinaliter extrinsecê, quatenus per intellectum potest pręscindi, & separari á multis: ergo ante actualem intellectus operationem datur vniuersale.

51. Resp. Distinguo antecedens, non minus, & eodem modo, nego; & diuerso modo, concedo; concedo item minorem, & nego consequentiam: hic non loquitur argumentum de actu essendi realiter in multis, nam vniuersale debet esse realiter non solum aptitudinaliter, sed actu in multis, loquitur tamen de actu essendi in multis intelligibiliter per actualem prædicationem. In hoc ergo sensu non requiritur quod vniuersale sit actu in multis; requiritur tamen, vt sit actu extra multa iuxta mentem Aristotelis, & communem intelligentiam Doctorum, quibus in re denomine debemus stare. Patet: nam iuxta Aristotelem vniuersale debet habere aptitudinem, vt prædicetur de multis per modum vnius, sed si actu non esset extra multa, actu non haberet aptitudinem vt prædicetur de multis per modum vnius, quod enim solum est aptitudinaliter extra multa, non est actu vnum, cum actu sit plura: ergo ex mente Aristotelis nobis per clariores eius interpretes, nota licet sufficiat ad vniversale esse aptitudinaliter in pluribus, non sufficit aptitudinaliter extra plura.

52. Objic. 13. A parte rei datur totum homogeneum: ergo & vniuersale. Probatur consequentia. Aqua v.g. quæ est totum homogeneum, est vna intrinsecè per continuationem; sed etiam est multiplex, cum sint plures partes aquæ realiter distinctæ, quæ quidem partes sunt simul aqua in aliquo stagno v.g. ergo.

53. Resp. Totum homogeneum non esse vniuersale plures ob causas: primo. Ex defectu vnitatis vniuersalis: licet enim aqua, quę est in stagno dicatur. *Vna aqua*, dicitur vna per continuationem partium distinctarum, vnde re ipsa plures aquæ sunt realiter distinctę, iuxta illud Genesis. *Congregationes aquarum appellavit maria.* Et illud *dividantur aquæ in locum vnum.* Secundo: eo quod totum homogeneum non multiplicetur in inferioribus sub eodem nomine, & ratione, in qua poterat esse vniuersale. Probatur: non est vniversale in ratione *aquæ* præscisse, aliàs singulæ Guttæ essent vniuersales; solum ergo esset vniuersale in ratione *totius* resultantis ex determinatis partibus vnitis, sed in ratione totius non multiplicatur in singulis partibus, aliás quęlibet esset simul totum, & pars illius, quod implicat. Tertio licet illa aqua sit in multis, non est extra multa, quod ad vniuersale requiri, iam sæpe diximus.

54. Replicas. Animal est vniuersale, sed de Petro v. g. non prædicatur totum animal, neque enim de Petro prędicatur animal Pauli: ergo licet tota aqua non sit in qualibet guttula, erit vniuersalis. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Non prædicatur totum animal secundum intensivum animalis, hoc est, secundum prædicata essentialia, nego; non prædicatur totum animal secundum extensivum ipsius, concedo. Cum tamen ante præscisionem intellectus non detur intensivum, modus prædicandi, &c. ratione cuius dicatur tota aqua esse in singulis partibus stagni, inde est, quod totum homogeneum vniuersale non sit.

SECTIO III.

AN DETVR IN NATVRA vniversali realis aptitudo ad plura?

55. DIximus, vniuersale esse vnū & aptum ad plura. Nunc quęritur, vtrum hæc aptitudo seu indifferentia debeat esse realis? Prima sententia naturæ humanæ Petri v. g. concedit realē aptitudinem, & indifferentiam, vt identificetur cum hac, vel illa singularitate; semel tamen cum vna singularitate identificatam non posse cum alijs identificari. Affirmant ita Scotistæ cum suo Doctore communiter iam supra sect. antecedenti num. 2. impugnati. Sic etiam n. 21 impugnavimus Caietani sententiam concedentem tali naturæ realem indifferentiam, licet non positivam, negativam tamen,

56. Dicendum cum Eximio Doctore, & communi omnium fere Doctorum præcipue nostrę societatis sententia; naturam prout pręscissam á singularitatibus non habere realem positivam aptitudinem, & indifferentiam ad plura ob rationes supra allegatas, sed solum aptitudinem, & indifferentiam præscissivam. Probatur. Id dicitur aptum, & indifferens pręscissivè ad plura, quod vi cognitionis non attingitur vt identificatum determinatè cum aliqua singularitate, ratione cuius repugnet cum aliá identificari, sed per pręscisionem ita attingitur natura humana v.g. vt vi cognitionis non attingatur, vt identificata determinatè cum Petro, Paulo, aliove individuo, ratione cuius repugnet identificari cum Didaco, aut Francisco: ergo natura vniuersalis est apta, & indifferens ad plura præscissivè.

57. Objic.1. Homo ex se non est Petrus, nec Paulus, nec repugnat esse Petrus, aut Paulus: ergo ex se est aptus, & indifferens ad vtrumque. Resp. Nego suppositum, quod detur á parte rei homo ex se pro vt hoc nomine significatur. Ita enim iam involuit præscisionem mentis; quod nota, vt ęquivocationes adversariorum detegas, qui sępe à terminis secundæ intentionis arguunt ad prædicata primæ intentionis, & è contra, eos confundendo: á parte rei solum datur Petrus, Paulus, hic homo, &c. non vero homo secundum se, natura humana vt talis, &c.

58. Objic.2. A parte rei natura Petri est identificata cum Petro: ergo á parte rei potest identificari cum Petro: ergo habet aptitudinem vt, identificetur cum Petro. Probatur consequentia. Nam vbi datur actus secundus, debet dari actus primus, sed natura humana actu identificatur cum Petro: ergo poterit identificari cum eo. Resp. Concedo antecedens, & primam consequentiam, & distinguo secundam: ergo habet aptitudinem logicam in subsistendi consequentia, concedo; aptitudinem realem, nego. Ad probationem dic. Eo modo, quo datur actus secundus, datur etiam actus primus illi correspondens, actui secundo identitatis correspondet actus primus, non propriè talis sed logicus, & ex intellectione nostri intellectus, quatenus valet, *est identificata*: ergo *potest identificari* non è contra, quin hoc arguat vllam distinctionem; sed potius omnimodam identitatem sic enim in Deo valet. *Deus existit*: ergo *potest existere*: talis potentia non est propriè potentia, neque habet propriam prioritatem; nec actus secundus est propriè actus secundus, aut exercitium proprium actus primi.

59. Objic.3. Naturæ humanæ vt præscissæ à solo Petro vel convenit repugnantia essendi in Paulo, vel non repugnantia? Primum dici nequit; aliás natura humana pręscissa á Petro non conveniret vniuoce cum natura humana Pauli, cum haberet prædicatum repugnantię identitatis cum Paulo, quod non habet natura Pauli: ergo naturæ illi convenit non repugnantia: ergo & aptitudo. Resp. Naturæ illi pro vt præscissæ convenire non repugnantiam, sumpto ly *non* præscissivè, non verò negativè, hoc est, natura illa ita cognoscitur, vt neque cognoscatur repugnantia positiua, neque positiua non repugnantia identitatis cum Paulo, cũ solum cognoscatur secundum prædicata essentialia, quæ ęque possunt prædicari de Petro, ac de Paulo. Vnde talis natura præscindit à positiua repugnantia, & non repugnantia positiua.

60. Replicas. Repugnantia positiva essendi in Paulo, non repugnantia positiua essendi in Paulo sunt prędicata contradictoria: ergo naturę pro vt præscissæ vnum ex eis competere necessè est, non primum: ergo secundum. Resp.

Resp. Distinguo antecedens: sunt contradictoria, si enuntientur per affirmationem, & negationem omnibus servatis, concedo; si aliter enuntientur nego. Dupliciter possunt illa prædicata enuntiari, primo ita vt naturæ provt præscissę cõpetit repugnantia positiva essendi in paulo; naturæ pro vt præscissæ competit non repugnantia positiua essendi in Paulo: ita non sunt contradictoriæ hę propositiones, vtraque enim est affirmativa, & ab vtraque præscindit natura abstracta cum nec dicat positivam repugnantiam, neque positiuam non repugnantiam; si tamen ita disponantur: naturæ provt præscissæ competit positiua repugnantia essendi in Paulo: Naturæ provt pręscissæ non competit positiua repugnantia essendi in Paulo: contradictoriæ sunt prima falsa, secunda; vera sed ex ea nihil contra conclusionem.

61. Objic.4. Natura humana realiter est in pluribus: ergo potest esse in pluribus; Resp. Nego suppositum, quod detur natura humana realiter. Dantur enim plures naturę humanæ realiter distinctæ, licet non diuersæ. Unde & plures potentiæ essendi in pluribus non reales, vt iam diximus, sed logicę.

SECTIO IV.

AN PRÆTER VNITATEN INdividualem detur vnitas formalis in natura.

62. IN natura sæpe dantur plures Gradus, superiores vni, inferiores alij, v.g. in homine dantur gradus genericus *animalis*, specificus *hominis*, differentialis *Petreitatis*, quæritur: an sicut dantur hi gradus inter se distincti formaliter, licet realiter idem, debeat etiam dari multiplex vnitas, alia generica, alia specifica, individualis alia. Ita vt vnusquisque gradus sua gaudeat vnitate formaliter distincta, licet realiter identificata cum alijs; vel sufficiat vnica vnitas individualis, quam omnes concedunt, per quam quilibet gradus reddatur vnus?

63. Notò primò. Vnitatem individualem dici materialem, quia supponit iam totam essentiam rei, cuius est vltimum complementum, & quasi subsistentia metaphysica, Petreitas enim supponit totam essentiam hominis constitutam, advenit tamen homini, vnde accidens logicum, & Metaphysicum dici etiam solet, vnitas verò formalis dicitur formalis essentialis, quia non supponit sed constituit, cum sit vnitas prædicatorum essentialium.

64. Noto secundò. Vnitatem formalem esse attributum entis, esse etiam id, per quod vna essentia non est alia v.g. id, per quod essentia Petri non est essentia Pauli. Unitas indiuidualis vltra distinctionē addit differentiã, Petreitas v.g. non solum est id, per quod Petrus non est Paulus, sed etiam id, per quod Petrus non est sicut Paulus, & hoc addit vnitas individualis supra formalem. Vtraque appellatur *hæcseitas* quia vtraque sufficiens est vt denotetur pronomine *hic & hæc & hoc*, sicut enim ratione vnitatis indiuidualis dicitur *hic Petrus distinguitur à Paulo* ita ratione vnitatis formalis dicitur *hic homo distinguitur ab illo*. Vnitas individualis dicitur Hęcseitas completa, quia est vltimus gradus, quo posito indiuiduum dicitur completum, vnitas formalis dicitur hæcseitas incompleta, quia posita essentia illi deficit alius gradus, ratione cuius compleatur. His suppositis.

65. Prima sententia negat talem vnitatem formalem ab indiuiduali distinctam. Ita Cerna, Hurtadus, disp.5. metaph. sect 9. Alphons. d.3. sect.3. Secunda communior, & Uera sententia affir-

affirmat.Ita Exim.Doctor.d.6.metaph. sect.3.Telles,Comptonus,& Ioannes á Sancto Thoma in logica,quæst.3.art.3.

66. Probatur primò. Ideo in Petro datur vnitas indiuidualis, quia in eo datur Petreitas ratione cuius distinguitur ab omni indiuiduo,quod nō est Petrus;sed etiam in Petro datur humanitas,ratione cuius distinguitur ab omni humanitate,quæ non est humanitas Petri:ergo. Confirmatur primo. Tam verum est dicere *Petrus non est Paulus*, ac *humanitas Petri non est humanitas Pauli*:ergo tam verum est dicere; humanitatem Petri habere vnitatem formalem,quæ fundet distinctionem ab alijs humanitatibus, quam Petrum habere vnitatem indiuidualem , quæ fundet distinctionem Petri à reliquis indiuiduis: omnis enim distinctio in vnitate fundatur.Confirmatur secundo animal Petri præscissum á Petreitate ab ipsa Petreitate distinguitur:ergo ratione alicuius vnitatis: non ratione vnitatis indiuidualis,tum quia supponitur animal præscissum á tali vnitate ; tum etiam quia per ipsam vnitatem indiuidualem nequit constitui distinctum ab ipsamet vnitate indiuiduali, vt per se patet: ergo ratione alicuius vnitatis formalis distinctæ ab indiuiduali.

67. Prob.secundò. Quidquid est ens, est vnum , cum vnitas sit attributum entis;sed quilibet gradus,adhuc separatus ab vnitate indiuiduali, est ens, cum sit non repugnans existere : ergo est vnum. Confirmatur:quilibet gradus præscissus est cognoscibilis , amabilis,&c. quia est ens,& amabilitas , & cognoscibilitas sunt entis attributa : ergo & vnus, cum vnitas sit attributum entis.

68. Objic.1. Ergo in Petro daretur triplex vnitas iuxta triplicem gradum in eo repertum. Concedo consequentiam.Contra:ergo non esset totum per se,sed per accidens, cum ex pluribus vnitatibus coalesceret.

69. Respondeo.Nego consequentiam,nam tales vnitates non sunt completæ,sed incompletæ , ordinatæque ad vnam vnitatem completam constituendam,quæ quidem vnitas completa est,per quam individuum secundum se totum est indivisum a se & diuisum á quolibet alio.Hoc est non diuiditur in plura indiuidua sub eodem nomine, & ratione ; & diuiditur á quolibet alio, quod non fuerit tale indiuiduum. Sicut enim ex eo quod homo componatur ex pluribus partibus realiter distinctis,quia sunt incompletæ,& ordinatæ ad totum,Homo non est totum per accidens,sed per se, ita vnitas completa non est totum per accidens sed per se,quia componitur ex pluribus vnitatibus ordinatis ad eam constituendam.

70. Ojic.2. Per nos in natura humana Petri datur vnitas formalis:ergo erit vniuersalis á parte rei. Probatur consequentia. Est vna , aliàs esset realiter multiplex:ergo.

71. Resp.Nos non dicere á parte rei dari vnitatem formalem, neque naturam humanam prout his nominibus significantur. Sicut enim á parte rei dantur plures humanitates,ita & plures vnitates,convenientes tamen , & ideo fundamentaliter vnę. A parte rei datur Petrus indiuiduum completum, inquo datur fundamētum,vt intellectus eum in triplicem gradum diuidat,quem sua peculiaris vnitas consequatur.

72. Ojic.3. Unitas formalis facit numerum cum alia vnitate formali, nam verum est dicere;hoc animal præscissum á Paulo,& hoc animal præscissum à Petro est duplex animal : ergo talis vnitas est numerica ; ergo non est distincta ab indiuiduali, quæ convertitur cum numerica.

73. Resp.Concedo antecedens, & primam consequentiam ; nego tamen vltimam ob rationem argumenti communiter

muniter tamen dicitur vnitas numerica indiuidualis vnitas , quia ita facit numerum, vt non solum distinguat vnum abalio sed etiam faciat differre , vnde si vera esset sententia Patris Arriagæ asserentis ; possibilia esse indiuidua omnino similia, hæc haberent vnitatem numericam interse; non tamen vnitatem indiuidualem ; ideoque concesso antecedenti ita potest distingui consequens : ergo talis vnitas esset numerica, idest, faciens numerum,concedo, idest, faciens differre, seu materialis , quæ antonomasticè dicitur numerica , nego.

74. Objc. 4. Per nos omnis vnitas est indiuisio , & constituit indiuisum ; sed vnitas , quæ constituit indiuisum , & est indiuisio , est item indiuidualis , & constituit indiuiduum : ergo vnitas formalis est etiam indiuidualis , & Animal vg. indiuiduum.

75 Respondeo. Concedo totum. Nota, Patrem Alphonsum vocare in diuisionem speciei , & indivisionem in diuiduationis vltimæ duplicem in diuisionem ; negare tamen duplicem vnitatem; re ipsa idem, quod nos, ipse concedit,vocem tamen vnitatis negat, quia iudicat , hanc vocem non esse applicandam cuique in diuiduo ; sed solum indiuisioni vltimæ Petreitatis, idem de voce vnitatis numericę affirmat Hurtadus. Vnde quęstio , & dissidium ad nomina reducitur; Tu vero vllo absque scrupulo voca illam indiuisionem in Specie vnitatem formalem,item vnitatem numericam , & si vis etiam vnitatem indiuidualem ob rationem argumenti. Insuper voca animal præscissum vnum numerice , & etiam in diuiduum , incompletum tamen ; aduerte nihilominus, vnitatem vltimam differentialem pro famosiori dici vnitatem numericam , & indiuidualem, dummodo tamen præter vnitatem differentialem , mihi concedas alias vnitates formales , per quas Gradus distinguantur interse, & ab omni alio , quod non sunt ipsi, vtere vocibus, vt placuerit.

76 Obij. 5. Eo ipso quod Petrus habeat vnitatem materialem , habet etiam vnitatem formalem omnium graduum essentialium,ergo non est concedenda alia vnitas præter indiuidualem.

77 Respondeo. Distinguo antecedens : eo ipso formaliter , nego ; præ suppositivè , concedo ; explico solutionē hac instantia eo ipso, quod Petrus sit rationalis est viuens, substantia, &c. Ergo præter rationalitatem non dantur alia prædicata, per quæ constituatur , in esse viuentis , & substantiæ; item , eo ipso quod detur numerus decimus , dantur nouem, ergo præter numerum decimum non datur alius ab ipso numero decimo distinctus. Quid ergo ad hoc respondebis? Non ne, certum esset , quod eo ipso quod Petrus sit rationalis est viuens , & eo ipso quod detur numerus decimus dantur nouem, non formaliter sed præ suppositiue, hoc est , non quia viuens constituatur per rationale , & per numeros nouem decimus ; sed quia cum rationale sit gradus posterior , & inferior viuenti , illud supponit ; & quia numerus decimus est posterior numeris nouem , illos supponit ; ita Petreitas , cum sit gradus vltimus supponit alios superiores cum suis vnitatibus , non vero eos constituit , nec eorum vnitates, sicut subsistentia supponit , non constituit substantiam.

78 Objic. 6. si essentia hominis haberet vnitatem formalem distinctam ab indiuiduali essent realiter plures essentiæ hominis ergo, homines essent distincti in essentia.

79 Resp. distinguo antecedens: plures , id est distinctæ , concedo ; plures, id est, diuersæ , nego , & similiter distinguo consequens : homines essent dis-

distincti in essentia, idest, haberent essentias realiter distinctas, concedo; realiter diuersas, nego.

80. Nota, hæc vnitas formalis dici solet indiuidualis, quia gradus illam participans diuisibilis est in plura indiuidua conuenientia in specie; gradus vero participans vnitatem indiuidualem est omnino indiuisibilis in plura inferiora, vnitas vero minima est generica cum gradus eam participans diuisibilis sit in plures species, v.g. animal diuiditur in hominem, & brutum, homo in Petrum, & Paulum, &c. Petrus vero non diuiditur in plures Petros. Cum iam viderimus, hos gradus superiores, & inferiores suam habere vnitatem, qua ab alijs rebus distinguantur, restat nũc inquirere, quomodo distinguantur inter se pro quo sit.

SECT. V.

DE DISTINCTIONE SCOTICA inter gradus superiores, & inferiores.

81. NOta. *D*istinctio realis est, quæ datur á parte rei ante omnem intellectus operationem. Hæc est duplex, vel absoluta, quæ datur inter entitates absolutas, vt inter Petrum, & Paulum, vel modalis, quæ datur inter rem, & modum, vt inter materiam, & vnionem; si tamen sit inter duos modos, qui sibi invicem non sint modi, vt inter duas vniones, etiam dicitur absoluta. *D*istinctio formalis, seu rationis est, quæ dependet ab intellectu; dicitur rationis, non quia ficta, sed quia fit per intellectum, qui ratio dicitur; hæc item est duplex, distinctio rationis ratiocinatæ, hoc est, cum fundamento in re vt, distinctio inter animal, & rationale; & distinctio rationis ratiocinantis, hoc est, sine fundamento in re, vt quæ fingeretur inter hominem & animal. Aliam distinctionem mediam inter distinctionem realem, & rationis inveniunt Scotus, & eius discipuli, quã distinctionem formalem ex natura rei appellant, quæ quidem iuxta ipsos datur ante intellectus operationem inter gradus superiores, & inferiores, & nec est realis, nec rationis, sed media inter vtramque, similis, & dissimilis vtrique, similis reali, & dissimilis distinctioni rationis, quia datur ante intellectus operationem, similis distinctioni rationis, & dissimilis reali, quia datur solum inter formalitates realiter identificatas.

82. Hanc dari inter omnes gradus superiores, & inferiores, tenet Scotus 1. dist. 2. q. 7. & alibi sæpe. Eum omnes Scotistæ sequuntur, licet aliqui affirment, Scotum solum concessisse distinctionem virtualem, ita Xavelus, Faber, & alij. Sicut etiam Patres Franciscus de Lugo, & Hurtadus d. 6. meth. sect. 3. n. 936. Vel distinctionem rationis ratiocinatæ: ita Eximius Doctor lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 2. & 5. Scotum sequuntur ex nostris Vallius, Amicus. P. Fonseca licet solum in creatis hanc distinctionem concedat 5, meth. cap. 6. q. 6. & 7. Pater Albert. Licet non in omnibus gradibus obiectivis, sed in aliquibus. P. Maur. & Alij.

83. Dicendum. Inter gradus superiores, & inferiores non datur distinctio ex natura rei. Ita omnes Thomistę, & Iesuitæ apud P. Olea, hic d. 77. n. 2 insuper M. Linc. hic q. 3. art. 3. n. 8. Probatur. Si poneretur hæc distinctio ex natura rei inter animal & rationale, realiter physicè distinguerentur; sed iuxta ipsos Adersarios realiter physicè non distinguntur; ergo non est ponenda talis distinctio. Maior Probatur. Ea distinctio ex natura rei esset realis, & physica distinctio: ergo si poneretur inter animal, & rationale; animal, & rationale realiter physicè distinguerentur. Probatur antacedens, ea distinctio daretur reuerâ ante omnem operetionem intellectus: ergo esset realis, & physica distinctio; patet consequentia. Ideo distinctio, quæ datur inter Petrum, & Paulum est distinctio realis, & physica, quia talis distinctio reipsâ existit ante omnem operationem intellectus; hæc enim est definitio entis realis, & physici, quod ante omnem operationem intellectus potest existere: ergo.

84. Confirmatur iuxta Aristotelem 4. Metaphysicæ, omne ens vel est in se, & sic reale; vel est in apprehensione, & sic est rationis; sed distinctio hęc non est solum in intellectu, seu in apprehensione: ergo est in se, ergo & distinctio realis.

85. Varie respondent huic argumento Scotistæ. 1. Pontius, & alij dicunt, talem distenctionem non esse realem, quia non datur inter entia stricte talia, sed inter entitates, quæ non sunt stricte, sed impropriè entia.

86. Contra primò tales entitatis actu existunt independenter ab intellectu per vos: ergo sunt proprie, & stricte entia, cum non repugnent existere. 2. ex entibus improprie talibus nequit resultare vnum ens proprie tale per vos; ideo ex negationibus, & puris possibilibus ens strincte tale non resultat; sed ex illis entitatibus resultat indiuiduum, quod est ens stricte tale: ergo non sunt entia improprie. 3. Animalitas hominis, & irrationalitas bruti strincte distinguntur, etiam si sint entitates: ergo & animalitas hominis, & rationalitas ipsius strincte debent distingui.

87. Secundo respondent alij; eam distinctionem non esse realem, quia datur inter entitates realiter identificatas, distinctio autem realis debet esse inter res distintinctas realiter. Contra est implicat enim inter res realiter identificatas talis distinctio, quæ a nobis probatum manet, esse realem, cum sit independens ab intellectu. Insuper eodem modo possem defendere, hanc absurdam conclusionem inter *materiam, & formam cælestem datur identitas ex natura rei*: si vero insies, ea identitas esset realis quia existeret aparte rei, tuam responsionem ex hibebo; non esse identitatem realem eam, quę existit aparte rei, sed eam, quæ datur inter identitates realiter identificatas, qualiter non sunt materia, & forma, cælestis.

88. Tertio alij respondent. Cum Smising. tra. 2. dis. 1. q. 2. §. 58. quod sicut accidens, quia semper dependet á substantia, non participat æque, ac ipsa substantia, rationem entis realis, & sicut subsistentia non participat ęque ac substantia rationem substantiæ, quia ab ea bependet, ita hæc distintio cum semper dependeat ab extremis realiter identificatis, non æque participat rationem realis, ac ipsa extrema.

89 Miror; homines literatos ita respondere, & talibus armis se protegere. Contra primò: licet vnio non sit ęque perfecta substantia, ac extrema, quis vnquam negare potest; esse propriè substantiam? Quis namque dicet; vnionem hipostaticam non esse stricto substantiam, quia dependet ab extremis, cum hæc dependentia non obsit quominus illi definitio substantiæ conueniat? Immò, vt ipsis Aduersariorum exemplis vtarquis sana fide dicere poterit; accidens non esse propriens reale, quia enti reali inhęret, & subsistentiam non esse proprie substantiam, quia est modus substantiæ? Quid quid sit, an sit ęque perfecta vel non? Ergo licet distinctio ex natura rei dependeat ab extremis realibus, cum aliás illis competat entis realis definitio, erit proprissime distinctio realis, & ens reale.

Quartò. Caramuel in meth. art. 3. n. 221. admittit talem distinctionem dicendam esse realem; non tamen physicam. Con-

90. Contra, & rogo quisnam est conceptus obiectivus correspondens huic voci *physica*, qui huic voci realis non correspondeat, taliter vt possit dici, inter Petrum, & Paulum intercedere distinctionem physicam, & realem; inter animal vero, & rationale intercedere distinctionem realem; non verò physicam? Nil certe assignabunt, quod non sit vtrique distinctioni commune; nam si dicat; per talem vocem significari, quod quę ita distinguntur, verè & propriè distinguntur, vel quod distinguntur independenter ab intellectu. Hæc etiam conveniunt his, quæ ex natura rei distinguntur: ergo. Insuper, si talis distinctio ex natura rei diceretur realis, verum esset dicere; animal realiter actualiter non est rationale: Paternitas realiter actualiter non est natura *Divina*: ex quibus prima propositio dissonat physicæ. Secunda fidei. Ea enim propositio contra Gilbertum Porretanum damnata est á Concilio Remensi, ita in nullo sensu Catholico negari potest, quod *Divinitas* sit relatio, & relatio sit *Divinitas*.

91. Si tamen dicant, illam propositionem non esse absolutê proferendam, sed cum hoc addito, *Ex natura rei*, contra efficaciter. Hoc additum vel est contrahens, vel diminuens, vel alienãs; Non diminuens, nec alienans, cum per vos distinctio ex natura rei sit propriè realis distinctio: ergo contrahens. Tum sic: ergo illa propositio potest sine tali addito proferri: patet consequentia. Quoties ratio superior non extrahitur, sed contrahitur ad aliquam speciem per aliquam differentiam potest sine addito differentia absolutè prædicari de specie, v. g. de homine absolutè dicitur esse animal, quin addatur necessario rationale, quia rationale non est differentia alienans, sed contrahens, sed per vos ly *ex natura rei* non est differentia alienans, sed contrahens distinctionem realem: ergo poterit sine addito dici absolutè: Paternitas realiter actualiter non est filiatio.

92. Probatur secundò conclusio. Sicut á vobis ponitur distinctio *ex natura rei* inter realiter identificata, posset a me poni identitas media, seù ex natura rei inter realiter distincta. Probatur. Ideo hæc distinctio á vobis ponitur, quia dantur aliqua realiter identificata, quibus conveniat aliqua proprietas realiter distinctorum, nempe verificatio duplicis contradictorij, v. g. de homine dicitur realiter convenit cum bruto per animal. Realiter non convenit cum bruto per rationale. Realiter est similis bruto per animal. Realiter non est similis bruto per rationale. Sed etiam rebus realiter distinctis convenit aliqua proprietas eorum, quæ realiter identificantur: ergo. Probo minorem: identificari cum vno tertio est proprietas eorum, quæ identificantur inter se iuxta sæpe repetitum axioma: quæ *identificantur vni tertio, identificantur inter se*. Sed hęc proprietas convenit realiter distinctis, nempe Paternitati, & filiationi, quæ realiter identificantur cum natura *Divina*: ergo inter Paternitatem, & filiationem ponenda erit identitas ex natura rei, quod dissonat.

93. Probatur tertiò contra Scotistas. Per vos distinctio virtualis dependens ab intellectu sufficiens non est ad saluanda ea prędicata cõtradictoria *homo realiter convenit, & est similis bruto per animal. Homo non convenit neque est similis bruto per rationale*: ergo nec distinctio ex natura rei erit sufficiens. Probatur consequentia. Ideo per vos distinctio formalis sufficiens non est ad ea contradictoria saluanda, quia est post operationem intellectus, & prædicata illa realiter verificantur, & eo modo, quo est prædicatio, debet esse distinctio; sed prædicatio illa est realis, & physica, nam

nam realiter, & physicè homo conuenit cum bruto per animal, & non conuenit cum bruto per rationale; ergo distintio debet esse realis, & physica, sed per vos distinctio ex natura rei non est realis, & physica; ergo & insufficiens ad ea prædicata saluanda.

94 Probatur quarto. Ideo ponitur hæc distinctio in ter gradus superiores, & inferiores, quia in superioribus datur conuenientia, & disconuenientia in inferioribus; sed potest dari conuenientia, & disconuenientia sine distinctione ex natura rei: ergo est otiosa. Probatur minor pluribus exemplis ad Hominem contra Scotistas: primo. Iuxta Scotum actus liber, & necessarius *Dei* non distinguntur ex natura rei, & tamen conuenit per liberum cum actu nostro libero; & disconuenit cum illo per necessarium. Secundo. Perseitas, & inalietas licet non conueniant in ratione entis, à quo iuxta scotistas non transcenditur, conueniunt in ratione modi entis, & disconueniunt in ratione talis, & tamen non distinguntur á taleitatibus, quia iuxta ipsos perseitas, & in alietas sunt vltimæ differentię.

95. Tertio. Iuxta plures Scotistas, & Patrem Fonseca, in vno radio solis non ponitur distinctio ex natura rei inter formalitates virtutis Calefactiuę licet per eam Conueniat cum pipere, & virtutis illuminatiuæ, per quam cum pipere non conuenit. Quarto. Personæ Diuinæ conueniunt cum creaturis in ratione personæ, & disconueniunt in taleitate, sine tali distinctione inter personam, & taleitatem. Quinto. Sapientia Diuina iuxta Scotum non distinguitur ex natura rei ab infinitate, & tamen conuenit cum sapientia creata in ratione sapientiæ, & non conuenit in ratione infinitæ. Mitto alia plura exempla: ergo ex conuenientia, & disconuenientia non infertur distinctio ex naturâ rei. Teneamus ergo, talem distinctionem esse omnino superfluam.

SVBSECTIO UNICA.

ARGVMENTIS FIT SATIS.

96. Objic. 1. Eo modo aliquibus conueniunt duo prædicata contradictoria, quo distinguntur inter, sed animali, & rationali conueniunt realiter, & ante omnem operationem intellectus duo contradictoria: ergo realiter, & ante omnem operationem intellectus distinguntur, non distinctione reali physica: ergo distinctione formali ex natura rei. Maior est certa. Minorem probo. Realiter, & ante omnem operationem intellectus animal conuenit cum bruto, & est illi simile, rationale non conuenit cum bruto, et non est illi simile; sed conuenire, & non conuenire, esse simile, & non esse simile, sunt duo prędicata contradictoria: ergo.

97 Lince, Pater Ildephonsus de Peñaj & alij quos citat Pater Hurtado disp. 6. Meth. §. 19. vt hac difficultate se ex pediant maiori se implicant, transferendo ad creaturas di tinctionem rigo rosam virtualem, qua saluatur Mysterium Trinitatis; tu vero cum Patribus Vasq, Granad, Rubio, & recentibus communiter, responde, concedo maiorem, & nego suppositum. Nimirum quod à parte rei dentur animal, & rationale provt his nominibus significantur. Nota. Dantur aliqui termini, qui apellantur primæ intentionis, quibus significantur res, vt sunt á parte rei, & ante omnem operationem intellectus, quales sunt *Petrus, Paulus, hic Homo, entitas hominis, hoc animal, hac entitas, hoc rationale, realitas animalis*, & dãtur aliqui, qui apellantur secundæ in-

 ten-

tentionis, quibus significamus res vt iam præscissas, & involuentes actum intellectus præscindentis, quales sunt *animal, rationale, Petreitas, natura secundum se, homo vt talis*, &c. quæ licet significent res, quæ habent esse á parte rei non tamen significant eas eo modo, quo sunt á parte rei; sed vt præscissas, & distinctas ab alijs, quibuscum á parte rei identificantur; vnde cum quis loquitur de rebus, prout sunt á parte rei, talibus vocibus, negandum est illi suppositum, quod dentur á parte rei conceptus obiectivi, non absolutè, sed eo modo, quo per tales voces significantur, nam licet á parte rei detur v.g. principium sensationis, & principium ratiocinationis, non tamen dantur distincta inter se; sed identificata, & per illas voces *animal*, & *rationale* vt distincta signignificantur, quo notato patet argumenti solutio.

98. Quid mirum, quod non detur distinctio ex natura rei inter animal, & rationales, si non dantur animal, & rationale prout his nominibus significantur, inter quæ esset talis distinctio, & de quibus possent fieri illæ prædicationes, in sensu tamen formali; inquo dantur animal, & rationale, illæ propositiones *convenit, non convenit*, &c. non sunt contradictoriæ, cum non habeant idem subiectum. Animal enim provt præscissum, & cognitum in ordine ad sensationes, non est rationale, provt præscissum, & cognitum in ordine ad ratiocinationes, ineptæ enim sunt illæ voces ad significandas res provt sunt à parte rei.

99. Si vero eas, provt sunt á parte rei, velis significare, his vocibus tibi vtendum est. *Hæc entitas hominis convenit cum equo, hæc entitas hominis non convenit cum equo*, e quibus propositiones negativæ sunt falsæ, & affirmatiuę veræ, & ratio est; quia ly *non* est malignantis naturæ, & quidquid post se invenit, destruit *non convenit*, *non est similis* valet idem, ac nil habet, inquo conveniat, & sit similis equo, quod est falsum, at vt verificetur propositio affirmativa, sufficit, quod habeat aliquid per quod conveniat, & assimiletur equo.

100. Replicas primò. Ergo hæ veritates *Ioannes per animal entis, per rationale discurrit. Pater Æternus generat per intellectum, non generat per voluntatem*, &c. dependent á nostro intellectu, quod alienum prorsus est averitate.

101. Resp. Distinguo consequens. Pendent quoad veritates obiectivas, & rem significatam, nego. Quoad modum significandi, concedo. Dubitari nequit, ante omnem operationem intellectus dari in homine perfectiones significatas per has voces *animal & rationale*, & significatas in Deo per has voces *intellectus, voluntas*, &c. Deus enim ante intellectus creati operationem generat, amat, &c. Homo item sentit, & discurrit; at vero modus significandi tales perfectiones obiectivè præscissas, intellectum nempe Divinum in ordine ad generationem separatum á voluntate Divina, & perfectionem sentiendi in ordine ad sensationes separatam á rationali, quomodo per illas voces *animal rationale, intellectus, voluntas* significantur hic, dependet ab intellectu creato.

102. Replicas secundo. Hæ propositiones sunt veræ *Petrus est similis equo: Petrus est dissimilis equo*: ergo, & hę: *Petrus est similis, Petrus non est similis equo*. Idem enim est esse dissimilem, ac non esse similem; sed primæ propositiones verificantur de Petro á parte rei: ergo & secundæ. Sed secundæ sunt contradictoriæ: ergo ratione alicuius distinctionis quæ detur à parte rei; non realis: ergo ex natura rei.

103. Respondeo, non esse idem *non similitudinē, ac dissimilitudinem* quia non omnis dissimilitudo opponitur similitudini. *Non similitudo* vi illius *non* malignantis excludit, & destruit omnem similitudinem. Dissimilitudo non excludit omnem similitudinem, sicut enim nomem lux non opponitur cuilibet obscuritati; in eodem namque subiecto possunt componi aliqualis lux, & aliqualis obscuritas, vt conspicitur in Aere sub Aurora, & sicut in aqua aliquale frigus cum aliquali calore componitur, ita in eadem indiuisibili entitate, qualis est Petrus, optime componitur aliqualis similitudo ratione animalitatis, & aliqualis dissimilitudo ratione rationalitatis. Dissimilitudo autē, quæ conuertitur cum non similitudine est dissimilitudo omnimoda, summa, vel totalis, qualis non est dissimilitudo Petri cum equo: Ideoque licet dicatur *dissimilis*, non tamen *non similis*.

104. Instas contra dicta primo. Id est summe simile alteri, quod secundum totam suam entitatem est simile; sed Petrus secundum totam suam entitatem est similis equo: ergo est illi summe similis.

105. Respondeo. Distinguo maiorem: quod secundum totam suam entitatem est simile totaliter, concedo, non totaliter, nego. Sicut tota entitas hominis dicitur corporea, materialis, corruptibilis, non vero totaliter, & idem indiuisibile punctum totum est coniunctum alteri indiuisibili, non totaliter; quia etiam est coniunctum alij indiuisibili distincto. Ita eadem indivisibilis entitas Petri tota est similis equo, sed non totaliter, cum sit etiam similis Angelo. Tota ergo est similis, tota item est dissimilis, quia tota est principium ratiocinationum, in quo dissimilatur, & tota est principium sensationum, inquo assimilitur, sed nec totaliter est similis, nec totaliter dissimilis.

106. Instas secundo. Totum enim, inquo vnum est alteri simile, debet in vtroque reperiri; sed per nos tota entitas Petri est similis equo: ergo tota entitas Petri reperitur in equo, quod implicat.

107. Confirmatur: ideo hęc concreta *Petrus albus, Petrus niger* non conueniunt in tota entitate, quia licet subiectum sit idem in vtroque concreto, tamen in concreto *Petrus niger* non reperitur totum, quod in alio reperitur, in vno namque est albedo, et in altero nigredo: ergo licet in duplici hoc concreto *Petrus, Equus* reperiatur idem animal per conuenientiam; cum in equo reperiatur irrationalitus, et in Petro rationalitas, tota entitas Petri non erit similis equo.

108 Respondeo. Distinguo maiorem, si sit omnimoda; et totalis similitudo, concedo; si aliqualis, sicut est similitudo inter Petrum, et equum, nego. Ad confirmationem respondetur; concreta illa etiam esse similia, et dissimilia: totum illud concretum *Petrus albus* est simile alteri, licet non totaliter, et totum etiam est dissimile. Nota, subiectum vtriusque concreti ad has denominationes similis, & dissimilis debere esse distinctum hominem eodem nomine apellatum, nam si supponatur, esse eumdem Petrum non erunt similia, non ex parte formæ, quia non est eadem qualitas; non ex parte subiecti, quia non est distinctū subiectum, et idem sibi simile non est; similitudo namque requirit idem subiectum per conuenientiam, non verò per identitatem.

109. Instas tertiò. Si tota entitas Petri, et tota entitas equi realiter convenirent, posset abstrahi vna ratio communis entitatis Petri et equi, et predicari de vnoque; hoc dici nequit: ergo quia non conveniunt. Probo antecedens, nam á convenientibus in aliqua ratione præscindibilis est ratio communis.

Resp.

110. Resp. Nego antecedens. Ad probationem distingue: à convenientibus potest præscindi vna ratio secundum id, inquo formaliter obiectivè conveniunt in ordine ad intellectum, concedo; secundum id, inquo materialiter, & entitatiuè conveniunt, nego. Cōvenientia, quæ est fundamentum præcisionis, est in tota entitate physica, & reali; formaliter tamen, & obiectiuè solum præscinditur ratio conveniendi, quæ in ordine ad terminandam cognitionem præscisivam virtualiter distinguitur á ratione differendi. Vnde tota entitas Petri, & equi non præscinditur, licet materialiter tota entitas Petri conveniat cum tota entitate, equi sed solum prædicatum animalis, quod formaliter obiectiuè in ordine ad intellectum est ratio conveniendi.

111. Instas quartò. Eo ipso, quod vna virga sit ęqualis alteri, est summè, & omnino æqualis, ita vt non possit esse inæqualis: ergo eo ipso, quod Petrus sit similis equo, est summè similis, & nequit esse dissimilis.

112. Resp. Æqualitatem consistere in indivisibili, nec admittere magis, & minus (loquor de æqualitate physicâ, qualis est duplicis virgę palmaris, non de ęqualitate morali, quæ coincidit cum similitudine; hęc enim magis & minus accipit; sic diximus, actus charitatis, & temperantiæ Christi *Domini* esse inæquales quoad obiecta virtutum, esse tamen æquales quoad personam dignificantem) similitudo verò magis, & minus accipit, neque in indivisibili consistit, quod clarè constat in Angelo similis aquilæ in vita, similior homini in intellectu, simillimus alteri Angelo in natura: vnde Angelus ratione eiusdem suæ indivisibilis essentiæ est similis, similior, & simillimus. Sic Petrus ratione suæ indivisibilis entitatis est similis, & dissimilis equo.

113. Sed replicas contra hoc. Entitas indivisibilis non est capax intensionis, & diminutionis; ergo nec maioris, & minoris similitudinis.

114. Resp. Distinguo antecedens: entitas indivisibilis tam realiter, quam æquivalenter, concedo; entitas realiter indivisibilis, & æquivalenter divisibilis, nego. Entitas, quæ ratione propriæ virtutis est æquivalenter plures, magis & minus accipit in ratione similis & dissimilis. Sic idem amor Divinus realiter indivisibilis, & æquivalenter plures, est maior comparatione vnius creaturæ, quam alterius, immò & idem appetitus materię primæ realiter indivisibilis, cum sit ipsamet essentia materiæ, est maior ad formam perfectiorem, quam ad minus perfectam. Cum ergo homo ęquivaleat vegetativo, & intellectivo realiter indistinctis, inde est, quod etiam si sit entitas realiter indivisibilis, admittat similitudinem, & maiorem similitudinem, immò et dissimilitudinem comparatione vnius termini, homo enim idem habet virtutem productivam sensationum, et ratiocinationum, et licet vtraque virtus sit eadem realiter, assimilatur bruto, qui virtutem habet productivam sensationum, et dissimilatur eidem, quia talis virtus bruti non est simul productiva ratiocinationum.

115 Objic. 2. Ergo *Deus* non cognoscit in homine prædicata animalis, & rationalis, cum hæc á modo nostro intelligendi dependeant.

116 Respondeo. *Distinguo* consequens: Quoad rem significatam, nego; quoad modum significandi, subdistinguo: independenter ab intellectu creato, concedo; dependenter; nego. Iam diximus, in homine dari res significatas per animal rationale, has cognoscit *Deus* in eo, at vero modum significandi præscisivum per tales voces non habet homo nisi ab intellectu creato præscindente, quid ergo mirum, quod *Deus* non cognoscat hunc mo-

modum ex parte obiecti, cum ex parte obiecti non detur, cognoscet tamen illum *Deus* in intellectu, & etiam cognoscet, hominem posse distinguere in obiecto plures formalitates, concipiendo illud in adequate.

117 Objic. 3. In *Diuinis* admittenda est distinctio ex natura rei, cum realiter verificentur prædicata contradictoria, natura comunicatur: Paternitas non comunicatur. Filiatio producitur, natura non producitur: ergo similiter admittenda est in créatis, cum etiam increatis verificentur.

118 Mala consequentia, sicut hæc: in Diuinis admittitur Mysterium Trinitatis, ergo & in creatis: quapropter licet verum esset antecedens, falsa esset consequentia, quod acerrime defendit Fonseca. Insuper falsum est, ea prædicata contradictoria verificari distinctione ex natura rei imò, hæc insufficiens esset, patet ad hominem contra Scotistas. Ideo insufficiens esset per vos distinctio formalis ad ea prædicata verificanda, quia eo modo sunt contradictoria verificata, debet esse distinctio: vnde cum illa contradictoria realiter verificentur, non erit sufficiens distinctio formalis. Tum sic, sed illa contradictoria physice, & realiter verificantur, ergo vel distinctio ex natura rei erit realis, & physica, quod negabis: vel sufficiens non est ad ea verificanda. Verificantur enim ratione distinctionis rigorosæ virtualis, quę ob summam Dei perfectionem idem valet, ac si esset distinctio realis actualis: sicut enim obsummam immutabilitatem Dei ponitur in eius voluntate contingentia virtualis, ita & distinctio virtualis solum ad saluanda ea contradictoria, quæ admittere fides cogit: vnde in alijs prædicatis *Diuinis* ponenda non est.

119. Replicas. Deus punit per Iustitiam, & non punit per misericordiam. Generat per intellectum non generat per voluntatem; ergo inter Iustitiam, et misericordiam intellectum, et voluntatem ponenda est vel distinctio rigorosa virtualis, vel saltim distinctio ex natura rei.

120 Respondeo. Nego suppositum, quod realiter detur in Deo *misericordia*; *Iustitia*; *intellectus*, & *voluntas*, prout his nominibus, et hoc modo significantur, ob eamdem rationem, qua non datur animal, et rationale, vel dic realiter loquendo: *Deum* punire per misericordiam, et generare per voluntatem. Vnde propositiones negatiuæ sunt falsæ, verificantur tamen in sensu formali.

121 Objic. 4. Intellectus vt sic præscindens â creato, et increato, vel est idem realiter cum voluntate vt sic præcissa á creata, et increata, vel non? Si non est idem realiter, ergo intellectus Diuinus non est idem realiter cum voluntate Diuina, namquid quid negatur de ratione superiori negari etiam debet de inferiori; si est idem realiter: ergo intellectus creatus idem realiter est cum voluntate creata; quia quidquid affirmatur de superiori, de inferiori etiam affirmari debet, ergo ne hoc dicamus, debet poni inter intellectum, et voluntatem aliqua distinctio media, quæ vtrique intellectui conueniat respectu voluntatis, & sit ex natura rei.

122 Retorqueo. Intellectus vt sic vel est idem physice cum voluntate vt sic, vel non? Si est idem physice: ergo intellectus creatus est idem physice cum voluntate creata. Si non est idem physice? Ergo intellectus Diuinus non est idem physice cum voluntate: Diuina.

123. Respondeo, talem intellectum vt sic sicut præscindit â creato, & increato, ita pręscindere á distinctione reali, & identitate reali, & solum dicere prædicata essentialia intellectus,

quæ æque possunt de intellectu Diuino, ac de creato prædicari.

124. Objic. 5. Cum Briseño supponendo actionem, & passionem realiter non distingui. Actio, & passio constituunt diuersa prædicamenta: ergo ante mentis operationem distingui debent, ne prædicamenta misceantur, quæ debent esse diuersa.

125. Respondeo. Ad distincta prædicamenta constituenda sufficere distinctionem formalem rationis ratiocinatæ, quę datur inter actionem, & passionem, & hoc sufficit etiam, ne misceantur prædicamenta. Neque est necesse, quod predicamenta æque distinguantur á parte rei, neque ab vno prædicamento valet paritas ad aliud. Sic si supponatur quantitas distincta á materia, prędicamenta substantiæ, & quantitatis realiter, & physice distinguntur, & tamen non licet inferre: per vos prędicamenta actionis, & passionis etiam realiter, & physice debere distingui, cum per vos solum ex natura rei distinguantur.

126. Objic. 6. Vel rationale est de essentia animalis aparte rei; vel non est de essentia animalis? Si primum? Ergo á parte rei distinguitur ab animali; si est de essentia animalis; ergo animal hominis non conuenit cum animali equi, de cuius essentia non est rationale, sed hinnibile.

127. Respondeo. Nego duplex suppositum: primum, quod á parte rei dentur animal, & rationale pro vt his nominibus significantur. Secundum: quod id, quod est de essentia, & primario conceptu rei, consideretur vt est physice á parte rei. In rebus enim vt sunt physice á parte rei non dantur conceptus primarij, & secundarij, immo & etiam potest tertium suppositum negari: quod Scilicet ratio animalis, quæ inuenitur á parte rei sit ratio conueniendi. Significatum huius vocis animal, quod datur á parte rei est tota entitas Petri, quæ quidem non est ratio tantum conueniendi, sed etiam differendi; vnde rationale est de essentia physica animalis cum rationale, & animal idem sit homo; non tamen de essentia methaphysica: vnde formaliter potest præscindi, nam in ordine ad precissionem virtualiter distinguitur á rationali.

128. Objic. 7. Et replicas. Intellectus nequit absque fictione facere, quod essentialiter distinguantur, quæ aparte rei sunt eiusdem essentiæ: ergo vel animal, & rationale non sunt eiusdem essentię á parte rei, sic ex natura rei distinguntur, vel adhuc post mentem non distinguntur.

129. Respondeo. Distinguo antecedens: intellectus nequit facere, quod distinguantur physice, quæ á parte rei sunt eiusdem essentiæ physicę, concedo; quod distinguantur metaphysice, quę á parte rei sunt eiusdem essentiæ physicę, nego: distingui metaphysice solum est per mentem distingui, concipi quo vnum alio non concepto, vnde quæ sunt eiusdem essentię physicę; hoc est, predicata realiter identificata vt *animal, & rationale* potest intellectus metaphisice distinguere, concipiendo scilicet animal, rationali non concepto, ex quo quidem modo concipiendi resultant duæ formalitates, quę, quia possũt distinctinctionibus explicari, dicuntur habere distinctas essentias, seu essentialiter distingui metaphysicè.

130. Objic. 8. Ergo saltim differentia individualis distinguitur ex natura rei á natura specifica, cum sit accidens respectu illius.

131. Resp. Nego consequentiam: solum enim est accidens logicum formaliter distinctum, quod accidens dicitur, quia ante quam concipiamus differentiam individualem, Petreitatem scilicet concipimus totam essentiam hominis per animal rationale, realiter tamen differentia individualis identificatur cum natura specifica: nego item suppositum, quod á parte rei detur natura specifica, aut differentia individualis prout his nominibus significantur.

132. Objic. 9. Animal, quod est in bruto, distinguitur ex natura rei á á rationali: ergo similiter animal, quod est in homine á rationali ex natura rei distinguetur. Probatur consequentia: vtrumque animal est eiusdem speciei: ergo vtrique eadem distinctio á rationali conveniet.

133. Retorqueo. Animal, quod est in bruto realiter physice distinguitur á rationali: ergo & animal hominis realiter physicé á rationali distinguetur, cum vtrumque animal sit eiusdem speciei.

134. Resp. Nego suppositum, quod detur á parte rei animal bruti, & rationale hominis provt his nominibus significantur, quę possint distingui, nec animal bruti, aut animal homonis, quæ possint convenire: á parte rei solum datur brutum, & homo, qui realiter distinguntur. Unde cum realiter loquendo animal hominis idem sit ac homo, realiter loquendo animal hominis non est eiusdem speciei, sed diversæ speciei cum bruto; formaliter tamen sunt eiusdem speciei, quia concipiuntur secundum prædicata essentialia, & vt virtualiter distincta á rationali, vel irrationali.

135. Objic. 10. De genere á parte rei verificatur esse extra differentias, posse prædicari de pluribus differentibus, &c. quę de inferioribus non verificantur: ergo á parte rei debent distingui.

136. Resp. Nego suppositum, quod á parte rei dentur *genus, differentia, inferius* provt his nominibus significantur hęc enim omnia conceptus mentis supponunt, vnde omnes prædicationes, quæ de ipsis fiant á parte rei, erunt de subiecto non supponente.

137. Objic. 11. Cognosci, & non cognosci sunt duo prędicata contradictoria; sed cum vidimus hominem á longe venientem, cognoscitur, esse animal, & non cognoscitur esse rationale: ergo de animali, & rationali verificantur cognosci, & non cognosci: ergo ad hęc salvanda debet poni distinctio ex natura rei inter animal, & rationale.

138. Respondeo, talia prædicata salvari per distinctionem formalem. Vtrum autem hæc debeat esse solum ex parte actus, an vero ex parte obiectis Sectione sequenti disputabitur: sit ergo

SECTIO VI.

VTRVM DENTVR PRÆSCISSIONES obiectiva inter gradus superiores, & inferiores?

139. Scias, prędscissionem idem esse, ac divisionem, seu cognitionem vnius sine alio, cum quo est identificatum. *Duplex* est hæc pręscissio, formalis, & obiectiva; præscissio formalis est cognitio, qua totum obiectum attingitur, seu cognoscitur taliter, vt cum obiectum attingatur in ordine ad vnum connotatum, & non in ordine ad aliud, iam hoc nomine, & hac expressione, iam illo, & illa expressione significetur. Præscisio obiectiva est cognitio, qua non attingitur totũ obiectum, sed aliquid attingitur alio nullo modo cognito, adeo vt etiam si vnum, & aliud sint idem realiter inter se, attamen ex parte obiecti vnum vere, & realiter terminat cognitionem, aliud vere, & realiter non terminat cognitionem, communi exemplo declaratur.

Pro-

140. Proponatur tibi homo à longè veniens cernis illius motus, sed non discernis, an sit homo vel brutum? Qui defendunt præscisiones obiectivas, asserunt, tunc te cognoscere animal realiter, quin vllo modo cognoscas rationale, darique ex parte obiecti formalitas vna nempe animal, quæ realiter terminet tuam cognitionem; aliam nempe rationale, quæ realiter illam non terminet. Sed respectu illius cognitionis se habeat tamquam si ibi non esset, vel esset realiter distincta ab alia, quę cognoscitur, qui vero præscisiones formales defendunt, asserunt; tunc te totum hominem cognoscere, sed non ita clarè, vt possis de toto homine rationem reddere, sed solum de illo vt animali, quia solum cognoscis illum per sensationis, quas conspicis, in ordine adquas dicitur *animal*, non per ratiocinationes, quas non conspicis, in ordine ad quas dicitur *rationale*.

141. Prima sententia affirmat in creatis præscisiones obiectivas. Ita fere omnes Thomistæ Eximius Doctor disp. 2. metaphysicæ sect. 2. num. 16. & alibi. Acutissimus Doctor 1. p. q. 28. c. 11. PP. Gilius, Albertinus, Tånerus, Telles. Alarcon, Fran. de Lugo, Lince, lib. 8. dialect. tract. 5. c. 3. Compton. disp. 24. log. sect. 1. Suarez Lusi., tract. 3. log. disp. 1. de vniuersalibus sect. 3. §. 1 P. Thyrsus Gonçalez disp. 6. de visione §. 3. á num. 21. Domine Linc. q. 3. de vniver. art. 4. n. 4. P. Olea. d. 76. à num. 3.

142. Secunda sententia negat. ita Nominales. Patres Hurtad. disp. 6. metaphysicę sect. 4. subsect. 3. adducens pro se Sanctum Thomam, Eximium Doctorem, & Patrem Uasquez, Arriag. disp. 5. log. sect. 2. Ovied. Alphonsus, Quiroz 1. part. tract. 2. disp. 15. sect. 13. Peynadus tract. 2. de vniuersalibus disp. 2. sect. 2 § 3. n. 48. & Recentiores manuscribentes communiter secutos P. Massa in metaph. tract. 2. d. 3. sect. 2.

143. Tertia sententia negat tam præscissiones obiectivas, quam formales, quatenus scilicet per distinctionem realem inadæquate componit propositiones illas specie tenus contradictorias *cognosci animal*, & *non cognosci rationale*: asserit enim animal reddi proximè subiectum capax illius prædicationis per ipsas sensationes non solum tamquam per connotatum extrinsecum sed tamquam per formam capacitantem illud in esse subiecti talis prædicationis, rationale vero similiter per ratiocinationes, & quælibet alia entitas per sua connotata, vnde cum sensatio, & ratiocinatio realiter distinguantur, animal, & rationale, quæ per illas in esse proximè cognoscibilium ab actibus præscindentibus attinguntur, realiter inadæquatè etiam distinguntur; animal á rationali ratione sensationis; rationale ab animali ratione ratiocinationis. Ita ingeniosissimus in Platensi vniversitate Magister.

144. Dissidium tamen est inter duplicis primæ sententię Doctores, nam aliqui ex eis, qui admittunt præscisiones obiectivas in creatis, eas negant in Divinis præsertim inter attributa Divina enter se, & cum essentia comparata; iudicant enim, dari mutuam transcendentiam inter perfectiones Diuinas absolutas, ita Eximius Doctor, Granado, & alij: immò inter essentias, & relationes admittunt non mutuam transcendentiam idem Eximius Doctor lib. 4. de Trinit. cap. 3. num. 2. & Pater Amicus, & alij, non vero mutuam, vt falsò Ovidus Eximio Doctori imponit, hic enim numero citato asserit; sibi semper placuisse, essentiam includi in relationibus; non vero relationes in essentia; alij cum Patre Recupito lib. 3. de attrib. q. 11. & 12. n. 2. admittunt præscissiones obiectivas in Diuinis inter Gradus superiores, & inferiores, non verò inter perfectiones Diuinas vt Dei proprias, & differentiales, vt inter Omnipotentiam, et misericordiam.

145. Ex his verò, qui in creatis negant præscisiones obiectivas, eas admittunt non in omnibus prædicatis Diuinis sed solum in eis, in quibus reperitur distinctio rigorosa virtualis: ita Arriag. d. 5. Log. sect. 3. subsect. 1. num. 97. Pater Vvadingus apud Suarez Lusitanũ vbi supra num. 44. Pein. tract. 2. de vniversalibus. Sect. 3. §. 1. num. 17. alij verò vniuersaliter eas negant.

146. Non semel in mente habui prescisiones formales defendere immo, & Calamum sæpe pra manibus ad eas Scribendas tenui, tum quia faciliores defensatu, tum quia breuitati, quam affecto aptiores, sed vtilitas vestra, quam potius breuitati præ ferre iudico, & mentem, & Calamum in obiectiuas conuertit. Dico, obiectiuas esse vobis vtiliores, quia cum passim á Doctoribus supponantur, ita vt sine eis nec pedem mouere immo nec integram quæstionem tractare possimus (vt ipse fatetur Arriaga) sic tertio quoque gradu audies, & dices. Deus inquantum omnipotens non est misericors, homo inquantum animal non est discursivus. Angelus inquantum intellectivus cõuenit cum homine, quæ quidem locutiones supra expræssiones, seu conceptus mentis nullo modo cadunt, sed supra res ipsas; si ergo nec arguere, nec loqui possumus sine obiectiuis præscissionibus, cur ergo eas non defensabimus? Vtilius enim vobis est semel defendere, quod Sępe supponere necessum est. Insuper in re diuinatoria hęc est communior sententia, & vt optime P. Telles disp. 2. Log. sect. 2. num. 28. antiquitate, & authoritate veneratione digna.

147. Dico primò. Dantur præscissiones obiectiuæ in creatis. Probatur primo conclusio authoritate Angelici Præceptoris 1. part. q. 85. art. 1. ad primum, & secundum, vbi duos modos præscissionis obiectiuæ distinguit, primus est negativus, quo scilicet, negatur, vnum esse aliud, quod re ipsa est, & hunc esse falsum, affirmat. Secundus præscissivus, quo vnum cognoscitur, alio non cognito: *Quam* (inquit) *Abstractionem, quia non considerauit Plato posuit naturas rerum separatas secundum rem*: ergo iuxta Angelicum Præceptorem error Platonis fuit non ponere naturas rerum separatas; sed ponere eas separatas secundum rem: ergo secundum rationem separatæ sunt naturę rerum; sed nequeunt separari secundum rationem, nisi vi præscissionis obiectiuæ, quæ ipsæ separentur: ergo dantur præscissiones obiectiuæ. Item id asserit Angelicus Doctor fieri per rationem, quod secundum rem falso asserebat Plato, sed Plato naturas, seu prædicata, & conceptus superiores asserebat separatos secundum rem; ergo conceptus superiores, & naturas separari secundum rationem iudicat Angelicus Doctor.

148. Probatur secundo. Ex mente Aristotilis primo metaphysicæ textu 10. & Sancti Thomæ 1. part. q. 3. art. 5. imò ex fere omnium Doctorum sensu. Inter gradus metaphysicos datur compositio v. g. Species componitur ex genere, & differentia, sed hæc compositio nequit esse ex nominibus, & expressionibus, neque ex conceptibus mentis, neque ex ipsis connotatis, tum quia nomina, expræssiones, & connota realiter distinguntur, ac pro inde non componunt interse, & si componunt, compositum ex ipsis resultans non erit species, vt per se patet, nam vox *animal*, & vox *rationale* conceptus representans animal, & conceptus representans rationale, Sensatio, & ratiocinatio nullo modo possunt esse partes constitutiuę hominis: ergo

ergo compositio erit ex formalitatibus obiectivis; patet consequentia; compositio est inter eos conceptus, ex quibus resultat species, sed solum ex conceptibus obiectivis, nempe animali, & rationali resultat species: ergo inter eos est tota compositio metaphysica. Tunc sic; sed vbi datur compositio, datur distinctio: ergo inter formalitates obiectivas distinctio formalis reperitur.

149. Probatur tertiò experientia. Cum video hominem à longe venientem, quin aliud præter motum progressivum eius videam, cognosco animal, rationali nullo modo cognita: ergo obiectiue præscindo; probo antecedens; tunc solum percipitur Sensatio: ergo tunc solum cognoscitur animal; probatur consequentia. Intellectus solum cognoscit principium substantiale per species, quas ab operationibus accidentalibus mutuatur, sed tunc solum Sensationes percipit; non vero ratiocinationes: ergo solum cognoscit principium sensitivum, non vero rationale.

150. Confirmatur primo. Si tunc rogaretur homo: an illud obiectum sibi propositum sit homo, vel brutum? Non posset reddere rationem, nec affirmare, esse hominem, aut brutum: si tamen rogaretur; an sit animal? Statim affirmabit: ergo quia cognoscit animal, nullo modo cognito rationali.

151. Confirmatur secundo. Dantur aliqua prædicata, in quibus ab vno ad aliud valet consequentia, v. g. inter definitionem, & definitum *est homo*: ergo *animal rationale*: *est animal rationale*; ergo *homo*, *est animal*, ergo *est vivens*, *substantia*, *ens*. Dantur item alia, quæ se non inferunt nec valet ab vno ad aliud, vt *est animal* non valet: ergo *est rationale*: ergo maiorem distinctionem debemus concede inter hæc, quæ non se inferunt, quam inter illa prædicata quæ se inferunt; sed illa distinguuntur explicite quoad maiorē expressionem, & quoad nomina: ergo hæc debent habere distinctionem aliquam obiectiuam.

SVBSECT. PRIMA.

QVÆ, ET QVALIS DEBEAT esse distinctio virtualis quæ est fundamentum distinctionis formalis?

152. ALiqui Doctores hanc distinctionem explicant apud Patrem Comptonum asserendo: entitatem illam, in qua intellectus postea cognoscit unum alio prędicato non cognito esse virtualiter duplicem. Unde illa prædicata quoad speciem solum sunt contradictoria cum non terminentur ad idem obiectum, sed ad duplex: sic quia homo indupliciloco constitutus esset duplex virtualiter, de eodem iuxta aliquorum sententiam posset verificari, mori, & viuere, esse in gratia, & in peccato, & quia in diuersis temporibus homo est virtualiter duplex, hodie est in gratia, & cras in pecco. Ita tamen hoc defendunt, vt dicant; totum obiectum terminare cognitionem.

153. Ideo eos Laudo, sed in hoc non Laudo. Iam enim coincidunt cum præscindentibus formaliter, cum dicant; totum obiectum indiuisibiliter terminare cognitionem: ergo totum obiectum denominatur cognitum, & dicitur non cognitum: ergo non saluatur, quod cognoscatur animal, & non cognoscatur rationale. Insuper nullam separationem ponunt ex parte obiecti, quod est contra mentem Diui Thomæ asserentis; per rationem fieri id quod secundum rem defendebat Plato. [illegible]

Alij

154. Alij inter gradus metaphysicos, & perfectiones, quæ in rebus inueniuntur, ponunt aliquam distinctionem actualem in ordine tamen ad actus intellectus possibiles. Hæc sententia, dum fugit distinctionem mere formalem videtur in realem distinctionem incidere.

155. Ideo que assero: ante operationem intellectus, seu cognitionem præscindentem nullam dari actualem distinctionem in obiecto, sed solum aptitudinalem seu fundamentalem, quę quidem distinctio virtualis minus *lata*, seu *vulgaris* apellatur. *Minus lata* à distinctione distinctionis rigorosæ virtualis, quæ ponitur in Deo ad saluanda contradictoria physica Mysterij Trinitatis *Natura communicatur. Paternitas non communicatur*: vulgaris, quia communis est vulgo omnium entium creatorum. Dicitur *virtualis*, quia sicut distinctio virtualis rigorosa habet virtutem ad saluanda contradictoria physica eadem vi, ac si esset distinctio realis actualis, ita hæc habet virtutem ad saluanda contradictoria intentionalia eadem efficacia, ac si sit distinctio realis. Dicitur *aptitudinalis*, quia redditur actualis per actum intellectus, quia defacto cognosci ur vnum alio non cognito: in duobus enim hoc totum consistit; in fecunditate obiecti tribuente fundamentum ad talem distinctionem, & in subtilitate intellectus potente dividere, quæ re ipsa divisa non sunt.

156. Pro quo scias primò. Res, quo perfectiores sunt, eo sæpe habere secum identificatas plures perfectiones, quæ in alijs rebus dispertæ concipiuntur. Sic in homine, qui est entitas perfectior planta, & bruto, reperitur conceptus vegetativi, quo convenit cum planta, sensitivi, quo convenit cum bruto, & rationalis, quo ab ipsis differt, & convenit cum Angelo. Hinc fit, quod cum intellectus varias illas perfectiones realiter distinctas in alijs rebus, in eadem re veluti quodam nexu coniunctas videat, fundamentum habet, vt eas distinguat, separet que intentionaliter, & hoc est primum fundamentum pręscisionis, æquivalentia scilicit eiusdem entitatis ad plura diversa vt diversa, secundum quod sit eadem entitas similis, & dissimilis alteri, sic Homo est similis, & dissimilis equo. Similis, quia animal; dissimilis, quia rationale. Vnde ratio animalis potest á rationali præscindi. Tertium fundamentum, quod habeat eadem res diversa connotata, vt idem Homo respicit sensationes, & ratiocinationes, eadem Omnipotentia diversas creaturas: vnde præcontinentia vnius creaturæ potest ab alia præcontinentia pręscindi.

157. Scias secundò. Potentiam intellectivam iuxta vulgare, & receptissimum axioma, quod ex Aristotele, & Alberroe acceptum asserunt Angelicus Doctor 1. contra gentes c. 54. Eximius Doctor. P. Ruiz, Granadus, & Sancta Cruz num. 51. pro eo etiam vniuersam phylosophiam stare affirmans *divisa adunare, & adunata dividere* hoc est ea, quę divisa sunt concipere per modum vnius, & ea, quæ adunata sunt, dividere & separare: vnde in intellectione datur duplex quasi ratio; & ratio qualitatis physicæ, & ratio qualitatis intentionalis, vt physica inhæret subiecto; vt intentionalis repræsentat; vt physica petit proportionatum sibi subiectum spirituale, vitale, &c. vt intentionalis nullis terminis includitur, æquè per omnia divagatur, ad ens, & non ens; ad præsens ad præteritum, ad futurum, ad materiale, & spirituale, ad vitale, & non vitale, ad ea, quæ oculis conspiciuntur, & ad ea, quę oculis conspici non possunt terminatur. Cum ergo tali sagacitate, & subtilitate procedat intellectus, & cum aliâs obiectum habeat fundamentum

tum aliquod ex dictis numero antecedenti, non est cur negemus ab eos posse dividi in plura hoc est cognoscere inadæquatè, si ergo potest cognoscere quod non est, cur non poterit in adæquatè cognoscere id, quod est?

158. Objic. 1. Contra dicta in hac subsectio, hic manifesta committitur principij petitio: nam si rogamur: Cur animal distingitur virtualiter á rationali? Respondemus: quia potest animal sine ratianali cognosci; si tamen rogamur, cur animal potest cognosci sine rationali? Vtique respondemus; quia animal, & rationale distinguntur virtualiter. En circulus.

159. Resp. Nos non probare, posse animal sine rationali cognoscit ex eo quod detur distinctio virtualis inter vtrumque, sed ex manifesta experientia qua sępe vnum cognoscimus sine alio, vt patet in casu nostrę probationis; ex hac tamen cognitione vnius, & non cognitione alterius tamquam. Ex evidenti signo inferimus; inter vnum & aliud absque dubio esse aliquam virtualem distinctionem sufficientem ad talem experientiam; sicut ex fide cognoscimus in Deo *naturam communicari non communicari Paternitatem: naturam non produci filiationem produci*, cum tamen hoc sine contradictione evincere teneamur credere, convincimur; dari aliquam distinctionem, non realem actualem, nam huic etiam ipsa fides repugnat, sed virtualem rigorosam inter naturam & personalitates sufficientem ad verificanda ea prædicata; ita in creatis, cum experientia nos doceat; posse cognosci animal sine rationali, & aliás certò sciamus realiter actualiter non distingui, tenemur ponere inter ea prædicata aliquam distinctionem virtualem, quę habeat virtutem ad ea prædicata intentionalia cognosci, & non cognosci salvanda.

160. Objic. 2. Ex Arriaga. Hanc subtilitatem intellectus in ordine ad præscisionem esse omnino chimæricam. Primo quia cognitiones intuitivæ subtiliores sunt abstractivis, & tamen præscindere nequeunt. Secundo quia subtiliores infinities sunt cognitiones intellectus Divini, & tamen intellectus Divinus præscindere nequit. Tertia quia eadem etiam subtilitate gaudent intellectus pręscindentium formaliter, & tamen præscindere nequeunt obiectivè. Quarto, quia si præscindere esset subtilitas, esset perfectio ac proinde Deo necessario concedenda.

161. Hoc argumentum aliquas speciales difficultates tangit prima est: an cognitio intuitiva possit obiectivé præscindere sicut abstractiua? Negant Patres Vasquez, Præpositus, & Thomistæ omnes. Affirmò cum Patribus Suarez lib. 2. de attributis negativis, cap. 24. n. 3. Molina, Lince, Granado, & Scotistis apud Brisenum controv. 9. dist. 2. art. 2. & probatur. Angelus dum se naturaliter intuitivè cognoscit, non attingit potentiam obedientialem secum identificatam ad vnionem hypostaticam, aliàs naturaliter possibilitatem talis vnionis attigeret, nam cognita potentia, & terminus cognosci necessario est. Item Beati intuitivè vident Deum, & non vident omnes actus liberos cum Deo identificatos, quod de fide certum Iudicat Eximius Doct. lib. 2. de Angelis cap. 24. insuper nec omnes præcontinētias Omnipotentię, sed aliquas vident alias vero indistinctas non vident: ergo intuitiva cognitio potest esse præscissiua ob eamdem rationem ac abstractiva.

162. Replicas primò omnis cognitio præscissiva est abstractiua, sed omnis cognitio intuitiva opponitur abstractiuæ: ergo & omnis cognitio intuitiva opponitur præscissiuæ.

163. Resp. Certum esse cognitionem intuitivam abstractivæ opponi, quia cognitio intuitiva est circa obiectum existens, & per proprias species cognitio vero abstractiva est circa obiectū sæpe non existens, & per alienas, species. Non vero omnem cognitionem præscissivam confundi cum abstractiva. Nam licet sæpe præscissiva cognitio sit per alienas species, non tamen semper, & necessario. Salvatur enim tota essentia præscissiuæ cognitionis in eo, quod attingat vnam formalitatem obiecti alia nullo modo cognita siue sit per proprias, siue per alienas species, siue circa obiectum existens, aut non existens. Vnde cognitio præscissiua non opponitur intuitivæ; opponitur tamen cognitioni comprehensiuę, stricte & rigorosè tali, quæ debet attingere, & adæquari obiecto, quapropter implicat cognitio simul comprehensiua, & præscissiua non vero cognitio simul pręscissiua, & intuitiua.

164. Replicas secundò. Cognitio intuitiua attingit obiectum vt est in se: ergo non præscindit, quia cognitio præscissiua non attingit illud, vt est in se.

165. Resp. Distinguo antecedens: attingit vt est in se, hoc est per proprias species, et non per alienas concedo, aliter nego. Vnde potest quadunari cum cognitione præscissiva, quę non attingit necessario obiectum per alienas species vt iam vidimus.

166. Secunda difficultas quam attingit argumentum in secunda, & quarta replica est: an possit verificari de aliqua cognitione *Diuina* esse pręcissiuam? quæ quidem difficultas æque aduersarios comprehendit. Affirmant Patres Arriag, & Lince. Nego tamen cum omnibus alijs, quia licet intellectus Diuinus sit infinities subtilior nostro intellectu, est tamen essentialiter comprehensivus, vnde nequit obiectum inadequate cognoscere. Et licet pręscindere sit perfectio intellectus creati, est admixta imperfectione, sicut discurrere est perfectio intellectus creati, immo quo subtilior, tanto magis discursivus est, & non ideo transfertur discursus ad intellectum Diuinum, quia est perfectio admixta imperfectione, ideo que aliena à Deo. Si velis, in cognitione Diuina tot distinguere formalites virtualiter, quot sunt in obiecto perfectiones seu prædicata, & hoc appellare nomine præscissionis, quæstionem facis de nomine, dic, quod volueris.

167. Ad tertiam probationem respondetur. Intellectum præscindentium formaliter sæpe has, & similes propositiones elicere: homo quà animal non discurrit: Visio quà vitalis non pendet ab specie. Albedo, quà ens non est accidens: ergo subtilitate hac præscissiua gaudent, & vtuntur vel vt subtilitatem hanc negent implures errores sepe incidere, fateri tenentur. Nam quando dicunt: Albedo quà ens non est accidens, vel in ly *ens* implicite attingunt rationem accidentis, vel non? Si non attingunt? Ergo præscidunt oqiectiue. Si attingunt: ergo falsa est propositio: nam ideo hęc propositio est falsa: homo inquantum homo non discurri: quia in conceptu hominis implicite est conceptus discursiui ergo si in ly *ens* esset implicit conceptus accidentis falsum esset dicere: albedo in quantum ens non est ac accidens.

168. Objic. 3. Si æquiualentia ad res realiter distinctas vel conuenientia, & disconuenientia esset sufficiens fundamentum distinctionis formalis, & præcissionis obiectiuę, posset intellectus præscindere obiectiue in Patre æterno rationem personæ á ratione Paternitatatis: probatur. Quia Pater æternus ratione personalitatis æquivalet Angelo cum eoque conuenit, & differt simul abeo ratione Paternitatis. Per quam æquiualet Patri creato, cum eoque conuenit: ergo con-

conceptus personalitatis obiectiuæ distinguitur à Paternitate, seu relatione. Quod concedere absurdum est Ioanis de Ripa asserentis; personas Diuinas esse absolutas merito damnatum à theologis, vt videre est apud Patrē Franc. de Lugo. 1. part. lib. 2. d. 21. cap. 3. num. 8. & alios communiter.

169. Huic argumento ab aliquibus valde decantato respondetur primo, Sententiam Ripæ nullam mereri notam. Probabilem eam iudicant Scotus in primo dist. 26. q. 1. § contra istam opinionem liquet. Smising. & Pater Salmeron tom. 2. tract. 21. §. *loco* cum multis Patrum testimoniis illustrans, & attribuens Diuo Bonauenturę, Ocamo, & aliis.

170. Respondeo concedendo Personalitatem Patris, seu proprietatem personalem obiectiue distingui á Paternitate Diuina vt æquiualenti Paternitati creatæ. Ita expressè docent Patres Tannerus, Albertin, & Franc. de Lugo. Supra. Item Caietanus, Capreolus, & alij, error ergo Ioanis de Ripa consistit in eo, quod asserat, personas Diuinas esse absolutas ab omni respectu, & relatione etiam transcendentali, nam licet persona obiectiue distinguatur á Paternitate, semper dicit relationem transcendentalem ad filium. Ita Ariaga, Ruiz, Albert, & communiter recentes, ratione cuius relationis transcendentalis cōstituitur persona in esse relatiuæ, quia licet relatio transcendentalis non extrahat rem á ratione absolutæ, in Diuinis tamen iuxta Patrum locutionem sufficiens est vt extrahat conceptum personalitatis á ratione absolutę; hoc est á ratione communis toti Trinitati, in quo solum relucet inconueniens.

171. Vel dic: Ripam errasse in modo loquendi, quatenus scilicet asserit; personas constitui aliquo absoluto. Vox enim *absolutum* iuxta receptum modum loquendi theologorum imposita est ad significandum, quid quid est comune toti Trinitati, & sicut vox *essentia* limitata est á Theologis in Mysterio Trinitatis ad significandum solum naturam Diuinam, & ita non licet dicere in Deo dari tres essentias adhuc cum addito *relatiuas*; etiam si in creatis vox essentia extendatur ad significanda alia á natura distincta, ita voce *absolutum* non licet vti in Diuinis, nisi in prædicatis communibus. Vnde asserere, Personas Diuinas esse absolutas, constituique prædicato absoluto, est contra modum loquendi Patrum, & conciliorum.

172. Vel tandem dic cum Patre Leonardo in materia de Trinitate d. 5. sect. 9. *aduertendum* 1. Ripam errasse, quia inter personalitatem, & Paternitatem apposuit distinctionem rigorosam virtualem, vlteriusque asseruit, a pluralitatem, & distinctionem personarum materialiter, & per accidens se habere pluralitatē relationum, sicut ad rationem æterni vt talis, materialiter se habet immensitas, quod est contra communem locutionem Theologorum asserentium; relationes se habere de formali ad distinctionem, iuxta illud: *Omnia in Diuinis sunt idem vbi non obstat relatio producentis, & producti*.

173. Objic. 4. Conceptus filij, & conceptus Uerbi non distinguntur obiectiue in filio æterno iuxta illud Diui Augustini: *Eo Verbum, quo filius; & eo filius quo Verbum*: Sed filius eternus ratione, filij æquiualet, & conuenit cum filio creato, & ratione verbi cum Uerbo item creato, ergo.

174. Pater Leonardus d. 58. de Trinit. sect. 3. & alij negant maiorem, & explicant Sanctum Augustinum dicentes solum intendisse negare distinctionem realem, vel virtualem, rigo-

sam

sam inter filium, & verbum: illa enim reduplicatio non debet sumi metaphysice Sancti, namque de his metaphysicis reduplicationibus non curarunt. Alij vero illam concedunt, dicentes; rationem filij, & Verbi Diuini mutuo se includere. Negant tamen; filium Diuinum conuenire cum filio creato, nam ratio filij ex ipsa ratione Verbi constituitur, ex qua filius creatus nullo modo constituitur. Sed tu sta pro primá conclusione.

SUBSECTIO. II.

SECVNDA NOSTRA CONCLVsio contra præcissiones formales.

175. DIco secundo. Non dantur præscissiones formales nec vi illarum saluantur propositiones contradictoriæ intentionales; cognosci v. g. animal, & non cognosci rationale. Probatur primo. Ideo tota hæc distinctio fieret per præscissiones formales, quia cognito animali etiam cognosceretur rationale; sed cognito animali rationale nullo modo cognoscitur: ergo non datur talis distinctio. Probatur minor. Implicat, me aliquid cognoscere, de quo si reflectam, non possim rationem reddere; sed præscindens animal á rationali, quantumcumque reflectat, nequit rationem reddere de rationali: ergo cognito animali rationale non cognoscitur. Probatur minor. Nam qui, á longe conspicit hominē per sensationes, quātumcumque reflectat, nequit cognoscere, an sit homo, vel non? Et Phylosophus licet supra euidentiam existentiæ Dei millies reflectat, fecunditatem Dei numquam attinget; nec qui vnum actum liberum Dei cognoscit, posita quacumque reflexione supra ipsum, alios cognoscit. Maior etiam meo videri cōstat. Inde inferimus; Petrū v. g. rusticum nescire logicam, mathematicam, Theologiam, &c. Quia de his facultatibus rationem reddere nequit, & è contra, inde cognoscimus Aristotelem optime percaluisse phylosophiam; & Sanctum Thomam Theologiam, quia de his facultatibus rationem reddunt: ergo.

176. Siquis vana jactatione diceret; per scientiam experimētalem vnius singularitatis, Petreitatis scilicet, se habere scientiam de omni singularitate possibili, ac proinde se experimentaliter cognoscere Antichristum, & alios homines vniuersi, item clare cognoscere, quomodo species se habeant in intellectu, vel in potentia memoratiua, compositionem continui, immò & Mysterium Trinitatis, quo argumento illum conuicerem nisi hoc; si hęc *omnia scis, de eis rationem redde, ea explica, & declara*: & quia de eis rationem reddere nequis, quamvis supra Petreitatem decies mille reflectas, ea certé omninò non attingis, cum Petreitatem agnoscis. Tunc sic. Sed similiter qui alonge conspicit hominem, & cognoscit animal per sensationes, quantumcumque supra animal, & sensationes reflectat, nequit rationem reddere de rationali: ergo quia illud nullatenus attingit.

177. Dices, tunc præscindentem posse reddere rationem de rationali, sed non sub expresione, & nomine rationalis, sed sub expresione, & nomine animalis; sicut qui calet linguam Hispanam non vero latinam potest reddere rationem de obiecto cognito per voces hispanas, non vero per latinas.

178. Exemplum non est ad rem, nam cum voces significent idem obiectum, explicata, & cognita vocum significatione, qui per vnas voces de obiecto rationem reddebat, potest etiam per

alias absque noua obiecti notitia rationem reddere, v.g. qui Hispane scit, hominem esse animal rationale per has voces *el hombre es animal racional*, si addiscat latinum idioma, statim absque noua notitia obiecti potest per voces latinas de homine reddere rationem ita *homo est animal rationale*, sed quantumcumque quis sciat significationem vocum *rationale & animal*, nequit dicere de animalia á longè viso esse rationale: ergo non tantum in vocibus, sed in ipsis rebus datur aliquid non cognitum, & aliquid cognitum.

179. Probatur secundo conclusio á grauissimis inconuenientibus, quæ ex contraria sequerentur: nam iuxta præscindentes formaliter prędicationes formales nequeunt verificari nisi per reflexionem supra voces, expressiones, & conceptus, ita vt sensus huius propositionis: *Animal vt tale non est principium ratiocinationis, sit: entitas prout cognita, & expressa per vocem animal non est cognita, & expressa per vocem rationale*: ex quo sequeretur, quod non solum formaliter, verum, & realiter posset fieri illa prædicatio, nan realiter vox & expressio *animal*, non ex vox, & expressio *rationale*. Unde hę propositiones vere euadent: *Rationale realiter distinguitur ab animali: natura Diuina, Trinitas, substantia, immensitas, &c. realiter distinguuntur inter se*: item hęc: *natura Diuina non est personalitas*: quæ damnata est á Concilio Remensi. Denique si propositiones contradictoriæ in Diuinis: *Natura communicatur, Paternitas non communicatur*. Solum verificarentur in hoc sensu formali iuxta ipsos Aduersarios (vno Arriaga, vel alio exceptis) hæ propositiones de fide, verificabuntur in eodem sensu, in quo verificantur plures propositiones hęreticæ; hæc v.g. *Natura Diuina vt talis realiter, & physicé non est personalitas*, nam in hoc sensu reduplicatiuo in principijs contrariorum hæc propositio debet esse vera; *vox namque & expressio natura non est vox, & expressio personalitas*.

180. Mitto impugnationes militantes contra varios modos discurrendi aduersariorum, præcipué Arriagæ, & Oviedi, licet satis superque apud me reiectos habeam, quia, si placet, videri poterunt tum apud Doctores nostrę sententię adhærētes, tum quia ex dictis sufficienter reijci poterunt.

SVBSECTIO III.

PARTICVLARIS OBIECTIO enodatur: vbi aliqua contra distinctionem virtualem.

181. Objic. 1. Cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria; sed hæc sequerentur ex præcisionibus obiectivis: ergo repugnant. Probatur minor. Per illam cognitionem præscindentem animal á rationali, cognosceretur animal, & non cognosceretur rationale; sed animal, & rationale sunt idem: ergo idem cognosceretur, & non cognosceretur.

182. Confirmatur primò. Eo mòdo, quo de aliqua entitate prędicatur aliquid, quod de alia negatur, distinguuntur illę entitates; sed de animali prædicatur esse realiter cognitum per illam cognitionem, et de rationali negatur: ergo animal, et rationale realiter distinguuntur.

183. Roboratur: eo modo, quo alicui enti conuenit aliquod prædicatum, quod alteri non conuenit distinguuntur ab illo; sed rationali realiter formaliter non conuenit esse obiectum huius cognitionis præscindentis animal, quod animali competit: ergo non solum realiter virtualiter, verum formaliter distinguitur ab animali.

Con-

134. Confirmatur secundò. Non minus contradictoriè opponuntur *cognosci, & non cognosci*, quam *produci, & non produci, existere, & non existere*, sed de duplici entitate realiter identificata nequit verificari existere, & non existere, produci, & non produci; ergo neque cognosci, & non cognosci.

185. Hoc argumentum retorqueo contra Aduersarios. Sic contra Hurtadum; non minus opponuntur contradictori cognosci animal, & non cognosci rationale, quam cognosci explicite animal, & non cognosci explicite rationale: ergo. Contra Oviedū. Nō minus opponuntur cognosci animal, & nō cognosci rationale, quā cognosci or do ad sensationem, & non cognosci ordo ad ratiocinationem. Contra Arriagam. Non minus opponuntur, cog nosci animal, & non cognosci rationali, quam cognosci disconuenien ia hominis à non animalibus, & non cognosci disconuenientia hominis á non rationalibus. Contra omnes præscindētes formaliter, non minus repugnat cognosci animal, & non cognosci rationale, quam prædicari animal, & non prædicari rationale de eodem subiecto, sed hoc debent ipsi fateri: patet in hac propositione: *Petrus est animal*. V bi de Petro prædicatur animal, & non prædicatur rationale. Nan si in sensu illatiuo non valet: *Petrus est animal; ergo est rationalis*. Multò minus valebit in sensu formali specificatiuo.

186. Respondeo ad argumentum. Distinguo maiorem: cognosci, & non cognosci idem, sunt prædicata contradictoria, si sint idem tan realiter, quam virtualiter, concedo. Si sint realiter idem, & virtualiter non sint idem: nego, & similiter distinguo minorem ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem. Animal, & rationale sunt idem, tam realiter actualiter, quam realiter virtualiter, nego; realiter actualiter tantum, concedo. Certum est: inter animal, & rationale non dari distinctionem realem actualem, sed potius identitatem; datur tamen distinctio realis virtualis supra iam á nobis explicata, quæ quidem dicitur virtualis, quia habet virtutem saluandi prædicata illa intentionalia *cognosci, & non cognosci* voce tenus contradictoria eodem modo ac si esset distinctio realis actualis. Sicut enim ponimus distinctionem rigorosam virtualem in Diuinis ad saluanda prædicata contradictoria physica, quę fides concedere nos obligat, *produci* scilicet & *non produci* inter prædicata, quæ sunt realiter actualiter idem, tali virtute vt idem faciat ac si esset distinctio realis actualis; ita ponimus distinctionem virtualem minus rigorosam, ad saluanda ea prædicata contradictoria intentionalia, *cognosci, & non cognosci: terminare cognitionem, & non terminare cognitionem*, quæ experientia admittere nos necessitati virtute vt in ordine ad ea prædicata eamdem vim habeat ac si esset realis actualis.

187. Ad primam confirmationem respondetur; distinguo maiorem; eo modo, quo de alia entitate prædicatur aliquid, & de alia negatur distinguuntur, vel realiter actualiter, vel realiter virtualiter, concedo; realiter actualiter, nego; vel ita facilius distinguo: vel formaliter, vel virtualiter, concedo; formaliter necessario, nego; inter Petrum, & Paulum intercedit distinctio realis actualis, & ratione huius distinctionis contradictoria non sunt: *Petrum currere, & Paulum non currere*: inter animal, & rationale, licet talis distinctio non intercedit, relucet tamen alia tam similis illi, vt in linea intentionali ad idem deseruiat, vnde in ordine ad saluanda hæc prædicata contradictoria: *Animal realiter cognoscitur, rationale realiter non cognoscitur* non magis defera-

viret diſtinctio illa, quę relucet inter Petrum, & Paulum, quapropter eo modo, quo de animali dicitur eſſe cognitum, & de rationali negatur, intercedit inter vtrumque diſtinctio realis non formaliter, ſed virtualiter talis. Explica hoc exemplo ſupra poſito diſtinctionis rigoroſè virtualis in Divinis. Ad robur confirmationis, quod etiam poteſt eſſe replica contra proxim è dicta, reſpondetur. *D*iſtingno maiorem: eo modo, quo alicui enti convenit aliquod prædicatum, quod alteri non convenit, diſtingitur ab illo; eo modo præſciſsè, nego; eo modo, vel alio æquivalenti habente virtutem ad idem, cōcedo. Cumque diſtinctio virtualis in ordine ad ſalvanda prædicata contradictoria intentionalia æquivaleat diſtinctioni reali formali, inde eſt, quod ſufficiat ad hoc, vt rationale realiter formaliter non ſit obiectum cognitionis terminatæ ad animal, licet ſit realiter formaliter idem cum animali.

188. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur: diſtinctionem hanc virtualem non eſſe ſufficientem ad ſalvanda contradictoria phyſica, qualia ſunt illa: *Exiſtere, & non exiſtere: produci, & non produci.* Et patet ad hominem contra Arriagam in diſtinctione virtuali rigoroſa. Sicut enim hanc non licet extendere adhuc in Divinis ad alia prædicata ſeu attributa, niſi ad ea, quæ fides admittere nos obligat, ac proinde ea non ſalvatur: *Exiſtere immenſitatem: & non exiſtere infinitudinem*: ita nobis non licet hāc diſtinctionem virtualem vulgarem excēdere, niſi ad ſalvanda ea prædicata, quæ experientia nos obligat admittere, quę quidē ſūt pręIdicata intētionalia, non verò prædicata phyſica.

189. Inſuper hęc vis præſciſsiva, & diviſiva, quę intellectui tribuitur, phyſicæ actioni tribui nequi cognitio enim vt repręſentativa terminatur ad impoſsibile, ad præteritum, ad futurum, ad materiale, & ad ſpirituale, immò ad omne ens, & non ens; actiones vero & vniones phyſicæ hanc ſagacitatem, & vim non habent. Sed requirunt terminum determinatum exiſtentem, & ſibi proportionatum: vnde ex duplici formalitate identificata nequeunt ad vnā terminari, & non ad aliam, qua propter ſi animal produceretur, & non produceretur rationale; ſi rationale vniretur, & non vniretur riſibile; ſequeretur idem produci, & non produci; vniri, & non vniri; ex eo autem, quod cognoſcatur animal, & non cognoſcatur rationale, ſolum ſequitur; intellectum inadæquatè cognoſcere obiectum, qui quidem intellectus, ſicut poteſt cognoſcere id, quod poſitivè non eſt, ita poterit cognoſcere aliquid ſine alio, quo ſine realiter poſitivè non eſt.

190. Replicas primò contra immediatè dicta; ſi ratione huius diſtinctionis ſalvarentur prædicata intentionalia *cognoſci, & non cognoſci*, etiam ſalvarentur prædica phyſica *mittere ſcilicet animal ſpeciem ſui*, & *eam non mittere rationale, animal producere ſpeciem impreſſam, & eam non producere rationale*: ergo vel vtraque, vel neutra ſalvantur vi talis diſtinctionis. Probatur ſequela. Quando homo á longe conſpicitur, vel producit ſpeciem tam animal quam rationale, vel ſolum animal illam producit? Si hoc ſecundum; ergo animal producit, & rationale non producit. Si primum? Ergo tam animal, quam rationale cognoſcitur. Probo conſequentiā. Ideo illa ſpecies emiſſa eſſet ſpecies animalis, ideoque ſufficiens vt animal cognoſceretur, quia eam animal producit: ergo ſi eam rationale etiam produceret, vtique etiam eſſet ſpecies rationalis, & ſufficiens vt rationale cognoſceretur.

191. Reſpondeo. Nego ſequelam. Ad probationem dico. In caſu poſito totam entitatem mittere, &
por-

producere ſpeciem; & nego ſuppoſitum, quod in ordine ad hęc predicata, producere, & non producere detur animal, & rationale, aut aliqua virtualis diſtinctio aut, æquiualentia in obiecto. Nec ex eo licet inferre; totam entitatem cognoſci, quia licet tota entitas producat ſpeciem, non producit ſpeciem adęquatam ſui, ſed inadæquatam. Aliud enim eſt adæquatam entitatem producere ſpeciem; & aliud producere ſpeciem adæquatam. Sic intellectus, qui eſt agens adæquatum, ſæpe producit cognitionem inadæquatam obiecti.

192. Si tamen oppon is. Ergo iam illa entitas producit ſpeciem ſecundum inadæquatum, & ſecundum aliud inadæquatum non producit: ac proinde producet, & non producet. Negabitur illatio. Sicut licet duo ignes eidem materiæ ſufficiēter approximati producant inadæquate alium ignem, non licet inferre; inquocumque illo igne potente alias ſe ſolo totum effectum producere, vnam partem producere, & aliam non producere. Sicut enim tunc tota virtus vtriuſque ignis producit, licet non producat quantum poteſt, ſeu ſecundum totam ſuam virtutem. Ita dicendum; totam illam entitatem reſultantem ex animali, & rationali producere illam ſpeciem, licet non producat quantum poteſt, ſeu ſecundum totam ſuam virtutem.

193. Si verò roges: cur illa potius eſt ſpecies animalis quam rationalis, cum tam animal, quam rationale illam producat? Reſpondebo, quod ſicut res Diuinas cognoſcimus dum viuimus, per ſpeculum in enigmate, ita quidquid in naturalibus cognoſcimus ſenſuum miniſterio cognoſcimus, ſic ſpiritualia per corporalia, ſubſtantiam per accidentia, nec aliter diſcernimus. Vnde quodvis obiectum, in tantum ſolum cognoſcimus, înquantum per externa ſigna nobis innoteſcit. Cum ergo dum á longe video hominem venientem, nulla ſigna principij ratiocinationis, ſed ſolum ſigna principij ſenſationis videam, nempe motum progreſſivum, & medijs his indicibus principia ſpeciem producant, inde eſt quod dicamus; tunc illam ſpeciem emiſſam ſolum fuieſſe animalis, & non rationalis licet vtrumque illam produxerit.

194 Replicas ſecundô. Terminare cognitionem animal, & eam non terminare rationale, ſunt prædicata intentionalia, quia ſunt in ordine ad cognitionem, quia licet ſe teneant ex parte obiecti, á contradictione abſolvuntur ratione diſtinctintionis virtualis; ergo producere, & non producere cognitionem intellectus, etiam erunt prædicata intentionalia, & ratione diſtinctionis virtualis non contradictoria, cum ſint etiam in ordine ad cognitionem. Itaque iam ſaluabitur, quo modo lumen gloriæ producat ſupernaturaliter, & non vitalitatem viſionis beatę, & è contra intellectus producat vitalitatem, & non ſupernaturalitatem illius. Quod eſt contra omnes Doctores.

195. Scio aliquos Thomiſtas, interquos nouiter *D*ominicanus Lince. ſecunda part. lib. q. 3. art. 4. preſertim à numero 37. aſſerere beneficio diſtinctionis virtualis eamdem actionem phyſicam producere vnam formalitatem effectus, & non aliam, quod hoc triplici argumento evidenter probari, ait citatus Lince, 1. actio, qua Deus concurrit cum creatura, producit realiter entitatem phyſicam actus peccaminoſi, & non producit malitiam illi identificatam. Species impreſſa ſpiritualis phyſicê producit formalitatem cognitionis, & non producit formalitatem vitalitatis, Tertio in ſententia Ieſuitarum (ita ille) actio, qua intellectus producit viſionem beatam, terminatur ad vitalitatem, & non ad ſuper-
per-

pernaturalitatem;scio item, Caietanum defensasse, animam vniri physicè secundum genus vegetativæ;non vero secundum genus intellectiuæ;& denique Patrem Ildephonsum de Peñafi. contendere;animal physice producere sensationes,& eas rationale non producere.Nihilominus tamen.

196. Resp. Iam supra dixi,incognitione dari duplicem respectum , & qualitatis physicæ, & intentionalis; ratione qualitatis physicæ eisdē legibus, quibus reliquæ qualitates subijciuntur, & ipsa subijcitur:at ratione qualitatis intentionalis ad omnia divagatur, omnia diuidit,nullis legibus adstringitur: vt hoc conspiciatur,ponamus animam materiæ alligatam elicere actum , quo ipsa anima præscindatur à sua vltima individuatione,conspiciaturque vt anima.Hic actus qualitas intentionalis est terminatus ad solam rationem animę, non ad differentiam indiuidualem , sicque has rationes diuidit,at vero vt qualitas physica est, nullam distinctionem facit inter eas rationes , sed æquè vtrique tamquam subiecto inhæret; ratio est,quia in ordine physico materialiter se habet ratio intentionalis, in qua totam suam vim specialem diuisiuam habet intellectus.

197. Hinc patet solutio ad replicam:intellectus producens physicè cognitionem vt producens non respicit eam vt qualitatem intentionalem , sed vt effectum,neque cognitio se habet vt qualitas intentionalis formaliter respectu intellectus , & respectu obiecti, quia solum respectu obiecti exercet suam vim repræsentativam , inde est, quod producere cognitionem , & non producere cognitionem,non sint prædicata intentionalia,sed physica,illa enim sunt prædicata intentionalia, quæ sunt in ordine ad cognitionem vt formaliter talem,qualia sunt cognosci, & non cognosci,terminare cognitionem,& nō terminare cognitionem,non vero illa, quæ sunt in ordine ad cognitionem vt materialiter talem,& vt formaliter effectum,qualia sunt producere , & non producere cognitionem. Unde implicat,lumen gloriæ producere supernaturalitatem,& non vitalitatem visionis beatę,& è contra:Cum vitalitas , & supernaturalitas sint idem realiter , & causæ physicę non sint præscissiuæ,neque illa sunt prędicata intentionalia, cum non sint ad visionem vt formaliter talem,sed vt materialiter talem.

198. Hinc cognoscitur, argumenta Magistri Lince esse evidenter falsa. Nam eadem actio Diuina physicè producit & entitatem physicam , & malitiam peccati(scilicet malitiam , entitatem physicam appellare) quin vllum ex hoc sequatur inconveniens, sed solum , *Deum* esse causam vniuersalem omnium affectuum creatorum , quin moraliter se habeat respectu peccati: etiam speciem impræssam per eamdemmet actionem , qua intellectus, producere tam cognitionem, quam vitalitatem. Sicut intellectus tam super naturalitatem visionis , quam eius vitalitatem ; quam falso asserat linceus , illam esse Iesuitarum sententiam , ipsi dicant Iesuitæ , quorum nullus hucvsque tale , nec excogitare , nec somniare potuit , aliud enim est nos reduplicatiue dicere ; cognitionem vt vitalem non prouenire ab specie ; & visionem beatam vt supernaturalem non prouenire ab intellectu;& aliud,illas actionas terminari ad vnam formalitatem , & non ad aliam. Primum solum denotat intellectum nostrum esse præscissiuum,& incognitione , & visione reperiri fundamentum sufficiens,vt vitalitatem intellectui attribuat, & supernaturalitatem lumini. Secundum denotat , actiones esse prescissiuas , quod absonum Iu-

iudicamus. Eodem modo respondetur ad sententiam Caietani , & Patris Peñafiel.

199. Replicas tertiò.Omnia prædicata intentionalia vt formaliter talia possunt salvari sine contradictione:ergo poterunt salvari cognosci animal,& non cognosci animal : cum sint prædicata intentionalia formaliter.

200. Resp. Contradictoria intentionalia,quæ salvari possunt,esse illa, inquibus datur fundamentum distinctionis,seu distinctio virtualis,vt inter animal , & rationale; non vero illa,in quibus est idem subiectum tam realiter,quam virtualiter , quale est animal respectu sui ipsius vnde á se ipso nequit præscindi.

201. Replicas quartò, & rogas sic. Per cognitionem A, qua cognoscitur de facto animal, & non cognoscitur rationale,est ne rationale intrinsecé cognoscibile,vel non?si primum respondeas?Contra:ergo de facto cognoscitur, quod est contra huc vsque dicta. Uel si de facto per illam cognitionem non cognoscitur,evidenter infertur; neque esse per talem cognitionem cognoscibile , quia solum est cognoscibile per aliquam cognitionem obiectum , quod ab ipsa de facto cognoscitur;non vero illud , quod de facto ab ipsa non attingitur , & ideo per cognitionem Petri Paulus cognoscibilis non est : ergo si talis cognitio de facto solum attingit animal, & non rationale, hoc non erit cognoscibile ab ipsa;alias rationale haberet aliquam potentiam irreducibilem ad actum,cum posset cognosci ab actu, qui illud numquam cognoscet, neque cognoscere poterit. Si respondeas secundum ? Contra:animal erit realiter intrinsecè cognoscibele per talem actum,& rationale non erit realiter intrinsecè cognoscibile per illum , quę sunt prędicata contradictoria. Vlterius iam cognoscibilitas rationalis non esset cognoscibilitas animalis , daretur que duplex cognoscibilitas realis ex parte obiecti,quod repugnat.

202. Respondeo admittendo per talem cognitionem realiter intrinsecè non esse cognoscibile rationale propter rationem in replica allegatam (ni velis omnes has replicas â prima propositione funditus destruere negando suppositum illarum,scilicet,quod detur realiter animal , & rationale prout his nominibus significantur, de quibus possit fieri talis interrogatio)vnde admitto , esse animal realiter intrinsecè cognoscibile per illam cognitionem ,& non esse rationale realiter intrinsece cognoscibile per ipsam non esse re ipsa prædicata contradictoria vi, & efficacia distinctionis virtualis,sicut enim vi eiusdem animal extrinsecè cognoscitur,& extrinsece non cognoscitur rationale , ita ob denominationum correspondentiam animal est intrinsecè cognoscibile per illam,& rationale non est intrinsecè cognoscibile. Neque ex hoc infertur ; rationale non esse idem materialiter, & identice cum cognoscibilitate animalis. Sicut ex eo,quod rationale non sit virtualiter animal,non infertur,non esse idem realiter, & identice inter se,aut animal habere aliquam capacitatem sibi identificatam, qua careat rationale:nam sicut animal habet capacitatem,vt cognoscatur per cognitionem *animal*, & non habet capacitatem,vt per illam cognoscatur rationale ; ita rationale habet capacitatem, vt per illam cognitionem *animal* , cognoscatur animal obiectivum , & non habet capacitatem , vt per eam cognoscatur ipsum rationale : & sicut cognitio illa exigit cognoscere potius animal,quam rationale, ita tota entitas hominis exigit, vt per illam cognitionem non cognoscatur ipsa tota , sed præcisse secumdum inadæquatum sui. Vnde nullum prædicatum intrinsecum ha-

Gggg

habet animalitas, quo careat rationalitas, quia vtraque habet capacitatem, vt per eam cognitionem repræsentetur animalitas, & neutra vt repræsentetur rationalitas.

203. Exeo tamen, quod rationale sit identice idem cum cognoscibilitate animalis non deducitur, esse cognoscibile per illam cognoscibilitatem; quia hic iam est sensus formalis, in quo sensu tam ab ipsa cognoscibilitate quam ab animali distinguitur. Sicut Licet natura Diuina sit idem realiter cum filiatione, & ideo idem etiam cum producibilitate filij, non ideo ipsa natura dicitur *producibilis*, & sicut non valeret: *Natura Diuina non est producibilis*, ergo *non identificatur cum producibilitate*, ita non valet *rationale non est cognoscibile per cognoscibilitatem animalis*: ergo *non est idem realiter cum tali cognoscibilitate*. Vnde ad illam, propositionem: ergo *iam cognoscibilitas animalis non esset cognoscibilitas rationalis*: distinguo; idest, non identificarentur realiter materialiter nego; id est, non essent idem virtualirer, concedo. Ad illam; *ergo datur duplex cognoscibilitas realis*, ita distingue, realiter distincta, nego; virtualiter distincta, concedo. Eadem enim esset realis cognoscibilitas, sed cum hęc haberet fundamentum distinctionis formalis, esset duplex virtualiter.

204. Republicas quinto. Et etiam rogas. Illa entitas *homo* realiter actualiter est cognoscibilis adæquate per cognitionem, quæ præscindit animal á rationali; vel solum est cognoscibilis inadæquate? Si primum: ergo adęquate cognoscitur. Et reddit difficultas replicæ num. anteccedenti ponderata. Si secundum? Ergo realiter actualiter datur aliquid cognoscibile, & aliquid non cognoscibile; tum sic: ergo realiter actualiter datur aliquid, & aliquid, ac proinde distinctio realis actualis. Quod repugnat. Probatur consequentia. Eo modo, quo datur aliquid, & aliquid, datur distinctio; sed datur aliquid, & aliquid realiter actualiter: ergo & distinctio realis actualis.

205. *Difficilis* replica ob terminorum æquiuocationem, á qua difficilé se expediet, qui eos non optime percaluerit. Respondeo, totam illam entitatem esse inadæquate cognoscibilem per illam cognitionem *A*. Ad replicam distingue primum consequens: ergo realiter actualiter datur aliquid cognoscibile, & aliquid non cognoscibile virtualiter distinta, concedo: realiter actualiter distincta, nego. Ad primam consequentiam eodem modo distingue; & nega illationem in sensu distinctionis, ad eius probationem similiter distingue maiorem: Eo modo, quo datur aliquid, & aliquid, datur distinctio vel formalis, vel virtualis, concedo: formalis præscisse, nego: & concedo minorem, & nego consequentiam. Certum est, quod eo modo, quo datur aliquid, & aliquid, vel dualitas, debet dari distinctio, sed non est certum; hanc debere esse formaliter talem, cum sufficiat virtualiter talem, quæ in ordine ad illos effectus eamdem vim, & virtutem habet, ac si esset formaliter talis, vt videre est in distinctione rigorosa virtuali: sed de hoc iam supra Satis.

206. Hinc deduces: quod licet realiter actualiter daretur aliquid cognoscibile, & aliquid non cognoscibile, ac proinde aliquid, & aliquid, non requiritur necessario distinctio realis actualis, sed sufficit distinctio realis virtualis. Aliud enim est realiter actualiter dari distinctionem virtualem inter animal, & rationale eo modo, quo possunt admitti animal, & rationale á parte rei; & aliud, dari distinctione realem actualem enter ea. Primum est verum, quia realiter actualiter in homine datur æquivalentia ad res diversas, vel diuersa connota, ac proinde virtualis distinctio seu fundamentalis, vt per intellectum reddatur actualis. Secundum est falsum, vt per se patet; vnde si ly *realiter actualiter* modificet distinctionem, ita vt sensus sit, datur aliquid, & aliquid realiter actualiter, hoc est, inter quę intercedat realis actualis distinctio, est falsa propositio; nec infertur ex eo quod tota entitas *homo* non sit adęquatè cognoscibilis per cognitionem illam *A*, sicut ex eo, quod Deus sit inadæquatè participabilis per gratiam, quæ dicitur participatio naturæ Divinæ, & non inmensitas iuxta Theologos, nō sequitur, quod detur natura, & immensitas inter quas reluceat distinctio realis actualis, cum ad illam locutionem sufficiat, dari aliquid & aliquid, inter quæ intercedat solum distinctio virtualis. Si vero ly *realiter actualiter* non modificet distinctionem, sed rem, & sensus sit; dari aliquid, & aliquid realiter actualiter; hoc est dari in homine realiter actualiter fundamentum distinctionis formalis, vnde aliquid & aliquid, inter quę intercedat distinctio virtualis, vera est illa propositio, & infertur ex eo, quod tota illa entitas hominis sit realiter inadęquaté cognoscibilis per illam cognitionem *A*.

207. Replicas sexto. Ante actualem operationem intellectus datur aliquid, & aliquid, cum ante actualem operationem intellectus detur cognoscibile, & non cognoscibile; sed quoties ante operationem intellectus datur aliquid, & aliquid, inter ea intercedit distinctio realis actualis: ergo.

208. Resp. Concedo maiorem: & explico minorem, quæ ęquivoco laborat. Aliud est dari aliquid & aliquid ante operationem intellectus, & aliud independenter ab operatione intellectus, vt patet in ente rationis, quod possibile est ante operationem intellectus, non tamen independenter ab operatione intellectus. Nam hoc solum denotat, rem esse producibilem, ante quam actu producatur, semper tamen esse à sua causa dependentem. Vnde distinctio virtualis, quæ est capacitas, seu possibilitas distinctionis formalis actualis ante actualem operationem intellectus datur, ac proinde realiter actualiter, sed non datur independenter ab intellectu, á quo tamquam á causa propria in actualem reddenda est. Vnde ante actualem operationem intellectus præscindentis animal á rationali datur in homine aliquid, & aliquid virtualiter distinctum, hoc est, capacitas vt aliquid cognoscatur alio non cognito, nō vero potest concipi hæc capacitas independens ab ipso intellectu.

209. Replicas septimò. Ea distinctio virtualis datur actu formaliter in obiecto physicè, et realiter, sed quidquid ita datur est actuale reale formale: ergo ea distinctio est actualis realis formalis.

210. Resp. Dinstinguo maiorem: datur actu formaliter secundum prædicatum formale constitutivum distinctionis actualis formalis, nego; secundum prædicatum virtuale, seu virtutem ad effectus proprios distinctionis realis formalis, concedo: aliud est dari illam virtutem actu formaliter, & physice in obiecto, quod verum est, identificatam tamen cum ipso obiecto; & aliud eam virtutem esse distinctionem actu physice, & formaliter talem, quod falsum est. Sicut licet Deus sit virtualiter creatura, & ignis virtualiter calor, & hę virtualitates sint realiter actu, & ante operationem intellectus, non sequitur, quod *Deus* sit actualiter physice, & formaliter creatura, & ignis actu physice, & formaliter calor.

211. Replicas quarto. Distinctio ex natura rei Scotica per nos non est sufficiens

ficiens ad saluanda ea prędicata contradictoria: ergo multo minus distinctio virtualis.

212. Respondeo, quod si distinctio Scotica non coincidit cum nostra distinctione virtuali (vt benigne Iudicat eximius Doctor), & aliunde non est distinctio realis actualis (vt ipsi fatentur Scotistæ) non est sufficiens ad saluanda ea prædicata contradictoria, quia ad ea saluanda requeritur vel distinctio realis actualis formaliter talis, vel virtualiter, aut æquivalenter talis, neque hoc nec illo modo sehabet distinctio ex natura rei; ergo non est sufficiens. Quod non evenit in nostra distinctione virtuali, vt probatum manet; Iudico tamen nostram, & Scotistarum distinctionem voce tantum distingui, quod ipsi Thomistæ, & Scotistæ iudicant.

213. Replicas nono. Ex hac distinctione virtuali sequitur; nos ponere in creatis totam difficultatem Mysterij Trinitatis, quæ stat in eo, quod sine contradictione verificetur de eadem reali entitate sine distinctione reali actuali duplex prædicatum contradictorium; quod quam absurdum sit ipso aspectu cernitur: ergo non est ponenda increatis hæc distinctio virtualis.

214. Respondeo. Difficultatem Mysterij Trinitatis captum mentis superantem stare in eo, quod sine distinctione reali actuali verificentur contradictoria physica *produci*, *& non produci*: *communicari*, *& non communicari*, ad quod componendum inuenta est distinctio rigorosa virtualis, quod quidem fieri ratione distinctionis nostræ virtualis omnino negamus. Sed eam ponimus ad salvanda contradictoria intentionalia *cognosci*, *& non cognosci*, quę tota reducitur ad vim naturalē diuisivam intellectus concipientis obiectum in adæquatè, & ad fecunditatem ipsius obiecti æquivalentis rebus realiter diversis provt diversis.

215. Replicas decimò. Si ratione huius distinctionis virtualis, cognito animali, non cognosceretur rationale, hic Syllogismus expositorius non concluderet: *Hoc animal cognoscitur cognitione A; sed hoc animal est hoc rationale: ergo hoc rationale cognoscitur cognitione A*, deberet enim negari consequentia, vnde tota vis syllogistica euerteretur, falsificato eius fundamento, *quæ sunt eadem vni tertio*, *&c.*

216. Confirmatur in hoc altero syllogismo: *Rationalitas est hæc entitas, sed rationalitas non cognoscitur per cognitionem præscisivam animalis*, ergo *hæc entitas non cognoscitur per illam cognitionem*, aliunde verò cognoscitur, quia animalitas est hæc entitas, & animalitas cognoscitur; ergo cognoscitur, & non cognoscitur.

217. Ad hos, & similes syllogismos respondetur cum Angelico Præceptore in opusculo de fallacijs cap. 28 continere fallaciam accidentis, sicut & hunc: *Cognosco Coriscum; sed Coriscus est veniens: ergo cognosco venientem.* Sicut enim in hoc syllogismo est diversificatio medij, & fallacia accidentis, quia (vt ait Sanctus Thomas) Coriscus non subiacet cognitioni quatenus est idem cum veniente; ita in nostro Casu animal vt rationale non est obiectum illius cognitionis, quia cognoscitur vt animal: vnde sensus maioris propositionis est sensus formalis ita *animal vt tale cognoscitur per cognitionem A*, siquidem cognoscitur, vt principium sensationis, ab hac namque venata fuit species, qua intellectus in cognitionem animalis de venit, sensus vero minoris propositionis est identicus, ita *Hoc animal est rationale*: id est realiter identificatur cum rationali, qui quidem sensus identicus materialiter se habet ad cognosci, si tamen esset formalis vt debebat esse; ad hoc vt syllogismus esset informa, falsa esset propositio: nam animal vt tale, & vt obiectum illius cognitionis *A* non est rationale, sicut ob eumdem defectum informa non esset hic syllogismus. *Natura Divina realiter communicatur; sed Paternitas est natura Divina, ergo Paternitas realiter communicatur* in Maiori *natura Divina* sumitur in sensu formali, in minori vero in sensu identico, qui sensus identicus materialiter se habet ad communicationem.

218. Ad secundum syllogismum concede Maiorem, minorem, & distingue consequens: ergo hæc entitas non cognoscitur adæquatè, concedo; inadæquatè, nego, hæc entitas includit rationalitatem, & animalitatem; per cognitionem præscisivam animalis cognoscitur secundum animalitatem, non vero secundum rationalitatem. Vnde cognoscitur inadæquatè, & inadęquatè non cognoscitur.

SVBSECTIO IV.

RELIQVÆ OBIECTIONES.

219. OBjic. 2. Tota distinctio formalis est præscisio intellectus, sed pręscisio intellectus nō est in obiecto: ergo nec distinctio.

220. Resp. Concedo totum; nec enim per distinctionem formalem aliqua fit intrinseca, & realis mutatio in obiecto, nec distinctio formalis se tenet ex parte obiecti. Ex parte obiecti solum est distinctio virtualis, quæ formalis redditur per actum pręcisivum vnius formalitatis obiectiuæ ab alia formalitate obiectiva, an autem obiectum intrinsece, vel extrinsece dividi dicatur per talem cognitionem est quæstio de nomine; dummodo concedatur; concipi vnam formalitatem, alia nullo modo concepta, quod optime notat acutissimus Doctor iam citatus, quin exeo talis cognitio ponat in obiecto aliquam distinctionem.

221. Replicabis primo. Ergo nulla est distinctio ex parte obiecti. Probatur. Ante præscissionem non erat, vt certum est, per præscissionem non ponitur, vt fatemur: Ergo nulla est.

222. Respondeo. Nego consequentiam. Adprobationem: concedo maiorem, & distinguo minorem; per pręcissionem non ponitur positive, concedo, præscissive, nego, Hoc est per præscissionem non ponitur aliquid ex parte obiecti, quod antea obiectum non haberet, sed aufertur aliquid pręscissive, per quam quidem ablationem obiectum intrinsece obiectiue respectu intellectus aliter se habet, ac antea, tollitur enim per hunc actum principium ratiocinandi à principio sentiendi, non negative (vt loquitur Sanctus Thomas) concipiendo *hoc non esse illud*, sed præscissive, idest, non concipiendo *hoc esse illud*; sicut si conciperet intellectus Petrum sine visu, solem sine luce, respectu intellectus separaretur visus à Petro, lux á sole, & aliter se haberent intrinsece Petrus, & sol respectu intellectus ita eos concipientis, ac respectu intellectus Petrum cum visu, solem cum luce attigentis, licet reipsa physice non immutetur siue hoc, siue illo modo cōcipiatur.

223. Replicabis secundo. Actus intellectus est obiecto extrinsecus: ergo nequit facere in eo diversitatem intrinsecam.

224. Respondeo. Distinguo consequens: diversitatem intrinsecam immediate, & perse, concedo; mediate; & ratione termini, quem intentionaliter, & præscissive tollit ab obiecto, nego. Sicut enim Petrus iam cum visu, iam sine visu repræsentatus intrinsece, & in esse obiecti talium repræsentatio-

 num

num aliter, & aliter se habet intrinsece non immediate ratione repræsentationis, sed ratione ablationis visus illi intrinsecæ; ita animal iam cum rationali i á sine rationali repræsentatê, aliter, & aliter se habet intrinsece in esse obiecti, & realiter idem maneat; vnde si Angelus obiectum immediatum illius præscissionis respicit, nullam in eo diuisionem cognosceret: sed attingeret totam entitatem animalis, & rationalis, si vero Angelus illud obiectum in cognitione illa præscindente cognosceret, solum cognosceret animal, nullo modo cognito rationali ex vi illius cognitionis: vnde in hac locutione de nomine potest dici, per præscisionem diuidi obiectum intrinsece, quatenus scilicet tollitur ab eo præscisivè aliquod prædicatum intrinsecè.

225. Dico *præscisivè*, quia per talem actum solum cognoscitur vnum sine alio, v. g. animal sine rationali, negatione non se tenente ex parte obiecti, sed ex parte actus: neque talis præscissio repræsentat aliquam carentiam identitatis, aut negationem alterius prædicati. Nā si ita se haberet, præscissio esset falsa, cum repræsentaret carentiam vbi impossibilis est: hinc infertur, quod quando dicitur, animal non est rationale, & è contra, sensus est quasi reflexus ita; *rationale prout præscisive apprehensum separatum est à rationali*, si vero absque hac reflexione quis diceret: *animal, & rationale actu formaliter obiectiue distinguntur*, erit distinctio rationis ficta, cum ponat actualem distinctionem ex parte obiecti, vbi non est nisi solum fundamentalis, & virtualis, capax tamen, vt fiat actualis per actum præscisivum.

226. Obiic. 3. Actus præscindens est actus verus, iuxta illud *abstrahentium non est mendacium*: ergo cognoscit obiectum prout est in se, & á parte rei, sed animal v. g. in se, & á parte rei est rationale: ergo præscisio animalis etiam rationale cognoscit.

227. Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens: cognoscit obiectum, prout est in se: virtualiter, & in ordine ad intellectum, concedo; prout est in se materialiter, & identicê; nego, & distinguo minorem subsumptam: sed animal in se est rationale identice, & materialiter, concedo; virtualiter in ordine ad intellectum, nego. Vnde talis actus est verus; non enim attribuit obiecto aliquid illi repugnans, neque tollit abeo positive aliquid illi conueniens, sed solum tollit abeo præscisive aliquod prædicatum modo iam dicto, & cum obiectum nomine distinctionis virtualis in se habeat capacitatem, & diuisibilitatem, hanc intellectus diuidens, nil affingit.

228. Objic. 4. Cognito animali non possumus rationem reddere de ente, substantia, viuens, &c. & tamen animal nō præscinditur obiective abēte, substantia, viuente, &c. ergo licet cognito animali, non possimus rationem reddere de rationali, non sequitur hoc ab illo obiectiue præscindi. Probatur maior, & simul paritas, ideo cognito animali, non possumus rationem reddere de rationali, quia tunc solum experimur sensationes, quę sunt connotata animalis, & non ratiocinationes, quæ sunt connotata rationalis, sed cum experimur connotata animalis nullo modo experimur connotata entis, viuentis, substantiæ, &c. ergo de his non possumus rationem reddere.

229. Confirmatur primo. Rusticus cognoscit definitum v. g. hominem, quin reddat rationem de definitione, sed potius sæpe affirmat esse hominem Petrum, & negat vel ad minus ignorat, esse animal rationale. Sed definitum á definitione nequit obiective præscindi: ergo licet attigens hominem a longe non possit rationem reddere de rationali, non sequitur, quod obiectiue præscindat illud eb animali.

230. Confirmatur secundo. Homines docti, dum dissentiunt indefinitionibus rerum, licet conueniant in definito, præscindunt á difinitione, alioquin sicut in definito etiam in definitione conuenirent, sed non præscindunt obiectiue definitionem á definito: ergo.

231. Resp. ad Argumentum. Nego antecedens; cognito enim animali licet non expresse, hocest nominibus, *entis, substantiæ, &c.* possumus explicite reddere rationem entis, substantiæ, viuentis, &c. vnde si aliquis cognito animali rogaretur, statim aliqua facta reflexione, dicet, esse viuens, ens, substantiam, quin hoc possit rationabiliter negari; at verò cognito animali, etiam si iterum iterumque reflectat quis, non habebit notitiam rationalis, poteritque negare, esse rationale. Et ratio est, quia constitutum nequit esse, neque concipi sine constitutiuis; vnde cum gradus superiores constitutiui sint inferiores, neque substantiam sine ente, neque viuens sine substantia, neque animal sine viuente, neque homo sine animali, concipi possunt: aliter ex prædicatis identificatis, siue sint æqualia, siue inferiora, potest vnum concipi sine alio. Sic animal sine rationali, viuens sine animali, substantia sine viuenti, ens sine substantia concipi possunt. Vnde eodem modo ac cognoscuntur ens, viuens, substantia non explicite, hoc est, non sub nominibus expressis entis viuentis, &c. sed sub alio nomine animalis v. g. ea omnia includentis essentialiter, ita eorum connotata cognoscimus, non sub aliquo nomine peculiari, sed sub aliquo nomine ea omnia connotata includente, nempe sub nomine sensationum, quę quidem sensationes connotata sunt entis, substantię, viuentis, & animalis.

232. Ad primam confirmationem respondetur, quod licet rusticus possit fateri, aliquem esse hominem, & dubitare vel negare, esse animal rationale, quin ex eo pręscindatur obiective homo ab animali rationali, non tamen porest aliquis cognoscere animal, non cognito rationali, quin hoc ab illo obiectiuê præscindatur. Quia illud euenit in rustico ex ignorantia significati huius vocis *homo*; vnde nec hominem cognoscit, quem si cognosceret, nec dubitaret, nec minus negaret, esse animal rationale: quod non euenit in animali respectu rationalis, nam optimè scita significatione eius & cognito animali ex motu, adhuc [illegible]; & quis dubitare esse rationale: ergo quia hoc omnino ab animali præscinditur.

233. Ad secundam confirmationem respondetur. Quod sicut rusticus per suum errorem, ita phylosophi per suam opinionem distinctas definitiones, ac conceptus efformant de rebus: vnde dum quis apprehendit definitum apprehendit etiam suam definitionem & tantum ab aliena præscindit, propriam autem definitionem non cognoscere determinatè, prouenit ab ignorantia, & defectu scientiæ circa ipsum definitum, quod determinatè non cognoscitur; si autem hoc intimè, & determinate cognosceretur, vtique eius definitio cognosceretur, at vero etiam si intimè, & determinatê cognoscatur vi speciei emissæ ab homine á longe apparente animal, nequit cognosci rationale.

234. Objic. 5. & simul replicas. Eo ipso, quod cognoscatur obiectum esse rationale, explicitè possunt affirmare, esse animal, & tamen animal non est de conceptu implicito rationalis: ergo licet statim ac cognoscam animal, possint affirmare explicitè esse substantiam, non bene infertur, substantiam esse

esse de conceptu implicito viuentis.

235. Resp. distinguo antecedens: possum affirmare, esse animal; tamquam quid constitutum per animal, quam quid constitutum per animal, tamquam differentiam ordinatam ad constituendum cum animali speciem hominis, concedo. Certum est; rationale non posse esse physicè sine animali, ex hoc tamen non infertur; non posse sine animali metaphysicè concipi. Primum solum arguit, rationale esse differentiam, & compartem necessario ordin tam ad aliam compartem. Secundum denotat; rationale nullo modo constitui essentialiter per animal, vt in eius definitione patet. Definitur enim principium ratiocinationis. Obiect. aliquid non constituitur, ac proinde nec definitur per aliud, sine illo potest concipi, ac proinde ab illo præscindi: vnde rationale potest concipi sine animali sicut animal sine ratione nali, cum hac tamen differentia, quod cum rationale sit differentia determinata ad animal, infertur: est rationale: ergo est animal. Cum vero animal sit ratio superior indifferens ad rationale, vel irrationale, non infertur; est animal: ergo est rationale. Cum possit esse irrationale, sed hęc illatio, est rationale, ergo est animal, non est sicut hæc est animal, ergo est viuens, quia prima est illatio differentię ad Genus; secunda est illatio rationis inferioris, & constituti ad rationem superiorem, & constitutivum: vnde rationale, sine animali potest concipi, non vero animal sine viuente.

236. Objic. 6. Non solum animal, sed rationale est principium, & causa sensationum; sed hę sunt motivum cognoscendi animal in homine à longe viso, quia animal est principium ipsarum: ergo etiam erunt motivum cognoscendi rationale, quod etiam est ipsarum principium.

237. Resp. Sensationes illas non cognosci adequatè, secundum quod tales sensationes sunt, & secundum quod physicè producuntur á tota entitate, sed solum cognosci secundum conceptum sensationum, adquem solum de formali se habet animal, & non ducunt ad cognitionem nec rationalis, nec irrationalis.

238. Objic. 7. Obiectum vt distinctum ab actu nullas habet formalitates: ergo eas actus non attingit, si quidem non attingit, quod non est.

239. Resp. Distinguo antecedens: nullas habet formalitates actu, & formaliter distinctas, concedo; virtualiter, & aptitudinaliter distinctas, nego; actus signatè nullas attingit formalitates, quę certe ex parte obiecti non dantur, sed tendens pręcisivo modo, eas exercité facit, & cognoscens inadequatè obiectum capax diuidi in duas formalitates, eas de facto diuidit.

240. Objic. 8. Realis entitas obiecti terminat cognitionem; sed entitas realis non est diuisa, nec diuiditur: ergo tota terminat.

241. Resp. Distinguo maiorem: realis entitas terminat adaquatè, nego; inadæquatè, concedo; & distinguo minorem: sed entitas realis non est diuisa, nec diuiditur physicé, concedo; intentionaliter, nego: obiectum terminat pro exigentia actus; hic est præscissivus, & inadæquatus: ergo illud terminavit etiam inadæquatè cognitionem. Obiectum intrinsecè diuiditur, licet ab extrinseca cognitione; aliás non posset componi metaphysice, cum diuidi non posset; quod esset contra mentem Aristotelis asserentis; species componi ex genere, & differentia, quæ compositio, licet fiat per intellectum, fit tamen in obiecto.

242. Objic. 9. Tota realitas, quæ est á parte rei termininat cognitionem, dum cognoscitur animal; sed tota realitas est etiá rationale: ergo hoc cognoscitur,

vel si tota non cognoscitur: ergo aliqua realitas manet cognoscenda, ac proinde dantur duæ realitates.

243 Resp. Distinguo antecedens. Tota cognoscitur inadæquatè, concedo; adæquatè, nego; Ad inconveniens vltimum distingue illud: dantur duę realitates virtualiter distinctę, concedo; realiter distinctæ, nego. Noto, à parte rei non dari animal, & rationale pro vt his nominibus significantur, sed solum singularia, Petrus scilicet, & Paulus, vt sæpe diximus, quę quidem singularia possunt inadæquatè cognosci per actum repræsentatem solummodo principium sentiendi, quod apellatur animal, & per actum repræsentantem tantum principium ratiocinandi, quod apellatur rationale; vnde cum tale animal, & rationale solum per mentem actu distinguantur, remanent idem, licet cum capacitate vt diuidantur.

244. Objic. 10. Præcisio est diuisio; sed diuisio attingit terminum qui diuisionis, & terminum aquo: ergo & priscissio attingit animal, quod est terminus qui; & rationale, quod est terminus aquo diuisionis.

145. Resp. præscissionem esse diuisionem non physicam, sed intentionalem, quæ solum consistit in attingentia vnius formalitatis alia nullo modo cognita, vnde terminus aquo non debet attingi. Diuisio verò physica vtrumque terminum attingere debet, vt argumentum probat.

246. Argumenta Theologica, quę probant, vel improbant præscissiones obiectiuas in Diuinis, ad Theologos spectant, quæ ex dictis facilè (si velis) euinces. Si tibi aliquam Sanctorum authoritatem opposuerint. Dic cum Patre Oviedo, qui, & si nobis contrarius veritati conformem se ostendit, Sanctos Patres Locutus fuisse de distinctione obiectiua reali actuali; non verò de obiectiuá intentionali.

DISP. II.

DE CAVSIS VNIVERSALIS.

247. ESSE intellectum causam vniuersalis, ex hucusque dictis constat: cum autem intellectus plures habeat actus ad vniuersalis structuram concurrentem. Dubitatur: per quem ex eis formaliter vniuersale constituatur? Sed ante totá vniuersalis fabricam á fundamentis ob oculis proponam.

248. Sese occulis offerunt. Petrus, Paulus, equus leo, &c. qui suas species in oculos mittunt; & hę appellantur species impressæ, quibus oculi informati visionem materialem eliciunt, ex hac visione emanant aliæ species in phantasiam, hæ phantasmata impressa vocantur, & sunt repræsentativæ plurium obiectorum secundum totum esse physicum, quod proponitur: his speciebus ornata phantasia producit suam cognitionem, quæ dicitur phantasma expressum. In omnibus his conuenit homo cum bruto, hoc phantasma mittere debebat speciem in intellectum, sed cum sit corporeum, & materiale, producere nequit speciem spiritualem, quæ recipi possit in intellectu, qui est potentia spiritualis, ad hoc aduenit intellectus agens, & has species materiales á sua materialitate denudat, quę denudatio dicitur spiritualizatio illarum specierum, diciturque intellectum agentem illas spiritualizare, non quia illas ex materialibus in spirituales conuertat, hoc enim esset impossibile, sed quia producit alias species spirituales similes illis materialibus, quas emittit in intellectum, qui dicitur passibilis eo scilicet quod accipiat, & quasi patiatur eas species, his speciebus informatus intellectus possibi-

bilis cognitionem spiritualem elicit, quæ dicitur *species expressa obiecti*, hę autem ad omnem cognitionem concurrunt, ad vniuersale autem intra intellectum possibilem plures alios actus concurrere certum est apud omnes.

249. Primò enim intellectus cognoscit, plura à parte rei esse similia, & dissimilia, convenire, & disconvenire v. g. cognoscit hominem, Leonem, & equum esse similia in prædicato *sentiendi*, & esse dissimilia in prædicato *ratiocinandi*, hic actus dicitur *comparatio antecedens*; Similitudo, & convenientia illa cognita est fundamentum vt intellectus per alium actum confusum cognoscat illud prędicatum, inquo conveniunt nempe *animal* nullo modo cognito prædicato, inquo disconveniunt, nempe *rationale*; Hic actus dicitur *abstractio* animal prę̄cissum dicitur ratio superior, quia convenit omnibus illis, á quibus fuit præcissa. Subiecta á quibus talis ratio prę̄sciinditur *inferiora* dicuntur. Deinde alius actus succedit, qui totam illam rationem præscissam confusè cognoscit in ordine ad inferiora, animal v.g. in ordine ad hominem, equum, Leonem, &c. quin aliquid affirmet, vel neget, vtrumque tamen terminum attingit; hic actus dicitur *comparatio simplex subsequens*, simplex quia nec affirmat, nec neg t, subsequens quia subsequitur abstractionem. Denique vltimus actus est, qui totam illam rationem abstractam prædicat de inferioribus dicens: *Homo est animal. Leo est animal*, &c. hic dicitur *comparatio subsequens composita*; subsequens, quia etiam subsequitur abstractionem, dicitur composita quia affirmat, etiam dicitur *contractio*, quia contrahit ad inferiora rationem præscissam: Constet ergo ad vniuersale concurrere actum intellectus agentis, comparationem antecedentem, abstractionem, comparationem simplicem subsequentem, & comparationem compositam. Dubitatur nunc per quem ex his actibus constituatur vniuersale formaliter? Sit ergo.

SECTIO I.

PERQVEM ACTVM CONSTItuatur vniuersale formaliter?

250. PRima sententia tenet, vniversale fieri per operationem intellectus agentis, qua species à materialitate denudantur ita Scotus, Fonseca, Telles, & alij apud Eximium Doctorem disp. 6. Metaphisicę, sect. 6. num. 6. Vbi illam optimè impugnat, quia talis species spiritualis ab intellectu agente producta non est repræsentatio formalis naturæ, sed solum virtualis, quatenus scilicet cum intellectu possibili producit repræsentationem formalem talis naturę, sed repræsentatio virtualis, & causativa non sufficit ad vniuersale, aliás etiam ipse intellectus esset vniuersale cum ipse intellectus si etiam virtualis, & causativa repræsentatio naturæ: ergo operatio intellectus agentis nequit esse vniuersalis.

251. Secunda sententia tenet; vniversale fieri per comparationem antecedentem, qua plura vt similia, & convenientia cognoscuntur, ita aliqui apud Patrem Hurtadum, disp. 5. metaphysicę. §. 16. Non placet, quia actus respiciens similia vt talia, respicit plura, & actus plura vt plura respiciens nequit naturam constituere vt per se patet. Item hic actus; *omnes homines sunt similes in natura*, & alij huiusmodi essent vniuersales, quia licet non attingant diferentias, indiuiduales attingunt plura vt plura, sed hoc dici nequit: ergo.

252. Tertia sententia defendit, vniuersale fundamentaliter per abstractionem, formaliter verò constitui per comparationem subsequentem, quæ tribuit naturæ abstractæ vnitatem intrinsecam fictam, & relationem ad inferiora æquè fictam; ita aliqui Moderni. Displicet quia cum comparatio subsequens nil affirmet nec neget, nequit ens rationis efficere, nec tribuere vnitatem intentionaliter, quæ solum per affirmationem tribuitur. Item postea videbimus; vnitatem vniuersalis non esse fictam.

253. Quarta sententia asserit: vniuersale metaphysicum fieri per abstractionem; logicum verò per comparationem. Ita Eximius Doctor. disp. 6. metaphysicæ sect. 6. num. 8. Rubius, Comptonus, Arriaga apud Sanctam Crucem num. 641. Item Peynadus tract. 2. de vniuersalibus. d. 5. num. 10. & alij communiter. Quibus adde Mag. Lince. quest. 3. art. 8 & 9. Non assentior: quia tam metaphysicum, quam logicum est respectivum ad inferiora, sicut enim logicum est vnum aptum prædicari de pluribus, metaphysicum est vnum aptum ad essendum in pluribus: ergo si per vos logicum constituitur per comparationem, quia est relativum, & metaphysicum per comparationem etiam constitui debet ob eamdem rationem.

254. Quinta sententia astruit: vniuersale fieri per comparationem compositam, actum scilicet iuditij, quo vniuersale de inferiori prædicatur. Ita acutissimus Doctor 1. part. d. 76. cap. 2. dissentior 1. quia prius est quod natura sit prædicabilis, quam quod prædicetur, sicut prius est quod aliquid sit producibile, quam quod producatur, ergo antequam prædicetur, est vniuersalis; ergo non constituitur in esse talis per ipsam prædicationem. Secundo actus essendi non constituit vniversale aptum ad essendum, ergo nec actus prædicandi aptum ad prædicandum.

255. Sexta sententia omni actui sive comparatiuo, sive abstractiuo tribuit vim effectivam vniuersalis. Ita P. Lince. tract. 5. cap. 13. quæ sententia quia omnibus favet singulos offendit singulas que in pugnationes supra factas patitur.

256. Dicendum. Uniuersale tam logicum qua n metaphysicum constituitur per solam abstractionem. Ita Hurt. disp. 5. metaphysicæ. sect. 4. Uallius, Cerna, Spin. Santa Cruz. num. 635. Ex Sap. Recent. Xauregur. Rosias quos sequitur Olea. d. 72. num. 12. & communiter recentes. Probatur per illum actum fit vniuersale formaliter, per quem redditur natura vna apta ad essendum, & prædicandum de pluribus, sed per abstractionem redditur natura vna apta ad essendum, apta item ad prædicandum de pluribus: ergo per abstractionem fit vniuersale; probatur minor quoad primam partem scilicet quod per abstractionem reddatur natura vna.

257. Id, quod non est plura ea ratione, qua plura non est; est vnum, sed natura per abstractionem non est plura, ergo est vna Probatur minor. Natura solum potest esse plura in ordine ad intellectum, quatenus intellectu cognoscere rationes illam plurificantes; sed per abstractionem non cognoscit intellectus rationes plurifiacntes naturam: ergo per abstractionem non est plura. Maior est certa: hic namque loquimur de pluralitate intentionali, & in ordine ad intellectum. Probatur minor. Rationes plurificantes naturam sunt differentiæ, aut vnitates ipsius, per quas inter se differunt, natura v.g. quæ est in Petro, & natura, quæ est in Paulo; sed per abstractionem nullo modo cognoscuntur differentiæ, aut vnitates á quibus, vt supponitur, præscindit: ergo non cognoscit rationes naturam plurificantes, ac proinde non cognoscit pluralitatem: ergo talis natura

tura habet intentionalem vnitatem, quæ solum consistit in eo, quod non cognoscatur pluralitas.

258. Confirmatur: id, quod physicè dicit negationem pluralitatis, & diuisionis est physicè vnum, & indiuisum: ergo id, quod intentionaliter dicit negationem pluralitatis, & deuisionis, erit intentionaliter vnum; sed natura per abstractionem dicit intentionaliter negationem pluralitatis: ergo intentionaliter est vna. Probatur minor: per abstractionem non cognoscitur natura vt plura: ergo dicit intentionaliter negationem pluralitatis. Probatur consequentia. Ideo animal abstractiuè cognitum dicit negationem rationalis, aut irrationalis, quia per abstractionem solum cognoscitur animal, quin rationale, aut irrationale cognoscatur; sed per abstractionem solum cognoscitur natura, quin differentiæ aut vnitates cognoscantur: ergo.

259. Probatur minor prima quoad secundam partem, scilicet quod per abstractionem natura fit apta ad essendum in pluribus. Eatenus natura per abstractionem habet vnitatem intentionalem, quatenus per illam non discernitur aliqua pluralitas, ratione cuius in ordine ad intellectum non sit vna; Sed similiter per abstractionem nō discernitur in natura aliqua ineptitudo, ratione cuius repugnet, esse in multis, ergo natura per abstractionem est apta ad essendum in pluribus. Probatur minor: identitas determinata naturæ cum aliquo singulari indiuiduo tantum potest esse ineptitudo naturę, vi cuius repugnet esse in multis; sed per abstractionem non cognoscitur talis identitas cum singulari, á qua præscindere supponitur: ergo non cognoscitur aliqua ineptitudo in naturá, vt sit in multis, & hoc non solum obiectiuè, sed etiam intelligibiliter per comparationē simplicem subsequentem, qua concipia ur talis natura in inferioribus, antequam prædicetur de illis: cum enim vi abstractionis nulla detur ineptitudo, seu repugnantia naturæ ad plura inferiora, nihil erit ratione cuius intellectus nequeat statim post abstractionem, & ante prædicationem, illam naturam inpluribus apprehendere

260. Probatur eadem minor quoad ad tertiam partem, scilicet quod per abstractionem fit apta prædicari de pluribus. Natura per abstractionem non est inepta prædicari de pluribus: ergo est intentionaliter apta; patet consequentia: nam aptitudo intentionalis est tantum præscissiva, & per meram non repugnantiam; antecedens probatur. In tantum esset inepta talis natura, inquantum cognosceretur vt prædicabilis determinatè de aliquo inferiori; sed ita non cognoscitur per abstractionem, quæ solum cognoscit naturam secundum eius prędicata essentialia pręscindentem ab omni inferiori: ergo.

261. Confirmatur. Natura singularis eo ipso, quod sit apta ad essendum in Petro, est apta prædicari de Petro: ergo natura vniuersalis eo ipso quod sit apta ad essendum in multis est apta prędicari de multis. Sed per abstractionem est apta natura ad essendum in multis, vt manet probatum: ergo erit apta prædicari de multis.

262. Objic. 1. Species producta ab intellectu agente est vniuersalis: ergo per intellectum agentem fit vniuersale. Probo antecedens: talis species repræsentat naturam in communi: ergo est vniuersalis. Probatur idem antecedens 2: talis species abstrahitur á phantasmatibus; sed in illis erat singularis: ergo ipsa iam est abstracta á singularibus.

263. Resp. nego antecedens. Ad primam probationem transeat antecedens, & nego consequentiam. Dico transeat, quia talis species iuxta communiorem sententiam non est vniuersalis, sed singularis, quia cum intellectus ad illam producendam concurrat cum phantasmate, illam speciem producit, quam phantasma capax est producere, sed phantasma solum est capax producere speciem singularem obiecti singularis sibi propositi; ergo phantasma solum producit speciem singularem. Sed adhuc admisso, quod talis species sit communis, non est vniuersalis, quia non est formaliter, sed solum virtualiter, & causativè repręsentativa naturæ: vide supra dicta num. 250. Ad secundam probationem, dico: talem speciem abstractam à phantasmatibus apellari, quia est spiritualis, non verò quia est repræsentatiua naturæ in communi, ideo que non est vniuersalis.

264. Objic. 2. D. vum Thomam opusc. 55. dicentem: vniuersalitas *est ex hoc, quod comparatur ad multa*: ergo per comparationem fit vniuersale.

265. Resp. Sanctum Thomam locutum fuisse de vniuersali fundamentaliter, seu dispositivè. Comparatio enim, qua plura vt similia cognoscuntur, disponit ad abstractionem, qua fit vniuersale formaliter.

266. Objic. 3. Abstractio est singularis; ergo non constituit vniuersale; nemo enim dat, quod non habet.

267. Retorqueo. Quicumque actus intellectus, siue sit antecedens, siue consequens comparatio, est singularis: ergo per nullum actum intellectus potest fieri vniuersale.

268. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Sic ipsa apprehensio reddit obiectum cognitum, quin ipsa sit cognita, & amor reddit obiectū amatum, quin ipse amor sit amatus. Sicut Deus potest producere plura, quin sit plura, sed vnus Deus, quia ad plura producenda solum requiritur virtus productiua plurium, quę darit potest

in entitate, quæ sit vna, ita abstractio, licet sit singularis, potest constituere vniuersale, quia potest repręsentari naturam, nullo modo cognitis differentibus plurificantibus, quod solum requiritur ad actum vniuersalis factivum. Illud proloquium: *nemo dat, quod non habet*, debet ita intelligi: nemo dat quod non habet vel formaliter, vel virtualiter, non formaliter præscisse, sic Deus, quin sit formaliter Homo, hominem producit, quia est virtualiter Homo, hoc est habet virtutem ad producendum hominem, ita abstractio est virtualiter vniuersalis.

269. Replicas: nulla forma constituit effectum sibi ipsi oppositum, sed vniuersalitas est opposita singularitati: ergo abstractio singularis non constituit vniuersale.

270. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem: vniuersalitas enim præscissiua non est opposita singularitati in ordine ad totum ætherogeneum componendum; sicut enim, licet corpus & spiritus opponantur, tamen anima spiritualis cum corpore coadunatur, & constituit cum eo totum corporeum, ita licet vnitas, & multiplicitas opponantur, poterunt coadunari in ordine ad vniuersale constituendum, & natura multiplici, & abstractione singulari resultare vnum vniuersale formaliter.

271. Objic. 4. Vniuersale est potens esse in pluribus, ergo non constituitur per abstractionem. Probatur consequentia. Nihil constituitur potens habere aliquem actum secundum per id, per quod constituitur carens tali actu secundo, sed per abstrationem constituitur natura carens actu secundo essendi in pluribus, cum per abstractionē nō sit in pluribus; ergo per abstractionem non constituitur vniuersale.

272. Resp. Distinguo antecedens: est potens præscissiuè concedo; positiuè

ve,nego. Ad probationem distinguo maiorem;nihil constituitur potens habere positiuè per id, per quod constituitur carens positiuè,concedo.Sic per carentiam positiuam humanitatis non constituitur aliquid potens esse homo: potens habere præcisiue per id, per quod constituitur carens præcisiue, nego. Potentia vniuersalis est per modum priuationis, Priuatio enim constituitur per carentiam actualem termini, & simul per potentiam habendi illum;sic cæcitas, quæ est priuatio visus,constituitur per carentiam visus, & per potentiam habendi illum, ita vniuersale constituitur per potentiam essendi in multis, & per carentiam præscisiuam talis actus secundi, hoc est,per abstractionem,quæ talem actum secundum essendi in multis non attingit. Immò per talem carentiam præscisivâ constituitur in esse apti ad essendum in multis,aliter in carentia positiva euenit quæ nullatenus constituere potest potentiam positiuam,aut præscisiuam.

273. Obj.5. In physicis expulsio formæ præcedentis non est ipsa forma subsequens,sed potius expulsio formę præcedentis est prior introductione formæ subsequentis,sed per abstractionem expellitur natura á pluralitas: ergo ipsa abstractio non erit vnitas, sed dabitur alius actus posterior, á quo vnitatem accipiat.

274. Resp. Concedo maiorem,& minorem, et nego consequentiam: ratio disparitatis est:quia in physicis expulsio formæ est negatio seu, carentia positiua ipsius formæ expulsæ; forma autem subsequens non est carentia formæ præexistentis, sed habet suum esse positivum, vnde expulsio formę antecedentis non est forma consequēs; at verò expulsio pluralitatis, cum solum sit pręscisiva, hoc est,cognitio non attingens pluralitatem, est eadem met vnitas vniuersalis, quę in eo consistit, quod non cognoscatur.

275. Objic. 6. Per nullum statum, inquo res collocatur,potest constitui, sic anima non constituitur per statum separationis, aut vnionis; sed abstratio est status, inquo collocatur natura vniuersalis: ergo hæc nequit per abstractionem constitui. Retorqueo: ergo nec per comparationem constituetur etiam vniuersale, cum sit etiam status naturæ vniuersalis.

276. Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem, abstractio est status naturæ vniuersalis specificativè sumptæ, concedo; & ita natura per abstractionem non constituitur; concretivè sumptę in esse vniuersalis, nego; & ita solum per abstractionem constituitur; sic anima specificativè non constituitur per vnionem, tamen vt coniuncta cum corpore per vnionem constituitur; Iam enim status vnionis respectu illius concreti non esset status, sed cōstitutivum,ita abstractio non est status, sed constitutiuum naturæ vt vniuersalis, quę vt talis per eam constituitur.

277 Objic. 7. Actus secundus vniuersalis est contractio: ergo vniuersale, non constitur per abstractionem.Probatur consequentia; nulla potentia essentialiter constituitur per aliquid oppositum suo actui secundo, sed abstractio est opposita contractioni: ergo.

278 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem transeat maior,& nego minorem; dixi transeat maior; quia est absolutè falsa, sic alienatio, seu datio alicuius rei est exercitium, & actus secundus dominij, & ipsum dominium destruit in donante. Item res in esse destructibilis per productionem constituitur, solum namque id, quod productum est,destrui potest, & actus secundus talis potentiæ est carentia talis productionis;& ratio est: quia datur du-

duplex exercitium potentię,exercitium positivum,quod debet existere cum sua potentia,& exercitium negativū, quod non coexistit cum potentia vtpotè illius destructivum, ideoque propositio maior est absolutè falsa, tu vero nega minorem,nam contractio non est opposita abractioni;de quo suo loco.

279. Obj.8. Per illum actum fit vniuersale,per quem fit aptum ad plura;sed per abstractionem non fit aptum ad plura: ergo per abstractionem non fit vniuersale. Probatur primo. Per illum solum modo actum fit vniuersale aptum ad plura,per quem vnum, & plura cognoscuntur;sed per abstractionem vnum, & plura non cognoscuntur:ergo per abstractionem non fit aptum ad plura.

280. Resp.Concedo maiorem, & nego minorem:Ad probationem nego maiorē, Aliud est,esse actu in pluribus, & aliud habere aptitudinē ad plura: per abstractionem non est actu in pluribus, sicut per comparationem,qua vnum,& plura cognoscuntur: attamen ad vniversale non requiritur hoc actuale esse intelligibiliter in pluribus,sed solum aptitudo ad plura, quam aptitudinem accipit natura ab abstractione, per hanc enim,eo ipso quod pręscindatur ab inferioribus,denudatur omni impedimento,vt possit cum quolibet identificari,ac proinde aptitudinem præscisiuam vt de pluribus prędicetur, quin plura cognoscantur per talem abstractionem.

281. Obj.9. Vniuersale est vnum in multis,& extra multa;sed per abstractionem solùm est extra multa, & non in multis; ergo non fit adęquatè per abstractionem.

282. Retorqueo:ergo nec per comparationem; quia per comparationem licet sit in multis non est extra multa.

283. Resp. Distinguo antecedens: est vnum in multis actualiter, nego;aptitudinaliter,côncedo: vt patet ex eius definitione. Hanc aptitudinem habet per abstractionē ,licet per comparationem habeat illum actum.

284. Obj. 10. Totum vniuersale prædicatur de inferioribus; sed abstractio nō prædicatur de illis,qua cum ipsis non identificatur; ergo non constituitur per abstractionem.

285. Retorqueo:ergo per nullum actum intellectus constituetur, cum nullus actus possit prædicari de inferioribus,nullus namque cum inferioribus identificatur.

286. Resp.Distinguo antecedens; totum vniuersale prædicatur vt *quod*, nego; natura vt *quod* & secunda intentio vt *quo* concedo. Natura, vtpotè quę cum inferioribus identificatur, prędicatur vt quod, secunda intio vt pote ratio *qua* redditur natura prædicabilis *vt quo*.

187 Objic. 11. Si vniuersale fieret per abstractionem, casu, quo ab omnibus albis abstraheretur ratio *albi*, confunderetur tria prædicabilia,nā respectu huius,& illius albi esset species, respectu nivis,& cygni esset proprium; respectu hominis, & parietis esset accidens; quæ quidem confusio vitaretur, si vniuersale fieret per comparationem simul attingentem inferiora,& naturam.

288 Confirmatur.Ratio albi præscissa vi abstractionis est indifferens vt sit proprium, species, & accidens, & determinatur ad esse potiùs speciem, quam proprium, & è contra per comparationem, qua comparatur potiùs ad illud album, quam ad cygnum, & nivem; ergo per comparationem in esse speciei constituitur. Probatur consequentia: ideo rationale est constitutivum hominis, quia determinat animal exte indifferens ad constituendum hominem,& nō brutum, ad esse potiùs hominis, quam bruti: ergo similiter. Re-

289 Retorqueo argumentum primo: ergo saltim tria vniuersalia fundamentalia confunderentur, quę iuxta aliquos per abstractionem constituuntur. Secundo: Ergo saltim tria vniuersalia metaphysica confunderentur, quę iuxta aliquos vtique ex abstractione componuntur.

290 Resp: quod si per eamdem abstractionem illa ratio *albi* ab omnibus albis abstraheretur, sine vlla confusione diceretur *species*, *proprium*, *&* *accidens* iuxta capacitatem inferiorum, quibuscum talis ratio identificaretur; non enim repugnat, quod eadem forma plures denominationes conferat iuxta varias obiecti capacitates; sic eadem cognitio denominat obiectum cognitum, intellectum cognoscentem, & voluntatem potentem amare; ergo eadem abstractio denominabit rationem *albi* iam speciem, iam proprium, iam accidens absque vlla confusione, quia illa abstractio, & si sit vna, triplici abstractioni realiter distinctæ æquivalet.

291 Ad confirmationem. Respondetur: nego antecedens, nam vi abstractionis pręcisè talis ratio est simul species, proprium, & accidens, comparatione tamen diuersorum, sicut per eamdem quantitatem est Petrus maior pigmæo, & minor Gigante; Aliud enim est, quod per comparationem determinetur vniuersale ad actum secundum, & exercitium prædicationis, potiús vt species, quam vt proprium, quod verum est, & aliud, quod per eam determinetur ad esse speciei, proprij, &c. in actu primo. Quod falsum est: & sicut approximatio ad hanc potius materiam quam ad aliam determinat virtutem combustivam ignis, vt hunc potiús quam illum ignem producat in actu secundo, quin constituat, sed potiús supponat, totam virtutem cōbustivam habens se solum vt conditio requisita ad exercitium virtutis, quam completam in esse talis supponit ante se, ita similiter se habet comparatio supponens prædicabilitatem.

292. Obj. 12. Vniuersale logicum debet esse proximè pręedicabile; sed per abstractionem non redditur proximé prædicabile: ergo per abstractionem non fit vniuersale. Probatur minor: nequit intellectus enuntiare prædicatum de subiecto, nisi pręcedat comparatio prædicati cum subiecto, tum quia nil iudicatum quin prius apprehensum; tum etiam quia esse *ad* supponit esse *in*, hoc est esse pręedicari ad subiectum supponit apprehensum prædicatum in subiecto; sed per id, ratione cuius natura non potest prædicari, nisi adveniat aliud, non constituitur proximè prædicabilis: ergo non per abstractionem, sed per comparationem simplicem subsequentem redditur vniuersalis natura.

293. Cōfirmatur. Inter abstractionem & prædicationem naturæ mediat necessario comparatio: ergo per abstractionem non redditur proximè, & immediaté prædicabilis, sed per comparationem simplicem, inter quam, & prædicationem nullus actus mediat.

294. Aliqui cum Hurtado respondent, ad pręedicationem actualem non requiri necessario comparationem simplicem subsequentem; sed sufficere antecedentem ad abstrationem, vt verificetur; nil esse iudicatum, quin apprehensum, & vt posita abstractione fiat enunciatio, sed quidquid sit de hoc.

295. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: nequit intellectus enuntiare, &c. nisi præcedat comparatio, ita vt talis comparatio sit constitutiua prædicabilitatis, nego. Ita vt sit conditio ad prædicationem, concedo: & similiter distingue minorem; per id, ratione cuius non potest prædicari, nisi adveniat aliud, non redditur proximè prædicabilis natura: si ly aliud, quod advenire debet, sit solum conditio ad prædicationem: nego; si sit constitutivum prædicabilitatis, concedo. Per abstractionem denudatur natura omni impedimento, vt possit prædicari de pluribus, totaque virtus prædicabilitatis constituitur, vt tamen hæc virtus exerceatur, prædiceturque natura, requiritur applicatio illius, hæc applicatio est comparatio, qua natura in subiecto concipitur, vt de illo prædicetur, & quemadmodum applicatio ignis necessario requisita, vt exerceat virtutem combustiuam, talem virtutem non constituit, sed supponit; ita comparatio subsequens supponit, non constituit prædicabilitatem naturæ.

296. In intellectu, & voluntate vobis exemplum apponam; non minus requiritur apprehensio, vt intellectus iudicet, & enuntiet, quam vt obiectum iudicetur, & enuntietur, sed talis apprehensio non constituit virtutem iudicativam, & enuntiativam intellectus, sed solum requiritur, vt conditio applicās, & proponens obiectum: ergo similiter apprehensio comparatiua solum requireretur ad applicandam, non ad constituendam virtutem prædicabilitatis. Item bonitas obiecti supponitur ante cognitionem, quin eam cognitio constituat, & tamen vt eam voluntas amet, requiritur necessario talis cognitio, quia nihil volitum quin præcognitum: ergo etiamsi ita requiratur comparatio, vt predicetur natura de inferioribus, quia nihil iudicatum quin prius apprehensum, non constituet, sed supponet prædicabilitatem.

197 Ad confirmationem retorqueo primo. Inter virtutem combustivam ignis, & actum secundum concomburendi mediat necessariò applicatio. Secundo. Inter bonitatem realem, & amorem mediat necessariò cognitio; ergo nec virtus ignis est proxima, & immediata, nec virtus motiva bonitatis obiectiuę. Sed virtus ignis constituetur per applicationem, & bonitas motiva per cognitionem; sicut enim applicatio, & cognitio mediant vt purè conditiones, ideoque non officiunt immediationi intrinsecæ virtutis, ita comparatio, cum tantûm mediet vt pura conditio non constituens naturam in esse proximæ, & immediatæ intrinsece prædicabilis, sed tantum in esse approximatæ, seu quod idem est, in esse proximæ, extrinsecè non officiet immediationi naturæ in esse prædicabilis.

298 Replicas. Hæc causalis est vera: *Ideo vniuersale potest prædicari de subiecto, quia est intelligibiliter in illo per comparationem.* Item ideo est *ad* quia est *in*: ergo comparatio, & actus, quo vniuersale est *in* constituit prædicabilitatem.

299 Resp. similes reduplicationes sępe denotare conditionem, & non constitutiva. Sic valet: *Ideo voluntas amat, quia intellectus cognoscit obiectum: ideo ignis comburit, quia approximatur: ideo Sacerdos Consecrat, quia habet intentionem*, & tamen cognitio ad amorem, approximatio ad combustionem, intentio ad consecrationem sunt merę conditiones: ergo ita possunt admitti illæ propositiones appositę.

SECTIO. II.

DE VNITATE VNIVERSALIS.

300 Diximus: vniuersale esse vnum; quæritur; quę, & qualis sit hæc vnitas an intrinseca, an extrinseca? An realis, an ficta? prima sententia tenet vnitatem vniuersalis esse intrinsecè fictam, ita plures Tho-

Thomistę quos sequuntur Pater Ildephonsus de Peña. disp. 2. q. 3. & 7. & aliqui moderni. Secūda sententia negat; esse fictam, & affirmat esse extrinsecam. Ita reliqui omnes Doctores.

301 Dico primo. Vnitas vniuersalis non est ficta: probatur primo: vniuersale per nos fit per abstractionem, ab illaque vnitatem accipit sufficientem, vt sit vniuersale; ergo eius vnitas non est intrinseca, & ficta. Probatur consequentia primo. Talis abstractio nequit fingere iuxta *illud abstrahentium non est mendacium*. Secundo talis actus nequit conferre obiecto prædicatum repugnans; est namque simplex apprehensio, quæ, vt iam probatum est, nequit facere ens rationis, neque aliquid per compositionem obiecto conferre. Tertio: talis abstractio, hæc v.g. *Homo*, solum attingit ex parte obiecti prædicata essentialia hominis, nēpe animal rationale, quin vllam vnitatem attingat, nec de illa tunc cogitet intellectus; ergo nō confert obiecto vnitatem intrinsecam: patet hæc consequentia; nullo alio modo potest intellectus conferre aliquod prædicatum obiecto, nisi repræsentando illud ex parte obiecti, sed talis actus vnitatem non repręsentat: ergo neque illam confert.

302. Probatur secundo, concipere vnum alio non concepto cum fundamento in re, ex se non est conferre vnitatem intrinsecam obiecto, nec fingere: sic Beati plures pręcontinentias attingunt, alijs nullo modo cognitis, sed actus factivus vniuersalis tantum attingit naturam humanam v.g. non cognitis indiuiduationibus, & ad hoc sufficiens datur fundamentum; ergo talis actus nec confert vnitatem intrinsecam obiecto, nec fingit.

303. Probatur tertiò ab inconvenienti: sequeretur, omnes prædicationes vniuersales esse falsas v.g. *Petrus est animal*: immò & hæ: *Christus est homo. Maria Sanctissima est Virgo*: quæ de fide sunt, & supernaturales: patet Sequela; conferre Christo Domino aliquam naturam humanam cum vnitate intrinseca ficta cum alijs hominibus, falsum est, talis enim natura humana illi non cōpetit: ergo & illa, & similes propositiones essent falsæ.

304. Dico secundo. Vnitas vniuersalis est extrinseca naturæ, illi proveniens ab actu abstrehente. Probatur talis vnitas non est realis intrinseca, vt per se patet; non est intrinseca ficta, vt manet probatum; ergo est extrinseca, cum vltra has vnitates alia non inveniatur; & ratio á priori est: quia esse vnum vniuersale, nil aliud est, quam naturam non cognosci vt plures, sed naturam non cognosci vt plures, est extrinsecum illi; ergo vnitas vniuersalis est extrinseca naturæ.

305. Obj. 1. Per nos hæc prædicatio vniuersalis *Christus est homo* est vera, quia licet prædicetur vniuersale de Christo, & hoc constituatur ex secunda intentione, hæc non prædicatur de Christo vt *quod*, sed vt *quo*: ergo similiter licet constituatur vniuersale ex vnitate intrinsecè ficta prædicatio erit vera, quia talis vnitas non prędicabitur vt *quod*, sed tantum vt *quo*.

306. Asigno disparitatem hęc prædicatio *Christus est homo*, est vniuersalis, quia prædicatur de Christo totum obiectum actus factiui vniuersalis saltim quoad intensivum, vel quoad modum prædicandi, quod est animal rationale ex se indifferens, vt de reliquis hominibus prædicertur, non tamen prædicatur vt indifferens, neque vt vniuersale reduplicatiué, vnde non prædicatur vniuersale, sed natura vniuersalis: cum autem hæc dicat extrinsecè, & vt *quo* secundam intentionem, ita prędicatur secunda intentio de Christo, at vero cum iuxta Adversarios natura vniuersalis, quæ est obiectum actus factiui vniuersalis sit non solum extrinsecè, sed intrinsecè ficta, cum sit intrinsecè vna, eo ipso quod prædicetur de Christo, vnitas ficta non vt *quo*, sed vt *quod* prædicabitur, cum totum, quod intrinsecè dicit natura, prædicetur vt *quod*.

307. Obi. Sanctum Thomam, & Aristotelem dicentes: vnitatem vniuersalis esse unitatem rationis: ergo & fictam.

Respondeo, vnitatem vniuersalis esse vnitatem rationis, nō quia fictam, sed quia per intellectum, qui dicitur ratio.

308 Objic. 3. Vnitas vniuersalis esset extrinseca naturæ, vniuersale esset ens per accidens, vnde in prædicamento incollocabile.

309 Resp. Concedo totum cum Patre Hurtad. quia solúm ens physicé completum vt *Petrus* in prædicamento collocatur. Vel nego sequelam cum communi, quia talium logicè non est ens per accidens; constituitur enim ex materiá, & formá logicè, quod sufficit, vt collocetur in prædicamento; sicut collocatur *habere*, & aliæ extrinsecæ denominationes.

310 Objic. 4. Vniuersale Aristotelicum debet esse simile Platonico, sed hoc habet vnitatem intrinsecam, ergo & illud debet habere talem vnitatem; non realem, ergo fictam.

311 Resp. Distinguo antecedens: debet esse simile in omnibus, nego; in aliquibus, transeat; dico *transeat*. Quia nescio, quę lex obliget ad talem similitudinem; nihilominus tamen assimilatur nostrum vniuersale vniuersali Platonico in eo, quod sicut illud erat tale per realem separationem ab inferioribus, hoc tamen est per separationem intentionalem ab eis media abstractione. Item nostrum vniuersale plusquam vestrum assimilatur Platonico. Hoc enim ab ipso reale constituebatur, nos nostrum vniuersale reale constituimus: sicut enim magis assimilatur Patri Æterno generanti per potentiam intrinsecam realem Pater creatus generans per potētiam extrinsecam realem, quam Pater fictus generans per potentiam intrinsecam fictam, ita magis assimilatur vniuersale nostrum constitutum vnitate reali licet extrinsecá, quam vniuersale vestrum vnitate factá licet intrinsecá constitutum.

312 Objic. 5. Tunc fingitur vnitas, cum attingitur vt vnum id, quod reuera vnum non est, sed per abstractionem attingitur natura humana v.g. vt vna, cum reuera vna non sit, ergo talis vnitas est ficta. Probatur minor: per abstractionem non attingitur natura vt plures; aliás iam non fieret per illam vniuersale: ergo concipitur vt vna.

313 Confirmatur primo. Per illam abstractionem non attingitur natura vt est in se: ergo talis abstractio est ficta. Probatur antecedens: natura humana in se est plures, sed abillo actu non attingitur vt plures: ergo.

314 Confirmatur secundo. Per illum actum fit vna natura illa: ergo per illum actum cognoscitur, & fingitur vnitas.

315 Resp. Distinguo maiorem: tunc fingitur vnitas, cúm attingitur vt vnum, signatè, & exparte obiecti, concedo; exercitè, & exparte actus, nego, & similiter distinguo minorem: ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam, quæ ex antecedenti non infertur; sicut hæc: *animal non cognoscitur vt rationale, ergo cognoscitur vt irrationale*. Quia licet á parte rei animal debeat esse vel rationale, vel irrationale; tamen intellectus ab vtroque præscindit, ita licet natura à parte rei debeat esse vel vna, vel plures non sequi-

quitur eo,quod intellectus eam vt plures non attingat,eam vt vnam attingere,quia præscindit ab vtroque. *Dicitur* tamen attingi naturam vt vnam exercite,non signatè; quia abstractio non respicit ex parte obiecti vnitatem;exercite tamen reddit naturam vnam se ipsam illi vt formam exhibendo. Sicut reddit præcissam, cognitam ,&c. quin tales denominationes ab ipsa abstractione attingantur,cum non sit supra se ipsam reflexiua , & hæc etiam est responsio ad secundam confirmationem.

316. Ad primam respondetur: illam abstractionē attingere naturam, vt est in se, licet non adæquatè , sed inadæquatè;natura enim in se & habet prędicata essentialia hominis v. g. & vnitates plurificantes talia prædicata, abstractio autem solum attingit prædicata essentialia, & non vnitates plurificantes ; attingere obiectum secundum inadęquatum,quod dicit, seu inadæquatè , non est attingere obiectum aliter ac est in se , conferens prædicatum repugnans , vel auferens prędicatum conueniens, qualiter ad ens rationis requiritur

317. Obj.6. Hic actus *Omnis Homo* est vnus;item actus clarus,quo Deus omnes homines cognoscit , est vnus: ergo conferunt vnitatem obiecto , ac proinde facient vniuersale, sicut actus hic confusus *Homo*.

318. Resp. Non quemcumque actum , qui sit vnus,conferre obiecto vnitatem vniuersalis, sed actum , qui, cum sit vnus , concipit plura per modum vnius,ea confundendo , & præscindendo ab omni pluralitate obiectiva,& diuisione , aqua non præscindit actus *Diuinus* , quo cognoscit *Deus* omnes homines , & actus ille creatus *Omnis Homo*,cum attingant pluralitatem , & diuisionem hominum ex parte obiecti,qualem non attingit actus confusus *Homo* , cui solum correspondent ex parte obiecti prædicata essentialia hominis sine vlla pluralitate. Sed de hoc postea.

319. Replicas,in hac propositione *homo est animal* ly *homo* est vniuersale:ergo etiam ly,*Omnis Homo* erit vniversale.Probatur consequentia ; ly *homo* vtpotè terminus indefinitus in materia necessaria significat omnem Hominem,& ęquivalet huic termino *Omnis Homo*:ergo vel vterque terminus est vniuersalis,vel neuter.

320. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ad probationem distinguo antecedens,ly *Homo* significat omnem hominem immediatè, nego;mediatè,concedo. Significatum immediatum illius termini *Homo* est tantum prædicata essentialia hominis, præscindendo ab illa pluralitate,significatum tamen mediatum illius est omnes homines , non quia illos repræsentet , sed quia significatum immediatum illius termini descendit ad omnes homines, vt verificetur prædicatum , ille tamen terminus *Omnis Homo* ratione illius additi *omnis*,habet pro significato immediato omnes homines ; vnde licet idem requiratur vt sit vera hæc propositio *homo est animal*,ac hęc *omnis homo est animal*,& quãtum ad hoc sibi ęquivalent in significato immediato , & in modo significandi;ideoque primus terminus est vniuersalis , non vero secundus.

321. Objic.7. Sicut ad veritatem propositionis affirmatiuæ requiritur identitas inter prædicatum , & subiectum,ita ad veritatem negatiuæ requiritur distinctio;sed licet non detur realis distinctio inter animal,& rationale, est verum dicere *animal non est rationale* ratione distinctionis intentionalis:ergo licet non detur identitas realis inter Petrum,& naturam humanam vnam vnitate ficta , erit verum dicere *Petrus est Homo* ratione distinctionis intentionalis & per mentem. Ex

322. Ex argumento sequitur:nullam esse propositionem falsam , cum nulla propositio,inqua vel dicitur prædicatum repugnans subiecto,vel aufertur prędicatum conveniens,possit esse, inqua non ponatur identitas,vel distinctio per mentem.

323. Respondeo dando disparitatem:cum dicitur *animal non est rationale*, sensus est:animal concipitur ab intellectu in ordine ad sensationes , nullo modo concepto rationali, nec perceptis ratiocinationibus,quod sensum verissimum facit;at vero in nullo sensu vero potest accipi ly *Petrus est homo* , si prædicatum sit natura ficta conveniens Petro solum per mentem fingentem,non per mentem præscindentem , qualiter animali competit; non esse rationale.

324. Obj.8. Diuisio logica repręsentat diuisionem obiectiuam:ergo vnitio logica,qualis est abstractio, repræsentat vnitatem obiectiuam , hæc non est realis:ergo ficta.

325. Resp. Nego antecedens, si loquatur de præscisione formali , sic animal pręscinditur á rationali , & præscisio non repręsentat aliquam diuisionem obiectiuam inter animal , & rationale,similiter vnitio logica; qualis est abstractio,quæ est vnio præscisiua, non debet repræsentare vnionem obiectiuam.

SECTIO III.

DE APTITUDINE VNIVERsalis.

326. IDem,quod de vnitate, quæritur de aptitudine vniuersalis ad inferiora. Utrum scilicet sit realis, vel ficta? Circa quod prima sententia tenet,relationem vniuersalis , seu aptitudinem ipsius, si sit vniuersale metaphysicum,esse transcendētalem,& relationem vniuersalis logici esse prædicamentalem;vtramque tamen fictam. Ita communiter Thomistæ , & Scotistæ, quos sequitur Pater Ildephonsus de Peñafiel disp.2.q.13.sect.3.

227. Secunda sententia tenet: Vtramque vniuersale realiter intrinsecè, & transcendentaliter referri ad inferiora,quia iudicat,idem posse realiter ad se ipsum referri. Ita Patres Herice, Hemelmam,& Sancta Cruz,num.505.

328. Tertia sententia tenet;esse relationem realem , extrinsecam tamen, naturæ illi provenientem á cognitione. Ita Hurtadus,d.5.meth.sect.8.§.100.

229. Dico primò. Aptitudo vniuersalis non est relatio ficta. Probatur; talis aptitudo non fingitur ab abstractione, tum quia abstractio non est collatiua prædicati repugnantis, cum enuntiatiua non sit:tum quia abstrahentium nō est mendatium: tum quia non attingit signatè , & ex parte obiecti aptitudinem ; ergo eam non fingit. Item talis aptitudo non fingitur per comparationem simplicem subsequentem ob easdem fere rationes , quia etiam si hęc comparatio attingat inferiora, non est enuntiatiua,neque collatiua prædicati repugnantis,&c. *Denique* nec fingitur per comparationem compositam. Tum quia hæc supponit iam talem aptitudinem,cum supponat vniuersale constitutum;tum etiam,quia iam omnes prædicationes vniuersales essent falsæ,cum essent fictiuæ,entisque rationis operatrices,quod,vt iam vidimus, principijs dissonat : ergo talis aptitudo non est ficta.

330. Dico secundo aptitudo vniversalis non est relatio secundum esse, sed solum præscisiua, & secundum dici,hoc est,cum natura vniuersalis attingitur præscisiuè absque omni obiectiua determinatione, & singularitate attingitur instar indifferentis, seu instar subiecti relatiui ad differentias; tota

tota ego relatio est in modo cognoscendi. Ita communiter Doctores Arriaga, Lince, Oviedo, Eximius *Doctor*, & alij.

331. Probatur conclusio, quoad primam partem. Omnis relatio eo modo, quod est relatio, dicit distinctionem, cum sit ad aliud; Inde enim probamus; personas Diuinas, item causam & effectus realiter distingui, quia referuntur realiter; sed relatio secundum esse est relatio realis, & prędicatum primę intentionis: ergo requirit realem distinctionem. Tunc sic, sed inter vniversale, & eius inferiora non datur realis distinctio, sed potius identitas; ergo non datur relatio secundum esse.

332. Quod solum dicat relationem secundum dici. Probatur primo. Uniuersale definitur per modum superioris, & relatiui ad plura; sed talis relatio neque est ficta, neque secundum esse; ergo erit secundum dici, cum nulla alia restet relatio.

333. Probatur secundo conclusio. Ex penuria, & defectu vocum definiūtur plura vt relatiua, quę sunt merè relatiua secundum dici; sic possibile definitur per relationem ad existentiam, ad quam vtpotè indistinctam non dicit relationem secundum esse: sic Omnipotentia, & si iuxta Patrem Uazques non referatur ad possibilia, explicatur Verbis relativis; idem de potentia obedientiali in ordine ad effectum tenet Ripalda. Item plura definiuntur, vt negativa, quæ negatiua non sunt secundum esse, sed solum secundum dici, vt asseitas Diuina, innascibilitas Patris; brutum per irrationale, corpus per impenetrabile: ergo licet vniuersale definiatur per aptitudinem ad plura relationem sonantem, non dicet relationem secundum esse, sed tantum secundum dici.

334. Objic. 1. Sanctum Thomam 1. p. q. 28. art. 1. apellantem aptitudinem vniuersalis, respectum rationis: ergo fictum.

Resp. Esse respectum rationis, hoc est per intellectum, qui dicitur ratio naturæ, vniuersali communicatum, non vero fictum.

335. Obj 2. Eumdem Angelicum Doctorem sæpe dicentem; voluntatem Diuinam habere habitudinem ad suam bonitatem; sed non distinguitur ab ea; ergo potest dari habitudo, & relatio sine distinctione: ergo & vniuersale referri ad in inferiora.

336. Respondeo, nomine habitudinis intelligi non relationē, sed prosecutionem erga suam bonitatem. Ita plures interpretantur. Vel dic; dari habitudinem secundum dici.

337. Obj. 3. Superius vt tale dicit relationem ad inferius, sine quo neque esse, neque concipi potest; sed vniuersale est superius: ergo dicit relationem ad inferius.

338. Resp. *Distinguo* maiorem: superius physicè tale, concedo maiorem; superius logicè tale, nego: quia superius physicè dicit dominium, & subordinationem actiuam, quę distinctionem, & relationem fundant. Superius tamen logicê est tantum, latius patere, & pluribus convenire per identitatem, vnde superioritas logica fundatur in identitate, quo modo ergo relationem dicet, cum distinctione careat, ac proin de fundamento propriæ relationis? Deinde, eo modo, quo vniuersale est superius, dicit relationem; sed est superius præscisiuè: ergo dicit præscisiuam relationem; relatio autem præscisiua est solum secundum dici.

339. Replicas. Superius nequit concipi sine inferiori; item superius & inferius, vniuersale, & subjicibile opponuntur; ergo & referuntur.

340. Resp. Ex eo quod superius vt tale nequeat concipi sine inferiori non infertur; referri, sic Homo nequit concipi sine animali rationali, & non refertur ad animal rationale. Ad summum enim, si duo supponantur distincta, & aliàs vnum nequit sine alio concipi, tunc referentur inter se, vt Pater & Filius, Servus, & Dominus. Dixi ad summum, quia P. Uazques contrariū acriter tenet; superius item & inferius opponuntur eo modo, quo sunt superius & inferius, vnde cum vniuersale solum præscisiuè, & secundum dici sit superius, solum opponuntur præscisive, & secundum dici.

341. Obj. 4. Cognitio non est superior nec secundum dici respectu inferioris vniuersalis: ergo nec secundum dici illud constituit superius.

342. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Sic cognitio reddit naturam vniuersalem, & ipsa non est vniuersalis, reddit obiectum cognitum, quin ipsa sit cognita: ergo & vniuersale reddet superius, quin ipsa sit superior. Reddere namque naturam superiorem solum est, non cognoscere illam vt identificatam cum aliquo inferiori, quod facit cognitio, & si non sit superior.

343. Obj. 5. Omnis aptitudo, & potentia dicit relationem secundum esse ad terminum, sed vniuersale dicit aptitudinem, & potentiam: ergo & relationem secundum esse.

344. Resp. Distinguo antecedens: omnis aptitudo, & potentia physica, concedo antecedens. Omnis aptitudo & potentia logica, nego antecedens; quia est potentia, & aptitudo secundum dici, & ita secundum dici tantum est relatio.

345. Rogas: quando Verba sonantia relationem significabunt relationem secundum esse, & non solum secundum dici? Difficulter potest assignari aliqua ratio ita vniuersalis, vt comprehendat omnes casus, communiter tamen hæc tenenda est. Quando obiecto significato per voces relatio non repugnat, & aliunde obvię sunt voces, quibus obiectum aliter significari potest, tunc prudenter credi potest ex instituto tales voces esse impositas ad denotandum aliquam relationem ex parte obiecti; at vero si obiecto repugnat relatio, vel alias voces, quibus tale obiectum significetur, non suppetunt. Credendum est illud, quod sonant, non se tenere ex parte obiecti, sed ex parte modi significandi tantum, cui modo significandi nil obiectivum respondet.

SECTIO IV.

QVÆ APTITVDO SIT VNIVERsali primaria?

346. DIximus, vniuersale esse aptum ad essendum in multis, & esse aptum ad prædicandum de multis, quæritur: an vtraque hęc aptitudo sit vniuersali primaria, quæ vè secundaria?

347. Prima sententia tenet. Vtramque aptitudinem esse primariam: ita Scotus, Hurtadus, Sancta Cruz, n. 1595. Secunda sententia tenet; solam aptitudinem ad essendum esse vniuersali primariam, aptitudinem vero ad prædicandum esse illi secundariam. Ita Rubius, Murcia, Conibricenses, Toletus, Lince lib. 9. tract. 1. c. 1. & 2.

348. Dico primò. Aptitudo ad essendum intelligibiliter in multis, & prædicandum de multis sunt secundarij conceptus, & proprietates vniuersalis: vnice constituti per aptitudinem ad essendum obiectiué in pluribus. Probatur: aptitudo ad essendum intelligibiliter in pluribus est capacitas vniuersalis, vt per comparationem cognoscatur,

tur,

tur, aptitudoque ad prædicandum de pluribus,est item capacitas, vt per iudicium enuntiatiuum cognoscatur,sed hæ capacitates, seu cognoscibilitates sunt proprietates vniuersalis: ergo aptitudo ad essendum intelligibiliter in pluribus,& aptitudo ad prędicandum sunt conceptus secundarij, & proprietates vniuersalis.Probatur minor.Cognoscibilitas vt sic est proprietas entis vt sic, & talis cognoscibilitas est proprietas talis entis: ergo cognoscibilitates vniuersalis erunt vtique proprietates vniversalis,quod est ens extrinsecè per denominationem cogniti præscisiuè constitutum.

349. Dico secundo. Aptitudo ad prædicandum non est proprietas aptitudinis essendi intelligibiliter per simplicem comparationem.Probatur.Ideo aptitudo ad prædicandum esset proprietas aptitudinis ad essendum intelligibiliter per simplicem comparationem,quia aptitudo ad essendum intelligibiliter supponitur ad aptitudinem ad prædicandum,sicut actus essendi intelligibiliter ad actum prædicandi, seu prædicationem actualem; sed etiam si supponatur,non est proprietas,ergo aptitudo ad prædicandum non est proprietas aptitudinis essendi intelligibiliter. Probatur minor. Ueritas supponitur ad bonitatem,nam prius cognoscitur ens,quam ametur. Vis apprænhensiva est prior virtute iudicatiua, in igne virtus productiua caloris supponitur ad virtutem productiuam ignis: in materia virtus receptiua dispositionum ad virtutem receptiuam formarum, & tamen nec bonitas est proprietas veritatis,nec vis iudicatiua virtutis apprehensiuæ, nec virtus productiua ignis virtutis calefactiuæ,nec denique virtus receptiua formarum radicatur in virtute receptiua dispositionum: ergo nec aptitudo ad prædicandum erit proprietas aptitudinis ad essendum intelligibiliter in multis.

350. Ratio á priori est: quia non quęcumque præcedentia est præcedentia radicis,& radicati; potest namque esse dispositionis,& termini, quæ quidem prioritas nullo modo infert conceptum proprietatis in re posteriori, vt patet in exemplis positis,& ita se habet aptitudo ad essendum intelligibiliter per simplicem comparationem ad aptitudinem ad prędicandum per iudicium enuntiativum, iuxta illud *Nihil iudicatum quin prius apprehensum*: apprehensio enim est dispositio necessaria ad iuditium.

351. Obj. 1. Vtraque aptitudo tam ad essendum, quam ad prædicandum constituitur eadem forma, nempe eadem abstractione: ergo vna nequit esse prior,& radix alterius.

352. Resp.Distinguo antecedens: eadem forma physica,concedo; eadem forma metaphysica, nego:essentia, & attributum non debent constitui distinctis formis physicis; aliàs iam physicè distinguerentur:sic rationale,& irrationale;ens & veritas eadem forma physica constituuntur, cum sint physicè idem;metaphysicè tamen constituuntur distinctis formis, quod sufficit, vt metaphysicè vna dicatur essentia, & alia formalitas attributum dicatur, sicut enim ab ente,quod realiter idem est cum veritate, intellectus abstrahit non repugnantiam ad existendum vt essentiam, & capacitatem terminativam cognitionis vt proprietatem,ita ab vniversali abstrahit aptitudinem ad essendum vt essentiam, & aptitudinem ad prædicandum vt attributum.

353. Obj.2.Aristotelem sæpe definientem vniuersale per aptitudinem ad prędicandum: ergo hęc est de conceptu primario vniuersalis.

354. Resp.Locutum fuisse de vniversali logico,de cuius essentia est talis aptitudo,sicut de essentia veritatis aptitudo terminatiua cognitionis, non vero locutum fuisse de vniuersali absolutè.

355. Obj. 3. Contra secundam conclusionem. Ideo intellectivum,& non volitivũ eius attributũ,est de essentia hominis,quia intellectiuum supponitur ad volitivum, sed aptitudo ad essendum intelligibiliter supponitur ad aptitudinem ad prædicandum: ergo hæc erit illius proprietas.

356. Resp. Distinguo maiorem: quia supponitur vt radix, concedo; quia supponitur vt dispositio,nego. Iam diximus,non quamcumque suppositionem,& prioritatem arguere conceptum proprietatis, cum posit conceptum dispositionis arguere. Ideo tamen præcedentia intellectiui ad volitivum arguit in conceptu volitiui esse proprietatem. Primo quia intellectivum non radicatur in alio. Secundo quia intellectivum non supponit essentiam metaphysicam hominis constitutam, intellectiuo namque ablato non maneret homo. Tertio quia est differentia, per quam Homo ab omni alio, quod non est homo differt. Quartò quia est perfectius prędicatum, vnde volitivum potest in eo radicari; at aptitudo ad essendum intelligibiliter radicatur in aptitudine ad essendum obiectiué, supponit constitutam essentiam vniuersalis. Nam hæc sufficienter intelligitur constituta per aptitudinem ad essendum obiectiuè in pluribus, neque est differentia, per quam vniuersale differt essentialiter ab omni eo, quod non est illud, neque est perfectior aptitudine ad prędicandum:ergo hæc non est proprietas illius.

357. Replicas.Perfectius est esse quam prædicari:ergo perfectior est aptitudo ad essendum quam ad prædicandum: ergo poterit hæc in illa radicari.

358. Resp. Distinguo antecedens: perfectius est esse quam prædicari, esse realiter,& obiectiue.concedo,esse intelligibiliter comparatiuè,nego. Hic datur triplex actus triplici aptitudini correspondens, actus essendi per realem identitatem naturæ cum inferioribus,hic est actus correspondens aptitudini essentiali præscisiuæ, & constitutivæ vniuersalis, & est perfectior duobus aliis actibus,vnde, & aptitudo item duabus alijs aptitudinibus est perfectior. Datur etiam actus essendi intellegibilis per comparationem, hic actus respondet aptitudini ad essendum intelligibiliter,& non solum est minus perfectus actu essendi per realem identitatem, sed etiam actu prædicandi:perfectius namque est prædicari per iuditium, quam comparari per apprehensionem. Tertio datur actus prædicandi de pluribus, qui aptitudini ad prædicandum respondet, & est minus perfectus actu essendi per realem identitatem,& magis perfectus actu essendi per comparationem. Vnde aptitudo eodem modo se habebit.

SECTIO V.

VTRVM PER ALIAS POTENtias ab intellectu distinctas fiat vniuersale?

359. PRima sententia tenet, per alias potentias ab intellectu distinctas fieri vniuersale;de voluntate affirmat Bonespei, Lince, & Hurtadus:de sensibus affirmant ipsi Hurtadus, & Bonespei. Per voces fieri vniuersale,Lince.

360. Secunda sententia de omnibus præter intellectum negat. Ita Oviedo,Arriaga,Compton, & Recentes communiter. Nota, hoc dissidium

esse purè denominè; Qui affirmant, solum dicunt, voluntatem posse amare bonum in communi, seu vniuersale propositum ab intellectu, illudque amatum reddere. Item per visionem posse attingi color á longe, per auditum sonus, per olfactum sine vlla differentia coloris, sonus, & odoris; Denique per voces, *homo animal*, &c. Significari prædicata essentialia hominis, animalis &c. sine vlla differentia, non tamen affirmant; per voluntatem, per sensus, aut per voces reddi naturam prędicabilem, cum hoc proprium sit solius intellectus.

Negantes non renuunt, omnia hæc admittere, præcipuè si concedatur; potentias materiales esse præscisivas. Dicunt tamen: per tales actus non reddi naturam aptam prædicari de pluribus, nam per actus materialiter se habentes ad prædicationem, qualiter se habent voces, actus voluntatis, & sensus, nequit obiectum constitui prędicabile: ergo nec vniuersale. Tamen hic secundus modus dicendi, quia communior, in re, denomine magis placet.

361. Obj. 1. Obiectum fit proximè amabile per intellectum licet per voluntatem ametur: ergo erit proximè prędicabile per voluntatem, licet per intellectum prædicetur.

362. Assigno disparitatem ad voluntatem non se habet per accidens cognitio, sed necessario requiritur vt dispositio, quia *nihil volitum quin præcognitum*; at vero ad prædicationem omnino materialiter se habet voluntas vnde hęc non reddet proximè prædicabilem naturam, licet intellectus reddat proximè amabile obiectum.

363. Obj. 2. Sensus non se habent materialiter ad prædicationem dependentem á phantasmatibus, qualis est, quę fit ab homine in statu coniunctionis, ergo efficient vniuersale.

364. Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, Aliud est non se habere materialiter ad prędicationem dependentem á phantasmatibus, & aliud non se habere materialiter ad prædicationem vniuersalis, primum arguit dependentiam intellectus in statu coniunctionis à sensibus materialibus percipientibus obiecta, mittentibusque speciem ad intellectum, quam dependentiam admittere tenemur, sed ex ea non sequitur; sensus non se habere materialiter ad prędicationem vniuersalis. Nam licet admittamus sensus posse præscindere á differentijs (& est ratio á priori nostræ conclusionis) licet visus v.g. posse attingere colorem, quin viridem, cæruleum &c. attingat, attamen nequeunt, præscindere ab hæseitatibus incompletis, seu vnitatibus formalibus; semper enim obiectum vt existens percipiunt, sed obiectum cognitum vt existens percipitur vt hoc, seu cum hęc seitate incompleta: ergo ab hac nequeunt pręscindere sensus: ergo nec constituere naturam prædicabilem de pluribus: hęc consequentia postea larè patebit; aliás ergo visio coloris præscisiá differentijs, non vero ab vnitatibus formalibus, non ita requiritur, vt intellectus nequeat sine illa vniuersale efficere, & prædicare, nam frequenter sine illa, tota vniuersalis fabrica, & prędicatio evenit: ergo materialiter se habet ad prædicationem.

365. Replicas. Potest visio coloratum percipere, & non discernere, an nigrum, vel album sit, ac proinde præscindere à differentijs completis; ergo etiam ab incompletis, cum eadem pro vtroque detur ratio.

366. Admisso antecedenti nego consequentiam, quia licet ob distantiam possit ita confundi species, vt non discernat oculus, an color ceruleus, vel albus sit, attamen nequit oculus non discernere existentiam obiecti, quia omnis species propria in repręsentatione existentię non confunditur. Unde licet nesciam discernere, an obiectum sit homo, vel equus, dicam tamen quodcumque illud fuerit, existentiam habuisse; sed quod videtur existens non præscinditur ab hæcseitate incompleta: ergo.

367. Instas. Videat quis á longe plures homines, adeo confusè, vt nesciat discernere, an sint plures, vel vnus homo, hæc visio pręscindet á singularitatibus: ergo efficiet vniuersale.

368. Resp. In hoc casu non præscindi á singularitatibus, sed omnes illos homines videri, ita tamen confusè, vt non possint distingui. Nam obiectum videtur secundum species, quas emittit sed emittit species repræsentatiuas plurium: ergo videntur plures, verum quia species est remissa, confusè videntur, hæc tamen perceptio confusa non sufficit ad vniuersale, cum tales homines ita confusè cogniti nequeant de quolibet homine prædicari.

369. Rogas: Vtrum Deus, Christus Dominus, & Angeli efficiant vniuersale? Ad primum dico. Deum non posse facere vniuersale, quia ad hoc requiritur cognitio præscisiva, & confusa, ex vtroque capite indigna Deo. Ad secundum dico. Christum Dominum per scientiam naturalem adquisitam, & infusam posse efformare vniuersale, quia talis scientia Christi est eiusdem speciei cum nostra, vt tenet Sanctus Thomas 3. p. q. 9. art. 4. Sed nostra potest facere vniuersale: ergo & Christi; quia vel talis cognitio solum dicit imperfectionem præscisivam, hoc est minus perfectionis, quod in Christo admittitur, vel licet dicat imperfectionem positivam, sicut hæc admittitur in Christo in ratione corporei, & corruptibilis, quales nos sumus, ita in ratione præscisivè cognoscitivi, quales item nos sumus. Idem affirmado Angelis: neque enim nobilior est scientia naturalis Angelorum quam scientia supernaturalis & beata, quæ præscisiva est. Vide Eximium Doctorem lib. 1. de Angelis c. 8. & pro omnibus his nostrum Lince, lib. 8. tract. 6. á num. 28.

SECTIO VI.

AN NATVRA ABSTRACTA ab vnico individuo sit vniversalis?

370. Quæstio videtur supponere posse naturam ita abstrahi ab vnico indiuiduo, vt ab alijs similibus non abstrahatur, de quo supposito postea.

371. Prima sententia affirmat, talem naturam esse vniuersalem. Ita Hurtadus, Spinula d. 5. sect. 6. Eximius Doctor d. 6. metaphysicæ sect. 6. n. 11. Peynadus tract. 2. de vniuersalibus d. 5. sect. 2. n. 25.

372. Secunda sententia negat. Ita communiter Arriaga, Lince, Telles, Oviedo, controversia 4. punct. 7. & alij.

373. Dico primo. Natura abstracta ab vnico tantum indiuiduo non est vniuersalis. Probatur primo vniuersale debet esse vnum, & plura, sed natura abstracta ab vnico tantum indiuiduo non est plura licet sit vna: ergo nō est vniuersalis. Probatur secundo, talis natura non identificatur cum pluribus nec multiplicatur in inferioribus, tum quia non sunt inferiora, vt supponitur tum quia solum potest identificari cum illo à quo abstracta fuit, tum denique, quia illa natura esset vna intrinsecè: ergo non posset identificari cum pluribus; alias incideremus in sententias Platonis, & Scoti supra impugnatas: ergo.

374. Objic. 1. Natura abstracta ab vnico tantum individuo non est sin-

singularis,quia abstrahitur á singularitate:ergo est vniuersalis.

375. Respondeo;nec esse vniuersalem, quia non est plura , neque esse singularem,quia abstrahitur à singularitate,sed media inter vtramque,& dicitur natura præscissa.

376. Objc. Talis natura haberet aliquam multiplicitatem saltim præscissivam,cum non cognoscatur vt plura:ergo erit vniuersalis.

377. Respondeo,talem præscissivam multiplicitatem non sufficere,sed requiri positiuam multiplicitatem per identitatem cum pluribus , quam non habet talis natura.

378. Obj.3. Saltim virtualiter,& æquivalenter à pluribus abstrahitur illa natura:ergo erit multiplex positivè.

379. Non dubito de antecedenti, nec de consequentia.Sed antecedens est contra suppositum.Supponimus namque;naturam illam ita abstrahi ab vnico indiuiduo,vt nullo modo abstrahatur ab alijs, quo supposito , statuitur præcedens conclusio,

380. Dico secundo. Natura abstracta ab vnico indiuiduo est vniuersalis, casus ita disponitur.Video Petrum,cuius species per intellectum agentem depurata á differentijs indiuidualibus Petri transmittitur ad intellectum possibilem,qui ea adiutus abstrahit , & apprehendit naturam humanam secundum se sine vlla hecseitate completa,& incompleta;hanc abstractionem dico, efficere vniuersale formaliter : ita exprese Spinula supra citatus,& P.Olea d.84.n.5.

381. Probatur primò conclusio. Natura abstracta ab vnico indiuiduo, nempe Petro,& ab hecseitate completa & incompleta,eodem modo habet prædicata essensialia naturę,ac si esset abstracta á mille,quorum comparatio ad abstractionem præcederet, habet enim prædicata *animalis rationalis*, & nil amplius,minus ve , sed si esset abstracta á mille,quorum comparatio formaliter præcederet, esset vniuersalis: ergo etiā abstracta ab vno,non pręcedente formaliter tali comparatione, erit vniuersalis.Probatur consequentia;Ideo præcedente formaliter tali comparatione esset vniuersalis natura,quia esset indifferens , & apta præscissiuè ad plura, ideoque ad plura cōtrahibilis,sed etiam si non pręcedat formaliter talis comparatio , natura abstracta ab vno indiuiduo est indifferens , & apta ad plura pręcisiuè , Ideoque etiam ad plura contrahibilis:ergo etiam si non pręcedat formaliter comparatio , erit etiam vniuersalis natura abstracta ab vno indiuiduo.Probatur minor. Ideo natura illa esset indifferens aptaque ad plura pręcisiuè , quia nullam involuit singularitatem aut differentiam,quæ illam determinet ad vnum , & reddat ineptam ad cætera;sed tantum dicit prædicata essentialia,nempe animal rationale;atqui etiam natura abstracta ab vnico indiuiduo nullam involuit singularitatem,aut differentiam,quæ illam determinet ad vnum , & reddat ineptam ad cætera , sed dicit tantum prædicata essentialia animalis rationalis:ergo.

382. Confirmatur. Cum abstraho á mille hominibus naturam humanam per abstractionem nullo modo cognosco mille homines , sed tantum prędicata essentialia naturæ , nempe animal rationale ; sed eadem prędicata essentialia,& nil amplius cognosco,nec minus,cum abstraho á Petro naturam: ergo per vtramque abstractionem eodem modo fiet vniuersale. Roboratur: vniuersale abstractum,præcedente formaliter plurium comparatione, est concretum resultans ex abstractione , & animali rationali;sed idem concretum abstractionis,& animalis rationalis datur,etiamsi non præcedat formaliter talis

lis

lis comparatio : ergo & idem vniuersale.

383. Probatur secundo conclusio ratione á priori. Eo ipso quod ab vno individuo abstrahatur natura ab omnibus similibus debet abstrahi : ergo erit á pluribus abstracta,pluribus communis,ac proinde vniuersalis: probatur assumptum evertendo Adversariorum fundamentum. Ideo talis natura non esset præscissa á pluribus,quia non pręcessit ad eius abstractionem comparatio antecedens,per quam plura convenientia in aliqua ratione cognoscerentur;sed sufficiens comparatio plurium præcedit,vel talis comparatio non est simpliciter necessaria ad præscisionem á pluribus;ergo talis natura á pluribus præscinditur;minor continet duas partes.

384. Probatur quoad primam, cum P.Hurtado §. 116. ad talem pręscisionem naturæ humanæ á Petro præcessit cognitio dicens; Petrum esse hominem,quia est animal rationale,in qua causali implicitè cognoscitur, esse hominem , quidquid fuerit animal rationale , ac proinde comparat saltim implicitè omnia indiuidua humana cognoscendo ea esse hominem , quia conveninnt in essentia animalis rationalis;hęc ergo præcedens comparatio sufficiens est,vt fiat ab omnibus abstractio;probatur.Cognitis quatuor hominibus , ratio hominis ab eis abstracta censetur ab omnibus hominibus abstrahi , quia implicitè cognoscuntur , eo quod in eadem ratione hominis conveniant:ergo cognito tantum vno,cum omnes cum eo etiam conveniant , censebitur vtique ab omnibus ratio hominis abstrahi.

385. Confirmatur:propositio identica in materia necessaria v.g. *Homo est animal* habet sensum ęquivalenter vniversalem Ita , *Omnis homo est animal*, quia eo ipso quod aliquid sit de essentia alterius in omni talem essentiam participante debet reperiri:ergo similiter propositio causalis v.g. *Petrus est homo, quia est animal rationale* habebit sensum æquivalenter vniversalem ita, *Petrus est homo quia est animal rationale, & omne quod fuerit homo,etiam erit animal rationale.* Nam eo ipso quod aliquod prædicatum sit ratio, qua alicui subiecto convenit esse tale , cui convenerit esse tale debet etiam tale prædicatum convenire , sed ad abstractionem naturæ humanæ á Petro præcessit propositio causalis , nempe *Petrus est homo, quia est animal rationale*:ergo præcessit aliqua cognitio saltim implicitè omnes homines attingens,sufficiensque,vt fiat abstractio ab omnibus.

386. Probatur minor , quoad secundam partem:licet talis comparatio antecedens,aut cognitio termini á quo præscisionis regulariter requiratur ad eam,non tamen est simpliciter necessaria neque ratione præscisionis vt sic, neque ratione præscisionis vniuersalis;non ratione præscisionis secundum se, quia qui lumine naturæ cognoscit; Deum esse vnum , & nullo modo cognoscit;esse Trinum , pręscindit vnitatem á Trinitate,quam nullatenus præcognovit ; item qui respicit vultum á longe se moventem cognoscit animal, nullo modo cognito termino à quo præscisionis ; ergo huius præcognitio non requiritur ex conceptu pręscisionis;non ex conceptu talis pręscisionis, nempe vniuersalis;quia ad hanc solum requiritur,quod supponantur plura,de quibus possit prædicari non tamen quod ea plura supponantur pręviê cognita:ergo etiamsi non præcedat talis comparatio antecedens ad abstractionem,non sequitur;talem naturam non abstrahi á pluribus.

387. Dubitas , quomodo componatur hęc secunda cum prima conclusione?Videtur enim illi opponi. Dico

vtramque optimè componi, si calleas suppositum primæ. Supponit enim naturam ita abstrahi ab vnico indiuiduo, vt ab alijs nullatenus abstrahatur, vnde non manet prædicabilis de pluribus, nec apta adhuc præscissiuè ad essendum in pluribus, & consequenter nec vniuersalis, at vero secunda conclusio hoc suppositum destruit, asserens, quod etiamsi abstrahatur ab vnico indiuiduo, hoc est præcedente tantum formali, & explicita cognitione vnius indiuidui Petri v.g. nequit non abstrahi ab omnibus convenientibus simpliciter in ea ratione, ac proinde vi talis abstractionis manet natura prædicabilis de pluribus, apta præscissiuè ad essendum in pluribus, & consequenter vniuersalis formaliter.

383. Dices: ergo abstraheretur illa natura ab vnico indiuiduo, & non abstraheretur ab vnico, patet consequentia. Abstraheretur ab vnico, vt ipse titulus quæstionis declarat, non abstraheretur ab vnico, quia abstraheretur ab omnibus: ergo.

389. Resp. Distinguo: abstraheretur ab vnico, & non abstraheretur ab vnico: eodem modo, nego; diverso modo, concedo: abstraheretur ab vnico, quia vnicum tantum præcesit formaliter, & expressè cognitum, non abstraheretur ab vnico, quia eo ipso quod plura indiuidua conveniant in illa ratione abstracta, ab eis etiam talis ratio censetur abstrahi, siue illa dicantur æquivalenter, & implicite pręcognita, siue non.

390. Obj. 1. Non datur ratio pręcissa vniuersalis sine convenientia plurium; sed cum abstrahitur natura ab vno indiuiduo, non datur convenientia plurium: ergo nec ratio præscissa vniversalis.

391. Confirmatur: natura Michaelis abstracta ab eo non est vniuersalis, vt suo loco contra Thomistas dicemus; quia est abstracta ab vnico indiuiduo, & quia non datur convenientia plurium: ergo.

392. Resp. Distinguo maiorem: sine convenientia obiectiua, concedo; sine convenientia præcognita, subdistinguo, præcognita formaliter, & explicitè nego; æquivalenter, & implicitè, transeat. Solutio constat ex proximè dictis; convenientia plurium obiectiua est fundamentum necessarium ad vniversale, si enim non dantur plura, quomodo vniuersale erit prædicabile de pluribus? Et ideo natura Michaelis ab eo abstracta non est vniuersalis, quia supponitur, esse impossibilia alia indiuidua cum eo in tali natura convenientia, si enim hæc essent possibilia, vniversalis vtique esset natura Michaelis, vnde nego causalem confirmationis quoad primam partem. Cognitio tamen illius convenientię clara, & formalis regulariter requiritur, non vero necessario, de æquivalente & implicita vel affirma, vel nega iuxta dicta.

393. Obj. 2. De illo solum potest prædicari natura, etiam si præscindit à differentijs, cumquo realiter identificatur; sed natura, quæ est in Petro, licet abstrahatur á Petro, realiter solum identificatur cum Petro: ergo solum de Petro poterit prædicari: ergo non est prædicabilis de pluribus.

394. Resp. Concedo maiorem, & nego minorem notans eius implicantiam. Supponit namque; naturam esse abstractam á Petro, & simul esse in Petro, Dupliciter potest abstrahi natura á Petro, primò ita vt licet abstrahatur á Petreitate, non tamen ab vnitate formali, & ita talis natura non est vniuersalis, & solum identificatur cum Petro, quia á nullo alio præter Petrum potest abstrahi talis vnitas seu hecseitas particularis; secundo ita vt abstrahatur tam á Petreitate quam ab vnitate formali, & hecseitate incompleta; tunc talis natura est vniuersalis identificabilis cum omnibus, & ab omnibus abstracta, nam animal rationale præscissum nec est huius hominis potius quam illius, sed indifferenter se habet ad omnes, nam quod nullius est determinatè, ad omnes indifferenter se habet.

395. Obj. 3. Cum video á longe hominem, & abstraho rationem animalis, eam non abstraho á reliquis hominibus: ergo. Probo antecedens, Illam solum rationem abstraho, quam cognosco, illamque solum cognosco, quæ mittit speciem sui; sed solum animal Petri mittit speciem sui: ergo illud cognosco.

396. Resp. Quod si abstractio hęc fiat etiam ab hecceitate incompleta nõ solum à Petro, verum ab omnibus fiet. Unde nego antecedens: ad probationem, distinguo maiorem quoad primam partem, illam solum rationem abstraho, quam cognosco, id est, quam præsuppono cognitam vel formaliter, vel æquivalenter, vel explicetè, vel implicitè, concedo; quam presuppono cognitam formaliter, & explicitè necessario, nego; etiam distinguo eius secundam partem; illam solum cognosco, quæ mittit speciem sui, qua mittit vel misit, concedo; quæ mittit hic & nunc necessario, nego; Explico solutionem: antequam abstraham rationem animalis ab homine á longe se movente, cognosco implicité, & æquivalenter omnes homines convenire in ratione animalis, cum cognoscam, quod quidquid movetur est animal, habeoque item speciem vniuersalem in intellectu circa hoc, quod motus sit signum animalis, vnde nunc ratione huius speciei particularis, & illius cognitionis æquivalenter vniuersalis abstrahit intellectus animal non solum á Petro, verum ab omnibus, quibus potest convenire, esse vivens sensibile.

397. Replicas: Ergo siquis iudicans, esse impossibilia alia animalia præter Petrum, qui cum eo convenirent in ratione animalis, talem rationem abstraheret, tunc non efficeret vniuersale.

398. Resp. Quod licet signaté iudicaret hoc talis Homo, exercitè cognosceret convenientiam, cum cognosceret; Petrum esse animal, quia est vivens sensibile, & hęc causalis habeat sensum vniuersalem, sicut licet aliquis dicat; Ioanem non esse cognoscibilem, eo ipso implicitè, & exercitè illum cognoscit.

399. Obj. 4. Ideo per nos, cum abstraho rationem animalis â Petro ab omnibus hominibus, & brutis illam abstraho, quia vi talis abstractionis nullo modo cognoscuntur Homo, & brutum neque hecseitates incompletæ huius, vel illius animalis; sed etiam vi talis abstractionis non cognoscitur lapis, aut lignum, neque hecseitates ipsorum incompletæ: ergo etiam â lapide, & ligno abstraho rationem animalis.

400. Resp. Nego maiorem: non eo præcisè, sed quia aliás prędicata abstracta. *Viuentis, sensibilis* ęquè essentialiter conveniunt Petro, ac reliquis hominibus, & brutis; at vero hęc non conveniunt, sed potius repugnat lapidi, & ligno, vnde ab eis non pręscinditur.

401. Objic. 5. Ergo similiter animal præscissum á Petro, & non ab alijs erit vniuersale, cum similiter æquæ omnibus conveniat; quod est contra primam nostram conclusionem.

402. Resp. Nego consequentiam, & suppositum consequentis, quod in hypotesi primæ conclusionis sint talia indiuidua, quibus possit convenire esse viuens sensibile. Eo ipso quod aliqua supponatur hipotesis, debent vtique supponi omnia ea, quæ in tali hipotesi involvuntur, sic si supponatur; Petrum nõ esse hominem, supponi etiam debet,

non

non esse animal rationale;eo ipso quod supponatur,rationem viuentis sensibilis abstrahi solum á Petro,debet supponi nullum præter Petrum esse viuens sensibile, ac proinde evidenter infertur;talem rationem non esse vniuersalem,cum non sit communis pluribus, nam si hoc non supponatur, nequiret abstrahi á Petro ratio viuentis sensibilis,quin abstraheretur ab omnibus cóvenientibus cum Petro in tali ratione.

403. Obijc. 6. A nobis circulum committi, quando dicimus, animal á Petro præscissum ab omnibus etiam præscindi, quia aptum est ad omnes præscisivè; cum aliás dicamus aptum esse ad omnes præscisive, quia præscinditur ab omnibus.

404. Resp. Nos dicere;animal esse prescissum ab omnibus, quia est aptum,vt de omnibus prędicetur, & ad omnes est aptum pręscisive,non tamen dicimus,aptum esse ad omnes,quia ab omnibus pręscinditur,licet hoc certum sit,sed quia viuens sensibile v.g. nullam dicit repugnantiam seu, ineptitudinem, cum nullum dicat prædicatum alicui inferiori repugnans, inquo certé nullus circulus committitur.

405. Rogas: An inferiora,á quibus pręscinditur vniuersale,debeant esse realiter distincta? Aliqui ex antiquis affirmabant. Sed vera sententia negat,talem distinctionem vniuersaliter requiri,ita plures apud Lince lib 8. tract. 1.c.3.Cum distinctione loquar.

406. In prædicatis primę intentionis, hoc est, quę conueniunt rebus indepedenter ab intellectu, requiritur distinctio realis inter inferiora, & multiplicitas realis ipsorum prædicatorum vniuersalis. Probatur; Ideo á tribus Diuinis Personis non abstrahitur ratio Dei,quæ vniuersalis sit, quia inferiora non distinguntur realiter in ratione Dei,neque hæc ratio multiplicatur in eis, Ideo enim á tribus attributis entis bonitate,veritate,&vnitate non abstrahitur ratio entis vniuersalis, quia non distinguuntur realiter, licet formaliter distinguantur;ergo in prędicatis primæ intentionis,qualia sunt, *Deus*, & ens,ad vniuersale requiritur distinctio realis inferiorum,& multiplicitas realis in ratione abstracta.

407. In prædicatis secundę intentionis, hoc est, quæ conueniunt rebus dependenter ab intellectu, sufficit distinctio formalis ad præcisionem vniversalis; sic ab omnibus attributis Divinis abstrahitur ratio *attributi*, ab animali rationali ratio *formalitatis*; á genere,specie,& differentia ratio *vniuersalis*, quia ratio *attributi, formalitatis, & vniversalis*,sunt prędicata secundæ intentionis, quæ competunt rebus dependenter ab intellectu, nec deficit sufficiens conuenientia ad præcisionem simpliciter, quia licet non detur realis distinctio inter ea inferiora,tamen nulla datur disconuenientia in ratione præscindibili, & hoc sufficit ad præscisionem.

SECTIO VII.

AN OBIECTVM ACTVS ABStrahentis sit vna, vel plures naturas?

408. PRima sententia tenet;obiectum actus abstrahentis esse plures naturas. Ita quot negant præscisiones obiectiuas,Nominales, Okamus,Gabriel, Gregorius, & suppositis obiectiuis,idem tenent Arriaga, Hurtado, Telles, Alphonsus, & Oviedus, controv.3.punct.5.

409. Secunda sententia tenet,esse vnam naturam extrinsecè.Ita Eximius Doctor, Ildephonsus de Peñafiel, Isquierdo, Compton. d. 29. sect. 4. Sancta Cruz numer. 525. & alij.

410. Tertia sententia tenet;obiectum vniuersalis esse simul vnum, & plura. Ita aliqui ingeniosi Recentes secuti P.Lince,tract.1.c.5.

411. Quarta sententia tenet, nec esse vnum,nec plura positiuè,sed vnum præscisive. Ita etiam alij ingeniosissimi Magistri cum Sancto Thoma postea asserendo secuti Spinulam d.5.sect. 4. art. 4. Eam Sapientissimè illustrat ingenio,& acumine superiori,quo pollet meus Mag. P. Nicol. de Olea,d. 83. num. 5.

412. Sed vt maiori cum claritate procedam, nota, dissidium inter has quatuor sententias multum habere de nomine, aliquid tamen de re. Primo omnes conueniunt in eo,quod vniuersale sit vnum,& plura,vnum extrinsecè,& plura intrinsecè. Secundo conueniunt in eo, quod actus abstrahens nullo modo cognoscit vnum,aut plura, cum non cognoscat vnitatem, aut pluralitatem,vnde prima sententia non asserit,actum abstrahentem cognoscere plures naturas, solum enim tenet, cognoscere prædicata essentialia animalis,v.g. *Viuens*,scilicet *sensibile*, quæ quidem licet non cognoscantur,vt plura,re tamen plura sunt, idem quoad primam partem affirmat quarta sententia. Secunda sententia tenet; obiectum actus abstrahentis esse vnam naturam extrinsecè, non quia cognoscat illam vt vnam,aliás cum forma talis denominationis sit ipsa abstractio, hæc esset supra se ipsam reflectens, quod negant eius Patroni, sed quia talis actus eam constituit vnam, quod nulla ex tribus sententijs negat. Tertia sententia affirmat;obiectum actus abstrahentis esse simul vnum, & plura, non quia cognoscat vnum, aut plura, nam ab vtroque obiectiuè pręscindit, sed quia ipsum obiectum in se est plura, & constituitur vnum per abstractionem. Quoad secundam partem nulla sententia dubitat, & quoad primam affirmat etiam prima sententia. Quarta sententia asserit; neque esse vnum nec plura,quia nec cognoscitur vt vnum, nec vt plura, hoc vtique affirmant omnes.

415. Nihilominus de re dissidium est pręcipuè inter primam, & quartam sententiam. Nam prima sententia docet, quod licet non cognoscantur explicitè plures naturæ, tamen implicitè sunt plures, vel ratione hęcseitatum incompletarum,á quibus naturę non præscinduntur, vel saltem ratione exigentiæ radicalis,quam quælibet natura abstracta conseruat erga propriam differentiam,aut vnitatis formalis, ratione cuius natura abstracta á Petro solum prędicatur de Petro, & non de Paulo, & natura abstracta á Paulo solum prædicatur de Paulo,& non de Petro. Quarta vero sententia affirmat,naturam præscindi etiam ab hęcseitatibus incompletis, & exigentijs radicalibus;vnde natura abstracta non est vna positiuè,quia non cognoscitur vt talis,nec est plures, non solum quia non cognoscitur vt plures, sed etiam quia re ipsa nec implicitè est plures.Inquo certé conueniunt secunda,& quarta sententia, qua propter pro ea citari possunt præcipuè Comptonus, & Suarez Lusitanus,disp.10.tract. 3. sect.4.§ 2.n.58.

416. Ex his tamen duabus sententijs, quæ in re conueniunt, quarta eligenda est, vtpotè proprioribus vocibus vtens,quomodo enim potest vnitas dici obiectum actus abstrahentis, cum talis vnitas ab eo non cognoscatur,sed constituatur tantum?Non ergo est vnum obiectum vt obiectum, cum constituatur in esse vnius per ipsum actum, qui reflexivus non est.

417. Nota secundò. Quæstionem procedere suppositis pręscisionibus ob-

obiectiuis,nam si solum daretur præscisio formalis extra dubium esset, obiectum actus abstrahentis esse plures naturas,nam cum actus solum formaliter præscindens non separet naturam obiectiuè á differentijs eam plurificantibus,eam vt plures implicitè attingit.

418. Nota tertio. Vt detur locus quæstioni,etiam supponendum est;ens posse obiectiue præscindi á sua vnitate attributali,si enim hoc non supponitur, certum est obiectum actus abstrahentis esse positive vnam,vel plures naturas,nam cum quælibet ratio abstracta sit ens formaliter , erit consequenter vna formaliter,ac proinde animal præscissum ab homine, & animal pręcissum ab equo suas vnitates formales conservabunt,ratione, quarum formaliter distinguntur,& plurificantur:ergo erunt formaliter plures.

419. Noto quarto.Hic non loqui de qualibet præscissione:Certum namque est;me posse præscindere animal Petri á differentia ipsius , hoc *animal* scilicet ab hoc rationali, & tunc manere vnum positiuè ratione vnitatis formalis,á qua non præcinditur; sed loqui de pręcisione vniuersalis obiectivi v.g.animalis,queritur ergo : an animal ab omnibus animalibus præscissum sit vna,vel multiplex natura?

420. Nota quintò.Non loquimur de obiecto mediato , & materiali; certum namque est naturam vniuersalem, animal nempe materialiter esse plura per identitatem realem cum pluribus, sicut & rationale,aut irrationale , per identitatem realem cum rationali , vel irrationale;loquimur tamen de obiecto immediato,& formali , & queritur: an sicut animal,quod objicitur menti,neque est formaliter obiective rationale, aut irrationale,sed pręscindens ab vtroque ita natura,quę objicitur actui abstrahenti non sit formaliter vna , aut multiplex positive , sed ab vtroque præscinda ?

421. Conclusio. Obiectum actus abstrahentis non est formaliter obiectiue vnum,vel plura positivè, sed solum præscisivè,Hoc est prædicata essentialia nude sumpta. Probatur ex mente Angelici Pręceptoris opusc. 55. & 56. nostram sententiam expræssissimè docentis opusc.55.ait. *Animal in quantum animal est animal est animal solum, & significat essentiam simplicem , quæ ex se non est vna , nec multa , vnde significat essentiam,quæ nec est vniuersalis nec particularis.* Et postea , *& ideo si quæratur vtrum ista natura possit dici vna,vel plures? Neutrum concedendum est, quia vtrumque est extra intellectum,* hoc est extra pręscissionem,quid clarius? dubitari ergo nequit de mente Angelici Doctoris.

422 Probatur secundo ratione, quod scilicet non sit vnum positiue, id est obiectum abstractionis , quod cognoscitur ab abstractione ; sed ab abstractione non cognoscitur vnum positiue: ergo obiectum abstractionis non est vnum positivè. Maior est certa, probatur minor, ab abstractione non cognoscitur vnitas ergo non cognoscitur vnum ; nequit namque cognosci concretum sine forma concreti. Sic nec album sine albedine , nec sine dulcedine dulce cognosci possunt ; sed forma concreti *vnius* est vnitas : ergo vbi hæc non cognoscitur , non cognoscitur vnum. Quod non cognoscatur vnitas. Probatur primo. Si aliqua cognosceretur vnitas vel esset realis intrinseca , vel intrinseca ficta , vel extrinseca intentionalis: non cognoscitur realis intrinseca , quia obiectum non habet realem intrinsecam vnitatem , sed realem intrinsecam multiplicitatem ; non cognoscitur vnitas intrinseca ficta , quia abstractio , vt pote apprehensio nequit fingere , & abstrahentium non est mendatium; non

non cognoscitur vnitas extrinseca intentionalis , quia hæc est ipsame abstractio, quæ supra se ipsam non reflectit, ergo nulla vnitas cognoscitur. Probatur secundo. Quia , vt suppositum manet , per abstractionem præscinditur natura ab omni vnitate attributali entis : ergo in obiecto pręscissionis non est vnitas , quæ sit forma concreti *vnius* : ergo nec ipsum obiectum est vnum.

423 Probatur conclusio quoad secundam partem , quod scilicet obiectum actus abstrahentis non sint plures naturæ , actus abstrahens non cognoscit ex parte naturæ vllam formam eam plurificantem: ergo eius obiectum non sunt plures naturæ. Probatur antecedens formæ plurificantes naturam *animal* v. g. vel sunt vnitates completæ, seu vnitates indiuiduales , vt *Petreitas, & Pauleitas* , vel differentiæ essentiales *rationalis , & irrationalis* , vel hec eitates incompletę *huius* , & illius *animalis*; sed actus abstrahens animal non cognoscit Petreitatem, & Pauleitatem, item nec rationale,aut irrationali , nec hecseitates huius vel illius animalis; ergo nullam formam plurificantem cognoscit. Maior est certa. Minor supponitur in primo , & secundo supponendo , sed breviter quoad tertiam partem in qua aliqua potest esse dubitatio.

424 Probatur. Per vos animal pręscinditur á rationali , & irrationali, & simul á Petreitate, & Paulitate, quia rationale , & irrationale non sunt de essentia animalis , potest enim concipi rationale sine irrationali , & irrationale sine rationali ; & quia Petrus, & Paulus conueniunt in ratione animalis , & á convenientibus simpliciter potest præscindi aliqua ratio ; sed hecseitas huius, & illius animalis non sunt de essentia animalis potest enim animal concipi cum hac hecseitate , sine illa, & cum illa sine hac , & aliunde hæc,& illa hecseitas conveniunt in ratione animalis : ergo ab vtraque pręscinditur ratio animalis: ergo actus præscindens animal non cognoscit hecseitates incompletas.

425 Probatur tercio. Conclusio quoad vtramque partem , natura vniversalis prædicatur de pluribus: ergo nec est vna , nec multiplex positivê. Probatur consequentia ; quod est vnum positivè nequit prædicari de pluribus,nec quod est plura, prædicari de vno;nequit prædicari de pluribus quod est vnum positive , quia iam increatis daretur Misterium Trinitatis,& duplex entitas realiter distincta identificarentur cum vno tertio, quod certè repugnat. Quod est plura nequit prædicari de vno,quia esset vnum , & non esset vnum;esset vnum,vt supponitur ; non esset vnum,quia esset idem cum pluribus , & quod est idem cum pluribus,est plura : ergo solum restat , quod talis natura non esset vna , nec plures positivè , sic , cum non sit vna positivè, poterit prædicari de pluribus ; & cum non sit plura positivè , poterit prædicari de vno.

426 Secunda conclusio.Obiectum actus abstrahentis nec est vnum , nec plura radicaliter.Probatur primo.Ideo obiectum abstractionis , licet non maneret plura formaliter , maneret radicaliter plura , quia licet quælibet natura præscinderetur á suá vnitate formali , maneret in eá vnitas radicalis, seu exigentia suæ vnitatis formalis, ratione cuius quod libet ens ad huc pręscissum ab vnitate formali , remanet vnum , & distinctum ab alio , vnde natura Petri , & natura Pauli remanent plures radicaliter , & obiectivè distinctæ; sed in naturá præscissá nullo modo datur talis vnitas radicalis , seu exigentia vnitatis formalis, ergo non est plura radicaliter; probatur : talis exi-

exigentia vel est prædicatum primæ, vel secundæ intentionis? Si est prædicatum secundæ intentionis proveniens naturæ ab ipsa abstractione, sicut prædicatum *vnius*? Ergo ab ipsa abstractione non cognoscitur, sicut nec cognoscitur vnitas, cum non sit reflexiva, item abstractio solum cognoscit prædicata essentialia, & intrinseca, quæ naturæ realiter obiectivè conveniunt: ergo si talis exigentia naturæ convenit extrinsecè, & per mentem, talis exigentia non cognoscitur ab abstractione: ergo non est illius obiectum.

427 Si est prædicatum primæ intentionis, vt colligitur ex modo loquendi Adversariorum cum Iudicent, talem exigentiam, esse intrinsecam, & essentialem naturę? Contra erit primo: prędicatum primæ intentionis datur realiter independenter ab intellectu, vt prædicata viuentis, sensibilis, rationalis, entis, &c. Sed repugnat in natura abstracta ab vnitate formali exigentia talis vnitatis; patet: omnis exigentia eo modo, quo est exigentia, dicit distinctionem inter terminum exigentem, & exactum, sed repugnat distinctio realis, & primo intentionalis inter naturam abstractam, & eius vnitatem formalem, cum realiter identificentur inter se: ergo & exigentia realis primò intentionalis.

428 Confirmatur. Ideo iuxta plures adversarios relatio vniuersalis ad inferiora non est primo intentionaliter talis, sed solum secundo intentionaliter talis, quia argueretur realis distinctio, quæ certè non datur inter naturam, & inferiora; sed non minus relatio est ad aliud, quam exigentia: ergo etiam ex exigentia primò intentionaliter tali argueretur realis distinctio, quæ non datur.

429. Probatur secundo conclusio. Si in natura abstracta daretur exigentia hecseitatis incompletæ, vnitatis scilicet formalis, etiam daretur exigentia hecseitatis complete, Petreitatis scilicet, cum eadem ratio pro vtraque reperiatur; tam enim realiter identificatur animal cum sua vnitate formali, & tam debita perfectio est animali sua vnitas formalis, quam realiter identificatur cum Petreitate, & hæc illi debetur. Tunc sic: Si in natura præscissa darentur exigentiæ differentiarum: ergo & exigentiæ diversæ, nam ex diversitate termino um exigentiarum diuersitas arguitur: ergo talis natura non erit vniversalis. Probatur consequentia: erit analoga; ergo non erit vniuersalis. Probatur antecedens; & pono exemplum in animali. Analogum *Est quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen partim eadem, & partim diversa* en ergo *animal* est nomen commune; sed ratio significata per illud in Petro, & equo est *viuens sensibile*, & vlterius in Petro *exigentia Petreitatis*, & in equo *exigentia equinitatis*, quę quidem exigentię sunt diversæ: ergo ratio significata per nomen erit partim eadem, & partim diversa.

430. Vlterius rogo. Animal præscissum ab homine, quod est in ratione vniuersalissima animalis, vel non repugnat positivè identificari cum bruto, vel repugnat, vel præscindit ab vtroque? Si non repugnat positive? Incidis in sententiam Scoti communiter reprobatam, & á me supra satis impugnatam. Si repugnat? Ergo etiam animal præscissum à bruto repugnat identificari cum homine; ergo iam in animali præscisso erunt diversæ repugnantię analogiam causantes; Si præscindit ab vtroque, à repugnantia scilicet, & non repugnantia positiva? Ergo similiter præscindit ab exigentia, & repugnantia positiva vt identificetur cum hac, vel illa hecseitate incompleta: ergo non habebit formam plurificantem formaliter. Ideoque, nec vna nec multiplex positive.

SVBSECTIO I.

ARGVMENTA, QVÆ SIMVL sunt evasiones Adversariorum proponuntur.

431. OBjic. 1. Et simul respondebis ad primam nostram probationem: dum cognoscitur animal, licet non explicite, implicite tamen cognoscitur ens, substantia, &c. ergo cum cognoscitur natura vniversalis licet non explicite implicite tamen cognoscitur pluralitas.

432 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam, & paritatem. Ideo cognito animali, expresśé cognoscitur ens, & substantia implicitè, quia ens, & substantia sunt de conceptu essentiali animalis, & nequit res sine suá essentia concipi; at pluralitas non est de essentiá rationis communis abstractæ, quia vt supponimus, vnitas non est de essentiá metaphysicá entis, vnde hoc ab illa præscindi potest: ergo, & natura á suá vnitate formali: ergo cum vnitas formalis sit id ratione cuius res distinguntur, & plurificantur, & hęc non sit de essentiá naturæ, nec pluralitas erit de eius essentiá, vnde nec implicitè erit natura abstracta plures naturę. Insuper, quod cognoscitur implicitè propriè cognoscitur; ergo si ab actu abstrahente cognoscuntur implicitè plures naturæ, plura vt plura propriê, coguoscuntur: ergo per illum non sit vniuersale, sicut non fit per comparationem antecedentem, & per hos actus *omnis Homo, animalia, &c.* quia cognoscuntur plura.

433 Dices, per contractionem, & hos actus cognosci plura vt plura reduplicativè; at per abstractionem cognosci plura, non vt plura reduplicativè, sed plura specificativè, ita tamen confusè, & per modum vnius, vt nullo modo discernat intellectus pluralitatem, nec cognoscat, an natura sit vna vel plures?

434 Resp. Etiam officere actui factivo vniuersalis attingere plura specificativè, nam actus factivus vniuersalis debet extrahere naturam extra plura, quo modo ergo extrahet naturam extra plura actus attingens plura? Item argumentum sibi implicat. Ex vnà parte ait; actum abstrahentem cognoscere plura, & ex alia parte ait; non discernere plura: quomodo enim non discernit, quod reipsa cognoscit? Insuper cognito animali, vel potest intellectus reddere rationem de pluralitate, vel non? Si potest? Ergo discernit pluralitatem; si non potest, non attingit eam ex parte obiecti. Patet consequenria: nam ideo animal nec implicitè est rationale, suppositis præscissionibus obiectivis, quia ex parte obiecti cognito animali nequit intellectus reddere rationem de rationali: ergo.

435 Objic. 2. ad idem respondens. Pluralitas, quæ non inducit disconvenientiam, & diversitatem non est pluralitas, quam discernit intellectus, quæ que actui factivo vniuersalis officit, sed pluralitas proveniens ab hecseitatibus incompletis, vt pote omnino similibus, & homogeneis non inducit diversitatem; ergo.

436 Resp. Nego maiorem: primo. Quia actus repræsentantes animalia omnino similia. vel dicens *omne animal est simile*, non efficiunt vniuersale, & tamen pluralitas, quam attingũt, non includit diversitatem. Secũdo quia pluralitas, quam cognoscit intellectus, est pluralitas, quam discernit intellectus, & quę officit actui factivo vniuer'alis, sed pluralitas provenient ab hecseitatibus, licet non sit diversitas;

tas, est pluralitas, quam propriè cognoscit intellectus: ergo. Tertio, quia in ordine ad intellectum illæ hecseitates faciunt numerum, ergo faciunt pluralitatem in ordine ad intellectum. Probatur antecedens, hecseitates in ordine ad intellectum sunt id, ratione cuius vnum non est aliud seu est distinctum, & divisum ab illo: ergo in ordine ad intellectum faciunt numerum, & consequenter pluralitatem offensivam vniuersalis. Quarto, quia si essent possibilia indiuidua omninò similia, vt tenet Arriaga, ea cognosceret intellectus vt plura; ergo inter res omnino similes pluralitatem cognoscit intellectus. Quinto, quia argumẽtũ est contra suppositum: Supponimus namque naturam præscindi obiectivè ab vnitate formali, seu hecseitate incompleta.

437. Objic. 3. Et simul respondebis ad secundam probationem primę conclusionis. Licet vniuersale obiectivum sit plures naturæ, totum vniuersale prædicatur de vnoquoque indiuiduo, non tamen quoad extensivum, sed quoad intensivum.

438. Certum est, in rebus dari intensivum, & extensivum, intensivum sunt prædicata essentialia secundum se, extensivum est id, quod facit numerum, cumque omnis numerus ab vnitatibus proveniat, extensivum qua tale, plures vel saltim aliquas vnitates involuit. Rogo nunc; vel vniuersale salvatur essentialiter in solo intensivo, vel etiam dicit essentialiter extensivum? Si primum? Habeo intentum: ergo obiectum actus abstrahentis solum sunt prædicata essentialia, quin dicat vnitatem, vel pluralitatem positivam. Si secundum? Ergo cum per vos de vnoquoque individuo non prędicetur extensivũ, non prædicabitur vniuersale, nullaque dabitur prędicatio vniuersalis de indiuiduo particulari.

439. Objic. 4. et est communis Recentiorum responsio deducta ex Arriaga. Cum dico: *Petrus est homo* v.g. de Petro solum dicitur sua particularis natura, quoad rem prædicatam; at vero quoad modum prædicandi omnes naturę disiunctiue prædicantur. Vnde erit vera prędicatio, & simul vniuersalis, erit vera, quia de Petro sua singularis natura prædicatur in re, erit vniversalis, quia in modo omnes naturæ disiunctiue prædicantur.

440. Confirmatur. Prædicatio, quę fit sub abstractione prævia prædicati singularis, est singularis prędicatio v.g. *Petrus est hic homo*: ergo è contra prædicatio, quæ fit sub abstractione prævia prędicati vniuersalis, erit vniversalis prædicatio v.g *Petrus est homo*: stet ergo iuxta Arriagam, & eius asseclas, vniuersale fieri per actum confusè repræsentantem plura copulatiuè, prædicari vero per actum repræsentantem plura disiunctiue.

441. Contra primo: vniuersale nõ est hęc, vel illa natura disiunctivé, sed omnes naturæ copulatiue: ergo vel non prædicatur in hac propositione: *Petrus est homo* hæc, vel illa natura disiunctivè sed omnes copulatiue, vel prædicatio non erit vniuersalis. Secundo: prædicatio hęc est absoluta: ergo sine vllo fundamento statuitur disiunctiva. Tertio: ergo prædicatio illa non erit vniuersalis; probatur consequentia; prædicatio vniuersalis debet habere prædicatum obiectivum vniuersale, sed si natura, quę prædicatur, est natura disiunctivè, prædicatio illa non habet prædicatum obiectivum vniuersale: ergo: probatur minor: si natura, quę prędicatur est natura disiunctivè, erit plures naturæ, non verò vna, sed plures naturę cognitæ vt plures non est prædicatum obiectivum vniuersale: ergo. Quarto. Eo modo prædicatur natura, quo est prædicabilis, & eo modo

do est prædicabilis, quo prędicatur: ergo si prædicatur disiunctiuè, erit disiunctiuè prędicabilis, & sic costituetur in esse prędicabilis per actum disiunctivum, non vero per copulativum, quod contra vos est, vel si est prædicabilis copulatiuè, copulatiue prędicabitur: patet assumptum, nam omnis actus primus debet habere actum secundum, & omni actui secundo debet correspõdere suus actus primus, sed prędicatio est actus secundus: ergo debet habere actum primum prædicabilitatis, & é contra: ergo prædicatio disiunctiua debet habere prædicabilitatem disiunctivam; & prædicabilitas copulatiua copulatiuam prędicationem.

442. Nec ex eo, quod illa prędicatio fiat pręcedente abstractione vniuersali, est vniuersalis, nam sicut hæc prædicatio, *Petrus est hic homo*, non esset vniuersalis sed particularis, etiam si fieret post abstractionem vniuersalem *homo* nulla alia ratione, nisi quia prædicatur natura singularis, etiam cum prędicetur per vos natura singularis disiunctive, & si præcederet abstractio vniuersalis, talis prędicatio non esset vniuersalis. Vnde licet prędicatio illa fieret præcedente abstractione vniuersali, non tamen substractione, hoc est, perseuerante eadem abstractione, non erit vniuersalis, hinc deducitur solutio confirmationis: non enim ideo præcisè est particularis hæc prædicatio *Petrus est hic homo*, quia præcessit apprehensio termini particularis, sed quia præcessit apprehensio termini particularis, & prędicatio conformatur apprehensione, hoc est, eodem modo particulari, quo apprehenditur, prędicatur; sed per vos in hac prędicatione *Petrus est homo*, licet præcedat apprehensio termini vniuersalis homo, non tamen prædicatur eodem modo, ac apprehenditur, apprehenditur namque copulatiue, & prædicatur disiunctiue; quid ergo mirum, quod prædicatio non sit vniuersalis etiamsi subsequatur apprehensionem termini vniuersalis?

443. Objic. 5. Ad idem fere idem; prædicari scilicet totum vniuersale quoad modum confusè prędicandi, quoad rem vero prædicatam prædicari non totum vniuersale, sed propriam, & particularem naturam contentam in illo aggregato, quod sufficit, vt prædicatio ex vna parte sit vniuersalis, & ex alia vera.

444. Hic modus dicendi parum distat ab antecedenti: vnde rogo: vel prædicatio est naturæ disiunctivè, vel naturæ determinatæ, & particularis? Si est naturæ disiunctivè, seu disiunctivo modo? Cum sit idem ac antecedens modus discurrendi, easdem patitur instantias; si sit naturæ determinatæ, & particularis? Contra primo; rogo: prędicatum obiectivum repræsentatũ per prædicatum formale huius propositionis *Petrus est homo*, vel est tota natura vniuersalis, vel aliqua particularis, Petri scilicet? Si est tota natura vniuersalis? cum hæc non conveniat per vos Petro, sed partantum illius, propositio erit falsa, sicut hęc *materia est compositum*, quia materia non est totum compositum, sed pars illius. Si est natura particularis Petri? Ergo prædicatio non est vniuersalis.

445. Secundo, & iterum rogo: ad illam prędicationem vel præcessit cognitio determinata naturę Petri, vel non præcessit? Si primum? Ergo sicut, quia ad illam prædicationem præcedit cognitio confusa, & vniversalis naturæ humanę, dicitur vniuersalis, etiam dicetur particularis, quia etiam pręcedere debet cognitio determinata naturæ Petri. Si secundum? Ergo non prędicatur natura determinata, & singularis Petri, patet consequentia: nil potest prædicari determinatè, nisi quod determinatè præcedit cognitum; ergo.

446 Nec valet dici: quod, licet non præcedat determinatè cognita, prædicatur tamen determinatè ex parte obiecti, quia terminus determinatus, non est, qui significat aliquid determinatum ex parte obiecti, nam etiam terminus disiunctivus v. g. *aliquis homo currit* significat aliquid determinatum, ex parte obiecti, sed terminus, qui significat aliquid determinatè tam ex parte actus, quam ex parte obiecti; ergo si per illam prædicationem *Petrus est homo* non cognoscitur ex parte actus determinata natura Petri, non erit determinata, sed disiunctiva, & consequenter nullo modo vniuersalis; per vos aliunde si cognoscit ex parte actus determinatam naturam Petri, non est vniuersalis, cûm non sit confusa, & confundens omnes naturas; ergo.

447 Tertio. Vel prędicari totum vniuersale, quoad modum prædicandi, est propriè, & simpliciter prædicari, vel non? Si primum? Ergo propriè, & simpliciter prędicatur de Petro, non particularis natura, quæ non est vniuersalis, sed omnes naturę, quę vniversale constituunt, quod est contra vos. Si secundum? Ergo reipsa illa non est prædicatio vniuersalis, quia vbi non prædicatur propriè, & simpliciter natura vniuersalis, non datur prædicatio vniuersalis.

448 Objic. 6. De Petro in positá propositione prædicantur omnes naturæ, sed cum hac differentiâ propria ipsius Petri natura prędicatur in recto, reliquæ verò in obliquo; hinc propositio erit vniuersalis, quia prædicatur natura vniuersalis; erit vera, quia licet Petrus non identificetur cum reliquis naturis, sed cum propriâ, ad prædicationem veram sufficit, quod rectum subiecti, & prædicati identificentur.

449. Non dubito de veritate, sed de vniuersalitate; primo, vniuersale constituitur in recto ex omnibus naturis; ergo vt prædicetur vt vniuersale omnes naturę in recto debent prædicari. Secundo, sensus illius propropositionis *Petrus est homo*: hic erit *Petrus est vnus ex hominibus*, vel *Petrus est vnus homo associatus pluribus*. Sed hæc propositiones non prædicant naturam vniuersalem de Petro: ergo modus dicendi propositus destruit prædicationem vniuersalem. Tertio: propositio vbi rectum prædicati est singulare, & si obliquum sit vniuersale, singularis est, vt patet in hac propositione: *Petrus est princeps Romanorum*; sed per vos rectum prædicati in hac propositione *Petrus est homo* est singulare: ergo licet obliquum sit vniuersale, erit prædicatio singularis.

450 Objic. 7. Ex Patre Hurtado: in prædicatione vniuersali prædicari vnam naturam disiunctivè, hanc scilicet, vel illam, vniuersale namque sive extra, sive intra prædicationem per actum disiunctivum constituitur.

451 Contra primo. Hæc, vel illa natura disiunctivè non est vniuersalis, sed omnes confusè cognitæ: ergo si prędicatur hæc, vel illa natura disiunctivê, prædicatio non est vniuersalis. Secundo, actus disiunctivus separat, non vnit obiectum: ergo nec tribuit vnitatem extrinsecam; qualiter ad vniuersale requiritur; sed potiús illud destruit Tertio: ergo si non obstante, quod propositio disiunctionem non sonet, vt sit vera, eam disiunctivam effingis, similiter hæc propositio *equus est rationalis* erit vera, quia, & si conditionem non exprimat, dicam ego; esse conditionalem ita, *si equus esset homo, esset rationalis*. Quarto: distiunctio plura vt plura attingit: ergo nec intra, nec extra prædicationem constituet vniuersale. Quinto: disiunctio plures terminos attingit: ergo non est apprehensio incomplexa, qualis per vos est abstractio vniuersalis constitutiva.

Objic.

452 Objic. 8. Et simul respondebis ad secundam probationem secundæ conclusionis. Natura præscissa non attingit differentias in particulari v. g. *homo* non attingit in particulari *Petreitatem*, *Pauleitatem*, &c, quod officeret vniuocationi, sed exigit differentias in communi, in qua exigentia omnes naturæ conueniunt, vnde ratio significata per nomen, non est partim diversa.

453 Contra primo. Per vos quælibet natura exigit suam vnitatem formalem particularem, ob identitatem quam habet cum ea: ergo ob eamdem entitatem quælibet natura exiget suam differentiã particularem. Secundo: quælibet natura exigit illam differentiam, á qua præscinditur, quacum realiter identificatur: ergo non exigit differentiam in communi, sed differentiam particularem. Tertio: natura abstracta retinet aliquam exigentiam differentiarum: ergo quælibet natura aliquam maiorem exigentiam, seu maiorem procliuitatem habebit respectu suæ propria differentiæ, quam alienę, v.g. natura abstracta á Petro respectu Petreitatis, quam respectu Pauleitatis, & è contra: ergo ratio significata saltim quoad hanc maiorem inclinationem in natura Petri erga Petreitatem, quam Pauleitatem; & in natura Pauli erga Pauleitatem quam erga Petreitatem, erit partim diuersa.

454. Objic. 9. Animal præscinditur á rationali, & irrationali: ergo similiter ab exigentia rationalis, & irrationalis, quia sicut rationale, & irrationale sunt differentiæ animalis, ita exigentia rationalis, & irrationalis sunt etiam differentiæ animalis; non tamen præscinditur ab exigentia vnitatis formalis, quia exigentia huius, vel illius vnitatis non sunt differentiæ animalis.

455. Contra primo: paritas inter animal respectu exigentiarum rationalis, & irrationalis, & ipsum animal respectu exigentiarum huius, & illius vnitatis valida remanet, quidquid sit, an exigentia rationalis, & irrationalis sint differentiæ animalis, non tamen exigentiæ huius & illius vnitatis formalis, primo, quia ideo præsciditur animal ab exigentijs rationalis, & irrationalis, quia hæ exigentiæ sunt extra essentiam animalis; concipitur enim totum animal, nempe viuens sensibile in homine sine exigentia irrationalis, & in bruto sine exigentia rationalis, sed similiter exigentiæ vnitatum formalium sunt extra essentiam metaphysicam animalis, nam totum animal nempe viuens sensibile concipitur in hecseitate *A* sine hecseitate *B*, & è contra: ergo sicut præscinditur animal ab exigentijs rationalis, & irrationalis, ita præscinditur ab exigentijs huius, & illius hecseitatis. Secundo: non minus est superius animal vt sic respectu rationalis, & irrationalis, quam respectu huius, & illius animalis; sicut enim hæc est prædicatio vniuersalis *Rationale est animal*. Ita & hæc *hoc animal est animal* ergo sicut præscinditur animal vt ratio vniuersalis á rationali, & irrationali, ita etiam ab hac, & illa hecseitate.

456. Objic. 10. Ad vniuocationem animalis sufficit, quod in conceptu expresso per talem vocem, nempe *viuens sensibile*, quod solum discernitur per abstractionem, detur omnimoda conuenientia, licet implicitè detur latens diversitas orta ab exigentijs; quod probatur paritate á contrario desumpta: sicut vniuocum requirit omnimodam conuenientiam, sic æquivocum omnimodam disconuenientiam; sed ad æquivocum non requiritur disconuenientia omnimoda in implicito, sed sufficit in explicito, seu expresso per voces, v.g. Canis est nomen æquivocum, & tamen Canis terrestris, & Marinus implicitè conveniunt in ratione *entis, substan-*

 tia,

tiæ, animalis irrationalis, &c. ergo ad vnivocum sufficiet etiam omnimoda conveniencia in explicito, & expresso per voces, licet in implicito detur aliqualis disconvenientia, sic animal erit nomen vnivocum, licet animal bruti, & animal hominis differant in exigentijs implicitis, cum explicitè conveniant in ratione viuentis sensibilis, quod est explicitum talis vocis.

457. Contra primo ergo licet in conceptu implicito animalis includeretur rationale, aut irrationale animal esset vnivocum, eo quod in conceptu explicito non involvatur, quod suppositis præscisionibus obiectiuis, concedi nequit, nam iuxta præscindentes obiectiue quæcumque implicita disconvenientia convenientiæ omnimodæ ad rationem vniuocam requisitæ officit.

458 Et vt agnoscas disparitatem inter vniuocum, & æquivocum. Nota primo, quod vt aliquis terminus non sit vniuocus, sufficit aliqualis disconvenientia *in significato*, licet in reliquis omnibus detur conveni-ntia, vt patet in exemplo posito *Canis*; ergo licet in animali abstracto ab homine, & bruto, quam plurima prædicata convenientia respiciantur, sufficiet disconvenientia orta ab exigentijs, vt vni voca non sit. Nota secundo, explicitum per aliquam vocem esse omnia ea prædicata, quæ importantur in definitione rei significatæ per illam, v. g. explicitum huius vocis animal est *viuens sensibile*, item omnia implicita prædicata (suppositis præscissionibus obiectivis) esse prædicata essentialia, quæ implicitè includuntur in definitione sic prędicata entis, substantię, & c. sunt prædicata implicita animalis, á quibus neqnit animal præscindi, vnde infertur; quod si in predicato substantię reperto in homine, & reperto in bruto daretur aliqua diversitas, ratio animalis non esset vniuoca respectu hominis, & bruti, quia diversitas in prædicato implicito refundit diversitatem in prædicata explicita, cum ea essensialiter constituat: nequit ergo dari omnimoda conveniencia in significato explicito cum aliquali diversitate in prædicatis implicitis.

459 Ex his constat disparitas inter æquivocum, & vniuocum: optimè enim compatitur omnimoda disconuenientia in explicito alicuius vocis cum implicita conuenientia alicuius prædicati superioris non expressi per vocem, vt patet in exemplo canis, & aliorum ęquivocis, quæ á ferè omnibus doctoribus æquiuoca apellantur, & eius significata omninò diuersa dicuntur, non obstante implicita conveniencia. Ad authoritatem: ergo Doctorum debemus recurrere ad hanc locutionem in æquivocis admittendam, sicut & ad contrariam non admittendam in vniuocis; nam etiam iuxta omnes fere Doctores ad vniuoca non sufficit aliqualis conveniencia si in significato expresso per vocem aliqualis disconvenientia implicita reperiatur, vt videre est in ipsis exemplis quæ ab eis iam inter æquivoca, iam inter vniuoca admittuntur.

460 Ni velis pro nunc dicere; nullum dari terminum purè æquivocum respectu entium, sed omnem esse adminùs analogum, nam saltim in prædicato entis, implicitè significato conceptus obiectivi conveniunt. Vnde tota vis ęquivocorum relucet inter entia, & non entia tantum.

(o)

SVB-

SVBSECTIO. II.

OBIECTIONIBVS DIRECTIS contra primam partem præcipuæ nostræ conclusionis fit satis.

461 Objic. 1. Obiectum actus abstrahentis *animal* distinguitur ab obiecto actus abstrahent s *Lapidem*, sed nil distinguitur ab alio nisi ratione alicuius vnitatis, qua reddatur vnum: ergo obiectum actus abstrahentis animal est vnum.

462 Confirmatur vniuersale factum á Petro non est vniuersale factum á Paulo: ergo distinctum: ergo vnum.

463 Resp. Distinguo maiorem: distinguitur realiter, concedo; formaliter, subdistinguo; formaliter positive, nego; formaliter præcisiive, concedo; hoc est, cum cognosco per abstractionem animal, non cognosco lapidem. Un de exercitè per ipsum actum formaliter præcisiivè distinguitur á lapide, non tamen per talem abstractionem cognosco, animal esse distinctum, vel indistinctum á lapide; aliás per talem actum lapidem etiam cognoscerem, nequit enim cognosci aliquid distingui positivè ab alio, nisi illud aliud, á quo distinguitur, cognoscatur.

464. Si tamen reflexè cognoscatur animal vt sic, vt distinctum a lapide vt sic, non ideo in animali, & lapide vt sic cognoscetur aliqua attributalis vnitas, inclusa in animali, & lapide, sed cognoscentur, prædicata essentialia esse essentialiter diuersa â prædicatis essentialibus lapidis; Hoc est essentiam animalis differre ab essentia rationalis, pręscindendo tamen ab eo, quod tale animal vt sic sit vnum, vel plura animalia; optimè enim præscisio ab vnitate, vel pluralitate animalis compatitur cum cognitione positivæ diuersitatis á lapide. Sic qui cognosceret, naturam Diuinam esse diuersam á natura hominis, potest adhuc non cognoscere, vtrum sit realiter immultiplicabilis, vel realiter multiplicabilis, vt est natura hominis.

465. Ad confirmationem respondetur, vniuersale factum â Petro non solum formaliter, verum realiter non esse vniuersale factum á Paulo ratione præscisionum realiter distinctarum, quę illa vniuersalia constituunt. Si tamen materia talium præscisionum sit eadem non erit diuersum essentialiter, si sit diuersa, erunt etiam vniuersalia essentialiter diuersa ex dictis n. antecedenti.

466. Objic. 2. Uniuersale obiectivum cognoscitur ad instar vnius: ergo est vnum.

467. Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiam. Sic Angelus ad instar iuvenis, Pater Æternus ad instar senis cognoscuntur, quin Angelus sit iuvenis, nec Pater Æternus senis. Dixi *transeat* antecedēs, quia potest esse verum, vel falsum iuxta varios sensus; si sensus sit comparatiuus, hoc est, facta comparatione ad vnum, sicut Angelus cognoscitur ad instar iuvenis, facta comparatione ad iuvenem, falsus est eius sensus; aliás sicut, cum cognosco Angelum instar iuvenis, iuvenem quocum comparo illum, simul cognosco; ita cum cognoscerem vniuersale instar vnius, vnum deberem cognoscere, quod falsum est, cum vi abstractionis solum cognoscam prędicata essentialia, & nil amplius; si vero sensus sit explicativus ita, sicut cognosco vnum ita cognosco vniuersale obiectivum, hoc est, sicut cum cognosco vnum non obijcitur intellectui pluralitas, ita cū cognosco animal v. g. non objicitur pluralitas intellectui, verus est sensus propositionis illius.

Objic.

468. Objic. 3. Per abstractionem non cognoscitur pluralitas: ergo cognoscitur carentia pluralitatis; sed vnitas est carentia pluralitatis: ergo cognoscitur vnitas.

469. Resp. Concedo antecedens & nego consequentiam, sicut, cum cognosco animal, non cognosco rationale, & tamen non inde sequitur; me cognoscere carentiam rationalis, aliás ipsum rationale á quo prescindo cognoscerem, cognita namque carentia alicuius termini, & ipse terminus cognosci debet; carentia pluralitatis, quæ datur in vniuersali obiectiuo, non est carentia positiua, sed prescisiua, hoc est, cognitio non attingit pluralitatem in eo, vnde ab ea præscindit, communicat tamen illi vnitatem extrinsecam, quæ est ipsamet cognitio non attingens plura.

470 Objic. 4. Sicut vnitas, & pluralitas sunt formæ constitutivæ *vnius*, *& plurium* positiuè, ita carentia vnitatis, & pluralitatis sunt formæ constitutivæ non vnius, & non plurium; sed quia non cognoscitur vnitas vel pluralitas per abstractionem obiectum ipsius neque est vnum nec plura positiue: ergo quia non cognoscitur carentia vnitatis, vel carentia pluralitatis per abstractionem, eius obiectum non erit non vnum, & non plura formaliter.

471 Retorqueo per actum præscindentem animal á rationali, & irrationali non attingitur carentia rationalis, & irrationalis: ergo nec attingitur obiectum quod positiuè non est rationale, aut irrationale.

472. Respondeo transeat maior, concedo minorem, & nego suppositum consequentis; quod obiectum actus abstrahentis sit non vnum, & non plura formaliter; aliud est aliquid *non esse vnum, & plura*; & aliud esse *non vnum*, & *non plura*, sicut aliud est; equum non esse rationalem, & aliud, esse non rationalem, quidquid sit an vt cognoscatur nō vnum, & non plura requiratur cognosci carentiam vnitatis, & pluralitatis, & has carentias in his concretis se habere, vt formas, certum est: quod vt vniuersale non cognoscatur, vt vnum, aut plura, non requiritur quod attingatur ex parte obiecti aliqua carentia, sed quod actus repræsentet animal v.g. & non repræsentet vnitatem, vel pluralitatem, & hac de causa dicitur obiectum talis actus neque esse vnum, nec plura positiuè, hoc est, actum terminatum ad animal solum repræsentare viuens sensibile, quin in tali viuenti sensibili attingat vnitatem, & pluralitatem: vnde actus præscindens secum habet annexã aliquam negationem; vnum namque repræsentat, & aliud non repręsentat; ea parte, quia est positivus, positiue repræsentat, & ea parte, qua est negativus, nō representat carentiam illius rei, quam positiuè non repręsentat; alias non esset negativus, sed positivus cum positiue repræsentaret carentiam, sed re ipsa ea parte nihil repræsentat; sic actus præscindens animal á rationali repræsentat animal, & non repræsentat rationale; non verò repræsentat carentiam rationalis.

473. Hoc autem, á quo obiectum præscinditur, dicitur; obiectum non esse formaliter intentionaliter, & præscisiue, sic quia animal prescinditur á rationali, dicitur; non esse formaliter, & præscisiuè rationale. Nunc ad rem nostram: actus abstrahens animal v.g. positiuê repræsentat viuens sensibile, & nihil amplius, non vero repræsentat negationem vnitatis, & pluralitatis, nec vnitatem, & pluralitatem; ideoque obiectum illius dicitur non esse vnum, & plura positiuè. Dicitur tamen vnum præscisiué, non quia per talem actum vnitas prescisiua ex parte obiecti attingatur, (certum namque est; talem vnitatem prescisiuam non attingit, quia cum forma talis vnitatis sit ipse actus, si eam vnitatem attingeret, supra se reflecteret) vnde obiectum actus abstrahentis nec est vnum præscisiue, sicut nec vnum positiue, quia sicut non attingitur vnitas positiua, nec vnitas præscisiua attingitur; sed quia non attingitur ex parte obiecti pluralitas positiua, & id, quod non est plura positive, communiter vnum prescisiue appellatur.

474. Instas: ergo etiam poterit dici plura prescisiue, quia sicut non attingitur in eo pluralitas præscissiua, ita nec vnitas positiua: cur enim, quod non attingitur vt plura positiuè, erit vnum præscisiuê, & quod non attingitur vt vnum positiuè, non erit plura præscisiuè?

475. Respondeo: posse vtique ob rationem argumenti plura precisiue appellari, non tamen ita appellatur communiter, sed vnum præscissiue, quia vlterius per modum vnius, & non per modum plurium sese offert intellectui vniuersale obiectivum. Ni velis dicere; apellari vnum præscissiue, & non plura, quia sub precissione ita est vniuersale vnum, vt non diuidatur in plura vniuersalia sub eodem nomine, & ratione.

476. Objic. 5. Uniuersale est essentialiter vnum aptum esse, & prædicari de pluribus; sed obiectum actus abstrahentis est vniuersale: ergo & essentialiter vnum.

477 Resp. Distinguo maiorem: vniuersale adæquaté semptum, concedo, inadæquate sumptum, nego, & distinguo minorem: obiectus actus abstrahentis est vniuersale adequatè sumptum, nego; inadęquatè, concedo: vniuersale adæquatê resucat ex naturá abstractâ, quę dicitur vniuersale obiectivum, & ex abstractione, obiectum abstractionis non est ipsa abstractio, sed natura abstracta; vnde obiectum illius est vniuersale obiectivum, seu secundum inadæquatum, quod nec est vnum, nec plura, licet cū abstractione vnum vniuersale constituat.

478 Objic. 6. esse precissiuè vnum, est præscindere ab vnitate; sed vniuersale nequit præscindere ab vnitate: ergo nec est præscissiuè vnum. Probatur minor: quod est essentialiter vnum, nequit prescindere ab vnitate, aliàs á sua propriâ essentiâ prescinderet, sed vniuersale est essentialiter vnū: ergo.

479 Argumentum confundit vniuersale obiectivum, & inadæquatum cum vniuersali formali, & adæquato resultaute ex ipso vniuersali obiectiuo, & ex secunda intentione; vniuersale obiectivum est, quod præscindit ab vnitate, & hoc nullam vnitatem essentialem dicit, cum non inuoluat secundam intentionem; vniuersale verò formale non prescindit ab vnitate, sed vnam vnitatem dicit positiue, & ab alia prescindit. Dicit positiuè vnitatem extrinsecam, qua constituitur essentialiter, præscindit ab vnitate attributali, qua non constituitur essentialiter; sicut homo vt sic obiectiuè talis nequit præscindere ab vnitate essentiali; seu vnitate inter materiam, & formam, licet prescindat ab vnitate attributali non enim repugnat dicere vnam vnitatem, & præscindere ab alia distincta.

480 Objic. 7. animal vt sic non est diuisum in plura animalia: ergo est vnum.

481 Resp. Distinguo antecedens: non est diuisum sumpto ly *non* positiue, nego; sumpto præscisiuê, concedo. Positiuê namquè, & realiter est diuisum in plura animalia, præscissiuè tamen, cum in eo nec vnitas, nec pluralitas, nec indiuisio, nec diuisio cognoscantur, dicitur; non esse diuisum præscissiuè.

Objic.

482 Objic. 8. Vnum vniuersale non est realiter diuisum in plura vniuersalia eiusdem nominis, & rationis; ergo est vnum vnitate positiua.

483. Resp. Distinguo antecedens: vnum vniuersale concretiue sumptum, concedo: obiectiue sumptum, nego. Uniuersale ergo adæquatè, & concretiue sumptum est indiuisum realiter in plura vniuersalia, & sic realiter vnum non vnitate attributali naturæ abstractæ, sed vnitate extrinseca abstractionis, sed vniuersale concretiue sumptum non est obiectum actus abstrahentis, vt iam dixi, sed vniuersale obiectivum seu natura abstracta, quæ nec est vna, nec plura, nec diuisa, nec indiuisa, sed ab omni, præter prædicata essentialia, præscindit.

484. Objic. 9. Sanctum Thomam, & Sanctum Agustinum dicentes; obiectum vniuersalis esse vnum.

485. Respondeo: Non fuisse locutos de vnitate intrinseca positiua, sed de vnitate extrinseca præcissiua.

SVBSECTIO III.

ARGVMENTA CONTRA SEcundam partem conclusionis.

486. OBjic. 1. In animali vt sic continentur omnes animalitates inferiorum: ergo & plures naturæ.

487 Resp. Distinguo antecedens: secundum intensivum quod dicunt, concedo, secundum extensivum, nego. Nota: intensivum rei sunt prædicata essentialia illius, extensivum sunt vnitates, vel differentiæ, quæ faciunt numerum, & extenfionem; in vniuersali ergo est intentivum omnium animalitatum; non extensivum, hoc est, sunt prædicata essentialia secundum se, non verò vnitates aliquæ.

488 Replicas primo. In ratione præcissâ est animal, quod abstractum fuit ab homine, & quod abstractum fuit ab equo; sed animal abstractum ab homine non est idem, ac enimal abstractum ab equo: ergo in ratione præcissâ sunt duo animalia.

489 Resp. Distinguo maiorem: secundum intensivum vtriusque, concedo, secundum extensivum, nego; in ratione præcissa non est animal equi, & animal hominis pro vt sunt animal equi, & animal hominis, sed provt sunt animal præscindens ab vtroque, & dicens tantum prædicata essentialia.

490 Replicas secundo: in animalia vt sic non datur solúm animal hominis: ergo datur etiam animal equi: ergo duplex animal.

491 Resp. Distinguo antecedens: non datur solûm animal hominis secundum intensivum, concedo; secundum extensivum, nego suppositum, quod detur in illo animal hominis; vt daretur namque, *solúm* vel non *solúm* deberet dari in ea ratione animal hominis, quod quidem, vt animal hominis est, nec solúm nec non solúm datur; solúm enim illic datur animal, vnde secundum intensivum illic non solúm animal equi, sed animal hominis datur, hoc est, prædicata essentialia, quæ non solûm de homine, sed etiam de equo verificantur.

492 Replicas tertio. Vniuersale est in homine, & in equo; sed idem animal non est in vtroque: ergo multiplex.

493 Resp. Distinguo minorem: idem animal non est in vtroque secundum intensivum, nego; secundum extensivum, concedo. Eadem namque prædicata essentialiá sunt in vtroquè (eadem inquam non positivè, sed præscissiuè) hęc est mens Phylosophi ex Sancto Thomà nobis manifesta lib. 7. metaphysicæ text. 5. hic locutus de animali pro vt est vniuersale ait: *Dicit ergo, quod manifestum est, quod animal est vnum, & idem in homine.* Sed non idem secundum extensivum, & positiuè: ergo idem secundum intensivum, & præscissiuè.

494 Replicas quarto. In naturá præscissâ datur aliquid identificatum cum Petro, nempe natura Petri, & aliquid non identificatum cum Petro, nempe natura Pauli, vel saltem aliquid identificatum cum Petro, & aliquid identificatum cum Paulo: ergo in naturá præscisâ datur aliquid, & aliquid, ac proinde plura.

495 Resp. Nego antecedens, & suppositum, quod in tali naturadetur aliquid identificatum, vel non identificatum; illic enim solum datur prędicata essentialia hominis, quin discernatur, an ea sit Petri vel Pauli? Uel an sit Petri, aut non sit Petri? Cum ex se, nec sit potiús Petri, quam Pauli, & è contra, nec neget, esse Petri, nec exigat esse Pauli, nec dicat identitatem, nec distinctionem.

496 Objic. 2. Præcissio terminatur ad omnia alia, á quibus abstrahit rationem animalis: ergo ad plura obiectiuè; probatur antecedens, pręscissio terminatur ad id, quod est fundamentum ipsius præscisionis, sed fundamentum ipsius præcissionis sunt plura animalia: ergo.

497 Resp. Distinguo antecedens; terminatur, tamquam ad terminum *à quo* præscisionis, concedo; tamquam ad terminum *qui* præscissionis, nego, & similiter distinguo eius probationē. Certū est, omnia animalia esse terminū *à quo* præscisionis secundū hecseitates, & vnitates ipsorum, terminum vero *qui* præscissionis esse prędicata essentialia, nempe viuens sensibile: per actum præscindentem solum cognoscitur terminus *qui*; non vero terminus *à quo* præcissionis, vnde solum cognoscitur viuens sensibile, non vero cognoscuntur hecseitates illud plurificantes, item fundamentum præcissionis non debet ab ipsa prescissione cognosci, sed præsupponi cognitum per comparationem antecedentem.

498. Obj 3. Si redderetur impossibile vnum indiuiduum singulare, redderetur impossibilis abstractio: ergo quia omnia indiuidua singularia sunt eius obiectum.

499. Retorqueo. Si redderetur impossibile rationale, redderetur impossibilis abstractio animalis, & tamen rationale non est obiectum actus abstrahentis, ergo similiter.

Resp. Redderetur impossibilis abstractio, intrinsecè, & per locum intrinsecum, nego. Extrinsece, & per locum extrinsecum, concedo. Defficiente namque aliquo indiuiduo, non maneret idem animal præscissum, quod erat etiam de illo indiuiduo prædicabile, vnde nec eadem maneret prędicabilitas. Reddito impossibili animali pręscisso, & pręscisio illius impossibilis redderetur. Sic reddito impossibili aliquo possibili redderetur impossibilis Omnipotentia, non quia quodlibet singulare possibile sit obiectum totius Omnipotentię, sed quia redderetur impossibilis præcontinentia particularis illius possibilis, ac per consequens redderetur tota virtus productiua possibilium impossibilis, cum iam non esset virtus productiua eorum possibilium, quorum antea erat productiua.

500. Obj. 4. Totum diuisibile componitur ex illis partibus, inquas potest diuidi; sed vniuersale totum est diuisibile in plura: ergo ex illis pluribus componitur, eaque includit.

501. Retorqueo: Ergo etiam componitur ex differentijs, easque includit cum etiam in differentias diuidatur.

Resp.

502. Resp. Distinguo maiorem: totum actuale concedo, totum potestativum, nego. Totum actuale ex suis partibus constituitur, vt *homo* ex materia, & forma; vnde ex illis componitur; totum potestativum non constituitur ex partibus, sed ab eis participatur, & ab eis præscindit, vnde extra essentiam illarum est. Item eo modo, quo aliquid est totum continet partes; ergo totum potestativum continebit partes in potestate, non vero actu.

503. Objic. 5. Obiectum actus abstrahentis, vel est formaliter positiue vnum, vel non est formaliter positiue vnum? Non primum: ergo secundum: ergo est formaliter positiue plura, cum illi conveniat positiue non esse vnum. Antecedens patet; quia ea sunt duo prędicata contradictoria, á quibus nequit intellectus prędscindere.

504 Retorqueò. Animal vel est formaliter positiuè rationale, vel non est formaliter positiuè rationale? Non primum: ergo secundum: ergo est formaliter positiuè irrationale, videas tuum argumentum.

505 Resp. Vniuersale non esse formaliter positiue vnum, cum non cognoscatur in eo positiua vnitas, ex eo tamen non infertur; esse formaliter positiue plura; sicut ex eo quod animal non sit formaliter positiuè rationale, non sequitur; esse formaliter positiue irrationale, sed ab vtroque præscindere. Ad probationem nota. Quod licet ex duobus contradictorijs vnum debeat esse necessariò verum inquocumque sensu, potest tamen intellectus neutrum ex contradictorijs cognoscere, & præscindere ab vtroque. Sic Petrus necessario vel est albus, vel non est albus. Paulus vel est senis, vel non est senis, potest tamen intellectus Petrum cognoscere, & Paulum, quin cognoscat, an Petrus sit albus, vel non sit albus; an Paulus sit senis vel non sit senis; & in hoc sensu verum est; intellectum posse á duplici contradictorio præscindere.

506 Replicas. *Vnum, non vnum* positiuè sunt prædicata contradictoria: ergo ab vtroque nequit præscindere natura vniuersalis, sed alterum illi necessario competet.

507 Retorqueo. *Rationale*, *non rationale* positiuè sunt prędicata contradictoria ergo animal ab vtroquè nequit prędscindere.

508 Resp. Distinguo antecedens: sunt contradictoria in essendo, concedo, in repræsentando, nego; hoc est, vnum ex illis debet competere vniuersali obiectiuo, & sic negativum est verum, nempe vniuersale non esse vnum positiue; non tamen sunt contradictoria in repræsentando, hoc est, potest intellectus neutrum ex eis repræsentare, sed ab vtroque præscindere, non cognoscendo illud esse vnum, vel non vnum, sed solum esse animal rationale v.g. licet in se realiter positiuè sit vnum, vel non vnum necessariò.

509 Objic. 6. in ratione prędscissâ datur conuenientia, & similitudo plurium, sed vbi datur conuenientia, & similitudo datur pluralitas: ergo in ratione præscissá, quæ est abstractionis obiectum, datur pluralitas.

510 Resp. Distinguo maiorem: datur conuenientia, & similitudo in abstracto, concedo; in concreto, nego, & distinguo maiorem; vbi datur conuenientia in abstracto datur pluralitas, nego: vbi datur conuenientia in concreto, concedo: similitudo in abstracto, & conuenientia in abstracto solùm est ratio assimilandi, & ratio conueniendi, inqua quidem ratione secundum se non includitur distinctio, vsque dum reducatur ad concretum cum inferioribus, cum quibus similia constituit. Sic nec relatio vt sic, nec distinctio vt sic dicunt in se distinctionem abstractè sumptæ, vsquedum concretiuè sumantur. Ratio est, quia solùm requiritur distinctio, vbi exercetur relationis oppositio; sed hæc non exersetur in ratione assimilandi, & conueniendi, sed solúm inter similia; & conuenientia: ergo solúm similia, & conuenientia requirunt distinctionem. Sic eadem albedo posita diuinitus in duplici subiecto non distingueretur á se ipsa, & tamen vnum album ab alio distingueretur. Item personæ Diuinæ communiter dicuntur similes, licet natura diuina, quæ est ratio assimilandi, sit eadem in tribus Diuinis personis. Sic denique grauissimi Theologi cum Sancto Thomâ tenent, naturam *Diuinam* esse principium *quo* in *Diuinis* absque vlla distinctione respectu filij, quia vt est ratio formalis, seu vis, aut fæcunditas principij *quod*, nō importat oppositionem originis, quę solúm datur inter principium *quod*, & terminum, inter quos realis intercedit distinctio. Ita ergo licet similia, & termini conuenientes, inter quos datur relationis oppositio, requirant distinctionem, & pluralitatem, non tamen hæc requiritur in ratione assimilandi, seu conueniendi, præcipuè cúm per prędscissionem, non cognoscatur reduplicatiuè vt similitudo, & ratio conueniendi, non quia eo ipso in ea attingeret distinctionem, sed quia attingeret ipsa extrema similia, & conuenientia saltem confusè.

511. Replicas primo: ratio assimilandi vnum alteri est ratio distinguendi vnum ab altero; sed nequit eadem met ratio distinguendi vnum ab altero in vtroque reperiri: ergo nec potest esse eadem ratio assimilandi in vtroque extremo, sed natura vniuersalis est ratio assimilandi: ergo nequit esse eadem in inferioribus.

512. Respondeo primo: nego maiorem, nam natura Diuina est ratio assimilandi Patrem Filio, & vis producendi in Patre erga Filium, & tamen natura Diuina non est ratio distinguendi Patrem á Filio.

513. Resp. secundo. Distinuguo maiorem: ratio assimilandi in abstracto est ratio distinguendi, nego; in concreto concedo; natura enim vniuersalis est ratio assimilandi in abstracto, & sic non est ratio distinguendi, vsque dum coniungatur cum vnitatibus formalibus, per quas iam est ratio distinguendi, quia imbibit in se distinctionem; at vero in abstracto ab omni vnitate, & distinctione præscindit.

514. Replicas secundo. Per præscissionem non aufertur ratio illa, inqua est conuenientia, cum sit essentia cuiusque animalis: ergo adhuc in ratione præscissa datur conuenientia, ac per cōsequens pluralitas.

515. Resp. Per abstractionem nil auferri intrinsecum, & essentiale naturæ, sed tantum denudari ab hecseitatibus tam completis, quam incompletis se tenentibus ex parte termini *á quo* præscissionis: vnde per prędscissionem non denudatur á ratione conveniendi, sed á convenientia, non á ratione assimilandi, sed á similitudine, conveniētia namque, & similitudo absolutè sumptæ pluralitatem involvunt.

516. Replicas tertiò. Natura Petri abstracta á Petreitate non est dissimilis formaliter naturę Pauli abstractę á Paulitate: ergo est similis formaliter: ergo in natura abstracta datur similitudo concretiuè sumpta.

517. Resp. Nego suppositum, quod in natura abstracta detur natura Petri, aut natura Pauli, quæ sint similia, vel dissimilia; solum datur natura humana sine vlla vnitate, ratione cuius potius sit natura Petri, quam natura Pauli, aut è contra.

518. Replicas quarto. Natura illa vel est similis, vel non est similis? Sed

vtrumque arguit distinctionem,& pluralitatem:ergo.

519. Resp. Iterum negando suppositum, quod in natura vniuersali detur natura, quæ possit dici natura Petri, si ergo non datur subiectum quomodo dabitur simile, vel non simile?

520. Obj. 7. Natura abstracta remanet formaliter ens, ergo formaliter vna, & consequenter distincta.

521. Argumentum est contra suppositum quæstionis: supponimus namque; ens posse obiectiuè præscindi ab vnitate formali: ergo licet natura abstracta remaneret formaliter ens, non ideo formaliter vna.

522. Instas primo: natura per se ipsam est vna, & distincta ab omni alio, sicut per se ipsam est ens: ergo si remanet natura formaliter, & vna formaliter debet remanere.

523. Instantia est contra suppositum. Eo enim ipso, quod supponamus, ens posse ab vnitate præscindi, supponimus, naturam non esse per se vnam formaliter, & distinctam, sed illi aduenire hoc ab vnitate attributali formaliter superaddita. Nec valet paritas inter esse ens, & esse vnum; nam ens est essentia cuiusque rei, & sine essentia res nequit esse, esse tamen vnum, non est essentia rei, ac proinde potest aliquid concipi, quin concipiatur vt vnum positiuè, sed de hoc in Metaphysica.

524. Instas secundo. Licet ens non remaneat formaliter vnum abstractum ab vnitate, ad minus nequit non remanere radicaliter vnum: remanet namque distinctum ab omni alio; item cum exigentia, vel capacitate suæ propriæ vnitatis; sed natura abstracta á Petro remanet formaliter ens: ergo & radicaliter vna. & distincta ab omni alio. Et sic de natura abstracta á Paulo: ergo in obiecto actus præscindentis sunt plures naturæ radicaliter distinctæ.

525. Respondeo, iam supra nos dixisse, in conceptibus realiter identificatis repugnare conceptum exigentiæ, radicis, &c. quia id sunt conceptus primo intentionales, qui distinctionem realem inferunt.

526. Instas tertio ens essentialiter est radix suorum attributorum: ergo nequit á radice vnitatis pręscindi, sed quod est radix vnitatis est radicaliter vnum: ergo quælibet natura abstracta est radicaliter vna.

527. Respondeo negando, in ente reperiri conceptum radicis ob easdem rationes, quas supra negaui in natura conceptum exigentię, & in vniuersali relationem secundum esse; nam hi conceptus sunt primo intentionales, & requirunt realem distinctionem; sic politior Theologia negat, intellectum *Diuinum* posse dici actum primum adhuc formaliter respectu suæ intellectionis essentialis. Nec ad hęc prædicata sufficit formalis distinctio: hęc solum deseruire potest ad conferendas aliquas extrinsecas denominationes obiecto v.g. denominationes *cogniti, præscisi, abstracti*, & alias huiusmodi, non ad conferenda prædicata intrinseca obiecto, qualia sunt *radicis, exigentis, principij*, &c.

528. Vel si saluatur conceptus radicis, & exigentię cum sola formali distinctione, respondetur. Quod, sicut cum concipitur animal, non concipitur ex parte obiecti genus formale, quod per ipsum actum præscindentem constituitur, quia ratio generis est denominatio resultãs ex ipsa abstractione, tamquam forma, ita cum abstrahitur ens ab vnitate non concipitur ex parte obiecti conceptus radicis, sed per ipsum actum constituitur ens in esse radicis formaliter talis, cum sit denominatio proueniens ab ipsa abstractione, vt á forma illius.

527. Objic 8. Animal Petri essentialiter exigit Petreitatem, & nimal equi equinitatem: sed in animali vt sic datur

datur animal equi, & animal Petri: ergo & exigentiæ plures. Probatur maior: animal Petri habet capacitatem, & non repugnantiam vt insit Paulo, & similiter animal equi vt insit equo, sed hæc capacitas est exigentia Petreitatis: ergo.

530. Resp. Distinguo maiorem: animal Petri exigit Petreitatem secundum extensiuum, & vt tale animal. Concedo. Secundum intensiuum, & vt animal est, nego; & similiter distinguo minorem, in animali vt sic datur animal Petri, secundum extensiuum sui, & vt tale animal est, concedo; secundum intensiuum, & vt animal est, nego. Ad probationem distinguo maiorem; animal Petri habet capacitatem, & non repugnantiam positiuam, secundum extensiuum sui, & vt tale animal est, concedo, secundum intensiuum, & vt animal est, nego: animal Petri secundum intensiuum, & vt animal, ingreditur conceptum animalis vt sic, non vero secundum extensiuum, & vt tale animal est, secundu intensiuum non dicit positiuam non repugnantiam essendi in Petro, sed mere præscisiuam: vnde nullam dicit exigentiam. Solùm secundum extensiuum, & vt tale animal est, eam non repugnantiam positiuam dicit, & consequenter exigentiam quoad extensiuum, cum non ingrediatur conceptum communem, nec officit vniuocationi, nec naturam plurificat.

531 Objic. 9. Vel totum vniuersale fuit præscissum ab homine v. g. vel non? Si totum fuit præscissum ab homine? Ergo nil prescissum fuit ab equo. Tunc vltra: ergo totum vniuersalè saluatur in homine. Si non fuit totum ab homine præscissum? Ergo aliquid vniuersalis præscissum fuit ab homine, & aliquid non fuit præscissum, & consequenter dabitur in vniuersali aliquid, & aliquid.

532 Resp: totum vniuersale fuisse præscissum ab homine, sed non totaliter, quia idem etiam præscinditur á bruto, nam sicut prædicatur de homine totum vniuersale, non totaliter, quia etiam totum prędicatur de bruto, ita præscinditur ab homine, non totaliter, quia etiam totum præscinditur â bruto. Sic eadem anima est inqualibet parte hominis, tota non totaliter; & Corpus Christi Domini totum est inqualibet parte Hostiæ consecratæ, non vero totaliter, quia etiam est in alijs partibus simul, vnde abeque totum vniuersale etiam secundum intensiuum ipsius præscinditur.

533 Objic. 10. Quidquid verè prædicatur de aliquo, debet esse idem cum eo, sed de Petro verè prędicatur animal, ergo debet esse idem cum Petro, sed etiam prædicatur de Paulo: ergo etiam est idem cum Páulo; sed animal, quod est idem cum Petro, nequit esse idem cum Paulo; aliàs sequeretur; Petrum, & Paulum esse idem interse, cum sint idem vni tertio: ergo animal vniuersale, licet non sit vnum, est tamen multiplex.

534 Resp. Concedo primum syllogismum, item minorem, & consequentias subsumptas, & distinguo vltimam minorem; sed animal, quod est idem cum Petro, nequit esse idem cum Paulo, secundum intensiuum animalis, nego; secundum extensiuum, concedo: hoc est, idem animal secundum intensiuum, id est secundum prædicata essentialia viuentis sensibilis, est in Petro, & in Paulo; non tamen secundum extensiuum; seu idem numero animal, nam cum dicitur idem *numero*, iam involuitur aliqua vnitas, quæ faciat numerum, Nulla tamen vnitas potest reperiri in vtroque, vt pote ad extensiuum animalis pertinens, vnde idem prædicatum, quod intensiuum pręscissiuè de Petro, & Paulo dicitur, quatenus in obiectiuo conceptu animalis

lis non discernit intellectus distinctionem vllam, aut hecitatem, ratione cuius animal prædicatum de Petro nequeat prædicari de Paulo. Hinc tamen non infertur, Petrum, & Paulum esse idem interse, darique increatis Mysterium Trinitatis. Tum, quia licet Petrus, & Paulus sint idem tertio, nempe animali, non tamen vni tertio, quia animal non est vnum, sed abvnitate prescindit: ergo hic non verificatur illud principium *quæ sunt eadem vni tertio*: tum quia animal realiter, & positiuê non est vnum, sed plura in Petro, & Paulo: ergo non sunt idem vnitertio, quod realiter sit vnum, & inmultiplicabile, sicut Pater, & filius Diuinis sunt idem vni tertio, nempe naturæ *D*iuinæ quæ est realiter vna, & eadē in tribus Personis Diuinis. Animal autem ad summū dicitur vnum præscissiuè, ac proinde si vis, dic; Petrum, est Paulum esse idem vni tertio pręcisiuè, ex quo nullum sequi potest inconueniens.

535 Replicas primo. Cum dicitur de Petro, esse animal, vel prædicatur de eo aliquid distinctum. Uel aliquid non distinctum abeo? Si primum: ergo prædicatio est falsa. Si secundū: Ergo prædicatio est singularis; item, ergo animal, quod prædicatur de Petro, nequit prædicari de Paulo. Probatur hæc consequentia: animal quod prædicatur de Petro, est quid non distinctum ab eo, sed nihil non distinctum à Petro potest prædicari de Petro; aliás saltem inadæquate Petrus, & Paulus essent idem: ergo.

536. Resp. Cum de Petro dicitur; esse animal, prædicari de eo aliquid non distinctum præscisive, hoc est, cum animal de Petro prędicatur, non concipitur ab intellectu aliqua positiua distinctio illius; non tamen esse indistinctum positiue, hoc est, sicut non concipitur aliqua distinctio positiua, ita nec concipitur aliqua positiua in distinctio, seu identitas inter animal, & Petrum, quod sufficiat, vt propositio dicatur vera, & non dicatur singularis; dicitur vera, quia non affirmat predicatum positiue distinctum; dicitur vniuersalis, quia non affirmat prędicatum positiue indistinctum, sed præscissiuè, ac proinde capax, vt de pluribus prædicetur. Hinc patet ad secundam deductionem solutio: quod prædicatur vt indistinctum positiue de Petro, nequit prędicari de Paulo, quod vero prædicatur vt indistinctum præscissiuè de Petro, potest vtique de Paulo, & de omnibus hominibus predicari, quin inferatur, esse idem positiue interse, vt iam dixi.

537 Scire interest: in prædicatione, siue singulari, siue vniuersali enūtiari identitatem prædicati cum subiecto, & subiecti cum prædicato, cum hac tamen distinctione, quod in prædicatione singulari prædicetur mutua identitas positiua inter prædicatum, & subiectum, ideoque est verum dicere, *Petrus est hic homo, hic homo est Petrus.* In prædicatione vniuersali solùm significatur positiua identitas subiecti cum prædicato, & præscisiua prædicati cum subiecto: vnde licet verum sit dicere: *Petrus est homo*, non tamen è contra *homo est Petrus*: sensus ergo huius propositionis: *Petrus est homo*, ita se habet: *Petrus positiue est idem cum homine, & homo non repugnat esse idem cum Petro.* Quod autem natura vniuersalis non repugnet esse idem cum inferioribus, patet, quia cum nullam vnitatem, hecseitatem, aut distinctionem dicat, non est vnde illi adveniat vlla repugnantia.

538 Replicas secundo. Animal præscissum nec dicit distinctionem positivam cum Petro, nec identitatem positiuam; sed quia non dicit distinctionem positiuam de illo verè affirmatur: ergo

ergo quia non dicit identitatem positiuam de illo, verè negabitur.

539 Resp. Concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; nam vt aliquid de alio vere affirmetur, solum requiritur realis identitas inter vtrumque, quod optimè saluabitur cū distinctione formali; at vero vt aliquid de alio negetur, non sufficit distinctio præscissiua, & formalis, sed requiritur negatio identitatis realis.

540 Replicas tertio. Vt vniuersale prædicetur de inferioribus sufficit identitas realis cum distinctione formali: ergo etiam hæc eadem identitas sufficiet, vt rationale prædicetur de animali, á quo formaliter distinguitur.

541 Resp. Ad quamcumque prędicationem adminus requiri positivam identitatem ex parte subiecti, licet solum sit præscissiua ex parte prædicati, cum prædicatum est vniuersale; hanc positiuam identitatem nō habet animal respectu rationalis, sed solū præcissiuā, vnde rationale nequit de animali prędicari, dici q̄ vere *animal est rationale.* Inferiora tamen quæcumque sint, habent hanc identitatem positiuam respectu rationis superioris, vnde de ipsis prædicari poterit, dici que *Homo est animal.*

542. Obj. 11. Quod non est vnum, & multiplex positiue, nequit identificari cum vno positiue, & pluribus positive, sed vniuersale identificatur cum vno positiue, & cum pluribus positiue: ergo est vnum, & multiplex positiue.

542. Resp. *D*istinguo maiorem: quod non est vnum, & multiplex positive, & realiter, concedo. Quod non est vnum, & multiplex formaliter per abstractionem; nego: Certum est, nihil existere nisi in singulari, vnde animal, quod identificatur cum Petro, realiter, & positive est vnum animal, & quod identificatur cum Paulo est aliud animal, vnde vniuersale cum contrahitur ad singulare, realiter est singulare. Hoc non impedit, quo minus formaliter, & per mentem tale animal, nec sit vnum, nec plura, sicut animal nequit identificari cum rationale, quin sit realiter rationale; & tamen formaliter, & per mentem dicitur, non esse rationale.

544 Replicas: Ergo licet vniuersale sit vnum positiuè, poterit prædicari formaliter de pluribus, & licet sit plura positiuê, poterit de vno formaliter, & per mentem prædicari.

545. Resp. Nego consequentiam, & paritatem. Quia, quod est vnum intrinsece, & positivè quomodo de pluribus poterit prædicari? Et quod est plura intrinsecé positiue, de vno? Hoc certè ex ipsis terminis implicat; at vero quod neque est vnum, nec plura positiue, cum non repugnet, & ex se habeat potentiam ad vtrumque, poterit iam cum vno, iam cum pluribus identificari.

SECTIO VIII.

VTRVM VNIVERSALE destruatur per contractionem?

546. PRima sententia affirmat ita PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Isquierdo, Alphonso, & ex Thomistis Magister Lince Goudin, & alij apud nostrum Peynadum, quos ipse sequitur. 2. de vniuersalibus. d. 5. sect. 3. §. 1. & 2.

547. Secunda sententia negat. Ita Conimbricenses, Eximius Doctor, Quiroz, Lince, & Thomistæ aliqui cum Ioan. á S. Thom. & Cōpluten. Olea d. 85 num. 5.

584. Sensus, & supposita quæstionis notabili varietate á *D*octoribus accipiuntur, aliqui ad exagitandam eam supponunt, propositionem esse

simplicem qualitatem omni reali partium compositione carentem, & in eo sensu inter Recentes exagitari, affirmat citatus Peynadus vbi supra n.31. Alij è contra dicunt, hic supponi; propositionem esse qualitatem compositam, ingredique ad eius compositionem abstractionem antecedentem, vel ad minus alium similem actum; ita aliqui Moderni, quos legi, item aliqui tenent; quęstionem inquirere, vtrum posit in eodem instanti coexistere in intellectu abstractio factiua vniuersalis, & simul contractio; an scilicet posita hac contractione in intellectu *Petrus est homo*, perduret ad huc in eo abstractio illa, qua antecedenter cognita fuit natura sine differētijs, evanescat vè statim? Alij denique censent; sensum quæstionis esse; an intra ipsam contractionem, & prædicationem duret vniuersale, ita vt posit dici vniuersale per prædicationem conservari?

549. Dico primo. Abstractio, & contractio alicuius termini possunt simul coexistere in intellectu. Probatur primo: tales actus non sunt oppositi neque ex modo tendendi affirmatiuo aut negatiuo, vt assensus, & dissensus; alter namque est iudicativus, & alter apprehensivus; nec ex parte obiecti, nam abstratio attingit solum prædicata essentialia; contractio vero prædicata essentialia in aliquo indiuiduo, sed prædicata essentialia secundum se, et prædicata essentialia in aliquo indiuiduo non opponuntur; ergo tales actus nulla tenus opponuntur: ergo possunt coexistere in eodem intellectu.

550 Confirmatur primo. In intellectu simul coexistunt iudicium de aliquo obiecto, & simplex apprehensio de contradictorio talis obiecti, v. g. cum dico: *Ioanes est doctus*, existit apprehensio, qua apprehenditur contradictorium, hoc est: *Ioanes non est doctus*, quia cum intellectus ante elicientiam talis actus sit indifferens ad elicentiam contradictorij, debet simul coexistere dispositio necessaria ad talem elicientiam, quæ est apprehensio simplex talis obiecti contradictorij; si ergo iudicium, & apprehensio de contradictorio ipsi iudicio, possunt simul coexistere, quantò magis contractio naturæ ad aliquod inferius, & abstractio talis naturę ab omni inferiori?

551 Confirmatur secundo. Quando vnus actus præcedit, vt dispositio ad alium non destruitur per positionem termini, ad quem disponit, sed abstractio naturæ ab omni inferiori disponit intellectum ad contractionem ipsius naturæ ad aliquod inferius; ergo per positionem contractionis non destruitur abstractio; ergo simul coexistunt.

552 Hinc infertur; vniuersale non destrui per contractionem, nam per contractionem non destruitur pluralitas vniuersalis, vt per se patet; nec destruitur vnitas extrinseca, quæ in ipsa apprehensione consistit, nec vnitas præscissiua, quia manente eadem apprehensione, qua non cognoscitur pluralitas, eadem vnitas præscissiua manet: ergo totum vniuersale; quo totus quæstionis titulus salvatur.

553 *D*ico secundo. Adhuc intra prædicationem, & contractionem non destruitur, sed manet vniuersale. Probatur primo conclusio ex Aristotele 7. metaphysicę cap. 13. tex. 41. *Vnouersale est, quod est aptum, vt in pluribus sit*: ergo non destruitur per actum essendi in pluribus: patet consequentia: nulla potentia destruitur per actum, adquem dicit aptitudo, sic possibile non destruitur per existentiam, aptitudo materiæ ad habendam formam non destruitur per actualem informationem, & vniuersaliter nullus actus primus per suum actum secundum; ergo nec aptitudo vniuersalis ad essendum, & prædicandum de pluribus destruitur per actuale esse, & prędicari de pluribus, quod est conctractio.

554 Cōfirmatur. Frustranea est potētia irreducibilis ad actū, sed si vniuersale destrueretur per contractionem, eius potentia vt prædicetur de pluribus, esset irreducibilis ad actum: ergo esset frustanea. Maior meo videri est euidens. Adquid enim est potentia, si terminus est impossibilis? Sic impugnamus Scotistas concedentes a parte rei in naturá specificà Petri aptitudinem, vt sit in Paulo: sic talis aptitudo irreducibilis est ad actum: ergo est impossibilis. Minor est certa: nulla potentia reducitur ad actum secundum per id, per quod destruitur, & desinit esse potentia; sed per contractionem, & prædicationem destruitur potentia vniuersalis, vt prædicetur: ergo cum nullus alius sit actus secundus potentię, vt prędicetur vniuersale, quā actualis eius prædicatio, si per hanc destruitur, irreducibilis est ad actum.

555. Probatur secundo: adhuc intra hanc prędicationem: *Petrus est homo* ly *homo* retinet totam essentiam vniversalis: ergo non destruitur vniuersale. Probatur antecedens. Ad huc intra prædicationem ly *homo* est vnum aptum esse, & prædicari de pluribus: ergo ad huc intra prędicationem, *Petrus est homo*, ly *homo* retinet totam essentiam vniuersalis. Probatur antecedens: Ideo homo extra prædicationem est vnum aptum esse, & prædicari de pluribus, quia in conceptu obiectiuo illius nulla datur vnitas, ratione cuius sit ineptus, vt prædicetur de pluribus, sed similiter intra prædicationem nulla concipitur vnitas, ratione cuius sit ineptus, vt de pluribus prædicetur: ergo ad huc intra prædicationem est vnum aptum prædicari de pluribus. Item nulla attingitur pluralitas opposita vnitati pręscissiuæ vniuersalis. Probatur: multiplicitas, quę advenit naturę vniuersali abstractæ vi prędicationis, est multiplicitas subiectiua, & materialis; non verò formalis in ratione hominis v.g. Sed multiplicitas subiectiua, & materialis non opponitur vnitati pręscissiuæ vniuersalis: ergo per contractionem nil ponitur, ratione cuius non maneat vniuersale in esse talis, sicut ante contractionem.

556. Confirmatur primo. Distinctæ sunt hę prædicationes, *Ioannes est homo*: *homo est animal* ab his *Ioannes est hic homo*, *homines sunt animalia*. Sed per has vltimas destruitur vniuersale: ergo per primam non destruitur.

557 Confirmatur secundo. In hac prędicatione *homo est animal*: ly *animal* non prędicatur vt æquale, non prędicatur vt inferius; ergo prędicatur vt superius: ergo illic remanet in esse vniuersalis.

958 Nota. Quod licet maneat natura vniuersalis ad huc intra prædicationem, non tamen vi, & efficacia ipsius contractionis; sed abstractionis anteccedentis. Aliud enim est, quod non destruatur vniuersale per prædicationem, & aliud, quod per prędicationem conficiatur. Sicut producibilitas rei non destruitur per actualem productionem talis rei, non tamen constituitur per productionem in esse producibilis: item existentia adiectiua, seu esse actuale rei non destruit possibilitatem ipsius, & tamen eam non constituit; vnde sicut esse adiectivum supponit possibile, & productio actualis supppnit producibile, ita prædicatio actualis naturæ supponit eam prædicabilem, eam tamen non constituit in esse prędicabilis; eam namquè in esse prędicabilis sola abstractio antecedens constituit, & suppositâ hac prędicabilitate, eam prædicat.

559 Et ratio vlterior est: quia non

non destruere vniuersale, solum est non ponere aliquid oppositum ipsi, sed non ponere aliquid oppositum ipsi, nō est efficere illud, sic forma non ponit quid oppositum appetitui materiæ primæ, cum illam actuat; non tamen illum appetitum constituit, sed supponit: ergo etiam si contractio nil ponat oppositum vniuersali, quod actuat, illud non constituit, sed supponit constitutum.

560 Hinc inferes primò. Prædicationem non esse formam constitutiuam vniuersalis, vnde casu, quo sine prævia abstractione diceret intellectus: *Petrus est homo*, ly *homo* non esset vniuersale. Patet: nam cum saltim vulgariter loquēdo, vt dicat intellectus: *Petrus est homo* debet præcedere homo apprehensus, rogabo: vel ly *Homo*, qui præcedit apprehensus, fuit solū quoad prędicata essentialia nulla cognita differentia formali, vel fuit hic homo singularis? Si primum? Hæc est abstractio, á qua cōstituitus fuit in esse vniuersalis. Si secundum? Ergo nec in prædicatione erit vniuersalis. Idem enim est dicere: *Petrus est homo*, ac *Petrus est hic homo*, vbi nulla datur prędicatio vniuersalis: ergo si est vniuersalis, necessario præcedet abstractio, & si non præcedit, non est vniuersalis: ergo prædicatio non est forma vniuersalitates.

561. Inferes secundo. Re ipsa nobis non opponi plures ex Aduersarijs, præcipuè omnium acerrimum Alphonsum, recentemque Peynadum, ex quibus, Primus disp. 5. de constitutione vniuersalis sect. 5. n. 54. Fatetur, naturam vt obiectum abstractionis manere vniuersalem; negat tamen, esse vniuersalem, vt obiectum prædicationis; hoc est, prędicationem non constituere illam in esse vniuersalis. Secundus num. 31. Explicans titulum quæstionis ait, *alijs* terminis est inquirere: vtrum iudicium prędicans actualiter de inferiori-bus naturam antecedenter ab eis præscisam sit forma constituens vniuersalem naturam, quam prædicat: Ergo si in hoc sensu ab eis negatur, nobis re ipsa non opponuntur.

562. Hinc denique inferes: prædicationem nec esse factiuam vniuersalis, nec destructiuam, sed naturam qualem invenit, talem relinquit, si invenit vniuersalem, eo quod præcesserit abstractio, relinquit vniuersalem; si particularem invenit, eo quod abstractio non præcedat, vtique & particularem relinquit.

SVBSECTIO UNICA.

OBIECTIONES SOLVVNTVR.

563. OBjic. 1. Contra primam conclusionem. Abstractio & contractio opponuntur: ergo nequeunt simul coexistere. Probatur antecedens: abstractio est separatio vnius rei ab alia, contractio est coniunctio talis rei cum alia, sed separatio, & coniunctio opponuntur: ergo.

564. Resp. Distinguo antecedens: abstractio & cōtractio opponuntur simul in eodem intellectu, nego, simul in eodem actu respectu eiusdem termini *qui* & *a quo*, concedo: Solutionem explico. Abstractio, & contractio non opponuntur, licet distinguantur, vt constat ex nostris probationibus, sicut enim iuxta aliquos, & si non repugnent, coadunari in eodem intellectu respectu eiusdem obiecti plures actus, ex quibus vnus sit scientię, alter fidei, & alter opinionis; repugnat tamen coadunari in eodem actu, ita vt idem actus sit simul scientiæ, fidei, & opinionis; ita nos dicimus, in eodem intellectu posse simul coexistere abstractionem, & contractionem eiusdem termini, non tamen coadunari ad eumdem actum, ita vt idemmet actus sit simul abstractio, & contractio eiusdem termini, qui abstrahitur ab eodem termino, á quo abstrahitur. Sic idemmet actus nequit animal abstrahere á rationali, & contrahere ad illud, nam cum abstractio nil aliud sit, quam cognoscere vnum sine alio, & contractio cognoscere vnum cum alio, implicat per eumdem actum cognosci vnum sine alio, & cognosci vnum cum alio; non tamen repugnat, quod intellectus vi vnius actus cognoscat vnum, & non aliud, & quod vi alterius vnu & aliud cognoscat, ex quo solum sequitur, vnū actum esse inadæquatum, alterum verò adequatum obiecto.

565 Objic. secundo contra secundam conclusionem: hic actus: *Petrus est hic homo*, destruit vniuersale: ergo, & hic: *Petrus est homo*; probatur consequentia. Ideo primus actus destruit vniuersale, quia illud cum aliqua differentia coniungit, sed secundus cum eadem differentiâ illud coniungit, idem namque prædicat vterque: ergo.

566 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens. Ideo destruit vniuersale, quia illud coniungit cum aliqua differentia formali, concedo; materiali, nego. Solutionem explico: datur duplex differentia materialis, & formalis; differentia, materialis est vltima rei indiuiduatio, nempe *Petreitas*, *Pauleitas*, *& c.* Quæ materiales dicuntur, quia supponunt totam essentiam metaphysicam hominis constitutam. Differentiæ formales sunt, vel *rationale*, aut *irrationale*, vel etiam hecseitates incompletæ, quæ etiam differentiæ formales possunt apellari, quæ non supponunt essentiam hominis constitutam metaphysicè, & ipsum animal in ratione animalis plurificant. Pluralitas adueniens animali ratione differentiarum materialium est pluralitas subiectiua, aut terminatiua, quæ vniuersalitati non officit; potest enim concipi totum animal secundum intensivum in Petro, in Paulo, & reliquis indiuiduis, quin multiplicetur animal in ratione animalis, ac proinde quin destruatur, eius vnitas, ad modumque (liceat parva componere magnis) natura Diuina tota communicatur tribus Diuinis Personis, quin ipsa natura multiplicetur, & vniuersale Platonicum idem intrinsece tale pluribus indiuiduis communicaretur.

567 Pluralitas vero formalis ratione hecseitatum vniuersale destruit, si quidem multiplicat ipsum animal in esse animalis, vnde hoc animal non est positiuè illud animal ratione illius hecseitatis, aut vnitatis formalis; cùm ergo illi apponitur ly *hoc*, iam non manet commune pluribus, & ly *hoc* ablato, commune manet, sic non est verum dicere: *Petrus est hoc animal*, & *Paulus est hoc animal.* Si de eodem loquamur, verum tamen est: *Petrus est animal*: & *Paulus est animal* etiam si de eodem præscissiuè loquamur: ergo quid mirum, quod hæc propositio *Petrus est hoc animal* destruat vniuersale ratione illius hecseitatis additæ, & quod hæc: *Petrus est animal*, illud non destruat, sed conservet?

568 Nota pro prima conclusione ly *hoc* destruere vniuersale intra prædicationem, non verò extra prædicationem: hoc est, licet ab illa propositionē cognoscatur determinatum animal non impedit quominus aliás detur in intellectu cognitio animalis vi abstractionis, quin vllius hecseitas attingatur.

569 Objic. 3. Uniuersale vt tale constituitur per priuationem differentiarum, sed per prædicationem adueniunt differentiæ; ergo per prædicationem

nem destruitur vniuersale. Patet consequentia: nam adueniente formâ destruitur eius priuatio; ergo adueniente differentiâ destruitur priuatio differentiarum, ac proinde ipsum vniuersale ex tali priuatione constitutum.

570 Resp. Vniuersale ante contractionem duas priuationes dicere, non positiuas, sed præscissiuas, & priuationem differentiarum materialium, & priuationem differentiarum formalium, hoc est cognoscitur sine Petreitate, Pauleitate, &c. Et etiam cognoscitur sine hac, vel illa hecseitate, prima privatio scilicet differentiarum materialium non est de essentia vniuersalis. Unde, & si hæc per contractionem deficiat, non destruitur vniuersale, secunda privatio est de essentia vniuersalis, ideoque ha deficiente per hanc prædicationem, v.g. *Petrus est hoc animal: Paulus est illud animal*, destrueretur vniuersale intra prædicationem, ratio iam supra dicta manet: nam ratione differentiarum materialium non plurificatur animal in ratione animalis, ratione verò differentiarum formalium multiplicatur, & diuiditur.

571. Replicas. Maior est in esse differentiæ differentia materialis, quam formalis; nam illa facit, vnum Hominem non esse sicut alius; hæc vero solum facit, vnum hominem non esse alium; si ergo maior differentia non officit vniuersalitati, cur minor officiet?

572. Resp. In ordine ad destructionem vniuersalis maiorem esse differentiam formalem, quam materialem, licet vniuersaliter hęc sit maior illa ob rationem argumenti; & ratio est, quia ex differentia materiali non plurificatur vniuersale, & ex differentia formali plurificatur positiuè, sic á differentijs personarum, quibus communicatur, nõ multiplicatur natura Diuina, ita vt addita personalitate filij non plurificatur natura, quæ est in Patre, & Spiritu Sancto, & si addæretur naturæ Patris aliqua hecseitas distincta in Filio, multiplicaretur natura.

573. Objic. 4. Angelicum Doctorem opusc. 56. paulò ante medium dicentem; *homo qui prædicatur de Sorte, idem est quod Sortes; & qui prædicatur de Platone, idem est quod Plato, cum prædicatum insit subiecto*; sic arguis: homo, qui est idem, quod Plato, non est vniuersalis; si quidem non est communis pluribus, sed homo, qui per contractionem prædicatur de Platone iuxta Angelicum Doctorem, idem est, quod Plato; ergo non est vniuersalis.

574. Confirmatur primo: per actum, quo homo fit idem cum aliquo inferiori, destruitur eius aptitudo ad alia inferiora, sed per prædicationem homo fit idem cum Platone: ergo per prædicationem destruitur eius aptitudo.

575. Confirmatur secundo: hic actus: *Plato est homo*, attingit ex parte obiecti naturam, quam prædicat de Platone, sed naturā, quam prædicat de Platone, nõ est vniuersalis, ergo non attingit vniuersale ex parte obiecti.

576. Admitto Authoritatem Diui Thomę, & ad argumentum ex ea deductum, distinguo maiorem; homo, qui est idem, quod Plato, non est vniuersalis: si sint idem positiuè, tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati, concedo. Si sit idem positiuè ex parte subiecti, & solum præcisiuè ex parte prædicati, nego, & similiter distinguo minorem, homo, qui prædicatur de Platone, est idem, quod Plato; est idem identitate positiua ex parte Platonis, & præscisiuá tantum ex parte hominis, concedo; identitate positiua mutua, nego. De hac identitate iam supra locuti sumus. Plato est idem cum homine, qui de ipso prędicatur identitate positiua; valet enim: *Est Plato, ergo homo*, homo verò, qui prędicatur de Platone, est solum præscisivê idem cum eo, hoc est, non

non dicit repugnantiam, vt cum eo identificetur, & cum omni alio, qui fuerit eiusdem speciei; hæc autem non repugnantia est aptitudo vniuersalis ad omnes; hinc est, quod per prędicationẽ nõ destruatur eius vniuersalitas, non enim valet: *Est homo, ergo est Plato*: ergo non datur mutua positiua identitas.

577. Hinc ad primam confirmationem respondetur; per actum, per quem homo fit idem identitate positiva mutua cum alio inferiori, destrui vniuersale, sicut per hunc actum destrueretur: *Plato est hic homo*; nam inter Platonem, & hunc hominem poneretur mutua positiva identitas; valeret enim: *Est Plato, ergo hic homo*: *est hic homo, ergo est Plato*, non vero per actum, quo poneret intellectus identitatem positivam ex parte subiecti, & præscisiuam ex parte prædicati, vt se habet hic; *Plato est homo*.

578. Ad secundam confirmationem concede maiorem, & nega minorem: nam natura, quam intellectus prædicat de Platone per illum actum: *Plato est homo*, est animal rationale, quod vniuersale est & aptum ad omnes homines.

579. Obj. 5. Per hanc prædicationem *Omnis homo est animal* attingitur obiectivê identitas animalis cum pluribus: ergo attingitur pluralitas animalis.

580. Resp. Distinguo antecedens: attingitur identitas animalis positiva, nego; præscisiva, concedo: etiam distinguo consequens: ergo attingitur pluralitas materialis, & terminativa, concedo; formalis, & in ratione animalis, nego.

581. Objic. 6. Intellectus optimè scit, in creatis repugnare Misterium Trinitatis, ac proinde animal Petri non esse animal Pauli: ergo cum prædicat de Petro, & de Paulo esse animal, distincta prædicat animalia.

582. Retorqueo: ergo nec de eis præscindit idem Animal.

583. Resp. Quod licet aliàs certè sciat intellectus; non esse realiter idem animal Petri, ac animal Pauli, vi tamen abstractionis, & prædicationis hoc non discernit, cum solum discernat, quod cognoscit, & solum cognoscat viuens sensibile, & nil amplius.

584. Objic. 7. Vniuersale est status separationis; sed status separationis destruitur per coniunctionem: ergo & vniuersale per contractionem, quæ est coniunctio.

585. Confirmatur: status purę possibilitatis destruitur per actualitatem: ergo & status separationis per coniunctionem.

586. Resp. Distinguo maiorem. Uniuersale est status separationis à differentijs formalibus, & hecseitatibus illud plurificantibus, concedo; á differentijs materialibus illud non plurificantibus, nego.

587. Ad confirmationem Dico: Vniuersale non esse comparandum cũ purê possibili; sed cum possibili, & sicut hoc non destruitur, sed potius perficitur per actualitatem, sic vniuersale non destruitur, sed perficitur per prædicationem. Purè possibile, & purè vniversale comparanda sunt; & sicut purê possibile per actualitatem destruitur, sic purê vniuersale per contractionem, nam per contractionem non est purè vniuersale, sed iam est ad exercitium redactum.

588. Obj. 8. In hac prædicatione: *Petrus est homo* ly *homo* non prędicatur vt vnum aptum prædicari de pluribus: ergo non prędicatur vt vniuersalis. Probatur antecens. Id non se habet vt prædicabile de pluribus formaliter, quod de pluribus non prædicatur, sed solum homo in hac prædicatione non prędicatur de pluribus: ergo.

589 Resp. Nego antecedens, ad pro-

probationem distinguo maiorem: id sehabet vt prædicabile, &c. In actu exercito totius suæ prædicetionis, concedo; in potentiá, & aptitudine ex modo prædicandi, nego; sic omnipotentia cum producit aliquam creaturam in particulari, formicam v.g. licet in actu exercito non exerceat totam, & adequatam vim, non tamen infertur, non producere formicam, vt omnipotentia, quia ad hoc sufficit, vt ita illam producat, quod possit simul simultate potentię omnes creaturas producere. Ita licet, cum prædicatur homo de aliquo inferiori, non exerceat totam suam prędicabilitatem, prædicatur vt vniuersalis, quia potest de omnibus alijs prędicari.

590 Objic. 9. Si intellectus non præscinderet vniuersale á differentijs materialibus, animal v.g. á Petro, & Paulo, non efficeret vniuersale: ergo requiritur necessariò præscissio á talibus differentijs; sed per contractionem tales differentiæ attinguntur; ergo & vniuersale destruitur.

591 Resp. Concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo requiritur ea pręscissio immediatè, formaliter, & ratione sui, nego: mediatè, & ratione alterius; concedo. Explico solutionem: animal potest pręscindi primo à differentijs materialibns tantúm, v.g. á Petreitate, & Paulitate, quin præscindatur á differentijs formaliter diuersificantibus, nempe á rationali, & irrationali: secundo etiam ab his differentijs, non tamen ab vnitatibus formalibus, seu hecseitatibus, quæ & si non diuersificent, plurificant illud: non tamen potest præscindi ab hecseitate, quin pręscindatur etiam à differentiá diuersificante, & á differentiá materiali; & ratio est, quia hecseitas est gradus superior, & á gradu superiori nequit abstrahi res, nisi atiam abstrahatur ab inferiori. Cum ergo ad vniuersale requiratur immediate, & formaliter præscissio ab hecseitatibus plurificantibus, & hæc nequeat dari sine præscissione á differentijs materialibus, hæc præscissio requiritur mediatè, non ratione sui, sed ratione præscissionis ab hecseitate, cum autem in contractione maneat vi abstractionis antecedentis natura præscissa ab hecseitate, licet ad differentias materiales contrahatur, manet in esse vniuersalis, licet non constituatur in esse talis ab ipsá contractione, & hæc potest esse alia ratio, quare nequeat vniuersale fieri per contractionem, licet per eam non destruatur.

592 Objic. 10. Continuum est diuisibile, & destruitur per diuisionem per quam in plura partitur; v.g. Si manus diuidatur in partes, non manet manus: ergo similiter vniuersale diuisibile, dum diuiditur in inferiora, destruetur.

593 Resp. Asignando disparitatem inter continuum, & vniuersale: continuum est totum actuale actualiter partes continens: vnde per quamcumque diuisionem tollitur illi aliquod prædieatum essentiale, nempe vnio continuatiua partium, quę diuiduntur; at verò vniuersalê est totum potestiuum participabile à pluribus, vnde ipsum non partitur formaliter, cum participatur ab vno indiuiduo, sed vlteriús totum manet participabile ab alio. Comparandum ergo est vniuersale cum natura *Diuina*, quæ á pluribus participatur, quin ipsa multiplicetur, sed sicut tota á Parre, tota á filio, tota ab spiaitu Sancto participatur, sic tota natura vniuersalis secundum intēsiuum ipsius prædicatur de Petro tota, de Paulo tota, quin multiplicetur in esse talis; natura autem vniuersalis comparanda est cum continuo in disibilitate formali; nam sicut continuum destrueretur per diuisionem partium,

sic vniuersale per vnitates formales, quibus diceretur; *Petrus est hic homo*: *Paulus est iste homo*, &c.

594 Objc. 11. Hic syllogismus non valet: *Petrus est homo*, *Paulus est homo*, ergo *Petrus est Paulus*: ergo quia non est idem vniuersale homo, qui prædicatur de Petro, & qui prædicatur de Paulo; aliás, si esset idem, cum Petrus, & Paulus essent idem vni tertio, consequenter essent idem interse.

595 Sectione antecedenti hanc difficultati satisfeci dicens; vt duo sint idem interse, non sufficere, quod sint idem vni tertio præscissiuè, quale est vniuersale, sed requiri, quod tale tertium sit vnum positiue, quale non est vniuersale.

596 Objic. 12. Ex ingeniosissimo Neoterico. Si uniuersale non destrueretur per contractionem, fieret per comparationem anteccedentem: ergo destruitur per contractionem, probatur sequela. Ideo non destruitur per contractionem, nec destruitur eius vnitas, quia & si attingatur pluralitas, & differentię ex parte subiecti, tamen hæc non attingitur ex parte prædicati, sed solùm prædicata essentialia animalis v.g. ex se indifferentia ad omnia inferiora, sed per comparationem antecedentem idem euenit: ergo si vniuersale non destrueretur per contractionem, fieret per comparationem antecedentem. Probatur minor. En actus comparationis antecedentis: *Petrus, & Paulus sunt similes in natura*: en actus comparationis subsequentis, compositæ, seu contractionis: *Petrus, & Paulus sunt homo*: sicut enim in hoc, Petrus, Paulus se habent ex parte subiecti, & ex parte prædicati solum se habet homo, ita & in illo similiter, Petrus, & Paulus se habent ex parte subiecti, & natura humana ex parte prædicati: ergo

597 Resp. hunc actum: *Petrus, & Paulus sunt similes in natura*, non esse vt cumque comparationis antecedentis, sed ita vt ex parte ipsius naturę cōcipiantur hecseitates, & differentiæ eam plurificantes, nam cum, comparatio antecedens non sit præscissiua concipit Petrum, & suam naturam similem Paulo, & naturę Pauli, vnde ipsas naturas similes inter se concipit: ergo non solum ex parte subiectorum, sed etiam ex parte prædicati pluralitatem concipit. Non sic comparatio subsequens; nam hæc naturam predicat eo modo, quo præcedit in apprehensione cognita; si verò ille actus: *Petrus, & Paulus sunt similes in natura*, solum attingit naturam humanam secundum se, & ex parte prædicati, non erit actus comparationis antecedentis, sed subsequentis conseruatiuę vniuersalis ab astractione præscissæ, & constitutæ in esse talis, quod propositioni illi non repugnat; nam sicut concipimus, & reipsa euenit, Patrem æternum, & filium Diuinum similes in natura, quin ipsa natura multiplicetur in esse naturæ, & sicut casu quo eadem albedo diuinitus in duplici subiecto poneretur, duplex illud subiectum esset simile in albedine, quin plurificetur albedo, ita possent Petrus, & Paulus concipi similes in natura abstracta, quin vnitas ab abstractione illi communicata destrueretur.

TRACTATVS IV.

DE PRÆDICAILBIBVS

MAlcus cognomento PorphyriusPlatonicus Philosophus nobilis ingenio, veræ Christianæ religionis apostata, vt discipulum quendam sibi oculissimum instrueret, tractatum instituit, quem Isagogen de prędicabilibus appellavit. Hunc, postquam de vniuersali, seu prædicabili in communi egi, iam vobis proponere licet. Quinque prædicabilia á Porphyrio annumerantur, *Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens*, de quibus singillatim per quinque disputationes agemus. Deinde eis, quæ ad omnia in communi pertinent, acturi.

DISPUTATIO I.

DE GENERE.

1. GEnus varie accipitur. Nunc prout ad logicam pertinet, pro quodam particulari vniuersali, seu prędicabili sumitur.

SECTIO I.

QVID SIT GENVS?

2. NOta primò. Prædicari aliquid in *quid* de alio, esse prædicari, vel vt totum, vel vt partem essentię illius; quę quidem essentia *Quidditas* rei appellatur, fortasse, quia cum ab aliquo rogatur: quid est hoc? Respondere tenemur per prædicata essentialia rei; v. g. Si rogatur. Quid est homo? Respondimus. Animal rationale. Prædicari in *quale* est prędicari per modum alteri adjacentis, vel determinantis ad aliquid componendum. Quod communiter per nomē adiectivum explicari solet. Nam ita etiam respondetur, cum rogatur per *quale*, v.g. Qualis est homo? Respondebimus: Est Nobilis, vel Plebeius, &c.

3. Nota secundò. Prædicari in *quid*, & prędicari in *quale*, non se excludere essentialiter, sed potius sępe coadunari, quando scilicet aliquid prædicatur per modum formę alteri adiacentis, & simul vt pars essentialis illius, de qua prædicatur, opponitur tamen prædicari in *quid* puré, & prædicari in *quale* pure.

4. Nota tertiò. Idem esse, duo differre notabiliter, ac differre essentialiter, seu specifice; eam tamen vocari notabilem differentiam, quę apud prudentum

dentium existimationem talis iudicatur vt ingressa ad rei primariam constitutionem, eam diversam faciat ab alia re. Hæc autem notabilis differentia ponitur inter Hominem, & Brutum; non vero inter homines inter se, quia licet sæpe plus videatur distare hominem summe ignarum (qualis fuit ille filius Quarti Metelli, de quo Scipionem dixisse, refertur; si Quintum pareret Matereius, asinum fore parituram) ab homine Sapientissimo (qu lis fuit Salomon, aut *D.* August.) quam á Bruto Elephante v.g. qui plura discit, vel Cane, qui Callide sępe plura ratione ductus, videtur disponere, tamen prudentum existimatio inter Quintum stupidum, & Canem poni diversitatem specificam: non vero inter Quintum, & Augustinum.

5. His prænotatis ex mente Porphyrij hanc generis definitionem cōficio. *Genus est prædicabile in quid pure de differentibus notabiliter.* Explicatur: *ly prædicabile.* Est ratio communis, per quam convenit genus cum reliquis prędicabilibus. Per *ly in quid*, differt ab accidenti, & proprio, quæ prædicantur in *quale*. Per ly *pure* differt á differentia, quæ & si prædicetur in *quid*, non pure, nan etiam prædicatur in *quale*. Et licet à nemine addatur ly *pure*, eo quod iudicent satis differre differentiam á genere per *quale* positum in definitione differentię, ego necessarium illud additamētum iudico, nam licet differentia sufficienter differat á genere per *quale* additum in sua propria definitione, genus tamen non differt sufficienter á differentia, nisi addatur ly *pure* in sua definitione. Nam totum hoc, quod est esse prædicabile in quid de pluribus differentibus notabiliter convenit differentiæ subalternæ. Per ly *differentibus notabiliter*, differt genus ab specie, quæ solum prædicatur de pluribus differentibus numero, quę differentia in numero, materialis, seu non notabilis appellatur.

6. Non addidi de pluribus differentibus, quia ly *pluribus* est omnino superfluum, cum dicatur *differentibus*, si enim differentes sunt, iam supponitur esse plures. Item nec in *quid incomplete*. Tum quia per ly *differentibus notabiliter* sufficienter distingitur genus ab specie. Tum quia eo ipso, quod genus prędicetur de differentibus, prędicatur in quid incomplete, cum in inferioribus remaneat differentia, vt cum eo, quod prædicatur concretum differens constituat.

7. Obj. 1. Genus etiam prędicatur de pluribus differentibus numero. Ergo non differt ab specie, neque eius essentia sufficienter explicatur, per esse prędicabile de pluribus notabiliter differentibus: sic animal, quod est genus, prędicatur de Petro, & Paulo.

Resp. Assignando quatuor differentias, & simul disparitates inter genus, & speciem. Prima. Species tantum est prædicabilis de pluribus differentibus numero; genus est prædicabile de differentibus numero, & simul de differentibus notabiliter. Secunda. Species prædicatur de differentibus numero immediate; genus vero non prædicatur immediate, sed solum mediate de differentibus numero. Tertia. Species prædicatur in quid complete, vt tota scilicet essentia metaphysica; genus prędicatur in quid incomplete, vt pars essentia, quod per ly differentibus notabiliter significatur.

8 Objic. 2. Hæc definitio convenit accidenti quinto prædicabili. Probatur. In his prędicationibus *Albedo est color. Nigredo est color.* ly *color* prædicatur in quid de notabiliter differentibus; sed color est accidens. Ergo hæc definitio convenit accidenti.

Resp. Colorem posse considerari, vel respectu specierum coloris, Nigredinis,

dinis, albedinis v.g. Vt patet in prędicationibus iam positis, & tunc est proprium genus, non minus, quam animal respectu hominis, & bruti. Vel potest considerari respectu subjectorum, quibus inhæret v.g. in his prædicationibus: *Petrus est albus. Paulus est niger.* Et respectu horum est accidens, de iisque non prædicatur in quid, sed solum in quale.

9 Objic. 3. Si redderetur impossibilis species bruti, & solum maneret species hominis, animal maneret genus, vt nunc est, cum maneret ejus essentia invariata; sed tunc non esset prædicabile de pluribus notabiliter differentibus, cum solum esset prædicabile de hominibus, qui inter se non differunt notabiliter. Ergo definitio illa non convenit omni generi.

Resp. In ea hypotesi animal non manere genus, nec ex eo variaretur ejus essentia, cum maneret viuens sensibile, sicut nunc est. Nam esse *genus*, *speciem*, *&c.* sunt denominationes extrincesæ logicæ prouenientes á consideratione intellectus; tunc deficeret illi denominatio generis, non vero aliquod prædicatum animalis.

10 Si roges: ad quod prędicabile tunc animal pertineret? Respondebit Lynceus, animal tunc fore speciem resultantem ex viuenti, vt ex ratione communi, & sensibili vt differentiali, & rationale tunc se habere vt proprietatem, sicut nunc se habet risibile. Compt. dicet. Tunc se haberet animal vt differentia, & rationale, seu intellectivum esset ratio communis ad hominem, & Angelum. Tu vero dic, quod tũc animal esset quoddam prædicabile anonymum, nam non esset genus ob rationem argumenti, non esset differentia, quia non prædicaretur per modum formæ alteri adjacentis; non esset species, quia non esset tota essentia metaphysica hominis, rationale namque non includeretur in animali, vt male Atri ga, nam licet tunc valeret *est animal*; ergo *est rationale*, etiam nunc valet: est risibile, & admiratiuum; ergo rationale: & è contra; quin rationale includatur formaliter in risibili) rationale insuper nequit esse proprietas sensibilis, cum sit perfectius sensibili: ergo esset rationale tunc de essentia hominis: ergo animal non prædicaretur vt tota essentia. Et ratio est, quia etiam si vi alicuius prædicati prioris res sufficienter differat ab omni alio, si tale prædicatum est imperfectius altero prædicato, quod subsequitur; ex vtroque differentia adęquata rei resultat, vt videre est in homine, qui per apprehensivum sufficienter diversificatur á bruto, & tamen differentia hominis essentialiter constituitur ex iudicativo, & discursivo, vt pote prædicatis perfectoribus. Neque esset proprium, & accidens, cum non prędicaretur in *quale*; ergo solum restat, quod sit prædicatum innominatum.

11 Objic. 4. Ens est prædicabile in *quid* de notabiliter differentibus: sed non est genus, nam genus debet esse compars cum differentia ad componendam speciem, & compars debet esse extra aliam compartem, quod in ente vt potè transcendenti nequit verificari: ergo hæc definitio convenit alijs á definito.

Resp. Uel ens non transcendere vltimas differentias, vel transcendentiam non officere, quominus sit propriè genus, cum non officiat, quominus illi tota generis definitio conveniat. Vnde ad probationem dico, vel ad rationem generis non requiri conceptum partis, si differentia nequit dici compars, eo quod sit implicite ens; vel sufficere quod differentia explicite non sit ens, vt dicatur compars cum ipso ad constitutionem speciei.

12. Objic. 5. Si genus definiretur, ly *prædicabile* esset genus respectu illius; ergo esset simul superius, & inferius respectu generis. Prob. conseq. Esset superius, quia de illo, & de reliquis prædicabilibus prædicaretur; esset inferius, quia contineretur sub genere prædicabili.

De hac difficultate non parum æquivoca suo proprio loco agendum est. Nunc scias; non esse inconveniens quod idem secundum diversos respectus sit superius, & inferius respectu eiusdem. Sic Rex est superior Sacerdote vt Rex, & inferior vt pœnitens.

13. Objic. 6. Si genus definiretur, esset species, cum constaret genere, & differentia, quibus definitur, quomodo ergo poterit simul esse genus, & species?

Resp. Non repugnare esse simul genus, & speciem respectu diversorum. Est species quatenus concipitur constans genere, & differentia; est genus respectu suorum inferiorum. Sic similiter species vt sic est species, quia constat genere, & differentia, & genus, quia respicit plures species notabiliter diversas vt inferiores.

14. Obj. 7. Totum per accidens nequit definire; sed genus est totum per accidens, cum resultet ex natura, & secunda intentione. Ergo.

Resp. Ens per accidens posse definiri, non secundum eam rationem, qua partes illud componentes differunt, sed secundum illam, qua adunantur ad aliquid constituendum. Sic exercitus, Respublica, & acervus lapidum definiri possunt, nam cum definitio sit explicatio rei, quid impedit posse ita exercitum explicari, vt eius explicatio significet essentiam exercitus, prout ab omni alio, quod non est exercitus, differt? Insuper genus non est ens omnino per accidens, licet sit concretum accidentale, sicut concretum album, nigrum, &c.

SECTIO II.

QVID SIT DEFINITVM IN DEfinitione generis.

15. CVm genus resultet ex natura abstracta, & secunda intentione, inquirimus in præsenti, quale ex his constitutivis sit, quod principaliter definitur in definitione generis? An secunda intentio? An natura? Uel an natura in obliquo, & secunda intentio in recto, aut ê contra, vel denique an vtraque in recto?

16. Prima sententia tenet; Naturam vnice definiri in definitione generis, se habente secunda intentione vt prerequisito necessario. Ita Scotistæ aliqui, & Spinula d. 7. sect. 1. conclus. 3.

Secunda sententia tenet; definiri solam secundam intentionem. Ita Caiet. & aliqui Scotistæ.

Tertia sententia tenet; vtrumque definiri, sed secundam intentionem in recto, & naturam in obliquo; ita communiter Thomistæ cum Ioanne de S. Thoma, & alij, quos sequitur M. Linc.

Quarta sententia tenet, definiri in recto naturam, & secundam intentionem in obliquo. Ita P. Hurt. P. Arriag. Peyn. d. 1. n. 17. & communiter RR. cum P. Olea d. 38. num. 9. l. 2. q. 1. art. 4. num. 17.

Quinta sententia. Vtrumque, tam naturam, quam secundam intentionem statuit ęque in recto definiri. Ita aliqui ingeniosi Neoterici cum P. Rub. pro ea citato à P. Pein. disp. sup. num. 16. Pr. Massa hic sec. 2.

17 Dico: definitum in definitione generis est concretum ex natura, & secunda intentione, ita tamen vt naturam dicat in recto, & secundam intentionem in obliquo.

Prob. & simul reliquę sententiæ improbantur. Id est de finitum definitionis generis, de quo verificatur generis definitio; nempe *Prædicabile in quid de differentibus notabiliter.* Atqui definitio tantum verificatur de concreto, prout dicit naturam in recto, & secundam intentionem in obliquo. Ergo. Prob. min. Hæc definitio non verificatur de sola natura independenter á secunda intentione; nam independenter ab ea non est prædicabilis, sicut subjectum independenter ab albedine non est album. Nec de secunda intentione, excludendo naturam, quia sola secunda intentio falsò prædicaretur de speciebus; falsò enim diceretur de homine, & equo, esse cognitionem abstractivam denominantem naturam genus. Nec de concreto, prout dicit secundam intentionem inrecto, & naturam in obliquo; falsò namque prædicaretur, *homo* est secunda intentio abstrahens animal, seu denominatiua animalis in esse generis. Nec denique de concreto, prout dicit naturam, & secundam intentionem in recto, nam eodem modo esset falsissima hæc prędicatio. *Homo est secunda intentio, & animal,* Sicut falsum esset dicere. Homo est subiectum, & albedo; conuenit tamen concreto, prout dicit in recto naturam, & in obliquo secundam intentionem. Est namque verissima hęc prædicatio. *Homo est animal abstractũ, seu dicens abstractionem;* sicut est verum dicere. *Album est subiectum habens albedinem*, quia ad veritatem propositionis solum requiritur, quod rectum subiecti identificetur cum recto prædicati: ergo definitum in definitione generis solum est concretum dicens in recto naturam, & secundam intentionem in obliquo.

18 Prob. secundo Supponiendo, concretum dupliciter posse defineri, vel concretiue, vel specificatiue. Sic album potest definiri concretiue sumptum, & tunc omnes eius partes debent in recto ingredi in definitionem, ita. *Album est subiectum, & albedo.* Vel absolute, & specificatiue sumptum, & tunc subiectum se habebit in recto, & forma in obliquo, quia est concretum accidentale, & in omni concreto accidentali forma importatur in obliquo, & sic definire ur. *Album est subiectum habens albedinem.* Vnde genus, quod similiter est concretum accidentale potest definiri, vel concretiue, vel specificatiue. Qualiter autem de facto sit definitum per hanc definitionem generis ab omnibus admissam, colligendum est ex modo, quo illi talis definitio competit, sicut ex modo, quo competeret concreto *albi* definitio albi, deducendum esset, quo modo album definiatur. An concretiue, an specificatiue? Sic, si audiremus aliquem ita dicentem. *Album est subiectum habens albedinem.* Statim diceremus. Hic definit concretum album, non concretiue, sed specificatiue, quia esse subiectum habens albedinem, non verificatur de albedide in recto.

19 Tunc sic, Ergo ex modo, quo competit concreto *genus* definitio tradita generis, deducendum est, qualiter definiatur: sed definitio tradita generis non competit generi concretiue sumpto, dicenti scilicet in recto naturam, & secundam intentionem, sed solum specificatiuè sumpto, naturæ scilicet dicenti abstractionem natura nam: que ita affecta est prædicabilis in quid de differentibus notabiliter: ergo definitum per definitionem generis de facto traditam est genus specificatiue sũptum; sed genus specificatiue sumptum, vt pote concretum accidentale, solum dicit in recto naturam, & in obliquo secundam intentionem: ergo definitum in definitione generis est concretũ ex natura in recto, & secunda intentione obliquo. Con-

20. Confirm. Id explicatur in recto per definitionem generis, quod significatur in recto; & id explicatur in obliquo, quod significatur in obliquo per hoc nomen *genus*: definitur namque genus prout hoc nomine significatur; sed hoc nomine *genus* significatur in recto natura, & secunda intentio in obliquo; genus enim significat naturam terminantem cognitionem, vel naturam habentem se vt obiectum abstractionis; sicut per *album* significatur *subiectum habens albedinem*: Ergo.

21. Obj. 1. Nomine abstracto, & concreto accidentali idem significatur formaliter, sed nomine abstracto accidentali *generis*, nempe *genereitas*. Solum, vel saltem primario significatur secunda intentio; sicut nomine abstracto *albedo* sola forma albi significatur: ergo nomine concreto *genus* significatur, vel sola secunda intentio, vel hæc sola in recto; sed per nos id, quod significatur per vocem *genus* definitur per definitionem generis: ergo.

22. Resp. Transeat maior, & neg. min. Nam eodem modo, ac per genus concretive significatur natura in recto, & secunda intentio in obliquo, idem significatur per genereitatem abstractive sumptam. Nota tamen, communiter vsurpari apud Authores pro secunda intentione, sed hic est abusus vocis, & ita sumpta non est abstractum generis. Nota item albedinem non esse abstractum desumptum á concreto *album*, sed forma talis concreti, abstractum enim ita deberet formari *albedeitas*, sed non est in vsu.

23. Objic. 2. Duę res diversæ nequeunt vnica definitione definiri; sed natura, & secunda intentio sunt duę res diversæ: ergo vel sola natura, vel sola secunda intentio per definitionem generis debet definiri. Prob. maior. Vna definitione vna quidditas solum definiri potest, sed duæ res diversæ non sunt vna, sed duæ quidditates: Ergo.

24 Retorq. Ergo nec homo potest vna definitione definiri, quia etiam homo est duplex res diversa, nempe materia, & forma, & sic duplex quidditas.

Resp. Distinguo mai. *Duæ res diversæ*, prout diversæ: conced. Prout coadunantur ad vnum quid componendum, neg. Sic enim non sunt duplex quidditas, sed vna, resultans tamen ex duplici re diversa, sicut homo ex materia, & forma, & sicut per definitionem hominis non definiuntur materia, & forma secundum quod diversæ sunt, sed vt coadunatæ, hoc est, definitur compositum ex eis resultans; ita per definitionem generis non definiuntur natura, & secunda intentio, vt diversæ sunt, sed vt coadunatæ, hoc est definitur genus, quod ex natura, & secunda intentione resultat.

25. Objic. 3. Per definitionem generis, quæ est actus logicæ, id attingitur in recto, quod logica considerat; sed logica solum considerat secundas intentiones, vel saltem eas primario attingit, & non naturas rerum: ergo per definitionem generis attingitur in recto secunda intentio.

Resp. Tract. 1. præcipue num. 424. dixi, logicam æque primario considerare naturas rerum; immò per aliquos eius actus secundario, & minus principaliter secundas intentiones, & ex his vnus erit definitio generis.

26. Objic 4. Si genus diceret in recto naturam non posset dari vna ratio vniuoca omnibus generibus. Prob. Naturæ genericæ diversæ sunt inter se; aliæ namque substantiæ, aliæ accidentia aliæ entia realia, aliæ entia rationis; sed datur de facto ratio communi pro omnibus: ergo signum est, quod non dicunt in recto naturas.

25. Retorq. Nam etiam secundæ intentiones iuxta diversitatem obiectorum

rum

rum diversæ sunt: ergo etiam genus diceret in recto secundam intentionem, genera essent diversa. Si tamen respondeas, tales cognitiones convenire in ratione cognitionum denominantium naturas genera, licet vt tales cognitiones differant. Idem respondeo, quod licet omnes naturę differant materialiter inter se, tamen hic conveniunt in esse prędicabilium de differentibus notabiliter, cum æque omnes hanc denominationem accipiant, vnde omnes conveniunt in ratione generis; exceptis illis, quæ ab entibus rationis abstrahuntur, de quibus suo loco mentem apperiem.

28 Objic. 5. Id solúm definitur in definitione generis, quod est prædicabile de multis; sed sola natura, & non secunda intentio est prædicabilis de multis: ergo. Prob. min. Illud solum est prædicabile de multis, quod realiter identificatur cum multis, sed sola natura, & non secunda intentio realiter identificatur cum multis: ergo sola natura est, quæ definitur in definitione generis.

29 Rep. Argumentum probare; secundam intentionem non definiri in recto, non vero non definiri obliquo. Distinguo maiorem. Quod est prædicaqile tam vt *quod*, quam vt *quo* concedo: quod est prædicabile tantum vt *quod*; nego. Ad probationem distinguo maiorem. Illud solum est prædicabile vt *quod* quod identificatur, & c. Concedo; illud est prædicabile, tam vt *quod*, quam vt *quo* nego. Natura est prædicabilis, vt *quod* & in recto, ideoque cum multis identificatur, secunda intentio est prædicabilis vt *quo* & in obliquo, & ideo non identificatur cum multis; non enim requiritur, quod id quod prædicatur in obliquo identificetur cum subiecto prędicationis. Exemplum apponam. Idem est dicere. *Petrus est albus*, *ac Petrus est subiectum habens albedinem*. En prædicatum huius propositionis constituitur per albedinem in obliquo, & vt quo, qoia est id, quo subiectum redditur album; Prædicatur etiam vt quo, & tamen non identificatur cum subiecto. Item dic: totum illud concretum *album* prædicari de Petro, similiter cum dicimus. *Homo est animal* ly *animal*, vt pote genus constituitur ex natura in recto, & secunda intentione in obliquo, vt pote, qua redditur prædicabile totum concretum, sed non identificatur homine totum concretum, sed solum natura, quæ dicitur in recto, & vt quod.

30 Replic. Sed secunda intentio, nec vt *quo* est prædicabilis: ergo: prob. antecedens. Sicut ad prædicabile, vt *quod* requiritur quod identificetur cum subiecto, ita ad prædicabile vt *quo* requiritur quod sit id ratione cuius prædicatum identificetur cum subiecto, sed secunda intentio nequit esse id quo natura generica identificatur cum subiecto; animal scilicet cum homine: ergo.

31 Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem. Sicut ad prædicabile, vt *quod*, & c. requiritur quod sit id ratione cuius prędicatum identificetur cum subiecto realiter, & physice neg. Intentionaliter, & metaphysice concedo. Est namque secunda intentto id, ratione cuius natura redditur apta, vt prædicetur de inferioribus; cum enim prædicatio vnius de alio sit identitas intentionalis, & metaphysica vnius cum alio, secunda intentio est id, ratione cuius genus cum inferioribus identificatur intentionaliter, quod sufficit ad hoc vt dicatur prædicabilis, vt *quo*.

32 Replic. 2. Secunda intentio nullo modo identificatur: ergo nequit esse id, ratione cuius natura identificatur. Nil enim quod sibi non habet alteri comunicat.

Resp. Concedo antecedens, & nego

nego consequentiã. Sic cognitio non cognoscitur, & est id, ratione cuius obiectum cognoscitur. Amor non amatur, & tamen est id ratione cuius amatur obiectum. Hæ, sicut & denominatio identificabilis, sunt de nominationes hæterogeneę, quas formæ, & partes seorsim non participant, continent tamen illas non formaliter, sed virtualiter. Hoc est, non habent in se, sed habent in se virtutem causandi eas.

33 Objic. 6. Cum definio animal per viuens sensibile, non definio illud, prout est aparte rei, sed prout est præscissum, quia prout est aparte rei, non est solum viuens sensibile, sed etiam rationale, & tamen in eius definitionem non ingreditur abstractio, sed supponitur: ergo licet cum definio genus, definiam naturam, prout præscissam per secundam intentionem, non vero prout est aparte rei, tamen in definitionem generis non ingreditur secunda intentio, supponetur tamen.

Resp. Animal non constitui intrinsece in esse animalis per præscissionem, sed solum extrinsece in esse presciss i, vnde cum in esse animalis definiatur, supponitur præscisio, non tamen ingreditur in eius definitionem, at vero natura intrinsece constituitur in esse generis per secundam intentionem; natura namque secundum se non est genus, nec vniuersalis, nec prędicabilis, vnde in eius definitionem secunda intentio ingredi debet.

34. Objic. 7. Intendens probare secundam intentionem debere ingredi in recto in definitionem generis, ita definitum prędicabile, & in recto alicuius definitionis est id, quod se habet vt subiectum talis definitionis; sed in definitione generis subiectum est concretum ex natura, & secunda intentione: ergo non solum natura, sed etiam secunda intentio debet esse rectum definitionis generis.

35. Resp. *Disting.* mai. Definitum, &c. est id, quod se habet vt subiectum in recto, & vt quod. Concedo; in obliquo, & vt *quo* nego. Et disting. min. Subiectum est concretum ex natura, & secunda intentione; ex natura in recto, & secunda intentione in obliquo, conced. Ex natura, & secunda intentione in recto, neg. Genus enim est definitum talis definitionis non concretive, sed specificative sumptum, vnde idem erit subiectum illius; sed genus specificative sumptum, vt pote concretum accidentale, solum dicit in obliquo secundam intentionem: ergo in definitione generis solum in obliquo importabitur secunda intentio.

36. Objic. 8. Hęc propositio. *Genus est prædicabile de pluribus.* Distinctum rectum habet ab hac. *Animal est prædicabile de pluribus.* Prima namque est propositio essentialis, secunda accidentalis, sed rectum secundæ propositionis est sola natura dicens in obliquo secundam intentionem: ergo rectum primę erit non solum natura, sed etiam secunda intentio.

37. Confirm. primò. Hæ propositiones. *Petrus est albus*, *Album est coloratum*, sunt diversæ, eo quod prima est accidentalis, secunda vero essentialis, & ideo rectum vtriusque distinguitur, eo quod rectum primę sit solum Petrus dicens in obliquo albedinem, & rectum secūdę sit simul Petrus & albedo: ergo similiter eveniet in illis propositionibus.

38. Confirm. secundò. Hæc propositio. *Genus est prædicabile de differentibus.* Ita exponitur. *Secunda intentio, & natura substans secundæ intentioni sunt aptitudo ad prædicandum de pluribus, & subiectum substans aptitudini.* Sicut ista *Album est coloratum.* Ita exponitur. *Subiectum substans albedini, & albedo est subiectum substans colori, & color.* Sed propositio

sitio exponens dicit in recto tam subiectum, quam secundam intentionem: ergo similiter propositio exposita.

39. Hoc argumentum, & eius confirmationes probabilem reddunt opinionem, cui patrocinatur. Ad illud tamen respondetur. Disting. mai. Hæc propositio genus, &c. distinctum rectum habet ab hac *animal est prædicabile*, &c. Si sumatur animal dicens in obliquo secundam intentionem; neg. Si sumatur animal secundum se. Conced. Sicut enim hę proposiones *Petrus est albus*. Hoc *subiectum albedinis est album*, idem rectum habent, si Petrus sumatur, vt dicens in obliquo albedinem, non vero si sumatur Petrus secundum se, quia secundum se non est albus, sed tale animal rationale; ita si animal sumatur vt dicens in obliquo secundam intentionem idem erit rectum duplicis illius propositionis, non vero si sumatur secundum se, nam secundum se solum est viuens sensibile; & ratio est, quia quoties prædicatum conuenit concreto ratione subiecti, idem est rectum, siue in propositionibus exprimatur totum concretum, siue solum subiectum exprimatur; vt patet in his propositionibus. *Petrus est subiectum albedinis, Hoc album est subiectum albedinis.* Sed generi solum competit esse prædicabile ratione naturæ: ergo siue exprimatur natura, vt in hac propositione, *Animal est prædicabile.* Siue totum concretum exprimatur, vel in hac, *genus est prædicabile*, idem erit rectum.

40 Nota, me loqui casu, quo in hac propositione. *Genus est prædicabile.* Sermo sit de hoc genere particulari *animal*; nam si sermo sit de genere vt sic ab omnibus generibus præscisso, ita debet distingui prima propositio. Hęc propositio habet distinctum rectum positiue, neg pręscissiue, concedo. Sicut enim rectum rationis communis distinguitur solum præscissiue à recto inferioris v.g. hoc subiectum album á subiecto vt sic albedinis, ita distinguetur rectum huius propositionis, *animal est prædicabile*, a recto huius. *Genus est prædicabile*; & sicut subiectum vt sic albedinis, seu album vt sic non distinguitur in eo, quod rectum albi *vt sic* sit simul albedo, & subiectum; & rectum albi particularis sit solum subiectum, ita genus vt sic quod, est subiectum primæ propositionis non distinguitur ab animali, quod est genus particulare, & subiectum secundæ propositionis, in eo quod genus *vt sic* dicat in recto secundam intentionem: & animal illam dicat in obliquo, sed solum in eo, quod genus vt *sic* pręscissiue se habeat ad quodcumque genus particulare.

41 Ad primam confirmationem respondetur admittendo illas propositiones *Petrus est albus; albũ est coloratum.* Distingui essentialiter, eo quod secunda dicat in recto albedinem, quam prima non dicit, nisi solum in obliquo. Nunc restat aduersarijs probandum, hanc propositionem. *Genus est prædicabile*: ita se habere, dicere que in recto secundam intentionem, quam prima solum dicit in obliquo. Hoc nego ob rationem nostræ conclusionis, & hæc est disparitas inter primas, & secundas propositiones.

42 Ad secundam propositionem respondetur, hanc propositionem, *album est coloratum*, etiam habere hanc expositionem. *Subiectum habens albedinem est subiectum habens colorem*, Ergo sicut, quia prima habet primam expositionem, asseris ex parte subiecti dici albedinem in recto, ob hanc secundam, dicam ego, ex parte subiecti dici albedinem in obliquo, & similiter discurram in hac propositione, *genus est prædicabile.* Dico tamen admittendo, tales propositiones posse habere expositiones positas in argumento, in quibus sumitur, tam genns, quam album concretiue,

etiam

etiam posse habere expositiones sæpe á nobis dictas, in quibus tam genus, quam animal specificatiue sumantur. Quo modo autem se habeat genus respectu huius definitionis ab omnibus acceptę, si attendatur *D. D.* placito, vidistis, tam plures, & grauiores pronobis stare. Si vero ipsi definitioni ex hibenda est fides, audistis iam; non posse congrue verificari de secunda intentione in recto.

43 Objic. 9. Ex quodam ingenioso Neoterico. Nequit esse definitum alicuius definitionis id, cui accidentaliter conuenit definitio, nam cum definitio sit essentia definiti, nulli potest sua essentia accidentaliter conuenire, sed definitio generis accidentaliter conuenit animali, & solum conuenit essentialiter concreto ex animali, & secunda intentione. Ergo hoc concretum, & non solum illud, erit definitum in definitione generis.

44 Resp. Argumento optime conuinci definitum definitionis generis non esse naturam tantum, cum naturæ, scilicet animali, omnino accidentaliter adueniat esse prædicabilem, cum secundum se, & indepédenter á secũda intentione non sit pręḍicabilis; non tamen infertur talem secundam intentionem dici in recto. Vnde licet animali secundum se accidentaliter conueniat esse pręḍicabile, non vero animali vt substanti secundę intentioni. Animal enim vt substans secundæ intentioni essentialiter est pręḍicabile, sicut subiectum vt albedine informatum, essentialiter est subiectum habens albedinem.

45. Objic. 10. ex eodem. Omnis prædicatio in qua definitio prædicatur est prædicatio definitionis de definito; sed in nulla pręḍicatione, in qua definitio prædicatur potest importari vna pars in recto, & altera in obliquo: ergo. Prob. min. primo á paritate definitionis hominis, scilicet, *animal rationale*, cuius omnes partes dicuntur in recto ab homine, quia est definitum talis definitionis. Prob. secundo, quia cum vtraque pars identificetur cum definito, vtraque dicitur in recto, nam obliqua sunt in ordine ad pręḍicationem, non in ordine ad identitatem. Prob tertio. Quia nulla apparet ratio cur potius vna pars dicatur in recto, qnam alia, cum vtraque rem constituat.

46. Resp. Conced. mai. & disting. min. Sed in nulla prædicatione, &c. importatur vna pars in recto, & altera in obliquo, si in definito vtraque importetur in recto. Conced. Si in definito similiter vna importetur in recto, & altera in obliquo. neg. Definitio debet conformari cum definito, & illud eo modo quo est, explicare; si ergo genus, quod est definitum dicit in recto vnam partem, nempe naturam, & alteram in obliquo, nempe secundam intentionem; quid mirum, quod eius definitio non dicat vtramque partem in recto? Sic definitio albi dicit in recto subiectum, & albedinem in obliquo, alias si albedinem diceret in recto non posset de Petro prædicari esse album, cum de eo nequeat prædicari in recto, quod sit albedo.

47. Hinc patet solutio ad primam probationem minoris; ideo namque tan animal, quam rationale importantur in recto ab homine, quia de homine vtrumque in recto verificari potest, sic dicitur homo est animal rationale; sed de secunda intentione nequit verificari in recto, quod sit prædicabilis de pluribus; sic dici nequit, *homo est viuens sensibile, & secunda intentio*; sed esse prędicabile in recto solum verificatur de natura affecta secunda intentione: ergo licet vtraque pars, quæ ingreditur definitionem hominis de eo verificetur in recto, non tamen vtraque pars, quæ ingreditur definitionem generis, de eo in recto verificari debet.

Ad

48. Ad secundam probationem respondetur, ex ea inferri solutionem. Nam sicut per vos in ordine ad identitatem non dantur obliqua, ita nec recta, vnde physice, & realiter vtrumque prædicatum includitur, quin vnum dicatur in recto, & alterum in obliquo; sicut album physice, & realiter tam subiectum, quam albedinem essentialiter includit, attamen cum inquiritur. Quale sit definitum in definitione generis, iam loquimur de genere in ordine ad prædicationem, & ad modum nostrum concipiendi, iuxta quem modum concipiendi, licet genus constituatur ex natura, & secunda intentione, hæc concipitur in obliquo, illa vero in recto. Et hæc est solutio tertiæ probationis, & ratio cur potius secunda intentio, quam natura dicatur á genere in obliquo est, quia genus est concretum accidentale, & in concretis accidentalibus forma dicitur in obliquo, & subiectum in recto, cum ergo secunda intentio sit forma, & natura sit subiectum, natura importatur in recto, & secunda intentio in obliquo.

49. Objic. 11. Ex eodem Neoterico. Partes, ex quibus physice cõponitur genus, sunt natura, & secunda intentio: ergo ly *prædicabile* positum vt genus in definitione generis identificatur cũ natura, & secunda intentione, nam vt iam videbimus, genus sumitur á tota rei entitate. Nunc rogo. Si cum vtraque parte identificatur, cur vnam dicet in recto, & alteram in obliquo? Ergo ly *Prædicabile*, vel vtramque dicet in recto, vel vtramque in obliquo.

50 Resp. Concedo antecedente, & consequensia. Ad rogatum roga, partes ex quibus physice componitur album sunt subiectum, & albedo, cur ergo tale concretum (et sic de omnibus accidentalibus) dicit in recto subiectũ, et in obliquo albedinem? Nonne respondebis, quia est concretum accidentale, et in ordine ad prædicationem ita concipitur? Certe. Idem tibi respondeo, quia licet ly *prædicabile* identificetur cum natura, et secunda intentione physicê, tamen in ordine ad prædicationem de natura verificatur in recto, et de secunda intentione in obliquo.

51. Pro calce quæstionis nota; ly *prædicabile* esse denominationem heterogeneam, et complexæ significationis compositam ex natura, et secunda intentione, ex natura vt subiecto, et ex secunda intentione vt forma, sicut concretum *cognitum* ex obiecto, & cognitione, vnde nec natura se sola, nec secunda intentio se sola sunt *prædicabile*. Constituitur tamen hoc concretum *prædicabile* ex vtraque, in quo, vtpotè accidentali, natura dicitur in recto, & vt *quod*, secunda intentio in obliquo & vt *quo*. Vnde cum secunda intentio dicitur esse prędicabilis vt *quo*, non est quia ipsa sit proprie prædicabilis, sed quia constituit naturam prædicabilem, & cum dicitur natura prædicabilis vt quod, non est, quia ipsa natura secundum se sit propriè prædicabilis, sed quia constituitur in esse talis per secundam intentionem.

SECTIO III.

AN GENVS PRÆDICETVR VT totum, vel vt pars?

52. PRima sententia tenet, genus prædicari de inferioribus vt totum potestativum; Ita P. Hurt. P. Compt. P. Arriag. P. Lync. Sequuti Exim. Doctorem. P. Olea d. 90. num. 3.

Secunda sententia tenet, prædicari vt totum actuale. Ita aliqui Moderni, præcipue non suppositis pręscisionibus obiectivis.

Tertia sententia tenet, prædicari vt partem, vel actualem, vt tenent Caietan. P. Ovied. & alij: vel potentialem vt placet P. Alph. Compt. & alij communiter.

53. Noto primo. Totum; vel esse actuale, vel potestativum totum actuale est, quod actu continet partes, vt homo est totum actuale physicum continens materiam, & formam; & metaphysicum continens animal, & rationale. Totum potentiale, quod est impropriè totum, est quod sua sub potestate, seu in differentia plura continet inferiora, de quibus possit prædicari. Sic animal est totum potentiale, quia sub se continet hominem, & brutum, de quibus potest prædicari. Partes item aliæ sunt actuales, illę scilicet, quæ actu cum alijs totum componens; sic materia actu componit cum forma compositum physicum dicitur pars actualis. Aliæ potestativæ; illæ scilicet, quæ licet actu cũ alia comparte non componant, possunt tamen componere; sic dicitur pars exercitus homo armatus, antequam cum alijs exercitum constituat.

54. Nota 2. Idem simul posse esse totum potestativum, & partem metaphysicam; immo esse vnum ex requisitis necessarijs, vt aliquid sit totum potestativum, quod sit pars metphysica illius entitatis physicę, respectu cuius dicitur totum; & ratio est, quia cum tale totum sit præscissum, debet in inferiori manere aliquid quod se habeat vt terminus, á quo præscisionis: ergo si inferius pręter rationem pręscissam aliam continet, ratio præscissa superior erit necessario pars metaphysica inferioris. Sic animal præscinditur à rationali, & homo, qui est inferior animalis, illud, & rationale continet, vnde animal necessario est pars metaphysica hominis.

55 Nota 3. Totum potestatium debere esse superius; hoc est, quod ita participetur ab inferioribus, vt á nullo seorsim eius participabilitas exhauriatur, sicut animal, quod ita participatur ab homine, vt simul remanet á bruto participabile.

56 Dico. 1. Genus prædicatur de suis inferioribus vt totum potestativum. Prob. Id, quod prædicatur vt ratio superior latius patet, quam subiectum, de quo prædicatur, ideo que, quin vi talis prædicationis eius communicabilitas exhauriatur, prędicatur vt totum potestativum; sed ita prædicatur genus de inferioribus, vt patet in animali respectu specierũ, & individuorum: ergo prædicatur vt totum potestativum.

57 Dico. 2. Genus prædicatur etiam vt pars metaphysica, non vt totum actuale. Probatur quoad vtrãque partem. Id prædicatur vt totum actuale, quod in se includit, quidquid includit subiectum, de quo prędicatur, vt patet in definitione, quæ ideo prædicatur vt totum actuale de definito, quia nil habet definitum, quod in definitione non includatur; sed genus, V.g. Animal, non includit metaphysice, quidquid includit homo, nõ enim includit rationale: ergo animal non prædicatur vt totum actuale de homine. Tunc sic. Id, quod non prædicatur vt totum actuale, & prædicatur, debet adminus prædicari vt pars metaphysica: ergo animal vt pars metaphysica prædicatur.

58 Confirm. Animal distinguitur ab homine, aliás ab eo non præscinderetur; sed non distinguitur distinctione excludentis ab excluso, essentialiter namque homo ex animali constituitur: ergo includentis ab incluso. Tunc sic. Sed inclusum non est tota essentia includentis, sic anima non est totus homo, sed pars illius: ergo animal non est tota essentia, sed pars metaphysica speciei: ergo cum prædicatur, prædicatur vt pars.

59 Dico. 3. contra P. Ovied. & alios: genus non prædicatur vt pars actualis, sed vt pars potentialis. Prob. quidquid prædicatur vt pars actualis, prędicatur vt compars; sed genus nequit prædicari vt compars: ergo neque vt pars actualis. Probatur maior id solum prædicatur, vt pars actualis, quod actu coniunctum est cum alia comparte ad componendum totum; sed quod actu coniunctum est cum alia comparte ad componendum totum, prædicatur vt compars: ergo quod prædicatur vt pars actualis prædicatur vt compars. Prob tur minor primi syllogismi: si genus v.g. prædicaretur, hoc est vt coniunctum cum rationali, non prædicaretur vt genus. Tum quia genus ab omni differentia adminus pręscindere debet. Tum quia animal coniunctum cum rationali non posset prædicari de differentibus notabiliter, cum iam esset ad vnam speciem contractum: ergo non esset genus. Nunc sic. Non prædicatur vt pars actualis, & tamen prædicatur: ergo prędicatur vt pars potentialis, hoc est, potens cum rationali totum metaphysicum componere.

60 Objic. 1. contra primam conclusionem. Genus vt tale continet naturas inferiorum: ergo est totum actuale. Respondeo. Distinguo antecedens. Continet naturas inferiorum in se, nego; sub se, concedo: quæ continentia illud totum potentiale, non actuale, constituit.

91 Replic. Genus definitur per prædicabile de pluribus differentibus: ergo in se continet partes metaphysicas, rationem scilicet genericam, & differentialem. Item componitur ex natura, & secunda intentione; ergo est totum actuale ex eis partibus resultans.

Resp. In hoc sensu á nemine posse negari, genus esse totum actuale, cum actualiter contineat in se genus, & differentiam, naturam, & secundam intentionem: sed solum negari, esse totum actuale, respectu suorum inferiorum, quæ cum non contineat in se, sed sub se, & in potentia, non respicit vt totum actuale, sed vt totum potestativum.

62. Obiic. 2. Genus in statu pręscisionis est totum potentiale, quia potest prędicari de pluribus: ergo in statu contractionis per prędicationem erit totum actuale; cum actualiter prędicetur de pluribus. Prob. conseq. Taliter est ens in actu, qualiter fuit in potentia; sed genus in potentia ad prædicandum fuit totum potentiale: ergo in actu prædicationis erit totum actuale.

63 Resp. Distinguo antecedens. Quia potest prædicari de pluribus, ita vt latius pateat, quam quodlibet particulare inferius, concedo; aliter; nego. Et nego consequentiam. Nam cum per statum contractionis non destruatur, sed maneat natura vniuersalis, manet etiam in statu contractionis totum potentiale potens etiam de pluribus prædicari. Totum enim potentiale non trasit ad totum actuale per prædicationem, sumpto toto actuali, vt hic sumitur, pro eo, quod in se continet plures partes; licet enim de inferioribus prædicetur, ea non continet in se, sed sub se: Ex probatione consequentię non infertur illa consequentia: ergo *in actu prædicationis erit totum actuale*; sed hæc. Ergo *in actu prædicationis erit totum potentiale actuale*, hoc est, actu prædicatum, nam ex eo quod taliter sit ens in actu, qualiter fuit in potentia, sequitur, quod si in potentia fuit ens potentiale non dum prædicatum, in actu sit ens potentiale prædicatum; nam per prędicari, & per actum, sicut non destruitur vniuersalitas generis, ita nec potentialitas illius, solum enim sequitur,

tur, quod id, quod ante prædicationem erat ens potentiale pure possibile post prędicationem sit ens potentiale in actu, seu actuale, cadente, ly *actuale* supra prædicationem, non supra genus.

64 Objic. 3. contra secundam conclussionem: hæc est vera prædicatio, *Homo est animal*: ergo genus non prædicatur vt pars. Probatur consequentia. Pars nequit per prędicationem veram de toto enuntiari. Ergo. Probatur antecedens primò. Hæc prædicatio. *Homo est animal.* Est falsa, quia anima, quæ est pars hominis, prædicatur de homine, qui est totum. secundo. Inter prędicatum, & subiectum debet dari adæquata identitas, vt propositio verificetur, iuxta Philosophorum acceptionem; sed inter partem, & totum non datur adæquata identitas: ergo nec vera prædicatio. 3. Hæ propositiones Ioannis Huz. *Christus est diuinitas. Christus est humanitas*, damnantur in concilio constantiensi; sed nulla alia ratione, nisi quia partem de toto prędicant: ergo. Item ad hoc aliquas Angelici Præceptoris authoritates afferunt aduersarij.

65 Resp. Concedo antecedens, & nego consequentiā. Ad probationem, distinguo maiorem. Pars nequit prædicari de toto, pars physica de toto physico, transeat. Pars metaphysica de toto metaphysico, nego. Dixi transeat, quia pars physica potest saltim cum aliqua limitatione prædicari de toto, dicique homo inadæquatè anima, cadente ly inadæquatè supra hominem, & sensus propositionis erit. Inadæquatum hominis est anima. Quod verissimum est. Non tamen fit prædicatio absoluta. *Homo est anima*, quia ita non est vsu recepta, & hoc solum negat S. Thom. dicens. *non posse prædicari de homine albo vt albo esse albedinem.* Hoc item solum damnat concilium in propositionibus Ioannis Huz; hic namque absolute illas propositiones admittebat. *Christus est humanitas. Christus est Diuinitas*, sine vllo addito. Si ergo addatur inadæquatè, propositiones illæ sunt veræ, & Catholicæ. Catholicè namque Sanctum est, Christum anima, & Corpore, humanitate, est Diuinitate constitui. Uide P. Vazq. tom. 1. in tertiam part. qust. 2. art. 4. d. 16. cap. 5. Insuper damnatus fuit, vt optimè citatus P. Vazq. quia iudicabat humanitatem seorsim sumptam, & Diuinitatem seorsim sumptam esse Christum.

66. Sed hoc præmisso; assigno disparitatem inter partem physicam, & metaphysicam; pars physica nequit prædicari de toto physico, vt *homo est anima*, quia in nullo sensu habet adæquatam identitatem cum subiecto, at vero pars metaphysica prædicatur de toto, quia pars metaphysica nempe *animal*, cum sumatur á tota rei entitate, adæquatè identificatur cum toto physico constante materia, & forma, cumque veritas sensus formalis fundetur in veritate physica reali, iuxta illud, *Aliud est quod prædicatur, aliud id, merito cuius prædicatio verificetur.* Sufficit vt in sensu formali verificetur pars metaphysica de toto, quod in sensu reali sit adæquatè idem cum toto. Et ratio huius doctrinę deducenda est ex communi rerum acceptione, nam sicut ex hac infertur, quod per verbum *est* in sensu reali denotetur identitas adæquata, & realis inter prædicatum, & subiectum, ita ex eadem deduci debet, quod ly *est* in sensu formali non requirit adæquatam identitatem formalem, & metaphysicam, sed contentum est cum identitate metaphysica inadæquata, & physica reali adæquata.

67. Objic. 4. Contra 3. conclus. Per nos genus prædicatur vt totum potentiale: ergo non prædicatur, vt pars potentialis. Prob. Pars est totum eodem

dem modo,& respectu eiusdem termini repugnant in eadem entitate: ergo in eodem genere repugnabit respectu inferiorum conceptus partis, & totius eodem modo potentiali.

68. Resp. In eodem ente non repugnere conceptum totius,& partis eodem modo potentiali, sed potius se inferre,cum non sint in eodem sensu.Est enim genus totum potentiele, quia latius patet,quam quodlibet inferius, seu quia prędicatur,vt vniuersale de omnibus.Est pars potentialis,quia non componit cum alia comparte, differentia scilicet,v.g.in hac prædicatione *homo est animal* ly *animal* prædicatur vt totum potentiale, quia ita prædicatur de homine, vt simul maneat prædicabile de bruto,etiam prædicatur vt pars, quia non includit formaliter quidquid subiectum includit. Prædicatur vt pars potentialis, & non actualis, quia actu non componit cum rationali, quod est compars ad constitutionem hominis.

69 Objic. 5. Cum prædicatur genus,datur prædicatio, seu enuntiatio prædicati de subiecto;sed omnis enuntiatio prædicati de subiecto est compositio prædicati cum subiecto:ergo genus prædicatur vt pars componens, ergo vt pars actualis.

Resp. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Sed omnis enuntiatio prædicati de subiecto est compositio logica. Concedo. Est compositio physica, aut metaphysica, nego. Compositio, quæ facit partem actualem genus in prędicatione,non est cõpositio logica, quæ consistit in enuntiatione, sed compositio metaphysica generis cum differentia animalis, scilicet cum rationali; sed cum prædicatur genus,non componit cum differentie, nam ab ea supponitur præscindere: ergo non prædicatur vt pars actualis.

70. Objic. 6. Ante actualem prædicationem,seu comparationem compositam supponitur comparatio simplex subsequens apprehensionem, qua natura intelligibiliter concipitur in inferioribus:ergo concipitur genus vt actu componens speciem cum differentijs. Prob. conseq. Nil aliud est vnam partem componere actu cum alia,quam esse vnitam illi,sed per comparationem simplicem subsequentem concipitur natura vnita differentijs:ergo concipitur,vt componens cum ipsis.

71. Resp.Conced.antec.& disting. conseq.Ita vt concipiatur ex parte naturę aliqua differentia. Nego:ita vt ex parte inferiorum materialiter, & subiectiue,transeat. Hoc est,concipiuntur inferiora, & natura in illis, non vero concipitur ex parte naturæ aliqua differentia,cum qua natura componat speciem inferiorem. Ad prob. conseq. Transeat maior.& disting.min. Concipitur vt natura vnita differentijs, ita vt hæ differentiæ se teneant ex parte ipsius naturæ,nego; se teneant ex parte subiecti, concedo. Vnde cum non se teneant ex parte naturæ,natura manet integra;v.g. Si rationale non se teneat ex parte animalis, hoc modo. *Homo est animal rationale.* Animal cum eo non componit actu, licet se teneat ex parte subiectiua, *Rationale est animal* qualiter se tenet in omni prædicatione generica.

()

(o)

SECTIO IV.

DE MODO, QVO GENVS PRÆdicatur de individuis.

72. SVb hoc titulo triplex continetur difficultas 1. quomodo prędicetur genus de individuis completis? 2. Vtrum dentur individua incompleta immediata generi? 3.Quomodo prædicetur genus de individuis incompletis,casu quo dentur.

SVBSECTIO I.

QVOMODO PRÆDICETVR GEnus de individuis completis?

73. INndividuum completum est quod continet omnes gradus metaphysicos contractos per vltimam differentiam materialem, vt *Petrus, Ioannes,equus*,&c. Supponitur nunc de eis prædicari genus;v.g. *Petrus est animal.* Et quęritur primo. Vtrum genus de eis prædicetur vt genus? Secundo. Vtrũ prædicetur immediatè,vel non? Dico 1. Genus prędicatur vt genus de individuis completis.Prob. Genus est, quod prædicatur inquid de notabiliter differentibus;sed dum animal v. g. prędicatur de individuis cõpletis,dePetro scilicet, & equo, prædicatur inquid, quia prædicatur vt quid essentiale subiectis, item prædicatur de differentibus notabiliter,cum Petrus,& equus notabiliter differant:ergo prædicatur vt genus.

74. Dico 2.Stando communi ordini logicæ prędicationis. Genus prædicatur mediate de individuis completis. Ita communiter fere omnes. DD. cum Exim.Suarez.P.Arriag. P. Hurt. &c.Et licet contrarium videantur asserere. PP. Ovied. Compt. & Alph. re tamen non deviant à communi vsu loquendi;semper enim fatentur;in subsistendi consequentia,stando logicæ prędicationi iuxta constitutionem, & seriem prædicabilium, solum mediatè prædicari.

75. Prob. conclus. Non datur transitus de supremo ad infimum, quin fiat per medium; sed genus, & individuum completum sunt supremum, & infimum,quorum medium est species: ergo genus prius quam descendat ad individuum completum, ad speciem descendere debet:ergo non immediatè, sed mediate prędicatur genus de individuis completis.

76 Confirm. primo. Stando recto ordini prędicationis, eo modo debent prædicari generi, quo diuiduntur; sed genera suprema non diuiduntur immediate in indiuidua completa; hęc enim esset aliena diuissio, & extra omnem regulam logicalem. Ens diuiditur in Deum, Michaelem, Petrum, &c. Ergo neque prædicantur immediate de indiuiduis completis.

77 Confirm. secundo. Stando ordini rerum genera vniuersalissima debent contrahi iuxta formam arboris prædicamentalis per vniuersaliora,priusquam per minus vniuersalia. Ens v.g. per substantiam, substantia per corpus, Corpus per viuens, Uiuens per animal. Animal per hominem.Homo per Petrum: ergo ita debent prædicari; vnde cum genus de indiuiduis prædicetur, erit prædicatio mediata, non immediata.

78 Objic. 1. Contra 1. Conclus. Adæquatum correlatiuum generis sunt species: ergo genus vt tale non refertur ad indiuidua, nec de eis prædicabitur vt genus. Probatur antecedens 1. quia si indiuidua essent correlatiua generis, species esset etiam

genus, cum ad indiuidua refertur. Prob. 2. quia per nos ſi redderentur impoſſibilia alia animalia diſtincta ab homine, rationale non maneret genus; ſed ideo ſolum quia deficerent aliæ ſpecies, & ſi manerent plura indiuidua. Ergo ſolum ſpecies, non vero indiuidua ſe habent de formali ad genus, vt tale.

79 Reſp. Genus per nos definiri in ordine ad differentes notabiliter, non in ordine ad ſpecies, vnde cum indiuidua notabiliter differant, vt patet in Petro, & equo, genus, quod de eis prædicatur, prædicabitur vt genus. Fateor indiuiduis completis prouenire notabilem differentiam ab ſpeciebus, nam vt optime probat argumentum, poſſunt dari, & de facto dantur indiuidua completa, de quibus ſpecies prędicantur, quin tales ſpecies genera conſtituant. Ex quo ſolum infertur, genus prius deſcendere ad ſpecies; quam ad indiuidua completa, & prædicationem generis de indiuiduis completis eſſe mediatam, genericam tamen.

80 Hinc claret ſolutio primę probationis antecedentis. Species ideo non ſunt genera, quia reſpiciunt immediate indiuidua completa non differentia notabiliter. Genus vero reſpicit indiuidua completa notabiliter differentia. Ad ſecundam probationem idem reſpondetur. In eo caſu cum ſolum maneret homo, qui eſſet animal, non darentur indiuidua notabiliter diuerſa, de quibus poſſet animal prædicari, & ſic non eſſet genus, indiuidua enim, quæ formaliter ſe habent ad prędicationem generis, non ſunt quęcumque indiuidua, ſed notabiliter differentia.

71 Objic. 2. Contra. 2. Concluſ. Totum phyſicum, vlna v. g. diuidi poteſt immediatè vel in duas ſemi vlnas, vel in quatuor palmos, quia conſtat vt partibus phyſicis ęque ex duabus ſemivlnis, ac quatuor palmis, ſed totum metaphyſicum poteſtativũ, quale eſt genus, æque continet vt partes poteſtatiuas tam ſpeceis, quam indiuidua completa, ergo ſicut immediate diuiditur in ſpecis, & de illis immediate prædicatur, poterit etiam immediate diuidi in indiuidua, & de illis immediate prædicari.

82 Reſp. Diſtinguo cauſalem maioris; quia conſtat vt partibus phyſicis ęque duabus ſemivlnis, ac quatuor palmis, ęque, & ſine dependentia partium á partibus. Concedo, ęque & cum dependentia. Nego. Et diſtinguo minorem. Sed totum metaphyſicum æque continet ſpecies, & indiuidua; æque, & ſine dependentia. Nego; æque, & cum dependentia. Concedo. Diſparitas eſt manifeſta. Totum phyſicum, quale eſt vlna, ita continet quatuor palmos, vt non dependeant aliqua prioritate, & ordine á duabus ſemivlnis; inde que poteſt, ſive in duas ſemivlnas, ſive in quatuor palmos diuidi; at vero genus, ſeu totum metaphyſicum, ita ſuą ſe continet indiuidua cõpleta, vt hęc dependeant aliqua prioritate logica, attento ordine prædicationis logicæ, ab ſpeciebus, quę inter ea indiuidua, & inter gradus mediant; nam inde attenta logica prædicatione probamus, Petrum, & Paulum eſſe animalia, quia ſunt homines; ergo prius deſcendit animal genus ad hominem ſpeciem, quam ad Petrum, & Paulum indiuidua completa.

83 Replic. Sed ſicut probamus, Petrum eſſe animal, quia eſt homo, ita etiam probamus, hominem eſſe animal, quia homo eſt Petrus, Paulus, & reliqui, & hi ſunt animal. Ergo ſicut, quia valet *Petrus eſt animal, quia eſt homo*, dicimus, genus immediate deſcendere ad ſpeciem, ita quia valet, *homo eſt animal, quia Petrus, Paulus, &c. Et hi ſũt animal*, dicere tenebimur genus immediate deſcẽdere ad indiuidua cõpleta.

Reſp.

84 Reſp. Diſting. antecedens. Sicut, & eodem modo. Nego: ſicut & diſtincto modo, concedo, certum eſt; me poſſe probare, hominem eſſe animal, quia eſt Petrus, Paulus, &c. qui quidem ſunt homines, & etiam animal; aſt hęc probatio eſſet à poſteriori, ſicut probatur exiſtentia cauſę ab exiſtentia effectus. V.g. *exiſtit lux*. Ergo *exiſtit ſol*, cum autem probatur, Petrum eſſe animal, quia eſt homo, eſt probatio á priori, ſicut probatur exiſtentia effectus ab exiſtentia cauſæ. V. g. Exiſtit ſol; ergo exiſtit lux. Ergo ſicut ſolum á poſteriori probamus, ſpeciei convenire genus, quia hoc convenit indiuiduis completis, abſque dubio prius convenit genus ſpeciei, quam indiuiduis, ſicut prius eſt exiſtentia ſolis, quam exiſtentia lucis, quia ab exiſtentia lucis probatur à poſteriori exiſtentia ſolis, & ab exiſtentia ſolis probatur á priori exiſtentia lucis.

85 Objic. 3. Sicut Petrus eſt animal, quia eſt homo, ita eſt rationalis, quia eſt homo; ſed non ideo inter Petrum, & rationale mediat homo, cum rationale immediate prædicetur de Petro: ergo neque inter animal, & Petrum mediat homo, ſed animal immediate prædicabitur de ipſo.

86 Reſp. Diſting. mai. Sicut & eodem modo nego, ſicut & diſtincto modo, Concedo. Solutionem explico. Species non eſt ratio inferior reſpectu differentię, ſed æqualis, ſic valet; *Eſt rationalis: ergo eſt homo. Eſt homo*: ergo *eſt rationalis*. Vnde nec inter Petrum, & rationale mediat homo, nec inter Petrum, & hominem mediat rationale. At vero ſpecies eſt inferior reſpectu generis, & indiuidua inferiora reſpectu ſpeciei. Ergo inter indiuidua infimo loco poſita, & inter genus ſupremo loco collocatum intermediat ſpecies medium occupans.

87 Objic. 4. hæc eſt immediata prædicatio, *Petrus eſt animal rationale*. quia inter definitionem, & definitum nil mediat; ſed ly animal eſt genus: ergo genus prædicatur immediate de indiuiduo completo.

Reſp. Concedo mai. & diſting. min. ly animal eſt genus, vt contractum ad differentias, conſtituenſque ſpeciem. Concedo. Solitarie ſumptum, neg. Hic enim loquimur de genere ſolitarie ſumpto, de eo que dicimus; mediate prædicari de indiuiduis completis, non vero de genere vt contracto iam ad differentias; nam vt ſic iam conſtituit ſpeciem, quę immediate prędicatur de indiuiduis completis.

88. Objic. 5. Inter ſubiectum, & prædicatum huius prædicationis *Petrus eſt animal*, non mediat homo qua animal, quia ſic non diſtinguitur á prędicato, nec qua rationalis, nam qua rationalis Petrus non eſt animal: ergo nil mediat: ergo prædicatio eſt immediata.

Reſp. Hominem mediare, non qua animal, nec qua rationale reduplicative, aut ſolitarie ſumptum ly animal, & rationale, ſed qua animal rationale, ſeu qua homo ſpecificative ſumptus.

89. Objic. 6. Animal immediate præſcinditur ab indiuiduis completis: ergo immediate prędicatur de illis.

Reſp. Diſt. antec. immediate ſecundum differentias rationalis, & hinnibilis, iuxta quas ſpecie differunt, concedo; ſecundum differentias indiuiduales Petreitatis, & equinitatis, nego. Genus namque prędicatur de pluribus differentibus notabiliter: ergo præſcinditur immediate á notabiliter differentibus: Sed Petrus, & equus non differunt notabiliter ſecundum differentias indiuiduales, ſed ſecundum differentias hinnibilis, & rationalis: ergo non præſcinditur

ditur immediate ab eis secundum differentias individuales, sed secundum formales, per quas constituuntur in esse notabiliter differentibus, de quibus solum immediate prædicatur genus.

90. Objic. 7. Si Rex per se ipsum alicui comiti supra totum Peruvium potestatem conferret, & similiter alicui Duci supra vnam tantum civitatem, licet hęc potestas esset minus lata, quã alia, vtraque tamen esset immediatè accepta á Rege: ergo genus ęque immediaté participabitur ab specie, quam ab individuo, quamvis in hoc magis, imitetur eius potestas, quam in illa.

Resp. Casum non dubito, sed nego ita se habere genus respectu individui, ac se haberet Rex respectu Ducis, nam potestas Regia in sua communicatione respectu Ducis non dependet necessario á communicatione respectu Proregis, vnde potest communicari immediate Duci; at vero potestas generis in communicatione ad individua dependet logice iuxta ordinem optimæ prædicationis á communicatione ad speciem, ideoque nequit individuo communicari, quin prius communicetur speciei.

SVBSECTIO II.

AN DENTVR INDIVIDVA INcompleta immediata generi?

91. IAm supra notavi, individuum completum vocari, quod continet omnes gradus metaphysicos contractos per differentiam vltimam, vt *Petrus*. Nunc noto, individuum incompletum esse, quod non continet omnes, sed solum aliquem, vel aliquos gradus contractos per differentiam non vltimam; vt *hoc ens, hac substantia, hoc vivens*, &c.

92. Noto primo, individuationem, seu differentiam individualem non esse idem, ac vnitatem formalem; vnitas formalis est id, ratione cuius vnum non est aliud. Differentia individualis est id, ratione cuius vnum non est sicut aliud, non aliqua differentia notabili, sed aliqua non notabili. *D*ifferentia individualis supponit vnitatem formalem, nam vt vnum non sit sicut aliud necessario debet non esse aliud; iam diximus pro vnoquoque gradu metaphysico assignari suam propriam vnitatem formalem, ratione cuius ens, quod est in Petro, non sit ens, quod est in Paulo, & sic de reliquis gradibus, ex quibus omnibus vnitas completa resultat. Nunc quærimus, an similiter pro vnoquoque gradu metaphysico entis debeat assignari propria differentia individualis, seu individuatio partialis, ex quibus vna totalis, & completa individuatio resultet? Hoc est an sicut pro substantia, quæ est in Petro assignatur vnitas formalis ratione cuius dicitur; *hæc substantia non est illa*; ita assignari debeat etiam individuatio, seu differentia individualis ratione cuius dicatur: Hæc substantia non est sicut illa?

93. Prima sententia negat. Ita Exim. Doct. Thomistæ, & Spinula.

Secunda sententia affirmat. Ita P. Hurt. P. Arriag. Ovied. Compt. Peinad. & communiter. RR. Suar. Lusit. & Olea.

94. Prob. Individuatio est id, ratione cuius vna entitas non est sicut alia; sed cuilibet gradui metaphysico reperto in Petro v. g. convenit hoc, quod est non esse sicut alius gradus repertus in Paulo: ergo cuilibet gradui convenit sua propria individuatio, seu individualis differentia. Mai. est certa, & patet á paritate individuationis completæ. Prob. min. Cuilibet gradui metaphysico reperto in Petro competunt ali-

aliquæ modales perfectiones, quarum aliud quodcumque individuum non est capax; v. g. ens hoc, quod est in Petro, petit has numero vbicationes, & durationes, has numero cognitiones, & amores, quorum quodlibet aliud individuum non est capax. Item hanc numero actionem creativam Dei, quam nullus alius gradus terminare potest. Similiter hęc substantia Petri petit hãc numero subsistentiam, has actiones productivas accidentium. Hoc viuens Petri postulat has numero actiones vitales. *D*enique hoc rationale Petri sibi exigit has ratiocinationes numero, &c. Sed hæc omnia arguunt cuilibet gradui competere non esse sicut aliud: ergo.

95. Prob. min. Inde inferimus Petrum non esse sicut Paulum ratione Petreitatis, quia Petrus exigit operationes diuersas, quarum incapax est Paulus, sed quilibet gradus metaphysicus exigit operationes diuersas, quarum quicumque alius gradus est incapax: ergo.

96. Confirm. Indiuiduatio ingenere metaphysico se habet vt subsistentia ingenere physico: ergo sicut ingenere physico pro quacumque partiali substantia partialis subsistentia probabiliter assignatur, ex quibus subsistentia totalis, & completa resultet, ita pro quocumque gradu metaphysico partialis indiuiduatio debet assignari, ex quibus vna resultet indiuiduatio totalis.

97. Nota, tam vnitates formales trascendentales, quam differentias indiuiduales ob penuriam vocum significari pronomine demonstrativo *hic, hæc hoc*, appellarique hæcseitates incompletas, sed cum hac differentia, quod vnitates formales appellantur hęcseitates homogeneæ, quia sunt similes, licet distinctę; Differentię tamen individuales, hæcseitates hæterogeneæ, quia dicunt dissimilitudinem.

98. Hinc infertur, quod sicut diversitas specifica inter Petrum, & equum oritur ex operationibus, modis, & perfectionibus notabiliter differentibus, quæ Petro, & equo correspondent, ita diuersitas indiuidualis inter Petrum & Paulum, inter hoc animal Petri, & hoc animal Pauli, provenit ex diuersis modis, perfectionibus, & operationibus non differentibus notabiliter, iuxta prudentum existimationem, ita tamen differentibus, vt arguant dissimilitudinem in principijs.

99 Objic. 1. cum Spinul. Cum dicitur *hoc animal*, vel ly *hoc* cadit supra animal secundum se, & aparte rei xistens, vel supra animal, vt mente conceptum, & præscissum? Si primum, ergo non est indiuiduum incompletum, sed completum, cum sit tota entitas rei. Si secundum, etiam non est individuum incompletum, sed completum, cum sit ipsa cognitio: ergo per ly hoc animal non significatur individuum completum.

100 Retorq. *E*rgo animal non est vniuersale obiectivum. Prob. Nam per ly *animal*, vel significatur animal, vt est á parte rei, & sic est singulare, vel prout præscissum, & sic est singularis cognitio.

Resp. ly *hoc* cadere supra animal aparte rei, sed inadæquate, non vero adæquate cognitum, sicut dum dicitur animal præscissum, ly præscissum non cadit supra præscissionem, sed supra animal, non vt est aparte rei vt cumque, sed supra animal existens á parte rei inadæquate conceptum, ideoque dicens, & connotans in obliquo cognitionem.

101 Objic. 2. Si daretur individuum incompletum generi immediatum, daretur etiam individuum incompletum immediatum speciei; sed hoc á nemine conceditur; ergo nec illud debet concedi. Probatur sequella. Inde potest inferri, dari individuum

duū incompletum immediatum generi quia cum á longe video aliquid removens, cognoſco individuum incompletum animalis, quin cognoſcam, an ſit Petrus, vel equus? Ac proinde quin cognoſcam individuationem cõpletam; ſed ſimiliter poſſum á longe aliquem eſſe hominem cognoſcere, quin cognoſcam, an ſit Petrus, vel Paulus? Ergo quin cognoſcam individuationes completas, cognoſcerem hominem, ſecundum incompletam individuationem.

102 Reſp. Nego, ſequelam. Ad probationem dic, quod ſi ſolum reſpiciam ſenſationes, tantum cognoſcam vnitatem tranſcendentalem, hoc eſt, illud eſſe vnum animal, ſi tamen per comparationem ad aliud animal etiam a longe conſpectum cognoſcam diverſitatem ſenſationum, tum cognoſcam differentiam individualem incompletam. Similiter ſi video alonge aliquem hominem, ſi cognoſco tantum ratiocinationes, cognoſcam ſolum vnitatem tranſcendentalem, non individuum incompletum, hoc eſt, cognoſcam, eſſe vnum hominem. Si tamen per comparationem ad alium hominem cogoſco diverſitatem in ipſis ratiocinationibus, tunc cognoſcam individuum completum, præſciſſum tamen a taleitate individui, vel non cognoſco illum ſub nomine Petri, cum ergo taleitas indiuidui non ſit aliquis gradus vltimus, licet nõ cognoſcatur, totum individuum cognoſcitur. Non tamen totum cognoſcitur, quando ſolum attingitur hoc animal, cum alij remaneant gradus complentes individuum.

103. Obj. 3. Cuilibet gradui metaphyſico non correſpondet partialis differentia rationalis, ſed vna differentia indiviſibilis, ſcilicet rationale cõtrahit omnes gradus entis, viuentis, ſubſtãtiæ, &c. ad vnam ſpeciem completam: ergo neque cuilibet gradui metaphyſico correſpondet partialis individuatio, ſed vna differentia indiviſibilis omnes gradus ad vnum completum individuum contrahet.

104. Reſp. Aſsignando maximam diſparitatem inter rationale, & differentiam indiuidualem, illud namque eſt rationale, cui correſpondet vt effectus ratiocinatio, illud vero eſt individuum, cui correſpondent operationes non neceſſario notabiliter differentes, diſſimiles tamen, cum ergo cuilibet gradui hominis non correſpondeat ratiocinatio, neque enim hoc ens, neque hæc ſubſtantia, neque hoc viuens ex ſuo conceptu connotant, exigunt ve ratiocinationes, inde eſt, quod pro quolibet gradu non aſſignetur rationalitas partialis; at vero cum quilibet gradus exigat ſuas peculiares actiones, effectus, & proprietates, vt probavimus, inde eſt, quod pro quolibet gradu peculiarem, partialemque aſſignamus differentiam individualem.

105 Objic. 4. Maxima incommunicabilitas, & vnitas ſupponit minorem incommunicabilitatem, & vnitatem; ſed individualis eſt maxima vnitas, & incommunicabilitas, & ſpecifica eſt minor: ergo individualis vnitas ſupponit ſpecificam. Tunc ſic; ſed vnitas, quę ſupponit vnitatem ſpecificam non eſt incompleta, ſed completa; ergo non datur incompleta individuatio.

106 Confirm. Genus nõn poteſt multiplicari in individua, niſi prius multiplicetur in ſpecies: ergo omnis vnitas individualis debet ſupponere ſpecificam, ac proinde debet eſſe completa.

107 Reſp. Diſting. mai. Supponit minorem incommunicabilitatem eiuſdem lineæ. Concedo, alterius lineæ, nego. Concedo min. & Diſting. conſeq. Ergo individualis vnitas ſupponit ſpecificam ſuæ lineæ, concedo alterius lineæ, nego. Nego item minorem ſubſumptam. Certum eſt, ordinem deſcenſus ſervari inquocumque gradu, hoc eſt, quod genus propriæ lineæ prius deſcendat ad ſpeciem, poſtea vero ad indiuiduum, v.g. ſicut animal prius deſcendit ad hominem, poſtea ad Petrum, quia Petrus ſupponit animal vt genus ſuæ propriæ lineæ, ita viuens, quod eſt genus lineæ indiuidui incompleti prius deſcendit ad animal, poſtea vero ad hoc animal, nam genus huius lineæ non eſt animal, ſed viuens; Animal enim, vt ſubſectione ſequenti videbimus, ſe habet vt ſpecies huius lineæ. Hinc patet ſolutio confirmationis, ad quam concedo totum, ſed nego vltimã deductionem, & ſuppoſitum illius, quod omnis indiuiduatio ſupponens gradum ſpecificum ſuę lineæ debeat eſſe completa, cum non ſit vltimus gradus vlterius non contrahibilis per alias differentias.

SUBSECT. III.

QVOMODO PRÆDICETVR GEnus de individuis incompletis?

108. Quæſtio ſupponit indiuidua incompleta. Item genus de eis prędicari; v.g. *Hoc animal eſt animal*, & quærit quomodo prædicetur?

Prima ſententia tenet, prædicari vt genus formaliter tale. Ita P. Hurt. & P. Compt. & M. Linc. lib. 2. q. 1. art. 6. n. 10

Secunda ſententia tenet, prædicari vt ſpeciem. Ita PP. Arriag. Ovied. Sancta Cruz. Peyn. & communiter.

109. Dico primo. Genus prædicatur immediate de indiuiduis incompletis. Prob. Inter animal genus, & hoc animal individuum incompletum nil mediat: ergo prædicatio animalis de hoc animali eſt immediata. Prob. antec. Si aliquid mediaret, vel eſſet differentia eſſentialis, ſcilicet rationale, vel ſpecies ſcilicet homo; ſed inter animal, & hoc animal non mediat differentia, nec ſpecies, cum poſſit concipi hoc animal, quin rationale, aut homo concipiantur, hi enim gradus ſunt poſteriores: ergo nil mediat: ergo hęc prædicatio, *hoc animal eſt animal*, eſt immediata.

110. Dico 2. Genus non prædicatur vt genus, ſed vt ſpecies de individuis incompletis. Prob. Genus prędicatur de differentibus ſpecie, & ſpecies de differentibus numero; ſed individua incompleta non differunt ſpecie ſed ſolum numero; ergo genus dum prædicatur de illis, non prædicatur vt genus, ſed vt ſpecies. Prob. min. Individua completa. U.g. Petrus, Paulus, non differunt ſpecie ſed ſolum numero: ergo neque individua incompleta v. g. hoc animal, & illud animal differunt ſpecie, ſed ſolum numero. Patet conſequentia. Tota differentia ſpecifica inter hominem, & leonem v. g. non oritur ab animali, ſed á differentia rationalis. & rugibilis; ſed differentiæ rationalis, & rugibilis nullo modo ingrediuntur in individua incompleta, huius, & illius animalis: ergo hæc non diſtinguntur ſpecie.

111 Confirm. Illud non prædicatur, vt genus ſed vt formaliter ſpecies, quod prædicatur vt tota eſſentia logica, ſed genus prędicatur de individuis incompletis vt tota eſſentia logica: ergo. Prob. min. Species prędicatur de individuis completis v. g. homo de Petro, & Paulo vt tota eſſentia logica. Ergo, & genus prædicatur de individuis incompletis v. g. animal de hoc, & illo animali, vt tota eſſentia logica. Prob. conſeq. Ideo ſpecies prædicatur vt tota eſſentia logica de individuis incompletis, quia Pe-

Petreitas, & Pauleitas, quæ sunt individuationes completę non constituunt, sed supponunt essentiam logicam constitutam; sed similiter hæcceitates, & individuationes incompletæ non constituunt, sed supponunt totam essentiam logicam constitutam: ergo etiam genus prædicatur vt tota essentia.

112 Objic. 1. contra primam conclus. Gradus vltimus supponit non vltimum; sed gradus individualis est vltimus, & specificus non vltimus: ergo gradus individualis supponit specificum. Tunc sic: ergo gradus genericus prius debet descendere ad specificum, vt pote non vltimum, quam ad individualem vltimum: ergo prædicatio generis de individuis incompletis non est immediata.

113 Iam supra subsect. antec. n. 103. ad simile argumentum respondi. Nunc dic, individuum incompletum non esse vltimum gradum eorum, quæ sunt in Petro, hic autem est indiuiduatio completa, indiuiduum incompletum supponit specificum suæ lineæ, gradus vero specificus suæ lineæ est gradus genericus respectu lineæ indiuidui completi, v.g. animal est species respectu lineæ indiuidui completi, huius scilicet animalis, & est genus respectu lineæ indiuidui completi, Petri videlicet.

114. Objic. 2. Si genus prædicaretur immediate de indiuiduis incompletis, non prædicaretur immediate de specie; atqui de specie immediatè prædicatur: ergo non prædicatur immediatè de indiuiduis incompletis. Prob. Sequela. Ideo prædicatur genus mediate de indiuiduis completis, quia prius prędicatur de specie, quæ est media inter genus, & indiuiduum completum. Sed indiuiduum incompletum est medium inter genus, & speciem: ergo.

115. Resp. Neg. Sequel. Ad prob. Disting. mai. Ideo prædicatur genus, &c. quia prius prædicatur de specie, quam de indiuiduis completis, & de specie, & indiuiduis prædicatur vt genus; concedo, & de indiuiduis prædicatur vt species, & de specie vt genus; sicut prædicatur genus de specie, & indiuiduis incompletis. Neg. Non repugnat, quod idem genus immediatè per indiuiduationem incompletam contrahatur, vt species ad indiuiduum incompletum, & etiam immediate per differentiam, vt genus ad speciem; sicut enim materia prima determinatur immediate ad compositum per formam, & ad suppositum etiam immediate per subsistentiam, sic genus, quod est quasi materia logica, contrahitur per differentiam, quæ est quasi forma, ad speciem, & per indiuiduationem incompletam, quæ est quasi subsistentia logica ad indiuiduũ incompletum. Ratio est, quia id, quod mediat in vno genere non tollit immediationem in alio.

116 Objic. 3. Genus definitur immediate in ordine ad species: ergo non contrahitur immediate ad indiuidua.

Resp. Disting. antec. genus vt genus, conced. genus vt species. neg. solutio constat ex dictis, & ex dicendis constabit.

117 Objic. 4. contra 2. conclus. ex P. compt. Si hoc, & illud animal solo numero distinguerentur, sequereretur, quod in Petro daretur aliquid á parte rei, quod specie differret ab equo, & aliquid, quod non differret specie, sed solo numero. Assumptum quoad primam partem est certum; quoad secundam partem probatur, quia si in Petro non esset aliquid, qoud solo numero differret ab equo, non posset in eo talis ratio reperiri.

118 Resp. neg. Assumptum, & suppositum eius, quod à parte rei de-

tur

tur in Petro aliquid, & aliquid realiter actualiter, aut individuum incompletum, prout hoc nomine significatur. A parte rei solum datur vna entitas realis, quę simul convenit, & disconvenit cum equo, in hac autem reali entitate intellectus vi, & efficacia propria dividit, & præscindit illud, per quod conveniunt Petrus, & equus, ab illo, per quod differunt, & sicut separat animal ab omni differentia, & hæcceitate, ita separat hoc animal, & illud animal adifferentijs Petri, & equi, cum autem hoc, & illud animal specie differant per differentias, & ab his separetur, manent formaliter solo numero distincta.

119 Objic. 5. Implicat, duo solo numero distincta identificari realiter duobus specie diversis: ergo cum hoc, & illud animal identificentur Petro, & equo specie diversis, implicabit, quod solo numero distinguantur interse. Ergo si specie distinguntur, genus prædicabitur de eis vt genus.

120 Resp. Disting. antec. implicat duo solo numero distincta, &c. Duo positive, & realiter solo numero distincta, conced. Duo solum præscissive, & formaliter distincta. Neg. Sicut animal, quod, prout præscissum nullam dicit diversitatem, realiter identificatur cum prædicatis diversis, sic hoc, & illud animal, quæ prout præscissa nullam diversitatem involvunt, solo que numero distinguntur, realiter possunt cum speciebus diversis identificari quia conceptus pręscissus, licet diversitatem non importet, eam tamen positive non excludit, vnde cum ea potest identificari, sicut animal pręscissum, licet non dicat rationale, illud non excludit positive, ideoque cum eo potest realiter identificari.

121 Objic. 6. Cum dicitur, hoc animal, vel ly *hoc* determinat ad aliquã speciem, & sic iam erit prædicatio specifica hæc, *hoc animal est animal*; vel relinquid illud indifferẽs ad plures species, & sic iam erit genus, & non individuum incompletum, nam genus est, quod habet indifferentiam ad plures species.

Resp. ly *hoc* nec determinare animal ad aliquam speciem, cum non sit differentia, nec relinquere animal cum sua vniversali vnitate, nam hæc denudatur ab omni, non solum individuali differentia, verum etiam ab vnitate formali, seu attributali, sed determinare animal ad aliquam individuationem in linea incompletæ.

122. Obj. 7. Indiuiduatio incompleta indiuidui humani exigit essentialiter naturam humanam, & excludit naturam equinam; similiter indiuiduatio incompleta indiuidui equini exigit essentialiter naturam equinam, & excludit humanam; sed individuationes exigentes essentialiter terminos specie diuersos, & se invicem excludentes specie differunt inter se: ergo. Prob. mai. quia quęcumque indiuiduatio est singularis, ac proinde suas proprietates, & naturam exigens.

123. Resp. Neg. mai. & suppositum, quod indiuiduatio incompleta concipiatur vt indiuidui humani, aut equini, alias iam cognoscerentur differentię; solum cognoscitur hoc animal, & illud animal ab omni exigentia positiva, & exclusione positiua denudatum, & licet quælibet indiniduatio sit singularis, non est singularis intra speciem hominis, aut equi, sed intra rationem gradus indiuidui incompleti, hoc est intra lineam animalis exigentem non ratiocinationes, sed sensationes speciales, quæ intra lineam etiam sensationis non sunt operationes notabiliter diversæ.

124 Objic. 8. Plus differunt differentię individuales Petri, & equi, quam Petri, & Pauli, sed hę solo nu-

meo-

mero differunt: ergo illæ differunt specie.

Resp. Disting. mai. differentiæ completæ ratione differentiarum essentialium, quas contrahunt. Concedo. Ratione differentiarum individualium incompletarum. Neg. Certum est differentias completas Petri, & equi differre specie iterse ratione rationalis, & hinnibilis, quę contrahunt, ac proinde plusquam differentiæ individuales Petri, & Pauli, quę differentias essentiales diversas non contrahunt, sed hoc non habent eo, quod sint differentiæ individuales vt cumque, sed eo quod sint differentię individuales completæ, de quibus non loquimur, sed de incompletis, quæ vt tales non contrahunt, sed supponuntur ante speciem.

125 Objic. 9. Hæc prædicatio, *hoc ens est ens*. Non est prædicatio specifica; ergo nec hæc *hoc animal est animal*. Prob. antec. Ens non est species, cum nullum genus superius ante se supponat, exquo, & ex differentia in esse speciei componatur. Ergo.

Resp. 1. ex probatione antecedentis constare, disparitatem inter ens, & animal, nam si ens non admittit genus ante se, hoc admittit animal; ergo licet ens nequeat vt species prædicari, hoc in animali neutiquam eveniet.

Resp. 2. Cum P. Arriag. Argumentum solum probare, ens non esse speciem subijcibilem, cum non habeat genus superius, cui subiectetur, non vero non esse speciem prædicabilem, ad quam solum requiritur, quod sit prædicabilis in quid complete de differentibus numero, qualiter est ens.

SECTIO V.

ANGENVS, ET DIFFERENTIA sumatur à tota rei entitate.

126 THomistę omnes negant afferentes genus sumi á materia, & differentiam á forma. Iesuitę omnes affirmant tam genus, quã differentiam sumi á tota rei entitate.

127. Prob. Si genus sumeretur á sola materia, sola materia esset animal, vnde in lapide vbi est materia esset animal, & in Deo, & Angelo, vbi non est materia non esset genus. Si differentia sumeretur á sola forma, in anima separata maneret rationale, & consequenter homo, implicat enim, manere differentiam, & speciem non manere. Item sicut materia distinguitur realiter à forma, genus distingueretur realiter à differentia, quę omnia repugnant.

128. Stet ergo, tam genus, quam differentiam á tota rei entitate sumi, cum toti rei entitati identificetur, totus enim homo convenit cum bruto, & totus disconvenit cum bruto; ergo id, per quod convenit, quod est genus, & id, per quod disconvenit, quod est differentia, á toto homine sumitur, cum toto que identificatur.

129. Nec valet dici, genus sumi á materia connotãte forma, & differentiam á forma connotante materiam. Nequit enim esse pure connotatum, & non constitutivum id, quo ablato, manentibus omnibus alijs non manet res; sed ablata forma, Anima v. g. manente materia, non manet animal, vt patet in cadavere, in quo manet eadem materia, & ex sola ablatione formæ, non manet animal; ergo hoc tamquam á constitutivo desumitur etiam á forma.

130. Si opponas 1. *D. Thomam*. Dic solum dixisse genus metaphysicè assimilari materiæ physicæ, & differentiam formę physicæ, nam sicut materia physicè est indifferens ad hanc, vel illam formam, & per formas determinatur ad hoc, vel illud compositum, sic genus metaphysicè est indifferens ad species, & per differentiam determinatur ad vnam potius, quam ad aliam.

131. Si opponas 2. Rationem materiæ abstractam á pluribus materijs specie diversis possibilibus esse genus, quin desumatur ab vlla forma. Respondebo, me non defendere omne genus debere desumi á forma, sed debere desumi á tota entitate rei, sive hæc habeat, sive non habeat formam, sic á *Deo* sumuntur plura genera, quin á materia sumantur.

132. Si opponas 3. Materiam nec partialiter esse viuentem, sensitivam, & rationalem, cum nec partialiter viuat, aut ratiocinetur: ergo gradus viuentis, sensitivi, & rationalis non desumuntur á materia, sicut è contra gradus corporei non desumitur ab anima rationali, quæ spiritualis est: ergo à sola materia.

Resp. Quod licet materia non sit partialiter viuens, sentiens, &c. constituit tamen hos gradus, & has denominationes heterogeneas resultantes ex principio activo, quod est anima, & etiam ex passivo recipiente actus vitales, quod etiam constituit materia. Vnde ex vtraque resultat animal, quod non solum est principium activum, sed etiam passivum. Idem dico de gradu corporei, quod ab anima spirituali desumitur heterogeneè, gradus enim corporis completi, quod est genus respectu hominis, animam onvolvit, neque est corpus purum, sed mixtum ex corporeo, & in corporeo.

133. Si opponas 4. Quod iam genus includeret formam, si ex ea constitueretur, vnde non esset vniuocum, item includeret inferius, nam inferius est totum physicum, quod essentialiter involveret, si cum eo adæquatè identificaretur.

Resp. Genus non includere forman sub conceptu talis formæ, sed sub conceptu formæ præscindentis ab hac, vel illa in particulari, vnde maneret vnivocum, item nec includeret inferius, nam hoc est totum physicum, & vt tale à genere non includitur, sed vt totum.

134 Si opp. 5. Animal, & rationale distingui formaliter oiective; ergo si vtrumque desumeretur à materia, forma, & vnione, materia, forma, & vnio distinguerentur obiectiue formaliter á se ipsis, nam eo modo, quo constituta distinguntur, debent constitutiva distingui.

Resp. materiam, formam, & vnionem inadæquate sumptas, vt constituunt principium sensationum obiective formaliter distingui á se ipsis inadæquate sumptis, vt constituunt principium ratiocinationum, in quo nulla apparet repugnantia.

135 Si Denique opponas. Materiam primam esse radicem totius potentialitatis. Ergo cum genus in ordine metaphysico sit potentia, á materia, & non a forma desumitur. Resp. denique negando antec. Nam nec materia prima est ita pura potentia, vt non habeat actum entitativum, & existentialem, vt dicitur in physicis, nec totius potentialitatis est radix, quia in Deo, & Angelis, in quibus non datur materia, datur genus, quod est potentia metaphysica. Item radix potentialitatis metaphysicæ est convenientia, & actualitatis disconvenientia; sed totus homo convenit, & disconvenit; ergo tous homo est radix potentialitatis, & actualitatis.

136 Rogas. 1. Angenus requirat essentialiter plures species? Resp. affirma-

mative; vt patet ex generis definitione. Nam vt sit prędicabile de pluribus notabiliter differentibus, plura notabiliter differentia requiruntur, vnde iam supradixi, quod si redderetur impossibile omne brutum, ratio animalis non esset genus.

137. Rogas 2. An tales species debeãt esse actualiter existẽtes? Resp. Negative, sufficit enim, quod sint possibiles species, vt ab eis abstrahatur aliqua ratio generica.

138. Rogas 3. Quotuplex sit genus? Resp. Triplex esse genus. Supremum, medium, & infimum. Supremum, quod sub alio genere non continetur, & hoc appellatur subalternum. Infimum, quod continetur sub alio, & subse solum continet species, non vero aliud genus, et appellatur subalternatum. Medium, quod continetur sub alio genere, et ipsum alia sub se continet, et appellatur subalternans, et subalternatum.

DISPUTATIO II.

DE SPECIE SECVNDO PRÆDICABILI, & de individuo eius correlativo.

139. Species est duplex, subjicibilis, & prædicabilis. Subjicibilis dicitur, prout respicit genus, & illi subiectatur. Prædicabilis prout respicit inferiora, & de illis prædicatur. Sit nunc.

SECTIO I.

DEFINITVR SPECIES PRÆDICABILIS.

140. Hæc est definitio. Species prædicabilis est. *Prædicabile tantum inquid immediatè de differentibus numero.* Ly *Prædicabile.* Est ratio generica ad quinque prædicabilia. Per ly *tantum inquid.* Secernitur â differentia, quæ non solum in *quid* sed in *quale* prædicatur. Additur ly *tantum* ob eandem rationem, ac dicitur in definitione generis. Dicitur *immediate de differentibus numero*, quia etiam genus prædicatur de differentibus numero, mediate tamen; vnde necessarium duxi addere particulam illam *immediate.* Etiam per ly in *quid* differt â proprio, & accidenti, quæ in *quale* tantum prædicatur; non ponitur in quid complete, quia ex ipso quod differentibus solo numero dicatur prędicabilis, iam supponitur hoc dictum. Non dicitur de pluribus, quia in differentibus pluralitas includitur.

141 Objic. 1. Personalitates divinæ sunt species, cum notabiliter differant, & tamen non prædicantur de pluribus differentibus numero. Persona namque Patris, & sic de alijs, de solo Patre est prædicabilis.

142 Resp. Personalitates divinas esse species metaphysicas, non tamen logicas, seu prędicabiles. Unde illis hæc definitio non competit, vel esse species tantum subijcibiles, hoc est, sub aliquo genere contentas, nempe sub ratione personæ vt sic ab eis abstractæ.

143. Objic. 2. Deus prædicatur de tribus divinis personis solo numero distinctis; sed non est species: ergo non

non quidquid est prædicabile de differentibus numero, est species.

144 Resp. neg. Suppositum, quod Deus sit vniuersalis, cum non sit plura, seu multiplicabilis sub eodem nomine, & ratione, vt ad vniversale requiritur; si enim ratio vniuersalissima ad omnia prædicabilia illi deficit, quid mirum quod species non sit?

145 Objic. 5. Ratio speciei abstractę ab omnibus speciebus esset species; sed non prædicaretur de differentibus tantum numero, sed de differentibus specie, nam species inter se specie differunt: ergo.

146 Resp. Disting. mai. est species signate, conced. exercite. neg. Hoc est ratio speciei ab omnibus speciebus abstracta, significaret, & sonaret speciem; exercite tamen esset genus, cum prædicatur de pluribus differentibus specie.

147 Obj. 4. Species est prędicabilis de differentibus plusquam numero: ergo non recte definitur per Prædicabile de differentibus numero. Prob. antec. ratio vnionis abstracta ab omnibus vnionibus, quibus materia, & forma hominis vniri possunt, est species; sed hæc ratio prędicabilis est de plusquam numero differentibus. Ergo. Probatur min. Hæc ratio prædicabilis est de vnione existente, & de vnionibus possibilibus inter materiam, & formam Petri, & etiam de vnionibus possibilibus inter materiam, & formam Pauli. Sed vniones inter materiam, & formam Petri, & inter materiam, & formam Pauli plusquam numero differunt inter se. Ergo. Prob. vninor. Plus differunt vniones Petri ab vnionibus Pauli, quem vniones Petri interse, sed vniones Petri differunt interse numero. Ergo illæ plusquam numero.

148 Confirm. genus potest prædicari de differentibus plusquam specie: ergo species de differentibus plusquam numero. Antec. prob. In animali plus differrunt homo, & equus, quam equus, & leo; sed equus, & leo differunt specie: ergo homo, & equs differunt plusquam specie. Ergo animal, quod de homine, & equo prędicatur, de differentibus plusquam specie prædicatur.

149 Resp. Certum esse, plus differre vniones Petri ab vnionibus Pauli, quam vniones Petri inter se, sicut plus differt sapiens ab stulto, quam sapiens á sapiente, at sicut hic maior excessus sapientis respectu stulti, quam sapientis ad sapientem sufficient non est, vt plusquam numero differant, ita illa maior diversitas vnionum Petri ab vnionibus Pauli eas plusquam numero distinctas non constituit; *magis enim, & minus non variant species.* Sic intra eamdem speciem individua substantialiter inæqualia Philosophi communiter defendunt.

110. Ad confirm. Resp. Quod licet homo, & equus plus differant inter se, quam equus, & leo, hæc tamen differentia non extrahitur á ratione specifica, nam homo, & equus non differunt generice, sed tantum specifice, differentia namque desumitur à prædicato rationali, & irrationali.

111. Rogas: an definitio prædicetur vt species de definito. Affirmant P. Izquierd. & P. Sancta Cruz, quia prædicatur tota essentia. Negant communiter RR, quia licet prædicetur tota essentia, non prædicatur *inquid tantum* vt requiritur ad speciem, sed in *quid* ratione generis, & in *quale* ratione differentiæ. Res est denomine, sed vltimum probabilius.

SECTIO II.

AN SPECIES PLURA REQUIrat individua, vt sit vniversalis.

112. HIc supponitur, dari aliquam speciem, quæ ita tota salvetur in vnico individuo, vt illi multiplicitas individuorum repugnet; & ita se habere de facto Angelos ex S. Thom. defendunt Thomistæ. Ideoque in natura Michaelis vt in determinato exemplo disputari solet præsens quæstio. Quærit enim vtrum hęc natura Michaelis (idem de alijs immultiplicabilibus dic) quam in plura individua immultiplicabilem supponimus, sit vniversalis, nec ne?

113. Fere omnes Thomistę pro Caietano D. Thomam deserentes ita tenent, talem naturam esse vniversalem, vt Galleg. nomine Thomistæ indignum dicat eum, qui contrarium defendere tentaverit; sed huic honori fere renuntiat problematicus Ortiz tract. 3. conf. 4 §. 3. immo re ipsa eo sese libenter pro veritate privant Recentiores Thomistæ M. M. Pradus, & Lince, pro se alios in manuscriptis referentes apud nostrum Peyn. tract. 2. de prędicabilibus. d. 2. n. 17. Sed vt nomen retineant ad nova confugiunt. Dicunt enim naturam Michaelis á sua singularitate abstractam esse vniversalem non positive, sed negative, hoc est, non esse prędicabilem de pluribus, cum ad plura referibilis non sit, sed tantum ita præscissam non esse singularem, cum á singularitate sit abstracta, & hoc vocant vniversale negative. Quod certe á nemine negabitur.

114. Omnes nostri DD. (vno excepto P. Izquierdo in præsenti Thomistarum sectatore) contrarium tenent & etiam Scotistę apud Ponz. d. 3. q. 4. quibus adde Spinulam. d. 7. sect. 4.

115. Dico primo. Stando principijs adversariorum. Natura Michaelis nequit esse vniversalis adhuc negative. Hoc militat contra Pradum, & Lync. Prob. primo. Ideo talis natura esset vniversalis negative, quia præscinderetur á singularitate, sed in Thomistarum principijs nequit à singularitate præscindi; ergo neque esse vniversalis negative. Prob. min. in Thomistarũ principijs singularitas, & immultiplicabilitas est de essentia naturæ Angelicæ, sed nil potest præscindi ab eo, quod est de eius essentia, sic homo nequit præscindi ab animali nec animal á viuente; ergo. Prob. 2. Singularitas Michaelis est Michaeleitas, sicut singularitas Petri est Petreitas; sed quia de essentia Petri est singularitas, Petrus á Petreitate non pręscinditur; ergo quia de essentia naturæ Michaelis est singularitas á Michaelitate non præscinditur. Tunc sic; sed natura Michaelis á Michaelitate non præscissa nequit esse vniuersalis ad huc negative: ergo.

116 *Dico.* 2. Ad huc admisso, quod natura Michaelis á sua singularitate præscinderetur non esset vniuersalis. Prob. 1. Angelici *Doctoris* authoritate. 1. p, q. 3. art. 9. in corpore, vbi ait, *nomen Deus non esse vniuersale, quia incommunicabile*; vbi manifeste ad vniuersale requirit pluralitatem, lib. 1. sententiarum dist. 19. q. 4. art. 2. In corpore ad vniuersale requirit pluralitatem in his, quę sub ipso continentur, vel actu, vel potentia. Tunc sic; sed natura Michaelis, nec plurificatur, nec sub se continet plura actu, & potentia. Ergo nullo modo est vniversalis.

117 Prob. 2. ratione. Natura vniuersalis, vt ex eius definitione constat debet esse prædicabilis de pluribus, ac consequenter identificabilis cum pluribus, debet esse vna, & plures; sed natura Michaelis non est prædicabilis, nec identificabilis cum pluribus, nec item est plures: ergo non est vniuersalis. Prob. min. Solum est prædicabilis natura de eo, â quo fuit abstracta, & tantum identificabilis cum eo, quocum realiter identificatur; sed natura Michaelis solum fuit abstracta ab eo, & cum eo tantum realiter identificata: ergo.

118 Prob. 3. Sicut se habet genus ad species, ita se habet species ad individua; sed iuxta Thomistas non datur genus prædicabile, vbi non sunt plures species; ergo nec species prædicabilis, vbi non fuerint plura individua. Ab hac efficacissima paritate per peram se expediunt adversarij.

119 Prob. 4. etiam ad hominem. Eatenus illa natura pręscissa á singularitate esset vniuersalis, quatenus ita præscissa non diceret repugnantiam multiplicitatis; sed ita præscissa dicit repugnantiam multiplicitatis. Ergo. Prob. min. Ita præscissa est essentialiter immaterialis, & spiritualis; ergo ita præscissa dicit repugnantiam multiplicitatis. Patet conseq. Tota multiplicitas indiuidualis iuxta Thomistas provenit á materia signata quãtitate; sed naturæ essentialiter spirituali essentialiter repugnat materia signata quantitate. Ergo & multiplicitas.

120 Confirm. illi speciei realiter repugnat multiplicitas individualis, vt supponitur. Rogo, vel præscindatur secundum illam rationem, qua illi repugnat multiplicitas, & materialitas, vel secundum aliam, qua illi materialitas, & multiplicitas non repugnat? Si primum? Ergo non erit vniuersalis; si secundum? Erit vniuersalis, sed non erit species immultiplicabilis, de qua in præsenti loquimur. Patet; nam id, quod multiplicatur, immultiplicabile non est.

121 Obj. 1. & simul respondebis pro Thomistis. Naturam Michaelis esse prædicabilem de pluribus, ergo & vniuersalem. Prob. antec. Natura Michaelis prædicabilis est de Michaele existente & de alijs, quos fingere potest intellectus, vt possibiles: ergo.

122. Resp. Hanc prædicabilitatem fictitiam sufficientem non esse, vt tali natura dicatur positivè prędicabilis; alias Deus respectu Dei possibilis, & impossibilis erit vniuersalis. Item quare similiter non dabitur genus respectu vnius speciei possibilis, & aliarum impossibilium? Item Michael possibilis, & impossibilis differunt in ratione Michaelis. Ergo respectu possibilis, & impossibilis nequit esse vniuoca ratio Michaelis: ergo nec vniuersalis. Insuper responsio destruit suppositũ quęstionis: 1. hic namque supponimus talem naturam esse immultiplicabilem: ergo dum illi multiplicitas apponitur, idem quod supponitur, evertitur. 2. Quia iam illa natura Michaelis non esset species, sed genus. Prob. animal est genus respectu hominis, & bruti, quia homo, & brutum notabiliter differunt, sed plus differunt Michael possibilis, & impossibilis, plus enim differunt ens, & non ens, repugnans, & non repugnans, quam ens, & ens, &c. Ergo natura Michaelis, vt prædicabilis de vero Michaele, & ficto, non erit species, sed genus, vtpotè prædicabilis de differentibus notabiliter.

123. Replic. 1. Natura abstracta ab vnico individuo existente, & alijs possibilibus est vniuersalis per nos; ergo & abstracta ab vnico existente, & alijs impossibilibus. Prob. conseq. Quia non datur maior convenientia inter pure possibile, et existens, quam inter existens, et impossibile. Ergo:

Resp.

124. Resp. Conced. antec. Ad probationem disting. Quoad prædicata essentialia. Nego. Quoad actualem terminationem actionis productivæ conced. Homo possibilis tam animal rationale est, quam homo existens, vnde in prædicatis essentialibus proprissime cum existenti convenit, non ita possibile, et impossibile; verum, et fictum; ens et non ens; repugnans, et non repugnans. At possibile non terminat actualem productionem, qua ab statu meræ possibilitatis extrahatur, quam terminat existens, et sic in ratione existentis actualiter, in qua non conveniunt non præscinditur ab eis vlla ratio.

125. Replic. 2. Ergo licet natura hæc non sit vniuersalis respectu Michaelis possibilis, et impossibilis vt impossibilis, erit tamen respectu Michaelis possibilis, et impossibilis non vt impossibilis, sed subconditione, quod esset possibilis. Sic respondent plures Thomistæ.

126. Resp. Neg. conseq alias Deus erit vniuersalis respectu huius Dei, et alterius ex suppositione quod sit possibilis. Homo respectu Petri, et equi, ex suppositione, quod esset homo. Quis non videat hoc á ratione absonum! Nō enim datur potentia ad terminum absolute impossibilem sub aliqua conditione impossibili, alias liceret dicere; Deum nunc posse producere Chimęram, ex suppositione quod esset possibilis, vt contra P. Vazq. ipsi tenent Thomistæ: ergo nec potentia, vt prædicetur in natura Michaelis, respectu alterius Michaelis impossibilis ex suppositione, quod possibilis esset?

127. Obj. 2. Cum M. Ioanne á S. Thom. Natura humana præscissa á sua singularitate est vniuersalis: ergo natura Michaelis á sua singularitate præscisa erit etiá vniuersalis. Pro. cōseq. Ideo natura humana est vniuersalis, quia prout ita præscissa illi multiplicitas nō repugnat; sed naturæ Angelicæ prout præscisse multiplicitas non repugnat: ergo.

128 Confirm. 1. illi naturæ ita præscissæ non repugnat multiplicitas ratione sui, sed ratione indiuiduorum, quæ multiplicari nequeunt.

129 Confirm. 2. Licet illi repugnet multiplicitas ex conceptu talis speciei, non ex conceptu speciei vniuersaliter sumptę: ergo ipsa secundum se erit vniuersalis.

130 Resp. Assignando maximā disparitatem inter naturam humanam præscissam, & naturam Michaelis, adhuc permisso, quod hæc possit à sua singularitate præscindi. Natura namque humana sic præcissa est vna, & plures, habet aptitudinem ad essendum, & prædicandum de pluribus, est referibilis ad plura, quę omnia naturę Michaelis abstractæ deficiunt, vnde & illi vniuersalitas deficit. Item iuxta Thomistas cum illa natura abstracta maneat essentialiter immaterialis, manet essentialiter immultiplicabilis, cum iuxta ipsos tota indiuidualis multiplitas á materia proveniat; at naturę humanæ cum non á materialitate, sed ab vnitatibus proveniat sua immultiplicabilitas, & per præscissionem ab eis denudatur manet ex se communis, & multiplicabilis.

131 Ad. 1. Confirm. Resp. Illi naturæ ratione sui repugnare materialitatem cum sit essentialiter spiritualis: ergo ratione sui repugnat illi multiplicitas per vos á materialitate vnice proveniens. In super si impossibilia sunt indiuidua, in quibus talis natura multiplicetur, ergo potentia illius, vt multiplicetur in eis erit vtique impossibilis, nam ad impossibile impossibilis est potentia.

132 Ad. 2. Confirm. Resp. adhuc ex conceptu communi speciei spiritualis illi repugnare multiplicitatem in principijs Thomisticis, cum illi repugnet materialitas, insuper ergo licet dicere; naturam diuinam esse vniversalem: quia licet ex conceptu talis naturæ repugnet illi multiplicitas, non repugnat ex conceptu animalis; sed nihil ominus dicimus homini hinnibilitatem repugnare absolute, quia si alicui subiecto ratione conceptus specifici repugnat aliquod prædicatum illi absolute repugnat, licet præscissiue secundum communem aliquem gradum non repugnet. Ergo cum naturæ Michaelis multiplicitas repugnet per vos ratione conceptus specifici, licet secundum conceptum naturæ præscissive illi non repugnaret multiplitas, tamen absolute loquendo, hæc illi repugnat. Revoca hic in memoriam vltimam nostram probationem.

133 Replic. 1. Hęc natura abstracta á singularitate non est singularis: ergo est vniuersalis. Confirm. Hæc natura ita abstracta nullam habet ineptitudinem, vt prædicetur de pluribus, cum nullum habeat prædicatum pluralitatis exclusivum: ergo.

134 Resp; transf. antec. Nego conseq. Nam illa natura non esset singularis, quia esset á singularitate præscissa, neque esset vniuersalis, quia non esset apta, vt prædicetur de pluribus; prædicaretur enim de Angelo, á quo præscinditur; tamquam æqualis de æquali, cum latius non pateret. Ad confirm. Resp. Talem naturam ineptitudinem habere ad prædicationem, nam ita præscissa esset spiritualis: ergo, & positiue immultiplicabilis, cum positive careret materialitate qua solum per vos multiplicari poterat. Nota ad omnia argumenta vltimam probationem conclusionis.

135. Replic. 2. Per nos natura abstracta ab vnico indiuiduo est vniuersalis; ergo natura abstracta á solo Michaele vniuersalis erit.

136. Resp. A me non defendi naturam abstractam ab vnico tantum indiuiduo esse vniuersalem, sed potius contrarium. Negatur tamen suppositum, quod possit natura abstrahi ab vno tantum, si dentur alia individua convenientia, sed eo ipso, quod ab vno, ab omnibus etiam abstrahitur, & sic est vniuersalis, at vero, cum vt supponimus, non dentur plures convenientes in natura Michaelis, sed vnicum tantum individuum, natura ab eo pręscissa vniuersalis non erit.

137. Obj. 3. In hac prædicatione, *Michael est Angelus*, Ly Angelus non pręedicatur, vt ęqualis de æquali, nec est prædicatio identica: ergo erit vniuersalis de inferiori.

138. Resp. Quod si loquamur de natura specifica Michaelis, antecedens quoad primam partem est omnino falsum, natura namque Michaelis latius non patet quam Michael; valet enim: *Est Michael, ergo est hic Angelus, est hic Angelus; ergo est Michael.* Ergo tale prædicatum est æquale subiecto, si vero loquatur de natura Angelica omni Angelo communi, certè est prædicatio vniuersalis de inferiori, sed etiam certe est extra quæstionis suppositum; loquimur enim de hac natura immultiplicabili. Insuper certum est; prædicationem illam non esse identicam, ad hoc enim sufficit quod pręedicatum, & subiectum non proferantur eisdem vocibus.

139. Obj. 4. Natura Michaelis ponitur in pręedicamento, non vt genus, aut indiuiduum; ergo vt species.

140. Resp. Poni in prædicamento non vt species pręedicabilis, sed subjicibilis, sicut ponitur Deus: etiam ponitur vt indiuiduum non inferius, sed æquale suæ speciei.

141. Replic. Angeli distinguntur specie inter se. Item definiuntur: ergo constat

constant genere,& differentia,sed differentia est vniuersalis: ergo & natura Michaelis prout differt ab alijs erit vniuersalis.

142. Resp.Conced. antec. & disting. conseq. Differentia physica de vno tantum prædicabili,conced.Differentia logica vniuersali.Neg. & similiter disting.minorem subsumptam.

143. Objic. 5. Natura Angelica concipitur instar corporeę;sed hæc est vniuersalis:ergo & illa.

144. Retorq.Angelus concipitur instar iuvenis,hic est homo;ergo & ille. Videas tuum argumentum; ad quod respondetur,non concipi instar corporeæ in omnibus,sed in pulchritudine, agilitate,alijsque conceptibus non repugnantibus naturæ Angelicæ, alias quia concipitur instar corporeæ, esset impenetrabilis,cum corpus impenetrabile sit.Insuper neque ex eo, quod illa natura concipiatur vt vniuersalis, sequitur,esse re ipsa vniuersalem, quod solum negamus.

145. Replic. Natura *Michaelis* ita confusè potest attingi ab intellectu,vt ignoretur, an sit multiplicabilis, vel non:ergo saltem tunc erit talis natura vniuersalis.

146 Resp. Admitto casum, & neg. conseq.Nam tunc solum sequeretur,intellectum non discernere, an natura illa sit vniversalis, nec ne? Non vero esse positive vniuersalem. Et sicut ex eo quod intellectus non cognoscat, illam naturam esse immultiplicabilem infertur,esse vniuersalem, cum ex eo quod intellectus non cognoscat,illam naturam esse multiplicabilem,non infereur,esse singularem.

147 Obj. 6. S. Thomam oppositum nobis docentē in nomine *Deus*.

148 Resp. S. Thomam pro nobis stare locis in conclusionis probatione allegatis, & alibi, Dixit nomen *Deus* esse vniuersale non absolute, sed iuxta opinionem Gentilium illum multiplicantium. Vt videre est apud P. Hurtad. d. 5. Logicæ. 5, 3. subs. 1, §. 9. sect. 3.

SECTIO. III.

QVID SID SPECIES SVBIICIBILIS, & per quem actum constituatur.

149 Sicut,quod potest esse prędicatum in prędicatione vniuersali dicitur prædicabile,ita quod potest esse subiectum in prædicatione vniversali,dicitur subjicibile.Hinc est, quod genus supremum nequit dici subjicibile,quia nequit esse subjectum in vlla prædicatione vniuersali; aliás iam non esset supremum. Hinc item est,quod individuum completum est subjicibile respectu omnium prędicabilium, cum possit esse subiectum respectu omnium. Est ergo species subjicibilis. *Terminus, de quo genus vt genus prædicari potest, immediate.* Est recta definitio. Per ly *terminus* convenit cum specie prædicabili. Per ly *de quo genus prædicari potest* differt ab ea. Per ly *immediate* differt ab indiuiduo completo, dequo licet genus prædicetur vt genus, prædicatur mediate. Per ly *vt genus* differt ab individuo incompleto, dequo genus prædicatur nō vt genus, sed vt species.

150 Obj. 1. Hic circulum committi. Genus namque per ordinem ad speciem, & speciem per ordinem ad genus definiendo.

151 Resp. Genus á me non difiniri nisi in ordine ad notabiliter diversa. Insuper in correlativis non esse vitium, vnum per ordinem ad aliud mutui definire; sic omnipotentia per ordinem ad possibile, & possibile per ordinem ad omnipotentiam definitur.

152 Obj. 2. In hac prædicatione, *Homo est substantia*, Homo est species subjicibilis, sed non est, dequo immediate prædicatur substantia, quę est genus; ergo Species subjicibilis nō est, dequa genus immediate prædicatur.

153 Resp. Quod, vt aliqua sit species subjicibilis,absolute non requiritur, quod respectu omnis generis, cui subjicitur, sit immediata, sed quod sit immediata respectu alicuius, cum ergo homo sit immediatus respectu animalis participat rationem speciei subjicibilis etiam comparatione ad substantiam mediate de eo prędicabilem.

154 Rogas. Vtrum possit assignari aliqua communis definitio pro vtraque specie prędicabili, & subjicibili?Stando definitionibus speciei prædicabilis cōmuniter traditis à Doctoribus nequit assignari. Nam cū in definitione speciei prædicabilis apponatur tamquam genus *prædicabile*, iam excluditur species subjicibilis in cuius definitione *prædicabile* nequit ingredi; dantur enim plures species subjicibiles non prædicabiles,ita tamen potest species vt sic ab vtraque præscindens, & vtrique conveniens definiri: *Terminus constitutus ex conceptu communi vnivoco, & differentiali.*

155. Rogas 3. Per quem actum constituatur formaliter species subjicibilis in esse talis? P. Compt. asserit, constitui per actum, quo ipsa species ab indiuiduis abstrahitur. P. Herize tenet,constitui per actum, quo genus abstrahitur ab ipsa specie.

156. *Dico* 1. Species non constituitur in esse subjicibilis per abstractionem ipsius ab indiuiduis. Prob. 1. Per abstractionem speciei ab indiuiduis redditur superior, & relata ad individua vt ad inferiora; ergo non redditur subjicibilis. Patet conseq. Quia per illum actum redditur subjicibilis per quem respicit genus vt superius, sed per actum,per quem respicit individua vt inferiora, non respicit genus vt superius.Ergo. Confirm. Actus,quo species abstrahitur ab indiuiduis non cognoscit genus; ergo nequit speciei conferre positivam inferioritatem, & subjicibilitatem respectu generis.

157. Prob.2.Omnes species subjicibiles vnivoce conveniunt in esse subjicibilium;ergo in esse subjicibiliū debent per eandem formam constitui, & non per diversas; sed omnes species immultiplicabiles non constituuntur in esse subjicibilium per abstractionem ipsarum ab indiuiduis,vt patet infinitione Divina,quæ est species subjicibilis respectu relationis,& nequit à pluribus indiuiduis abstrahi, vt de fide constat:ergo.

158. *Dico* 2. Species subjicibilis non constituitur in esse talis per abstractionem generis ab ipsa. Prob. ratione á priori. Genus per abstractionem ipsius ab specie est solum præscissive superius,quatenus scilicet nil cognoscitur ex parte obiecti positiue repugnans contractioni ipsius generis ad inferiora. Species est positiue inferior respectu generis. Ergo per distinctas formas constituuntur genus in esse superioris, & species in esse inferioris, cum distincto modo se habeant.

159. Dico 3. Species in esse subiecibilis constituitur per comparationem simplicem subsequentem ad abstractionem generis,qua concipitur genus identificabile cum ipsis speciebus. Ita P.Peynad, d. 2. de vniuersalibus, sect. 1 n.2.& aliqui RR. Prob. 1. species non præscissiue, sed positiue est inferior,& subjicibilis generi;sed nullus est actus,per quem constituatur species in esse positiue inferioris respectu generis,nisi hæc comparatio subsequens,per quam

quam attingitur positiva identitas speciei ad genus,& præscissiua generis ad speciem;ergo per hunc in esse subjicibilis constituitur.

160. Confirm. Per illā formā cōstituitur species formaliter subjicibilis, per quam constituitur est, & proxime capax, vt de ea genus prædicetur; sed per talem comparationem subsequentem, ita constituitur. Ergo. Unde infer, per actualem prædicationem nec constitui in esse subjicibilis speciem, nec destrui eius subjicibilitatem. Non constituitur, quia ab actu per quem subiectatur iam supponitur subjicibilis, non destruitur, quia per actum secundum subiectionis actus primus seu sujicibilitas non destruitur, sicut per prędicationem non destruitur prædicabilitas.

161 Obj. 1. pro P. Compt. Per eandem quantitatem, homo est maior lepore, & minor boue; ergo per eandem abstractionem erit species superior indiuiduis, & inferior generi.

162 Confirm. Per idem de retum, quo aliquis Princeps extraneus constitueretur Peruvij Prorex, & superior, constitueretur Regis Hispaniæ inferior. Ergo similiter.

163 Resp. Deducendo solutionem ex eodem quantitatis exemplo; certum est; eandem quantitatem esse simul maiorem lepore, & minorem boue, ita eadem species est simul superior, indiuiduis, & inferior generi, at tamen quantitas non constituitur per idem in esse maioris, & minoris, si enim relatio æqualitatis sit ab extremis indistincta, in esse minoris constituitur per bovem, in esse maioris per leporem. Si vero sit distincta ab extremis pro distinctione reali terminorum, relationes etiam realiter distinguentur. Ergo similiter non constituitur species per eundem actum in esse superioris, & inferioris.

164 Ad confirm. admisso exemplo, quod negari posset dicendo; talem Principem constitui in esse inferioris per aliam legem statutam, nempe quod nullus non inferior, & subditus Regi munus regale exerceat, cui legi se voluntarie submisit Princeps ille acceptando tale munus. Admisso, inquam, nego paritatem nam tale decretum proportionato modo attinget Principem illum, regem hispanum,& subditos Peruanos, vt vtramque denominationem præbeat. At præscissio illa speciei ab indiuiduis non attingit speciem proportinato modo, vt illi conferat denominationem positive inferioris respectu generis, cum nō attingat identitatem positivam speciei cum genere, nec ipsum genus, quod ad talem denominationem necessario reqeiritur, est namque denominatio intentionalis, quæ in esse cognitæ debet conferri.

165 Obj. 2. Cum cognoscitur species, nempe homo implicite cognoscitur genus, nempe animal, & positiva identitas vtrusque. Ergo reddetur species generi subjicibilis.

166 Resp. Disting, antec. cognoscitur genus vt genus, & superius prędicabile, neg. vt pars constitutiva non superior. Conced. Quid ergo mirum, quod per talem actum inferior, & subjicibilis non constituatur species?

167 Obj. 3. pro P. Herize. Per abstractionem generis ab specie constituitur genus in esse superioris; ergo & species in esse inferioris.

168 Confirm, 1. Superius vt tale est respectu inferioris vt talis; sed vi solius abstractionis ante comparationem genus est superius, vt tale respectu speciei, ergo & hæc erit inferior, vt talis respectu generis, vi ipsius abstractionis, & ante comparationem.

Con-

169. Confirm. 2. Per eandem actionem generativam, qua Ioannes constituitur Pater prior, & superior Francisco Franciscus constituitur filius, inferior,& posterior Ioanne. Ergo similiter per eandem abstractionem, qua genus constituitur superior, species inferior constituitur.

170. Pro solutione nota, in omni prædicatione requiri identitatem positivam ad minus ex parte subiecti, licet ex parte prędicati identitas pręscissiva sufficiat. Vnde ex parte subiecti debet positive attingi iddentitas determinata erga predicatum, licet in hoc solum requiratur non attingi aliqua positiva repugnantia erga subiectum. Hinc inferes, per abstractionem generis ab specie posse genus constitui superius respectu speciei, quia eius superioritas est mere præscissiua consistens in eo, quod per illam abstractionem non cognoscatur aliqua differentia, ratione cuius non maneat genus aptum ad species diversas, non tamen potest per talem abstractionem constitui species in esse inferioris, nam eius inferioritas debet esse positiua, ideoque in comparatione attingentis identitatem ex parte speciei collocantis illam sub genere.

171. Ad primam confirm. Resp. Disting. antec. Superius vt tale si sit positive superius. Concedo; Si sit solum pręscissive superius. Nego. Præscissivè superius, cum non habeat veram respicientiam, respectum, seu correlationem, non requirit inferius vt tale, & cum consistat in eo, quod in obiectivo conceptu non attingatur aliqua differentia, solum requirit terminum á quo præscissionis, quod est quasi inferioritas pręscisiva, seu fundamentalis, quæ formalis redditur per actum comparārem ipsam speciem cum genere, attingentemque positivam identitatem subiectivam. Ex quo iam vides, cur per abstractionem, quin attingatur species aut differentia, fiat genus superius, non vero fiat speciesis inferior nisi per comparationem attingentem ipsam speciem, & ipsorum genus.

172. Ad secundam confirm. Resp. Quod sicut non valet, per eandem actionem generativam Pater producit, & filius producitur, & vterque attingitur. Ergo per eandem præscissionem abstrahitur genus, & attingitur species; ita nec valet. Per eandem formam. Pater constituitur superior, & filius inferior. Ergo per eandem præscissionrm constituetur genus superius, & species inferior. Ratio disparitatis est, quia actio est forma physica vtrumque terminum in ordine ad denominationes debito modo attingens, non vero præscisio, vt iam dixi.

173. Replic. Inferius formaliter non datur sine superiori formaliter; ergo neque superior sine inferiori.

174. Resp. Neg. Conseq. Quia cum inferius sit positive tale respicit superius vt tale, non ita superius, quod est solum præscisive tale.

SECTIO IV.

VTRVM SPECIES. SVBJICIBILIS inquantum subiicibilis sit vniversalis?

175. **P**Rima sententia affirmat. Ita Caietan. Toletus, & aliqui RR. Secuti Sapientissimos Nostrates Gregor. Lopez, & Fran. de la Massa.

176. Secunda sententia negat. Ita Thomistæ, & Scotistæ, nostrique communiter cum Olea. d. 97.

177 Dico. 1. Species subjicibilis in quantum subjicibilis non est vniuersalis. Prob. 1. species in quantium subjicibilis respicit genus superius, sed in quantum vniuersalis non res-

Hhhhh

respicit genu superius; ergo inquantum subjicibilis non est vniuersalis Maior constat ex definitione speciei subjicibilis. Minor probatur. Inquantum vniuersalis respicit indiuidua inferiora; sed inquantum respicit individua inferiora non respicit genus superius. Ergo.

178 Confirm. Licet idem homo sit simul animal, & rationale, hæc est falsa reduppicatio. *Homo inquantum animal est rationale*, quia animal respicit pro connotato sensationes, & rationale ratiocinationes, & prout respicit sensationes, non respicit ratiocinationes: ergo licet eadem species esset simul prædicabilis, & subjicibilis, hæc prædicatio, species in quantum subjicibilis est vniuersalis, erit falsa, quia prædicabile respicit inferiora, subjicibile superius, & prout respicit superius, non respicit inferius.

179 Prob. 2. Species constituitur in esse vniuersalis per abstractionem ab indiuiduis, & in esse subjicibilis per comparationem adgenus, sicut sacharum in esse dulcis per dulcedinem, & in esse albi, per albedinem; ergo sicut non valet sacharum in quãtum album est dulce ita nec species in quantum subjicibilis est vniuersalis, & ratio est, quia licet idem sit subiectum, dummodo per distinctas formas duplicem denominationem accipiat non valet reduplicative ab vna denominatione ad aliam, vt patet in exemplo posito. Ergo.

180 *Dico* 2. Nec subjicibilitas est radix prędicabilitatis, vt tenet Caietanus, nec prædicabilitas radix subjicibilitatis, vt defendit toletus, vnde nec causaliter valet: Ideo species est subjicibilis, quia est prædicabilis, nec è contra, ideo est prædicabilis, quia subjicibilis. Prob. Conclus. Quoad vtramque partem; ea nequeunt se habere vt essentia, & proprietas, quę omnino disparate se habent, nec se ad invicem inferunt, sed prædicabilitas, & subjicibilitas ita se habent. Ergo, Prop. min. Datur aliquod prædicabile, quod non sit subjicibile, vt patet in genere supremo, sive sit ens, sive sit substantia. Datur etiam aliquod subjicibile, quod non sit prædicabile, vt patet in specie immultiplicabili, natura v.g. Michaelis, filiatione divina, & c. Ergo Prædicabile, & subjicibile, prædicabilitas, & subjicibilitas disparate se habent, & nullo modo se inferunt.

181 Confirm. Ideo rationale est radix risibilis, quia à rationali ad risibile, & á risibili ad rationale valet illatio; ita *est rationale* ergo *risibile. Est risibile* ergo *rationale*. Sed non valet: *est subjicibile*, ergo *prædicabile* quia individuum completum est subjicibile, & nõ est prædicabile, neque e contra. *Est prædicabile*: ergo *subjicibile*. Quia genus supremum est prędicabile, & non est subjicibile. Ergo. Confirm. 2. species in esse prædicabilis constituitur per abstractionem, & in esse subjicibilis per comparationem subsequentem ad abstractionem generis; sed nec abstractio est proprietas comparationis, nec comparatio proprietas abstractionis. Ergo.

182 Obj. 1. Per eandem formam cõstituitur species in esse subjicibilis, & prædicabilis. Ergo est prædicabilis in quantum subjicibilis. Nego antecedens, vt constat ex sectione antecedenti.

183. Obj. 2. Ab omni specie subjicibili abstrahibilis est ratio communis speciei subjicibilis, cum conveniant simpliciter Ergo hęc ratio speciei subjicibilis abstracta esset prædicabilis, sed talis ratio est subjicibilis, vt subjicibilis. Ergo vt subjicibilis esset prædicabilis.

184. Resp. Conced. antec. conseq. & minorem subsumptam, & nego vltimam consequentiam, quia talis ratio est essentialiter subjicibilis, & accidentaliter prædicabilis, nam accidentale est naturę, quod ab intellectu abstrahatur hic & nunc, cum autem alicui entitati est accidentale aliquod prędicatum, nequit prædicari de illa cum particula reduplicativa *vt*, &c. Sic nequit dici *homo vt homo est vniuersalis*. Homo vt homo est albus. Quia licet verum sit, hominem esse vniuersalem, & esse album, & specificative valeret. *Homo est vniuersalis. Homo est albus*. At cum vniversalitas, et albedo accidentaliter homini conveniant, nequeunt de eo prædicari cum reduplicatione illa *vt*. Ratio est, quia illa particula denotat rationem, propter quam necessario convenit prædicatum subiecto, vnde dicere: Homo vt homo est vniuersalis, idem est ac dicere: ratio propter quam hic, et nunc est vniuersalis non est, quia sit subjicibilis, sed quia est abstracta ab omnibus speciebus, & prędicabilis de illis. Vnde signate est subjicibilis, exercite tamen non est subjicibilis. Hoc est licet species subjicibilis ita abstracta sonet subjicibilitatem in prędicatione, non tamen exercet officium subjicibilis, cum prædicetur de inferioribus sic. Hæc species subjicibilis est subjicibilis.

485 Obj. 3. Species subiicibilis est vniuersalis, inquantum participat rationem superiorem vniuersalis vt sic, sed inquantum participat rationem superiorem vniuersalis vt sic est subiicibilis. Ergo inquantum subiicibilis est vniuersalis. Confirm. homo est animal in quantum participat animal vt sic. Ergo species est vniuersalis inquantum participat vniuersale vt sic.

186 Resp. Nego. mai. & similiter antecedens confirmationis. Nam homo non ideo est animal, quia participat animal vt sic, sed quia est principium sensationis, & potius quia homo est in se animal, abstrahitur ab eo animal vt sic. Similiter species subiicibilis ideo est vniuersalis, non quia participat vniuersale vt sic, sed quia in se est vniuersalis vi abstractionis ab indiuiduis, & potius ab ea abstrahitur vniuersale vt sic, quia ipsa in se est vniuersalis. Ratio, est quia prædicata primæ intentionis supponuntur ad prædicata secundæ intentionis, & prędicata secundæ intentionis adprædicata tertiæ intentionis. Sic esse hominem animal est prædicatum primę intentionis. Hominem participare rationem animalis vt, sic est secundæ intentionis; ergo prius est esse hominem animal, & postea participare rationem animalis vt sic. Speciem subjicibilem esse vniuersalem est prædicatum secundæ intentionis; participare rationem vniuersalis vt sic: est prędicatum tertiæ intentionis. Ergo illud debet supponi ad hoc.

187 Obj. 4. Species subjicibilis vt subjicibilis est species; sed vt est species est vniuersalis. Ergo vt subjicibilis est vniuersalis.

188 Resp. Neg. min. Nam species immultiplicabilis, vt Paternitas, Filiatio diuina, Natura Angelica, &c. Sunt species, & non sunt vniuersales.

189 Replic. 1. Vt species habet indiuidua inferiora. Ergo vt species est vniuersalis.

190. Resp. Neg. antec. vt patet in exemplis appositis.

191. Repl. 2. Vt species involuit constitutive genus; sed genus habet individua inferiora; ergo vt species habet individua inferiora. Prob. hæc conseq. Quidquid convenit constitutivo, constituto etiam convenire debet, sed generi constitutivo speciei convenit habere individua inferiora; ergo speciei constitutæ habere individua inferiora convenire debet.

Resp.

192. Resp. Nego primam conseq. alias ipsa species, cum sit inferior genere se ipsam vt inferiorem respiceret. Ad probationem resp. Disting. mai. Quidquid convenit constitutivo primo intentionaliter, conced. Secundo intentionaliter. Neg. Aliás species non solum esset vniuersalis, sed etiam genus, quia á quo constituitur non solum est vniuersale, sed genus. Vnde iam speciei conveniret esse prædicabilem de bruto, quia animali constitutivo ipsius hoc convenit. Stet ergo quod prędicata, quæ secundo intentionaliter conveniunt constitutivis, non conveniunt constitutis, sed solum ea, quæ primo intentionaliter conveniunt. Sic speciei humanæ convenit prædicatum viuentis sensibilis, quia animali primo intentionaliter hoc cōvenit, nō vero vniuersalitas, quia vniversalitas est prædicatum conveniens animali secundo intentionaliter per abstractionem ipsius ab omni differentia.

193. Obj. 5. Ex RR. Species est subjicibilis prout respicit sibi superius, et vniuersalis prout respicit sibi inferiora; sed prout respicit superius respicit etiam inferiora: ergo prout subjicibilis est vniuersalis. Prob. min. Insuperiori nempe genere continentur virtualiter, tam ipsius generis, quam speciei inferiora, hoc scilicet, & illud indiuiduum. Ergo cum respicit species genus, in illo respicit individua sibi inferiora, quod probant exemplo visionis beatę, quæ respiciens omnipotentiam respicit possibilia, quia hæc contenta sunt in omnipotentia, sed ingenere contenta sunt indiuidua, ergo species ingenere ea respiciet.

194. Retorq. Ergo species se ipsam respicit ingenere. Patet conseq. Ideo respicit indiuidua, quia vtpotè inferiora continentur ingenere, sed species etiam est inferior immò immediatior indiuiduo: ergo se respicit. Sic aliqui affirmant, visionem Beatam se ipsam reflexè cognoscere in Omnipotentia.

195. Resp. Disting. mai. prout respicit sibi superius, est vniversalis. Superius, quod sit præscissive tale, concedo; quod sit positiue tale, nego. Ad probationem distinguo antecedens: insuperiori continentur inferiora, insuperiori pręscissiuè tali, nego: positiue tali concedo. Genus est superius solum potestativé, & præscissiuè respectu indiuiduorum, quæ superioritas tantum consistit in eo, quod non cognoscatur in natura aliqua differentia ratione cuius sit inepta, vt prædicetur de indiuiduis, vnde in illa solum positive respiciuntur prædicata essentialia nude sumpta. Quomodo ergo species respiciens prædicata essentialia nude sumpta, in eis respicere poterit individua, aut aliquid ratione cuius in notitiam individuorum deveniat?

196. Ideo enim superius, positive tale, aut correlativum positivum ducit in notitiam inferiorum aut correllativi, quia dicunt positiuum ordinem, positivam tendentiam, aut virtutem productivam. Sic in Omnipotentia possibilia cōspiciuntur, quia attingitur â visione beata, vt est virtus productiva possibilium positive talis. Quod totum ingenere respectu individuorum deficit. Item vt in vno correlativo aliud conspiciatur debet attingi reduplicative vt correlativum, sed ab specie subjicibili non attingitur genus vt superius. Ergo nec in eo inferiora cognoscentur. Et ratio est, quia id solum attingitur positive ab specie, quod acomparatione eius constitueta attingitur; sed ab hac non attingitur genus vt superius positive. Ergo nec ab illa.

197. Obj. 6. Species multiplicabilis subjicibilis inquantum taliter subjicibilis est vniuersalis. Ergo species subjicibilis vt subjicilis erit vniuersalis. Prob. antec. Homo inquantum homo est animal. Ergo similiter.

198 Nota, ab aliquibus Modernis ita affirmativam sententiam defensari a sensu quæstionis exorbitantes: loquuntur enim non de omni specie prout præscindit á pure sujicibili, & prædicabili, sed de specie quę simul sit subjicibilis, & multiplicabilis.

199 Resp. Disting. antec. species multiplicabilis subjicibilis, inquātum taliter subjicibilis est vniuersalis, si sensus sit vniuersalitatem illi provenire, vel totaliter, vel partialiter á subjicibilitate. Nego. Si sensus sit eam speciem esse simul subjicibilem, & vniversalem, concedo. Propositio hæc duplicem potest habere sensum. *Primus.* Eo ipso quod detur species multiplicabilis abstracta ab inferioribus, est simul subjicibilis generi, non tamem per eandem formam, nec inferendo prædicabilitatem ex subjicibilitate, sed simul concurrunt in eadem specie, & subjicibilitas, & prędicabilitas, & ideo cum vtrumque concurrat verum est dicere. *Species multiplicabilis inquantum taliter subiicibilis* (cadente reduplicatione non supra subjicibilitatem tantum; sed supra totum concretum. Vnde additur inquantum taliter subjicibilis) est vniuersalis, sicut homo *inquantum homo est animal.* hoc est: homo includit animal, & simul rationale. In hoc sensu est vera illa propositio, & anemine negari potest. Nam cum affirmatio vnius non sit negatio alterius, dicere, est inquantum homo animal, non est dicere quod ratio essendi animal sit rationale, sed quia vtrumque includit homo. Et sicut falsum est dicere; *Sacharum inquantum album est dulce.* Ita falsum esset dicere; *species subjicibilis multiplicabilis inquantum subiicibilis est vniuersalis.* Et sicut verum est dicere. *sacharum inquantum taliter album est dulce*, nam est idem ac dicere; sacharum quod est album, & dulce est dulce, ita verum est dicere. Species subjicibilis multiplicabilis in quantum taliter subjicibilis est vniuersalis, quia est idem, at species, quæ simul est subjicibilis, & prædicabilis, est vniuersalis.

200 Secundus sensus, ita vt vniuersalitas proveniat partialiter á subjicibilitate, & ratio quare sit species vniuersalis, non solum sit eius prędicabilitas, sed etiam eius subjicibilitas, qui quidem sensus ommino falsus est. Vniuersalitas enim speciei, nec partialiter provenit á subjicibilitate ipsius, nam si per possibile non esset genus, cui subiectaretur, dummodo prædicabilis esset de pluribus, esset vniuersalis formaliter, vt patet in genere supremo, quod est vniuersale, eo quod sit prædicabile, quin alteri sujectetur.

201. Obj. 5. Species prędicabilis v.g. provt subjicibilis, vel est singularis, vel vniversalis? Si primum, habemus intentum, si secundum? Ergo non differt ab specie immultiplicabili.

202. Resp. Speciem prædicabilem prout subjicibilem facta reduplicatione supra subjicibile non differre ab specie immultiplicabili vt subjicibili sicut homo prout animal facta reduplicatione supra animal non differt á bruto, prout animali. Ex quo non sequitur quod non differant absolutè.

203. Obj. 8. Contra 2. conclus. Licet ratio spiritus, & cognoscitivi nec se inferant, nec se excludant, nam in gratia reperitur spiritus sine cognoscitivo, & in bruto cognoscivum sine spiritu, tamen cum coadunantur in eodem ente ratio spiritus est radix cognoscitivi, vt tenet S. Thom. Ergo licet prædicabile, & subjicibile nec se inferant,

rant, nec se excludant, cum condunantur in specie multiplicabili, erit subjicibile radix vniuersalis.

204. Exemplum communiter cōtra Thomistas á nostris negatur, vt videre est apud P. Arriag. 1. p. d. 10. n. 15. Immaterialitas namque neque in Deo est radix cognoscitivi. Thomistę, qui tenent immaterialitatem esse radicem cognoscitivi, non loquuntur de omni immaterialitate, sed de illa, quæ ob excessum ad omne ens materiale, ita inducit cognoscitivum, vt in quocumque reperiatur, ratio etiam cognoscitiui debeat reperiri, & á qua ad cognoscitivum non valeat mutua consequentia, vt optimè notat P. Ruiz d. 1. de scientia, sect. 3. At vero cum inter subjicibile, & prædicabile non valeat mutuo consequentia, nec subjcibile est radix prædicabilis, nec prædicabile radix subjicibilis. Sicut licet practicum, & speculativum in eodem actu sæpe reperiantur, quia non valet mutua consequentia nec practicum est radix speculatiui, nec speculativum radix practici.

SECTIO V.

ALIQVID DE INDIVIDVO *sciendum.*

205. INdiuiduum dupliciter sumitur. Primo, & secundo intentionaliter, seu quod idem est, secundum quod in se realiter, & independenter ab intellectu habet, & secundum quod habet dependenter ab intellectu.

206. Indiuiduum primo intentionaliter definitur á Porphirio per id, *Cuius collectio proprietatum alteri convenire non potest.* Proprietates autem in hoc disticho collocantur.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, Patria tempus.
Dividuum certa reddere lege solent.

Communiter rejici solet hæc definitio, quia descriptiva, & quia proprietates assignatæ non conveniunt omni indiuiduo rationali, & irrationali, quibus solum vulgo Patria, nomen, & stirps attribui solent, licet nimis violenta explicatione hanc Porphyrij definitionē defendere tentet quidam Sapientissim. R. Mag.

207. Alij indiuiduum definiunt, per *Indivisum in se & divisum á quolibet alio.* Sed hæc potius videtur definitio *Vnius*, quam indiuidui. Res enim ratione vnitatis transcendentalis non est alia, ratione vero indiuiduationis non est sicut alia. Vnde ante quam indiuiduatio concipiatur, dum concipitur vnitas, iam concipitur res indiuisa in se, & diuisa á quolibet alio, sed de hoc in Metaphysica.

208. Ideoque ita definiendum est indiuiduum primo intentionaliter sumptum. *Id quod vltimo completum est in suo esse metaphysico.* Vnde indiuiduatio est vltimum complementum metaphysicum speciei. Convenit omni indiuiduo, tam completo, quam incompleto, nam licet *hoc animal* v. g sit vlterius complebile per rationale, &c. in suo esse metaphysico, seu in ratione huius animalis vlterius complebile non est. Convenit item omni indiuiduo, tam creato, quam increato, tam accidentali, quam substantiali; sicut enim subsistētia in esse physico est vltimum complementum physicum naturæ, ita indiuiduatio in esse metaphysico est vltimum complementum speciei, & sicut subsistens est vltimo complementum, ita indiuiduum. Maximam namque proportionem habent in esse physico subsistentia, & in esse metaphysico indiuiduatio.

209. Rogas 1. An indiuiduatio sit de essentia subiecti? Esse de essentia Petri vt talis Petreitatem, & indiuiduationem, non dubitatur, sicut de essentia albi vt albi est albedo. Inquiritur, an sicut rationale dicitur absolute de essentia hominis, ita indiuiduatio sit absolute de essentia subiecti? Esse extra speciem vt talem indiuiduationem mihi certum est. Tum quia cum Petrus, & Paulus differant indiuiduatione non differunt specie. Ergo indiuiduatio nō ingreditur conceptum speciei. Tum quia cum dicitur de Petro. *Petrus est homo* tota essentia speciei prædicatur de illo: Ergo Pauleitas non ingreditur conceptum speciei, aliás cum de Petro Pauleitas non prædicetur, non prædicabitur de eo tota species. Tum denique, quia si Petreitas pertineret ad essentiam hominis, Paulus esset Petrus, cum totam essentiam hominis participet. Tunc sic; sed essentia, & species iuxta communem loquendi modum confunduntur: ergo si indiuiduatio est extra speciem, similiter erit extra essentiam subiecti.

210 Non tamen ideo absolute dicenda est accidens metaphysicum, aliàs Petrus metaphysice diceretur concretum accidentale, nam omne concretum eo modo, quo constituitur aliqua forma accidentali, accidentale est. Item nec poneretur in prędicamento substantiæ, vnde vt optime adnotant PP. Hurtad. & Arriag. cum grano salis intelligendum est, indiuiduum esse accidens metaphysicum, hon est, quia formaliter advenit essentiæ tam in suo esse constitutæ, non quia sit absolute forma accidentalis.

211. Rogas 2. Quomodo definiatur indiuiduum secundo intentionaliter sumptum? á Porphyrio definitur per *Id quod immediate subjicitur speciei*, sed hic non loquitur de indiuiduo, quod convertitur cum specie, vt filiatio Diuina, Paternitas Diuina, & natura Michaelis, nam hæc omnia subjiciuntur immediate generi. Nec loquitur de indiuiduo vt prædicabili, sed vt subjicibili; ita ergo communiter indiuiduum secundo intentionaliter sumptum definitur. Est *prædicabile de vno tantum*; vnde recte dicitur, *Petrus est hoc indiuiduum.* Nec talis propositio est identica, sufficit enim quod aliter ex parte prædicati significetur subiectum, vt propositio identica non sit, licet idem significetur.

212 Rogas. 3. Quid sint indiuiduum determinatum, & vagum? Indiuiduum determinatum, quod signis demonstrativis. *Hic, hæc, hoc*, significamus, vt *hic homo, hoc animal.* Indiuiduum vagum, quod terminis indifferentibus, *quidam, aliquis*, & alijs similibus significamus, vt *aliquis homo currit.*

213 Rogas. 4. An detur aparte rei indiuidum vagum? Resp. Aparte rei non dari indiuiduum vagum in essēdo, nam quodcumque existens aparte rei in singulari existit. Ita ergo vaguitas se tenet ex parte intellectus, & modi significandi confuse obiectivam entitatem. Datur tamen aparte rei indiuiduum vagum in ordine ad aliquem determinatum effectum, & finem. Ita P. Arriag. disp. 7. n, 64. Nam licet ignis; v. g. habeat virtutem determinate productivam caloris independenter ab operatione intellectus, verum est hanc virtutem non requiri determinate ad productionem caloris, cum hic possit á sole provenire. Item licet Petrus habeat virtutem generativam Ioannis illa non requiritur determinate, vt Ioannes existat, cum possit à Didaco generari: ergo in ordine ad hos, & alios similes determinatos effectus datur indiuiduum vagum, seu virtus non determinate requisita.

214 Rogas. 5. VtrumDeus cognoscat indiuiduum vagum? Deum non cognoscere indiuiduum vagum in essendo, certum est, nam Deus non cog-

cognoscit, quod non est. Item in *Deo* individuum vagum in repræsentando non dari, certissimum est, cum Deus non confusè, sed clarissimê, & perfectissimê res cognoscat. Cognoscere tamen individuum vagum in operando, non dubito. Nam Deus cognoscit quidquid existit aparte rei, & sine vlla imperfectione cognosci potest, sed aparte rei existit indiuiduum vagum in operando, in cuius cognitione nulla relucet imperfectio: ergo. Exemplis explicatur hoc. Deus certo scitcalorem requirere aliquam actionem productivam, & aliquam vbicationem vt existat, scit etiam non requirere potius actionem *A* quam *B*, vbicationem *A*, quam *B*. cum ab vtraque actione, & vbicatione possit æque vbicatum reddi: ergo.

215 Rogas. 6. An indiuiduum vagum sit vniuersale? Negative Resp. cum P. Hurtad. Nam *aliquis homo* plura vt plura licet disiunctive attingit. Est enim idem ac, vel *hic*, *vel ille*, *vel isti homo*: sed vniuersale non attingit plura, vt plura: ergo individuum vagum non est vniuersale.

SECTIO. VI.

AN AB INDIVIDVIS PRIMO intentionaliter sumptis possit abstrahi vna ratio communis indiuidui?

210 RAtio dubitandi est, quia ex vna parte omnia conveniunt in esse individui, & cum connenientia sit fundamentum præscissionis, videtur posse prescindi. Ex alia, ratio individui est, qua res vltimo determinatur, & completur, qua vltimo differt ab omni alio, vnde videtur non posse esse rationem conveniendi, cum sit ratio differendi, acproinde nec posse prescindi.

217 Prima sententia negat. Ita ex nostris Toletus. Fons. Alarcon. P. Alphon. Lync. Ovied. controv. 5. punct. 3. qui solum negat præscissionem objectivam, non vero formalem. Ex exteris Poz. d. 6. q. 2. plures Thomistę, quos sequitur M. Lync. lib. 2. q. 2. art. 3.

218. Secunda sententia tenet, posse præscindi ab omnibus indiuiduis vnam rationem indiuidui, quę esset ratio communis, non tamen vniuersalis, cum ratione transcendentiæ minori gauderet vnitate, quam illa, quæ necessaria est ad proprium vniuersale. Hanc sententiam á se primo fuisse defensatam maximé gloriatur noster Olzin. num. 1373. asserens, eam postea plures propugnasse præcipue Spinulam, & quendam Pasqualigum, sed parum, dum de solo nomine gloriatur.

219. Tertia sententia affirmat. Ita Exim. Doctor Sæpius, PP. Hurtad. Rubio, Arriag. Tellez. Ioanniz. Compt. licet hic vniuocationem neget ex transcendentia. Ex Thomistis M. Ioannes á S. Thoma & Mag. Pradus cum eo apud Peynad. tract. 3. de prædicabilibus d. 2. n. 28.

220. *Dico* ab òmnibus indiuiduis primo intentionaliter sumptis potest abstrahi vna ratio communis vniuoca indiuidui. Prob. 1. *A* convenientibus simpliciter secundum eamdem definitionem vna ratio communis vniuoca simpliciter præscindibilis est; sed omnia indiuidua primo intentionaliter sumpta, Petrus scilicet Paulus, & Bucephalus simpliciter conveniunt in ratione indiuidui secundum eandem definitionem: ergo. Maior est fundamentum prescissionis simpliciter. Prob. min. Definitio indiuidui per nos est: *Vltimo completum in suo esse metaphysico*, vel iuxta alios. *Cuius collectio proprietatū alteri convenire nequit*. Vel *indivisum in se & divisum á quolibet alio*. Sed omnia individua sunt vltimo completa in suo esse, indiuisa in se, & diuisa á quibuslibet aliis, & vniuscuiusque collectio proprietatum alteri convenire nequit: ergo omnia conveniunt secundum eandem definitionem.

221. Confirm. primò. Potest concipi homo, quin concipiatur talis homo, ac proinde abstrahi homo, vt ratio communis ad omnia individua; ergo & poterit abstrahi ratio indiuidui, quin concipiatur taleitas indiuidui, & consequenter vt ratio communis ad omnia indiuidua. Prob. conseq. Ideo potest concipi homo, quin concipiatur talis homo, quia potest concipi animal rationale in quo salvatur tota hominis essentia, quin concipiantur Petrus, vel Paulus, quæ sunt extra essentiam hominis; sed similiter potest concipi indivisum in se, & diuisum á quolibet alio, inquo per vos salvatur tota essentia indiuidui, quin concipiatur Petreitas, vel Pauleitas, quæ sunt extra essentiam metaphysicam indiuidui: ergo.

222. Confirm. 2. Cum á longe vidimus aliquem se moventem, quem cognoscimus esse hominem, quin cognoscamus, an sit Petrus, seu Paulus? Cognoscimus, esse individuum, cum cognoscamus, esse hominem singulariter existentem completum in suo esse, & non cognoscimus taleitatem eius. Ergo potest præscindi indiuiduum á taleitate indiuidui.

223. Prob. 2. conclus. Omnes differentiæ indiuiduales assimilantur in hoc, quo est facere differre, nam sicut differentia Petri facit differre, ita & differentia Pauli similiter facit differre; sed quoties duo, vel plura conveniunt, & assimilantur in aliquo, possunt ab intellectu vnico conceptu confundi per prescissionem talis rationis conveniendi ab eis, vt patet in omni præscissione. Ergo.

224 Confirm. 1. Ab omni differentia specifica abstrehitur ratio differentię specificæ, quæ sit tertium prędicabile; sicut ab omni genere ratio generis, quæ sit primum prædicabile; & ab omni specie ratio speciei, quæ sit secundum: ergo & ab omni differentia indiuiduali ratio differentiæ indiuidualis præscindetur, cum non minus differant inter se differentiæ specificæ, quam indiuiduales.

225 Confirm. 2. Non minus distant, & diversitatem involvunt dissimilitudines, distinctiones, & æquivoca inter se, quam differentię indiuiduales; sed potest abstrahi ratio communis dissimilitudinis, distinctionis, & æquivoci á dissimilitudinibus, distinctionibus, & æquivocis; ergo & ratio differentiæ indiuidualis ab omnibus differentijs.

SVBSECTIO. VNICA.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

226 OBj. 1. Si præscinderetur ratio communis indiuidui, talis ratio esset individuum, & non esset individuum, esset indiv iduum, vt supponitur, & non esset indiuiduum, quia individuum est incommnicabile pluribus, indivisibile in plura, & prædicabile de vno tantum; sed illa ratio individui, vt pote vniuersalis esset communicabilis pluribus, divisibilis in plura, & prędicabilis de pluribus: ergo non esset individuum.

227 Retorq. Si præscinderetur ratio *incommunicabilis* ab omnibus incommunicabilibus, vel ratio *indivisibilis* ab omnibus indivisibilibus, talis ratio esset incommunicabilis, & indivisibilis, & non esset incommunica-

bilis,

bilis, & indivisibilis, esse in communicabilis, & indivisibilis, vt supponitur, non esset incommunicabilis, & indivisibilis, quia esset vniuersalis; sed per vos potest prescindi ratio incommunicabilis, & ratio indivisibilis: ergo.

228 Resp. directè. Disting. mai. esset individuum *signate*, & non esset individuum *exercité*, concedo. Esset individuum, & non esset individuum eodem modo, nego. Talis ratio præscissa esset indiuiduum signate, quia signaret indiuiduum, quod est talis rationis abstractum, at non exerceret munus indiuidui, sed vniuersalis, quæ quidem non opponuntur, vt patet in exēplis *incommunicabilis, & indiuisibilis*, & in ratione *æquivoci*, ab omnibus æquivocis abstracta, quę signatè esset ęquivoca, & exercité vniuoca in prædicatione ipsius de omnibus æquivocis, sic illa ratio indiuidui esset incommunicabilis, indiuisibilis in plura, & prædicabilis de vno tantum signate, exercitè tamen esset communicabilis diuisibilis, & prædicabilis de pluribus.

229. Replic. 1. Ratio Personæ Divinæ nequit præscindi, quia est vltima incommunicabilitas. Ergo nec ratio individui.

230. Resp. Neg. antec. cum S. Thom. 1. p. q. 29. art. 4. Exim. Doctore Arriag. Tellez, & alijs pro nostra sententia allegatis; immò ex conceptu personæ arguo sic ad rotionem individui. Aristoteles docet nomen Persona communitatem vniuersalitatis habere. Tūc sic: ratio personæ idem est ac ratio indiuiduæ substantię, seu indiuiduum; sed iuxta Aristotelem potest dari ratio personę communis communitate vniversalitatis: ergo & ratio indiuidui.

231 Replic. 2. Porphyrius definivit, & nos cum eo individum per Prędicabile de vno tantum; ergo quod est prædicabile de pluribus individuum non erit, sicut quia homo definitur per animal rationale, quod animal rationale non est, consequenter non est homo.

232 Resp. Non cum Porphyrio definivisse individuum singulare, & exercitè tale. Petrus enim clarè cognitus, vt Petrus est, solum est prędibile de hoc homine, at Individuum solum signate tale, & exercite vniuersale, de pluribus prædicabile est, & hoc non definivimus in definitione illa. Hoc est, non diffinimus individuum vt vniuersale, sed individuum, vt individuum. Hoc tamen quod est prædicabile de vno tantum de plurribus prædicatur, nam de Petro dicitur, esse Prædicabile de vno tantum, de Paulo, Didico, &c.

233 Obj. 2. Nullum est prædicabile, ad quod possit pertinere individuum, vt sic; ergo non datur tale individuum, quod sit vniuersale.

234 Eximius Doctor. Et P. Compt. concedunt antec. & negant conseq. Putant enim, conceptus transcendentes, qualis est ratio individui posse præscindi, quin ad vllum ex quinque prędicabilibus pertineant forte, quia extranscendentia eorum vnivocatio tollitur. Tu vero nega antec. nam si prædicatio ita fiat, *hoc individuum est individuum* pertinet ad speciem, quia prædicatur vt tota essentia, sicut diximus de animali in hac prædicatione. *Hoc animal est animal.* Si vero ita fiat prædicatio, *hoc ens est individuum*, iuxta probabilem sententiam pertinebit ad proprium, quia sicut vnitas, ita individuatio, est proprietas entis, & sicut hæc prædicatio *hoc ens est vnum*, pertinet ad proprium, ita & hęc *hoc ens est individuum*.

235 Obi. 3. Canis terrestris, & canis marinus sunt simpliciter canes, & tamen ab vtroque ratio *canis* præscindi nequit, quia in ratione canis dicunt diversitatem: ergo licet Petrus, & Paulus sint simpliciter individuum, nequit ab eis ratio individui præscindi, quia in ratione individui dicunt diversitatem.

236 Resp. Conced. antec. & neg. conseq. & suppositum, quod in ratione individui vlla intrinseca diversitas invalvatur. Canis Terrestris essentialiter est animal latrabile, canis marinus est tale animal æquoreum; latrabile, & æquoreum taliter dicunt exercitam diversitatem, vnde vnica definitione explicari nequeunt, at vero Petrus in esse individui, constituitur per esse indivisum in se, & c. Paulus per idem esse individui constituitur, eadem que definitione explicantur. Nam licet Petreitas, & Pauleitas diversitatem dicant, non ingrediuntur conceptum individui vt talis: ergo á cane ad individuum nulla est paritas.

237 Obj. 4. Ratio differendi nequit esse ratio conveniendi, sed individuatio vt talis est ratio differendi: ergo. Confirm. Individuatio est id, per quod res vltimo differt, sed si esset ratio conveniendi, & vniuersalis, non esset id, per quod res vltimo differt, cū vlterius esset per aliam differentiam inferiorum contrahibilis: ergo.

238 Resp. Distidg. mai. ratio differendi tam signate, quam exercitè, concedo; ratio differendi solum signate, nego. Sicut enim ratio *æquivoci* est vniuoca, ratio *indivisibilis* est diuisibilis, ratio *incommunicabilis* est communicabilis exercitè, licet signate contrarium dicant, ita ratio differendi signate, exercite est ratio conveniendi. Ad confirmarionem idem dic: Individuationem esse vltimam rationem differendi signate, non vero exercite. Hæc est licet ipsa ratio abstracta ab omnibus indiuiduis sit ratio vltimo differendi, hæc eadem ratio de omnibus indiuiduis prædicabilis est; quia omnia habent hoc, quod est esse rationem vltimo differendi, vnde in hoc conveniunt, & assimilantur.

239. Instas: vltima differentia nō admittit convenientiam, aliâs non esset vltima, sed penultima; sed individuatio est vltima differentia; ergo

240. Resp. Disting. mai. Vltima differentia exercita, & signata, concedo; vltima differentia signata tantum, nego, & Disting. min. Sed indiuiduatio est vltima differentia signate, concedo, exercite, nego. Petrus, & Paulus non conveniunt in esse Petri, & in esse Pauli; conveniunt tamen in esse indiuidui, Petrus & Paulus secundum explicitum, quod dicunt, quod nomine Petreitatis & Pauleitatis significatur, dicuntur indiuiduationes explicitę. Petrus, & Paulus secundum implicitum, quod important, quod nomine indiuidui explicatur, dicuntur, indiuiduationes implicitæ, quæ quidem cum sint indiuisiones in se, & divisiones à quolibet alio, conveniunt, & possunt ab intellectu sub hoc conceptu indiuidui confundi.

241. Replic. Per nos Petrus non convenit in esse Petri cum Paulo, nec Paulus in esse Pauli cum Petro, sed Petrus constituitur in esse Petri, & Paulus in esse Pauli per differentias individuales: ergo nec in differentijs individualibus conveniunt.

242. Hanc Replicam Patris Alphonsi contra eum ita Retorqueo, concedit enim hic author á Petro, et Paulo posse præscindi rationem vnius numero. Non minus constituuntur Petrus, et Paulus per differentias indiuiduales, quam per vnitates numericas; ergo si per te hoc non obstante, potest á Petro, et Paulo ratio vnius numero præs-

præscindi,similiter poterit ratio vnius indiuidui præscindi.

243. Resp.Conced.mai.et disting minorem.Constituitur per differentias individuales explicitas nomine Petreitatis,et Pauleitatis,conced. Per differentias indiuiduales confuse cognitas nomine differentiæ indualis, nego:per Petrum in esse Petri, & Paulum in esse Pauli denotamus differentias individuales secundum expressum, quod dicunt, non vero secundum implicitum, quod important, ideo que dicimus, non constitui per differentias individuales confuse cognitas, nam licet vt Petrus, & Paulus explicite eas differentias dicant, implicite tamen eas non dicunt, ideoque Petrus, & Paulus licet secundum explicitum non con veniant, conveniunt tamen secundum implicitum.

244 Obj. 5. Si daretur ratio individui, mediaret inter speciem, & individuum, indeque hęc non esset prædicatio immediata, *Petrus est homo*, cum prius posset dici, *hoc individuum est homo*: ergo homo prius descendit ad individuum, quam ad Petrum.

245 Resp. Individuum æque late patere ac ens, nam omne ens, sicut est vnum, ita est individuum, & sicut vnum,reliquaque entis attributa non mediant, ita nec individum. Hoc individuum scilicet humanum, & homo sunt ęqualia, sicut homo, & rationale; ergo sicut rationale non impedit immediatam prædicationem hominis de Petro, ita nec hoc individuum.

246. Replic. Individuum vt tale pro eodem accipitur ac *hoc*, sed ly *hoc* nequit vniuocè Petrum,& Paulum significare,nam adiunctum Petro diuersam rationem individui significat, ac adiunctum Paulo, ergo neque ly *Individuum* vniuoce significat Petrum, & Paulum.

247. Resp.Ly *hoc* posse sumi subiectiue,ita vt significet idem,ac singularis homo,aut singulare indiuiduum, aut adiective,ita vt demonstratiue cadat supra Petrum,vel Paulum vt tales, si primo modo sumatur,vniuoce significat Petrum,& Paulum,vterque enim est singularis homo, & tunc ly *hoc* idem est ac indiuiduum; si sumatur secundo modo, non significat vniuocè Petrum, & Paulum,nam tunc significat non indiuiduum vt cumque, sed tale indiuiduum taleitatem importans.

248. Obj 6.Si præscinderetur ratio indiuidui,daretur processus in infinitum, sed hic admitti nequit; ergo. Prob.mai.primo. Abstrahatur á Petro, & Paulo ratio indiuidui adhuc Petrus, & Paulus remanent indiuidua. Ergo vlterius poterit secundo ab eis ratio individui abstrahi, & vlterius tertio, & quarto, & sic in infinitum, cum semper individua remaneant. Prob. 2.Illa ratio individui abstractæ est individuum; ergo á Petro, & Paulo,& ab illa ratione individui poterit abstrahi alia ratio secunda individui, rursus hæc secunda ratio abstracta essentiam individuum; ergo ab hac secunda, & prima, & à Petro, & Paulo abstrahibilis est alia tertia ratio individui, & sic in infinitum.

249 Argumentum improbat omnem præscissionem termini transcendentis; v.g. entis, vnius, veri, &c. In quo idem argumentum fit. Si vis potes cum eximio D. 5. Metaphy. s. 2. num. 18. P. Lynce, & cęteris RR cõmuniter hunc processum in infenitum formalitatum absque vllo absurdo concedere. Sic perseitas est ens, & aliquid amplius; hoc amplius similiter est ens, & aliquid emplius vsque in infiitum. Sic Cardin, de lugo. d. 15. de Incarnat. num. 14. P. Quiroz. Et alij admittunt in scientia divina, qua Deus se ipsum, & suam scientiam cognoscit processum in infiitum reflexivum. Resp.

250 Resp. Neg. Sequelam. Ad primam probationem dic, quod licet post primam, & secundam, & infinitas abstractiones, si posibiles sint, ad huc remaneant Petrus, & Paulus individua, non remanent distincta, sed eadem individua: ergo licet secundo, tertio, & quarto abstrahatur ab eis ratio individui; eadem ratio, & non distincta abstrahetur, solum enim abstractione erunt distinctæ; quas vsque dum fatigatione impediaris repetere iterum atque iterum poteris; sed idem iterum, atque iterum præscindis. Ad secundam probationem maioris dic, ab illa ratione individui, & à Petro, & Paulo non posse vlterius pręscindi aliqua secunda ratio individui, quia illa ratio abstracta,cum non sit distinctum idiuiduum á Petro, & Paulo,non convenit cum eis in ratione individui, nam convenientia arguit distinctionem, vnde cum non conveniat, deficit fundamentum præscissionis; sic si á Petro abstraheretur ratio animalis ab ipsa ratione animalis abstracta, & ab ipso Petro non posset prælcindi alia secunda ratio animalis, quia prima ratio animalis abstracta non est aliud, sed idem animal, ac animal Petri,licet non cognoscatur vt tale, nec cum animali Petri convenit, aliás secum ipso conveniret.

251. Obj.7. Si pręscinderetur á Petro & Paulo ratio indiuidui. Petrus,& Paulus non manerent indiuidua, sed hoc est absurdum:ergo. Prob.Sequela, id,quod separatur ab alio,non manet in termino,á quo separatur, alias separaretur, & non separaretur, sed omnis præscissio est separatio: ergo si præscinderetur á Petro,& Paulo ratio indiuidui,Petrus,& Paulus non manerent indiuidua.

252. Hoc argumentum etiam impugnat omnem præscissionem termini transcendentis. Nam si ens præscinderetur á perseitate, hęc non maneret ens,cum ab ea esset præscissum, & simul maneret, cum ab eo esset transcensa.Resp. assignando disparitatem inter præscissionem physicam, et intentionalem. Præscisio physica est separatio mutua, sic si ramus præscinditur ab arbore, arbor manet sine ramo, non ita præscissio intentionalis, nam hæc solum consistit in eo, quod possit vnum concipi sine alio, cum autem posset indiuiduum concipi sine Petreitate,aut Pauleitate, hoc præscinditur ab eis;at cum Petreitas,et Pauleitas sine indiuiduo concipi non possint, non præscinduntur ab illo, daturque præcissio,& separatio non mutua,sicut animal potest concipi sine homine,homo tamen sine animali concipi non potest.

253. Replic.1.Impossible est,quod Petrus distinguatur à Paulo, & quod Paulus non distinguatur á Petro; ergo impossibile erit,quod indiuiduum distinguatur á Petro,& quod Petrus non distinguatur ab indiuiduo.

254. Resp. Conced. antec. Nego conseq.Ratio disparitatis est, quod distinctio inter *Petrum*, & *Paulum* est distinctio realis,& physica, quę necessario debet esse mutua; distinctio vero inter *Petrum*,& indiuiduum est distinctio formalis,& per mentem, quæ cum consistat in eo,quod concipiatur vnum sine alio, potest esse non mutua, quia potest hoc sine illo concipi,non tamen illud sine hoc,vt patet in ente,& perseitate; *Perseitas* nequit concipi sine ente, & ens potest concipi sine perseitate, & ratio est, quia præscissio formalis potius debet assimilari separationi,quam distinctioni,sicut ergo plura separantur ad invicem,vt Petrus, & Paulus, quia Petrus sine Paulo, & Paulus sine Petro existere possunt, plura vero nequeunt ad invicem separari. Sic Deus potest separari á creatura, creatura autem

autem non potest separari á *Deo*; res potest separari á modo; modus autem nequit separari á re. Ita plura formaliter possunt mutuo separari; quædam vero mutuo separari, & præscindi nequeunt.

255. Replic 2. Non stat distinctio non mutua inter duo sine distinctione mutua aliquorum; v.g. quia animal, & homo non mutuo distinguuntur, animal, & rationale distinguuntur mutuo inter se; sed individuum, & Petrus non mutuo distinguntur: ergo saltem individuum, & Petreitas mutuo debent distingui.

256. Confirm. Omnis distinctio non mutua est distinctio includentis ab incluso; sed omnis distinctio includentis ab incluso fundatur in distinctione excludentis ab excluso. V.g. Homo distinguitur á materia distinctione includentis ab incluso, quia habet formam, quæ distinctione excludentis ab excluso distinguitur à materia: ergo non stat distinctio non mutua sine distinctione mutua aliquorum.

357 Resp. Hanc replicam, & alia argumenta, quæ potius faciunt contra transcendentiam rationis individui in vltimas differentias, me convincent in metaphysica ad negandam transcedentiam entis; sed hic, sicut & ibi supponimus transcendentiam, qua supposita, inquirimus: an individuum possit præscindi? Unde argumenta, quæ faciunt contra suppositũ sunt abs re, eis que respondere non tenemur. Vt tamen interim scias, quomodo respondeant huic argumento *DD.* defendentes transendentiam ita se habent. Iam ad replicam, quam ad confirmationem negant mai. Ens enim non mutuo distinguitur á perseitate, quin detur vlla mutua distinctio inter ens, & perseitatem, cum hæc sit adęquate transcendẽtia abente, quod non evenit in animali respectu hominis quem adæquate non transcendit, ideo que mutuo animal á rationali distinguitur, & sicut datur inseparabilitas non mutua sine vlla mutua separabilitate, sic dabitur distinctio non mutua sine vlla mutua distinctione. Idem dicunt ad confirm. Non omnem distinctionem includentis ab incluso fundari in distinctione excludentis ab excluso, ob rationem supra dictam, ideoque licet individuum separetur, pręscindatur, & distinguatur à Petreitate, non inde infertur, Petreitatem distingui, præscindi, aut separari ab individuo.

258 Obj. 8. Vltima differentia non est resolubilis in duos conceptus, aliás non esset vltima: Ergo neque in rationem individui, & taleitatem individui.

259 Resp. Disting. antec. In duos conceptus mutuo, & adæquate distinctos, concedo: non mutuo, & inadæquate distinctos. Nego. Solutio patet ex dictis. Neque ex eo quod sit resolubilis in duos conceptus, ex quibus vnus implicitè sit ratio conveniendi, & alius explicite ratio differendi, sequitur non esse vltimam differentiam, Sufficit namque, quod secundum explicitum, quod dicit non sit explicite resolubilis, vt absolute, & adæquate dicatur vltima differentia.

260 Replic. Ad vnam rationem formalem non datur alia ratio fomalis: ergo nec ad vnam rationem differendi alia ratio differendi, sed individuum est ratio differendi; ergo respectu individui non datur aliqua ratio differendi; sed si posset præscindi, & resolvi in duos conceptus ratio individui daretur respectu illius ratio differendi, nempe taleitas individui: ergo.

261 Aliter efformatur instantia in nostris principijs. Per nos individuum est,

est vltimo completum, & determinatum in suo esse metaphysico, sicut subsistens in esse physico; ergo non est vlterius complebile, & determinabile in suo esse metaphysico, sicut subsistens non est vlterius complebile, & determinabile in suo esse physico; sed si ratio individui esset ratio communis abstracta, esset vlterius determinabilis, & complebilis in suo esse metaphysico, nam individuum per taleitatem individui completur; ergo.

262 Resp. Ex Replica inferri; nec genus, nec differentiam specificam posse definiri, nam cum omnis definitio constet genere, & differentia, si genus definiretur, iam ad vnum genus daretur aliud, & si differentia definiretur, iam ad vnam differentiam alia daretur.

263. Resp. Ad vnam rationem formalem exercite talem non dari aliam, sicut ad vnam actionem V.g. vt actio formaliter est, non datur alia actio; at vero ad vnam rationem formalem signate talem, aut materialiter talem potest alia ratio formalis assignaris, sic ad vnã actionem potest dari alia actio, & ad vnam vnionem alia, vt patet in vnione naturali inter animam, & corpus Christi D. quæ media alia vnione hypostatica vnita fuit personalitati divinę. Ratio ergo communis individui respectu suorum inferiorum, vt vniversalis est, non est exercite ratio differendi, sed solum signate; exercite tamen se habet vel vt genus, vel vt species, vel vt proprium, vnde respectu illius potest assignari ratio differendi.

264. Ad instantiam contra nostra principia respond. Individuum esse vltimo completum in suo esse metaphysico, cum autem individuatio subsequatur gradus entis, vnusquisque in suo esse metaphysico completus est. Sic animal per individuationem, completum est vltimo in esse animalis, quin vlterius in esse animalis compleatur, homo per individuationem vltimo completus est in esse hominis, quin in esse hominis possit compleri. Non tamen ex hoc infertur; quod absolutè animal non compleatur per rationale ad constituendum hominem, & homo per Petreitatem ad constituendum Petrum; sicut in communiori sententia licet materia prima per partialem subsistentiam vltimo compleatur in esse subsistentis, non infertur, quod non possit vlterius compleri per formam ad constituendum compositum humanum, nec quod subsistentia non recte definiatur per vltimum complementum naturę, & subsistens per vltimo completum in suo esse physico, quia non impedit, quod aliquid sit vltimo completum in vna linea, & vlterius in alia sit complebile. Sic individuum est vltimo completum in esse individui, nec in esse individui vlterius complebile, completur tamen per taleitatẽ in esse talis individui.

265. Obj. 9. Ex Sapientissimo P. Massa. A prędicato supremo primo intentionaliter, nequit præscindi aliqua ratio, quæ sit superior respectu illius, quia sequeretur, tale prædicatum esse superius, vt supponitur, et non esse superius, quia iam haberet supra se rationem superiorem, ergo nec á prædicato vltimo ea ratione, qua est vltimũ, poterit abstrahi ratio *vltimi*, quia iam esset vltima, vt supponitur, et non esset vltima, cum haberet aliam rationem infra se, sed nomine individuationis nil aliud significamus, quam prædicatum vltimum ea ratione, qua est formaliter vltimum: ergo non potest præscindi ratio individui.

266. Resp. Transeat antec. & Nego conseq. Ad inconveniens, scilicet, quod talis ratio esset vltima, & non esset vltima, iam supradixi; non implicare

care, talem rationem esse vltimam signate,& non esse vltimam exercite; illa enim ratio abstracta ab vltimis differentijs,seu individuis esset vltima differentia signate,exercite tamen non esset vltima differentia, cum vlterius esset contrahibilis per taleitates, scilicet per Petreitatem,& Pauleitatem.

267. Nota tamen non ideo pręscisse non abstrahi à prędicato omnium supremo aliquam rationem superiorem, quia sequeretur,tale prædicatum esse, & non esse omnium supremum, nam eodem modo ac salvatur, quod nulla sit contradictio in prędicato vltimo,asserendo prædicatum abstractũ, esse vltimum signate, & exercite non vltimum,ita poterat dici,tale prædicatum supremum manere supremum signate, & non supremum exercite, sed quia cum supponatur omnium supremum supponitur non dari aliud prædicatum simile quocum conveniat, vt detur fundamẽtum abstractionis,quod est cõvenientia, & similitudo plurium: At vero cum dentur plura individua, conveniunt in prædicato vltimæ differentiæ, vt ab eis ratio vltimæ differentiæ abstrahatur. Si vero ita ponantur plura prædicata suprema, sicut ponuntur plura infima, & vltima, eo modo quo ratio *vltimi* abstrahitur, & ratio supremi abstraheretur.

268 Replic. Ergo talis ratio abstracta non esset exercite individuum. Prob. conseq. Eo modo, quo aliquid non participat essentiam alicuius rei, non est talis res, sed si talis ratio abstracta,non esset exercite vltima differentia non participaret exercite essentiam individui,nam essentia individui est esse vltimam differentiam:ergo.

269 Resp. Conced. totum; sicut enim ratio abstracta ab omnibus generibus non esset genus exercite,sed species, ratio abstracta ab omnibus æquivocis non esset æquivoca exercite, sed vnivoca, ratio abstracta ab omni indivisibili non esset indivisibilis exercite, sed divisibilis, solum enim signate esset genus, æquivoca, & indivisibilis, idest, materia seu abstractum illius vniuersalis est genus, ęquivocum, indivisibile; ita ratio abstracta ab omni individuo esset solum signate, aut materia liter individuum, formaliter vero esset, vel species, vel genus, vel proprium.

270 Obj. 10. Individua conveniunt, quia disconveniunt, sunt similia, quia sunt dissimilia: ergo conveniunt, quia non conveniunt, quod est idem ac dicere, Petrum esse hominem, quia non est homo. Aliqui,quos suppresso nomine citat, & optime impugnat P. Arriag. d. 7. num. 93. dicunt; in ipsa formalissima disconvenientia esse convenientiam. V.g. Albedo est dissimilis nigredini, & quia nigredo est dissimilis albedini, albedo est similis illi, in eo quod vtraque sit dissimilis; vnde fatentur, ab ipsa formali, & explicita ratione differendi posse abstrahi rationem conveniendi. Resp, Non ideo convenire, & esse similia individua, quia disconveniunt, & sunt dissimilia, sed quia in esse individuorum eandem essentiam, eandem que definitionem participant, vt patet ex nostris probationibus.

271 Obj. 11. Ratio individui, quæ est in Petro,non est similis rationi individui, quæ est in Paulo: ergo vtraque nequit confundi per vnum conceptum vnivocum. Prob. antec. Ratio individui, quæ est in Petro negat omnem similitudinem cum ratione individui,quæ est in Paulo. Ergo. Prob. antec. Negat omnem sicuitatem cum alio individuo: ergo negat omnem similitudinem. Prob, antec. In hoc distinguitur per nos ratio individui à ratione vnius, quod vnum negat

gat

gat esse aliud, individuum vero negat, vnum esse sicut aliud: ergo ratio individui, quæ est in Petro,nengat omnem sicu, tamen cum omni alio individuo.

272 Resp. Disting. antec. non est similis, vt est ratio individui Petri involvendo ipsam Petreitatem explicite, concedo: Vt est ratio pręscisè individui. Nego. Et similiter distinguo reliquas probationes. Certum est individuum prout ab vno distinctum negere esse sicut aliud. At vero individuum, vt individuum est præscissive,non negat esse sicut Petrus, vel sicut Paulus, sed ab omnibus præscindit, & solum negat esse sicut aliud,in quo quidem Petrus, & Palus conveniunt, nam tam ratio individui, quę est in Petro, quam ratio individui,quæ est in Paulo,negat,esse sicut aliud; si vero iam sumatur ratio individui,quæ est in Petro, prout est Petri ipsam Petreitatem involvens, negat determinate similitudinem, & sicuitatem cum ratione individui, quę est in Paulo, sed ab eis ita explicite sumptis ratio individui non præscinditur.

273. Replic. Indivisio,quę convenit Petro,nõ est indivisio,quæ convenit Paulo; ergo non conveniunt in indivisione, & consequenter nec in ratione indiuidui, quæ in indivisione consistit.Prob.antec. Indivisio, quæ convenit Petro,est indivisio in plures Petros,& divisio á Paulo ratione identitas Petri secum ipso; sed Paulo non cõvenit hæc indivisio in plures Petros ratione idẽtitatis cum Petro,sed potius indivisio in plures Paulos ratione identitas cum Paulo:ergo.

274. Resp. Nego antec. Ad probationem dic; indivisionem in plures *Petros*,&c.non convenire *Petro* ex cõceptu communi individui, sed extaleitate individui. Ex conceptu enim individui solum competit illi esse indivisum in se,& divisum à quolibet alio, quod quidem etiam *Paulo* competit;ergo vtrique eadem indivisio per similitudinem competit,reliqua proveniunt ex taleitate,quę non præscinditur.

275. Obj. 12. Ex ingeniosissimo Neotherico Aurelianæ familię. Si cõceptus individuationis, & ipsius taleitas sunt duo conceptus inter se formaliter non mutuo distincti. Rogo, vel primus,vel secundus, vel neuter est essentia adęquata individuationis? Si vterque:Ergo ratio individui adæquatè non salvatur in conceptu communi præscisse sumpto,sed vltra superaddẽda est taleitas,inqua per nos non datur convenientia. Si in primo conceptu tota essentia individui salvatur? Ergo superfluit secundus,scilicet taleitas, si quidem omne id, quod per secundum præstandum erat, præstatur per primum. Si salvatur in solo secundo, scilicet taleitate: ergo superfluit primus. Si neuter, in alio conceptu obiectivo individuatio consister.

276. Resp. Totam essentiam metaphysicam individui formaliter adęquate salvari in primo conceptu individui,cui tota definitio,scilicet indivisum in se, & divisum à quolibet alio, correspondet, quin taleitas illud metaphysice constituat. Ex hoc tamen non sequitur,taleitatem esse superfluã; licet enim salvetur tota essentia metaphysica hominis in animali rationali, non sequitur rationem individui esse otiosam, & ex eo,quod salvetur tota essentia entis in non repugnantia ad existendum,non infertur; perseitatem esse otiosam. Non enim ratio individui præstat quidquid á taleitate præstatur. Taleitas namque determinat, & contrahit individuum ad Petrum, potius quam ad Paulum, facit diversum, seu diuersificat vnum ab alio, quod ratione indiuidui determinate non diuersificabatur, & alia pleraque.

Mmmmm Obj.

277. Obj. 13. Indiuidua primo intentionaliter non conueniunt in ratione vnius: ergo nec in ratione indiuidui. Prob. antec. *Primo*: hęc consequentia est bona. Petrus est vnus: ergo non est Ioannes, nec Franciscus: ergo quia hi omnes non conueniunt in ratione vnius. Prob conseq. Ideo hæc consequentia non est bona: *Est* homo: ergo nec Petrus, nec Franciscus, quia Petrus & Franciscus in ratione hominis conueniunt: Ergo si prima consequentia est bona, ideo est, quia Petrus, Ioannes, & Franciscus non conueniunt in ratione vnius.

278. Prob. antec. *secundo*. Ideo valet Petrus est homo: Ergo nō est *equus*; quia Petrus, & equus nō conueniunt in ratione hominis: ergo similiter ideo valet Petrus est vnus. Ergo nō est Frāciscus: quia Petrus, & Frāciscus nō cōueniunt in ratione vnius. Probatur *Tertio*. Ratio superior potest affirmari de omnibus inferroribus collectiue sumptis, vt videre est, in hac prædicatione. Petrus, & Paulus, & Ioannes, &c, sunt homo. Sed ratio *vnius* nequit affirmari de omnibus collectiue sumptis, ita: Petrus, Ioannes, & Franciscus sunt vnum: ergo quia ly *vnum* non est vniuersale.

279 Resp. Neg. Antec. Ad primam probationem dic. Non ideo præscisse non esse rectam illam consequentiam: *Est homo*: Ergo nec Petrus, nec Paulus, quia Petrus, & Paulus conueniunt in ratione hominis, sed quia in antecedenti nil ponitur in homine, ratione cuius positiue excludat, esse Petrum, vel Paulum. Vnde ly *homo* potest esse vel Petrus, vel Paulus; at vero in illa alia consequentia: *Petrus est vnus*: ergo *nec Ioannes*, nec Franciscilcus: in antecedenti ponitur identitas realis prædicati vnius cum Petro, ratione cuius positiue excludit, esse Ioannem, vel Franciscum, & prædicatio fit in sensu reali, in quo sensu si fieret prima prædicatio, esset etiam falsa, vt iam dicam. Si vero hęc prædicatio fiat in sensu formali, ita vt ex eo, quod Petrus sit vnus, inferatur non esse Ioannem nec Franciscum, tam falsa est vna, quam alia.

280 Ad secundam probat. Resp. Concesso antecedenti. Nego conseq. Hęc consequentia: *Petrus est vnus*: ergo *non est Ioannes*: ideo valet, quia ly *vnum* sumitur in sensu reali; habet enim hunc sensum: *Petrus, quia est singularis, est vnus*; *quia est Petrus non est Ioannes*, in quo sensu recte etiam infertur: *Petrus est homo*: ergo *non est Ioannes*. Id est, quia Petrus est singularis homo, qui est Petrus, non est Ioannes. Si vero in sensu formali sumatur illa deductio habens hūc sensum, *quia Petrus est vnus, non est Ioannes*: est falsa, sicut & hec, *quia Petrus est homo non est Ioannes*: Nam tam vniuoca est ratio vnius, quam ratio hominis. Hinc ad tertiam probationem respondetur, quod eodem modo ac de omnibus hominibus collectiue prædicatur ratio hominis, ita: *Petrus, Franciscus, Ioannes, &c. sunt homo*: ita de omnibus collectiue sumptis prædicari poterit ratio *vnius*: *Ioannes Petrus Franciscus sunt vnum*, idest participant rationem *vnius*, sicut participant rationem hominis.

281 Obj. 14. Actus attingens rationem *diuisi*, seu *distincti* á quolibet alio necessario attingit plura, vt plura, ac proinde nequit efficere vniuersale: sed actus, qui abstraheret rationem indiuidui, necessario attingeret rationem *diuisi*, seu *distincti* á quolibet alio, cum sit de essentia indiuidui: ergo talis actus non efficeret vniuersale. Prob. mi. talis actus attingit distinctionem vnius á quolibet alio: ergo attingit vnum, & quodlibet aliud vt distincta interse: ergo ut plura.

282 Resp. Negando mai. Ad probationem. Conced. antec. & disting. conseq. Ita vt quod libet aliud attingat terminatiue, & in obliquo, & diuisum, seu distinctum formaliter in recto, concedo. Vtrumque in recto, nego. Non impedit constitutionem vniuersalis attingentia plurium in obliquo, & terminatiue; sic hic actus, causa est productiua plurium effectuum, & alij similes sunt vniuersales; dummodo ergo pluralitas non se teneat ex parte recti, vniuersalitas non impeditur. Et ratio á priori est; quia pluralitas ex parte obliqui non impedit, quod ratio sit prædicabilis de pluribus; sic verum est dicere. Petrus est diuisus á quolibet alio. Ioannes est diuisus á quolibet alio: ergo non impedit quod sit vniuersalis.

283. Obj. 15. Omne distinctum reale est indiuiduum, vt nunc supponimus, admittendo communem definitionem, vel saltem est vnum: ergo actus attingens distinctionem á quolibet alio nequit vniuocare indiuidua. Prob. conseq. Actus attingens distinctionem, & diuersitatem inter duo, ea nequit vitalis conceptus vniuocare, vt per se patet: sed actus attingens diuisum á quolibet alio attingit distinctionem, seu diuersitatem vnius indiuidui, nempe distincti realiter ab alio indiuidui nempe distincto realiter: ergo.

284. Resp. Admitto antec. & nego conseq. Ad probationem nego min. & suppositum ipsius, quod in ly *quolibet alio* attingatur distinctum reale. Ly enim *quodlibet aliud* præscindit ab eo quod sit quid Chymæricum, vel reale, nam á quolibet alio tam reali, quam ficto distinguitur indiuiduum, vnde nullo modo attingit diuersitatem inter distinctum reale, & distinctum reale, seu inter indiuiduum, & indiuiduum: ergo ea possunt per illum actum vniuocari. Sicut enim per actum. *homo distinguitur aliquo modo ab omni animali*; vniuocatur ratio hominis vt talis, quia licet per illum actum attingatur distinctio inter hominem, & omne animal, in quo includitur etiam animal ipsius hominis in obliquo, non multiplicatur animal hominis vt animal hominis, ac consequenter non multiplicatur homo, vt homo, sed solum animal præscindendo ab animali hominis, & equi, ita cum ly *quod libet aliud* prȩscindat á distincto reali, & Chymærico, vi illius non multiplicatur distinctum reale vt distinctum reale, sed solum distinctum præscindendo á distincto reali, & Chymærico.

285 Replic. Sed talis actus multiplicat in obliquo non solum distinctum præscissiue, sed distinctum reale positiuum, quod est illius significatum rectum; ergo per illum nequit vniuocari ratio distincti realis, cum attingātur plura distincta realia Prob. min. primo. Illud obliquum, *quodlibet aliud* ęquiuoce significat distincta realia, & distincta Chymærica, cum distinctum reale, & Chymæricum æquiuoce conueniant: ergo ea attingit vt distincta, quin possit aliquo communi conceptu confundi. Prob. 2. Obliquum illud distribuit omne, distinctum, sicut terminus *omnis homo* distribuit omnem hominem, ita vt idem sit dicere diuisum á quolibet alio, ac diuisum ab hoc, & illo, & isto, & sic de cæteris: ergo attingit plura distincta realia, ergo plura indiuidua.

286 Resp. Nego min. Ad primam probationem nego antec. Nam licet æquiuoce significet omnia distincta, & sic attingat plura vt plura; non tamen significat ea distincta secundum proprias rationes specificas reales, vel chymæricas, sed ab eis præscindit, sicut hic actus *omne animal*. Licet attingat plura, vt plura in ratione anima-

animalis, non tamen attingit conceptus ſpecificos hominis, & equi, ſed ab iis præſcindit. Ad ſecundam probationé. Dic, ly *omnis homo* diſtribuit hominem ſub ratione hominis, at vero ly *quelibet aliud* non diſtribuit diſtinctum reale ſub ratione diſtincti realis, ſed ſub ratione diſtincti, ac proinde licet idem ſit diuiſum á quolibet alio, ac diuiſum ab hoc, & illo, & iſto, non tamen attingit hoc, & illud, & iſtud ſub ratione diſtincti realis, ſed ſub ratione diſtincti. Hoc dictum ſit ſupponendo definitionem communem indiuidui per indiuiſum in ſe, & diuiſum á quolibet alio, in noſtra vero ſententia aliter rationem indiuidui definiente argumentum vltimum, & eius inſtantia nullam vim habet, vel iuxta noſtra principia facilé poſſet ei ſolutio applicari.

DISPUTATIO III.

DE DIFFERENTIA TERTIO *prædicabili.*

287. Differentia eſt triplex. *Communis*, quæ eſt accidens, ratione cuius vnum ab altero accidentaliter differt, vt albedo, qua Hiſpanus differt ab Ætiope, & pertinet ad Quintum pradicabile. *Secunda propria*, & eſt proprietas ſecundario diverſificans rem, vt riſibile reſpectu rationalis, hæc pertinet ad quartum prædicabile. *Tertia propriiſſima*, qua vnum differt eſſentialiter ab alio, & hæc eſt, quæ ad tertium hoc prædicabile attinet; hæc habet triplicem reſpectum; ad genus, quod diuidit, & contrahit, & ita dicitur *diviſiva*, ad ſpeciem, quam conſtituit, & dicitur *conſtitutiva*; & ad indiuidua, de quibus prædicatur, & dicitur *prædicabilis*. Nota, nullam eſſe differentiam diuiſiuam generis, quæ non ſit ſimul conſtitutiva ſpeciei, bene tamen poſſe eſſe diviſiuam generis, & conſtitutivam ſpeciei, quin ſit prædicabilis, quia poteſt dari aliqua differentia non vniverſalis, nec prędicabilis de pluribus, vt in Diuinis ratio *perſonæ*, *filiatio*, & *Paternitas*, & omnis differentia conſtituens ſpeciem ſubjicibilem.

SECTIO I.

QVID SIT DIFFERENTIA prædicabilis? & alia ſcienda.

288. Porphyrius ſic definit differentiam. *Prædicabile in quale quid de pluribus differentibus ſpecie.* Male equidem, quia ſolum competit differentij ſubalternis, non infimis, quæ de differentibus tantum numero poſſunt prædicari.

289. Differentiam ergo prout præſcindit á differentia ſubalterna, & infima ita definio: *Eſt prædicabile in quale quid de differentibus.* Per ly *Prædicabile de differentibus* convenit cum reliquis prædicabilibus. Per ly *in quale* differt ab ſpecie, & genere. Per ly *in quid* á proprio, & accidenti. Nota per ly *inquale* non denotari prędicationem accidentalem, ſed prædicationem per modum rationis determinatiuæ alicuius rationis communis, quare non prædicatur *in quale* accidentaliter, ſed *in quale* notabiliter. Convenit omni differentiæ ſubalternę, & infimæ; non convenit definitioni, quia licet hæc ratione generis prædicetur *in quid*, & ratione differentię in *quale* non prędicatur per modum vnius, ſed per modum duplicis termini.

290. Diuiditur in ſubalternam, & infimam, *Subalterna* eſt, quæ ſub ſe continet alias differentias, vt ſenſibile, quod continet hinnibile, rugibile, &c. *Infima*, quæ ſub ſe alias differentias non continet, vt rationale. Item diuiditur in differentiam contrahentem, quę cótrahit genus intra eandem lineam, vt rugibile reſpectu ſenſibilis, quod contrahit ad tales ſenſationes, & extrahentem, ſeu elevantem, quæ extrahit genus ad operationes alterius lineæ, vt rationale reſpectu ſenſibilis, quod ad ratiocinationes elevat.

291 Rogas. 1. Per quem actum conſtituitur differentia in eſſe vniuerſalis? Reſp. Per actum, quo ab indiuiduis abſtrahitur ipſa ſola, nam ſi ſimul cum genere abſtrahatut, erit cum eo ſpecies.

292 Rogas. 2. An tria munera illa conſtitutivæ, diuiſiuæ, & prædicabilis competant defferentiæ primo, vel ſecundo intentionaliter? Reſp. Quod cum primo intentionaliter non detur differentia, prout hoc nomine ſignificatur, conſequenter nullum obtinebit munus; inſuper conſtituere, diuiduere, & prædicari aliquam ſonant diſtinctionem, & compoſitionem, quę ſolum ſecundo intentionaliter locum habet in rebus realiter identificatis.

293 Rogas. 3. Vtrum eadem differentia poſſit eſſe contractiua duplicis generis? Reſp. Affirmatiue. Sic rationale eſt contractivum animalis, & intellectiui. Idem actus intellectus contractivus practici, & ſpeculatiui. Nota, tales actus eſſe ſpecies miſtas ex duplici ſpecie, alia complera, & tunc genera, quę ſeorſim reſpectu ſuorum actuum ſunt adæquata, eſſe in adæquata reſpectu illius ſpeciei, quæ vtrunque genus ad ſui conſtitutionem requirit.

SECTIO II.

AN DIFFERENTIA SIT VNIVERſalis, & reſpectu cuius?

294 Prima ſententia tenet, differentiam eſſe vniuerſalem reſpectu ſpeciei. Ita aliqui Thomiſtæ com Caietano, & Cerna. d. 6. ſ. 4. art. 1. quos citat & ſequitur Mag. Prad. lib. 1. quæſt. 25.

295 Secunda ſententia tenet, eſſe vniuerſalem reſpectu indiuiduorum. Ita fere omnes noſtri. Eſt etiam communior inter Thomiſtas, quos ſequitur Magiſter Lync. lib. 2. quęſt. 3. art. 3.

296 Prob. 1. Vniuerſale vt tale reſpectu illius, cuius eſt vniuerſale eſt ſuperius; ſed differentia non eſt ſuperior reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu indiuiduorum. Ergo nec vniuerſalis reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu indiuiduorum. Confirmatur. Differentia æque late patet, ac ſpecies, valet enim ad conuerſiam á differentia ad ſpeciē, & ab ſpecie ad differentiā, ita. *Eſt rationale*: ergo *homo*. *Eſt homo*: ergo *rationalis*. Ergo rationale non eſt ſuperius reſpectu hominis, nec differentia reſpectu ſpecie. Prob, 2. Vniuerſale debet eſſet Prędicabile de pluribus; ſed ſpecies non eſt plura. Ergo reſpectu ſpeciei non eſt differentia vniuerſalis.

297 Obj. 1. Differentia Rationale; v.g. non facit differre indiuidua ſpeciei humanæ, & reſpectu illorum potius eſt conuenientia, quam differentia, ſed ſolum facit differre ſpeciē; ſed ſolum eſt differentia reſpectu illius, quod facit differre: ergo ſolum eſt

differentia respectu speciei, & non respectu indiuiduorum. Resp. Disting. mai. Non facit differre indiuidua speciei humanæ inter se, conced. Ab alijs indiuiduis alterius speciei, neg. Tam speciem, quam indiuidua facit differre, sed speciem vt æqualem, indiuidua vt inferiora; non ergo respectu omnis termini, quem facit differre se habet vt vniuersalis, sed solum respectu illius, quem facit differre vt ratio superior.

298 Obj. 2. Hæc est prędicatio formalis, & directa, *homo est rationalis.* Sed non est prædicatio singularis: ergo vniuersalis. Tunc sic, sed non alterius Predicabilis, generis, speciei, proprij, aut accidentis. Ergo differentiæ; ergo differentia prædicatur vt vniuersalis de specie Resp. Conced. mai. min. & neg. consequentiam: inter prædicatum singulare, & vniversale datur prædicatum æquale, quod nec vt singulare, nec vt vniuersale prædicatur. Sic de definitione prędicatur animal rationale, vt quid æquale, non tamen vt vniuersale, aut singulare; neque ex eo, quod prædicatio sit directa sequitur quod sit vniuersalis. Hinc inferes tale prædicatum ad nullum Prędicabile spectare, cum non gaudeat vniuersalitate.

299 Obj. 3. Species est terminus immediatus differentiæ, & hæc non respicit inferiora speciei, nisi medio respectu, quo immediate respicit speciem: ergo prius exercet vniuersalitatem respectu speciei, quam respectu indiuiduorum. Prob. conseq. Ideo genus prius exercet vniuersalitatem respectu speciei, quam respectu indiuiduorum completorum, quia terminus immediatus generi est species, & non respicit inferiora speciei nisi medio respectu ad speciem: ergo.

300 Resp. Disting. antec. Quoad primam partem. Species est terminus immediatus differentiæ, terminus inferior, nego; terminus ęqualis, concedo. Vnde habet differentia duplicem terminum immediatum, vnum æquale, qui est species, & alterum inferiorem, qui est indiuiduum. Distinguo etiam secundam partem antecedentis. Differentia non respicit inferiora speciei, nisi medio respectu, quo respicit speciem, vt inferiorem, nego; vt æqualem transeat. Ad eius probationem dico; genus non respicere, vt vniuersale speciem, quia medio respectu ad ipsam respicit indiuidua completa, vt inferiora, sed quia species ipsa est inferior, & non æqualis respectu generis, sed species non est inferior, sed æqualis respectu differentiæ: ergo licet differentia medio respectu ad ipsam speciem respiceret indiuidua speciei, non ideo esset vniuersalis respectu illius.

301 Obj. 4. Differentia non prædicatur vt quid æquale speciei: ergo iam cessat tota ratio, cur non prædicetur de illa ut vniuersale. Prob. antec. 1. Quia de pluribus prædicatur differentia formaliter, quam species; ergo species, & differentia non sunt ęquales interse: Prob. antec. Differentia prædicatur de indiuiduis, & de ipsa specie, species vero licet prædicetur de indiuiduis, non prędicatur de se ipsa: ergo. Prob. Idem antec. 2. quia si prædicaretur vt æquale, sicut species est vniuersalis, ita, & differentia esset etiam vniuersalis, sicut vt linea sit æqualis palmo, debet esse palmaris.

302 Resp. Nego antec. Ad primam probationem respondetur. Concedo de pluribus prædicari, & ad plura se extēdere differentiā, quā speciē, sed non ideo species non est æqualis differentiæ in vsurpatione logica, nam logice loquendo, quoties ab vno ad aliud mutuo valet consequentia, ea di-

dicuntur ęqualia, cum autem inter differentiam, & speciem valeat hæc mutua illatio. *Est rationale*: ergo *homo. Est homo*: ergo *rationale.* Æqualia dici debent. Ad secundam probationem respondetur, quod vt species, & differētia sint ęquales, nō requiritur, quod differētia sit vniuersalis respectu speciei, nā cū species nō sit vniuersalis respectu differentię, potius ex ea vniuersalitate differentię ad speciem argueretur inęqualitas, sed solum requiritur, quod sit vniuersalis respectu eorum, ad quæ est vniuersalis species, cum autem species non sit vniuersalis respectu differentię, sed respectu inferiorum speciei, differentia solum erit vniuersalis non respectu speciei, sed respectu inferiorum speciei.

303 Obj. 5. Respectu illius se habet differentia vt vniuersalis, de quo prædicatur in quale; sed de indiuiduis non prædicatur in quale: ergo respectu indiuiduorum non se habet differentia vt vniuersalis. Prob. min. De illo solum prædicatur differentia in quale, quod qualificat, & cui contingenter aduenit: Sed non qualificat indiuiduū, nec illi contingenter aduenit, cum sit de essentia indiuidui. Ergo.

304. Argumentum probat; differentiam nullo modo esse vniuersalem, non respectu indiuidui, quia de eo non prędicatur in quale, non respectu generis, quia de eo non prædicatur in quid, non respectu speciei, quia ob eandem rationem, ob quam non prædicatur de indiuiduo in quale, nec prædicatur de specie, cum speciem non qualificet, nec illi contingenter adueniat, cum eam constituat. Ergo. Resp. Differentiam prædicari de genere in quale logicè accidentaliter, non vero in quid nam differentia est extra essentiam metaphysicam generis, de illo ergo prædicatur differentia in qualequid, quod constituit vt pars formalis simul qualificans, & determinans aliam compartem ad constitutionem totius, vnde tam respectu speciei, quam respectu indiuiduorum prædicatur in qualequid, sed cum solum respectu indiuiduorum habeat superioritatem, respectu illorum tantum est vniuersalis.

305. Rogas. Quomodo prædicetur differentia vt sic de differentijs particularibus v.g. *Rugibile est differentia?* Resp. Prædicari, vt genus, nam prędicatur de notabiliter differentibus.

SECTIO III.

AN DIFFERENTIA SIT perfectior genere?

305. Nota, hic supponi cum sola distinctione formali posse dari maiorem, vel minorem, aut æqualem perfectionem, cum pluribus defendentibus, attributa Diuina inter se comparata esse æqualia, vel inæqualia in perfectione, sine vlla distinctione reali, nam si hoc non supponatur; iudicarem dicendum; *Differentiam* nec esse perfectiorem, imperfectiorem ve genere, nec æqualem, inæqualem ve generi, nam cum prædicatum minoritatis, maioritatis, aut ęqualitatis inperfectione sit prędicatum primę intentionis, cum sola distinctione formali, seu secundę intentionis non saluatur sufficienter, sed vlterius requiritur distinctio realis, seu primæ intentionis. Sic discurrunt aliqui RR. in attributis *Diuinis* negantes, esse æqualia, vel inęqualia, sic etiam aliqui negant in intellectui *Diuino* prædicatum actus primi comparatione intellectionis essentialis, &c. hoc tamen supposito.

306. Dico 1. *Differentia*, in qua genus includitur est, perfectior genere incluso, quoad modum essendi. Conclu-

clusionem tenet P. Ovied. P. Arriag. & Moderni communiter. Prob. primo., Id quod est determinatum, perfectius est, cęteris paribus eo, quod est indeterminatum, hoc est, cum in termino indeterminato non datur aliqua perfectio compensans excessum determinationis, perfectius est determinatum, quam indeterminatum; sed genus est quid indeterminrtum, & differentia est quid determinatum, & aliunde genus inclusum in differentia non habet perfectionem peculiarem, qua excessum determinationis compenset: ergo. Maior est certa. Ideoque in Physicis, forma est perfectior materia, quia materia est indeterminata, & Forma determinata. Quod non habeat genus inclusum prædicatum peculiare compensans, patet, nam cum includatur in differentia, quidquid continet genus, differentia etiam continet: ergo illud non habet prędicatum peculiare.

307 Prob. 2. Tantum, & aliquid amplius faciunt magis. Sed differentia includens dicit omnia generis prædicata, & addit proprium ipsius differentię perfectionem, nam Perseitas; v.g. dicit ens, & propriam ipsius perseitatis perfectionem, quam non dicit ens: ergo differentia perfectior est genere transcendente.

308 Dico. 2. Si differentiæ subalternæ non includantur in infimis, perfectus est genus quoad modum essendi, quam differentia illud non includens, si differentia sit purè contrahens. Ita aliqui ingeniosi RR. qui hanc tenent conclusionem, & alij, qui eam vt inconveniens ex non inclusione differentiæ subalternæ in infimam deducunt. Prob. 1. Licet aliqua entitas habeat aliquod prædicatum, inquo aliam entitatem excedat, si hæc habet alia pradicata, quibus compenset & superet excessum altenius, hæc est illa absolute perfectior. Patet in intellectione, quæ in prędicato actualitatis excedit principium intellectivum, & tamen hoc est absolute perfectius intellectione ob alia prædicata, quibus compensat, & excedit illam perfectionem actualitatis; sed licet differentia excedat genus in prædicato *determinatæ*, tamen si non transcendatur á genere, & differentijs subalternis, genus habet alia plura prędicata, quibus compenset, & excedat perfectionem determinatæ in differentia: ergo. Prob. min. Genus animal. V.g. est formaliter viuens, corpus, substantia, & ens, differentia vero rugibile v.g. neque est formaliter vivens, neque substantia, neque ens, sed solum terminative talis; sed esse formaliter vivens, substantia, & ens sunt prædicata, quibus non solum compensatur, verum quam plurimum exceditur perfectio determinatę in defferentia; ergo.

309 *Dico.* 3. Etiam si differentiæ subalternæ non includantur in infimis, perfectior est quoad modum essendi differentia elevans, quam genus transcendens, U.g. rationale, quam animal. Prob. Etiamsi in casu posito rationale non sit formalitea viuens, corporeum, substantir, &c. est tamen terminatiue tale, & vlterius licet non sit formaliter intelligens, est tamen terminative tale, quod non habet genus animal, sed esse terminatiue intelligens, quod est perfectio peculiaris differentiæ, compensat, & excedit perfectionem habendi formaliter prędicata viuentis, substantiæ, & c. quod est perfectio peculiaris generis: ergo. Prob. min. explican do assumptum, pro quo.

310 Sicas. 1, Perfectionem intelligentis fere in infinitum excedere perfectionem viuentis, substantiæ, corporis, &c. Scias. 2. habere terminative aliquid, nil aliud esse, quam habere exigentiam, seu ius irrevocabile (vt ita dicam) illius. Habere tamen aliquid formaliter, nil aliud esse, quam habere actualē possessionē illius. Scias. 3 Quod cum differentia infima habeat terminativè prædicata superiora, & genus ea habeat formaliter, excessus generis erga differentiam stat in eo, quod genus habeat actualem possessionem eorum prædicatorum, quorum differentia habet ius. Scias 4. Differentiam elevantem excedere in eo, quod differentia elevans habeat ius ad aliud genus multo perfectius genere contracto, quo iure caret ipsum genus contractum. V.g. Rationale habet ius prædicati intellectiui, quo caret animal. Nũc ergo. & sit probatio minoris. Quis dubitabit rationale esse perfectius animali, cum videat, rationale habere ius indefectibile ad omnem perfectionem animalis, & simul ad omnem perfectionem intellectivi, & animal solum habere possessionem prædicatorum animalis. Plus enim est ius ad perfectionem intelligentis in quo excedit differentia elevans genus, quam possessio viuentis, substantię, &c. in quo excedit genus differentiam.

311. Rem politicam, quę ex existimatione morali dependet, exemplo politico declaro. Si filius hæres Comitis del Castellar v. g. adoptaretur in filium á Carolo Rege Hispanię adhuc viuente Parente ipsius naturali, maiorem dignitatem, & digniorem personam filius ageret, quam parens, quia licet Parens possessionem haberet comitatus, qua careret filius, tamen filius haberet ius hæreditarium ad illum, & aliunde haberet etiam ius ad Regnum Hispaniæ, quo careret Pater. & plus censetur in existimatione morali habere ius ad comitatum, & Regnum, qam habere solum possessionem comitatus. Cum ergo differentia habeat ius ad perfectiones, quas possidet animal, licet eas actu non possideat, & alias etiam ius habeat ad perfectionem intelligentis, absque dubio plus erit in existimatione morali differentia elevans, quam genus contractum.

312. Dico 4. Omnis differentia, tam contrahens, quam elevans in quacumque suppositione est perfectior genere, quoad modum prædicandi. Est expresŝe contra P. Ovied. & RR. Prob. 1. vniversaliter ad hominem. Ideo per vos modus essendi differentiæ est perfectior modo essendi generis, quia modus essendi generis est per modum subiecti indeterminati, & modus essendi differentiæ per modum formæ determinatæ, sed similiter modus prædicandi generis est per modum subiecti indeterminati, & modus prædicandi differentiæ per modum formæ determinatæ: ergo differentia quoad modum prędicandi est perfectior genere.

313. Prob. 2. Tota perfectio in modo prędicandi generis stat in eo quod prædicetur in quid, sed etiam differentia prędicatur in quid, & vlterius prædicatur in quale; ergo in modo prædicandi habet, quidquid habet genus, & aliquid amplius. Confirm. Per prędicationem in quale non inficitur prędicatio in quid, sicut per pictum inficitur ratio hominis in homine picto. Nec minuitur, sicut per *secundum dentes* minuitur ratio *albi* in æthiope, sed remanet in sua vi, & virtute, sicut per rationale remanet animal in sua propria essentia, & virtute; ergo cum in prædicatione differentiæ detur tota virtus prædicationis inquid, & aliunde addatur prædicatio in quale, perfectior erit modus prædicandi differentiam, quam genus.

314. Obj. 1. contra primam conclusionem. Volitio libera est ratio generica ad operationem peccaminosam, & honestam, sed licet differentia ho-

neſtæ addat perfectionem, differentia peccaminoſæ inficit rationem genericam: ergo non omnis differentia addit perfectionem, & eſt perfectior genere. Reſp. Conced. mai. & diſting. min. quoad ſecundam partem. Inficit rationem genericam phyſice, nego; moraliter, concedo. Phyſice enim potius perficit, cum contrahat, & determinet indifferentiam actus liberi.

315 Obj. 2. Rationes genericæ ſubſtantiæ, viuentis, &c. Sunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ideoque competunt Deo, differentiæ vero *ſenſibile, rationale, &c*, in Deo non collocantur, quia non ſunt ſimpliciter ſimplices: ergo rationes genericæ perfectores ſunt difentialibus.

316 Reſp. Tranſeat antec. quoad primam partem, & nego conſeq. *Di*xi tranſeat antec, quia ſi per perfectionem ſimpliciter ſimplicem intelligatur ea, quę ſolum præſciſſive non dicit imperfectionem, ita ſe habent rationes genericæ ſubſtantiæ, & viuentis, ſed ita præſcindere ab imperfectione, non eſt perfectius pluribus perfectionibus, quę ob aliquam minimam imperfectionem ſimpliciter ſimplices non dicuntur; vnde falſum eſt abſolute, perfectionē ſimpliciter ſimplicem perfectiorem eſſe omni perfectione ſimpliciter non ſimplici tantum; ſi vero per perfectionem ſimpliciter ſimplicem intelligatur ea, quæ poſitive excludit omnem imperfectionem, non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices rationes genericæ ſubſtantiæ, & viuentis, cum non excludant coniunctionem cum differentia creata dicente poſitivam imperfectionem. Denique argumentum eſt contra ſuppoſitum; ſupponimus enim, genus imbibi in differentijs. Ergo ſi genus eſt perfectius ſimpliciter ſimplex, etiam differentia ita erit, cum includat totum genus, & aliquid amplius.

317 Obj. 3. Perſonalitas Divina vt ſic eſt genus, Filiatio divina eſt differentia; ſed filiatio divina non eſt perfectior perſonalitate divina; ergo non omnis differentia eſt perfectior genere.

P. Arr. Et alij defendentes inęqualitatem in perfectio nibus divinis negabunt minorem. Ego vero vt difficultates Theologicas vitem, dico: hic non loquimur de genere, & differentia divinis, vbi ratione infinitatis trāſcendentis tam genus, quam differentiam, omnia adæquantur, & quodlibet prædicatum ratione divinitatis incluſę pręcontinet perfectionem alterius, non ita in perfectionibus creatis, vt per ſe conſtat.

318 Obj. 4. Genus dicitur materia metaphyſica in ſimilitudine materię phyſicæ, & differentia forma metaphyſica in ſimilitudine formę phyſicæ; ſed materia phyſica eſt perfectior ſaltem forma materiali, cum forma ab ea dependeat: ergo & genus perfectius differentia.

319 Reſp. Conced. mai. Tranſ. min, & ratio in qua fundatur. Nam re ipſa forma phyſica eſt perfectior materia, cum forma eam determinet, nec ex dependentia arguitur maior, vel minor perfectio; ſic Anima rationalis, ſaltem in prima productione, dependet à materia, & nemine dubitante eſt perfectior illa. Nega denique conſequentiam, nam forma phyſica ideo eſſet minus perfecta, quia non imbibit, & includit omnem perfectionem materiæ, quam in hypotheſi imbibit differentia in ordine metaphyſico, cum ſupponamus includere genus.

320 Obj. 5. Licet differentia elevans ſit perfectior genere, non tamen differentia contrahens. Prob. aſſumptum. Genus v. g. animal ex ſe eſt potens omnes ſenſationes elicere, ſed per differentiam, v. g. hinnibile determinatur ad teles ſenſationes, v. g. hinnitus, cum alias poſſet viſum, guſtum, & tactum elicere. Ergo per illam differentiam potius inficitur; quam perficitur.

321. Reſp Neg. aſſumptum. Ad probat. Diſting. mai. Genus animal eſt potens omnes ſenſationes elicere, præſciſiue, concedo, poſitivè, nego. Animal enim ex ſe ſolum eſt potens producere ſenſationem in communi, per differentiam determinatur ad has, vel illas ſenſationes in particulari, & per determinationem ad quamcumque ſenſationem in particulari perficitur illa virtus in communi. Quod animal ex ſe non dicat poſitivam exigentiam ad omnes ſenſationes, patet. Alias iam deſtrueretur eſſentia animalis, dum cōtraheretur ad aliquas differentias, vbi nequiret omnes ſenſationes elicere, v. g. ad talpam, quæ viſionem elicere nequit, & ad Oſtream, quæ ſolo tactu gaudet. Nota, argumentum ſupponere hinnitum connotatum ab hinnibili vltima differentia æque eſſe illam externam actionem non vitalem, quod vt optime advertit P. Lync. falſum eſt, nam per hinnitum ob penuriam vocum ſignificamus perfectiores actiones vitales equi Agentis vitalis.

322. Obj. 6. Contra 2. concluſ. Actus eſt perfectior potentia, ſed licet non includat differentia vltima ſubalternas, & genus, eſt tamen actus, & genus eſt potentia. Ergo.

323. Reſp. Diſt. mai. Actus eſt perfectior potentia, cæteris paribus, concedo; abſolute, nego. Sic principium intellectivum eſt perfectius intellectione, quia licet hęc ſit actus, & illud ſit potentia, principium intellectivum eſt ſubſtantia, & intellectio accidens. Sic cum genus ſit formaliter ſubſtantia, viuens, & differentia ſolum terminative, hæc exceditur ab illo.

324. Obj. 7. Contra eandem. Eo

ſunt perfectiora prædicata, quo magis diſtant ab ente; ſed differentiæ, quomodocumque magis diſtant ab ente, quam genus. Ergo.

325. Reſp. Vel neg. mai. abſolute, vel diſting. Si ſint prædicata lineæ rectæ prædicamentalis. Conced. Si lineæ tranſverſalis, neg. Ratio eſt, quia cum prædicata lineæ rectæ inferiora includant ſuperiora eiuſdem lineæ, quo magis diſtant ab ente, plura includunt prædicata, & perfectiones, at vero cum prædicata lineæ tranſverſalis non includant ſuperiora, vt ſupponimus, non eo quod plus diſtent ab ente, eo perfectiora ſunt, ſi comparentur cum prædicatis lineæ rectæ.

326. Obj. 8. Contra 4. concluſ. Modus prædicandi ſequitur modum eſſendi; ſed modus eſſendi generis non tranſcendentis eſt perfectior differentia contrahente; ergo & modus prædicandi erit etiam perfectior; ergo vniverſaliter non eſt verum, omnem differentiam eſſe perfectiorem omni genere quoad modum prædicandi.

327. Reſp. Proloquium maioris propoſitionis, ita eſſe intelligendum. Modus prædicandi ſequitur modum eſſendi: Id eſt, *Res quæ eſt à parte rei* eo modo, quo eſt, & non aliter ac eſt in ſe, debet pręedicari, vt propoſitio ſit vera; non tamen intelligendum eſt ita, vt res eo ipſo, quod ſit perfectior alia debeat perfectiori modo prædicari. Cum autem genus, licet ſit perfectius, prædicetur ſolum in quid, & differentia licet ſit minus perfecta, prædicetur in quid, & ſimul prædicetur inquale, hoc eſt vt forma eſſentialis, eſſentialiter perficiens genus, eſt perfectior in modo prædicandi, licet minus perfecta in eſſendo.

328. Obj. 9. Differentia prædicatur nomine adiectivo, & per modum alteri adiacentis; genus vero nomine ſubſtautivo, & per modum per ſe ſtan-

ſtantis;ergo perfectior eſt modus, quo prædicatur genus, quam quo prędicatur differentia.

329 Reſp. Tranſ. antec. & neg. conſeq. Nam prædicari nomine ſubſtantivo, vel adiectivo non arguit plus, minus ve perfectionis in modo prædicandi. Sic accidentia ſæpe nomine ſubſtantivo prędicantur, vt Petrus eſt Dux, Poeta, aut Rex, &c. Et ſubſtactia nomine ediectiuo, vt Petrus eſt humanus, quin ex hoc arguatur maior perfectio in modo prædicandi accidentis, quam in modo prædicandi ſubſtantiæ. Item etiam genus nomine adiectivo prædicari ſolet, vt patet in hac prædicatione generica, rationale ſenſitivum eſt ſenſitivum, & alijs ſimilibus.

330. Repl. Licet differentia prædicetur in quid, eo quod prædicetur ſimul in quale redditur eius prædicatio minus perfecta, quam prædicatio generis, quæ tantum eſt in quid. Prob. Intellectivum hominis, quid ſimul eſt ſenſitivum, & minus perfectum intellectivo Angeli, quod eſt intellectivum tantum. Ergo ſimiliter.

331. Reſp. Aſsignando diſparitatem. Ideo enim intellectivum hominis eſt minus perfectum ex conſortio ſenſitivi, quia ſenſitivum inficit perfectionem intellectivi inpediens, ex dependentia á phantaſmatibus, perfectionem, quam haberet, ſi non dependeret. Vnde ſi intellectivum hominis ſimul eſſet intellectivum, & ſenſitivum ſine dependentia á phantaſmatibus, perfectius eſſet intellectivo Angeli, cum haberet intellectivum ęque perfectum & adderet aliunde ſenſitivum. Cum autem prędicatio in quale non impediat perfectiſsimam prędicationem in quid differentiæ, nam tam vt pars eſſentialis prædicatur differentia, quam genus, inde eſt, quod ex miſtione vtriuſque modi prædicandi, non ſolum non reddatur minus perfectus modus prædicandi differentiæ modo prædicandi generis, verum ſit abſoluté perfectior. Pro calce queſtionis, nota. Me in hac queſtione non eſſe locutum ex propria mente, ap erienda, dum Theologus egero de æqualitate Divinorum attributorum. Vbi dicam ad æqualitatem intrinſecam obiectivam ſufficere diſtintionem formalem, non tamen ad inæqualitatem. Vnde licet inter prædicata realiter identificata poſſit reperiri æqualitas intrinſeca, & obiectiva; non tamen inæqualitas. Hoc advertas pro doctrinæ conſequentia.

SECTIO IV.

VTRVM DIFFERENTIA SVBalterna, & genus includatur formaliter in infima?

332. Prima ſententia vniuerſaliter affirmat. Ita Averroes, Sonzinas, Gabriel, Ochamus, & Nominales apud P. Linc.

333. Secunda ſententia affirmat de differentijs purè contrahentibus, negat q de differentijs extrahentibus. Ita Arr. Averſa, Spinul. d. 70. n. 5. & 51. & N. Olea. d. 100. n. 3.

334. Tertia ſententia vniuerſaliter negat. Ita communiter Eximius D. Acutiſsimus P. Gabriel Vazq. PP. Hurt. Tellez, Compton. Ovied. Alphonſ. Ioan. S. Thom. Ponz. Sequuti communes MM. Ariſt. S. Thom. & Scotum, apud Peyn. tract. 2. de vniuerſalibus. d. 3. ſect. 1. á n. 1. Item Olzin. num. 1443. Magiſtri. Prado, Parra, & Linc. l. 2. q. 3. art. 4. n. 7. quibus adde RR. cum P. Maza.

335. Scias 1. Hic ſupponendas eſſe præciſſiones obiectivas, nam ſi non ſupponantur, cum omnia prædicata obiective ſint idem, includi obiective; certum erit.

336. Scias 2. Unum prædicatum includi formaliter in alio idem eſſe formaliſsimé, ac eſſe de conceptu definitivo illius, ſeu per ipſum definiri. Ex quo inferes 1. Genera, & differentias ſuperiores includi formaliter in ſpeciebus. V.g. animal ſubſtantia, &c. in homine, cum per eas eſſentialiter definiatur. Inferes 2. Differentias inferiores non includi in ſuperioribus v.g. rationale in ſenſibili, & ſenſibile in ſubſtantia, cum per eas nullatenus definiatur.

337. Tota ergo quæſtio in hoc ſtat. An ſcilicet differentiæ ſuperiores, & genera includantur formaliter in inferioribus. Hoc eſt, an ſenſibile v.g. quod eſt differentia ſuperior, & animal quod eſt genus ad rationale, & irrationale, includantur formaliter in eis, nam realiter cum omnia ſint idem, nemo dubitat mutuam incluſionem, ſumpta incluſione, (vt aliquorum ſcrupulus vitetur) pro eodem, ac identitate.

338. Dico. Nulla differentia, ſive contrahens, ſive extrahens includit formaliter ſubalternam, aut genus. Prob. primo authoritate Ariſtotelis, l. 4. Topic. c. 2. *Sic omne quod participat genus, vel ſpecies, vel individuum eſt. Differentia autem, nec eſt ſpecies, nec individuum; Manifeſtum igitur eſt, quod differentia non participat genus.* Idem tenet Angelic. Pręcep. apuſc. 42. c. 1. *Vbi differentia non participat genus, quia, cum dico rationale ſigna aliquid quod habet rationem, nec eſt de conceptu rationalis, quod ſit animal.* Quid clarius verbis vtriuſque Magiſtri?

339 Prob. 2. ratione, *Senſibile* eſt differentia ſubalterna, & *rugibile* differentia infima, *Animal* eſt genus, & *rationale* differentia, ſed nec ſenſibile includitur in rugibili, nec animal in rationali; ergo nec differentiæ ſubalternæ nec genus includentur in infima. eſt certa. Prob. min. Nec rugibile, nec rationale, vt differentiæ infimę ſunt reſpectu ſenſibilis, & animalis definiuntur per ſenſibile, & animal in recto, tanquam per græduata definitiva; ſed quoties vnum non definitur per aliud, illud formaliter non includit, nec eſt idem cum eo formaliſſime; ergo. Prob. mai. Rugibile, vt eſt differentia infima animalis definitur per taleitatem contractivam ſenſibilis, & rationale per taleitatem contractivam animalis ad taleitates aperationem; ſed in taleitate contractiva animalis ad taleitatem operationem nulla cenus ingreduntur animal, & aut ſenſibile in recto, tamquam prædicata definitiva. Ergo.

340 Prob. 3. Ab abſurdis, quæ ex contraria ſententia ſequeretur. *Primam*; Iam differentia, rationale. V.g. eſſet tota ſpecies. Prob. Si animal tranſcendit formaliter rationale, rationale erit formaliter animal, & formaliter rationale, ſed nil alud eſt tota ſpecies homo, quem *animal rationale*; ergo. *Secundum*. Iam hęc non erit recta hominis definitio, *animal rationale*. Prob. Hęc non eſt recta definitio hominis. *Animal viuens ſubſtantia rationalis*, nulla alia ratione niſi quia cum viuens includatur in animali, talis repetitio eſt vitioſa, ſed non minus includitur per vos viuens in animali, quam animal in rationali; ergo hæc etiam non erit recta dinitio animal rationale. 3. Iam Prædicabilia confunderentur, nam differentia eſſet idem ac ſpecies. 4. Iam non daretur mutuæ compoſitio metaphyſica inter genus, & differentiam, quod eſt contra recepiſſimam omnium fere Phyloſophorum mentem. Prob. Omnis mutua compoſitio ſupponit mutuam diſtinctionem, eo modo quo eſt compoſitio, ſed ſi animal includeretur in ratio-

tionali inter animal, & rationale non daretur mutua distinctio. Ergo

SVBSECT. VNICA.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

341 OBI. 1. Rugibile est differentia infima, & sensibile subalterna; sed rugibile essentialiter includit sensibile: ergo. Prob. min. rugibile formaliter est principipium rugitus; sed rugitus essentialiter includit sensationem, & sensatio formaliter requirit principium formaliter sensibile; ergo Rugibile est formaliter sensibile. Idem argumentum fit in rationali respectu viventis, nam rationale est formaliter principium rati ocinationis, sed ratiocinatio est formaliter vitalis, ideoque exigens formaliter viuens: ergo.

342 Resp. Conc. mai. & neg. min. Ad probationem disting. min. rugibile, vt vltima differentia est, est principium rugitus, vt rugitus est vltima differentia sensationis. *Concedo*; vt rugitus est species sensationis, contenta sub sensatione vt sic, *nego*. Solutionẽm explico. Rugibile, sicut & rugitus, dupliciter potest accipi, nam cum voces inventæ fuerint à Politicis, & non á metaphysicis, sæpe metaphysica duos conceptus distinguit, & vna voce eos significat. Sic per rugitus sæpe intelligimus quandam speciem sensationis contentam sub sensatione vt sic, & per rugibile quandam speciem animalis contentam sub animali vt sic. In hac acceptione, certum est; rugibile includere animal, & rugitus sensationem. Item rugitus exigere principium formaliter sensibile, nam vt supra notavimus, certum est, species includere formaiter genera. Sępe etiam per rugitum intelligimus vltimam differentiam, qua sensatio Leonis V. g. distinguitur ab omni alia sensatione, & per rugibile vltimam differentiam Leonis, qua hoc animal á reliquis differt animalibus, in hac acceptione rugitus non est formaliter sensatio, sed quædam taleitas, & modificatio sensationis, scilicet quod sensatio fiat tali affectu proprio ipsius Leonis, qui quidem affectus nobis inexplicabilis est. Et rugibile non est formaliter sensibile, sed taleitas, & modificatio distinctiua sensibilis. Item in hoc sensu rugitus non exigit principium formaliter sensibile. In hoc ergo secundo sensu loquimur, cum defendimus, differentiam subalternam in infima non includi formaliter.

343 Idem dicendum est de rationali, & ratiocinatione, si specifice sumantur, includere genera, & differentias viuentis, & vitalis, si vero sumantur differentialiter, nec rationale esse formaliter viuens, aut animal, sed taleitatem animalis determinantem illud ad speciem constituendam, nec ratiocinationem esse formaliter vitalem, sed taleitatem cognitionis.

344 Respl. Rugibile adhuc secundum inadæquatum ipsius, & vt vltima differentia, est formaliter vitale. Ergo. Prob. antec. Ad huc vt vltima differẽntia rugibile est principium operationis formaliter vitalis. Ergo. Prob. antec. Adhuc vt vltima differentia, est principium rugitus, sed rugitus ad huc secundum vltimã differentiam est actio vitalis, cum sit immanens, & ab intrinseco, aliás esset transiens, & ab extrinseco. ergo.

345 Confirm. Rugibile connotat vltimam taleitatem rugitus, vt principium, & causa illius, sed non vt principium non viuens per illam. Ergo vt pricipium viuens. Prob. min Alter connotat Rugibile vltimam ta-

lei-

leitatem rugitus, ac *Deus*, sed Deus connotat illam vt principium, & causa non vivens. Ergo rugibile illam connotat vt principium, & causa viuens.

346 Resp. Neg. antec. Ad probat. Neg. antec. ad prob. t. Transeat mai. & disting. min. Est actio vitalis immanens, & ab intrinseco, formaliter, nego. Identice possessive, & materialiter, concedo. Quod sufficit ad hoc, vt non sit formaliter transiens, & ab extrinseco. Ratio est, quia vt optime sapientiss. P. Leonard. Vna forma, vel quasi forma, potest de alio dupliciter prędicari, vel formaliter, vel præsuppositive, identice, aut materialiter (hi omnes termini idem significant) Prędicatur aliquid formaliter de aliquo ratione inclusionis, & identitatis formalis cum eo. Sic prædicatur aseitas de natura diuina vt pote vltimum illius constitutiuum in huius Doctoris sententia. Prędicatur aliquid præsuppositiue de alio, cum non includitur formaliter in eo, sed ita illud connotat, vt indispensabiliter ad illud pertineat, illi sit affixum, & modificans, sic prędicatur aseitas de attributis, non quia ipsa includatur formaliter in illis, cum potius formaliter distinguatur, sed quia attributa diuina ita pertinent ad aeitatem, vt illi sint essentialiter affixa. Vnde licet attributa diuina nõ sint formaliter à se, nõ infertur; esse formaliter ab alio, quia vt aliquid non pertineat formaliter ad lineam oppositam, sufficit quod identice, & materialiter pertineat ad talem lineam.

347. Sic taleitas rugitus non est formaliter vitalis immanens, & ab intrinseco, sed non ideo infertur, esse formaliter non vitalem transeuntem, & ab extrinseco, quia est præsuppositive, & identice vitalis, immanens, quatenus ita pertinet ad lineam actionis vitalis, vt indispensabiliter sit quædam illius taleitas, & modificatio. Hac doctrina, quam plurima solves argumenta.

348. Obj. 2 Rugibile est formaliter ens, ergo vel formaliter accidens, vel formaliter substantia; non forma, liter accidens; ergo substantia formaliter. Vlterius, vel viuens formaliter, vel non viuens formaliter, sed non est viuens formaliter, ergo viuens. Insuper, vel sensibile formaliter, vel formaliter insensibile; non insensibile formaliter, ergo formaliter sensibile. Ergo de primo ad vltimum rugibile, sicut est formaliter ens, est formaliter substantia, viuens, sensibile, & consequenter animal.

349. Ad hoc argumentum respondetur pro nunc admittendo antecedẽs, quod eadem doctrina vtentes plures negant dicendo, rugibile non esse formaliter, sed solum identice, & materialiter ens, quod sufficit, vt non sit formaliter non ens, seu nihil; admitto inquam antecedens; & nego cęteras consequentias. Nam rugibile neque est formaliter substantia, neque formaliter accidens, neque formaliter viuens aut ex eo non sequitur; esse formaliter non viuens, formaliter accidens, aut formaliter insensibile, quia est præsuppositive, & identice substantia viuens, & sensibile.

350. Replic. Ergo similiter non erit formaliter, sed pręsuppositive, aut materialiter ens.

351. Resp. Nego conseq. & paritatem, nam inter esse formaliter ens, & non esse formaliter ens, aut esse formaliter nihil, non datur medium, ens enim formaliter, & non ens formaliter contradictorie opponuntur, eo quod inter esse, & non esse non datur medium; eo enim ipso quod rugibile concipiatur pertinens, & modificans ens, iam concipitur vt aliquid, vt non repugnans existere: ergo vt ens formaliter;

ter;

ter; Non ita evenit in reliquis prædicatis viuentis,& non viuentis, substantiæ,& accidentis,quæ vtpotè positiva non opponuntur contradictorie , sed solum contrarie, admittuntque mediū, Nam inter formaliter sensibile, & formaliter insensibile medium erit esse identice,& materialiter sensibile , vel insensibile,& sic de reliquis.

352. Sed contra hanc doctrinam instas 1. Intellectus præscindere nequit ab ente,& non ente, quia contradictoria sunt. Ergo nec á vita, & carentia vitæ , quæ etiam contradictoria sunt. Ergo vel rugibile erit viuens obiective, vel obiective carens vita.

353. Resp. Viuens obiectiue , & carens vita obiectiue non opponi contradictorie formaliter , vnde rugibile,neque est viuens formaliter , neque carens formaliter vita , sed est viuens identice,& materialiter; propositiones enim , vt contradictoriæ essent, ita deberent disponi: Rugibile vel est formaliter viuens,vel non est formaliter viuens;sic prima propositio est vera,secunda falsa.

354. Instas 2. Ergo licet ita dispositis propositionibus,Rugibile vel est formaliter ens, vel non est formaliter ens,sint contradictoriæ,& secunda propositio vera; si tamen ita disponantur: Rugibile vel est *formaliter ens* , vel est formaliter non ens, non opponentur contradictoriè,ac proinde rugibile neque erit formaliter ens , nec formaliter non ens.

355. Resp. Repetendo dicta. Quomodocumque disponantur nullum dari medium inter ens , & non ens, vnde idem valet in ente, non est formaliter ens,ac est formaliter non ens , quia nihil potest concipi,quod non concipiatur vt aliquid,vel vt nihil,ac proinde, quod nō sit formaliter ens,aut nihil formaliter, attamen bene potest concipi taleitas viuentis , quin concipiatur viuens,aut non viuens.

356. Replic. 2. Quidquid est formaliter ens,est formaliter in aliqua differentia entis;sed rugibile est formaliter ens:ergo in aliqua differentia, Non in differentia inalietatis , ergo in differentia perseitatis; ergo & erit formaliter substantia.

357. Resp. Quod ex eo, quod sit ens formaliter , solum infertur,esse id quod ens formaliter est,nempe non repugnans existere formaliter , & præscindere ab omni eo , a quo præscindit ens;sed ens præscindit á perseitate,hoc est,eam non involvit;ergo ex eo quod rugibile involvat ens, non sequitur involvere perseitatem. Erit autem realiter in aliqua differentia entis; formaliter vero ab omni entis differentia præscindet. Ni velis dicere. Ens dividi in substantiam formaliter talem,& accidens formaliter tale, & simul in substantiam , & accidens materialiter , & identice talia. Similiterque omnia genera prędicamentalia ita dividi, v. g. viuens in sensibile formaliter, & in insensibile formaliter, & in materialiter, & identice sensibile;vnde iam rugibile concipietur in aliqua entis determinata differentia,nempe in substantia materiali,& identica.

358. Ad confirm.positam. n. 345. Resp. Rugibile connotare , vt principium vltimam differentiam rugitus,eo modo, quo illi ratio principij formaliter convenire potest , aliter ac Deus illam connotat. Quia Deus non connotat illam vt principium immaterialiter,& identice viuens per eam,nec vt principium materialiter,& identicé viuens,sed solum vt causa physica , eam simul cum Agente creato producens, at vero rugibile eam respicit, vt materialiter,& identice vitalem, & vt identice per eam viuens.

359. Replic. 1. contra hanc doctrinam. Sed rugibile est formaliter viuens. Ergo. Prob. min. Rugibile for-

formaliter est principium intrinsecum rugitus. Ergo. Prob. antec. Ratio principij adæquate diuiditur in extrinsecum,& intrinsecum, sed rugibile non est principium extrinsecum. Ergo intrinsecum.

360. Resp. Neg. antec. Ad probat. Neg. antec. Ad eius probationem dico, ratione principij diuidi in intrinsecū, & extrinsecum realiter, ad quod sufficit,quod nullum detur principium reale,quod vel extrinsecum, vel intrinsecum non sit. At vero ipsum principium intrinsecum potest ab intellectu formaliter diuidi in duas formalitates, ex quibus vna participet rationem principij in recto,& alia sit solum taleitas, & modificatio principij intrinseci; & ita se habet rugibile, cum concipitur vt vltima differentia talis speciei animalis.

361. Obj. 3. Ex hucusque dictis cōstat rugibile adhuc vt vltimam differentiam esse principium productivum taleitas sensationis,nempe rugitus. Ergo participat formaliter rationem principij , sed ratio principij est ratio superior. Ergo participat formaliter aliquā rationem superiorem,& similiter rugitus rationem effectus , quæ etiam est ratio superior.

362 Resp. Rugibile vt vltimam differentiam principij non esse formaliter principium , sicut rugitum vt vltimam differentirm effectus non esse formaliter effectum , sed rugibile erit taleitas principij , & rugitus taleitas effectus , & eodem modo discurrendum est in hoc , & in reliquis prædicatis huiusce modi.

363 Obj. 4. Ex sapientiss. P. Olea. Per nos Rugibile adæquate sumptum dicit,esse viuens , & esse sensibile , sicut rugitus esse sensationem, & talem sensationem. Tunc sic: ideo per nos differentia Rugibilis , vt differentia est non includit viuens sensibile , quia includeret animal , & consequenter male definiectur Leo per animal rugibile . quia superfluit illud animal , vtpote imbibitum indifferentia rugibilis; esset enim idem , ac dicere Leo est animal viuens rugibile; atqui per nos in rugibili secundum adæquatum, quod dicit involuitur viuens sensibile,& consequenter animal. ergo male definiretur Leo per animal rugibile , cum in rugibili sit iam animal involutum.

364 Argumentum eisdem fere verbis apposui , ac illud apponit sapientiss. hic meus Mag. sed certe in eo *mauros facit vt necet*; cum enim nostram sententiam defensantes dicunt in rugibili includi viuens sensibile , & consequenter animal secundum adæquatum , quod dicit, loquuntur de rugibili specifice sumpto, hoc est,prout hoc nomine *rugibile*, talem speciem animalis significamus; & similiter dicunt de rugitu; non vero loquuntur de rugibili , prout est differentia , alias summe inconsequenter loquerentur, & duobus verbis duo contradictoria proferrent; cum autem Leo definitur per animal rugibile , ly rugibile non sumitur specifice , seu adæquate , sed secundum quod est vltima differentia Leonis , secundum quem conceptum non includit animal.

365 Obj. 5. Ex eodem Mag. Si differentia *rationale* v.g. non includeret formaliter conceptum intellectivi , esset minus perfecta , quam genus , nempe animal , cum hoc includat formaliter conceptum viventis , & viuens vt formaliter viuens perfectius sit, eo quod non est formaliter viuens.

366 Confirm. Differentia elevans v. g. *rationale* , secundum quod differentia est, debet habere , conceptum elevativum animalis , illoque perfectius , sed hoc aliud esse non potest quam

quam intellectivum; ergo in differentia infima rationalis, ratio superior intellectivi includitur.

367 Resp. Nego sequelam, si loquatur de differentia elevante, & concedo illam si loquatur de differentia pure contrahente ob vim, & efficaciam argumenti positi. At vero differentia elevans vt rationale est perfectior genere nempe animali, non quia rationale imbibat formaliter conceptum intellectivi, sed quia illud dicit identice, & terminatiue, seu habetius ad illud, & cum aliàs dicat etiã identice, & terminatiue prædicatum viuentis, inquo solum formaliter habendo ab animali exceditur vi alterius prædicati, nempe iuris ad intellectivum, æquat, & superat animal. Vide dicta sect.antec. à n.310.

368 Ad confirm. Resp. Differentiam elevantem non denominari elevantem, eo quod in se formaliter contineat genus perfectius, ad quod elevat, sed quia est taleitas quædam immediate contractiva duplicis generis, alterius minus perfecti, & alterius perfectoris, ad quod propterea dicitur elevare genus minus perfectum. Vnde rationale, licet sit differentia elevans animal, non includit formaliter intellectivum, sed solum identice, & materialiter eodem modo, ac est animal, quatenus vtrumque prædicatum contrahit, & determinat ad speciem hominis constituendam. In forma disting. mai. Debet habere prædicatum elevativum animalis, illo que perfectius identice, & materialiter *concedo*, formaliter, *nego*. Hoc est debet esse contractiua generis perfectioris genere animalis, non tamen debet illud formaliter includere.

369. Obj.6.Ex eodem. Taleitas intellectionis est formaliter intellectio, Ergo. Antec. prob pluribus exemplis. *Primum*. Cognitio practica differt ab speculativa in taleitate cognitionis, sed differt ab ea in quantum cognoscitiva, ergo in taleitate cognitionis est formaliter cognoscitiva. Prob. min. differt ab ea inquantum practica, & consequenter inquantum directiua, sed inquantum practica, & directa est cognoscitiva. Ergo. *Secundum*: affirmatio, & negatio differunt in taleitatibus cognitionis, nempe secundum, quod sint affimatio, & negatio; sed secundum quod sunt affirmatio, & negatio sunt cognitiones, nam affirmare, & negare formalissime est cognoscere. Ergo. Tertium: directio passiua logicæ est formalissime ipsa intrinseca repræsentatio actuum intellectus, quia est taleitas repræsentationis; ergo quæcumque taleitas repræsentationis est formalissime repræsentatio.

370. *Quartum*. Cognitio evidens, & cognitio obscura differunt in maiori, vel minori claritate, quæ sunt taleitates talium cognitionum, sed hæc maior, vel minor claritas est formalissimè cognitio. Ergo. Prob. minor. Maioritas claritatis facit intensionem in claritate; sed iuxta communem sententiam, intensio quæcũque sit, fit per additionẽ gradus homogenei. V.g. intensio lucis per additionem lucis; ergo & intensio claritatis expressiuæ obiective per expressionem obiecti, ac proinde per cognitionem formaliter talem. *Quintum*. Plures vltimæ differentiæ coalescunt ex simultate duorum prædicatorum, quorum, alterum secundum se est ratio generica v.g. differentia actulsimul practici, & speculativi, actus simul scientiæ fidei, & opinionis; sed talis simultas formalissime includit vtrumque prædicatum genericum, nam simultas, qua talis, nil aliud est formalissime, quam ea prædicata, quorum est simultas, v.g. simultas duorum hominum, nil aliud est, quam ipsi duo homines: ergo.

Respon-

371 Respondeo nego antecedens, ad primum exemplum concedo maiorem, & nego min. ad probationem conc. mai. neg. consequentiam. Syllogismus enim ita sehabet; *homo differt à bruto, in quantum homo, sed homo inquantum homo est animal; ergo differt à bruto in quantum animal*, sicut enim defectus huius syllogismi stat in eo quod transeat á sensu adæquato ad inadæquatum; hoc est, in maiori propositione reduplicat supra totum hominem, & in minori supra vnam partem metaphysicam hominis; áliás si supra totum hominem reduplicaret, propositio esset falsa; nam totus homo, non solum est animal, sed etiam rationale. Ita defectus illius syllogismi stat in eo quod in maiori reduplicatio fit supra cognitionem practicam vt talem, & per ly *practica, & directiva*, non solum intelligitur vltima differentia cognitionis, sed etiam ipsa cognitio significatur; in minori vero fit reduplicatio supra cognitionem illam inadæquate sumptam, nempe supra ipsam, vt cognitio est, vnde consequentia non infertur. Si tamen ita disponatur hic syllogismus: *homo in quantum homo differt à bruto, sed in quantum homo est animal rationale; ergo in quantum animal, & rationale differt à bruto*. Si, inquam, ita disponatur, valet, quia iam in minori reduplicatio fit supra hominẽ adæquatè sumptum: sic similiter si syllogismus nobis ojectus ita disponeretur; *cognitio* practica, in quantum practica differt ab speculativa, sed in quantum practica, est cognitio, & directiva; ergo in quantum cognitio, & directiva differt ab speculativa, rectê valeret, sed ex consequentia quid contra nos?

372 Sed vt paucis verbis, & vna solutione omnibus exemplis respondeas, dic: has voces *practicum, & speculativum, affirmationem, & negationem, directionem passivam Logica, cognitionem evidentem, & obscuram* significari communiter non vltimam differentiam cognitionis, sed speciem cognitionis. Quid ergo mirum, quod includant cognitionem? Si tamen ob penuriam vocum eis, velis vltimas differentias, vt vltimæ differentiæ sunt, significare, firmiter tene; Rationem practici non esse directivam, imo nec practicam formaliter, sed solum possessive, & identice, & cognitionem practicam non differre ab speculava per directivum formaliter, sed per taleitatem directivi; nam directivum formaliter vtrumque, & taleitatem, & cognitionem involvit.

373 Affirmationem non differre á negatione per affirmationem, sed per taleitatem cognitionis determinantem cognitionem, ad talem speciem, quę affirmatio dicitur, constituendam. Directionem passivam Logicę non esse taleitatem cognitionis, prout taleitatę significamus vltimam differentiam, sed prout significamus tales cognitiones specificè sumptas, quę sint definitio, divisio, & argumentatio; Denique cognitionem claram, & obscuram non differre penes maiorem, & minorem claritatem, nam his nominibus: *maior, & minor claritas* species adæquata cognitionum significatur, sed per taleitates cognitionum, quę formaliter nec sint magis claræ, minus clarę, nec claræ nec obscuræ, sed taleitates cognitionum rationem cognitionis ad hanc, vel illam speciem claræ, vel obscuræ cognitiones constituendam determinantes.

374. Hæc eadem solutio aliis exemplis ab ipso Magistro allatis applicari debet. Nempe ratiocinationi hominis, cuius vltima differentia non est formaliter cognitio, sed taleitas cognitio-

tio-

tionis similiter vltima differentia Dei non est formaliter intellectiua, sed taleitas cognitionis compræhensiuæ omnis entis. Ad vltimum exemplum cognitionis sub duplici genere constitutæ practicæ simul, & speculatiuę scientię, fidei, & opinionis, &c. *Dic*: vltimam differentiam non esse simulitatem, sed taleitas cognitionis determinans duo genera in ordine adquamdam speciem mixtam ex vtraque constituendam.

375. Obj. 7. Petreitas formaliter est Petrus, sed Petrus formaliter est homo, animal sensibile, &c. Ergo Petreitas includit formaliter genera, & differentias superiores. Probatur maior. Petreitas formaliter est id, quo Petrus differt á non Petro, sed Petrus se ipso differt á non Petro; ergo. Prob. 2. Petreitas ita definitur; *Est id, quo homo contrahitur ad Petrum*; ergo indefinitione Petreitatis ingreditur homo in recto; ergo includitur in Petreitate.

376. Resp. Neg. ma. ad probationem conc. ma. & dist. min. Petrus se ipso differt á non Petro, id est, secundum totum, quod formaliter est, differt á non Petro. Nego: id est, secundum aliquod, quod formaliter est, concedo. Petrus formaliter dicit & speciem hominis, & Petreitatem, secundum speciem hominis non differt, sed potius convenit cum alijs hominibus, secundũ Petreitatem ab omnibus differt, ideoque dicitur absoluté, Petrum differre se ipso ab omni non Petro, quia se ipso habet id, ratione cuius ab omni non Petro differt. Ad secundam probationem resp. Concedo antecedens, & dist. conseq. ingreditur homo in recto, id est, in nominandi casu, transeat; id est, vt prædicatum rectum definitivum Petreitatis, nego. Ideoque in Petreitate non includitur.

377. Obj. 8. Rationale formaliter est sensibile; ergo. Antecedens probatur hoc syllogismo in Darapti: *Omnis homo formaliter est sensibilis, sed omnis homo formaliter est rationalis*; ergo *aliquod rationale formaliter est sensibile*. En quomodo ex præmissis veris deducitur, rationale esse formaliter sensibile.

378. Retorqueo. Ergo etiam differentia infima *Rationale* v.g. includitur in subalterna *sensibili* v.g. Probatur eodem syllogismo: *Omnis homo formaliter est rationalis, sed omnis homo formaliter est sensibilis; ergo aliquod sensibile formaliter est rationale*. Videas tuum syllogismum in Darapti in te evidenter efformatum.

379. Resp. Syllogismum in multis peccare 1. quia ab identitate formali duorum cum aliquo 3. infert identitatem eorũ inter se, quæ illatio falsissima est. Nam cum identitas formalis possit esse non mutua, possunt *A*. & *B*. V. g. esse idem cum *C*. quin sint idem *A* & *B*, vt patet in perseitate, & in alietate, quæ sunt idem formaliter cum ente, quin ens sit idem formaliter cum perseitate, & inalietate. Si ergo hoc potest evenire, quanto magis poterunt esse idem cum 3. quin sint idem inter se.

380. Peccat 2. Quia, vel ly *formaliter* se tenet ex parte medii, vel ex parte extremorum? Si primum, repeti non debet in conclusione, in quam nil medij ingredi debet, & ita deducetur; ergo *aliquod rationale est sensibile*, quod non renuo concedere. Si secundum? Ne aliquod extremum habeat in conclusione diversam supositionem, ac in præmissis, & consequenter ne constet syllogismus quatuor terminis, dupliciter repeti debet ly formaliter sic; ergo *Aliquod formaliter rationale est formaliter sensibile*, quæ consequentia verissima est, nam homo est aliquod formaliter rationale, & cum sit formaliter animal, est vtrique formaliter sensibile.

381 Peccat 3. Quia in maiore reduplicat supra vnam partem hominis, & in minori supra aliam, pro qua in maiori non erat suppositio. Vnde consequens non infertur ex præmissis è quibus solum infertur identitas formalis hominis cum rationali, & sensibili, non vero identitas formalis sensibilis cum rationali; & in sensu metaphysico se habet ac hic syllogismus in sesu reali; *omnis homo est realiter materia, sed omnis homo est realiter anima; ergo anima realiter est materia*.

382 Obj. 9. Quoties aliquod prædicatum conuenit essentialiter alicui subiecto, id quod conuenit accidentaliter tali prędicato, accidentaliter convenit etiam subiecto, sed rationale cõvenit essẽcialiter homini, & per nos sensibile convenit accidentaliter rationali; ergo sensibile etiam convenit accidentaliter homini.

383 Resp. dist. mai: accidentaliter etiam convenit subiecto, si illi aliàs essentialiter non conveniat, concedo; si aliunde essentialiter conveniat, nego; cum ergo aliunde homini, qua animal est, essentialiter conveniat sensibile, licet accidentaliter conveniat rationali, homo essentialiter, & non accidentaliter est sensibilis.

384 Obj. 10. Peccatum commissionis est genus ad omnia peccata, de quibus prædicatur, sed includitur in vltimis differentijs v. g. odij Dei, ergo. Prob. min. Peccatum odij Dei quoad differentiam odij Dei est formaliter peccatum; ergo. Antecedens probat. 1. Hæc vltima differentia odij Dei debet iuxta Tridentinum concilium in confessione aperiri; sed in confessione solum debent aperiri peccata; ergo.

385 Probatur 2. Odium Dei est maius peccatum, quam furtum, sed non est maius peccatum ratione peccati, quia in esse peccati omnia peccata sunt æqualia; ergo ratione vltimę differentiæ odij Dei; ergo vltima differentia odij Dei est formaliter peccatum. Probatur hæc consequentia. Nequit fieri maius peccatum in linea malitiæ, & peccati, nisi additione malitię, & peccati formaliter talis, sicut ut nequit fieri maior quãtitas, nisi additione novę quantitatis, & ideo palmus sola additione puncti non fit maior, quia punctum non est quantitas.

386 Probatur 3. Maior pena solum correspondet maiori culpę, maiori, in quam, in esse culpę; sed maior pæna correspondet odio Dei, quam furto; ergo odium Dei est maior culpa, & in esse maioris est formaliter culpa, sed in esse maioris solum constituitur per vltimam differentiam odij; ergo vltima differentia odij est formaliter culpa.

387 Prob. 4. Culpa formaliter consistit in oppositione cum natura rationali, aut aliqua virtute; atqui odium Dei secundum vltimam differentiam odij *Dei* opponitur naturę rationali, & virtuti Religionis; ergo.

388 Huic argumento, quod apud neminem ex nostris vidi, ab exteris tamen sępe decantatum audiui. Resp. concedo mai. & nego min: ad probationem nego antecedens. Ad primam probationem dico. In confessione aperienda sunt peccata specificè sumpta, hoc est, iuxta propriam ipsorum speciem, non enim confessio inventa est proformalitatibus, sed pro realitatibus. Vnde odium Dei, furtum, &c aperienda sunt quia peccata realiter, & specifice sumpta. Item ea, quæ augent peccatum, licet peccata formaliter non sint, aperienda sunt in confessione. Sic maior, vel minor cognitio obiecti prohibiti, quia peccatum auget, quin sit formaliter peccatum, debet in confessione aperiri.

389. Ad secundam probationem respondetur, odium Dei esse maius pecca-

catum furto, sed hanc denominationem maioris peccati esse denominationem maioris peccati esse denominationem etherogeneam, quæ nec provenit á ratione peccati seorsim sumpta, nec á differentia odij Dei seorsim, sed resultat ex vtraque, sicut ipsum peccatum resultat ex indifferentia voluntatis, ex lege Dei prohibente, ex concursu indifferenti Omnipotentiæ, quin lex, concursus Dei, & indifferentia voluntatis sint peccatum. Immò maior, & clarior cognitio auget peccatum, quin ipsa cognitio sit peccatum; ergo odium Dei peccatum augebit, quin odium secundum vltimam differentiam odij sit formaliter peccatum, sed solum possesive, & identice.

390. Et ratio est, quia sicut adhoc vt aliqua forma tribuat effectum formalem Etherogeneum non requiritur quod ipsa in se formaliter contineat talem effectum, sicut albedo, quę reddit subiectum album, quin ipsa sit formaliter alba, ita potest reddere differentia aliquod subiectum maius in aliqua denominatione, quin ipsa talem denominationem præcontineat formaliter, vt patet in cognitione reddēte peccatum maius, quin ipsa sit formaliter peccatum; ergo vltima differentia odij Dei, quin sit formatiter odium Dei, reddet maius & gravius furto peccatum odij Dei. Hinc colligitur disparitas adquantitatem materialem. Ideo hæc nequit reddi maior, nisi per additionem quantitatis, quia hæc est denominatio homogenea, quæ partibus seorsim sumptis ęque ac toti debet convenire.

391. Nota 1. In sententia Zenonis, licet punctum non sit quantitas auget palmum; ergo licet differentia odij non sit formaliter peccatum, peccatum augebit. Nota 2. exemplum nobis favere, ex eo hoc argumentum efformo: quanitas vt augeatur, requirit, quod pars augens non penetretur cum parte aucta, sed requiritur mutua exclusio penetrationis inter augentem, & auctam; ergo vt peccatum augeatur, inter partem augentem, & auctam debet dari mutua exclusio penetrationis, seu inclusionis formalis.

392 Ad secundam probationem respondeo, maiorem pænam convenire maiori culpæ, quæ quidem maioritas culpæ non est culpa formaliter, sed solum identice. Culpæ correspondet pæna, maioritati culpę maioritas pænæ, sed nec maioritas pænę est formaliter pæna, nec maioritas culpæ est, formaliter culpa. A maiori tamen culpæ, quę est quædam species culpę, & rationem culpæ, & rationem maioritatis involuens, maior pæna correspondet, quæ etiam est species, & pænam, & maioritatem pęnæ includens.

393 Ad quartam probationem respondeo; odium Dei specifice sumptum opponi naturę rationali, & virtuti Religionis, at vero secundum vltimam differentiam odij non opponi virtuti religionis, quę non est virtus formaliter, sicut nec vltima differentia odij Dei culpa formaliter.

394 Obj. 11. Differentia vltima est definibilis per genus, & differentiam, sed nequit esse aliud genus, nisi genus superius v. g. hinnibile nequit definiri nisi per genus animal; ergo illud includit.

295 Respondeo. Vltimam differentiam vt tale v. g. hinnibile non definiri per genus animal, sed per aliud genus, nempe per taleitatem animalis determinantem illud adtalem speciem equi constituendam. Vel facilius resp nde non esse definibilem definitione propria, & rigorosa constante genere propiê tali, sicut de ente indefinibilê per aliud genus superius plures discurrunt.

396. Instas contra primam solutionem. Ly taleitas determinans animal includitur formaliter in vltima differentia vt tali, quia per illud definitur, sed ly taleitas determinans animal est ratio superior, & de pluribus prędicabilis, de omnibus scilicet differentijs infimis animalis; ergo iam indifferentià vltima formaliter includitur aliqua ratio superior.

397. Resp. Conc. ma. & dist. min. Est ratio superior prædicamentalis, nego; est ratio superior propria, & essentialis ipsius differentiæ vt talis, concedo. Quod enim in præsenti defendimus, est, differentiam infimam non includere aliquod genus, vel differentiam subalternam prædicamentaliter superiorem v. g. hinnibile non includere sensibile, & rationale animal, non vero non includere suum proprium genus, per quod ipsa essentialiter definitur.

398. Obj. 12. Vel differentia infima continetur sub alijs differentijs, vel non continetur? Si primum; ergo non est infima, quia de ratione infimi est contineri sub alio superiori. Si continetur sub illis? Ergo eas includit, nam ideo homo includit animal, quia continetur sub animali; ergo. Resp. differentiam infimam sub alijs contineri transversaliter, non vero in linea directa arboris prędicamentalis, & hæc est ratio, quare homo, quia continetur sub animali, illud includit, quia scilicet continetur in linea recta, non vero illud includit rationale, quia sub illo continetur transversaliter.

399. Obj. vltimò Aristotelem sępe dicentem; vltimam differentiam continere superiores. Resp. Locutum fuisse non de continentia per inclusionem formalem, sed de continentia per illationem, quatenus valet, est rationale; ergo est animal; ergo sensibile, &c.

DISPUTATIO IIII.

DE PROPRIO.

400. PRoprium sumitur, vel primò, vel secundò, intentionaliter. Proprium primo intentionaliter ita definitur: *quod, cum sit extra essentiam rei, tamen ipsi necessariô convenit*, per ly *quod cum sit extra essentiam rei.* convenit cum accidenti, per ly *illi. necessariô convenit*, ab accidenti differt. Secundò intentionaliter sumptum, hoc est, vt prædicabile ita definitur: *Prædicabile in quale de pluribus neceßariò.* Per ly *prædicabile* convenit cum reliquis prædicabilibus, per ly *in quale* differt ágenere, & specie. Per ly *necessaria* differt ab accidenti, quod non prædicatur necessario, sed contingenter.

401. Quadruplex proprium asignavit Porphyrius. Primum, quod convenit solis individuis speciei, sed non omnibus, vt in specie hominis esse *Grammaticum*, aut *logicum*. Secundum, quod convenit omni individuo speciei, se non soli, vt esse *bipedem*, quod convenit omni homini, & alijs etiam præter hominem. Tertium, quod convenit soli, sed non semper, vt *actu ridere*. Quartum, quod convenit omni, soli, & semper, vt *esse risibile* in homine. Prima species proprij potius ad accidens, quá ad proprium spectat. Quarta est, de qua in præsenti loquimur, & supra definivimus. Constat ex Aristotele 4. Topic.

403. Proprium ita rigorosé acceptum, aliud est physicum, & aliud Metaphysi-

hysicum est proprietas realiter distincta ab essentia, ita tamen essentiam comitatur, vt solum, divinitus, vel præternaturaliter superiori agente virtute ab ea separari possit. Ita se habet *Calor* respectu ignis, *frigiditas* respectu aquę v.g. Metaphysicum, quod est attributum, & proprietas Metaphysica, nec Divinitus separabilis ab essentia, & solum ab ea Metaphysicè distincta. Sic se habet *risibilitas* respectu hominis, bonitas respectu entis, iustitia respectu *Dei*, & c. Proprium metaphysicum, si consequatur gradum genericum, se habet, vt genus, dicitur que cum genere ad convertentiam, vt esse locomotivum, quod consequitur genus animal, & convertitur cum eo. Valet enim: *est animal*; ergo *est locomotivum*; *est locomotivum*; ergo *animal*, quod quidem est genus respectu hominis, & bruti. Si consequitur gradum specificum, est species, & cum ea convertitur. Sic se habet *risibile* in homine. Ualet enim *est homo* ergo *est risibilis*; *est risibilis*, *ergo homo*.

403 Rogas, respectu cuius exerceat suam virtutem proprium. Iam disputatione superiori, dum loquimur de differentia, manet hæc difficultas determinata. *Dico*: propium est vniversale non respectu essentiæ, cuius est proprium, sed respectu inferiorum talis essentiæ, v.g. risibile non est vniversale respectu essentiæ hominis, cuius est proprium, sed respectu individuorum naturæ humanæ Petri, & Pauli, & c. quia cum dicatur ad convertentiam cum essentia, cuius est proprium, nequit exercere vniversalitatem respectu illius, cum omnis convertentia arguat æqualitatem; at vero de individuis prædicabitur vt vniversale, cum ea respiciat vt inferiora, & licet sit proprium respectu essentiæ, v.g. risibile respectu hominis, attamen cum homo multiplicetur in individuis ratione essentię in eis multiplicatæ, respiciet, vt proprium, & simul vt vniversale. Reliqua, quę ad proprium spectant, vide in *DD*. prælodatis.

DISPVTATIO V.

DE ACCIDENTIS QVINTO PRÆdicabili.

404. ACcidens item dupliciter sumitur vel primò, vel secundò intentionaliter. Accidens primò intentionaliter à Porphyrio definitur per id; *quod potest ad esse, vel abesse absque subiecti corruptione*; pessima definitio, nam mors, anihilatio, & corruptio sunt accidentia, & nequeunt ad esse absque subiecti corruptione. Accidens ergo primò intentionaliter ita definio: *Est quod contingenter convenit subiecto*. Convenit omni Accidenti vt per se patet.

405. *Dices*, esse animatum contingenter convenit corpori, sed esse animatum non est accidens; ergo convenit definitio alijs à definitio. *Resp*. definitionem convenire pluribus rebus substantialibus, quæ dummodo alicui contingenter adveniant, respectu illius dicuntur accidentia.

406. Accidens secundo intentionaliter est. *Prædicabile de pluribus in quale contingenter*, convenit per ly *Prædicabile* cum reliquis prædicabilibus, differt per ly *in quale* ab aliquibus, & vltimo per ly *contingenter* á proprio.

407. Hinc infero 1. cum Oviedo contra Arriagam, & Hurtado, quartum, & quintum prædicabile formaliter differre diverso modo, quo prædicantur. Accidens contingenter, & proprium necessario, & vt diversa ea continuamus maximè Porphyrij authoritas conducit.

408. Infero 2. contra Conimbricenses, & Alphonsum cum Arriaga, accidens, vt sit vniuersale non requirere plura subiecta existentia. Sufficiunt enim possibilia, quia licet non prædicetur de subiecto, nisi sit existens, potest tamen prædicari antequam existat, dummodo sit possibilis. Videatur Lince lib. 9. num. 16. Alia de Accidenti videantur apud Arriagam disputatione 8. sect. 3. per totam.

DISPVTATIO VI.

DE EIS, QVÆ AD PRÆDICAbilia incommuni spectant.

SECTIO I.

AN PRÆDICABILE SIT GENVS ad quinque prædicabilia.

409. IN definitione vnius cuiusque prædicabilis apposita manet tamquam ratio communis hæc vox *Prædicabile*, nunc inquiritur, an sit genus respectu quinque prædicabilium. Idem intelligendum est de hac voce vniuersalis.

410 Prima sententia negat. Ita aliqui Thomistæ in suo Clypeo, Boetius, & antiqui plures nostri. Tellez, & Aversa negant de vniuersali, & prędicabili concretivè sumpto, licet affirment de vniuersali, & secundá intentione.

411 Secunda sententia vniuersaliter affirmat. Ita Exim. Doct. 5. metaphys. sect. 8. num. 6. & nostri communiter, Arri. compt. Santac. num. 779. Isquier. *Peynad*. num. 30. de prędicabilibus d. 5. sect. 2. Item Ioannes á S. Thom. & M. Lynz. lib. 2. q. 10. art. 2. item. *P*. Olea. d. 105. n. 2.

412 Hęc conclusio vnica ratione probatur. Quod prædicabile est de pluribus differentibus specie in quid, est formaliter genus; sed ratio vniuersalis prædicabilis est de pluribus differentibus specie in quid respectu quinque prædicabilium, ergo. Mai. est certa. Prob. minor. Quinque prædicabilia specie differunt inter se, vt patet. Insuper sunt essentialiter vniversalia; ergo ratio vniuersalis ab eis abstracta respectu ipsorum erit prædicabilis de pluribus differentibus specie in quid, seu vt pars essentialis.

413 Confirmatur. Ideò animal est genus respectu hominis, & bruti, quia homo, & brutum notabiliter differunt inter se, & aliás conveniunt in ratione animalis secundum eandem definitionem; inde ratio animalis ab eis abstracta prędicabilis est de pluribus differentibus specie in quid, & consequenter genus; sed similiter quinque prædicabilia differunt notabiliter inter se, conveniunt que aliunde in prædicato vniuersalis secundum eandem definitionem; ergo ratio vniuersalis ab eis abstracta erit genus respectu ipsorum.

414 Obj. 1. Substantia, & accidens inæqualiter participant rationem vniuersalis; ergo hæc non est vnivoca respectu ipsorum. Prob. antec. Substantia participat rationem vniuersalis sine dependentia ab accidenti, accidens cum dependentia á substantia; sed participare sine dependentia, & cum dependentia est inæqualiter partici-

pare; ergo. Tunc sic: sed genus, & species sunt substantiæ; & proprium, & accidens sunt accidentia; ergo ratio vniuersalis non est vniuoca respectu ipsorum.

415 Resp. dist. antec. Inæqualitate se tenente ex parte substantiæ, & accidentis participantium, concedo; ex parte vniuersalis participati, nego. Cum enim inequalitas non se teneat ex parte rationis communis, eius vniuocatio non officitur. Sic si intellectus realiter ab anima distinguatur, convenit vnivocè cum intellectione in ratione qualitatis, licet hæc tanquam à causa ab intellectu dependeat: sic creatura cum Deo convenit in pluribus prædicatis entis, substantiæ, & c. licet essentialiter dependeat á *Deo*. Nota tamen, quod licet in esse physico accidens dependeat á substantia, non tamen in esse logico, seu in ordine ad prædicationem.

416 Replic. Modus prædicandi sequitur modum essendi; sed modus essendi accidentis est cum dependentia á substantia; ergo & modus prædicandi.

417 Resp. Proloquium illud esse omnino falsum, nisi ita intelligatur: modus prædicandi sequitur modum essendi, hoc est; nihil potest prędicari verè, quod non sit. Vnde modus prædicandi, vt sit verus, debet representarerem sicuti est.

418 Obj. 2. Transcendentia impedit rationem generis in prædicato transcendente; sed ratio vniuersalis transcendit vltimas differentias; ergo non est genus. Prob. minor. Differentiæ prædicabilium sunt vniuersales, cum sint prædicabiles; ergo.

419. Resp. Neg. mai. de transcendentia non mutua, vt videbimus in Metaphysica; sed admissa mai, neg min. Ultimæ namque differentiæ prædicabilium vt tales non sunt formaliter vniuersales, sed taleitates vniuersalium, licet aliás si ipsæ abstrahantur, vi propriæ abstractionis possunt respectu suorum inferiorum vniuersales esse.

420. Objic. 3. Genus debet prædicari essentialiter de inferioribus; sed ratio vniuersalis non prędicatur essentialiter de suis inferioribus; ergo. Prob. min. Accidens, & proprium sunt accidentaliter vniuersalia, cum prædicentur in quale tantum; ergo de eis ratio vniuersalis non prædicatur essentialiter. Resp. conc. mai. & neg. min. Ad probat. dist. antec. Accidens, & proprium sunt accidentaliter vniuersalia primo intentionaliter sumpta respectu suorum inferiorum, concedo. 2. intentionaliter sumpta, hoc est vt vniuersalia, qualitec hic sumuntur, nego. Ita enim tam essentiale est accidenti prædicabilitas, quam genus. Ex doctrina iam tradenda solutio clarius patebit.

SVBSECTIO VNICA.

ÆQVIVOCVM VALDE ARGVmentum solvitur.

421. OBj 4. Si vniuersale vt sic esset genus adquinque prædicabilia, esset genus ad primum prædicabile; sed nequit esse genus ad primum prædicabile; ergo. Prob. min. Si esset genus ad primū prędicabile, primū prædicabile esset superius, & inferius respectu illius; esset superius, quia esset genus vt sic ab omni genere abstractum, & vniuersale vt sic esset genus particulare; esset inferius, quia ratio vniversalis vt sic ab illo præsciuditur.

422. Prob. 2. Sequeretur, hanc prædicationem: *Vniuersale est genus* esse simul directam, & indirectam; esset directa, quia esset superioris de inferiori; esset indirecta, quia esset inferioris de superiori. Prob.

423. Prob. 3. Quia iam vniuersale vt sic esset superius respectu sui ipsius, tum quia est superius respectu omnis generis, & ipsum est aliquod genus, tum quia est superius respectu generis vt sic, in quo ipsum vtpotè genus particulare continetur.

424. Prob. 4. Quia iam primum prædicabile esset species; vnde confunderentur prædicabilia, quod patet, nam cum respectu illius se habeat vniuersale vt genus, sequitur, ipsum genus se habere vt speciem respectu vniuersalis.

425. Ad hoc argumentum varijs vocibus, idem tamen omnes respondent. Idem & ego, sed clarioribus vocibus respondebo. Ante suppono 1. Idem posse esse superius, & inferius respectu eiusdem termini, immò respectu sui ipsius secundum diversos respectus, & considerationes, quod communibus exemplis demostro. Idem Summus Pontifex est superior, & inferior respectu sui confessarij; superior, quia caput Ecclesiæ, inferior, quia pœnitens indigens peccatorum absolutione, immò conferens confessario iurisdictionem vt ipsum absolvat: est superior & inferior respectu sui ipsius; superior vt conferens ius, & iurisdictionem, inferior vt egens tali iurisdictione pro peccatis absolvendis. Item legislator vt persona publica est sibi superior vt persona privata, egetque propria dispensatione ad leges non observendas. Ita P. Sal. d. 14 de legibus sect. 1. & Arr. d. 15. de legib. Item Corpus Christi Domini in Cælo est Superius se ipso in Eucharistia ratione distinctarum vbicationum. Denique termini reflexi formales *vox*, *dictio*, *nomen* vt significatiui sunt superiores, & latius patent seipsis vt significatis, nam vt significatiui se ipsos, & omnes aliás voces, nomina, & distinctiones significant, vt significati sunt voces, nomina, & dictiones particulares.

426 Suppono 2. Omnia prædicabilia independenter ab abstractione rationis *vniversalis* ab eis, convenire in ratione vniuersalis, seu *prædicabilis de pluribus*, sicut conveniunt homo, & brutum in ratione viuentis sensibilis, antequam ab eis ratio animalis abstrahatur; inde sicut accidentaliter advenit viuenti sensibili abstractio, vt ex ipsa abstractione, & viventi sensibili resultet genus; ita accidentaliter advenit vniuersali, quod abstrahatur, vt ex abstractione, & vniuersali resultet genus respectu quinque prædicabilium. Itaque sicut animal abstractum sumitur & primò, & secundo intentionaliter; & primò intentionaliter dicit esse viuens sensibile, quod habet independenter ab abstractione vtpote eius essentia, & secundo intentionaliter reduplicat supra denominationem generis, quam suscipit ab abstractione; ita vniuersale abstractum sumitur primo, vel secundo intentionaliter; primò intentionaliter dicit esse aptum ad multa, & prædicabile de multis, quod habet independenter ab abstratione vt pote eius essentia, secundo intentionaliter est genus, quam denominationem accipit ab actuali abstractione.

427 Suppono 3. Longè aliter se habere obiectum actus præscindentis hoc genus animal, ac obiectum actus præscindentis vniuersale vt sic à quinque prędicabilibus. Obiectum actus præsdindentis animal est essentialiter viuens sensibile, & accidentaliter vniversale, illi enim provenit esse vniversale ab actu pręscindente qui actus pręscindens omnino accidentalis est animali; at obiectum actus præscindentis vniuersale á quinque prædicabilibùs est essentialiter vniuersale, nec illi est accidentalis, sed essentialis præscissio á suis inferioribus, sicut est essentialiter animali, esse vivens sensibile,

bile, sed inferiora vniuersalis essentialis non sunt quinque prædicabilia, sed inferiora ipsorum quinque prædicabilium: vnde vniuersale vt sic duplicem habet vniuersalitatem; vnam essentialem, seu primò intentionaliter sumptam, quam non habet ratio vniuersalis præscissa ab actu, quo abstrahitur á quinque prædicabilibus, & hæc est, que predicatur de prædicabilibus *vt quid*, hęc item non habet pro inferioribus ipsa prędicabilia, sed inferiora ipsorum prædicabilium: alteram vniuersalitatem habet accidentalē, seu secundo intentionalem, quam habet ab actu, quo abstrahitur á quinque prædicabilibus; hæc vniuersalitas non prędicatur de ipsis *vt quod*, item ratione huius habet pro inferioribus ipsa prædicabilia. His suppositis, ad argumentum

428 Resp. Conc. mai. Et neg. min. Ad 1. probat dist. antec. Esset superius, & inferius respectu illius sub eadem consideratione, nego; sub diuersa consideratione concedo. Esset enim primum prædicabile superius vniuersali vt sic secuudo intentionaliter sumpto secundum denominationem generis, quam accipit accidentaliter ab actu, quo á quinque prædicabilibus abstrahitur. Esset inferius vniuersali vt sic primo intentionaliter sumpto secundum rationem vniuersalis, quam habet independenter ab actu, quo à quinque prędicabilibus abstrahitur. Constat ex proximo notabili; non enim repugnat, idem respectu eiusdem esse superius, & inferius sub diuersis considerationibus. Constat ex primo notabili.

429. Ad 2. probat. Respondet Lync. Nec esse directam, nec indirectam illam prœdicationem. Tu vero responde, esse directam, & etiam indirectam: respectu vniuersalis secundò intentionaliter sumpti erit directa. Respectu vniuersalis primò intentionaliter sumpti, vt vniuersale est, & superius respectu generis erit indirecta.

430. Ad 3. prob. Resp. Non repugnare idem esse superius, & inferius respectu sui ipsius sub diuersis considerationibus. Constat ex 1. notabili. Vnde vniuersale vt sic esset superius primò intentionaliter sumptum respectu sui ipsius secundo intentionaliter sumpti. Hoc est vniuersale esset superius se ipso vt genere.

431. Ad 4. prob. Resp. Non solum genus, verum reliqua prædicabilia esse species respectu vniuersalis vt sic, licet quodlibet respectu suorum inferiorum suam peculiarem rationem conseruet, generis, differentię, proprij, & accidentis, quin ex hoc confundantur prædicabilia, sicut non confunduntur ex eo quod idem animal respectu speciei sit genus, & respectu indiuidui incompleti sit species, & sic de reliquis.

432. Replic. 1. Sed primum vniuersale est superius, & inferius vniuersali vt sic secundum eandem considerationem; ergo. Prob. min. Per nos est superius respectu vniuersalis secundo intentionaliter sumpti, sed etiam est inferius respectu vniuersalis secundo intentionaliter sumpti; erg. Prob. min. Est inferius respectu vniuersalis vt vniuersalis; sed vniuersale vt tale nequit non esse prædicatum secundo intentionale, cum sit fabrica solius intellectus per nos repugnans á parte rei; ergo.

433. Resp. Neg. min. Ad probat. neg. min. Ad eius probat nimis æquiuocam, conc. mai. & dist. min. Sed vniuersale vt tale nequit non esse prædicatum secundo intentionale, absolute, & comparatione inferiorũ quinque prædicabilium, concedo, ex suppositione; & comparatione quinque prædicabilium, nego. Explico solutionem. Certum est absolutè loquendo, vniuer-

versale esse prædicatum secundo intentionale vtpoté solius intellectus fabrica repugnans existere á parte rei, vnde solum vi abstractionis, & secundę intentionis dantur genus, species, differentia, &c. quæ sunt vniversalia respectu suorum inferiorum, & in animali vt sic præscisso v.g. prædicatum primę intentionis erit viuens sensibile; prędicatum verò vniuersale erit secundæ intentionis: At ex suppositione, quod quinque prædicabilia sint vniuersalia, & quod vt vniuersalia considerentur, iam vniuersalitas, & consequenter abstractio, qua á suis inferioribus præscinduntur, se habet vt prædicatum primæ intentionis, vtpoté essentiale ipsorum reduplicativè sumptorum, sicut esse cognitum, esse formaliter distinctum, & esse apprehensum sunt prædicata primæ intentionis respectu actus reflectentis supra esse cognitum, esse formaliter distinctum, & esse apprehensum, licet alias esse cognitum, esse formaliter distinctum, esse apprehensum sint prędicata secundæ intentionis; ita esse vniuersale est prædicatum secundæ intentionis; esse tamen vniuersale respectu actus reflectentis supra vniuersale vt tale est prædicatũ primæ intentionis. Hinc dixi, aliter se habere obiectum actus præscindentis animal, ac obiectum actus pręscindentis vniuersale; sed actus abstrahens á quinque prędicabilibus rationem vniuersalis est, actus reflectens supra vniuersale; ergo licet vniuersale absolutè sit prędicatum secundæ intentionis, vniuersale tamen ex suppositione, & comparatione ad talem actum reflexum erit prædicatum primæ intentionis.

434 Replic. 2. Ergo si vniuersale est superius primò intentionaliter sumptum, non habebit ab abstractione vlla esse superius; sicut quia animal est viuens sensibile primò intentionaliter sumptum, á nulla abstractione accipit esse viuens sensibile, sed esse superius accipit ab actu, quo á quinque prædicabilibus abstrahitur, vt per se patet; ergo esse superius non conuenit illi primò, sed secundo intentionaliter sumpto; atqui esse inferius illi secundò intẽtionaliter sumpto conuenit; ergo in eodem sensu conuenit illi esse superius, & inferius.

435 Resp. Neg. conseq. Cum enim dicimus, vniuersale primo intentionaliter sumptum esse superius, non intendimus asserere, talem denominationem non accipi ab abstractione, sed solum, talem denominationem cadere supra prędicata primæ intentionis, hoc est, supra esse prædicabile, seu vniuersale, quod esse vniversale non accipit ab ipsa abstractione, qua genus, & superius denominatur, non verò cadere supra denominationem generis, quæ est denominatio secundæ intentionis; inde supra vniuersale cadit denominatio superioris, supra genus verò denominatio inferioris. Hoc esse vniuersale, non verò illa denominatio generis secundę intentionis, est quod prædicatur de inferioribus talis vniuersalis vt sic, aliás de quolibet prędicabili sicut prędicatur esse vniuersale, prædicaretur etiam esse genus. Sicut ergo cum dicimus, animal esse superius ad hominem, & brutum primò intentionaliter sumptum, non verò secundò intentionaliter sumptum, solum significare intendimus, talem denominationem non cadere supra animal vt genus, quia vt genus non prædicatur de homine, & bruto, neque enim dicitur: *Homo est genus*: *Brutum est genus*, sed supra animal vt viuens sensibile, quia ita prædicatur; dicitur enim, *Homo est viuens sensibile, &c.* licet hoc prædicatum illi adueniat dependen-

ter

ter ab abstractione; ita denominatio superioris non cadit supra vniuersale vt genus, quia vt genus non prædicatur de inferioribus, non enim dicitur: *species est genus* sed supra vniuersale vt vniuersale, quia ita prædicatur; dicitur nãque *Genus est universale: species est universalis, &c.*

436 Replic. 3. Ratio vniversalis prescissa vel præscinditur etiam á se ipsa, vel non? Si primum? Contra. Ergo illa abstractio, qua prescinderetur vniuersalis, & illam constueret, á se ipsa præscinderet, & se haberet vt obiectum. Si secundum? Contra 1. Ergo talis ratio vniuersalis non esset abstracta ab omni vniuersali, cum non sit abstracta à se ipsa, quæ est aliquod vniuersale. Contra 2. Ergo daretur processus in infinitum abstractionum; nam á ratione illa vniuersali, & ab alijs posset alia ratio vniuersalis prescindi, & ab hac alia et sic in infinitum.

437 Aliqui respondent; nec esse inconveniens, qood eadem abstractio seipsam cum alijs confundat habens se vt obiectum sui: sic cognitio vt sic ab omni cognitione abstracta á seipsa abstrahit secum alijs confundens, habens que pro obiecto. Item nec esse inconveniens in processu in infinitum reflexionum, si hæ sint possibiles; vnde in infinitum vna, & alia, & alia ratio vniuersalis abstrahi poterit. Sed non improbata doctrina, iudico hic non deseruire, nam ab vniuersali vt sic non solum nequit abstrahere rationem vniuersalis abstractio eadem, qua in esse vniuersalis constituitur, verum neque alia quæcunque abstractio ab ea distincta non minus, quam ab animali vt sic, & ab homine, & bruto nequit abstrahi ratio animalis. Nam ideo ab animali vt sic, & homine, & bruto nequit abstrahi ratio animalis, quia animal vt sic non est aliquod particulare animal conveniens cum homine, & bruto in ratione animalis, sed ipsum animal hominis, & bruti confusè cognitum, vnde cum non detur distinctio, nec convenientia, quæ est fundamentum præscissionis, dabitur; sed vniuersale vt sic non est aliquod particulare vniuersale cum reliquis in esse vniuersalis conveniens, sed omnia vniuersalia confuse cognita, vel melius, prædicata essentialia vniuersalis, quæ ab eis non distinguntur, nec cum eis convenit; ergo neque ab eo, & reliquis vniuersalibus ratio vniuersalis præscindi poterit.

438. Inst. Per nos ab vniuersali vt sic, & reliquis generibus abstrahi potest ratio generis, cum per nos sic particulare genus inferius primo prædicabile; ergo & ab illo, & reliquis vniversalibus ratio vniuersalis abstrahi poterit, cum non minus sit idem cum omnibus generibus ac est idem cum omnibus vniuersalibus. Confirm. Cognitio cognitionis vt sic á se ipsa, & à reliquis præscindit rationem cognitionis; ergo & vniuersale vt sic á se ipso, & á reliquis rationem vniuersalis prescindet.

439. Resp. Uniuersale vt sic esse quoddam particulare distinctum à reliquis in esse generis licet indistinctum in esse vniuersalis; vnde cum reliquis generibus convenit in esse generis, non tamen in esse vniuersalis. Quid ergo mirum, quod ab eo, & reliquis abstrahatur ratio generis, non verò ratio vniuersalis? Ad confirm. resp. Cognitionem abstractiuam cognitionis vt sic à se ipsa, & reliquis abstrahere rationem cognitionis, quia est quędam particularis cognitio cum reliquis conveniens vtpotè ab eis distincta, licet habeat pro obiecto cognitionem vt sic. At verò vniuersale vt sic non est aliquod particulare vniuersale à reliquis distinctum. Non est ergo comparanda cognitio terminata ad cognitionem vt sic

sic cum vniuersali vt sic, sed vniuersale vt sic comparandum est cum cognitione vt sic. Et sicut cognitio illa nequit à se ipsa, & á cognitione vt sic aliã rationem cognitionis abstrahere ob rationem iam supra dictam, ita nec ab vniuersali vt sic, & reliquis vniuersalibus potest alia ratio vniuersalis abstrahi.

440. Replic. 4. Præter prædicabile vt sic non datur aliud prædicabile, sicut præter animal vt sic non datur aliud animal, quocum ratio animalis præcissa conveniat; ergo nec datur aliud genus, quocum possit prædicabile vt sic convenire. Patet conseq. Aliud genus est aliud prædicabile; sed præter prædicabile vt sic non datur aliud prædicabile; ergo nec aliud genus; ergo etiam vt genus, & secundo intentionaliter sumptum est superius, ad minus non est inferius, vt hucvsque diximus.

441. Confirm. 1. Prædicabile vt sic vtpoté vniuoca ratio conveniendi prædicabilium nullam habet rationem differendi ab eis; ergo ab eo, & singularibus prædicabilibus, nempè generibus nequit ratio generis abstrahi. Patet conseq. Nam ea, á quibus aliqua ratio conveniendi abstrahitur debent habere rationes differendi.

442. Confirm. 2. Ab his solum aliqua ratio prescinditur, in quibus talis ratio dividi potest: sic animal quia diuidi potest in rationale, & irrationale, á rationali, & irrationali præscinditur; sed primum prædicabile, nempe genus nequit diuidi in vniuersale vt sic, & reliqua genera; ergo nequit ab vniuersali vt sic, & reliquis præscindi. Prob. min. Ad rectam divisionem requiritur, quod membra dividentia excludantur ad invicem, nec valeat a b vno ad aliud; sed hoc, & illud genus, &c. et vniuersale vt sic non excluduntur ad invicem, valet enim: *est genus, ergo universale*; ergo genus vt sic nequit dividi in vniuersale vt sic, & in hoc, & illud genus; ergo nec ab eis prescindi.

443 Resp. dist. antec. Præter prędicabile vt primo intentionaliter sumptum non datur aliud prędicabile, concedo; secundò intentionaliter sumptum, nego, & nego conseq. & simul suppositum, quod vniuersale vt sic in quantum genus sit prędicabile primò intentionaliter sumptum. Iam supra dixi, vniuersale, seu prædicabile vt sic primò intentionaliter, seu essentialiter sumptum esse superius respectu quinque prædicabilium, abstractumque ab omni prædicabili: vnde præter ipsum ita acceptum, aliud prędicabile, quocum conveniat non datur; at verò 2. intentionaliter sumptum vt genus est, & secundum hanc generis denominationem non est superius, convenitque cum omnibus generibus, à quibus, & ab ipso ratio generis abstrahitur.

444 Ad 1. confirm. resp. Vniuersale primò intentionaliter sumptum esse vniuocam rationem conveniendi prędicabilium, & ita ab eis nullam dicere differentiam; at verò secundò intentionaliter sumptum non est vniuoca ratio conveniendi prædicabilium, cum non omnia prędicabilia sint genus, & cum sit particulare genus á reliquis distinctum, suam peculiarem differentiam habet, vi cuius ab eo, & reliquis ratio generis potest abstrahi.

445 Ad 2. confirm. resp. conc. mai. & neg. min. Ad probat. conc. mai. & dist. min. hoc, & illud genus, & vniuersale vt sic non excluduntur, primò intentionaliter sumptum, conc. secundò intentionaliter sumptum, neg. Itaque à genere ad vniuersale primò intentionaliter sumptum valet ita: *est genus, ergo vniuersale*, sicut valet; *est homo, ergo animal* nam

nam á specie ad genus valet argumentum. Vnde in vniuersale vt sic primo intentionaliter sumptum, & in hoc, & illud genus nequit primum prædicabile tanquam in membra diuidentia diuidi, cum ratio vniuersalis includatur in vnoquoque genere. At si vniversale sumatur secundô intentionaliter secundum denominationem generis, nullo modo valet á genere ad vniuersale, nam hoc genus *animal* v. g. non est hoc genus *universale*, sed mutuo se excludunt, & distingunt, ideòque rectè tanquam in membra diuidentia potest in ea genus diuidi, ab eisque præscindi.

446 Obj.5. Id, quod est essentialiter tale, nequit vniuocè conuenire cū eo, quod est accidentaliter tale, sed primum, secundum, & tertium prędicabile sunt essentialiter prædicabilia, & quartum, & quintum accidentaliter prædicabilia; ergo nequeunt vnivocè convenire.

447 Resp. Neg. mai. Nam cum id, quod est accidentaliter tale sit, proprie tale, potest vniuocè conuenire cum eo, quod est essentialiter tale. Sic si aliqua entitas esset potens amare per suam met essentiam, & alia per potentiam superadditam accidentalem, vtraque vniuocè in esse potentis amare conveniret. Sed admissá mai. dist. min. quoad 2. partem: Quartum, & quintum prædicale sunt accidentaliter prædicabilia, id est, prædicabilitas vniuersalis convenit accidentaliter illis, vt constituūt quartum, & quintum prædicabile, nego: sic enim tam essentialiter illi competit vniuersalitas, ac tribus primis prædicabilibus; id est, prædicantur accidentaliter de suis inferioribus, concedo, sed quod prędicentur accidentaliter, vel essentialiter de inferioribus. hoc se tenet ex parte differentiarum, & non officit vniuocationi, cum omnia sint essentialiter vniuersalia vt pręscissa, & constituentia suum proprium prædicabile.

448. Obj.6. Genus vniuocum nō dicit differentias, á quibus præscinditur; sed vniuersale vt sic præscinditur tanquam á differentia á genere; ergo vel non est genus, vel non est vnivocum ad speciem, differentiam, &c. Resp. dist. Non dicit differentiam primò intentionaliter sumptum, conc. secundò intentionaliter sumptum, nego. Sic vniversale primò intentionaliter sumptum quod est genus vniuocum non dicit, nec involuit in se rationem generis, sed solum rationem prędicabilis de pluribus; secundò intentionaliter sumptum exercitè accipit á cognitione præscindente denominationem generis secundum quam nec est genus respectu prędicabilium, nec prædicatur de illis.

449. Obj.7. Vniuersale vt sic dicit totam essentiam primi prædicabilis, nempè esse prædicabile in quid de differentibus notabiliter; ergo non prędicatur vt genus, sed vt species de primo prædicabili. Resp. dist. mai. Vniuersale vt sic primò intentionaliter sumptum, nego; secundo intentionaliter sumptum, concedo: Vniuersale ergo primò intentionaliter sumptum solúm dicit rationem *prædicabilis de pluribus*, à reliquis tanquam á differentijs præscindit, ideòque est genus vniuocum respectu quinque prędicabilium. Vniversale autem secundò intentionaliter sumptum dicit totam essentiam primi prædicabilis, nempè, *esse prædicabile de pluribus differentibus specie in quid*, quia est species inferior contractiua rationis generis. Hinc inferes, vniuersale vt sic, si consideretur vt genus, esse speciem subijcibilem, & contractiuam generis vt sic, sicut animal, & reliqua genera.

Si vero consideretur vt prædicabile, esse genus ad quinque prædicabilia.

SVBSECTIO II.

ALIÆ REPLICÆ, ET ARGVMENTA pro eodem intento soluuntur.

450. OBj. 1. Si posset præscindi ratio vniuoca vniuersalis á quinque prædicabilibus, posset præscindi ab vniuersali reali, & rationis, positiuo, & negatiuo, cum tam prædicabilis sit de pluribus ratio abstracta á pluribus entibus negativis, & rationis, quam abstracta á pluribus entibus positivis, & realibus; sed ab vniuersali reali, & rationis positiuo, & negatiuo præscindi nequit ratio vniuersalis, vt sic; ergo.

451. Resp. dist. mai. Posset præscindi ratio vniuersalis ab vniuersali reali, & rationis: si admittantur conceptus supra transcendentes, transeat. Si non admittantur, nego. Noster Lync. pro se citans Hurt. & alios, cum alias in metaphysica neget conceptus supra transcendentes, posseque præscindi ab ente reali, & rationis ratio communis vniuoca entis, obiecti, &c. hic tenet posse pręscindi, ab vniuersali reali, & vniversali rationis ratio communis vniuoca vniuersalis. Nam licet vtrumque non conveniat in eo, quod dicit de materiali intrinsece, convenit tamen extrinsecè, cum vtrumque abstractum reale, & rationis extrinsecè assimiletur per cognitionem confusam abstractivam, qua constituitur in esse vniuersalis, & in esse similis extrinsece, seu cogniti.

452. Si tamen negentur conceptus supratranscendentes, negatiuè respondendum. Nam vniuersale reale est propriè tale, vniuersale rationis est impropriè tale, & inter proprium, & improprium non datur convenientia sufficiens ad vniuocationem. Vniuersale enim constituitur ex secunda intentione, & ex natura abstracta, imo ex natura in recto, & ex secunda intentione in obliquo; sed natura rationis non est propriè natura; ergo nec vniuersale rationis ex ea constitutum propriê vniuersale. Item nec est propriè prædicabile de pluribus, nec identificabile cum pluribus. In super vniversale debet esse vnum extrinsecè, & plura intrinsecè proprié talia; sed vniversale rationis non est intrinsecè propriè plura; ergo. Vnde, ad rationem, Linz. dic. Actus abstrahens naturam rationis, & actus abstrahens naturam realem vniuocê conuenire in ratione actus abstrahentis, sicut & cognotio entis rationis cum cognitione entis realis in ratione cognitionis. Vnde vniuersale reale, & rationis vniuocè conueniunt, secundum quod dicunt de formali, seu de secunda intentione, sicut concretum cognitum resultans ex cognitione, & ente reali cum concreto cognitum resultans ex cognitione, & ente rationis; non vero in esse vniuersalis, quod non solum dicit talem secundam intentionem, sed etiam naturam. Hinc inferes, quod si conuenire extrinsecè solum sit conveniré quoad cognitionem, & nil amplius, certê conveniunt, non tamen in ratione vniuersalis.

453 Vel, si vis, faciliùs huic argumento respondere: Dist. mai. Posset præscind ratio vniuersalis ab vniuersali rationis, & reali, si aliunde ex peculiari difficultate, & vniuocationis repugnantia inter ens reale, & rationis, non repugnet: Concedo; si aliunde expeculiari difficultate á præsenti quęstione porsus aliena repugnet: Nego.

454 Obj. 2. Genus est magis vniuersale, quam species, cum plura in-

inferiora comprehendit: ergo genus & species participant inæqualiter rationem vniuersalis: ergo hæc non est vniuoca. Omnis enim inæqualitas officit vni communi.

455 Resp. Dist, antec. Est magis vniuersale; extensiuè; conc. intensiuè: Nego. Hoc est, genus ad plura inferiora se extendit, quam species; non tamen ideo prædicata essentialia vniuersalis, quæ participat, sunt intensiora, seu inæqualia in ipsis. Inęqualitas extensiua vniuoco communi non officit. Sic quantitas est ratio vniuoca respectu quantitatis palmaris, & bipalmaris, &c. Nam, licet hæc sit extensiuè maior, non tamen intensiuè, sed vtraque participat ratio nem quantitatis. Similiter. Hæc veritas: *Viginti homines currunt*, cõuenit vniuocè cum hac: *Duo homines currunt*, in ratione veritatis; licet prima sit extensiuè maior ex conformitate cum pluribus. Insuper, inæqualitas in modo participandi se tenens ex parte differentiarum, non officit vniuoco communi, cum non arguat inæqualitatem in re participata. Sic perfectiori, & inæquali modo participat homo rationem animalis, quam brutum, quin sit talis ratio non vniuoca respectu vtriusque. Alia exempla sunt obuia: ergo licet á genere, & specie participaretur inæqualiter ratio vniuersalis, &c.

456 Obj. 3. Si á quinque prædicabilibus ratio prædicabilis præscinderetur, differentia generis, speciei, &c. Esset prædicabilis, & non esset prædicabilis; hoc repugnat; ergo. Prob. mai. quoad primam partem. Tum quia omnis differentia vt talis, cum pertineat ad tertium prędicabile, prædicabilis est; vt videre est in rationali. Tum quia differentia vniuersalis debet esse vniuersalis: ergo. Prob. quoad secundam partem. Quia si esset vniuersalis, ratio prædicabilis vt sic, ab ipsa etiam præscinderetur, cum ab omni vniuersali vt tali præscindatur. Unde talis differentia, esset simul terminus *Qui*, & terminus á *Quo* pręscissionis. Esset terminus *Qui*, cum ipsa sit formaliter vniuersalis, & tota ratio vniuersalis est terminus *Qui* præscissionis. Esset terminus *á Quo*, cum ab ipsa vt á differentia abstrahatur ratio prędicabilis.

417. Confirm. Quia rationale est differentia, à qua præscinditur animal, ipsum non est terminus *Qui*, sed terminus *á quo* præscissionis, nec ipsum rationale ingreditur conceptum animalis: ergo si differentia generis v.g. est differentia, á qua præscinditur ratio prædicabilis, ipsa non debet esse terminus *Qui*, nec ingredi conceptum prædicabilis, sed tantum terminus á *Quo* præscissionis.

458. Hoc argumentum vnicè probat, transcendentiam officere præscissioni simpliciter, & consequenter conceptus transcendentes non posse á differentijs transcessis simpliciter pręscindi. Nam cum differentię entis v.g. participent formaliter conceptum entis, cum hoc præscinditur, erunt simul terminus *Qui*, & terminus *á Quo* pręscissionis ob probationem in argumento ponderatam. Vnde ab omnibus responderi debet. Dupliciter respondetur: primo, vltimas differentias generis, speciei, &c. á quibus ratio prædicabilis pręscinditur, non esse vniuersales formaliter, sed taleitates vniuersalium: sicut Petreitas, & Pauleitas, non sunt formaliter homo sed taleitas hominis; nec perseitas est formaliter ẽs; sed taleitas entis. Nec rugibile, formaliter viuens, sed taleitas viuentis. Vnde abstracta ab illis vt à differentijs, & terminis *à Quo* purè præscissionis, ratio vniuersalis; non manent vniuersales formaliter. Vnde differentiæ vniuersales non sunt formaliter vniuersales; sicut differentia

vi-

uiuentis, non est formaliter viuens; aut differentia entis non est formaliter ens, sed solum præscissiuè, identicè, & materialiter: nec participant formaliter conceptum differentię logicæ prædicabilis, sed differentię tantum metaphysicè diuersificatiuæ.

459. Resp. 2. Tales differentias esse formaliter prædicabiles, & consequenter esse terminum *Qui*, & terminum *á quo* præscissionis, sed non secundum eamdem formalitatẽ. Nã quælibet differẽtia est simul vniuersalis & aliquid amplius; & hoc aliquid amplius; est simul vniuersale, & aliquid amplius; sicut discurritur in perseitate, quæ est ens, & aliquid amplius, &c. Vnde, sicut pręscinditur ens á perseitate, ratione ly *aliquid amplius*, licet hoc sit simul formaliter ens. Ita præscinditur prędicabile á differentijs ratione ly *aliquid amplius*, licet hoc sit simul formaliter vniuersale.

460. Replic. Animal non definitur per tale animal, neque rationale per tale rationale: ergo neque genus difinitur per tale genus, neque differentia per talem differentiam: ergo vniuersale, per quod difinitur genus, non est genus erga ipsum, neque in differentia datur differentia, á qua possit ratio vniuersalis præscindi.

461 Resp. Conc. antec, & nego conseq. Ratio disparitatis est; quia omnis definitio præcisse debet constare aliquo genere, & aliqua differentia; cum autem tale animal non sit genus animalis, nec tale rationale, differentia rationalis, inde est, quod nec animal definiatur per tale animal, nec rationale per tale rationale. Definitur tamen tam animal, quam rationale per aliquod genus, & aliquam differentiam: sed tale genus est genus respectu generis vt sic; & talis differentia est differentia respectu differentiæ vt sic: ergo genus debet definiri per tale genus, & differentia debet habere talem differentiam. Insuper genus definitur per vniuersale, quod aliás est genus; non vero per tale genus secundum denominationem generis, nec in differentia datur differentia, quæ sub conceptu differentiæ participet rationem differentiæ, sed taleitas prædicabilis; quæ aliás est differentia, differentiam constituit.

462 Obj. 4. Si vniuersale esset genus ad quinque prædicabilia, esset inferius primo prędicabili, & consequenter pręscinderetur ab ipso; sed primum predicabile á se ipso præscindi nequit: ergo. Maior est certa. Nam primum prædicabile ab omni genere præscinditur. Prob. min. Vniuersale vt sic supponit ante se genus vt sic, ergo genus vt sic nequit præscindi ab vniuersali vt sic. Prob. antec. Vniuersale, vt sic præscinditur á genere vt sic: ergo supponit genus vt sic, vt ab eo præscindatur: ergo genus vt sic ab ipso non præscinditur. Prob. hæc vltima conseq. Omnis terminus præscissionis, necessario supponitur ad præscissionem; sed vniuersale vt sic nequit supponi ante genus, cum ipsum supponat potius ante se genus: ergo.

463 Hoc argumentum simillimũ est illi, quasi ænigmati, quod Pueris obijci solet, & in maximas eos angustias redigit. Rogamus enim ab ipsis? Quid prius extiterit, Ovum, an Galina? Si dicant, Galinam priorem extitisse. Contra; quia hoc Ovum aliqua parturiuit Galina; ergo hæc prior fuit ovo? Ita nunc obijcitur. Quid prius extitit præscissum? Genus vt sic, an vniuersale vt sic? Si dicam, genus vt sic fuisse prius præcissum. Contra; quia cum pręscissum fuerit ab vniuersali vt sic, hoc prius est, & supponitur ante genus. Si vero dicam; fuisse

prius

prius vniuersale vt sic præscissum. Contra; quia hoc præscissum fuit á genere vt sic: ergo illud supponit ante se, & prius extitit.

464 Resp. tamen vtrumque posse esse prius, & esse posterius alio. Hoc scimus. Quale autem ex eis de facto fuerit primus, quale vero posterius? Hoc nescimus. Vtrumque potuit esse in executione prius, & posterius alio, clare cognosces, si scias ad præscissionem simpliciter non requiri actualem existentiam termini *à quo* præscissionis, sed sufficere possibilitatem illius. Sic, dum de facto præscinditur ratio hominis vniuersalis, præscinditur etiam talis ratio ab Antichristo, & ab alijs hominibus possibilibus, & de facto nullatenus existentibus, Nam talis ratio præscinditur ab omnibus convenientibus in ratione hominis; sed non minus conveniunt in ratione hominis existentes, quam possibiles: ergo ab omnibus præscinditur; ergo, quin existat actu, sic potest ab ipso vniuersali præscindi genus vt sic, et è contra, quin existat actu genus vt sic, potest ab eo præscindi vniuersale vt sic: ergo, cum præscissio non supponat necessario ante se existentem terminum præscissionis, omnino accidentalis erit prioritas, vel posterioritas inter vniuersale vt sic, & genus vt sic.

465. Ratio á priori est; quia esse terminum præscissionis, solum est esse terminum cognitionis inadæquatæ; sed vt aliquid sit terminus cognitionis inadequatæ, non requiritur, quod actu existat, & patet à paritate cognitionis adæquatæ. Sic de facto Antichristus, & aliæ infinitæ creaturæ possibiles terminant cognitionem *D*iuinam, quin actu existant. Immò & ipsa impossibilia, & entia rationis, quin possint existere, terminant cognitionem. Ergo; vnde sicut inter hanc propositionem nunc à me elicitam: *Antichristus est homo* substantiuè sumptam, & ipsam actualem Antichristi existentiam nulla intercedit necessaria suppositio. Poterat enim eodem modo elici, iam Antichristo existente; sicut nunc non existente, elicitur, & nunc de facto illi accidentale omnino est existere ante ipsius Antichristi actualem existentiam. Quia hæc propositio solum supponit possibilitatem illius. Ita inter actualem præscissionem generis ab vniuersali vt sic, & actualem vniuersalis vt sic existentiam nulla suppositio relucet, & si de facto prius præscinderetur, & extiterit, esset illi omnino accidentale, cum talis præscissio solum requireret possibilitatem talis vniuersalis.

466. In forma ergo resp. Conc. mai, & nego min. Ad probationem, dist. antec. Vniversale vt sic supponit ante se genus, vel vt possibile, vel vt existẽs; concedo; vt existens necessario; nego. Ad probationem, conc. antec. & dist. consequens. Supponit genus vt sic, vel vt possibile, vel vt existens; concedo; vt existens necessariò; nego, & nego secundam consequentiam. Ad eius probationem, dist. mai. Omnis terminus præscissionis supponitur ad præscissionem vel vt existens, vel vt possibile; concedo; vt existens necessario; nego.

467. Replic. Repugnat, per nos mutua causalitas inter materiam v.g. & formam contra Thomistas, quia sequeretur mutua prioritas inter vtramque, ergo & repugnat hæc mutua præscissio inter vniuersale vt sic, & genus vt sic; cum eadem mutua prioritas sequeretur.

468. Resp. Conc. antec. & nego conseq. & suppositum ipsius, quod ad mutuam præscissionem requiratur mutua prioritas, sicut ad mutuam causalitionem. *D*isparitatis ratio est manifesta. Omnis effectus necessario supponit pro priori existẽtem suam causam, non

non tamen omnis præscissio suum terminum præscisionis, sicut nec omnis cognitio suum obiectum; vt iam manet probatum. Hinc est, quod si materia, esset causa formę, supponeretur existens ante formam, & si forma esset causa materiæ supponeretur existens ante materiam, & consequenter ante se, quod repugnat. At vero si genus vt sic præscinditur ab vniuersali vt sic, non supponit illud existens ante se necessario, cum sufficiat, quod sit possibile, & è contra. Unde ex mutua præscisione, non sequitur mutua causalitas.

469. Obj. 5. Si vniuersale vt sic esset genus, primum prædicabile esset genus, & non esset. Item, tertium prædicabile, esset differentia, & nõ esset differentia. Essent genus, & differentia; vt supponitur. Non essent genus, & differentia, quia essent species illius vniversalis vt sic.

470. Resp. Primum prædicabile esse genus signatum, & exercitum, & speciem respectu diversorum. Esse genus exercitum respectu diuersorum inferiorum, cum prædicetur de differentibus notabiliter. Esse genus signatum, cum sonet, & exprimat genus, esse speciem subijcibilem respectu vniuersalis vt sic, in quo nulla datur implicantia. Sic animal est genus respectu inferiorum hominis, & bruti, & est species respectu viuentis vt sic. *D*ifferentia vero tertium prædicabile est species respectu vniuersalis vt sic. Est genus exercitum respectu suorum inferiorũ, cum prædicetur de pluribus differentijs notabiliter differentibus inter se, & esset differentia signata, cum ipsum sonet, & prædicetur.

471. Obj. 6. Ergo tale vniuersale præscinderetur etiam á se ipso. Prob. conseq Præscinditur ab omni genere, sed ipsum est aliquod genus: ergo præscinditur á se ipso. Tum sic. Sed hoc repugnat: nam illa cognitio præscissiua supra se ipsam reflecteret, & se ipsam attingeret, quod repugnat.

472. Argumentum ab omnibus debet responderi in cognitione abstrahente conceptum cognitionis vt sic. Nam rogo. Vel talis cognitio etiam á se ipsa, præscindit illam rationem, & se ipsam sine vlla repugnantia attingit? & idem dicam de abstractione vniuersalis vt sic; vel ab omnibus cognitionibus præter se ipsam abstrahit rationem cognitionis? Et idem in nostro casu, illam scilicet cognitionem abstractivam ab omni vniuersali præter illud, quod ipsa constituit, rationem vniuersalis abstrahere. In quo, quid difficultatis? Resp. in forma. Dist. conseq. Præscinderetur á se ipso si repugnet, nego; si non repugnet, concedo, si repugnet, vel non repugnet ad me pro nunc non attinet.

473 Iudico tamen, talem reflexionem ad minùs confusam, & inadequatam non repugnare: quapropter tale vniuersale primò intentionaliter sumptum á se ipso; etiam secundò intentionaliter sumpto præscindit. Nam secundo intencionaliter sumptum, & vt genus prædicabile est, conuenit vniuocé cum reliquis generibus in esse vniuersalis, & de ipso prædicabilis est ratio vniuersalis, ita: *vniversale vt sic est vniversale.* Hoc explica exemplo cognitionis præscindentis rationem cognitionis vt sic á se ipsa vt particulari cognitione cum reliquis conueniente. In forma autem Resp. dist consequens. Præscinderetur à se ipso secundo intentionaliter sumpto, conc. primo intentionaliter sumpto, nego.

474 Obj. 7. Proprium, & accidens sunt impropriè prædicabilia. Genus vero, species, & differentiæ, sunt propriê talia: ergò non conue-

ueniunt vniuocè: ergo vniuersale vt sic nequit esse genus respectu illorum. Prob. antec quoad primam partem. Vniuersale definitur per vnum in multis; sed accidens, idem dic de proprio, non est vnum in multis: ergo. Prob. min. Esse vnum in multis, nil aliud est, quam identificari cum multis; sed accidens nō identificatur propriè cum multis; ergo. Prob. min. Nam accidens, vel comparatur cum substantijs inferioribus, v.g. album cum pariete, & sacharo, vel cum accidentibus etiam inferioribus; v.g. album cum hoc, & illo albo, sed cum sachro, & pariete non identificatur, & si comparatur cum hoc, & illo albo, iam non erit accidens, sed vel genus, vel species, cum prædicatio sit substantialis, hæc v.g. *Hoc album est album*: ergo accidens, & proprium sunt impropriè prædicabilia.

475 Resp. nego antec. Immo hinc potius supponendum est, quam probadum quinque prædicabilia; ac proinde etiam proprium, & accidens esse propriè prædicabilia, cum de omnibus æquè, & indiscriminatim loquantur omnes Philosophi ex mente Porphyrij, constat que ex eo, quod hęc prædicatio: *Petrus est albus, Ioannes est albus*, non est prædicatio singularis de singulari: ergo est prædicatio vniuersalis. Sed nego iterum antecedens. Ad eius probationem, concedo mai. & nego min. Ad probationem, conc. item maiorem, & nego minorem. Ad probationem; Dico: album, vt est accidens, comparari cum substātijs inferioribus, sacharo v.g. & pariete, quibus identificatur, non adæquatè, inadæquatè tamen, quod sufficit ad hoc, vt proprie dicatur esse in inferioribus; vt ad vniuersale requiritur; patet in sententia communi. Quod cumque vniuersale, v.g. animal, est pròprie, & diuisiuè in vno quoque inferiorum, Petro v.g. Paulo, &c. Et tamen cum vno quoque inferiorum diuisiue non identificatur adequatè, sed solum inadæquatè. Quod identificetur inadæquatè cum substantijs, extra dubium est. Album enim pro subiecto, & de materiali constituitur ex ipsa substantia: vnde, tam propriè est in inferioribus genus nempe animal, quam accidens, nempe *album*.

476 Vt autem plura detegas in volucra, nota primo, vniuersale vt sic, habere pro immediatis inferioribus quinque prædicabilia secundò intentionaliter sumpta, sicut animal hominem, & brutum; vnde tam substantialis est hęc prædicatio: *Genus est vniversale*, quam hæc: *Accidens est vniversale*. Est enim vtraque prædicatio generica; ex quo solum sequitur, quinque prædicabilia se habere vt species exercitè respectu vniuersalis vt sic, licet signatè sint, genus, accidens, &c. Nota secundo, inferiora generis, sicut & accidentis, posse dupliciter considerari; vel concretiuè, vel specificatiuè, seu quod idem est, vel primo, vel secundo intentionaliter. Si concretiuè sumantur prædicationes, tam generis, quam accidentis; sunt prædicationes substantiales. Nā, tam substantialis est hæc propisitio: *Animmal est genus*, quam hęc: *Album est accidens*. Ex quo infertur; quinque prędicabilia, & consequenter genus, & accidens esse genera exercité respectu suorum inferiorum, licet signatè sint, accidens, species, &c. Si sumantur specificatiuè, seu primo intensionaliter, tam accidentaliter, prædicatur genus, quam accidens. Nam, tam accidentalis est hæc prædicatio: *Paries est albus*, quam hæc: *Animal est genus*. Sicut enim accidentaliter aduenit parieti albedo, qua redditur albus.

bus. Ita accidentaliter aduenit animali secunda intentio, qua redditur genus. Ex quo sequitur, ipsum genus signatum etiam esse accidens, si comparetur cum substantijs inferioribus, & quoad punctum præsens, nullam dari diuersitatem inter genus, & accidens.

SECTIO II.

DE DIVISIONE PRÆDICABILIVM.

477. QVeres primò: vtrum diuisio in quinque prædicabilia, de quibus egimus, sit adæquata? Communis sententia tenet, esse adequatam; nam quidquid prædicatur, vel prędicatur vt tota essentia, & est species, vel prędicatur vt pars essētię & est genus, vel differentia. Si prędicetur *in quid* tantum erit genus. Si in *quale quid* erit differentia. Si prædicatum est extra essentiam, vel eam necessariò comitatur, & est *proprium*, vel nullo modo connectitur necessario cū subiecto, & est *accidens*, sed nequit excogitari alius modus præscindendi rem communem de suis inferioribus; ergo illa diuisio est adequata.

478. Nihilominus Patres Fonseca, & Tellez, quos problematicè sequitur Lince, alia prædicabilia, quæ assumptiva vocant, admittunt ad saluandas prædicationes, quæ fiunt de Christo Domino, Verbo, & Personalitate. Vtrumque est probabile, sed primum probabilius.

479. Obj 1. Hæc prædicatio: *Christus est homo* nequit esse speciei, quia prædicatum non dicit totam essentiam subiecti. Subiectum enim non solum est homo, sed Deus.

480. Confirm. primò: Hę prædicationes: *Christus est homo*: *Verbum est animal*, &c. nequeunt reduci ad quintum prædicabile, nam quæ reducuntur ad illud componunt cum subiecto totum aliquod per accidens, ast *Deus*, & homo, Verbum & animal totum per se componunt.

481. Confirm. secundò: Hę prędicationes: *Christus est animal*: *Christus est rationalis*: non sunt generis, & differentiæ, non enim sunt partes totius essentię Christi cum non sint partes essentię Diuinæ.

482. Resp. Hanc prędicationem: *Christus est homo*: esse speciei: hasque: *Christus est animal, est rationalis*, generie, & differentiæ eodem modo ac si fierent de Petro, ac Paulo. Nam licet Christus duplicem habeat naturam, in his prædicationibus sumitur vt homo, & vt indiuiduum naturæ humanæ, ac si non haberet Diuinam, ac proinde cum homo sit tota essentia indiuidui humani, hæc erit specifica prædicatio: *Christus est homo*.

483. Ad illas prædicationes: *Deus est homo*: *Verbum est animal*: & alias, in quibus prædicata propria hominis dicuntur de Deo, aut è contra, prædicata Dei de homine, vt *Homo est Deus*, &c. dic ad quintum prædicabile pertinere, cum sint in materia contingenti, in qua prędicatum nullam habet connexionem cum subiecto. Et licet totum resultans sit totum per se ratione vnionis substantialis, qua partes, vel extrema vniuntur, cum vnum extremum alteri accidentaliter adveniat, accidentalis erit prędicatio.

484. Obj. 2. Hæc est prædicatio vniversalis: *Petrus est persona humana*, & ad nullum ex his prędicabilibus spectat; ergo.

485. Aliqui ad quartum spectare dicunt, quia personalitas est proprietas naturæ. Alij vero ad quintum, quia extra essentiam metaphysicā subiecti.

iecti. Probabilius cum Arriag. iudico, quod si ita fiat: *Petrus est persona*, ad genus esse reducendum, cum ly *persona* sit prædicabilis in quid de possibilibus differentibus specie, nempe *Deo*, Angelis, & hominibus, & sit de essentia *Petri* personalitas. Si ita fiat: *Natura humana est persona*: ita pertinebit ad proprium. Si it.: *Petrus est persona humana*: erit prædicatio mista ex genere, nempe persona, & differentiá, nempe humaná, quę in quale quid prædicatur. Non tamen esse specificam, quia non est prędicatio vnius termini. Alias maioris momenti difficultates vide apud Arrig. d. 9. s. prima á n. primo.

486 Quæres secundò: An hæc diuisio prædicabilium in quinque prædicabilia sit immediata? Respondetur negatiuè. Nam immediatiùs diuiditur in prædicabile in quid quod est superius generi, & speciei, & in prædicabile in quale, quod est superius proprio, & accidenti. Differentia vero de vtroque participat, cum prędicetur simul in quid, & in quale.

SECTIO III.

DE ACTVALI PRÆDICATIO: ne prædicabilium.

487 PRædicatio est *iudicium afirmans, vel negans vnum de alio*. Quidquid de affirmatiua, idem suo modo de negatiua intelligendum. Prædicatio vt sit vera rectum prædicati debet cum recto subiecti identificari. Prædicatio, dicitur essentialis, quando prędicatum est de essentia subiecti; accidentalis quando est extra essentiam illius. Alia est directa, indirecta alia. Prædicatio directa est quando superius dicitur de inferiori, vel æquale de ęquali, aut tota definitio, vel pars definitionis de definito, vt est *Petrus est homo*: *Homo est rationalis*: *Homo est animal rationale*. Prèdicatio in directa est quando inferius dicitur de superiori, *vt animal est homo*: Item alia est identica, formalis alia; identica, cum prędicatum tam implicite, quam explicite dicit idem ac subiectum, vt *homo est homo*: formalis quando saltem voces distinguntur, vt *homo est animal rationale*.

488 Concretum vniuersaliter sumptum est compositum ex duplici parte, vel quasi parte resultans, vt *album*, ex pariete v. g. & albedine. Abstractum dicitur forma talis concreti, vt in dico concreto album *Albedo*. Concretum est duplex physicum, vel metaphysicum; physicum, quod ex partibus physicis componitur, vt *Petrus* ex natura rationali, & subsistentia. Metaphysicum, quod ex partibus metaphysicis componitur vt ex *animali, & rationali homo*. Similiter distingue abstracta physica, & metaphysica.

489 Concreta, & abstracta quoad ruplicirer possunt ad invicem se habere in actuali prædicatione. Primò prædicatur concretum de concreto. Secundò abstractum de abstracto. Tertiò concretum de abstracto. Quartò abstractum de concreto. De his breuiter, sed singulatim agemus.

490. Quæres primò: An quævis concreta de concretis quibusvis possint prędicari? Respondetur, posse prędicari concretum substantiale de altero substantiali, vt *Deus est homo*. *Petrus est persona*: Secundò: concretum accidentale de altero accidentali, vt *album est dulce*. Tertiò: concretum substantiale de accidentali, vt hoc *album est nix*. Quarto: concretum accidentale de substantiali, vt *paries est albus*. Et ratio est, quia cum ad veritatem propositionum solum requiratur, quod rectum subiecti, & prædicati identificentur, quidquid sit de obliquis, & in omnibus his prædicationibus ita se habeant, possunt omnimoda veritate fieri.

491. Quæres secundò: Vtrum abstracta de abstractis prædicari quæant

492. Dico primò: Abstractum generis non prædicatur in sensu formali de differentiali; neque abstractum differentiale de generico. Ita vere non dicitur: *Animalitas est rationalitas*: *rationalitas est animalitas*: prędicatur tamen in sensu reali, & identico. Quia cum solum realiter sint idem animal, & rationale, & formaliter distinguantur, realiter prædicantur non tamen formaliter. Si vero genus sit transcendens eius abstractum prędicatur de abstracto differentię, vtpotè in ea inclusum, vt *perseitas est entias*.

493. Dico secundò: Abstracta generica substantialia possunt verè prædicari de specificis. Ita Eximius Doct. Arr. & Hurtado d. 3. sect. 3. v. g. *humanitas est animalitas*: ratio est quia sicut animal de homine prædicatur, quę est pars metaphysica hominis, ita & animalitas, de humanitate, quia est pars metaphysica illius: & sicut vere dicitur: *Hæc animalitas est animalitas*: prædicatione abstracti specifici de individuali, ita verè dicetur: *Humanitas est animalitas*: prædicatione abstracti generici de specifico.

494. Dices primò: Quæ concipiuntur separata, & distincta nequeunt prædicari, sed abstracta, eo ipso quod sint abstracta, concipiuntur vt seperata; ergo. Resp. dist. mai. Si sint separata, & distincta positivè concedo: solum præscisivè, nego: Sic animal quia solum præscisive separatur ab homine potest de homine prędicari.

495. Dices secundò. Si animalitas esset genus, differentia contractiva illius, vel esset rationale, vel rationalitas; sed non est rationale, aliàs humanitas, quæ ex tali differentia constituitur, non esset purè abstractum, cum involveret nomen adiectivum; nec rationalitas, tum quia cum non sit nomen adiectivum, non prædicatur in quale. Tum item, quia iam homo posset ita definiri: *Homo est animalitas rationalitas*, quod absonat. Hæc objicit pro suis Ponc. disp. 3. n. 89.

496. Sed resp. pro nostris. Differentiam contractivam illius esse *rationale*, nec ex hoc sequitur, humanitatem non esse purè abstractum. Sic humanitas est non repugnans existere, est possibilis, quę sunt termini adiectivi, quin ex eo à ratione abstracti deviet. Item esset eius differentia *rationalitas*, licet nomine adiectivo non significaretur, nam re ipsa prædicatur in quale, per modum scilicet formæ determinantis, quod sufficit ad rationem differentiæ. Immo illa hominis definitio: *Animalitas rationalitas* non absonat aliquibus, pręcipuè Lynz. dissonat tamen, quia raro, vel nunquam sonat.

497 Dico 3. Abstracta physica de abstractis physicis nequeunt prędicari; *vt albedo est dulcedo*, quia realiter distinguntur.

498 Dico 4. Abstracta accidentalia metaphysica possunt de abstractis metaphysicis prędicari, vt *abedo est color*.

Quæres 3. An concreta prædicari queant de abstractis, & abstracta de concretis?

499 Resp. Si loquamur de abstractis, & concretis physicis, nullo modo queunt prędicari inter se, sive sint substantialia, sive accidentalia. Ita hæ sunt falsæ prædicationes: *Album est albedo*: *Homo est humanitas*: *Humanitas est homo*, *&c.* Quia cum abstracta physica sint partes concretorum, realiter inadæquatè distinguntur

tur á concretis distinctione includentis ab incluso, & ratione huius realis distinctionis falsæ sunt omnino prædicationes.

500 Si verò de concretis, & abstractis metaphysicis loquamur, abstracta possunt prædicari directè de concretis, & concreta indirectè de abstractis; itaque hæ sunt verę prædicationes: *Animal est animalitas* : *Animalitas est animal.* Ratio est, quia pars metaphysica directè potest prædicari de toto, vt *Homo est animal.* Sed abstractum est pars concreti; ergo cum concretum, & abstractum fuerint metaphysici, abstractum verè prędicabitur de concreto. Prędicatio concreti de abstracto est indirecta, quia vt vidimus supra, cum totum prędicatur de parte, qualiter se habet concretum respectu abstracti, reddetur prædicatio indirecta.

501 Nota vniuersaliter, aliqua abstracta metaphysica deducta â concretis metaphysicis, vt *humanitas* ab homine, *cognitio á cognito*, *generitas à genere*, *albedo* ab albo, quia confunduntur cum abstractis physicis, non esse in vsu. Et cum abstracta physica de concretis physicis non prædicentur, hæ prædicationes in Christo Domino: *Christus est humanitas* : *Christus est personalitas*, à Concilijs, & PP. damnatæ sunt. At verò si vt abstracta metaphysica sumerentur, posse vere prædicari de Christo, sicut & de omnibus alijs concretis metaphysicis, non dubito.

TRACTATVS V.

DE PRÆDICAMENTIS.

1 Prædicamentum latinè, quod Græcè *cathegoria*, & vtrumque idem valet ac *series prædicatorum ab vno supremo genere vsque ad infimum indiuiduum*: ab Aristot. & Pphilosophis in decem diuiditur, quæ suo ordine sunt substantia, Quantitas: Qualitas, relatio, Actio, Passio, Vbi, Situs, Quando, Habere. Vtrum autem sint plura, vel debeant esse pauciera? Est quæstio purè de nomine. Iudico cum Arria. hanc diuisionem in pluribus peccare, ideoque rudi Minerva, & non logico rigore esse accipiendam; videatur omnino ipse Arria. d. 7. metaph. sect. 1. vbi ea veritate, qua solet, hanc, & alias quęstiones puré de nomine discurrit, dum ego vt vobis proponam arborem, quæ prædicamentalis dici solet, prædicatorum á supremo ad infimum descensum explico.

2 Supremum prædicatorum arboris prædicamentalis est substantia, quia ens vtpote transcendens ab ea arbore rele-

legatum fuit per Aristot. In fimum est indiuiduum completum, Petrus v.g. A substantia fit descensus ad corpus, á corpore ad viuens, á viuente ad animal, ab animali ad hominem, ab homine ad indiuiduum. Hæc arbor tres continet lineas: In linea directa collocantur genera, & species, quę directè, & immediatè ab inferioribus participantur; vt incipiendo ab vltimo: *est Petrus, ergo homo: est homo; ergo animal: est animal, ergo viuens: est viuens, ergo corpus: est corpus, ergo substantia.*

3. In linea laterali dextera collocantur differentię, quæ rationem superiorem diuidunt, quin includant; & rationem inferiorem, cui æquales sunt, constituunt; v.g. *rationale* ponitur ad latus dextrum animalis, quod diuidit, & non includit, & ad latus superius hominis, cui est ęquale, quemque constituit.

4. In linea laterali sinistra ponuntur differentiæ diuisivæ rationis superioris & nullo modo constitutivæ speciei inferioris, sed potius illi repugnantes. Quiescite ramos eius oculis lustrantes.

5. Conditiones, vt res in praedicamento collocentur, his carminibus comprehenduntur:

Vox vna, & simplex, proprijsque accommoda rebus,
Entia per se, finita, realia tota.

6. Prima conditio, quod sit vox *vna* in significato, ideòque æquivoca, & analoga excluduntur á prædicamento.

7. Secunda Quod sit *simplex*. Vnde integra definitio, quæ per duos terminos traditur, in prædicamento non collocatur.

8 Tertia. Quod sit *proprijs accommoda rebus*, hoc est, quod habeat congruum significādi modum. Hinc aliqui asserunt, accidentia in abstracto, non in concreto poni, in prædicamento, v.g. albedo, non album; è contra substantiæ in concreto, non verò in abstracto in prædicamento collocari, v.g homo, non humanitas; sed hoc vltimum falsum est, nam cum abstracta substantiæ possint de abstractis directè prædicari, cur á prædicamento relegantur? Alij è contra asserunt, accidentia non in abstracto, sed in concreto collocanda, v.g album, non albedo, quod etiam falsum est. Nam album non est qualitas, sed albedo; ergo albedo collocanda est in prædicamento qualitatis, immò & album etiam poterit collocari, etiam si sit accidentale concretum. Quod iam probo.

9. Quarta conclusio. Quod sit *ens per se*, hoc est, quod non sit ens per accidens. Hinc excluduntur á prędicamento *exercitus, Respublica*, &c. Iudico cum P. Lynz. Entia per accidens metaphysicè sumpta, vt constantia scilicet genere, & differentia posse in prædicamento collocari, quia metaphysicè accepta sunt entia per se. Si enim habitus, qui est ens ex homine, & veste resultans ponitur iuxta Arist. in prædicamento, & numeros iuxta *D.* Thomam, cur accidens in prędicamento collocandum non erit?

10. Quintò. Quod sit *finita*. Vnde Deus, & prędicata Diuina â prędicamento expunguntur. Hæc conditio est penitus arbitrariè á Philosophis posita. Nam cum Deus sit propriè substantia, de eoque, & de homine vniuocè ratio substantiæ prædicetur, ponendus erat in tali prædicamento. Ita Hurt. Linz. & communiter.

11. Sexta. Quod sint *realia*. Vnde entia negatiua, & rationis non ponuntur in prædicamento. Hæc item conditio est omninò arbitraria, cum entia negativa, sicut & positiva prædicabilibus, & prædicationibus subiaceat.

12. Septima conditio *Tota*, id est, quod res ponibilis in prædicamento sit

ens

ens completum, quod complementum iuxta vulgarem intelligentiam accipiendum est de complemẽto metaphysico per genus,& differentiam, aliás á prædicamento excluderentur materia, forma,& vnio,quæ dicuntur entia physicé incompleta, vtpotè ad componendum cum alio ordinata. His prænotatis,sit

DISPUTATIO I.

DE SVBSTANTIA PRIMO PRÆdicamento.

13. SVbstantia primò vsurpari potest pro essentia cuiusque rei,& sic etiam accidens erit substantia, sed hæc est latissima substantiæ vsurpatio 2. Pro eo quod sub est accidentibus,in quo sensu Deum non esse substantiam,tenet August.lib.7.de Trinit. cap. 5. 3. Pro eo quod subsistit, seu per se sistit, & non in alio, & hæc est propria substantia. Difficultas stat in explicanda ratione propria substantiæ prout ab accidenti distincta; cur scilicet forma materialis equina v.g.sit substantia,& non sit substantia calor?

SECTIO I.

DEFINITVR SVBSTANTIA.

14 Ratio dubitandi est, quia ab antiquioribus substãtia dicitur:*ens per se*,& accidens:*ens in alio*,cum autem forma materialis videatur tam esse in alio, quam calor, cum tam dependeat á materia prima, quam calor á substantia ignis, videtur tam esse accidens, quam calor. Item actio creatiua, qua accidentia Eucharistica extra subiectum conservantur, tam essentialiter non existit in alio, quam materia prima, videtur tam substantia, quám ipsá materia. Cur autem calor erit accidens, & forma materialis substantia? Cur item materia prima erit substantia, & actio creatiua accidentium Eucharisticorum accidens; hic opus, & labor est è difficilioribus totius philosophiæ inquit Arriaga noster.

15 Prima Thomistarum sententia ita substantiam definit: substantia est, *quæ subiecto non inhæret*; & ita accidens: Accidens est, *quod inhære subiecto*. Falsissima prima, nam forma materialis est substantia, & inhæret materiæ. Item actio productiua accidentium Eucharistorum est accidens, & nulli subiecto inhæret.

16 Secunda sententia tenet, substantiam esse, *quæ accidentibus substat*. Nimis displicet, quia Deus est substantia, & nulli substat accidenti. secundo, quia quodlibet accidens substat proprié durationi, & vbicationi, alijsque proprijs accidentibus, & non ideò est substantia.

17 Tertia ita definit: substantia est *ens exigens existentiam absolutam, & independentem á subiecto*, seu subsistentiam.

Hanc esse omnium Thomistarum mentem, asserit M. Linz. 3. p. lib. 3. quæst. 2. art. 4: Displicet, quia forma materialis licet exigat existentiam, & subsistentiam, non tamen illam exigit idependentem á subiecto, nempè á materia.

18 Ideò alij RR. cum P. Alph. secuti inter nostrates sapientiss. P. Didacum deEguilus meum in theol. Magistrum, huiusce Provinciæ, dum hæc scribo, dignissimum Provincialem. ablata illa particula, ita definiunt substantiam: *Est ens exigens subsistentiam.*

19 Vehementer displicent. Nam subsistentia est substantia, & tamen se ipsam exigere repugnat, omnis namque exigentia, cum sit relatio transcendentalis, est ad aliud. Nec valet distinguere in subsistentia duplicem formalitatem, vnam substantiæ, & aliam subsistentiæ, nam omnis propria obiectiua exigentia realem distinctionem requirit inter exigens,& exactum. Ratio est, quia talis exigentia vel est in ipso obiecto, vel non est, & ponitur ab actu intellectus concipiente illud? Si est in ipso obiecto? Ergo est physica, & realis exigens distinctionem realen. Si non est in obiecto, & ponitur ab actu? Ergo fingitur ab ipso. Quomodo ergo per exigentiam fictam definiri poterit entitas realis?

20 Si tamen dicas; talem exigentiam neque esse exparte obiecti, neque fingi ab actu, sed obiectum concipi ad instar exigentis, contra. Ergo talis conceptus exigentis in definitione positus non est vniuocus. Patet conseq. Ab exigentia reali, & propria, & ab exigentia impropria, & secundum dici nequit abstrahi conceptus vniuocus, sicut à relatione transcendentali, & prędicamentali impropria nequit præscindi conceptus vniuocus relationis, nec ab indifferentia propria materiæ primæ ad formas, & indifferentia impropria generis ad differentias vnus conceptus vniuocus indifferentiæ; sed exigentia materiæ v.g. ad substantiam est propria, & ex gentia subsistentiæ ad se ipsam impropria, & secundum dici; ergo.

21 Alias definitiones impugnatas vide apud Arria. disp. 4. metaph. sect. 2. 3. & 4. Ego vero iudico, Arriagam ipsum ita definientem: substantia est *quidquid intrinsecé constituit primam rem*, Hurt.& Compt. ita: substantia est,quod *propter se intenditur à natura, & non propter aliquid adæquaté distinctum*, aliquos RR. ita: *ens subsistens*, alios *ens essentiale supposito* in idem coincidere,nam vt se explicent, semper ad subsistentiam recurrunt.

22. Sed vt vites aliquam, licet non maximi momenti difficultatem, quæ, contra hos præcipuè RR. fieri solet desumptam ab ipsa subsistentia,& supposito,quę substantiæ sunt, & nec subsistentia vocari solet subsistens, sicut nec albedo alba,nec actio agens, sed solum, addito termino *vt quo*, nec suppositum, videtur congruè posse appellari essentiale supposito, quia cum dicitur aliquid alicui essentiale, aliquomodo ab illo distinguitur; vt autem has vites difficultates, eis tamen definitionibus adiutus,ita definitionem efforma cum P.Pein.tract.5.de prędicatam d.2.sect. 1.n.6.

23. Substantia est: *Ens non distinctum adæquaté á supposito*. Unde accidens erit: *Ens distinctum adæquaté á supposito*. Bonitas definitionis constat, eo quod constet ratione communi, & ita se habet ly *ens*,& differentiali;ita se habent reliquæ particulæ. Item ex eo, quod conveniat omni,& soli definito. Quod conveniat omni, inductione facta, constabit:convenit Deo, Angelis, & hominibus,qui omnes cum suppositum sint,

sint, á supposito non distinguuntur. Convenit materiæ primæ, & formis substantialibus, item modis substantialibus, nempè vnioni, & ipsi subsistentiæ, quæ omnia cum essentialiter constituant suppositum, non distinguuntur adæquatè á supposito. Quod nulli á definito conveniat, constat ex eo quod omne accidens est extra essentiam suppositi, quia neque suppositum est, nec pars essentialis suppositi.

24. Obj. 1. Prędicta definitio non est recta, cum tradat substantiam per ordinem ad suppositum æque, immò & magis ignotum, quam ipsa substantia; antiqui enim substantiam cognoverunt, incognita subsistentia, quam per mysterium incarnationis cognovimus.

25. Resp. Quod licet suppositum absolutè sit minus notum quam substantia, immò ab antiquis Philosophis omnino ignotum; ast cum ex fide nobis subsistentia, & consequenter suppositum innotescat, saltem confusè clariorem notitiam habemus suppositi, quam substantiæ, quod sufficit, vt in ordine ad illud definiatur, sicut creatura in ordine ad Deum.

26. Obj. 2. Humanitas Christi est substantia, sed distinguitur adæquatè á supposito tum Verbi, à quo realiter separari potuit, tum á supposito humano, á quo realiter separata mansit; ergo.

27. Resp. Certum est, Humanitatem adæquatè distingui á subsistentia tum Divina, tum humana, non tamen distingui adequatè à supposito, quod de facto constituit, cum æquè ac ipsa subsistentia Diuina componat hoc suppositum *Christus*. Etsi cum subsistentia humana coniungeretur, constitueret suppositum humanum. Item ex argumento solum infertur, humanitatem distingui adæquatè á subsistentia, non á supposito.

28. Obj. 3. *D*efinitio substantiæ tradita fuit ab Aristot. & antiquis Philosophis, sed ni ignorarunt subsistentiam; ergo non benè traditur in ordine ad subsistentiam. Resp. Philosophos antiquos ignorata subsistentia non rectè, sed nimis confusè definire substantiam. Idcòque e in hoc illucescente fide, ope a tenebrarum abijcimus.

29. Obj. 4. Per negationem à nobis tradi substantiam; ergo non rectè. Resp. Tradi per negationem secundum dici, sicut traditur aseitas Dei, irrationale, & alia pleraque.

30. Obj. 5. Cur calor dicendus est adæquatè distinctus á supposito, non verò subsistentia? Resp. Hoc dependere ex prima hominum apprehensione, vt indubitatum affirmatiu, suppositum essentialiter resultare ex natura, & subsistentia, non verò ex natura, & calore, sicut ex prima hominum apprehensione colligitur, ignem resultare ex materia, & forma ignis, non verò ex materia & calore.

SECTIO II.

DE DIVISIONE. ET PROPRIETATIBUS substantiæ.

31. SVbstantia 1. dividitur in completam, & in incompletam. Incompleta est materia, forma, & vnio secundum se. Completa totum compositum ex eis resultans Hæc (notat Arria.) non est recta divisio, cùm vnum membrum dividens includatur in alio, nempè substantia incompleta in substantia completa. Item compositum ex materia, forma & vnione substantia incompleta apellari poterit, nam ideò materia est substantia incompleta, quia ordinatur ad componendum compositum cum forma; sed etiam compositum ordinatur ad componendum suppositum cum subsistentia; ergo.

32. Secundò. *D*ividi solet in substantiam primam, & secundam, quod idem est ac in vniuersalem, & particularem, substantia prima est individuum particulare, vt *Petrus*. Substantia secunda, natura vniversalis, vt *animal*. Hæc item divisio est quasi subiecti in accidentia.

33. Tertiò. Dividitur in creatam, & in increatam, materialem, & spiritualem, vivens, & non viuens, & sic vsque ad individuum.

34. Plures proprietates attribuit Aristot. substantiæ, quæ re ipsa proprietatum nomen, & munus non ad implent. 1. Quod careat subiecto. Hæc non competit substantiæ incompletæ, formæ materiali v. g. Item competit creationi accidentium Eucharisticorum, quę est accidens, ad summum enim competit substantiæ completę, contrarium assentientibus aliquibus cum Gabriele. 2. Quod substet accidentibus. Hæc non competit *D*eo. 3. Quod sit vnivoca respectu inferiorum. Hęc solum competit substantię vniversali, quę solum habet inferiora. Item etiam competit accidenti vniversali, quod fuerit vnivocum.

35. Quartò. Quod non accipiat magis, & minus. Hæc competit substantiæ; vna enim substantia in prædicato substantiali non accipit intentionem, nec diminutionem; sic Petrus nequit esse magis, minusve homo, quã Paulus. 5. Quod careat contrario. Hæc competit accidenti, nempe luci, quæ caret contrario, solum namque per privationes destruitur, sicut etiam substantiæ per privationes reijciuntur 6. Quod sit incommunicabilis. Hæc etiam competit cuicunque individuo etiam accidentali.

(o)

DISPUTATIO II.

DE QVANTITATE SECVNDO Prædicamento.

SECTIO I.

AN QVANTITAS DISTINGVAtur à re quanta?

36. PRima sententia affirmat. Ita Thomist. & Scotist. immò fere omnes nostri cum Exim. *Doct.* Vasq. Ovied. Alphons. Peyn. tract. 5. de prædicam. sect. 2. & alijs, licet plures (ipsis testantibus) magis authoritate, quã ratione ducti: ita expresse Ovied. & Compt.

37. Secunda sententia indistinctam esse quantitatem tenet. Ita Nominal. Ex nostris P. Lessius. P. Bernal. d. 38. de Euchar. sect. 2. n. 3. P. Lynz. lib. 3. tract. 4. c. 3. n. 11. P. Arriag. d. 6. metaphy. sect. 1. subsect. 5. á n. 74.

38. Dico. Quantitas non distinguitur á re quanta. Prob. 1. Non sunt multiplicandę entitates sine vrgenti necessitate; sed nulla datur vrgens necessitas, vt distincta quantitate à re quanta multiplicetur talis entitas; ergo hæc á re quanta non distinguitur. Mai. est principium, quo ad plura probanda vtuntur ipsi adversarij. Minor constabit ex solutione argumentorum. Conseq. patet.

39 Prob. 2. Quoties identificatur cum aliquo subiecto aliquis effectus formalis, forma, á qua talis effectus

tus prouenit cum subiecto illo identificari debet; sed effectus formalis quantitatis identificatur cum qualibet re quanta, ergo & quantitas. Mai. constat in Deo, cui quia conuenit per identitatem effectus formalis intelligentis, amantis, &c. Amor, & intellectio, quæ sunt formæ talium effectuum, illi per identitatem conueniunt. & ratio á priori est, quia cum effectus formalis includat formam, necessum est, vt ei, quo cum effectus formalis identificatur, forma vtique identificetur. Min. prob. Effectus formalis quantitatis est reddere subiectum inpenetrabile per meram coexistentiam in loco cum alio ente quanto; ergo cum quolibet identificabitur quantitas. Prob. antec. Rem esse impenetrabilem cum alio ente quanto &c. nil aliud est, quam rem esse materialem, & corpoream; sed rem esse materialem, & corpoream per identitatem conuenit cuilibet enti quanto; ergo.

40 Dices. Quodlibet ens quantum, eo quod sit materiale, esse radicaliter impenetrabile, reddi tamen formaliter impenetrabile per quantitatem realiter superadditam.

41 Fateor, hanc doctrinam de impenetrabilitate radicali ita mihi semper odibilem fuisse, vt ne in libris de Anima in eam cogar incidere, quantitatem á re quanta indistinctam defendere statui, tunc latius in eam gladium stringam. Nunc breuius contra 1. Quodlibet ens quantum se ipso independenter à quantitate superaddita est ita propriè impenetrabile, vt quantitate ablata, nequeat naturaliter cum alio penetrari; ergo se ipso, & independenter á quantitate est formaliter impenetrabile. Confirm. In sententia aduersariorum contra Thomistas non datur relatio similitudinis superaddita duobus albis v. g. quia positis præcisè duobus albis, ablato quocunque superaddito, imperceptibile est, quod dentur solú fundamentaliter, seu radicaliter similia, & non formaliter talia; ergo imperceptibile quoque erit, quod duo entia quanta repugnent in eodem loco coexistere, ab eo se expellant, nequeant etiam penetrari, & quod solum sint radicaliter, & non formaliter impenetrabilia.

42 Contra 2. Quodlibet ens quantum ablata quantitate est formaliter corporeum, & materiale, ergo & formaliter impenetrabile. Patet. Eo modo, quo alicui enti conuenit esse definitum alicuius definitionis, conuenit illi, definitio talis definiti: sic homini picto impropriè conuenit definitio hominis, quia est improprie homo, & homini verò conuenit proprie, quia est proprium definitum talis definitionis; sed definitio entis corporei est esse impenetrabile; ergo cui competit esse formaliter ens corporeū, esse formaliter impenetrabile conuenire debet. Confirm. Non minus definitur res spiritualis per esse penetrabilem, quam res materialis per esse impenetrabilem; sed quælibet res spiritualis se ipsa independenter ab vllo superaddito est penetrabilis formaliter; ergo quælibet res materialis se ipsa, & independenter ab vllo superaddito erit impenetrabilis formaliter.

43 Nota contra P. Arria. supra num. 35. non solum esse possibilem, & de facto existere rem materialem se ipsa, & independenter á quantitate realiter superaddita formaliter impenetrabilem, verum neque esse possibilem, sed essentialiter repugnare rem materialem, quę reddatur formaliter impenetrabilis per aliquid sibi realiter superadditum; talis enim entitas esset materialis, vt supponitur, & non esset materialis, quia illi essen-

tia rei materialis, nempe impenetrabilitas non conueniret.

44 Obj. 1. Quantitas separatur á re quanta; sed separatio arguit distinctionem, ergo quantitas distinguitur á re quanta. Prob. mai. Destructa substantia panis in Sacramento Eucharistiæ, manet eadem quantitas, quæ erat antea, si quidem manent accidentia cum eadem impenetrabilitate, & extensione partium ac antea; ergo.

45. Huic argumento facillimè resp. neg. mai. Ad probat. dist. antec. Manet eadem quantitas substantialis, nego; accidentalis, concedo. Cum quolibet ente quanto sicut identificatur propria ratio corporei, materialis, & impenetrabilis, ita identificatur propria quantitas; vnde destructa substantia panis, destruitur quantitas substnntiæ panis, non verò destruuntur quantitates accidentales accidentium, quæ remanent; quid ergo mirum, quod eadem impenetrabilitas, & eadem extensio actualis partium remaneat, si remanet eadem accidentalis quantitas?

46. Replic. 1. Accidentia illa non sunt formaliter impenetrabilia ex se; ergo neque formaliter quanta. Prob. antec. Tum quia ipsa inter se penetrata sunt, tum quia ante mysterium naturaliter cum substantia panis penetrabantur; ergo etiam post mysterium poterunt naturaliter cum alia substantia penetrari, nisi remaneat aliqua quātitas realiter ipsis superaddita, qua impenetrabilia reddantur.

47. Resp. Neg. antec. quoad 1. probat. Miror equidem á viris aliás defendentibus, ea accidentia reddi formaliter impenetrabilia per quantitatem, talem fieri obiectionem. Si ex eo, quod sint inter se penetrata post mysterium, arguis non esse impenetrabilia ex se; cum ergo etiam ante mysterium sint inter se penetrata, tenore consequentiæ infertur, neque ex se, neque ex alio reddi impenetrabilia ante mysterium. Vel respondeant, quomodo cum sint ante mysterium formaliter impenetrabilia, per quantitatem superadditam de facto penetrantur, & idem ego ad penetrationem post mysterium respondeam.

48. Ad vtramque enim probationem primi antecedentis, resp. Ea accidentia naturaliter penetrari inter se post mysterium, & ante illud inter se, & etiam cum substantia panis, hoc tamen non opponi impenetrabilitati constitutivæ rei formaliter corporeæ, & quantæ, nam hęc penetratio accidentium inter se, & cum substantia est penetratio per compositionem, non vero per meram coexistentiam in loco, impenetrabilitas verò constitutiua corporis, quanti est impenetrabilitas per meram coexistentiam in eodem loco, cui non opponitur penetratio per compositionem, sed penetratio per meram coexistentiam. Ex quo inferes, quodlicet ante mysterium illa accidentia essent naturaliter cum substantia panis per compositionem penetrata, non tamen poterunt post mysterium cum qualibet alia substantia per meram coexistentiam penetrari. Fateor, ablata substantia panis, naturaliter destruenda esse accidentia. Vnde quod remaneant, & componantur sine subiecto communi, miraculum est necessarium ad opulendum mysterium Eucharistię.

49. Replic. 2. ex P. Peyn. Quantitas identificata cum accidentibus, vel conuenit vniuocè cum quantitate identificata cum substantia, vel non nisi solum æquiuocè, & metaphysicè? Si primum? Ergo duæ quantitates eiusdem rationis penetrantur naturaliter in substantia, nempè quantitas substantiæ, & quantitas accidentium; ergo & poterit quævis substantia completa cum alia naturaliter penetrari, quæ enim potest esse disparitatis ratio? Si

secundum: Ergo cum accidentia separata non solum metaphoricé, sed propriè,& simpliciter maneant impenetrabilia, hoc erit ratione alicuius quantitatis illis realiter superadditæ.

50 Resp. Uniuocè conuenire quantitatem substantię cum quantitate accidentium, vnde non solum duę, sed plures quantitates partiales tot, quot fuerint accidentia, penetrantur in substantia, nam eodem modo ac non repugnat, quod penetrentur cum substantia, & inter se plures res formaliter materiales, & corporeæ, ideòque in esse materialium, & corporearum vniuocè conuenientes, ita non est in eo, quod plures formaliter quātæ, ideoque in esse quantitatis vniuocè conuenientes penetrentur. Non tamen ex eo infertur, substantiam completam, hoc est, non ordinatam ad componendum, nec componentem cum alia, posse cum ea penetrari. Et hęc est ratio disparitatis. Nam illæ quantitates partiales componerent cum substantia, ideòque cum ea, & inter se penetrarentur naturaliter; at substantia completa vt talis cum alia non componit, ideoque cum ea penetrari naturaliter repugnat; sicut licet forma materialis penetretur naturaliter cum materia, quacum componit compositum, repugnat tamen penetrari cum alia, quacum non componit.

51 Replic. 3. Sicut non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate, ita nec sunt multiplicanda miracula; sed si quantitas non distinguatur à re quanta, plura miracula multiplicarentur, quæ vitari possent si distingueretur; ergo. Primum miraculum; essent illa accidentia violenta, & quasi scopa dispersa sine quantitate, in qua tamquam in communi subiecto reciperentur. 2. miraculum. Si ignis approximaretur speciebus illis, in eis produceret calorē, sed nō ex præsupposito subiecto, quod non esset; ergo produceret illum per creationem, qui modus producendi iuxta S. Thom. ad huc diuinitus creaturæ repugnat. 3. miraculum. Talis calor productus miraculosè etiam penetraretur cum illis speciebus, nulla enim tunc esset compositio, cum nullum daretur commune subiectum, quocum componerent accidentia.

52 Resp. Quod cum in Sacramento Eucharistię *Deus* thesauros suę *Diuinitatis* velut effuderit, in eo memoriam suorum mirabilium faciēs misericors, & miserator *Dominus*, non est cur multitudinem miraculorum minuamus, cum aliunde ratio nostræ conclusionis conuincat, ea omnia necessaria esse ex suppositione primi, & maioris omnium miraculorum, conuersionis scilicet panis in Christi Corpus. Item Rub. & Thomist. cum S. Thom. pluresque aduersarij, qui tenent, quantitatem non esse subiectum accidentium, sed ea omnia in substantia panis subiectari, hæc tria miracula admittere tenentur.

53 Ad 1. miraculum, illud conc. & aduersarij illud in quantitate concedere tenentur, quæ manet sine substantia, nempe substantia panis, quæ deficit per consecrationem; ergo hoc miraculum aduersarij non vitant. Ad 2. etiam admitte, productionem caloris per creationem ab igne approximato, & nega, productionem per creationem repugnare potentiæ obedientali creaturæ, vel si repugnat, dic; Deum ad pręsentiam ignis se solo calorem creare, vt mysterium fidei oculis, & petitioni humanæ occultet. Ad 3. concedo, calorem illum tunc penetrari miraculosè, sed hoc, sicut & alia miracula concedere ratio,& necessitas rationis naturalis cōcedere cogit.

Replic.

54 Replic. 4. *Dum* corrumpuntur accidentia Eucharistica, corrumpuntur naturaliter ad exigentiam accidentium contrariorū, aliás miraculum foret, hostiam consecratam in fidelium stomacho corrumpi; sed pugna naturalis duarum formarum est propter commune aliquod subiectum, quod vna afficit, & alia intendit afficere; ergo accidentia hæc alicui communi subiecto insunt, non substantiæ prius, vt certum est de fide, ergo quantitati destructa substantia remanenti, & consequenter ab ea realiter distinctę.

55 Resp. Ea accidentia naturaliter corrumpi positis contrarijs accidentibus non ad horum exigentiam; sed cessatione miraculi, quo accidentia Eucharistica conservabantur sine subiecto. Quod autem productis contrarijs accidentibus, cesset Deus in conservatione miraculosa facit occultationis gratia mysterij fidei, & augmentationis meriti nostri in credendo, eodem namque modo se haberent illa accidentia, ac si in eodem loco, in quo esset anima cum peccato *Deus* gratiam produceret sine vlla vnione cum anima, tunc enim si expelleretur peccatum non esset ad exigentiam gratiæ, quæ sine vnione ad idem subiectum non exercetur.

56 Obj. 3. Essentia materię primæ est primum subiectum susceptivū formarum, & essentia formæ est actuare materiam, sed in his conceptibus nulla fit mentio impenetrabilitatis; ergo hęc non est de essentia materię, & formæ, sed accidens ipsis superadditum.

57 Resp. Ex argumento solum inferri impenetrabilitatem non esse de essentia metaphysica materię, & formæ, non verò non esse de essentia physica, seu non identificari realiter cum materia, & forma, solum enim exprimuntur in definitione metaphysica rei prędicata essentiæ metaphysicæ ipsius, sicut in definitione hominis risibile, & admirativum non exprimuntur, quia non sunt de essentia metaphysica hominis, realiter tamen cum homine identificantur. Alias contra ipsos aduersarios nec exigentia quantitatis, & vbicationis essent realiter idem cum materia, & forma, cum in harum definitione nil de tali exigentia sonet.

58 Obj. 4. Quantitas est sensibilis; sed omne sensibile est accidens; ergo quantitas est accidens. Resp. Neg. antec. Nam obiectum tactus non est ipsa quantitas, sed primæ qualitates, & impulsus, qui à quantitate solent provenire. Vnde si aliquod ens spirituale, Angelus v.g. te impellat, vel tibi resistat, impulsum percipis, & in Angelo non datur quantitas, quam percipias.

59 Obj 5. Omni substantiæ creatæ concedenda est alicuius proprietatis, qua perficiatur producti; sed materiæ primæ v.g. nullius proprietatis, nisi quantitatis productio concedi potest; ergo. Prob. min. Si præter quantitatem alia esset proprietas, quam produceret, esset vbicatio, sed hanc non producit, cum non à se, sed á forma, del alio extrinseco seco moueatur; ergo.

60 Resp. Materiam primam non producere quantitatem secum identificatam, producere tamen vbicationem, non enim est vlla ratio cur virtus productiua propriæ vbicationis illi auferamus, dicamus que ab alio moueri, vt suam vbicationem non producat. Si tamen hanc non producát, dic, materiam primam non habere virtutem productivam vllius proprietatis eam intrinsecè perficientis, cum nequeas ad quantitatem recurrere ob rationem nostræ probationis, &

in

in tali negatione non neges vllum myſterium.

61 Obj. 6. SS. Auguſt. & Thom. dicentes, longitudinem, magnitudinem, & extenſionem diſtingui á re longa, magna, & extenſa; ergo diſtinguunt quantitatem á re quanta. Reſp. Hos Sanctos locutos fuiſſe de formalia accidentali dimenſione orta ab accidentalibus vbicationibus loci, non verò de radicali quantitate, ſeu radice talium dimenſionum.

SECTIO II.

QVINAM SIT EFFECTVS FORmalis quantitatis?

62. Dico 1. Effectus formalis quãtitatis non eſt tribuere materiæ partes diviſibiles actu entitativè diſtinctas. Eſt contra Sonſi. Capreol. Ioann. á S. Thom. & curſum Carmelitar. alioſque antiquiores Thomiſtas relatos á P. Suar. d. 40. metaph. Concluſioni favent Moderniores cum Magiſtris Prado, & Lyz.

63. Prob. concluſio 1. Partes materię, dum quantitate gaudent, ſunt actu entitativè diſtinctæ; ergo ſi ab illis quantitas auferretur, manerent actu entitativè diſtinctæ. Patet conſeq. Ea, quæ ſemel diſtinguntur, ſemper, & vbique diſtinguntur, & ea, quæ ſemel identificantur, ſemper, & pro ſemper identificantur, & è contra, vt lumine naturę certum eſt; ergo ſi partes materiæ ſemel diſtinguntur, dum quantitatem habent, ea carentes diſtingui neceſſe eſt; ſed per vos ea carere poteſt, cum realiter diſtinguantur quantitas, & materia; ergo.

64. Confirm. Ea ratione, qua aliquid ens eſt vnum, cum vnitas ſit attributum entis; ſed nil poteſt ab aliquo accidenti ſuperaddito reddi ens; ergo nec diſtinctum ab alio, cum idem ſit eſſe vnum ac eſſe diſtinctum.

65. Prob. 2. Separatio realis eſt ſignum diſtinctionis realis, ideoque iuxta ipſos Thomiſtas realiter diſtinguitur quantitas á re quanta, quia iuxta ipſos realiter ſeparantur in Eucharistia; ſed partes materiæ poſſunt realiter eſſe ſeparatæ ſine quantitate; ergo & realiter diſtingui. Prob. min. Si pręſcinderetur brachium hominis á corpore, tunc partes materiæ illius hominis eſſent ſeparatæ, auferat Deus tunc ab illis quantitatem, nonne manebunt ſeparatæ? Certe. Ergo & manebunt ſine quantitate diſtinctæ.

66. Dico 2. Effectus formalis quantitatis non eſt reddere partes extenſas, ita vt vna non ſit intra, ſed extra aliam. Eſt contra Thomiſt. & Scotiſtas aliquos allegantes pro ſe S. Thomam. & Scotum. Probatur 1. Habere partes extenſas convenit rei ſpirituali carenti quantitate, nempè vbicationi Angelicæ; poteſt enim Angelus totum hoc gymnaſium occupare; tunc enim eius vbicatio haberet vnam partem extra aliam; ergo habere partes extenſas non eſt effectus formalis quantitatis. Confirm. Si Deus materię primæ auferret quantitatem permanente eadem vbicatione, quam nunc habet, haberet vtique eandem extenſionem, partes ſcilicet extra partes, quam nunc habet, & non haberet quantitatem; ergo hæc extenſio non eſt effectus formalis quãtitatis.

67. Si dicas 1. Cum aliquibus Thomiſtis, Materiam tunc nullibi fore? Contra 1 Quia quod exiſtit, alicubi exiſtit; ſed materia ſine quantitate exiſtit, ergo alicubi. Contra 2. Quia vbicatio á quantitate non dependet, ſic Deus & Angeli de facto ſine quantitate vbicantur; ergo poterit eadem vbicatio materiæ ablata quantitate permanere.

68. Si dicas 2. Cum alijs, tunc materiam in punctum indiviſibile confluere ablata quantitate, præter quam quod omninò voluntarium dicis, reſpondeas. Si Deus vnico inſtanti ſuſpenderet concurſum conſervativum quantitatis aquarium maris, rogo: Extrema gutta littoris noſtri maris pacifici, & extrema gutta maris rubri v.g. manerent extenſę, vnaque extra aliam, vel in eodem puncto indiviſibili ruerent? Si primum? Habeo intentum. Si ſecundum? Incredibile dictu; & contra erit. Quia pars extrema nequit locum, quem occupat deſerere, & alium de novo acquirere in inſtanti, ſed per motum localem, qui á fortiori fit in tempore; ergo ſaltem illo temporis ſpatio, quo aquæ confluebant vſquedum in punctum pervenirent, erant extra ſe, & ſine quantitate; ſed nec per vnicum inſtans poteſt dari effectus formalis ſine forma; ergo extenſio partium non eſt effectus formalis quantitatis.

69. Dico 3. Effectus formalis quãtitatis non eſt reddere materiam menſurabilem. Eſt contra aliquos Thomiſtas. Probatur. Eſſe aliquid menſurabile eſt conceptus ſecundarius extenſionis; ſolum enim, quod extenditur menſuratur; ſi enim extenſio non eſt effectus formalis quantitatis, quanto minus menſuratio? Item reddito impoſsibili termino, quo poſsit menſurari materia, adhuc hæc maneret quanta; ergo menſurabilitas non eſt quantitatis effectus.

70. Dico 4. Effectus formalis primarius quantitatis eſt impenetrabilitas pro omni ſtatu connaturali per meram coexiſtentiam in loco cum omni ente eiuſdem rationis. Ita omnes fere noſtri DD. Suar. Hurt. Conim. Arri. Compt. & Peyn. d. 3. ſect. 1. Ex qua quantitatis definitione, ita quantum definies: *Ens impenetrabile pro omni ſtatu connaturali per meram coexiſtentiam in loco cum omni ente eiuſdem rationis.*

71. Hunc eſſe effectum formalem quantitatis conſtat. Tum ex reiectione aliarum ſententiarũ, aliquem enim effectum formalem habet quantitas, non menſurabilitatem, extenſionem partium, aut earum actualem diſtinctionem, vt iam probatum manet; ergo impenetrabilitatem: tum ex eo, quod impenetrabilitas ſit, quod primario in quantitate ſeſe nobis offert, cum omni corpori quanto conveniat, & enti non quanto competere nequeat.

72. Dicitur impenetrabilitas *pro omni ſtatu connaturali*, quia res materialis miraculosè poteſt cum alia re materiali penetrari, & de facto penetratum fuit Corpus Chriſti Domini cum vtero virgineo, lapide ſepulchri, ianiuſque cænaculi. Dicitur: *Per meram coexiſtentiam*, nam penetrabilitas per compoſitionem inter ſe, vel cum vno tertio opponitur quantitati; ſic materia, & forma materialis penetrantur dum compoſitum conſtituunt, albedo, & dulcedo in ſaccharo, quocum componunt album, & dulce, & gradus lucis in aëre, in quo intenſionem conſtituunt. Dicitur: *Cum omni ente eiuſdem rationis*, quia cum ente ſpirituali, quod non eſt eiuſdem rationis, naturaliter penetrari poteſt res materialis.

73. Obj. 1. Pro prima ſententia. Si materia prima haberet independenter à quantitate partes actu diſtinctas, daretur inter eas compoſitio, ſed nulla datur compoſitio; ergo Prob. min. Talis compoſitio non eſt prima inter materiam, & formam, neque ſecunda inter ſubiectum, & accidens, neque tertia ex partibus integralibus, hæc enim eſt propria ſolius quantitatis; ergo nulla datur compoſitio. Reſp. Illam compoſitionem eſſe ſubſtantialem integralem, inter partes ſcilicet ſubſtantiales media vnione ſubſtantiali: hæc enim compoſitio non ſolum quantitatis, ſed etiam ſubſtantię diviſibilis propria eſt.

Et in nostra sententia non distinguente quantitatem á re quanta, nullius roboris est argumentum.

74. Replic. Omnis compositio provenit ab aliquo actu partes distinguente; sed ante quantitatem materia prima nullum habet actum, cum sit pura potentia, ergo neque compositionem, & partes distinctas. Resp. Conc. mai. & neg. min. Ad eius subsumptam probationem, dico; materiam primam ante quantitatem non habere formam physicam nec substãtialẽ, nec accidẽtalem: vnde cõpositio præcedens non est physica cõpositio ex materia, & forma, habet tamen actum entitativum, & indiuidualem, ratione cuius vna materia non est alia, nec vna pars, nempè pars capitis est alia, nempe pars pedis, cum autem sint distinctæ, componunt integraliter media vnione substantiali continuatiua.

75 Replic. 2. Partes integrantes substantiæ constituuntur in esse partium per accidentia; ergo etiam constituuntur in esse distinctarum per quantitatem. Prob. antec. Nam manus, pedes, caput, &c. solum dicunt de materiali substantiam, & de formali talem, vel talem figuram accidentalem; ergo in esse partium per accidentia constituuntur. Resp. Substantiam capitis sumi dupliciter, vel in esse substantiæ, vel in esse substantiæ organizatę; sobstantia primò modo sumpta independenter á quantitate, aliquoque accidenti est distincta á substantia pedis: secundo modo sumpta, tam substantialiter, quam accidentaliter non est alia, substantialiter ratione sui, accidentaliter ratione quantitatis, aliorumque accidentium; inde non eadem integraliter, sed distincta illis organizationibus diuersis informatur.

76 Obj. 2. pro 2. sent. Situs, & coordinatio partium interse, qua vna est caput, & alia manus cum ordine vnius ad aliud est accidentalis substantię, prouenensque illi á quantitate; sed vnam partem esse caput, aliam pedes, & c. est esse vnam partem extra aliam; ergo esse vnam partem extra aliam, seu extensio materiæ est ipsi accidentalis, & effectus primarius quantitatis.

77 Resp. Habere vnam partem extra aliam nequit esse effectus formalis quantitatis, cum vbicationi Angelicæ spirituali conuenire possit, vt vidimus supra; sed hoc potius ab vbicationibus provenit. Item vnam partem esse caput, & aliam pedes, & c. præstatur ab alijs qualitatibus, & organizationibus: vnde si hæ permanerent, & auferretur quantitas materiæ, maneret caput, pedes, & reliquę corporis partes eodem modo. Insuper falsum est, quod sit idem, vnam partem esse caput, & aliam pedes, ac habere partem extra partem; nam in toto homogeneo datur pars extra partem, nempe pars aquæ, & ignis extra partem aquæ, & ignis, quin vna sit caput, alia pedes, habeat vê vllas organizationes diuersas. Hinc inferes, quod si situs, & coordinatio partium substantiæ accipiatur pro eodem ac habere partes extra partes non est accidentale, sed identificatur cum partibus substantiæ corporeæ; quælibet enim pars corporea ex se, & ratione sui est impenetrabilis cum alia, vnde est extra aliã ratione sui; si verò sumatur pro eodem ac vnam partem esset caput, aliam verò pedes, est ipsi accidentale, cum proueniat non à quanrite, sed ab organizationibus, & qualitatibus extrinsecis.

78 Obj. 3. Si *Deus* tolleret á substantia corporea quantitatem, partes substantiæ confusę, & sine vllo ordine inter se, & cum toto maneret; ergo iste ordo partium extra partes á quantitate prouenit.

79 Resp. Admisso casu, tunc maneret substantia corporea cum eis vbicationibus, & præsentialitatibus diuisibilibus correspontibus toti, & singulis loci spatijs, quas antea habebat sub quantitate. Ita Ovied. contr. 5. metaph. punct. 2. & Compt. d. 9. sect. 4. Quidquid sit, an manerent illę partes potentes resistere alteri corpori ratione impenetrabilitatis radicalis, vt tenent plures, vel impotentes ad talem resistentiam, vt aliqui tenent. In nostris tamen principijs nullam vim argumentum habet.

80 Obj. 4. contra 4. conclusionem. Impenetrabilitas est prædicatum negativum; ergo quantitas positiua male per ipsam definitur. Resp. Impenetrabilitatem esse prędicatum negativum secundum dici sicut, irrationale, aseitas, insensibile, &c.

81 Obj. 5. Dum explicamus quantitatem per impenetrabilitatem cum alio eiusdem rationis, idem per idem explicamus, nempè quantitatem per quantitatem; ergo irrecta est explicatio. Resp. Idem per idem sub clariori expressione est recta explicatio, & definitio: Sic animal rationale est idem homo, qui explicatur; sed quia clariori expressione per vocem animal rationale, quam per vocem homo, tale ens cognoscitur, rectè per animal rationale explicatur. Sic se habet quantitatis explicatio.

82 Replic. Cum in definitione quanti dicitur: impenetrabile cum alio, ingreditur in definitionem ipsum definitum, nam ly aliud est etiam quantum. Item iam idem in ordine ad se ipsum definitur; ergo ex hoc duplici capite peccat prædicta definitio.

83 Resp. Omne ens relativum definiri in ordine ad aliud, & sæpè ipsum definitum, sub diuersa tamen expressione, ingreditur in obliquo ipsam definitionem. Sic vnum definitur per diuisionem ab alio, quod aliud etiam est vnum; sic simile per vnum in qualitate cum alio, quod simile etiam est. Quid ergo mirum, quod quantum definiatur per impenetrabile cum alio, licet hoc aliud etiam sit quantum? Ad secundum defectum eisdem exemplis vsus; dic, idem posse in ordine ad se sub diuersa expræssione definiri. Ni velis dicere cum Arri. Sensum definitionis hunc esse. Cum videris duo entia eiusdem rationis resistere in ordine ad eundem locum, scias, hoc prouenire illis á quantitate.

84 Obj. 6. Impenetrabilitas conuenit rebus non quantis, ergo non est effectus formalis quantitatis. Antec. prob. primo. Vbicatio Angelica Limana cum sit essentialiter affixa loco vt pote modus illius est impenetrabilis cum vbicatione Angelica Romana etiam essentialiter affixa suo proprio loco; sed tales vbicationes non sunt quantæ vtpote speerituales; ergo. 2. *Deus* verus est impenetrabilis cum *Deo* ficto; ergo impenetrabilitas á quantitate non prouenit, cum *Deus* fictus quantus non sit.

85 Resp. Has, & similes difficultates ad tractatum de Aniam spectare. Hic tamen breuiter ad 1. dico, quod licet vbicationi Limanæ conueniat esse impenetrabilem cum alia vbicatione, non tamen competit esse impenetrabilem cum omni ente eiusdem rationis: vnde si in eodem loco limano mille spiritus ponerentur, cum eis omnibus talis vbicatio naturaliter penetraretur, immò nec competit tali vbicationi esse impenetrabilem, cum alijs entibus alterius rationis; vnde si poneretur in eodem loco aliquod corpus, etiam cum eo penetraretur naturaliter: effectus ergo formalis quantitatis non est quæcumque impenetrabilitas, sed impenetrabilitas cum om-

in

ni ente eiusdem rationis. Ad 2. difficultatem dico, Deum non esse impenetrabilem cum *Deo* ficto, sed incompossibilem, quia esse impenetrabile cum alio, supponit, ly aliud aliquod esse habere.

86 Obj. 7. Corpus Christi in Eucharistia habet quantitatem, sed eius partes penetratæ sunt; ergo. 2. Corpora beatorum sunt quanta, & tamen penetrantur; ergo quantitas in impenetrabilitate non consistit.

87 Resp. Iam partes Corporis Christi in Eucharistia, quam corpora beatorum de facto penetrari, supernaturaliter tamē, & miraculosè, & licet de facto penetrentur, manent impenetrabilia naturaliter sine vlla oppositione. Ratio est, quia esse impenetrabile est actus primus, esse verò penetratum est actus secundus: Actus secundus oppositus non opponitur essentialiter actui primo: sic ignis Babylonicus non solum non combusit pueros, actu eius secundo impedito, verùm temperatæ auræ rorem emisit, quod est actus secundus contrarius suo actui primo comburendi.

88. Obj. 8. Partes aquæ concretæ penetrantur, nam eadem aqua, quę rara integrum vas occupat, concreta occupat dimidium vasis; ergo quia eius partes penetrantur. Item si in aliquod vas plenum aquæ pars cineris, vel aurei nummi inijciatur, aqua non effunditur; ergo signum est, quod tam cinis, quam aurei numinicum aqua penetrantur; & tamen sunt corpora quanta, ergo.

89. Resp. Difficultatem hanc de rarefactione, & condensatione ad philosophiam spectare. Dico tamen, aquā concretam minus spatium occupare non quia eius partes penetrentur, nam si penetrantur, cur non reducuntur ad punctum, sed manent tale spatium determinatum occupantes? Sed quia cum rarefactio fiat per introductionem corpusculorum, & hæc per condensationem expellantur, ea spatia, quæ corpuscula antea occupabant inoccupata manent. Ad 2. experientiam dic; hoc evenire, vel quia plures partes aquæ, & cineris abeunt in vapores, vel quia plures partes aeris intra aquam, & cineres contentæ foras eijciuntur. Ad 2. experientiam aurei nummi etiam dic, quod aqua intumescit, & labrorum vasis siccitate contenta non effunditur vlquedum madefiant.

SECTIO. III.

DE PROPRIETATIBVS, ET divisione quantitatis.

99. QVantitas molis, de qua in præsenti loquimur, dividitur ab Aristot. 1. in continuam, & discretam: continua est, cuius partes vniuntur vinculo vtrique communi. *Discreta*, cuius partes non vniuntur vinculo vtrique communi, vt numerus ex vnitatibus non vnitis consurgens.

91. Quantitas continua in permanentem, & successivam dividitur. Permanens est, cuius partes simul durant, vt lignum; successiva, cuius partes simul non durant, vt tempus. Quantitas discreta dividitur in permanentem, cuius partes persistunt, vt numerus, qui est aggregatum ex vnitatibus separatis ab intellectu numerabilibus; & in successivum, cuius partes non persistunt, vt oratio, quæ est sonus articulatus ex syllabis brevibus, & longis successivè prolatis.

92. Quantitas continua permanens vlterius dividitur in lineam, superficiem, corpus, & locum. Linea est *continuatio punctorum versus latitudinem*. Corpus, *continuatio cunctorum versus profunditatem*. Locus hic sumitur pro loco extrinseco) *est superficies ipsius corporis*, v. g. vltima superficies aëris me ambientis est locus, in quo existo.

93. Hic plura inquiri solent de linea, superficie, & corpore, quæ quia dependent á compositione continui, re certe captum mentis excedente, & quia per tempus non licet, ea ad philosophiā mitto. Non enim bis tractandum, quod semel tangere laboriosum est.

94. Plures proprietates attribui solent quantitati, quæ vix ipsarum vlla in quarto modo illi convenit. 1. Quod non accipiat magis, & minus, intellige in intensione, non enim est magis quantitas palmaris, quam semipalmaris, sed illa proprietas etiam convenit substantiæ. 2. Quod caret contrario; esse parvum, vel magnum solum privativè opponuntur, sicut forma, & carentia formæ, sed hęc etiam competit alijs, nempè luci, quæ est qualitas. 3. Esse æqualem, vel inæqualem, mensurabilem, & mensuram; cum enim habeat quantitas extensionem, potest æquari, vel inæquari, potest mensurari per aliud, & esse mensuram alius. Hæc æqualitas nō in intensione, sed in extensione debet intelligi, quia ęqualitas, & inęqualitas in intensione substantijs etiam convenit. Alia de quantitate vide apud P. Lynz. hic à n. 84.

DISPUTATIO III.

DE QVALITATE TERtio Prædicamento.

SECTIO. I.

QVID SIT QVALITAS?

95. ARistot. cap. de qualitate, & ex eo Lynz. & alij sic qualitatem definiunt: Qualitas est, *qua quales dicimur*. Nugatoria quidem, & inanis definitio, ait Hurt. d. 14. sect. 1. n. 2. Reijcitur, nam ignotum per æquè ignotum tradit; sicut si aliquis albedinem definiret per id, quo albi dicimur, & intellectionem per id, quo intelligētes dicimur. Hoc est, quod inquirimus, quid est hoc, quo quales dicimur.

96. Secundo. P. Alphons. d. 88. n. 9 sic definit: Qualitas est, *accidens reale ex natura sua capax intensionis*. Reijcitur 1. quia caracter Sacramentalis qualitas est, & iuxta communiorem sententiam apud Exim. *Doct.* tom. 3. in 3. part. non est capax intensionis. 2. Potentię animę si ab ea distinguantur, sunt qualitates, & non intenduntur.

97. Tertio. Thomistæ sic: *Est accidens consequens formam*. Non placet 1. Quia intellectiones, & potentiæ Angelorum sunt qualitates iuxta Thomistas, & tamen non sequuntur formam, quia Angelus forma non constat. 2. Qualitates supernaturales vtpotè nulli formæ debitæ non sequuntur formam. 3. Quan-

Quantitas etiam consequitur formam materialem, sicut consequitur materiam; ergo.

98. Dico cum Arria.d.6. metaph. sect.2.n.5. Qualitas est *accidens absolutum*. Per ly *accidens* convenit cum accidentibus modalibus; per ly *absolutum* ab eis distinguitur, nam omne accidens modale est affixum determinato subiecto, omnis autem qualitas nullam affectionem habet. Per ly *accidens* distinguitur á quantitate, quæ per nos non est accidens, sed substantia.

99 Obj. 1. Per ly *accidens absolutum* vel intelligitur non relativum prædicamentaliter; & sic actio erit qualitas, cum solum transcendentaliter referatur, vel requirimus, quod non sit transcendentaliter relata; & sic nec albedo, nec reliquæ qualitates erunt qualitates, cum omnes transcendentaliter referantur saltem ad Deum; vel intelligimus, quod non sit ens modale; & sic iam vbicatio, & intellectio, quæ iuxta probabilem sententiam non sunt modi, erunt qualitates. Resp. Per ly *absolutum* nec intelligi non relatum prædicamentaliter, nec requiri carentiam relationis transcendentalis, sed solum intelligi non alligatum, seu non modale: vnde si vbicatio, & intellectio non sunt modi, erunt absque dubio qualitates, vt optimé ipse Arria. contra Ovied. ita impugnantem numero. 62.

100 Obj. 2. Ex Lynz. Calor est qualitas, sed possibilis est calor essentialiter alligatus subiecto, ac proinde non absolutus; ergo. Resp. Eo casu calor ille non esset qualitas; sed idem dicendum de eo, ac de actibus vitalibus in sententia Hurt. & aliorum communiter dicitur; esse scilicet modos: cum dicimus, calorem esse qualitatem, loquimur de hoc calore ab omni subiecto absoluto.

101 Obj. 3. In *Deo* est propria qualitas, ratione cuius in symbolo dicitur: *Qualis Pater, talis Filius, talis spiritus sanctus*; ergo malè difinitur per accidens. Hoc argumentum omnes fere definitiones impugnat. Resp. In Deo non dari propriam qualitatem, sicut nec propriam quantitatem, solum enim in Deo datur quantitas perfectionis, qua Personę Diuinæ dicuntur æquales, ita datur qualitas etiam perfectionis, ratione cuius Personæ Diuinæ dicuntur quales, sed vtraque tam quantitas, quam qualitas est impropria.

SECTIO II.

DE DIVISIONE, ET PROprietatibus qualitatis.

102. QVadrupliciter divisit qualitatem Aristot. 1. in habitum, & dispositionem. 2. in potētiam, & in impotentiam. 3. in passionem, & passibilem qualitatem. 4. in figuram, & formam.

103. Habitus provt hic sumitur est qualitas difficile movilis á subiecto facilitans potentiam, quam iam completam supponit, ad operationem, vt habitus vitiosus, & scientificus. *Dispositio* est qualitas facile movilis á subiecto, vt ipse habitus dum remissus est. Vnde dispositio si intendatur, fit habitus, & habitus si remittatur fit dispositio.

104. Potentia est qualitas activa data substantiæ non ad faciliter, sed ad simpliciter posse, vt intellectus, & voluntas (casu quo ab anima realiter distinguantur) in ordine naturali; & fides, & spes in ordine supernaturali, quę cumdent simpliciter posse, potentiæ appellantur á Theologis, licet ab Exim. & Acutiss. ad speciem habitus reducantur, eo quod supponant potentiam obedientialem. Impotentia non sumitur ab Aristot. pro carentia potentiæ, quia carentia non est qualitas, sed pro potentia debili, qualis est potentia visiva in senibus, & intellectiva in pueris.

105. Passio non sumitur ab Aristot. pro proprietate, sed pro qualitate sensibili citò transeunte relicta ex aliquo accidenti, v. g. rubor ex verecundia, palor ex repentino metu. Passibilis qualitas est ipsa qualitas sensibilis pro aliquo tempore duratura, vt idem palor ex infirmitate proveniens, & idem rubor ex sanitate.

106. Figura est terminatio quantitatis, ratione cuius corpus quadratum, longum, vel rotundum evadit. Forma est ipsa figura tali dispositione partium discreta, vt corpus formosum, vel difforme appareat. Ita Exim. Doct.d.42. metaph. sect.5.n.6.

107. Rogas Vtrum hæ qualitatis divisiones sint exactæ? Resp. cum Arria. Ovied & alijs, nullatenus esse exactas has divisiones. Prob. Membra dividentia solum accidentaliter differunt; ergo non sunt divisiones exactæ. Probatur in 1. Habitus idem si intendatur, dicitur habitus, & si remittatur, dispositio. In 2. Potentia, & impotentia solum differunt penes magis, & minus, ac proinde sine diversitate specifica. In 3. Passio, & passibilis qualitas differunt penes maiorem, & minorem durationem. In 4. forma continet figuram; ergo non sunt divisiones exactę.

108. Melius ergo dividitur qualitas in corpoream, & in incorpoream, & in habitum, & actum, in naturalem, & supernaturalem, in vitalem, & non vitalem.

109. Triplex proprietas qualitati affigitur ab Aristot. 1. est habere contrarium; contraria dicuntur ea, quæ sub eodem genere maximè distant, mutuoque á subiecto excluduntur, vt calor intensus, & frigus intensum, albedo, & nigredo, quæ sub eodem genere coloris ita pugnant, vt nequeant in eodem subiecto simul reperiri. Hæc non est proprietas qualitatis in quarto modo, tum quia non convenit luci, quæ qualitas est, tum quia iuxta aliquos etiam convenit pluribus substantijs, v.g. igni respectu aquæ, & è contra, tum quia iuxta P. Arri. repugnantia plurium qualitatum sępè provenit non ex oppositione earum inter se, sed ex incapacitate subiecti. Tum denique, quia si intensio fiat per gradus homogeneos, vt communior tenet sententia, hęc oppositio reducenda est ad incapacitatem subiecti, non verò ad pugnam determinatam graduum.

110. Secunda proprietas est suscipere magis, & minus, intellige physicè per intensionem, & remissionem.

111. Tertia est fundare similitudinem; verum hæc etiam substantię convenit, non enim minus est similis Petrus Paulo in esse albi, quam in esse hominis.

DISPVTATIO IV.

DE RELATIONE QVARTO prædicamenti.

SECTIO I.

QVID SIT PRÆDICAMENtalis relatio?

112 RElatio ita ab Aristot. definitur: *Respectus, seu habitudo ad aliud.* Cōmuniter explicatur: *Est ratio forma*

malis, qua vnum refertur, seu ordinatur ad aliud. Est duplex, vel secundum esse, vel secundum dici: prima est vera, & proprii relatio, quando scilicet in rebus ipsis datur talis respectus, seu ordo, qualiter se habent relationes transcendentales creaturæ ad omnipotentiam, effectusque ad causam: secunda est relatio impropria, quando scilicet non in rebus ipsis, sed tantum in intellectu concipiente vnũ ad instar relatiui, seu ordinati reperitur, qualiter se habent omnia vniversalia respectu inferiorum. Relatio realis, & secundum esse diuiditur in mutuam, & non mutuam; relatio mutua versatur inter terminos, qui ad inuicem referuntur, vt relatio inter Patrem, & Filium. Relatio non mutua versatur inter terminos, quorum vnus refertur ad alium, non econuerso, vt in sententia P. Vasq. creaturæ referuntur ad omnipotentiam, non vero omnipotentia ad creaturas.

113 Triplex genus relationis prædicamentalis assignat Arist. Relatio primi generis est quæ fundatur in vnitate, & conuenientia, vel in pluralitate, & disconuenientia; si sit conuenientia in essentia, vt inter duos homines, dicitur *identitas*; si sit disconuenientia in essentia, vt inter hominem, & brutum dicitur *diversitas*. Si sit conuenientia in qualitate, vt inter duo alba, dicitur *similitudo*; si sit disconuenientia in qualitate, vt inter album, & nigrum, dicitnr *dissimilitudo*. Si sit convenientia in quantitate, vt inter duas virgas palmares, dicitur *æqualitas*; si disconuenientia in quantitate, vt inter vnam virgam palmarem, & aliam semipalmarem, dicitur *inæqualitas*.

114 Relatio secundi generis est, quæ fundatur in actione, vel quasi actione, siue physica, vt inter Patrem & Filium se habet generatio, siuè morali, vt inter Dominum, & seruum se habet dominium, seu ius. Hic etiam reducuntur relationes fundatæ in vnione, vbicatione, duratione, &c. Relatio tertij generis dicitur ab Aristot. relatio mensuræ ad mensurabile, & ad hanc reducitur relatio *scientiæ* ad scibile, & *actus ad obiectum*.

115 Hinc scies, ad omnem relationem prædicamentalem requiri fundamentum, terminum, & rationem fundandi, quia nec simile sine cõsimili, nec æquale sine coæquali, neque scibile sine scientia reperiri possunt, v.g. Pater est fundamentum, Filius est terminus, generatio est ratio fundandi relationem. Vnde nequit dari, neque concipi relatio sine his tribus. Vtrum scilicet hęc consistat in aliquo accidenti realiter superaddito his tribus? An in solo fundamento connotante terminum? An verò in aliquo actu intellectus conferente, & referente fundamentum ad terminum, an denique in coexistentia fundamenti, termini, & rationis fundandi? Sequentes sectiones ventilabunt.

SECTIO II.

AN RELATIO SIT ACCIDENS realiter supperadditum?

116 PRima sent. affirmat. Ita Thomistę omnes, & Scotist. PP. Vasq. Molin. Amic. Arrub. Gran. Alarc. Compt. d. 11. Met. sect. 12. Ponc. Ioan. á S.Th. q. 19. art. 4. M. Linc. l. 3. q. 4. art. 4. num. 1.

117 Secunda sent. negat. Ita Exim. Doct. d. 47. metaph. sect. 2. Arri. Ovied. Santac. á num. 831. vsque ad 867. afferentque plures authoritates Philosophi, SS. PP. & Scripturę sacrę, vt probet, eos modos superadditos esse chymericos, immo contra fidem, vt ipse, sed immerito, ait. Item P. Peyn. tract. 5. de prædic. sect. 2.

118 Ante conclusionem supponendum est, quæstionem non esse, an vt duo referantur, præter ipsorum entitates, & rationem fundandi aliud quid distinctum sit necessarium? nam certum est, requiri coexistentiam vtriusque extremi, & fortè simultaneam durationem, & si ea conduratio, & coexistentia constituantur per durationes distinctas ab extremis, revera ad relationem duorum necessarium etiam erit accidens durationis. Est ergo quæstio, an vltra fundamentum, & terminum, eorum coexistentiam, & rationem fundandi, necessarium sit, aut detur aliquod accidens speciale relativum nil aliud præstans, quam referre fundamentum ad terminum?

119 Dico. Relatio prædicamentalis non est accidens, sive absolutum, vt tenent Caiet. Ferrar. Capreol. & alij apud Exim. Doct. d. 47. Met. sect. 2. num. 2. siue modale, vt tenent Xabel. Soto apud eundem, & Ioann. à S. Th. q. 17. logic. art. 4. Prob. 1. ex S. Thom. q. 7. de potent. art. 8. corpore, vbi expresse ait, relationem non esse aliquod accidens manens in subiecto sic: *Respondeo, dicendum, quod relatio differt à qualitate, quia qualitas est accidens in subiecto manens, relatio autem non significat vt manens in subiecto.* Vide alias D. Thomæ authoritates apud Exim. Doct. d. 47. met. sect. 2. num. 22. ita expressas, vt aliqui Thomistæ dicant, S. Doctorem suam retractasse sententiam, vel alij, vt complur. opusc. 48. afferant, tales authoritates non esse Angelici Præceptoris nulla alia ratione, nisi quia illis incommodant.

120. Prob. 2. ratione. Posita albedine in duplici pariete pręcisso quocunque alio accidenti, vel impedita à Deo eius productione, vterque paries esset formaliter similis; ergo & formaliter relatus, cum iuxta adversarios, quibuscum pugno, idem sit. Prob. antec. Similia iuxta Aristot. 5. metaph. c. 15. definiuntur: *Quorum qualitas est vna*, sed præscisso quocumque accidenti superaddito, posita albedine in duplici pariete, vtriusque parietis eadem esset qualitas, vt per se patet; ergo. Aliás si in alio accidẽti superaddito similitudo formalis consisteret, similia per illud, & non per vnitatem solum in qualitate deberent definiri ab Aristot.

121. Insuper positis duobus quantis præcisso quocumque accidenti superaddito, vel sunt æqualia, vel inæqualia inter se, quia vel habent tot partes, vel non? Si primum? Erunt ęqualia, quia æquale est, quod habeat easdem partes extensionis, ac aliud ęquale, vt vna quantitas palmaris respectu alterius etiam palmaris. Si secundum? erunt inæqualia, quia inæquale est, quod non habet easdem partes extensionis ac aliud, vt vna quantitas palmaris respectu semipalmaris. Idem argumentum fit in relatione identitatis: nam positis Petro, Paulo, & equo, præscisso quolibet alio, Petrus est eiusdem naturæ, & subsistentiæ cum Paulo, & diversæ naturæ ab equo; sed æqualitas, vel inæqualitas in extensione, similitudo, & dissimilitudo in essentia sunt relationes formaliter iuxta ipsos adversarios; ergo præscisso tali accidenti superaddito, datur relatio formalis.

122. Ad hoc argumentum communiter respondent Thomistæ præscisso accidenti superaddito, solum dari similitudinem, ęqualitatem &c. fundamen-

mentaliter, non vero formaliter. Ita expressè Ionn. á S. Thom. Lerm. P. Rub.&alij.

123. Contra 1. Posita in duplici subiecto albedine, præscisso quolibet superaddito, vnum subiectum esset sicut aliud, & convenirent propriè, & simpliciter in ratione albi; ergo esset propriè, & simpliciter illi simile; quid ergo est vnum esse formaliter simile alteri, quam esse propriè, & simpliciter sicut illud. Insuper præscisso illo accidenti, sunt propriè, & simpliciter alba illa duo subiecta; ergo propriè, & simpliciter similia; vel dic etiam, non esse nisi solum fundamentaliter alba, posita albedine in illis, & reddi formaliter alba etiam vi accidentis supperadditi, quod incredibile est. Insuper Arist. definivit similia formaliter, & non solum fundamentaliter talia, quis enim aliter credet? Sed similia definivit Aristot. *Quorum qualitas est vna*; ergo ea, quorum qualitas est vna, sunt non solum fundamentaliter, sed formaliter talia; sed præscisso accidenti posita solum albedine in duobus subiectis vna est qualitas; ergo.

124. Contra 2. Pro priori ad resultantiam modorum duorum duo alba sunt formaliter similia in virtute, & potentia producendi eos modos; sed nequeunt fieri similia per ipsosmet modos, nam modi non constituunt virtutem, quæ ipsosmet modos præcedit, & producit, sicut licet actio constituat causam operantem in actu secundo, nõ tamen virtutem operativam, quæ eam actionem præcedit; ergo iam datur formalis similitudo sine modis superadditis. Item sunt similia formaliter in exigentia talium modorum, si per aliquod tempus eorum productio impediretur; sed in esse exigentium talium modorum, per ipsos modos exactos nequeunt constitui, vt per se patet, ergo.

125. Contra 3. Nam si Deus ab vtroque albo tolleret omnem modum superadditum, vtrumque esset simile in hoc, quod est non habere modos superadditos, sed hęc similitudo non consisteret in modo superaddito, aliàs iam deficeret similitudo, neque esset similitudo fundamentalis per vos est quæ potest reddi formalis per modum superadditum, quod quidem hæc similitudo non haberet, nam per modum advenientem non redderetur formalis, sed destrueretur; ergo iam stat similitudo formalis sine modo superadito.

126. Prob. 2 Nostra conclusio ab aliquibus inconvenientibus, quæ sequerentur ex cõtraria. 1. inconveniens: si relatio prædicamentalis consisteret in accidenti realiter, & intrinsecè super addito, sequeretur, quod producto v.g modo in Iaponia levissimo ente, cu lice v.g. vel mure, totus orbis intrinsecè mutaretur, cœlum, Terra, aèr, homines, bruta, & Angeli; nam tale ens vel est simile, vel dissimile, æquale, vel inæquale cum omni alia re á se distincta; ergo per positionem talis entis in omni resultabit accidens aliquod intrinsecè eam immutans. Idem fiet ad leuissimum frondis, vel atomi motum; nam tali motu facto, resultabunt ferè infinitæ relationes distinctę, præsentiæ, similitudinis, &c. Et iam musca in tartaria v. g. deficiente, deficeret quoque in omnibus entibus toto orbe existentibus aliqua intrinseca perfectio. Insuper in quolibet minimo ente per singula momenta reperientur propè infinitæ mutationes, & novæ productiones vel ad adventum, vel recessum alicuius entis á parte rei. Quod certè incredibile est, absonumque á sana Philosophiá.

127 Præsertim cum nullum detur principium, á quo possit productio talium accidentium provenire; non á Deo solo, tum quia etiam ablato per impossibile Deo, si darentur duo subiecta alba, esset inter ea similitudo; ergo signum est tale accidens á solo Deo non produci, tum quia ex tali Dei productione partim enervaretur ratio concedendi creaturis activitatem, cum similiter posset eádem ratione ductus quincunque dicere, reliqua alia accidentia, & effectus á solo Deo produci. Non ab ente de novo producto. Quia cum non sæpé distantissimum sit, nequit in distans operari. Non ab ipsis entitatibus, in quibus intrinsecè sunt, nam quis velificat illis aures, vt ad leuissimum frondis motum plerumque summè distantis evigilent, & tot nova entia in se producant? Instituisse ergo debuerat natura solicitos quosdam tabellarios, vt ait Ovied. controv. 9. metaphys. punct. 4. num. 3. emissarios curiosos, vt Bonesp. tract. 5. de prædicam. d. 3. resolut. 1. num. 207. qui quàm citissimè cętera entia talis motus recens facti certiora facerent, vt illicò in tot novas erumperent relationes, quod est plusquam delirium, & expresè contra Angelic. Pręceptorem opusc. 48. tract. 5. de prędicimento ad aliquid cap. 2. vbi: *si quis in India modo fieret albus, fieret similis mihi, & ego sibi, nulla in me facta mutatione, similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter sit in me, vt patet* Quid clarius?

128 Secundum incõveniens, quod sequeretur ex contraria sententia est processus in infinitum; nam accidens superaditum Patri vt referatur ad filium, vel est simile, vel dissimile accidenti superaddito filio, vt referatur ad Patrem; ergo per aliud accidens superadditum, alias daretur similitudo formalis sine accidenti supetaddito. De hoc idem roga, & sic de alijs. Hic est processus in infinitum contra quẽ militant omnia argumenta contra infinitum in actu, quod fere omnes Thomistæ negant. Et licet aliqui DD. illud admittant de possibili, tamen de facto concedendum non esse, tenet communior sententia.

129 Tertium inconveniens ex antecedenti illatum, â quo non facilè se expediunt adversarij, est, quod sequeretur, dari plures terminos relatos, quam relationes. Quia omnes relationes sunt termini relati, vt iam manet probatum, & simul relationes, non verò omnes termini relati sunt relationes, vt patet in primo fundamento, & termino substantiæ scilicet Patris, & Filij; ergo iam dantur plures termini relati, quam relationes; tunc sic: ergo & aliqui termini relati sine relatione, quod tam absurdum est, quam dari album sine albedine, & concretum sine forma. Patet consequentia. Quivis terminus per suam peculiarem relationem refertur; ergo si dantur plures termini relati quam relationes, aliqui termini relati dantur sine relatione; sicut si hic essent duodecim homines, & decem equi aliqui homines essent sine equis, duo scilicet, in quibus erat excessus.

130 Quartum inconveniens. In Deo dantur relationes prædicamentales Patris erga Filium, spiratoris erga Spiritum Sanctum, creatoris, Domini, diversi, dissimilis, & perfectioris erga creaturas; ergo si omnis relatio prędicamentalis in accidenti intrinsecè superaddito consisteret, tale accidens Deo intrinsecè adveniret, indeque mutaretur. Et si in Deo sine tali accidenti eas denominationes formaliter, & non solum fundamentaliter tenentur admittere ex doctrina Cyril. August. Thomæ, Anselmi, & aliorum apud Santac. num. 845, cur etiam in creatura, vbi eadem ratio datur, & sic bene valet argumentum á ... Deo, idem non admittunt?

SUB

SUBSECTIO UNICA.

SATIS FIT ARGUMENTIS.

131. OBj.1.Et est responsio Advers.ad secundum inconveniens. Ad vnam rationem formalem non datur alia; sicut nec vnio ad vnionem; nec actio ad actionem, &c. tamen ex hoc non infertur, non requiri vnionem distinctam,vt materia, & forma vniantur; actionem distinctam, vt terminus producatur:ergo ad vnam relationem non dabitur alia, sed se ipsa referetur; quin ex hoc inferatur; non requiri relationem distinctam, vt fundamentum referatur ad terminum. Ita PP. Albertinus,& Comptonus.

Resp. Ad vnam rationem formalem, vt formaliter talem non datur alia ratio formalis,at verò,ad vnam rationem formalem non se habentem vt talem,sed vt terminum datur alia ratio formalis;vt patet in ipsa vnione inter Corpus, & animam Christi *Domini*, quæ licet non egeat alia vnione, vt vniatur cum extremis, respectu quorum se habet vt ratio formalis, eget vnione hypostatica, vt vniatur Personalitati Verbi,respectu cuius se habet vt terminus. Hæc enim constans est doctrina. Quod autem vna Paternitas;vt alteri Paternitati assimiletur, & vna relatio alteri non se habeant,vt rationes formales,sed vt termini,patet

132. Primo quia si illa Paternitas, ratio formalis esset referendi se vt similem alteri Paternitati,posita illa Paternitate poneretur formalis similitudo;sed potest poni illa Paternitas,quin formalis similitudo ponatur: si enim deficeret alia Paternitas cui sit similis, deficiet quoque similitudo, vt per se patet:ergo hæc non consistit in Paternitate. Sic posita Paternitate Adam antequam Cain esset Pater, Paternitas Adami neque erat similitudo, neque similis: nisi dicas hoc esse ex defectu termini; & incidis in primam sententiam connotatorum:quia iam sequeretur,posita tota ratione formali, seu similitudine in Paternitate capaci eo se ad denominationem similis, non reddi talem ex defectu alicuius termini extrinseci; ergo licet talis Paternitas sit ratio formalis, vt Patrem referat ad Filium,non est ratio formalis, sed terminus vt ipsa ad aliam Paternitatem referatur.

133. Prob.2. Ideo iuxta Advers. requiritur relatio superaddita fundamento,& termino, quia deficiente termino potest á fundamento separari;sed similiter deficiente vna Paternitate separatur relatio, & similitudo ab alia Paternite: ergo. In forma respondeo, dist.antec.ad vnam rationem formalem formaliter talem non requiritur alia, concedo:materialiter talem, & se habentem vt terminum,nego: & similiter dist. conseq. ergo da vnam relationem non dabitur alia;ad vnam relationem vt formaliter talem,concedo;vt formaliter terminum, nego. Solutio constat ex dictis.

134. Obj.2. Et etiam est responsio ad idem inconveniens. Non repugnat hic processus in infinitum, immò illud admittere debemus pluribus in rebus:1. in compositione continui ex infinitis partibus proportionalibus,iuxta mentem Aristotelis. 2. Albedo producit speciem impressam sui per aliquã actionem distinctam;hęc actio,cum sit cognoscibilis saltem ab Angelo, vel anima separata,etiam producit per actionem distinctam speciem impressam: & rursus talis actio producit speciem per aliam actionem;& sic in infinitum. 3.In vbicationibus:vbicatio vtpotè cognoscibilis,producit speciẽ;hæc species vbicatur;nã vbicatio est accidẽs cõmune omni enti existẽti in loco:hęc vbicatio speciei rursus etiam mittit speciem; quæ etiam vbicatur; & sic in infinitum. Ergo nullum erit inconveniens in processu in infinitum relationum. Ita aliqui RR. ex doctrina P. Telles.

135 Resp: Aristotelem neutiquam admisisse in continuo infinitu in actu, aut categorematicum, sed solum in potentiã, & sincategorematicum; quod ipse Tellez in physicis disp, 31. num, 11. sibi parum constans tuetur. Ergo exemplum continui non favet Aduersarijs præterea licet alias hic processus in infinitum concederetur in compositione continuij, & exemplis allatis, hic admitti non deberet: nam in compositione continui, ad admittendam illã infinitam partium diuisibilitatem,multæ sunt rationes, & argumenta plurium iudicio euidentia; & aliter hæc summa difficultas evinci nequit: ast vero, quæ argumenta indissolubilia, quodve rationum pondus cogit admittere; relationem in accidenti superaddito consistere? Certe nulla. Insuper; sicut non licet extendere doctrinam de actibus liberis *Dei*, vel de Mysterio Trinitatis, & alijs captu difficilibus, quam rerum difficultas admittere nos cogit, ad aliás materias, in quibus plana, & facillima inueniri potest; ideo nec sententiam connotatorum, nec distinctionem rigorosam virtualem in creatis admittimus, ita doctrinam de compositione continui captum mentis superantem nullo modo debemus extendere ad alia, præcipue ad relationem, in qua planæ, & probabiles sunt plures viæ, & sententię.

136 Ad exemplum de speciebus impressis resp: cum P. Izquier:sensibilia cammunia; qualia sunt actio, vbicatio, motus, distincta, &c.

Non cognosci per species aliquas speciales, sed per species ipsas sensibilis proprij. Vnde vbicationes per species ipsas coloris, & sonitus percipimus. Hinc est, quod per eandem speciem impressam albedinis, vbicationem albedinis, & actionem cognoscamus: idem que in Angelis; & animis separatis, (si per species ab obiectis emissas illud cognoscunt) euenit.

137 Obj. 3. Homo coexistens loco, & tempori, ablatá vbicatione, & duratione est solum fundamentaliter vbicatus, & durans; ergo similiter duplex homo albus ablato accidenti superaddito erit solum fundamentaliter relatus.

138 Respondent aliqui cum Nominal. Et P. Vvadingo: tam de vbicatione, quam duratione negantes esse accidentia superaddita homini coexistenti loco, & tempori. Alij communiter licet de vbicatione concedant, negant de duratione. Et loquendo de vbicatione, disparitas ad relationem est evidens: inde enim colligitur distinctio vbicationis á re vbicatá, & loco; quia res, & locus possunt ab vbicatione separari. Nunc enim ego sum Limæ, & datur locus Romæ, & tamen non datur vbicatio mei corporis Romæ: ast vero posito duplici albo inseparabilis est ab vtroque similitudo; vt iam manet probatum. De duratione, vel nega absolute esse accidens superadditum rei duranti, vel si aliquis assereret; esse accidens; eodem modo, ac de vbicatione, discurreret; posse scilicet existere hominem secundum se, & instans A, quin coexistant. Vnde assignata disparitas eodem modo valebit; tu vero, ne in alias quęstiones, quas adhuc ignoras, incidas, in formà dist: anteced: solum est fundamentaliter durans, & vbicatus, si vbicatio, & duratio distinguantur á re durante, &

 vbi-

vbicatá, concedo; si non distinguantur; sicut non distinguitur similitudo à fundamento, & termino; nego.

139 Obj. 4. Si non daretur aliquod accidens speciale, quod esset relatio, non esset speciale prædicamentum; sed Aristoteles assignat relationem, vt speciale prædicamentum; ergo.

140. Resp. Dist. mai. Aliquod accidens speciale, vel intrinsecum, vel extrinsecum, concedo; intrinsecum necessario, nego. Postea videbimus relationem esse aliquod accidens speciale, extrinsecum tamen. Insuper, licet tale prædicamentum destrueretur, nec præceptum Decalogi, nec ab Ecclesia auferetur aliquod Sacramentum, vt optime Arriaga; & illud de facto negant antiqui Durand: Aureo: & alij apud P. Tellez; idemque de prædicamento quantitatis asserunt qui quantitatem á re quanta non distinguunt.

141. Ad authoritates, quæ tibi obijci possunt Angelici Præceptoris responde; asserendo pro te illas iam á nobis in probatione allatas, dicendo, que Angelicum Præceptorem nunquam dixisse, relationem esse accidens intrinsecum; vnde Adversarijs eius verba non favent.

SECTIO III.

VTRVM RELATIO SIT SOLVM fundamentum connotans terminum?

142. AFfirmant cum Ex. Doct. PP. Zuñiga, Meratius; item Cerna asserens Antiquos Herbæum, Ægidium, & alios. Non parum favent Raynaud: & Ioan. disp. 16. n. 18.

143. Probabilius negant reliqui omnes Philosophi apud Linze n. 311. Prob. 1. Ea, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur; sed relatio realiter separatur a fundamento; ergo. Prob. min. Deficiente albo *A*, & Filio, deficit similitudo in albo *B*, & Paternitas in Ioanne v. g. Sed album *B*. est fundamentum similitudinis, & Ioannes fundamentum Paternitatis; ergo. 2. Ideo posito animali rationali, ablato quocumque alio, actione scilicet productiva, immò & ipso Deo, adhuc maneret homo, quia tota essentia hominis sita est in animali rationali; ergo si tota essentia relationis sita est in fundamento, posito hoc, & ablato quocumque alio maneret relati: implicat enim manere omnia constitutiva rei, & rem non manere.

144. Respondent 1. Ablato termino, & manente fundamento, manere relationem quoad intrinsecam suam entitatem, non vero quoad denominationem relatiuam *similis*, vel *Patris*; quia relatio vt tribuat denominationem, dependet á termino, tamquam á conditione simpliciter, licet solum extrinsecè requisitá.

145. Contra 1. Ablato termino, vel manet quoad essentiam totum; quod per hanc vocem; *Pater similis*, significatur, vel non? Si manet? Ergo manet simpliciter Pater non solum quoad entitatem, sed etiam quoad denominationem. Patet conse. quia denominatio nihil aliud est, quam subiectum capax, & forma exhibita subiecto; sed ablato termino, per vos, subiectum est intrinsecè capax denominationis Patris; cum per terminum non capacitetur intrinsecè, & forma, relatio scilicet, illi communicatur; ergo. Si non manet? Ergo terminus non est solum conditio, sed prædicatum essentiale constitutivum conceptus obiectivi, per hanc vocem, *Pater*, significati.

146. Contra 2. Omnis forma posita in aliquo subiecto illi tribuit ad minus denominationem habentis talem formalem; sic licet lapidi non tribuat gratia denominationem *grati*; illi tamen tribuit denominationem habentis gratiam; ergo si tota relatio esset in fundamento, ablato termino, ad minus illi tribuet denominationem habentis Paternitatem: vnde de facto erit verum dicere; *Petrum esse habentem Paternitatem* omnium hominum possibilium, quos numquam gignet. Insuper posset quis defendere; materiam primã esse totum compositum, quoad entitatem, non quo ad denominationem; & adveniente formã tamquam conditione, reddi quoad denominationem compositum.

147 Contra 3. Nullum subiectum potest transire intrinsecé de vno contradictorio in aliud, nisi per additamentum, vel ablationem alicuius prædicati intrinseci; vt de se patet; sed fundamentum per ablationem Filij transit de Patre in non Patrem; de relato in non relatum; ergo per positionem, vel ablationem alicuius termini intrinseci constitutivi talis denominationis. Hic est terminus; ergo terminus non solum requiritur, vt conditio extrinseca, sed vt constitutivum intrinsecum talis denominationis.

148 Contra 4. Quia ex hac doctrina euerteretur omne fundamentum distinctionis inter duas res; quod est separabilitas; nam si non obstante separabilitate relationis Patris á fundamento, per vos, distinguitur realiter ab ipso fundamento; ergo iam separabilitas realis non erit fundamentum distinctionis, & licebit cuiquam dicere, quod licet materia prima separetur á forma Leonis v. g. cum ipsã quoad entitatem identificaretur, non vero quoad denominationem. Sic etiam posset quis defendere; intellectionem; & omnes actus vitales esse identificatos cum intellectu, & possunt egere etiam hoc, vel illo connotato extrinseco ad denominationem conferendam; quod de facto dicere, est absurdum Platonicorum asserentium; omnes scientias esse insitas omnibus hominibus; non tamen denominari scientes ex defectu alicuius conditionis per se requisitæ: immo ita se habere intellectiones Angelicas, quæ est sententia *Durandò* attributa, & damnata ab Academiá Parisiensi, opposita que Angelico Præceptori 1, p. quæs, 51, á num, 1.

149 Respond: 2. Aduersarij, talem relationem esse separabilem á fũdamento secundum se, non vero á fundamento connotante terminum extrinsecum.

150 Contra. Rogo, talis connotatio est ne essentialis relationi, vel non? Si non est essentialis; ergo ablatá tali connotatione tota essentia relationis manet in fundamento, ac proinde dota relatio; & militant argumenta iam facta. Si talis connotatio est essentialis, vlterius rogo: hæc connotatio, vel identificatur adæquate cum fundamento; vel cum termino, vel saltim inadæquate? Si primũ? Ergo manente fundamento manet tota relatio, cum maneat tota connotatio cum fundamento identificata. Si secundum? Ergo præcisè deficiente termino non manet relatio; cum non maneat connotatio, ac proinde terminus ingreditur essentialiter denominationem relationis. Si tertium? Ergo iam relatio consistit essentialiter in fundamento, & termino; cum per cuiusque ablationem ipsa relatio auferatur ratione connotationis ablatæ.

His rationibus præiactis, quamque solutionem Adversariorum impugnare poteris.

SVB-

SVBSECTIO VNICA.

ARGVMENTIS CONNOTANtium respondetur.

151 OBj. 1. Saltem in actibus liberis Dei, & scientia visionis futurorum debet hæc doctrina admitti. Nam volitio productionis alterius mundi, & scientia visionis de illo de facto sunt in Deo quoad entitatem, non vero quo ad denominationem volentis, & videntis; & transit de non odio habente peccatorem, sine vllà mutatione intrinsecâ, solum per positionem peccati, ad odio habentem peccatorem. Ergo in relatione similis, Patris, &c. poterit similiter discurri.

152 Si cum pluribus DD. dicerem; denominationes libere volentis in Deo partialiter constitui per terminum extrinsecum conotatum; argumentum potius in Adversarios verteretur. Resp. 1. hanc difficultatem actuum liberorum faciliùs componi, ponendo in Deo virtualem quamdam rigorosam contingentiam identificatam cum summâ eius necessitate, & immutabilitate; sicut ad salvanda predicata contradictoria in Mysterio Trinitatis ponitur rigorosa distinctio virtualis, prastans eosdem effectus, ac si esset realis actualis distinctio. Vnde licet nolitio condendi alium mundum sit identificata cum *Deo*, est tamen virtualiter defectibilis; ratione cuius virtualis defectibilitatis Deus transiret de nolente producere alium mundum ad volentem illum producere; & nunc de facto de non odio habente peccatorem ad illum odio habentem.

153 Resp. 2. Admitto antec. & nego conseq. Nam ad res, quæ facili negatio possunt componi, & ad minutias physicas transferenda non est doctrina, quá materiam altissimam actuum liberorum *Dei* componimus; sicut non transfertur distinctio rigorosa virtualis sine notá. Et si ad alias difficultates ad ipsum Deum pertinentes; vt optime Arriag. 1. p. d, 1. sect, 1. num. 16. hæc doctrina de actibus liberis extendenda non est, si aliâ viâ componi possunt; quanto minus ad physicas difficultates transferri nullatenus debet. Quis autem dicat (ait Peinado disp. 5. de predicam sect, 3. num, 45.) totam hanc difficultatem denotandam, pro componendá relatione prædicamentali coexistentię, aut similitudinis duplicis formæ.

154 Obj. 2. Sępe posita forma in subiecto illi non prębet denominationem, solum ex defectu extrinseci connotati; ergo poterit tota relatio reperiri in fundamento, & illi ex defectu termini connotati non conferre denominationem relati. Prob. antec. pluribus exemplis. Primum. Gratia habitualis non confert Christo Domino denominationem filij adoptiui, solum ex defectu carentiæ vnionis hypostharicę, quæ est quid extrinsecum. Secundum. Licet ponatur qualitas vitalis in intellectu, non viuit, solum ex defectu concursus actiui, & passivi; quæ est mera conditio. Tertium. Si poneretur actus amoris in voluntate, absque præcedentiá cognitionis in intellectu, non redderetur voluntas amans; & cognitio solum est conditio ad amorem: ergo.

155 Ante solutionem scias; sæpe formam non tribuere effectum formalem ex incapacitate subiecti; vt patet in denominatione Sancti, quam non conferret gratia peccatori, si per possibile, vel impossibile concurreret cum

cum peccato: quia scilicet peccator in sensu composito peccati incapax est talis denominationis. Inde forma capacitans subiectum ad denominationem non est connotatum extrinsecum, sed essentiale constitutivum denominationis; sic carentia peccati, licet gratiam non constituat, tamen constituit denominationem Sancti, & grati, quia est forma capacitans hominem ad tales denominationes: vnde potest concretum deficere ex defectu alicuius rei, quæ etiam si, nec se habeat vt forma denominans, neque vt subiectum denominatum; tamen se habet vt forma capacitans subiectū ad accipiendam denominationem; & sic essentialiter ingreditur denominationē concretivam: patet in cognitione, quæ in hanc denominationem amantis tanquam pars essentialis ingreditur; & tamen non constituit formam, scilicet amorem; neque est subiectum quod denominatur amans, nam hoc est solum voluntas; est tamen forma capacitans voluntatem ad accipiendam denominationem amantis. Sic carentia condonationis Divinæ non constituit malitiam peccati præteriti; neque est subiectum, quod denominatur habitualiter maculatum, & tamen essentialiter constituit denominationem concretivam maculati; quia talis carentia capacitat subiectum ad recipiendam talem denominationem á malitia pręterita. Hac doctrina facile ad omnia exempla apposita, & opponenda respondebis.

156. Ad primum dic; carentiam vnionis hyposthaticæ essentialiter ingredi in denominationem filij adoptivi, nam essentialiter capacitat hominem ad talem denominationem accipiendam á gratia: vnde talis denominatio non deficit in Christo ex defectu extrinseci connotati, sed ex defectu alicuius prædicati essentialis. Ad secundum, quod si ponatur cum Arria. & Scotistis intellectio in sola qualitate, ad huc ablata actione et passione, intellectus vi illius qualitatis viueret, & denominaretur viuens. Si vero ponatur cum Hurt. in actione, & passione, neque intellectus viuet, neque denominabitur viuens, sed ex defectu alicuius constitutivi, qualiter se habet actio, & passio. Ad tertium, dico cum Arriaga, cognitionem ingredi essentialiter in denominationem amantis, licet solum sit conditio ad amorem: sic etiam in sententia P. Aderete disp. 30. de Incarn. sect. 2. num. 6. licet á proximatio sit conditio, vt ignis comburat, constituit tamen ignem in esse capacis habendi denominationem calefactivi.

157. Obj. 3. ex dictis. Ergo saltem poterit emolliri connotatorum doctrina, dicendo; quod licet terminus essentialiter ingrediatur denominationem connotativam *relati, similis*, &c. propter rationes iam dictas, & quia omnis denominatio connotativa, prout distinguitur ab absolutá, duplex subiectum requirit; fundamentum scilicet, & terminum; fundamentum, quod dicitur subiectum *In*, & terminum, qui dicitur subiectum *Ad*, attamen forma, seu relatio, similitudo, aut Paternitas tota se tenet ex parte subiecti connotando extrinsecè terminum. Probatur hoc pluribus exemplis. Prim. Denominatio *veri* includit obiectum; & veritas, quæ est forma talis denominationis, identificatur cum actu intellectus, dicente solum extrinsecè obiectum, cum sit tendentia actus in obiectum. Secund. Denominatio *Coexistentis*, in Deo includit essentialiter existentiam creaturæ, & tamen forma talis denominationis est existentia *Divina*, quę illam non includit. Tert. Denominatio *liberè volentis* in *Deo* partialiter constituitur per terminum, & tamen forma, scilicet libertas solum dicit vt connotatum terminum; ergo.

 Ita

158. Ita præsentem materiam magno ingenio, & probabilitate composuit Sapientiss. P. Gregorius Lopez de Aguilar huiusce Collegij Primarius quondam Theologiæ Professor; sed Resp. multas esse denominationes connotativas, quæ includant subiectum *In*, & *Ad*, v.g. denominationes intelligentis, amantis, &c. Insuper vt distinguatur denominatio connotativa á denominatione absolutá, non est necessaria inclusio duplicis subiecti; cum ratione formæ possent distingui, sicut de facto concreta viventia distinguuntur á non viuentibus, non ratione materiæ, sed formæ. Item, per vos, relatio, seu similitudo, quæ est forma, ideo non identificatur cum termino, quia relatio est ad aliud, & iam esset ad se ipsam, & similitudo respectu sui ipsius; sed etiam simile est ad aliud, & si implicat similitudo sui ipsius, etiam simile respectu sui ipsius implicabit; ergo neque denominatio connotativa constituetur ex termino.

159. Ad 1. exemplum dic; vel denominationem veri esse adæquatè intrinsecam actui intellectus, vt docet Hurt. & alij; vel si est partim intrinseca, & partim extrinseca, idem dic de veritate, quæ est forma abstractiva, seu abstracta desumpta extendentia actus, & ex ipso obiecto; cum sit conformitas actus cum obiecto, tam actus, quam obiectum involuens; & ita se habet similitudo ab vtroque simili desumpta, & vtrumque involuens. Ad 2. dic; formam denominantem *Deum* coexistentem non esse eius existentiam solum, sed simul esse existentiam ipsius creaturæ: vnde hęc denominatio coexistentis est partim intrinseca, & partim extrinseca. Ad 3. exemplum iam supra respondi. Nunc addo; etiam libertatem Divinam in abstracto constitui partialiter per connotatum extrinsecum: vnde eodem modo se habet, ac denominatio libere volentis, & est partim intrinseca, & partim extrinseca *Deo*. Videas, si exempla potius tibi, quam Adverſ. favent.

SECTIO IV.

NOSTRA SENTENTIA CIRCA *relationes primi generis.*

160. DIco. Relationes primi generis consistunt in actu intellectus comparante, seu referente fundamentum ad terminum; ita vt forma conferens denominationem relativam sit ipsa cognitio comparans vnum album v.g. alteri albo; ac proinde vtrumque album est subiectum denominationis, seu denominatum. Huiusce sententiæ meminit Scotus lib. 2. disp. 7. q. 4. & absolutè illam defendunt Basil. Pon. part. 1. varia: q. 8 cap. 3. pro se adducens plures SS. PP. & Philosophos. Insuper tribuitur Enrico quodlib. 7. q. 1. in resp. ad 2. *Deinde* expresse defenditur á Bonęspei, licet ea obscuritate, & confusione, qua solet disp. 3. de Relatione. Resolut. 2. & divis. 4. per totam. Spinula disp. 2. Metaph. sect. 3. á n. 19. & disp. 5. Physicor. art. vltimo. num. 67. P. Izquier. in Pharo disp. 16. q. 1. n. 2. & disp. 14. q. 1. n. 4. Favent PP. Martin. Quir. & alij. Ita denique duo huiusce Provinciæ Lumina PP. Maza, & Olea, quos alij Moderni secuti sunt.

161. Conclusio solum eget explicatione, vt eius vtilitas, & probabilitas clarescat. Communiter explicatur exemplo vniuersalis. Sicut enim ante actum intellectus præscindentem, á parte rei præcedit vnitas convenientię, quæ re ipsa est pluralitas, & dicitur vniuersale fundamentale, & vi actus præscissivi, concipientis que naturam ad instar relativæ ad inferiora, redditur vniuersale formaliter; ita independenter ab actu intellectus, quo refertur vnum album ad aliud dicens, *hoc est sicut illud*, præcedit in vtroque illa convenientia in eadem qualitate, quæ quidem dicitur relatio fundamentalis, & ipsa alba dicuntur fundamentaliter relata, redduntur tamen relata formaliter per illum actum referentem vnum ad aliud, concipientem que vnum instar entis relativi.

162 Ego verò facilius ita explico. Sicut in obiecto v.g. Petro præcedit cognoscibilitas, & antequam in actu 2. cognoscatur ipse, est formaliter cognoscibilis, redditurque formaliter cognitus per cognitionem actualem ad ipsum terminatam: sic duo alba ante quamcumque cognitionem præcedunt referibilia, hoc est, habent capacitatem, vt vere referantur, tamen nullo modo denominantur, vsquedum per actum intellectus dicentem, *hoc album est sicut illud album*, referantur; qui quidem actus, cum sit peculiaris cognitio, & ex modo tendendi comparet, aut referat, appellatur relatio, & est forma illius denominationis concretivæ *Relatum*. Sicut cognitio est forma huius denominationis concretivæ *Cognitum*. Vnde relatio est accidens extrinsecum fundamento, & termino; sicut cognitio obiecto. Quid clarius?

163 Prob. 1. Ex refutatione aliarum sententiarum. Relatio namque non consistit in accidenti intrinseco realiter superaddito; vt manet probatum sect. 2. Nec in solo fundamento connotante terminum; vt etiam probatum manet, sect. antecedenti. Nec in coexistentiá fundamenti, & termini; vt iam probabo. Ergo in solo actu intellectus comparante consistit. Prob. antec. quoad 3. part. & simul prob. conseq. Posito fundamento, termino, & ratione fundandi; hoc scilicet, & illo pariete, & albedine, adhuc non datur relatio; ergo hęc in coexistentiá pręcisse fundamenti, & termini non consistit. Prob. antec. Relatio iuxta Aristotelem, & omnes Philosophos; *est habitudo, respectus, seu respicientia vnius ad aliud*; sed posito fundamento, & termino adhuc non datur habitudo, respectus, aut respicientia; ergo. Prob. Mino. Fundamentum, terminus, & ratio fundandi; hic scilicet, & ille paries, & albedo sunt entitates absolutæ; ergo his omnibus positis, non datur habitudo, seu respectus.

164 Confir. Hic respectus vel provenirет á fundamento; & hoc non. Quia præterquam quod est entitas absoluta, ablato termino non datur respectus, vel fundamento adveniret ratione termini, & hoc non, quia terminus, non minus est entitas absoluta, quam fundamentum; & non minus repugnat, terminum absolutum conferre fundamento denominationem respectivus; quam albedo denominationem dulcis: vel ratione complexi vtriusque? Et hoc minus. Quia vi complexi, neque fundamentum, neque terminus immutantur; & non minus repugnat ex duobus physice absolutis fieri vnum vere, & physice respectivum; quam ex duobus albis fieri vnum nigrum: non enim minus distant respectivum, & absolutum; quam abum, & nigrum.

165 Tunc sic. Ergo vt illæ entitates transeant de non relatis ad relatas, eget aliquo superaddito, seu determinativo vltra eas, hoc non est accidens Thomisticum; ergò erit actus intellectus comparans, seu referens extrinsece vnum ad aliud. Coseq. 1. prob. Eo mo, quo aliquæ entitates transeunt de vno contradictorio in aliud, egent aliquo superaddito: si tran-

transitus fit extrinsecus, accidens debet esse extrinsecum; vt homo, qui transiret de non amato ad amatum, eget amore sibi extrinsece abueniente; & qui transiret de non intelligente ad intelligentem, eget intellectione sibi intrinsecà, quia transitus hominis de non amato ad amatum est extrinsecus: & de non intelligente ad intelligentem est intrinsecus: Ergo cum fundamentum, & terminus transeant de non relatis ad relata egent accidenti aliquo superaddito; non intrinseco, quia transitus est solum extrinsecus: ergo extrinseco; actu scilicet comparante, & referente.

166. Prob. 2. Conclus. directè. A parte rei, & in obiecto non datur rectum, & obliquum, sed tantum in modo cognoscendi; quia cum rectum sit, quod ponitur in Nominativo, & obliquum, quod ponitur in Genitivo, aut alio casu: sicut Nominativa, aut genitiva, &c. solum in modo cognoscendi, & significandi reperiuntur; ita recta, & obliqua solum ex modo concipiendi, & loquendi proveniunt: atqui denominationes relativæ dicunt fundamentum in recto, & terminum in obliquo, & in hoc fundamentum á termino distinguitur; ergo constituuntur essentialiter per modum cognoscendi, á quo provenit omne rectum, & obliquum.

167. *D*ico 2. Licet relatio formalis consistat in actu intellectus comparante, ac proinde non dentur formaliter relata á parte rei; similitudo formalis datur independenter ab intellectu, ac proinde â parte rei dantur non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter similia. Hæc conclusio est immediatê contra Bonęspei, & Sapientiss. Mag. Sæpius, & meritò laudatos specialiter contra Patres Olea. Et nihilominus expresè favet Spinul. d. 2. Metaph. sect. n. 19. Partim favent omnes, qui in sola coexistentia fundamenti, & termini ponunt relationem, omnesque Thomi. & Scotistę, eo quod non distinguant relationem formalem â similitudine formali. Insuper P. Compt. d. 11. Metaph. sect. 12. á n. 3. qui etiam si in accidenti intrinsecê superaddito ponat relationem formalem hanc distinguit, asserit que, quod posito duplici albo si per possibile, vel impossibile, non poneretur accidens superadditum, talia alba essent formaliter similia, & non essent formaliter relata idem dico ego de actu intellectus, & prob. efficaciter. 1. ex eodem Compt.

168. Similitudo est convenientia in prædicatis. Æqualitas est convenientia in quantitate, vel perfectione; sed duo homines non conveniunt in prędicatis, nec duæ virgæ palmares conveniunt in quantitate vi actus intellectus comparátis; nam idenpendenter á quocumque actu intellectus positis duobus hominibus, positis que duabus virgis palmaribus, datur conveniẽtia inter homines, et virgas: ergo & datur similitudo formalis.

169 Confir. Iuxta Aristot. Similitudo fundatur in vnitate; iuxta illud, *similia sunt, quorum qualitas est vna*, & æqualia, quorum quantitas est vna; sed independenter á quacunque consideratione intellectus datur hæc vnitas in duobus albis; cum detur eadem qualitas, scilicet albedo; & in duabus virgis eadem quantitas, scilicet palmaris extensio; ergo.

170. *D*icere, illa duo alba esse solum fundamentaliter, & non formaliter similia, est omnino voluntarium, & contra ipsam rationem. Incredibile enim est, quod cum Aristot. similitudinem, & æqualitatem intendat definire, solum definiat similitudinem, & æqualitatem fundamentalem; & sicut cum vniuersale definit, per *vnum in multis, & extra multa*, non definit vniversale fundamentale, sed formale, cur cum definit similitudinem, solum fundamentalem definiet? Insuper, quid addit ly *formalis* in similitudine, quod in *fundamentali* non reperiatur? Quid actus intellectus, quod in obiecto non prædicat? Certè nihil. Item similitudo vel est in obiecto, vel non? Si est in obiecto? Ergo independenter ab intellectu datur. Si non est? Ergo illam ponit actus intellectus, & sic est factivus entis rationis. Præterea. Nō ideo sunt similia duo alba, quia cognoscãtur similia, sed è contra: ideo cognoscuntur similia, quia in se ipsis similia sunt: ergo similitudo non consistit in actu intellectus.

171 Prob. 2. cum P. Arriaga. Vox hæc *similitudo* non est vox physica, nec inuenta á Philosophis pro suis metaphysici speculationibus, sicut voces, *vniversale Logicum, prædicabile, & c*, sed est vox vulgaris, vti voces, aqua, lapis, & c. Vnde significatio, & vis talis vocis debet desumi ab vsu, & intelligentia hominum etiam literatorum. Roga ergo quemcumque hominem; *est ne vnum ouum simile alteri*? Statim dicet certe, & omnino simile. *Est ne simile carboni*? Neutiquam dicet. Roga alteri; cur ouum ouo simile, & carboni dissimile? Recurret ne ad actum comparantem, & dicet: quia intellectus oum ouo, & carboni comparavit? Nullatenus: sed dicet: quia ouum est album, & eiusdem figuræ, & formæ ac aliud ouum: & carbo est niger, nec habet eandem formam, & figuram: & hoc oculis percipitur. Vides ergo, nihil per vocem *similis* significari, nisi quod oculis, et sensibus manifestè apparet? Ergo male ad intellectum reccurris.

172 *D*icere, omnes homines preter vnum Bonespei, & RR. aliquos, vsque nunc solum loquutos fuisse de similitudine fundamentali, non vero formali; est plane abuti terminis (Arriaga loquitur) quia hucusque veram, & propriam similitudinem conceperunt. Hæc autem alia, quam hic (de Bonespei loquitur) ponit, nec per somnium venit hominibus in mentem. Pręterquam quod; eo sensu possemus dicere, nec lapidem esse lapidem á parte rei, sed fundamentaliter tantum; nec hominem hominem, nec aquam aquam, sed hæc omnia in ratione talis constitui per conceptus nostros circa illas res. Hoc enim esset nugari, (vt dici solet) in re seria.

173 Hinc dico. 3. Similitudo formalis (idem dic de æqualitate) consistit adæquate in coexistentiá fundamenti, & termini, & ratione fundandi; ob rationes iam supra dictas.

SECTIO V.

NOSTRA SENTENTIA CIRCA relationes secundi, & tertij Generis.

174 DIco. 4. Relationes 2. Generis consistunt in sola actione, tamquam in formâ physica relativá. Ita v. g. vt denominatio prędicamentalis, *Pater*, desumatur á substantiá generante, vt á subiecto, & ab actione gererativá, vt à formá. Similiter terminus, *Filius*, desumitur á substantiá Filij, vt á subiecto; & á generatione passivá, vt â formá, Ita Pont. d. 15. Logicę. q. 4. n. 64, & 65. P. Sancta Cruz num. 910, & 928. Ex parte fauent Spin. d. 2. Metaph. sect. 3. num. 31. Item omnes

nes Theologi, qui non distingunt originem activam á Paternitate, nec originem passivam á Filiatione. Hæc etiam est contra Olea, sed favet Maza.

175 Prob. 1. Paternitas Diuina consistit adęquate in actione generativá; ergo similiter Paternitas creata. Nam optime valet paritas á Deo ad creaturas, quando datur eadem ratio, vel nulla in contrarium relucet, vt in præsenti. Prob. antec. & paritas ex D. Hieronimo apud P. Cornel. in illiud Pauli ad Ephes. 3. vers. 15. *Flecto genua ad Patrem D. N. Iesu-Christi, in quo omnis Paternitas in cœlis, & in terrá hæc habet: Paternitas in cœlis est generatio Filij, Paternitas in terrâ est generatio hominum, & animalium, quæ omnia â Dei Paternitate manant; omnes enim ab eo habent vim generandi, vt sint, nominenturque Patres.* Quid clarius pro re nostra? Nota cum Cornel. Apostolum non solum loquutum de nomine *Patris*, sed de re significata per nomen; iuxta illud; *vt sint, nominentur que Patres.*

176. Prob. 2. Ad hom. contra Thomistas. Per vos accidens superadditum substantię Patris, & Filij requiritur, quia cum sint entitates absolutæ, vt se respiciant, & inter se referantur, egent aliquo modo respectivo; sed hoc totum pręstat actio generativa, vi que, & virture illius se respiciunt, & referuntur; ergo in tali actione tota relatio 2. generis consistit, & omnino otiosum est accidens superadditum.

177. Prob. 3. Ad hom. contra ponentem relationem in coexistentia fundamenti, et termini. Posita relatione adęquatè in sola actione, optimè explicatur quomodo Paternitas distinguatur á Filiatione; nam iuxta Advers. cum Paternitas nihil aliud sit, quam substantia Patris, substantia Filij, et generatio simul sumptę, et Filiatio nihil aliud sit, quam substantia Fi'ij, substantia Patris, et generatio; vel non distinguntur, cum habeant eadem prædicata; vel perperam distinguntur recurrendo ad recta, et obliqua, quæ solum dantur penes considerationem intellectus Ergo relatio 2. generis in sola actione consistit.

178. Prob. 4. Posita actione in substantia generante, præscisso quocumque alio, concipitur denominatio *agentis*, quin terminus intret constitutionem talis denominationis; et è contra. Posita actione in termino, et præscisso quocumque alio, resultat denominatio *producti, effecti, geniti*, etc. quin fundamentum intret constitutionem talis denominationis; sed *agens, generans, & producens actum, generatum, & productum* sunt denominationes formaliter relativæ se invicem respicientes vi actionis; ergo in tali actione tota relatio adæquatè consistet.

179. Dices; denominationem *generantis* esse transcendétalem, qua propter distinguitur à denominatione Patris, quæ, vtpotè prædicamentalis, non constituitur per actionem.

Contra 1. Generans, Genitor, et Pater sunt termini sinonomi, sicut Genitus, et Filius. Unde communiter Theologi cum Caiet. docent; formam baptismi sub his vocibus: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque*; validam esse; quia est sinonoma huic; Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, et Spiritus Sancti. Nam eo ipso, quod quis gignet, aut genuerit: præscisso quocumque alio: dicitur Pater, quin terminus intret eius constitutionem.

180. Contra 2. Licet generatio sit relatio transcendentalis sui ad terminum, quia secum ipsa adæquatè identificatur. ast est relatio prædicamentalis inter Patrem, et Filium, á quibus ipsa distinguitur: et non repugnat, eandem

dem entitatem esse simul relationem transcendentalem, & prædicamentalem secundum diversas considerationes; sed talis actio denominat substantiam *generativã, & generantem*; ergo denominatio *generantis* non est transcendentalis, sed prædicamentalis. Insuper, denominatio *generantis* est accidentalis substantiæ; cum tata possit sine tali denominatione salvari; ergo talis relatio est prædicamentalis; nam transcendentalis relatio est essentialis rei relatæ. Hinc

181. Infer. primò contra Spinul. generationem non solum referre prędicamentaliter effectus ad causas, sed etiam causas ad effectus; nam sicut actio generativa pasivè sumpta constituit Filium, illum que prædicamentaliter refert ad Patrem; ita eademmet actio actiue sumpta constituit Patrem, illumque prædicamentaliter refert ad Filium. Sicut enim Filius, vt Filius est, est ad aliud; ita Pater, vt Pater; sed non est ad aliud transcendentaliter; ergo prædicamentaliter.

182 Infer. 2. Quod si aliqua causa per actionem á se indistinctam produceret aliquem effectum (quam esse possibilem tenent aliqui RR.) tunc causa non referretur prædicamentaliter ad effectum, effectus autem referretur ad causam. E contra, si effectus produceretur per actionem indistinctam ab ipso; vt Card. de Lugo, Ripalda, et alij censent, de facto evenire actibus vitalibus, quos per actiones ab ipsis indistinctas arbitrantur produci; Et Pater Valques et P. Hurt. id existimant de rebus naturaliter creabilibus, vt anima rationalis, Angeli, &c. non referretur talis effectus prædicamentaliter ad causam per talem actionem: bene tamen causa ad effectum. Quia sicut per ipsam denominatur producens, cur non denominabitur relata; cum alias ab ea distincta sit?

183 Infer. 3. Quod si generatio activa in Diuinis sit indinstincta á passiuá, et consequenter realiter distincta á substantiá generante primæ personæ; vt docent nonulli cum Scoto, Enrico, & alijs; erit relatio prædicamentalis Patris ad Filium, & transcendentalis Filij ad Patrem. Si vero generatio activa sit indistincta á substantiá Patris, & similiter generatio passiva indistincta á substantiá Filij; vt communiter tenet Theologorum sententia; nec Pater ad Filium, nec Filius ad Patrem referrentur prædicamentaliter, sed solum transcendentaliter. At vero, si substantia generans denominatur *intrinsece generans* per generationem activam realiter identificatam, & *extrinsece generans* per generationem passivam realiter distinctam: & é contra substantia genita denominetur *intrinsece genita* per generationem passivam, & *extrinsece genita* per activam; deturque duplex denominatio *generantis* in Patre, & *geniti* in Filio; vt tenet Arriaga d. 16. de Trinit. sec. 1. subs. 3. num. 8. & 9. Dabitur consequenter duplex relatio in Patre respectu Filij; & in hoc respectu Patris per generationem activam denominabitur Pater *relatus transcendentaliter*, & per generationem passivam *prædicamentaliter*: E contra vero Filius per generationem passivam denominabitur transcendentaliter relatus, & per activam relatus prędicamentaliter.

184 Dico 4. Relationes prædicamentales 3. Generis, quatenus prędicamentales sunt, consistunt adæquate in actibus vitalibus, v. g. relatio *cognoscentis, & cogniti* in sola cognitione. Prob. ex dictis. Quia posita cognitione, & præscisso quocumque alio intellectus dicitur cognoscens, quin ingre-

grediatur obiectum essentialiter in talem denominationem: & obiectum etiam dicitur cognitum, quin intellectus ingrediatur in hanc; sed esse cognitum, & cognoscens, sunt denominationes prædicamentaliter relativæ; ergo tota prædicamentalis relatio in cognitione consistit; cum alias hæc sit forma respectiua, faciens que respicere. Hic etiam nota idem, quod supra. Quod intellectus Diuinus realiter cum suá intellectione identificatus, & si esset possibilis aliquis intellectus creatus, saltem cum aliquá intellectione similiter identificatus; nullo modo referentur prædicamentaliter ad obiectum per talem cognitionem. Item, si sit possibilis cognitio supra se ipsam reflectens, etiam non refertur prædicamentaliter ad obiectum; ob rationes iam dictas.

SVBSECTIO I.

ARGVMENTA CONTRA PRIMAM conclusionem.

185. OBj.1. Cognitio pertinet ad prędicamentum qualitatis; ergo non est relatio: cum relatio iuxta Aristot. sit diversum prædicamentum.

186. Resp. Dist. Antec. Pertinet ad prædicamentum qualitatis, secundum conceptum *In*, concedo; secundum conceptum *Ad*, nego. Eadem enim cognitio secundum diversas considerationes pertinet ad diversa prędicamenta; vt est accidens, & recipitur in termino, pertinet ad prædicamentum qualitatis; vt est respectus vnius ad aliud conferensque fundamentum cum termino, & referens ad illud tale fundamentum, pertinet ad prędicamentum relationis. Sicut eadē met actio, quatenus actio, pertinet ad vnum; & vt passio, pertinet ad aliud prædicamentum. Et præsentia, quæ est situs, & continetur in *vbi*, diversum etiam prædicamentum constituit.

187. Obj.2. Deus cognoscit, vnum album dicere relationem similitudinis cum alio albo independenter à quacunque operatione intellectus creati; ergo relatio non constituitur per operationem intellectus. Prob. Antec. Independenter ab omni intellectu creato cognoscit Deus, vnum album se habere *sicut* aliud album; sed hoc est dicere relationem similitudinis; ergo.

188. Resp. Dist. Antec. Relationem similitudinis fundamentalem, concedo; formalem, nego; & nego conseq. Ad prob. dist. mai. Cognoscit Deus, vnum album se habere sicut aliud; hoc est, habere eadem prędicata, seu vtraque esse alba, concedo; hoc est, dicere aliquem respectum, seu ordinem inter se, nego. Ex argumento solum infertur, Deum cognoscere, illa duo alba esse formaliter similia independenter ab intellectu creato; cum cognoscat vtraque habere albedinem, & eandem qualitatem: quod libenter fateor: ast non probat, Deum illa cognoscere vt formaliter relata, nam hoc involuit iam considerationem intellectus concipientis fundamentum ad instar relati ad terminum. Non enim est idem, esse formaliter similia, ac esse formaliter relata, sicut non est idem, esse formaliter cognoscibilia, ac esse formaliter cognita: quia esse formaliter cognoscibilia, est habere capacitatem, vt adveniente cognitione actuali reddatur formaliter cognita per cognitionem, tanquam per formam. Ita similiter esse formaliter similia duo alba, est habere capacitatem, vt intellectus comparet vnum ad aliud, conferat que fundamentum cum termino; & ratione huius collocationis, aut comparationis redduntur formaliter relata ab ipsa comparatione, tanquam á forma, quæ relatio dicitur. Et sicut repugnat, Deum cognoscere hoc concretum *cognitum* sine cognitione: hoc concretum *vniversale* sine secunda intentione, ita repugnat cognoscere concretum hoc *relatum* sine relatione, quæ est consideratio intellectus.

189 Vnde si illa particula *sicut* denotat aliquem respectum vnius ad aliud; dico, non dari hanc sicuitatem á parte rei, cum à parte rei non detur respectus hic. Si tamen denotat, vt denotare videtur, illos duos parietes habere albedinem; duos illos homines habere naturam humanam; dico, talem sicuitatem dari à parte rei, sicut datur similitudo, sed tunc talis particula ad summum denotat, illa esse fundamentaliter relativa, hoc est, præbere fundamentum intellectui, vt concipiat illa ad modum relativorum; quod quidem fundamentum solum cognoscit Deus independenter á consideratione intellectus.

190 Obj. 3. Prædicatum affirmatum nequit esse modus extrinsecus cognoscendi se tenens ex parte actus: Ideo enim cum dico, *Petrus est homo*, *ly homo* non est modus extrinsecus cognoscendi, quia est prędicatum affirmatum per talem actum; sed sicuitas, convenientia, æqualitas, ordo, & relatio sunt prædicata saltem virtualiter affirmata per actum comparativum; ergo ea omnia non sunt modus extrinsecus se tenens ex parte actus comparantis.

191 Resp. hoc argumentum vrgere Bonesp; & RR, qui dicunt, non dari similitudinem, æqualitatem; & convenientiam formaliter tales independenter ab actu comparativo; nos autem ob hoc, & alia argumenta contrarium diximus; sed quia argumentum confundit sicuitatem, æqualitatem, &c. Resp. ordinem, seu respectum non esse prædicata affirmata per actum comparantem; non actus comparans solum affirmat, quod attingit ex parte obiecti; sed ex parte obiecti solum attingit sicuitatem, non vero respectum, seu ordinem, qui ex parte obiecti non datur; ergo respectus, seu ordo non affirmatur, neque formaliter, neque virtualiter per actum comparantem. Sicut enim cognitio, quá dico, Petrum esse hominem, solum attingit humanitatem Petri, quam affirmat, non vero se ipsam; quia non attingit Petrum vt cognitum, & tamen se ipsam exhibendo vt formam Petrum cognitum denominat: ita cognitio comparativa solum attingit sicuitatem extremorum, non vero respectum, seu ordinem; alias se ipsam respiceret, sed se ipsam exhibendo vt forma denominat extrema relata.

192 Replic. Actus, quo dicerem *hoc album dicit respectum ad aliud*, est verus actus, & respectus est prędicatum affirmatum; ergo hic non provenit ex modo cognoscendi. Respondeo. Nego antec. talis namque actus est falsus, sicut actus, quo dicerem *natura humana dicit ex se vnitatem realem*; quia sicut vnitas vniuersalis consistit in actu præscindente, & est omnino extrinseca naturæ, quæ solum est vniuersalis fundamentaliter, ita respectus, seu relatio consistit in actu comparante extrinseco extremis comparatis, quæ solum fundamentaliter dicunt relationem: vnde independenter ab actu comparante, falsum est dicere, vnum album dicere respectum ad aliud, cum vtraque alba sint in se entitates absolutæ.

193 Obj. 4. Actus comparans vnum album cum alio albo, vel ponit, vel supponit sicuitatem? Si illam ponit: Ens rationis efformat: & si illam supponit, etiam supponet rela-

relationem, quæ certe in tali sicuitate consistit; ergo actus comparans non est relatio.

194 Resp. actum comparantem sicuitatem supponere, illamque vt obiectum directum attingere, sed non ideo supponit relationem, immo illam ponit, cum se ipsam ex hibeat, quæ est relatio. Hinc deduces distinctionem inter sicuitatem, & relationem. Sicuitas conuertitur cum similitudine, aut convenientiá; relatio cum respectu, & ordine. Vtraque, tam sicuitas, quam relatio importat pluralitatem. Sicuitas includit plura, in quibus sit eadem qualitas, quantitas, vel natura; non vero quæ sint ad inuicem ordinata. Relatio supponit tanquam fundamentum ea plura, in quibus sit eadem qualitas, & ea ordinat, refert que advicem, denominatque relata.

SVBSECT. II.

ARGVMENTA CONTRA *secundam conclusionem.*

195. OBj. 5. Ideo, per nos, denominatio relativa consistit in actu intellectus, & nequit vnum album denominari relatum ad aliud, nisi beneficio intellectus, quia vtrumque album est entitas absoluta, & ex parte obiecti nulla datur entitas respectiva; sed simile, in quantum tale, est etiam essentialiter relativum; ergo preter entitates absolutas vtriusque albi aliquid respectivum requiritur. Hoc non datur ex parte obiecti; ergo neque simile.

196. Huic argumento tenentur respondere, qui ponunt relationem in coexistentia fundamenti, & termini: Insuper, qui distingunt similitudinem à relatione formali. Resp. Simile vt tale esse solum respectivum secundum dici, non vero secundum esse; hoc est, explicari nomine sonante respectum, illum tamen non dicere. Sicut innascibilitas, irrationalitas significantur nominibus negationem sonantibus, re tamen sunt entitates positivæ. Ita simile, & similitudo sonant respectum, re tamen ipsa sunt entitates absolutæ, & nullo modo se invicem respicientes; nihil enim aliud est, duo alba esse similia, quam vtraque habere eandem qualitatem, iuxta Arist. definitionem, & sine vlla respicientia, aut respectu, vtraque eandem qualitatem habet. Vnde nulla est paritas inter vniuersale, & relatum.

197. Obj. 6. Similia, iuxta Aristotelem est quorum qualitas est vna; sed independenter ab intellectu non datur in duobus albis vna qualitas; ergo nec similitudo. Prob. min. Unitas in qualitate, seu vnicitas qualitatis solum datur per præscissionem qualitatis ab omni differentia; nam re ipsa in duobus albis non datur vna, sed duplex qualitas, seu albedo; ergo independenter ab actu prescindente non datur in duobus albis vna qualitas; ergo nec independenter à tali actu erunt formaliter similia.

198. Resp. In definitione similium vnitas non sumitur in sensu rigoroso, & metaphysico, & prout opponitur pluralitati, sed solum sumitur pro convenientia, & sicuitate prædicati vnius cum predicato alterius, quæ vnitas exigit essentialiter pluralitatē convenientium, & optimè componitur cum pluralitate in ipsa ratione, in qua conveniunt. Sic posita albedine *A* in Petro, & albedine *B* in Paulo dicimus esse similes, habere que eandem qualitatem, non eandem, prout opponitur pluralitati, sed eandem prout opponitur diversitati. Sic communiter dicere solemus de duobus hominibus *Tienen vn mismo natural, ó son de vn mismo genio*, idem, non prout opponitur pluralitati, sed prout opponitur diversitati. In forma resp. concedo mai. & dist. min. Non datur vna qualitas, prout opponitur pluralitati, concedo: prout opponitur diversitati, nego. Solutio constat ex dictis.

199. Obj. 7. Conceptus *albi*, & *albi: palmi*, & *palmi* diversus est á conceptu *similis, & æqualis*. Item conceptus *palmi*, & *semipalmi* diversus est á conceptu maioris, & minoris; sed conceptus albi, & albi, palmi, & palmi, palmi, & semipalmi sunt ipsæ res absolutæ: ergo conceptus similis, æqualis, maioris, & minoris addunt aliquid supra illa: ergo vel reale, & incidimus in Thomistarum sententiam; vel formale, & incidimus in sententiam Bonespei.

200. Resp. Neg. maior. Si aliás tales conceptus supponantur coexistentes, Nihil aliud est similitudo, quā duo homines, duo alba, & c. Nihil aliud est *æquale*, quam duo entitates habentes eandem quantitatem; vnde conceptus palmi, & palmi simul coexistentes non distinguitur, â conceptu æqualis. Nihil aliud est conceptus *maioris*, quam duæ entitates, ex quibus vna habeat tantum extensionis, vel perfectionis, alia vero non tantum. Vnde conceptus palmi, & semipalmi non sunt diversi á conceptibus maioris, & minoris. Maioritas, & minoritas sunt conceptus relativi secundum dici, hoc est sonant relationem; re tamen ipsá, & quoad esse sunt entitates absolutę, vt iam diximus de similitudine.

201 Obj. 8. Quæ realiter separantur, realiter distinguntur; sed similitudo realiter separatur á fundamento; ergo ab eo realiter distinguitur. Sic arguunt Thomistę.

202 Resp. Concedo totum, eo quod solum infertur, similitudinem constitui etiam ex termino, ratione cuius realiter distinguitur tan fundamentum â similitudine distinctione inclusi ab includente, quam similitudo à fundamento distinctione includentis ab incluso. Sicut homo physicus realiter distinguitur á materiá ratione formę, & materia realiter distinguitur ab homine. Ex hoc tamen no infertur; hominem non constitui essentialiter ex materiá, & formá. Ita licet similitudo realiter distinguitur á fundamento, & termino seorsim sumptis, tamen ex hoc non licet inferre distinctionem á fundamento, & termino simul sumptis. Simile enim, vt iam diximus, nihil aliud est, quam esse duos homines, quare esse duos, distinguitur inadequate á quolibet, ab vtroque auten nullo modo, & sicut posito Petro, & Paulo adueniente, datur numerus binarius, qui antea non erat; & tamen numerus ex vtroque constituitur. Ita posito fundamento, hoc scilicet albo, per aduentum termini, alterius scilicet albi, datur similitudo, quæ antea non dabatur, & tamen similitudo ex vtroque albo consurgit.

203 Obj. 9. Si similitudo consisteret in coexistentia fundamenti, & termini, eadem esset similitudo Petri ad Ioannem, ac Ioannis ad Petrum, ergo sicut reddit Petrum similem Ioanni, ita reddet Ioannem similem sibi.

204 Resp. Similitudinem Petri ad Ioannem, & Ioannis ad Petrum esse eamdem; nam hæc similitudo nihil aliud est, quam Petrum, & Ioannem esse duos homines, ex hoc tamen non infertur, quod sicut Ioannes redditur vi illius coexistentiæ similis Petro, ita reddatur similis sibi; quia omnis similitudo dicit ad minus dualitatem, quam secum ipso non componit Petrus. Et sicut eadem et cognitie

nitio denominat Petrum *videntem* albedinem, & ipsam albedinem visam, quin denominet ipsam albedinem videntem sui; ita eadem similitudo denominabit Petrum similem Ioanni, non vero similem sibi.

205 Obj. 1. Si simile constitueretur ex fundamento, & termino, ita maius, & minus v.g. quantitas palmaris constitueretur in esse maioris, per quantitatem semipalmarem, & hæc in esse minoris, per quantitatem palmarem, quod certe repugnat; nam incredibile est, aliquid reddi maius formaliter per id, quod est minus: & ê contra aliquid reddi minus formaliter per id, quod est maius.

206 Sic arguit P. Linzeus, vt probet similitudinem, & alias denominationes relativas consistere in quadam formalitate, non realiter, virtualiter tamen rigorosè distincta á fundamento, & termino. Retorqueo in primis contra ipsum argumentum. Rogo; vtrum illa virtualitas tenens se ex parte mei, qui quinque cubitos habeo, me constituat maiorem formaliter Ioanne habente quator cubitos, vel simul ingrediatur talem denominationem virtualitas se tenens ex parte Ioannis? Si primũ? Ergo nunc sum maior respectu omnium hominum, etiam illorum, qui longe me altiores sunt. Patet conseq. De facto habeo totam illam essentiam denominationis, quæ me adæquatè denominat maiorem, quando omnes homines solum haberent quatuor cubitos; ergo de facto maior denominor, cum iuxta ipsum Linze, qui doctrinam connotatorum rejicit, posita tota essentia denominationis, implicat, totam denominationem non poni. Si secundũ? En tota vis argumenti contra te? Ergo illam virtualitatem, qua Ioannes denominatur minor, ego maior denominor.

207. Resp. Quod sicut ipsæmet vbicationes me faciunt dexterum, & Petrum sinistrum; eademmet libertas, quæ in se est bona, iam constituit bonum morale, iam malum morale constituit; ita eademmet maioritas, & minoritas constituet quantitatem palmarem in esse moioris, & semipalmarem in esse minoris. Sic prioritas diei hodierni ad crastinum, & posterioritas crastini ad hodiernum adęquatè identificantur cum vtroque, cum nihil aliud sit, quam vterque dies, & tamen solus dies hodiernus prior est, & crastinus posterior.

208. Inst. 1. Maioritas, & minoritas sunt idem realiter: ergo fundamentum maioritatis erit quantitas minor; quod certè repugnat.

209. Resp. maioritatem, & minoritatem ita esse realiter idem, vt vnam quantitatem reddant maiorem, aliam vero minorem. Vnde fundamentum maioritatis, quod ab ipsa maius denominatur, est quantitas maior. Fundamentum vero maioritatis, quod ab ipsa minus denominatur, est quantitas minor. Si tamen roges; cur maioritas, & minoritas denominent quantitatem palmarem maiorem, & quantitatem semipalmarem minorem. Resp. quia palmaris habet palmum, & semipalmaris diminium palmi; & ipsis oculis cernitur, palmum esse maius semipalmo.

210. Inst. 2. Ergo quantitas maior est simul quantitas minor, & simul maior. Prob. conseq. Illa quantitas est minor, quę habet minoritatem, & illa maior, quæ habet maioritatem: sed si maioritas sit realiter minoritas, & è contra, quantitas minor habebit maioritatem, & minoritatem, & quantitas maior maioritatem, & minoritatem: ergo.

211. Resp. Neg. conseq. Ad prob. dist. maior. quoad vtramque partem. Illa quantitas est minor, quæ habet minoritatem sui ad aliam, concedo: alterius ad se, nego. Et illa est maior, quę habet maioritatem sui ad aliam, concedo; alterius ad se, nego. & dist. min. Quã titas minor habet maioritatem sui ad aliam, nego; alterius ad se, cõcedo. Cum enim tota maioritas, & minoritas inter quantitatem palmarem, & semipalmarem, nihil aliud sit, quã duo quantitates, ex quibus vna habet palmum, alia semipalmum; inde est, quod maioritas quantitatis palmaris sit maioritas sui ad aliam; hoc est, datur alia quantitas, quæ palmum non implet, quæ quidem minoritas, non denominat, sed potius confirmat (vt ita dicam) quantitatem palmarem in esse maioris. E contra minoritas, quam habet quantitas semipalmaris est minoritas sui ad aliam; hoc est, habet semipalmum, quem alia superat; & maioritas est alterius ad se, hoc est, simul coexistit quantitas alia, quę palmum integrum habet: quæ maioritas potius illam in esse minoris stabilit.

212 Obj. 11. Si similitudo diceret duas entitates, sequeretur, quod dum dico, *Petrus est similis Ioanni*, de Petro prędicarem entitatem Petri, & Ioannis; cum prædicem similitudinem; sed hoc ex cogitari nequit; ergo.

213 Retorq. contra Thomistas argumentum. Similitudo adæquata per vos consistit in illis duobus modis superadditis; ergo dum dico; *Petrus est similis Ioanni*, dico Petrum habere illos duos modos superadditos. Resp. Quod dum dico *Petrus est similis Ioanni*, licet videar simplicem propositionem proferre, hypòteticam profero, quia sensus illius ita se habet; *Petrus habet talia prædicata, qualia Ioannes habet*. Vnde de Petro non prædico entitatem Ioannis. Vel si vis dic; in illis propositionibus non prædicari similitudinem adæquatam, quę vtrumque extremum inuoluit, sed inadæquatam.

214 Obj. 12. Si Ioannes constitueret Petrum in esse similis, dum dico, *Petrus est similis Ioanni*, dicerem, *Ioannes est similis sibi*; quod repugnat; ergo tota similitudo consistit in fundamento.

215 Resp. Maio. nego. Dum enim dico, *Petrus est similis Ioanni*, loquor de Petro specifice sumpto, de quo dico, habere eadem predicata, ac Ioannes; non vero de Petro reduplicative sumpto in esse similis; in quá reduplicatione inuoluitur ipse Ioannes: vnde hæc propositio nequit admitti, *Petrus vt similis est similis Ioanni vt simili*: Sic enim sequeretur inconveniens argumenti; Ioannem scilicet esse similem sibi. Nec in sententiá ponente relationem in similitudine, hæc, & similis propositiones, *Petrus vt similis refertur ad Ioannem vt similem*, admitti possunt.

216 Obj. 13. Similitudo duplicis albedinis est, quà vna est sicut alia; sed coniunctum non est id, quo vna est sicut alia; ergo similitudo non consistit in coniuncto. Prob. min. Quælibet vt distincta ab aliá est sicut alia; sed quælibet vt distincta ab alia non est coniunctum ex vná, & aliá; ergo.

217 Resp. Dist. Maior. Est quà adæquate, concedo; est quá inadæquate, nego. Et sic dist. etiam minor. & conseq. Cum enim similitudo nihil aliud sit, quam vtraque albedo, ideo est id, quo adæquate; quælibet autem seosim est id, quo inadæquate. Vnde licet quælibet seorsim non sit coniunctum, tamen quælibet vt distincta ab aliá est sicut aliá vt quo inadæquate, & etiam vt quod, id est, id quod simile denominatur per ipsam similitudinem, quã inadęquate constituit.

218 Obj. 14. Si similitudo, & dissimilitudo dicerent duo extrema,

requireretur,quod qui vult dissimilitudinem vellet duo extrema, v. g. qui vult Petrum esse dissimilem moribus Pauli hominis impij, vellet non solum bonos mores Petri, sed etiam mores ipsos Pauli: quod certe dissonat. Ergo dissimilitudo non involuit vtrunque extremum.

219 Confir. Cum Deus cognoscit Petrum peccare, amat veritatem, & similitudinem sui actus cum obiecto; sed nequit amare peccatum; ergo similitudo non est conunctum ex vtroque.

220. Resp. Negando assumptum argumenti. Nam qui vult dissimilitudinem,non vult eam secundum adęquatum,quod dicit, sed vnam partem supponit,& aliam vult. Supponit malos mores Pauli, & vult mores Petri ita non se habere:& sicut confessarius, qui vult confessionem peccatorum, Prędicator pœnitentiam eorum, & Iudex declarationem criminis, supponunt peccata,& crimina, non vero illa intendunt: ita qui dissimilitudinem morum Petri à pravis moribus Pauli desiderat,supponit pravos mores Pauli,& bonos mores Petri solum amat, dicitur tamen velle dissimilitudinem: quia vult talis dissimilitudinis complementum. Ad confir. eodem modo respondetur:Deum velle non adęquatam similitudinem prædicamentalem actuum cum obiecto,sed solum inadæquatam;vult enim cognoscere ipsa peccata casu,quo dentur,sicut vult ea punire.

221. Obj. 15 ex Linze.Similitudo duorum hominum est æqualis similitudini duorum Angelorum, sed duo homines non sunt æquales duobus Angelis,sed longe inferiores in perfectione;ergo duo homines ad minus rigorosè virtualiter distinguuntur á similitudine;cum verificetur de similitudine, & de duobus hominibus duplex contradictorium.

223. Retorq. Argum. in binario hominum simili binario Angelorum,& tamen duo homines longe dissimiles sunt duobus Angelis; ergo binarium hominum rigorosè virtualiter ab ipsis hominibus distinguitur,quod non concedit Linze.

224. Resp. Dissimilitudinem duorum hominum esse æqualem,&c.id est, sicut homo habet eadem prędicata, ac homo,ita Angelus habet eadem prædicata,ac Angelus,concedo; id est, æqualis in perfectione, nego. Sicut enim vna libra plumbi tantum ponderis habet,ac vna libra auri,& tamen vna libra auri longe perfectior est vna libra plumbi sine talibus chimæricis virtualitatibus superadditis; ita similitudo duorum hominum tam similitudo est, quam similitudo duorum Angelorum, id est, hi duo homines tam sunt homines,quam illi duo Angeli sunt Angeli, & tamen non sunt tam perfecti homines,quam Angeli, quin ad hoc aliqua virtualitas superaddita requiratur.

225. Vnde si similitudo, & duo homines eodem modo sumantur, idem, quod de similitudine, verificatur de duobus hominibus,nam sicut similitudo hominum est æqualis in esse similitudinis formaliter similitudini duorum Angelorum, ita duo homines in esse similium sunt formaliter æquales duobus Angelis in esse similium formaliter. Sicut vero duo homines sunt inæquales in perfectione duobus Angelis; ita similitudo est inæqualis in perfectione similitudini duorum Angelorum. Argumentum,vel mutat suppositum; supponit namque in Maiori pro similitudine in esse similitudinis,& in minori pro similitudine in esse perfectioris: vel etiam æquivoco laborat desumpto ex ipsa comparatione similitudinis;nam similitudo inter duos homines,si comparetur cum ipsis hominibus inter se,est similitudo summa, seu nu-

meri-

merica,hoc est, duo homines solo numero differunt, & similiter similitudo duorum Angelorum inter se. Si vero comparetur similitudo hominum cum similitudine Angelorum, iam non numero tantum,sed specie immò,& genere differunt inter se,hoc est,duo homines specie, & genere differunt à duobus Angelis.

226 Obj. 16. ex eodem Linze. Viso à longe duplici ligno non dubito de vtriusque existentia, & dubito de vtriusque æqualitate; immo etiam proximè viso, si parvus sit excessus; ergo æqualitas aliquid aliud est, quam duplex lignum.

227 Resp. Quod sicut de homine á longe veniente ex defectu specierum adæquatarum obiecti, non dubito esse animal, dubito tamen an sit rationale, & tamen non infertur animal á rationali rigorosè virtualiter distingui; sed solum vi illius modi cognoscendi non posse intellectum reddere rationem de rationali, bene tamen de animali; ita visâ longe, vel proxime, si parva sit differentia, possum dubitare, vtrum talia ligna sint æqualia, nec ne? Non quia reipsá æqualia non sint, sed quia aliàs non habeo notitiam, seu speciem certam de extensione determinatá duplicis illius ligni. Quando enim excessus in extensione percipitur, viso vtroque ligno, statim inæqualitas sine dubitatione asseritur.

228 Obj. 17 Dentur duo intensiones caloris vt quatuor, crescat deinde quivis, & fiat vt quinque. Tunc sic, eadem similitudo datur nunc, ac antea inter duos illos calores; sed non datur eadem entitas, sed maior; ergo similitudo distinguitur ab entitate.

229 Resp. Nego Maior. Nam cum similitudo nihil aliud sit, quã illi duo calores vt quatuor simul existentes, cum iam non dentur calores vt quatuor, sed vt quinque, iam non datur eadem similitudo, licet absolutè detur similitudo,sed alia,sicut alia intensio.

230. Objic.18. Ponamus duas intensiones caloris vt quatuor, addatur vnus gradus alteri ex eis, quo fiet vt quinque; alia vt quatuor remanente: tunc deficiet prima similitudo;sed non deficiet intensio, & entitas prior,cum potius augeatur;ergo signum est, quod similitudo prior non identificabatur cum entitate priori.

231. Resp. Intensiones caloris vt quatuor duas similitudines habere,vnã adæquatè positivam, consistentem in eo, quod vtraque sit vt quatuor,& hęc etiam superaddito alteri ex eis vno gradu caloris manet, quia verum est dicere, *hæ duæ intensiones habent quatuor gradus caloris*, & si vna ex eis habeat quinque: alteram partem negativam consistentem in eo, quod vtraque habeat tantum quatuor gradus, seu non habeat alios supra quatuor; hæc ergo similitudo destruitur adventu illius novi gradus,quia destruitur illa carentia, in qua fundata erat talis similitudo.

232. Obj. 19. Similitudo inter duas substantias fundatur in ipsis substantijs; sed quod fundatur in alio distinguitur ab illo;ergo. Resp. dist.mai. fundatur proprie, & rigorosè; nego: metaphysicè,& in subsistendi conseq. quatenus valet,hic homo est,illeque est homo;ergo sunt similes, concedo. Solum proprium,& physicum fundamentum distingui debet á re fundata.

233. Obj. 20. Possunt perfectè cognosci duæ res per duas cognitiones, quin cognoscantur coexistere; ergo coexistentia est modus distinctus ab ipsis rebus. Idem argumentum fit in similitudine. Possunt cognosci duæ entitates in re similes,quin cognoscantur esse formaliter similes; cum possint

co-

noici absque eo quod vna cognoscatur sicut alia; ergo similitudo erit quid distinctum á fundamento, & termino.

234 Resp. Quod licet coexistentia sit modus distinctis ab ipsis, non est modus relationis, nec modus similitudinis, sed correspondentia rerum eidem tempori intrinseco, inquo coexistit duratio. Suppositis tamen rebus coexistentibus, & durantibus; quid quid sit, an durationes distinguantur ab extremis? Inquirimus an similitudo, vel relatio sint separabiles ab ipsis rebus? Sint modi realiter superadditi, nec ne? Ad argumentum respondetur ex eo solum inferri; aliquam distinctionem formalem inter ipsa extremâ, & sicuitatem; quia scilicet possunt concipi extrema sine illa sicuitate; sicut animal potest concipi sine rationali, & tamen ab eo formaliter tantũ distinguitur, quia re ipsá animal identificatum est cum rationali; ita similiter, si duo homines habeant eamdem qualitatem, albedinem v. g. re ipsá sunt similes; ergo similitudo numquam est separabilis realiter ab extremis.

235 Obj. 21 Omnis oppositio, quá talis est, est relatio; sed omnis dissimilitudo est oppositio; ergo omnis dissimilitudo est relatio. Resp. Nego Maior. Nam opositio ex se solum dicit extrema physicè incompossibilia, & relatio vltra dicit respectum, seu respicientiam vnius ad aliud.

236 Nota Quod si vis confundere relationem formalem cum similitudine, aut æqualitate formali, vt plerique confundant, doctrina in 2. conclusione posita, & horum argumentorum solutione nihil desiderandum ibi relinquitur, vt defendas: relationem 1. Generis in coexistentia fundamenti, & termini. Item, si dicas, Patrem in denominationem Patris constitui per Filium, & è contra, etiam in Diuinis cum P. Arriagá, Insuper etiam Patrem non producere Filium, vt Filium reduplicatiue, sed solum specificatiue, dicentem scilicet in recto substantiam generantem, & in obliquo terminum, & idem dicas de Filio, scilicet non generari vt Filium reduplicatiue, sed specificatiue, dicentem scilicet in recto substantiam genitam, & in obliquo Patrem; facillimé etiam poteris defendere relationes 2. Generis similiter in coexistentiá fundamenti, & termini. Vide appendicem in vltimo Logicę appositum.

SVBSECTIO III.

CONTRA TERTIAM CONCLVSIOnem soluuntur argumenta.

237 OBj. 1. Actio pertinet ad prędicamentum actionis; ergo in ea non consistit relatio: aliás duo hæc prædicamenta non differrent.

238 Relationes 2. Generis non pertinere ad prædicamentum relationis, sed ad prædicamentum actionis, tenent Pont. Santa Cr. & alij, dicentes; solum relationes 1. Generis ad prædicamentum relationis pertinere. Resp. dist. antec. Pertinet ad prędicamentum actionis sub nomine, & munere actionis; concedo: sub nomine, & numere relationis, nego. Nam cum actio sub nomine actionis sit relatio transcendentalis sui ad principium, & terminus, iuxta hoc munus, pertinet

net ad prędicamentum actionis; & cum etiam sub nomine relationis prædicamentalis referat principium ad terminum, iuxta hoc munus pertinet ad prædicamentum relationis; & hoc sufficit, vt prædicamenta distincta constituat; vt supra deximus de actione, & actu intellectus comparanti.

239 Obj. 2. Transactâ actione generatiua, manentibus solum substantijs generante, & genita, manet actualis Paternitas, & Filiatio, ergo non consistunt inctione generatiua.

240. Resp. Dist. Antec. Manet physicè, & ex parte obiecti, nego: moraliter, concedo. Transacta enim physica actione, physicè nec datur Paternitas, nec Filiatio, nec relatio: attamen vulgò dicitur Pater Petrus v.g. respectu Ioannis, & hic Filius transacta actione solum physicè, & permanente moraliter. Sicut qui ex furto, & homicidio præteritis dicitur actualiter fur, & homicida; quia scilicet talia crimina censentur permanere in ordine ad has denominationes. Vnde eo modo, quo dicitur Paternitas, & Filiatio, datur actio generatiua. Si detur Paternitas physicè, vt in 1. instanti generationis, ipsa generatio physicè existit; si detur moraliter, moraliter etiam existit, hoc est, ex stimatur ac si existeret.

241. Obj. 3. Ille dicitur Pater actu physice, cuius Filius actu physicè existit; sed transacta actione generatiua Petri, Ioanne eius Filio existente, Filius Petri actu physicè existit; ergo Petrus actu physice est Pater.

242. Resp. conc. maior, & nego minor. Nam transacta actione Ioannes v.g. nec est actu physicè Filius Petri, sed solum moraliter, & ampliatiue; quia scilicet ille dicitur Filius actualis, qui exstitit, & fuit aliquando Filius physicè vi actionis generatiuæ physice existentis. Fateor substantiam generantem posse habere physice á Filio denominationem coexistentis cum ipso sed hæc denominatio non est denominatio Patris, quæ solum á generatione desumitur, vnde vniuersaliter loquendo, iuxta communem acceptionem, hæ voces *Pater*, & *Mater* significant etiam eos, qui genuerunt, & Filius, & Filia, eos etiam, qui geniti fuerunt. Sic Virginem Sanctissimam nunc *Deiparam*, Matrem que Dei compellamus; sic Christus D. sæpè Filium hominis se appelauit.

243. Replic. 1. Si ratione generationis præteritę Petrus dicitur Pater respectu Ioannis; ergo & ratione generationis futuræ; immò & possibilis dicetur etiam actualiter Pater. Prob. conseq. Quia id, quod est preteritum tam nihil est, quam id, quod est futurum, aut possibile; ergo.

244. Resp. Physice loquendo; neque ratione generationis futuræ, vel possibilis, neque ratione generationis prętertæ aliquem posse dici Patrem, aut Filium, & valet argumentum. Vnde solum debemus recurrere ad denominationes ampliatiuas, & morales; hæc ergo cum dependeat á communi vsu loquendi, & á prudentum locutione, quæ debet attendi, quæque non denominat aliquem Patrem ratione generationis futurę, vel possibilis; sic neminem antequam habeat Filium, vel habuerit, Patrem appellat: attamen nomen Patris attribuit ei, qui genuit aliquando, adhuc generatione transacta: ita ergo debemus loqui, dicereque; denominationem Patris non desumi á generatione possibili, licet aliç denominationes á rebus possibilibus desumantur, sicut denominatio *prioris*: existentia enim Antichristi solum possibilis me priorem denominat respectu illius.

245. Replic. 2. Non minus de essen-

essentia denominationũ *Patris, & Filij* est generatio, quam fundamentum, & terminus; sed translacta physice generatione, solum moraliter existente, dantur denominationes Patris, & Filij; ergo ablato fundamento dabitur denominatio Filij, & ablato termino dabitur denominatio Patris.

246. Totum hoc est denomine, dependet que á communi vsu loquendi. Stando rationi paritas cõvincit; sed argumentum non convincit, nam louctiones hæ non introducuntur ratione, sed authoritate, quæ sępe ratione caret; cum habeat pro ratione voluntatem. Resp. sæpe ablato fundamento, Patre scilicet, datur denominatio Filij; sic de facto dicuntur filij Adami homines: Carolus secundus dicitur Filius Philipi Quarti, ei similis, &c. Sed ablato termino, non ita communiter datur denominatio Patris, iuxta illud Ovidij de Dedalo; & Icaro.

247. *At Pater infelix, iam non Pater, Icare clamat.* At vero si in toto rigore loquamur, nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre actualiter existentibus possunt dari. Audiatur Sanct. Cirilus de Trinit. cap. 7. *Non erat vnus Pater, quando Filius non erat, sed simul Pater, & simul Filius ex ipso generitas, quippe Pater, qui caret Filio, nemo vocatur.*

248 Obj. 4. *Relativa sunt simul naturâ, & cognitione*; sed Pater, & Filius sunt relativi; ergo. Tunc sic; sed si Pater constituitur per generationem, non erit simul naturâ cum Filio; nam generatio est prior naturá generato: ergo.

249 Resp. Si vis, nega maior, vniuersaliter de omnibus relativis, quæ licet sint simul cognitione, non tamen natura: vel ita explica axorma; *sunt simul naturá*; hoc est, eo ipso quod detur vnum relativum aliud correlativum necessariò debet dari. Si autem aliter intelligatur axioma, falsum est.

250 Obj. 5. Ex Spinulá. d. 5. physic. num. 16. Conceptus formalis actionis est referre effectum ad causam, non vero causam ad effectum. Prob. Actio est dependentia, seu fluxus effectus á causá; ergo non causam, sed effectum refert. Resp. Nego antec. Ad prob. dico; actionem esse fluxũ effectus à causá, & ideo illum refert, & simul esse viam causæ ad effectum, & ideo illam refert.

251 Obj. 6. Ex eodem. Actio solum est intrinseca effectui, & extrinseca causæ; ergo solum effectum, & non causam refert. Resp. Admitto anteced. & nego coseq. solum enim sequitur; causam extrinsece referri ad effectum, & effectum intrinsece referri ad causam; non vero sequitur absolute; causam non referri ad effectum.

252 Obj. 7. Ex eodem cum Ioannis. Causa, quę per actionem indistinctam ab effectu illum producet non referretur prædicamentaliter per ipsam actionem: Prob. Relatio est ad aliud: ergo debet distingui á termino: alioquin ipse effectus referretur ad se ipsuam. Respond. Nego assumptum. Ad prob. Disting. antec. Relatio est ad aliud distinctum á fundamento, concedo; distinctum á se, nego. Sicut enim actio non est ad effectum distinctum ab ipsá actione, sed ad effectum distinctum ab ipsá causá; sic relatio non est ad aliud distinctum ab ipsá relatione, est tamen ad aliud distinctum á fundamento; quod sufficit, vt vi illius actionis, quá accidentaliter agens redditur causa, reddatur etiam prædicamentaliter relatum.

253 Obj. 8. & Replic. ex Ioan. Relatio saltem vt *quo* refertur ad terminum: ergo actio identificata cum termino nequit esse relatio. Prob. conseq. Vnio solum vnitur vt *quo*, & tamen vere, & proprie vnitur. Actio item solum producit vt *quo*, & tamen vere, & proprie producit: ergo licet relatio solum referatur vt *quo*, vere, & proprie refertur. Tunc sic: sed id, quod propre, & vere refertur, propriê distinguitur: ergo relatio debet esse ad ad aliud distinctum á se ipsá.

254. Resp. Nego antec. quo ruit argumentum. Non enim est de conceptu essentiali relationis referri vt *quo* vnde licet talis actio identificata non referatur vt *quo* ad terminum, referret tamen vt *quo* fundamentum ad terminum. Exempla actionis, & vnionis nobis favent; nam vnio, quæ esset vni extremo identificata, non vniretur vt quo illi, sed illum vniret vt quo alteri extremo, & actio identificata cum termino, non produceret vt *quo* illum, sed esset id, quo terminus produceretur.

255. Obj. 9. Si duæ causæ per eandem numero actionem concurrant ad eundem numero effectum (quod saltem Divinitus non repugnat) habebunt duas relationes prædicamentales distinctas; sed non haberent duas actiones; ergo relatio in actione non consistit. Resp. Nego Maior. Sicut duplex causa illa per vnicam actionem effectum producit, ita per vnicam relationem refertur ad terminum; tunc enim solum daretur duo fundamenta relata per eandem relationem; sicut casu quo eadem albedo in duplici subiecto poneretur, daretur duplex album, &c.

256. Obj. 10. Et è contra efformatur argumentum. Si eadem causa Divinitus per duplicem actionem eundem effectum generarent, haberet duas generationes; sed non haberet duas Paternitates; ergo. Resp. Minor. Nego. Nam eisdem rationibus, quibus probatur, non repugnare duplicem actionem totalem in vnica causa respectu vnici effectus; probatur etiam, non repugnare duplicem Paternitatem; duplicemque relationem vnius causę ad eundem numero effectum; ex hoc tamen non inferretur; dari duplicem Patrem, cum fundamentum non multiplicetur.

257. Obj. 11. Multiplicatis terminis, debet multiplicari relatio; vt postea videbimus, sed possunt multiplicari termini, quin multiplicetur actiones, ea su quo Divinitus duplx terminus per eandem numero actionem produceretur; ergo relatio ab actione distinguitur. Confir. In composito dantur duo termini: ergo & duę relationes; sed vnica tantum datur vnio: ergo relatio in esse vniti non consistit in vnione.

258. Resp. Dist. Maior. Naturaliter, concedo; Divinitus, nego, & in Minori stat solutio. Naturaliter loquendo multiplicatis terminis, multiplicantur actiones, & consequenter relationes; cum enim in casu posito actio non multiplicaretur ad terminorum multiplicationem, nec relationes multiplicarentur, sed per eandem et relationem referretur causa ad illos duos effectus. Ad confir. dico: quod licet dentur duo termini in composito, ambo per eandem et relationem referuntur, sicut per eandem vnionem vniuntur.

259. Obj. 12. & Replic. Implicat, quod per eandem relationem referatur fundamentum ad terminum, & terminus ad fundamentum; ergo si actio, & vnio essent relationes prædicamentales, deberet poni actio ex parte fundamenti, & passio distincta ex parte termini; vna vnio ex parte materiæ, & alia ex parte formę: quod á nobis non admittitur. Prob. antec. 1. Pater, & Filius opponuntur relativè: ergo implicat, quod per eandem relationem re-

referantur. Aliàs per eandem formam constitueretur duplex subiectum oppositum, in esse oppositi, quod certè repugnat. Prob. 2. Nam idem subiectum esset simul Pater, & Filius. Ponamus; v.g. Petrum generantem, & Paulum genitum; vterque habet capacitatē vt denominetur Pater, & Filius. Generatio est etiam forma ex se capax vtramque denominationem conferendi. Cur ergo eademmet generatio posita inter Petrum, & Paulum, Petrum denominabit Patrem, & non Filium? Et è contra. Cur posita in Paulo illum denominabit Filium, & non Patrem? Ergo prȩter actionem aliquid aliud requiritur, vt hic, & nunc Petrus dicatur Pater, & Paulus dicatur Filius.

260 Confir. In generatione Divina, ideo ponitur duplex origo, activa, & passiva; actiua, quæ se teneat ex parte Petris, & passiua, quæ ex pate Filij se teneat, quia per generationem referuntur Pater, & Filius, & eadem origo ad vtrumque non sufficeret; ergo ponenda est actio in Petro, & passio distincta in Paulo, vt referantur relatione Patris, & Filij, vel supra actionem ponendum est aliquid distinctum; sive sit accidens Thomisticum, sive sit actus intellectus comparans.

261. Omnes tenentur quærere huic argumento solutionem, nam sive relatio consistat in accidenti superaddito, sive in actu comparante, certum est actionem generativam distinctum effectum præbere fundamento ac termino, illud denominat producens, generans, aut genitorem; hunc denominat productum, aut generatum; cum enim eadem forma confert hos viros effectus fundamento, & termino; cur tam fundamentum, quam terminus ex se sit vtriusque effectus formalis capaces? Præterea: tota relationis oppositio relucet inter producens, & productum, iuxta illud, *omnia in Diuinis sunt idem, vbi non obstat relationis oppositio producentis, & producti*; sed eademmet productio præbet vtramque denominationem; ergo eadem forma constituit duplex subiectum oppositum in esse talis. Insuper vt Pater dicatur generans (quid quid sit de relatione) & Filius Divinis dicatur genitus ponitur illa duplex origo actiua, & passiva, vtraque identificata; actiua cum principio, passiva cum termino; ergo vt Pater creatus dicatur generans, & vt Filius creatus dicatur genitus duplex etiam requiritur generatio, vna activa identificata cum Patre, & alia passiua identificata cum Filio. Certe teneris respondere, á *Diuinis* ad creata nullum esse in puncto præsenti paritatem. Idé, & ego dicam.

263. Resp. ad Argum. Nego anteced. Ad 1. Prob. Concedo antec. & nego conseq. Ad eius prob. Disting. Per eamdem formam constitueretur duplex subiectum oppositum in esse oppositi, relative, concedo; alia oppositione, nego. Oppositio relativa non est propria oppositio, sicut oppositio inter calorem, & frigus, inter lucem, & tenebras; sed est quædam impropria oppositio, quæ potius appellanda est illatio, quia consistit in eo, quod posito, vel concepto vno correlativo, aliud poni, & concipi, necesse est. Vnde nullo modo repugnat per eandem formam, per eandem scilicet generationem constitui vtrumque oppositum, generans, & generatum, Patrem, & Filium.

263. Resp. ad 2. prob. Quod licet Petrus v.g. sit capx vt Filius, & etiam Pater denominetur, & licet actio generativa sit forma ad vtrunque; attamen solum est capax denominari Filius per

per actionem ad ipsum terminatam, receptam que ab ipso, non vero per actionem ab ipso egredientem. E contra solum est capax denominari Pater per actionem egredientem ab ipso, non vero per actionem terminatam ad ipsum. Qua propter absque vllo superaddito actio generativa egrediens á Petro, & terminata ad Paulum, Petrum denominat Patrem, & non Filiū: & Paulum Filium, & non Patrem. Sicut eadem cognitio intellectum denominat intelligentem, & obiectum cognitum. Eadem actio principium agens, & terminum actum, &c.

264. Resp. ad confir, non ideo poni in Divinis duplicem originem, activam, & passivam, quia per generationem Pater, & Filius referuntur, sed quia solum requiritur actio distincta â termino producto, quando terminus habet aliquam indifferentiam in suâ productione; & similiter solum requiritur actio distincta á producente quā do habet similiter aliquam indifferentiam in producendo; at quando terminus essentialiter producitur, & quando producens essentialiter, & necessario producit, nulla actio requiritur distincta, sed causa se ipsá producit, & effectus est sua productio; cum ergo in Divinis Pater essentialiter producat, ideo origo, seu productio actiua identificatur cum Paternitate; & cum Filius essentialiter producatur, ideo origo, seu productio passiva essentialiter identificatur cum Filiatione; & consequenter datur duplex origo, duplex que productio.

265 Rogas: in quo distinguatur relatio prædicamentalis á transcendentali? Varias huius duplicis relationis diuersificationes vide apud Etiā. D. d. 47. Metaph. sect. 4. Linze. lib. 5. metaphic. tom. 6. cap. 2. Arriaga d. 12. Logicæ. sect. 4. in quibus non parum denomine miscetur. Ego vero, vt cum pluribus loquar. *Dico*, relationem prædicamentalem differre a transcendentali in eo, quòd relatio prædicamentalis sit habitudo distincta vel adequatè, vel inadæquatè ab eo, quod refertur. Relatio vero transcendentalis est habitudo adequate identificata cum eo, quod refertur. *Diversitas* hæc patet ab inductione; omnis enim relatio prædicamedtalis distinguitur ab eo quod refert; præcipue in mea sententiá defendente relationem prædicamentalem 1. Generis in actu comparativo, & relationem 2, Generis in actione. Omnis actus comparans, omnis que actio, quȩ sit prædicamentalis relatio distinguutur ab entibus relatis; nam licet non repugnet causa se ipsá producens, effectus se ipso productus, nec illa causa, nec iste effectus tunc prædicamentaliter referrentur: vt iam supra diximus.

266 Quod relatio transcendentalis identificetur cum ente, quod refert, etiam patet. Nam relatio transcendentalis est connexio, ratione cuius reddito impossibili termino, redditur impossibile fundamentum; sed quid quid transcendentaliter refertur, habet hoc per suam essentiam; ergo & transcendentaliter referri. Prob. min. causa per suammet essentiam habet hoc, quod est, esse productivam effectus, & effectus habet hoc, quod est, esse producibilem á causâ; sed reddito impossibili effectu, redderetur impossibilis virtus productiva illius; & redditá impossibi causa rederetur etiam impossibilis producibilitas effectus; ergo hoc, quod est, reddi impossibile fundamentum, impossibili reddito termino, & è contra; est de essentiâ tam termini, quam fundamenti; ergo & relatio transcendentalis.

SECTIO VI,

VTRVM RELATIO TERMINETUR AD ABSOLUTUM, VEL AD RESPECTIVUM?

267 HOC est, an terminus, quem fundamentum respicit sit relatio, terminus ve reduplicative vt relatus; an vero sit entitas ipsius termini, terminus ve specificative relatus?

268 Antiqui omnes Thomistæ cum Caietano, & Medina asserunt; omnem relationem ad respectivum terminari. Alij cum nostro Rubio, & Sancta Cruz, num. 944. Tenent tantum hoc in relationibus mutuis. PP. Arriaga, & Linz. in relationibus mutuis ad vtrunque terminari, affirmant. In relationibus vero 2 Generis; aliter discurrendum esse, affirmat Arriaga; scilicet ad absolutum terminari. Vnde meo videri in 1. conclusione intendit vnam relationem similitudinis se ipsa ad aliam relationem referri.

269. Omnes fere Nostri DD. cum Exim. Doct. Oviedo. Compt. & alijs defendunt; omnem relationem, sive mutuam, sive non mutuam ad absolutum terminari; sed quia quęstio potest procedere de vtraque relatione, tam prædicamentali, quam transcendentali,

270. *Dico* 1. Relatio transcendentalis mutua ad respectivum terminatur. Non mutua ad absolutum. Ita expressè Arriaga, n. 170. & Compt. disp. 11. Metaphy sect. 14. n. 1.

271. Prob. quoad 1. partem in materia v.g. quæ trascendentaliter refertur ad formam. Materia per suam essentiam respicit essentiam formæ, sed essentia formæ est relatio transcendentalis ad materiam; cum relatio transcendentalis identificetur essentialiter cum rebus relatis; ergo relatio transcendentalis terminatur ad respectivum. Prob. quoad 2. part. in cognitione, quæ iuxta communiorem sententiam refertur ad obiectum, quin hoc ad cognitionem referatur; & in creatura relata ad Deum non relatum ad creaturam, in sententia P. Vasq. Deus nullum dicit respectum ad creaturam; ergo non est respectivus; ergo cum creatura terminatur ad Deum, non terminatur ad respectivum, sed ad absolutum.

272. Dico 2. Nulla relatio prædicamentalis, sive mutua, sive non mutua terminatur ad respectivum vt tale, sed omnis terminatur ad absolutum. Ante prob. nota; me præscindere ab eo, quod sit possibilis, vel non relatio non mutua; probabilissimam namque iudico sententiam Linz. asserentis, omnem relationem esse mutuam.

273. Prob. conclus. 1. In relationibus non mutuis certissimum est; vnam relationem non terminari ad aliam, nam cum terminus relationem non habeat, neque relatio terminetur ad se ipsam, nulla datur relatio ad quam relatio fundamenti terminari possit. Hinc; Ergo non est de conceptu relationis prędicamentalis vt talis terminari ad respectivum; ergo nec relatio mutua ad respectivum terminabitur.

275. Prob. 2. Petrus non est similis similitudini Ioannis, sed Ioanni; nec Paulus est dissimilis dissimilitudini lapidis, cum conveniant in ratione dissimilitudinis. Item virga non est æqualis ęqualitati alterius virgæ, sed virgæ ipsi; ergo Petrus in esse similis, Paulus in esse dissimilis, virga in esse ęqualis non terminatur ad respectivum, sed ad absolutum: ad respectivum reduplicativè, sed ad respectivum specificativé. In relationibus secundi generis hoc etiam patet. Nam Pater tantum refertur vt Pater ad terminum, cuius est Pater, & quem generat: sed tantum est Pater substantiæ Filij, Filiumque tantum generat, & non Filiationem, seu respectum Filij erga Patrem, qui est quid resultans: ergo Pater vt talis solum terminatur ad Filium, & ad substantiam Filij, non vero ad relationem.

275. Viget. 1. Petrus non est similis Ioanni, quia Ioannes est similis ipsi, sed quia est albus, vel homo: ergo Petrus in esse similis non terminatur ad Ioannem vt similem, sed ad Ioannem vt album.

276. Uirgetur 2. Si Deus destrueret accidens, quo Filius refertur ad Patrem, permanente accidenti, quo Pater refertur ad Filium, Pater manet relatus, sed tunc in Filio relatio non daretur: ergo relatio Patris non terminatur ad relationem.

277. Nota cum Arriaga. Solum in sententia Thomistica statuente relationem realiter distinctam á fundamento, & termino, in accidenti superaddito vtrique dari locum questioni; nam in sententia ponente relationem in coexistentiá fundamenti, & termini; & in nostra ponente relationem 1. Generis in actu comparante; & 2. Generis in actione, extra controversiam est, relationem non terminari ad relationem. Iuxta primam sententiam, quia relatio est vtrumque extremum; cum auten ad se ipsam non terminetur, relatio non terminatur ad relationem. Nec fundamentum terminatur ad terminum vt respectivum; quia vt respectivum, cum inuoluat respectum, seu relationem, involvit iam ipsum fundamentum, quod ad se ipsum nequit terminari.

278 In nostra sententia, quia non datur duplex relatio, seu duplex cognitio, aut actio, sed eademmet cognitio, & eademmet actio refert fundamentum ad terminum, & terminum ad fundamentum, vtrumque relatum denominans; ergo sicut cognitio Petri non terminatur ad Petrum vt cognitum, nec actio productiua Francisci terminatur ad Franciscum vt productum sed ad Petrum, & Franciscum specificative, quos exercite denominat, ita nequa cognitio referens, neque actio terminantur ad terminos vt relatos, sed ad terminos entitative, quos relatos exercite faciunt.

279 Obj. 1. Pater refertur ad Filium, quatenus relative oppositum est Patri; sed Filius non entitative, sed vt Filius, est relatiue oppositus Patri; ergo. Vrgetur. Relatio solum refertur ad terminum, cui opponitur; sed solum opponitur relationi; ergo solum refertur ad relationem. Confir. In Divinis vna relatio refertur ad aliam; argo idem in creatis.

280 Resp. Nego maior. Pater namque solum refertur ad Filium, quem producit mediá generatione, quá & Pater in esse Patris, & Filius in esse Filij oppositi relative constituitur. Vnde cum Pater respiciens Filium, illum secundum denominationem geniti vt talis non respiciat, sed solum ipsum specificative, quem genuit; nec actio respiciat denominationem producti, quã formaliter per exhibitionem sui communicat; & solum opponatur relative Filius Patri, vt productus, & genitus; inde est quod Pater non referatur ad Filium vt sibi relative oppositum, nec vna relatio aliam respiciat.

Hine

281 Hinc ad vrgentiam solutio. Nego suppositum quod relatio opponatur relationi, immo & quod detur duplex relatio; cum solum detur eadem cognitio referens fundamentum ad terminum, & eadem actio generans, & genitum constituens; dicuntur tamen Pater, & Filius relative oppositi, quatenus scilicet ita vi eiusdem actionis comparantur, vt neque Pater possit esse Filius; neque Filius possit esse Pater. Inferuntur tamen. Ad Confir. Assigno disparitatem. Relationes Divinæ realiter distinguntur inter se. Eadem relatio Patris realiter identificatur cum Patre, & relatio Filij cum Filio, ideo que potest vna relatio ad aliam terminari, & eo ipso quod Pater Filium respiciat, respicit relationem, sicut in relatione transcendentali discurrimus.

282 Sed ad huc iu Thomistarũ principijs. Resp. Neg. ant. Nam Filius constituitur relative oppositus Patri per accidens superadditum Filio, quod quidẽ accidens Pater nec generat, nec producit; ergo vt Pater non respicit Filium vt relative oppositum sibi formaliter, sed solum fundamentaliter, quatenus scilicet est fundamentum talis accidentis, quod relatio dicitur. Vnde relatio (& est solutio vrgentiæ) solum refertur ad terminum, cui opponitur fundamentaliter, nempe ad entitatem Filij, non ad terminum, cui formaliter opponitur, nempe ad aliud accidens. Ad confir. applica secundã solutionem num. antec.

283. Obj. Aristotelem asserentem, servum non referri ad hominem, sed ad *Dominum*; ergo respectivum ad respectivum. Resp. Aristotelem solum intendisse, servum non referri ad quemcunque hominem, sed ad illum, qui dominium habet ipsius; sicut nec Petrus est Filius cuiuscunque hominis, sed illius, qui illum genuit, ex quo solum sequitur, relationem terminari ad terminum respectivũ specificative.

284. Obj. 3. Relativa sunt simul natura definitione, & cognitione; hoc est, debent simul cognosci, & vnum in ordine ad aliud definiri, ergo quia vna relatio ad aliam terminatur.

285. Resp. Concedo antec. & nego conseq. Nam esse simul cognitione, tantum significat, quod sicut vtrumque accidens (loquor in Thomist. sententia) simul resultat, ideoque est simul natura, ita vtrumque simul cognoscitur, & ideo est simul cognitione; quin ex hoc inferatur, Patrem vt talem respicere accidens superadditum Filio, sed solum entitatem Filij, quam producit. Esse simul definitione, solum sibi vult, vnum definiri in ordine ad aliud, non reduplicative vt relatum, sed specificative; nam eo modo vnum in ordine ad aliud definitur, quo aliud respicit, sed aliud solum specificative, & non reduplicative respicit; ergo.

286. Obji. 4. Si ralatio non terminaretur ad respectivum; sequeretur quod Petrus v. g. prius esset Pater, quam Ioannes esset Filius: quod repugnat; ergo. Prob. sequela. Ioannes prius est homo, quam Filius; ergo si Paternitas ad Ioannem vt hominem, & non vt Filium terminatur, prius erit Petrus Pater Ioannis, quam Ioannes Filius Petri.

287. In nostra sententia nullam habet difficultatem argumentum. Nam in eodem instanti reali, & rationis, quo ponitur actio generativa, Petrus est Pater, & Ioannes Filius; nam in eodem instanti rationis, in quo concipitur causa actualiter generans, concipitur terminus actualiter genitus. In sensu vero Thomistarum iuxta eorum principia; in illo priori antequam accidentia in Patre, & Filio resultent, quo vterque est homo, nec Petrus est Pater formaliter, sed solum fundamentaliter; nec Ioannes est formaliter, sed solum fundamentaliter Filius. Unde nec pro priori est *Pater*, & non *Filius*, sed in eodem instanti rationis resultat vtrunque accidens, simul denominans *Petrum Patrem*, & Ioannem *Filium*.

SECTIO VII.

VTRVM MVLTIPLICATIS terminis multiplicentur relationes?

228. IN omni sententià certum est; multiplicato fundamento, relationes multipcari. An eodem modo multiplicatis numero terminis, debeat etiam multiplicari relatio? dissidium est: v. g. an Petrus habens Paternitatem erga primum Filium, alio secundo Filio producto, aliam novam Paternitatem adquirat? Thomistę omnes negant. Scotistę, & Iesuitæ omnes affirmant.

289. *Dico*. Multiplicatis numero terminis multiplicantur relationes, tam formaliter, quam obiectivè.

Prob. 1. in relationibus primi generis. Hæc per nos formaliter consistit in cognitione, & obiective in coexistentia fundamenti & termini; sed multiplicato obiecto, necessario multiplicatur cognitio, nam cognitio, quæ semel ad vnum obiectum non terminatur, nec Divinitus ad illud terminari potest: & multiplicato constitutivo, necessario multiplicatur constitutum; ergo multiplicato termino multiplicatur relatio formalis; nempe cognitio comparans, & relatio obiectiva, nempe distinctis terminus constituens distinctam coexistentiam.

290. Prob. 2. in relationibus secundi generis. Hæc per nos consistit in actione; sed sicut cognitio, quæ semel terminata non fuit ad aliquod obiectum, nec Divinitus terminari potest ad illud; ita actio, quæ terminum semel non producit, nec Divinitus illum producere potest; cum sit modus essentialis sui termini, ergo. Hinc patet probatio ad relationem tertij generis, quæ in cognitione consistit; cognitio enim, quæ semel non fuit cognitio huius obiecti, nunquam potest illius esse cognitio; ergo multiplicato obiecto cognitio debet multiplicari.

291. Obj. 1. Eadem cognitio ad plura obiecta potest terminari; ergo eadem relatio ad plures terminos.

292. Resp. Dist. Antec. Si ea plura obiecta simul proponantur, ita vt sit eorum omnium cognitio, concedo. Si ea obiecta non proponantur simul, sed prius terminetur ad vnum, postea vero ad aliud, nego. Non dubito, eamdem cognitionem posse ad plura obiecta simul terminari, ac proinde idem fundamentum ad plures terminos referri; quidquid sit an diceretur talis cognitio plures relationes, nec ne: dicerentur tamen plures termini relati, sed ex hoc non sequitur, quod cognitio semel terminata ad aliquod obiectum, vel actio ad aliquem terminum, posito de novo alio, vel multiplicato termino alio, possint non multiplicari: in quo sensu præsens quæstio disquiritur.

293. Obj. 2. Bene potest relatio terminata ad vnum terminum, sine nova entitate, nova solum extensione sui alium terminum respicere. Sicut eadem species Angelica inuariata terminos de novo advenientes repræsentat; & eadem cognitio Divina cognoscit nunc Petrum existentem, quem antea vt existentem non cognoscebat,

294. Resp. Impossibile esse, quod modus extendatur ad esse modi alicuius termini, cuius semel non fuit modus sed

sed omnis relatio, sive primi, sive secundi, sive tertii generis est modus; ergo impossibile est eius extensio. Item nequit fieri extensio sine nova entitate reali, cum ea extensio sit ens reale. Ad 1. paritatem de speciebus Angelicis repręsentativis, si cum Sancto Thoma teneas, Angelis á Deo fuisse infusas species omnium rerum, ipsos que per species vniversales intelligere; dic, species, quę semel repræsentant quatuor obiecti, nunquam ea non repræsentare, & è contra, quę semel non repræsentant, nuuquam ea repręsentare. Si vero cum Scoto teneas; Angelos species haurire à rebus; dic, speciem vnius obiecti non extendi ad aliud, sed solum correspondere suo obiecto, cuius tantum est semen. Ad illud de scientia Dei respondeo: quod talis scientia non mutetur per adventum novi obiecti, est mysterium infinitatis, & libertatis *Dei*, quod ad discurrendum in rebus creatis non debet esse exemplar.

295 Obj. 3. Per additionem novæ partis relationis cum prima componentis, poterit Pater ad secundum Filium referri; ergo non est multiplicenda nova relatio; cum non detur vrgens necessitas.

296 Resp. talem compositionem novæ partis relationis esse chimæricam; quiá non est subiecti, & formæ, vt patet. Non est intensionis; nam in esse Patris nequit magis, & minus accipere. Non extensionis; quia est in eodem subiecto. Non denique continui, quia per vos hæc compositio est propria quantitatis, ergo.

297 Obj. 4. Producto secundo Filio perijt relatio prima, & alia, datur, quæ terminetur ad vtrumque; ergo. Resp. hac solutione multiplicationem terminorum non vitari. Insuper sine illo fundamento tot relationum strages per instans apponi. Quis vnquam probabile iudicavit per produtionem, aut mortem vnius hominis, immo per motum vnius paleæ totum orbem mutari, infinitas que relationes deperdi, & adquiri?

298 Obj. 5. Si multiplicatis Filijs Paternitates multiplicarentur, iam idem homo esset plures Patres; ergo. Sequela conceditur ab aliquibus cum P. Tellez, sed tu nega illam; nam vt multiplicentur concreta accidentalia, subiectum multiplicari debet, qualiter hic non multiplicatur; cum sit idem homo.

299 Obj. 6. Duo accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem subiecto; v. g. duæ albedines; aut duæ vbicationes; ergo neque duę relationes. Resp. Dist. antec. Duo accidentia ad idem munus ordinata, concedo; ad distinctum, nego. Ideo nequeunt coexistere duæ albedines, & vbicationes; at vero duę relationes reddunt distinctas denominationes, *Patris* iam respectu vnius, iam respectu alterius Filij; sicut duæ cognitiones, & duo amores solum numero distincti circa idem obiectum optime compatiuntur.

300 Ob. 7. Eadem potentia potest terminari ad plura obiecta; ergo eadem relatio ad plures terminos. Pessima paritas; aliás sicut sufficit vnus intellectus, & vna voluntas ad cognoscendum, & amandum omnia obiecta, ita vna cognitio, & vnus amor etiam sufficeret; ergo si non sufficiunt, quia potentia non est alligata termino illi determinato, aliter cognitio; ita in relatione discurre, vt pote modus essentialiter alligatus determinato termino.

(o)

SEC-

SECTIO VIII.

ALIQVA DE RELATIONE necessarió scienda, & eius proprietates.

301 Rogas 1. Vtrum vna relatio possit esse fundamentum alterius? Thomistę cum Caiet. & Ioanne à Sancto Thom. & ex NN Vesq. Molina, & alij apud Linz. negant. Affirmant Scotistæ, & NN. communiter apud eundem Linz. Prob. Nom minus sunt similes duę albedines, quam duæ relationes; sed duę albedines fundare possunt Relationes; ergo & duę relationes. Nec ex hoc sequeretur processus in infinitum cathegorematicus, sed solum sequeretur; posse intellectum iterum, iterumque reflectere supra similitudines formales, eas conferens interse, vsquedum fatigatus quiescat: cum tota formalis relatio in actibus ipsis intellectus consistat. Nec ad vnam rationem formalem deretur alia: quia tunc prima relatio non se habet vt formaliter relatio, sed vt terminus, vel fundamentum.

302 Rogas. 2. Vtrum ratio fundandi semper debeat á fundamento distingui? Resp. affirmative, exceptá ratione fundandi relationem identitatis, quæ est essentia ipsius fundamenti; nam rationes fundandi relationes primi generis sunt qualitates, vel quantitates; sed ipsæ non sunt fundamentum; ergo fundamentum á ratione fundandi distinguitur. Prob. minor. Fundamentum relationis similitudinis, est quod refertur relatione similitudinis, & fundamentum relationis æqualitatis est, quod refertur relatione æqualitatis; sed ipsæ qualitates, & quantitates non referuntur relatione similitudinis, & ęqualitatis, sed relatione identitatis. Sicut duo homines, & duæ substantiæ. Ea enim relatione identitatis, quorum eadem est essentia, qualiter in duplici albedine, & induplici palmari reperitur; ergo. Pręterea; iuxta Aristot. ea sunt similia, quorum qualitas est vna, & ea ęqualia, quorum quantitas est vna; ergo iuxta Aristot. fundamenta relationis qualitatis; & quantitatis, non sunt qualitates, & quantitates, sed ea, quæ habent qualitatem, & quantitatem.

303 Ratio fundandi relationes secundi generis est actio; hanc autem á principio, quod est ratio fundandi distingui, non est dubium. Ratio fundandi relationem tertij Generis est cognitio: fundamentum vero huius relationis est cognoscens; hoc autem á cognitione distingui, quis dubitare poterit?

304 Rogas 3. Quid sit relatio *Ad*, & relatio *In*? Thomistæ ita relationem diuidunt in conceptum *Ad*, & in conceptum *In*. Conceptus *In* est ipsa relatio, vt inest fundamento. Conceptus *Ad* est ipsa relatio respiciens terminum. Thomistæ communiter asserunt; in relatione conceptum *Ad* esse ens reale; conceptum vero *In* esse ens rationis; sed immerito, quia vere, & realiter datur relatio, & similitudo; ergo tota eius essentia est vera, & realis; sed non minus est de essentiá relationis conceptus *In*, quam conceptus *Ad*; ergo vterque est ens reale.

305 Rogas 4. Quid sit relatio extrinsecus, & intrinsecus aduenienst? Ita diuidunt Scotistæ relationem. Per relationem intrinsecus aduenientem intelligunt eam, quæ posito fundamen-

mento, & termino, necessario resultat; vt positis duobus albis relatio similitudinis. Per relationem extrinsecus aduenientem intelligunt eam, quę adhuc posito fundamento, & termino, aliquo alio indiget, vt resultet. Ita dicunt se habere vnionem, & actionem. Nam vnio est relatio materiæ ad formam, quia positâ materiá, & formá, non resultat necessario; & actio est relatio agentis ad passum, quibus positis, non resultaltat usquedum detur appoximatio. Contra hanc diuisionē inuehuntur communiter NN DD. Videas Linz. â num. 29.

306 Proprietates, quæ communiter attribuuntur relationi, sunt. 1. habere contrarium, hæc etiam competit qualitati, immo iuxta aliquos etiam substantię. 2. est accipere magis, & minus; hęc solum competit relationi similitudinis, reliquis vero non competit. 3. dici ad conuertentiam v. g. est Pater; ergo habet Filium: est Filius: ergo habet Patrem: hæc alijs, quæ non sunt relatiua prædicamentaliter, etiam competit.

DISPUTATIO U.

DE RELIQVIS PRÆDICamentis.

307. ACTIO est exercitium, quo virtus activa producit in actu secundo effectum, denominatur que actualiter agens. Dividitur in creativam, quæ est productio rei ex nihilo; & eductivam, quæ est productio rei ex præsupposito subiecto. Item dividitur in immanentem, & est quę manet in eodem principio á quo fit; & in transeuntem, quæ non manet in eodem principio. In quo recipiatur actio. Item an omnis actio distinguatur á termino? Et alia ad Physicos pertinet.

308. *Passio*, est exercitium, quo virtus passiva, seu subiectum receptivum in se recipit effectum. Passionem realiter non distingui ab actione, sed solum ratione ratiocinata, vel ratiocinante tenent Nostri communiter contra Scotistas, & Thomistas hanc qualem qualem distinctionem sufficere ad constituenda diversa prædicamenta Aristotelis authoritate constricti dicere tenemur.

309. *Quando*, est ea forma vi cuius res existit in tempore, & dicitur duratio. An á re durante distinguatur? Physicus agam. Dividitur etiam in æternitatem á parte antea, & á parte post; æternitas á parte antea est duratio Dei; & æternitas á parte post, quæ non initio, sed fine caret, & est duratio Angelorum, & animæ rationalis. Item etiam dividitur in tempus sublunare, quod finem, & initium habet, & est duratio bruti. v. g.

310. *Vbi*, est ea forma, vi cuius res existit in loco, & appellatur *præsentia*. An distinguatur á re vbicata? Ad Phylosophiam attinet. Dividitur in definitivum, & circunscriptivum. Ubi definitivum est præsentia illa, per quam locatum est totum in toto spatio, & totum in qualibet parte; sic anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte; est propria rei spiritualis, miraculo è tamen ea gaudet Corpus Christi in Hostia consecarata. Vbi circunscriptivum est pręsentia illa, per quam res est in toto spatio, & quælibet pars in parte spatij; est propria rei corporeæ.

311. *Situs* est modus ille specialis; quo quis est in loco cum tali partium dispositione, vi cuius dicitur sedere, & stare, vel recumbere. Convenit solum rebus corporeis, & in hoc distinguitur ab *vbi*, quod etiam rebus spiritualibus competit. Unde non omne vbi est situs, attamen omnis situs est vbi. Si vero quis eadem dispositione partium perseverans ab aliquo extrinseco noveatur v. g. dum qui sedens ob navis, vel curriculi cursum spatium mutat, sicut mutat vbicationes, ita & situs mutare dicitur, moraliter tamen cum maneat eodem modo quoad se, censetur situm non mutare, ast vero cum non maneat eodem modo quoad locum, situm physicè mutat.

312. *Habere*, seu *habitus* est exercicium habendi circa se aliquid ab habente distinctum. V. g. habendi vestem, arma, &c. Vnde vestitum, et armatum resultat. Aliqui dicunt, solum denominationes extrinsecas artificiosas ad hoc prędicamentum spectare. Alij ad omnes extrinsecas denominationes, tam artifficiosas, quam non artificiosas illud extendunt, v. g. esse amatum, cognitum, &c. resultat ex coexistentia subiecti habentis, & rei habitę; nempe in præsentia corporis, & vestis inter se approximatorum: ideo *habere* distinguitur â *situ*. Nam *situs* est præsentia partium corporis hoc, vel illo modo inter se localiter dispositarum; ast vero *habere* est præsentia corporis, & pręsentia vestis se ipsis approximantes corpus, & vestem. Non vero consistit in aliquo accidenti superaddito subiecto, & rei habitæ, vt tenent Thomistæ, Rubi. & Vallius; quia ablato á Deo tali accidenti permanente subiecto, & vestitu cum sufficiente approximatione dabitur formaliter vestitum; ergo & habere.

(o)

DISPVTATIO VI.

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

313. POstprædicamentorum tractatum quinque capita subiunxit Aristot. quæ postprædicamenta vocantur. In 1. egit de oppositione, de qua nos satis egimus in Summulis.

314. In 2. egit de modis essendi prius, & posterius, est quintuplex: primus tempore; sic Avus est prior tempore Nepotè. secundus in subsistendi consequentia; quando scilicet valet ab vno ad aliud, non vero è contra, hinc prioritatem habent rationes superiores respectu inferiorum; sic valet, *est homo; ergo animal*, nō vero ê contra. Tertius dignitate; sic Princeps respectu vasalli, & Superior respectu subditi: quartus ordine; sic exordiū orationis est prius epilogo: quintus causalitate, & hæc dicitur simpliciter prioritas naturæ. Hanc habent causę respectu effectuum. Ad hanc etiam reducitur prioritas originis, qua cum omnem causalitatem principium principiato præcedit; sic Pater Æternus est prior respectu Filij, & vterque respectu Spiritus Sancti. Tot modi posterioritatis, quot prioritatis sunt, sunt namque correlativi.

315. In 3. egit de simultate essendi. Hęc est triplex, temporis, naturæ, & divisionis generis. Simul tempore dicuntur ea, quę in eodem tempore simul durant, v. g. Petrus, & Paulus in hac die. Simul natura dicuntur ea, quæ mutuo inferuntur sine vllá causalitate mutua, vel non mutua v. g. inter duo alba simila, nam valet hoc album existit simile illi; ergo illud existit si-

mile hic. Simul divisione generis dicuntur ea, quæ simul genus dicunt, vt species, & differentiæ.

316. In 4. egit de motu, qui communiter definitur actus entis in potentia prout in potentia. *Pro motu* speciale prędicamentum non datur, pertinet namque ad prædicamentum actionis, & passionis.

317. In 5. egit de varijs modis habendi. Septem assignavit, & potuit assignare septem millia. Primus, habere dispositionem, seu affectionem qualitatis, vt habere scientiam. Secundus habere aliquid circum positum, vt habere vestem. Tertius habere quantitatem. Quartus habere partem integrantem, vt habere manus. Quintus habere aliquid in alio contentum, vt aurum in scrinio. Sextus habere amicos. Septimus habere bona, vt divitias, & honores.

TRACTATVS VI.

IN LIBROS DE PERYHERMENIJS, SEU DE INTERPRETATIONE.

1 DVOBVS libris, qui grecè peryhermenias, latine de interpretatione dicũtur, egit Aristoteles de propositione, & eius partibus, de signo, nomine, verbo, loquutione, & Scriptura. Item de veritate, & falsitate propositionum, de propositione, & eius partibus. De nomine & verbo satis egimus in Summulis. De veritate, & falsitate in libris de anima agi solet; sed quia maximè vtile est veritatem scire, & falsitatem dignoscere, de eis ea, qua conamur veritate, agere decrevi; sed prius sit

SECTIO I

IN QVA ALIQVA DE Scripturá, & locutione prælibantur.

2 Rogas 1. Quid sit locutio? Dico. *Locutio est manifestatio, quâ intelligens intelligenti aliquid, quod in mente habet significat.* Convenit omni locutioni angelicæ, & humanæ. Hinc colliges 1. contra P. Compt. in loquente requiri propriam cognitionem significationis vocum, & rei per voces significatæ, ideo que amentes, & qui penitus ignarus linguæ grecæ v. g. aliquas voces grecas proferret, non loqui proprie, & simpliciter, quia amentes non

non percipiunt rem significatam, & ignarus linguæ grecæ nescit vocum significationem. Colliges 2. Requiri etiam ad locutionem humanam vocem arcticulatam; dixi ad locutionem humanam, quia ad locutionem angelicam sonus articulatus non requiritur.

3 Colliges 3. cum P. Hurt. d. 8. Log. sect. 2. contra P. Compt. ad propriam locutionem requiri intelligentiam, vel adminus capacitatem intelligentię in eo, ad quem dirigitur locutio: aliás diceretur nos loqui ad parietes, lapides, &c. Unde cum dicitur Christum imperasse ventis, & mare; Iosue Soli, & Lunæ fuisse locutum, &c. intelligendum est de impropriá locutione. Colliges 4. Requiri in loquente voluntatem, qua dirigat locutionem in audientem animo rem manifestandi: ideoque si audiat voces aliquis, ad quem verba non diriguntur à loquente, & forte respondeat, illi communiter, qui loquitur, dicere solet: *Tecum non loquor.*

4 Rogas 2. Quid sit locutionis obiectum; res scilicet, an conceptus? Scotus asserit, solam remesse locutionis obiectum, quia si quis monet aliquem v. g. parietem iam in ipsum immnere; non conceptum mentis, sed periculum imminens significare intendit. Thomistę dicunt, esse mixtum resultans ex conceptu, & re ipsá. Dico cum Hurt. Attentá vocum naturá obiectum primarium locutionis est res, secundarium tamen, & minus principale est conceptus mentis, Dum enim res manifestatur á loquente, etiam manifestat, se talem rem mente concepisse. Si tamen attendatur finis loquentis, sæpe solet esse obiectum precipiuum locutionis conceptus mentis, nam sępe quod intenditur manifestare potius est conceptus loquentis, quam res per voces significatæ.

5 Rogas. 3. Quid sit scriptura? Resp. *esse ordinata elementorum dispositio.* Differt á hyeroglyphicis, & simbolis, quibus Cinæ vtuntur, Romanis que in vsu ætis retro seculis erant, quę sunt improprie scriptura. Hanc immediate significare res, & non voces, patet, quia se habent vt pictura, & figura rerum, quę sine vocum notitiá possunt certe in rerum notitiam ducere. Verum autem scriptura significet immediate res, aut voces, iure optimo dubitatur. P. Arriaga, conimbric. Et alij dicunt, immediatè significare voces, & mediate res, quia, & si aliquis legat voces grecas scriptas v. g. si ignorat quid, voces illę significent, res nullo modo cognoscit; ergo vt per scripturam in rerum cognitionem deueniat, prius in vocum significationem devenire debet; ergo scriptura res nõ immediate, sed mediate significat.

6 P. Compt. asserit, scripturam de facto res, & non voces immediate significare; tum, quia homines ita possent scripturam instituere vt immediate res, & non voces significarent; cum totum hoc ab hominum placito dependeat; ergo de facto ita institutam fuisse verisimilius est; frustra namque fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora, ad quid ergo ambages scripturę ad voces, à vocibus ad res, cum immediate ex ipsá scripturà ad res possit dari significatio? Tum paritate simboli, figuræ, & hyeroglyphici, quæ immediate significant res; ergo similiter scriptura. Uterque hic modus discurrendi est probalis.

SECTIO II.

QVID SIT SIGNUM, AN conueniat termino Logico?

7 Signum vniuersaliter est id, *quod ducit nos in notitiam alicuius.* Ponitur *alicuius*, & non *alterius* ne excludatur á ratione signi, signum sui ipsius reflexivum, quod non ducit in cognitionem alterius, cum ipse non sit alterum á se, & an detur sect. sequenti videbimus. Ly *alicuius* non sumitur strictè, nam cognitio entis rationis, quod non est aliquid strictè, est signum. Est duplex: formale, quod se ipso, quin prius reflexè cognoscatur, ducit immediatè in cognitionem alicuius. Ita se habent omnes cognitiones, & actus vitales, qui absque eo, quod cognoscantur reflexè per aliam cognitionem, ducunt intellectum in notitiam obiecti. Et instrumentale, quod prius reflexe cognitum ducit nos in notitiam alicuius; sic fumus ducit in notitiam ignis: Imago ducit in notitiam prototipi. Et hoc solum definit Augustinus. l. 2. de doctrina Christi, cap. 1. Sic: signum *est quod præpter speciem sui, quam ingerit sensibus facit al quid aliud in cognitionem venire.*

8 Signum instrumentale diuiditur in naturale, & ad placitum. Signum naturale est, quod independenter ab hominum arbitrio significat, vt gemitus dolorem; lacrimæ animi pressuram. Signum ad placitum est, quod ab hominum voluntate, & arbitrio significat: vt ramus pendulus in nostra ciuitate niuem vendibilem.

9 Signum etiā diuiditur in practicū, & est quod causat rē, quam significat: Sic sacramenta novæ legis sunt signū gratiæ. Et in speculativum, vt est quod non causat rem quam significat: Sic Sacramenta vteris legis non causabant gratiam, cuius signum erant.

10 Item diuiditur in memorativum, qvod rem præteritam in memoriam revocat: vt Iris signum fæderis Dñi circa pacem vniuersi. Demonstrativum, quod rem præsentem demonstrat: vt fumus ignem. Pronosticon, quod rem futuram ostendit: vt nubila tempestatem.

11 Hinc inferto 1. omnes actus intellectus, ac proinde terminos Logicos mentales esse signa formalia, & naturalia obiectorum: formalia, quia se ipsis absque vlla reflexione alterius cognitionis supra ipsos ducūt in notitiam obiectorum: naturalia, quia ex naturá suá absque hominum arbitrio ea significant, & repręsentant.

12 Infer. 2. Voces esse signum naturale instrumentale conceptus mētis de ipsis efformati proferentis eas, & actus voluntatis, quo vult talem prolationem. Dum enim voces audio, cognosco prius mente fuisse conceptas tales voces, esse aliquam personam eas proferentem, & voluntatem proferendi eas; licet rarò hæc reflexio ab audientibus fiat. Est instrumentale, quia prius cognitis, & auditis vocibus devenim in cognitionem actus, proferentis, & voluntatis.

13. Infer.3. Voces esse signa ad placitum obiectorum, ad quæ significanda sunt institutæ, cum tota earum significatio ab hominum placito dependeat. Si enim hęc vox homo ad significandum animal rationale applicata est, poterat ad lapidem significandum applicari, & è contra. An autem preter hanc arbitrariam significationem, iuxta quam sunt absque dubio ter-

termini formales, & illam naturalem, num. antec. positam, detur in vocibus alia naturalis sui ipsarum significatio, & an hæc sufficiens sit, vt termini formales dicantur; erit

SECTIO III.

AN VOCES NON SIGNIFICATIVÆ sint termini formales?

14. Prima sententia negat. Ita Damasc. Fonseca. Complut. Ioannes à S. Tho. Ioannis. Cern. Ortiz, & Cabrera.

15. Secunda sententia affirmat. Ita P. Arriaga num. 5. vterque P. Peñafiel. P. Oviedo. P. Francis. Alphons. Ponce. Bonesp. Spinula, & P. Olea d. 11. num. 2.

16. Suppono, dari aliquas voces non significativas. Statim se se ingerunt celebres illæ *Blictiri, & sindapsus*, quę velut quædam spectra, laruatia que monstra pueriles tyronum mentes terrent. Licet vt terrorem excutiat Sapientiss. P. Martinus del Rio; sindapsum musicum instrumentum, fidium que sonum blictiri significari, asserat. Sed vt detur quæstioni locus, nil significare ad placitum, suppone, vel alias non significativas tibi finge.

17. Hinc cognosces, quæsito non satisfacere ingeniosissimum quēdam Neothericus in Platensi Vniversitate Lectorē, qui vt defendat voces non significativas esse terminos, asserit in suis principijs: subiectum formale, sicut & prædicatum, constitui in esse subiecti, & prædicati per vnionem formalem; ac proinde subiectum huius propositionis *blictiri est vox* significare ad placitum ratione vnionis, qua constituitur, ideo que esse terminum formalem. Non inquam satisfacit, quia hic debet supponi nihil significare talem vocem, quid quid sit an alias significet, nec ne. Vnde destruit suppositum quæstionis. Audias, si interrogatum tua satisfiat responsione. Rogatum est. In hac propositione *blictiri est vox*, ly blictiri, vt est vox, nihil ad placitum significans, est ne terminus formalis? Responsio. *Est terminus formalis, quia significat ad placitum.* Certè meo videri non satisfacis, nec directè respondes. Itaque vel dic, in tuis principijs non dari locum quæstioni, quia nequit in eis concipi subiectum formale non significativum saltem inadæquatè ad placitum, vel suppone exercitij gratia, non constitui subiectum per vnionem.

18. Minus satisfacit quidam nostras ingeniosus Recens, qui vt asserat voces non significativas esse terminos formales, prius probat, vocem non significativam esse significativam ad placitum non rei á se distinctæ, sicut *homo, leo,* &c. sed sui ipsius. Quod probat 1. Cum concipit intellectus vocem non significativam v.g. *Blictiri*, & ego profero illam vocem, ad repræsentandum obiectum actus intellectus pro fero; sed pro ferre vocem repręsentativam obiecti actus intellectus pro libito proferentis fit, poterat enim talem vocem non proferre; ergo saltem ex intentione loquentis illa vox erit significativa ad placitum sui ipsius; sicut enim vox significativa ad placitum constituitur per voluntatem, & intentionem imponentium vocibus significationem arbitrariam, qui volunt has voces v.g. *omne nomen, omnis vox*, significare omnia nomina, & voces ratione tendentię intentionalis actus voluntatis in ipsas; ita *Blictiri*, & quævis vox non significatiua constituitur per voluntatem, & intentionem vtentis ad manifestandum obiectum actus intellectus eam habentis vt obiectum.

119 Probat. 2. Quia hic, & nunc *Blictiri*, vt constituens hanc propositionem *Blictiri est sonus* est signum ad placitum propositionis mentalis affirmantis de *Blictiri* esse sonum, poterat enim repræsentare aliam propositionem mentalem, qua diceretur *Blictiri est animal rationale*, si ad significandum hominem institueretur, vt institui poterat, & tunc non repræsentaret vt obiectum se ipsam, sed hominem; ergo quod nunc seipsam, & non hominem repræsentet à libito hominis pendet.

20 Probat 3. Impossibile est, quod vox non significatiua ad placitum non significet saltim, se ipsam, nihil á se distinctum significare; sed hoc est pro libito hominum; ergo. Prob. Mai. poterat ex placito hominum aliquid à se distinctum significare; ergo significate nihil á se distinctum est significatio ad placitum.

21 His fundamentis, quæ certe passim apud Neothericos manu scribentes inuenies, sitam, quam specialem condusionem vocant; tuetur ingeniosus Nodernus, scilicet; quod Blictiri sit terminus Logicus, quia est significativum ad placitum sui ipsius. Vide iam in fundamento ipso suppositum quæstionis eversum.

22. Sed vt videas probationum falsitatem, & necessariam pro æquivocis soluendis doctrinam accipias. Scias; aliud esse significationem, & aliud exercitium significationis. Significatio naturalis ab hominum voluntate non pendet, ast vero exercitium talis significationis subiacet hominum arbitrio. Significatio ad placitum ab hominum placito pendet, sicut & eius exercitium. Vnde licet in significatione quasi in actu primo, naturalis, & artificialis differant, in eo quod naturalis est independens, artificialis vero dependens ab hominum arbitrio; in significatione in actu 2. hic, & nunc, & in exercitio talis significationis in actu 2. æque á voluntate applicantis, & vtentis, naturalis, & artificialis dependet significatio. Ideo que certum est, dependere ab arbitrio concipientis *Blictiri*, proferre illam vocem significativam obiecti, & expressivam talis conceptus, poterat namque illam non proferre. Sed hac voluntas nullo modo constituit talem vocem in esse significativę, sed solum in esse, hic, & nunc significantis, sicut nec voluntas illa, qua vellem proferre hanc vocem *homo* ad significandum conceptum mentis de animali rationali constitueret illam vocem in esse significativæ ad placitum, quia hoc iam supponitur per voluntates instituentium constitutum, sed in esse significantis hic, & nunc. Vnde aliud est *significat ad placitum*; quod quidem inuoluit exercitium significationis, & aliud esse significativam ad placitum. Ex probationibus ergo solum infertur; Blictiri, & ceteras voces non significatiuas significare ad placitum, quod certe á nemine, nec negatum, nec dubitatum est; non vero infertur, esse significativas ad placitum sui ipsarum.

23. Ad 2. prob. Dico. Certum est, illam vocem *Blictiri* habere non repugnantiam, vt ex hominum instituto significet hominem. Vnde quod talis vox non sit significativa hominis, dependet á voluntate saltem omissiva hominum, qui talem significationem illi non imposuerunt, & etiam si talem significationem illi imposuissent, vt hic & nunc in illa vsurparetur, dependeret á voluntate particulari loquentis, nam cum quælibet vox significativa ad placitum ad minus habeat duplicem significationem, naturalem vnam, artificialem aliam, quod autem in hac, vel illa vtatur, dependet á voluntate vtentis. Ex voluntate enim hominum pēdet, quod de hac voce *homo* dicatur esse hic *vocem*, quod est significatio eius naturalis; & esse *animal rationale*, quod est significatio artificialis. Vnde casu quo applicata esset ad significandum *hominem* talis vox *Blictiri*, dependeret â voluntate hominis, quod acciperet hic, & nunc pro homine, & non pro se, non tamen dependeret á tali voluntate, quod in actu primo esset significava sui, hoc enim invariabiliter, & ex se habet.

24. Ad 3. Prob. Dico, quod si maior prima esset vera, totum argumentum convinceret nullam dari vocem non significativam ad placitum, quod est contra suppositum quæstionis. Sed falsissimum est vocem non significativam habere pro significato, se non significare aliquid á se distinctum; sicut nec vox significativa ad placitum habet pro significato, se significare aliquid distinctum à se; neque datur aliqua vox ad hoc significandum instituta; talis enim vox iam non esset significativa, sed significativa ad placitum vocis non significativæ. Vnde si *Blictiri* esset instituta ad hoc, iam Blictiri esset significativum ad placitum; & de eo quæstio non procederet. Blictiri ergo significat sonum ex talibus syllabis compositum, & nihil aliud. Iam dixi; dependere ab hominum placito saltem omisivo, quod talis vox non significativa sit alterius á se distincti. Ex quo solum infertur; esse non significativam ad placitum, non vero esse significativam ad placitum sui ipsorum. His suppositis.

25. *Dico* 1. Voces non significativæ non sunt termini formales. Prob. Si voces non significativæ essent termini, maximè quia se naturaliter significarent in his, & similibus propositionibus v.g. *Blictiri est vox*: *sindapsus est sonus*, &c. Sed tales voces nequeunt esse signa naturalia sui, nec se naturaliter significare; ergo Maior est certa. & certè miror, Neothericum ingeniosum de illa aliquo modo dubitare, cum alias iuxta ipsum, & omnes, subiectu n formale sit, quod repræsentat subiectū obiectivum, & in illis propositionibus *Blictiri* se habeat vt subiectum formale; ergo debet esse repræsentatio subiecti obiectiui. Prob. Minor. 1. á qua tota quęstionis decisio pendet. Omne signum ducit in cognitionem rei significatæ, vel ratione tendentię intentionalis in ipsam, vel ratione connexionis cū ipsa. primū patet in actibus vitalibus ducentibus potentias in obiectum ratione tendentiæ; & etiam in omni signo ad placitum ducente in significatum ratione actuum voluntatis instituentium. Secundum constat in omni signo naturali causarum respectu effectuum, effectuum respectu causarum, &c. Sed Blictiri non ducit in cognitionem sui ratione tendentiæ intentionalis, vt per se patet: si quidem non est actus vitalis; nec ratione connexionis, quia connexio requirit distinctionem, quæ non reperitur inter vocem, & se ipsam; ergo. Invenire, & fingere alium modum ducendi in cognitionem, vt verificetur de hac, & similibus vocibus, est manifestè petere principium.

26. Prob. 2. eadem Minor. Blictiri, & sindapsus sunt quidam sonus taliter prolati; sed sonus vt sonus, taliter prolatus nullo modo se significat; alias quilibet sonus, vel strepitus cœlorum, manuum, timpani, pedum, &c. essent reflexe significativi sui ipsorum, quod omnino voluntarium est absque vllo fundamento, & contra communem modum loquendi, & cum vix talis reflexio concedatur cognitioni ab Authoribus, quomodo tot rebus concedenda erit?

27. Insuper. Ideo Blictiri, vt signum duceret in notitiā sui, quia qui audiret talem sonum in notitiam Blictiri de-

deueniret, vel quia vi talis sonus ipsummet Blictiri præsens se faceret perceptui; sed hoc non sufficit, vt ducat tanquam signum in notitiam sui. 1. quia ex eo sequeretur, omne obiectum visus, auditus, odoratus, & tactus esse signa reflexa naturalia sui ipsorum; quod quisquam, nisi omnino voluntariè dicet. Qui enim percipit talia obiecta statim in notitiam ipsorum venit, ipsa que se ipsis, eo modo, quo Blictiri præsentia faciunt intellectui. 2. quia inde solum sequitur, cognitis talibus vocibus, ipsas non ignorari, non quia ipsa sunt signa, sed quia cum sint idem secum ipsis, eo ipso quod cognoscantur, ignorari nequeunt; ergo tales voces signa non sunt; ergo neque termini.

28. Consulto alias probationes allatas à P. Quiroz, & alijs omitto, vel quia non probant, vel quia facillimê ab eis se expediunt Aduersarij.

29. Dico. 2. In illa propositione *Blictiri est vox*, & similibus: ly *Blictiri* non est subiectum formale, quia non est repræsentatio subiecti obiectivi, vt probatum manet. Est tamen subiectum obiectivum, quia de illo dicitur, & prædicatur, esse vocem, & id, de quo aliquid dicitur est subiectum obiectivum vt ex eius definitione constat. Subiectum vero formale est aliud sub intellectum scilicet *Hæc dictio, Hæc, vox Hæc particula*. Vnde sensus illius propositionis *Blictiri est vox* ita se habet *Hæc vox Blictiri est vox*, ita enim vitatur talis obscura reflexio vocum, & facilius sensus propositionis percipitur. Et licet contraria sententia esset æquè probabilis, hæc clarior, ideoque defensanda. Uide P. Fonsecam lib. 1. instr. *Dial.* c. 16. asserentem semper Dialecticos tales voces eis propositionibus addidisse, vel si aliquid brevitatis ergo omiserunt, eas semper subintelligi voluisse.

30 Prob. Hoc ab inconvenienti. Si non esset addenda *hæc vox*, &c. pro subiecto formali illius propositionis *Blictiri est vox*, sed se ipso ingrederetur obiectivum Blictiri in illius constitutionem, sequeretur, & esse subiectum formale quælibet res physica, v. g. *Petrus* si illo viso, digito signans dicerem *En homo*, & quilibet strepitus esset terminus formalis, si illo audito, dicerem *en sonus*. Vnde iam propositio esset mixtum quoddã chimæricum ex rebus, & vocibus; ergo sicut in sensu logico, in illis propositionibus *En homo En sonus*, etsi sint integræ propositiones, subintelligitur in prima *Hic Petrus*, in secunda *Hic sonus*; ita in hac propositione *Blictiri est vox* debet subintelligi *Hæc vox Hæc particula*.

31. Si tamen dicas cum P. Linze, & P. Quiroz, res non esse in casu posito terminos formales, quia esse terminum est proprium, vel conceptuum mentis, vel vocum. Pulchre petis principium. Hoc enim inquiro, cur de *Blictiri* ore prolato, & non de re digito signata dicetur esse terminum: cum tam de re, quam de voce æque dicatur aliquid? Respondere, quia res non est vox, & quia vox est vox, vides iam esse petitionem principij.

32. Si tamen dicas cum P Linzeo, & ingenioso Neotherico (vnde miror; alium satis ingeniosum Neothericum Disp. 1. sum. sect. 5. num. 58. dixisse. Hoc ab Aduersarijs non admitti) res ipsas esse terminos formales, Oneri succumbis: contra communem sensum loqueris: omnino voluntarie procedis; & contra te argumentum, quo probo, signum debere distingui a re significata, iterum instituam.

()()
()

SVBSECTIO VNICA.

ARGVMENTA SOLVUNTUR.

33. OBj. 1. Contra 1. conclus. Blictiri etiam significat aliud à se; nempe prolatorem, conceptum mentis, voluntatem proferentis, & omnia Blictiria possibilia; ergo potest esse terminus.

Resp. Transeat. Anteced. & nego conseq. In Blictiri significatio prolatoris, actus voluntatis, & intellectus proferentis omnino materialiter se habent, vt illud in ratione termini constituat; hæc enim significat vt terminos connexionis, non vt obiectum, sed solum significatio obiecti formaliter se habet, vt aliquid constituatur in ratione termini; quia id solum formaliter se habet ad rationem termini formalis, constituit aliquid in esse subiecti, vel prædicati formalis, quod solum est repræsentatio subiecti, & prædicati obiectivi: nam subiectum formale est, quod repræsentat subiectum obiectivum, & similiter prædicatum; quæ quidem repræsentatio non datur in Blictiri, vt iam probatum manet. Ergo etiamsi repræsentet vt terminos prolatorem, actus intellectus, & voluntatis proferentis, non inde infertur esse terminum formalem. Et sicut in hac propositione, *Homo est vox*, materialiter se habet significatio ad placitum, quia homo non est vox, quatenus significat ad placitum, & ablata per impossibile tali significatione adhuc maneret vox; ita in hac propositione *Blictiri est vox*, significatio prolatoris v.g. omnino materialiter se habet, cum adhuc per impossibile tali significatione ablatâ ęque maneret vox.

34. Præterea. Blictiri nullo modo potest sortiri rationem signi, neque respectu sui, neque respectu aliorum Blictiri, quia non esset ratione tendentiæ, cum non sit actus intentionalis, nec ratione connexionis, quam cum omnibus *Blictirijs* non habet. Nescio ergo quomodo talis vox particularis omnia Blictiria similia repræsentet, & significet.

35. Obj 2. In his propositionibus: *Homo est vox: Leo est nomem*, ly *homo*, & *Leo* voces aliás significativæ ad placitũ solum habent naturalem significationem sui; sed sunt termini formales; quia alioquin nec voces significativæ ad placitum essent termini; ergo significatio naturalis sui sufficit, vt Blictiri sit terminus formalis.

36. Resp. Concedo Maior. & nego Minor. & dist. probationem ab inconvenienti. Alias voces non significativę ad placitum non essent termini; vt significativæ ad placitum, nego: vt non significativæ ad placitum, concedo. In illis propositionibus *Homo est vox* v.g. ly *homo* materialiter se habet vt significatiua ad placitum, hanc enim significationem non exercet illic. Vnde de illis propositionibus eodem modo, ac de hac *Blictiri est vox*, discurrendum est; dicendum que, quod ly *homo*, & *Leo* se habent vt subiecta obiectiua, subiectum vero formale esse aliud subintellectum, scilicet *hac vox: hac dictio*, & c. Idem dic de illis propositionibus *Amo est verbum*: *Nomen est neutrius generis*, *hac vox amo*: *hac vox nomen*, & c. Vnde miror, aliquos Doctores tali argumento niti, præcipue sapientissimum Magistrum eo, vt appositum est ame, vtentem.

37 Obj. 3. In illa propositione Blictiri est subiectum formale; ergo est terminus. Prob. antec. Quia supponit pro subiecto mentali; quę est

proprietas termini vocalis;ergo.

38 Resp. Nego antec. Blictiri enim solum est subiectum obiectivum, subiectum vero formale est *hac vox* quæ subintelligitur. Sicut enim Petrus obiectiue existens repræsentatus per hanc propositionem formalem *Petrus est homo* non esset terminus, nec subiectum formale, sed terminus, & subiectum obiectivè, ita Blictiri repræsentatum per hanc propositionem formalem *Hac vox Blictiri est vox*, solum est terminus, & subiectum obiectivum.

39 Ad probationem nego etiam illam. Nam ly *Blictiri* non supponit pro conceptu mentis, sicut Petrus obiective sumptus non supponit pro actu intellectus illum repræsentante, solum enim supponit pro subiecto mentali illo sub intellecto, scilicet *hac vox*, vel *hac particula*. Nam supponere vnum pro alio est poni loco illius ad præstandum id, quid ipsum erat facturum, & solum ly *hac vox*, & non ly *Blictiri* præstat id, quod subiectum formale erat facturum, quia solum ly *hac vox* repręsentat subiectum obiectivum *Blictiri*, & ipsum se nequit repræsentare, vt iam manet probatum.

40 Obj. 4. Vox significatiua ad placitum potest supra se ipsam reflectere, & esse simul terminus formalis, & obiectivus v. g. *Omnis vox*, *omne nomen*; ergo etiam non significativa.

41 Resp. conc. antec, & nego conseq. Vox enim ad placitum significatiua dicit pro formali voluntatem instituentium iuxta probabiliorem sententiam. Vnde ratione talis voluntatis dicit tendentiam in rem significatam, constituitur que in ratione signi etiam sui ipsius per illam. ast vero vox nō significatiua nullam habet tendentiam in se, ratione cuius possit supra se reflectere.

42 Obj. 5. Actus intellectus potest supra se reflectere, vel adæquate, vt hic, *ego sum qualitas*, vel saltem inadæquate, vt hic, *omnis cognitio est repræsentatiua obiecti*; ergo & Blictiri poterit supra se ipsum reflectere.

43 Resp. transeat antec. præcipue circa reflexionem adæquatam, in qua datur specialis difficultas in libris de Anima tractanda, & nego conseq. Quia actus intellectus cum sit tendentia intentionalis in obiectū poterit esse signum sui, seque significare; ast vero Blictiri, neque ratione tendentiæ, neque ratione connexionis se ipsam repræsentare potest.

44. Objic. 6. & Repl. Quamvis Petrus se non repræsentet, & si tamen per se ipsum præsens fiat huic loco, erit pars connexionis, & concursus hic accidentis; ergo pariter licet Blictiri se non repræsentet, si per se ipsum præsens fiat propositioni, illam vt pars constituet; ergo vt terminus.

45 Iam hoc impugnatum est supra, vide probationem 2. Secundæ conclus. Reddo disparitatem. De essentia connexionis, eius que partium non est repręsentare, nec significare, sed solum hic accidere, vnde Petrus per se ipsum accedendo potest fieri pars concursus, & connexionis: de essentia vero propositionis formalis est, quod eius termini, prędicatum scilicet, & subiectum sint signa, & repræsentationes prędicati, & subiecti obiectivi. Hinc inferes, quod licet Blictiri coexistat cum partibus constituentibus propositionem, non tamen coexistit vt pars constitutiva, sicut licet Angelus dum producitur aliquod compositum, coexistat penetratus cum eius partibus, non constituit illud, neque coexistit vt pars; pars namque propositionis, vt talis debet esse repræsentativa.

46. Obj. 7. Blictiri est signum subiecti formalis illud repræsentantis: ergo supponit pro ipso. Prob. Antec. Audito *Blictiri* statim venimus in notitiam actus intellectus repræsentantis Blictiri; ergo.

47. Resp. Nego Antec. Sicut enim *Petrus* non est signum actus intellectus repræsentantis ipsum, ita nec Blictiri est signum, sed obiectum subiecti formalis, illud repræsentantis, signum vero talis subiecti est illud subintellectum *hac vox*. Ast vero cum præter rationem subiecti obiectivi habeat etiā Blictiri rationem vocis tunc prolatæ, quatenus vox erit signum, non subiecti materialis, sed alterius actus intellectus, qui potest esse aliqua apprehensio illuminans voluntatem (ne feratur in incognitum) vt imperet prolationem vocis, applicando potentiam extrinsecam elocutivam.

48 Obj. 8. & est Replica ad quartum argumentum. Per nos ly *omne nomen* est signum ad placitum sui ipsius ratione voluntatis constituentis illud in esse significativæ ad placitum; ergo ly *Blictiri* poterit ad minus cum illo subintellecto *hæc vox* esse signum sincathegorematicum ratione voluntatis constituentis ly *hanc vocem* in esse signi ad placitum omnis vocis.

49. Resp. Concedo Antec. & nego conseq. Nam solum accipit denominationem ab aliqua forma subiectum, cui talis forma vnitur, non vero alterum materialiter coexistens. Sic licet Angelus esset penetratus cum materia, cum informatur forma, materia denominaretur informata, & non Angelus, cui forma non vnitur. Cum autem voluntas instituentium voces in esse significativarum vniatur ly *huic voci* subintellectæ, & non ly *Blictiri*, etiamsi hoc coexistat, nunquam, nec partialiter, denominabitur signum.

50. Obj 9. Illud est subiectum formale, de quo enuntiatur prædicatum; sed de Blictiri enuntiatur, esse vocem, ergo.

51. Resp. dist. Maio. De quo enuntiatur prædicatum vt *quod*, & in essendo, nego: vt *quo*, & in repræsentando, concedo. De Blictiri enuntiatur prædicatum vt quod, & in essendo, ideo est subiectum obiectivum. De subaudito illo *Hac vox* prædicatur vt *quo*, & in repræsentando, ideo est subiectum formale.

52. Objic. 10. Non repugnat idem esse subiectum vt *quod*, & vt *quo* in essendo, & in repręsentando; ergo Blictiri ita se habebit. Prob. Antec. Eademmet vbicatio vbicatur vt quod per se ipsam, & vt quo respectu subiecti. Eademmet vnio vnitur vt quod, & est vnio respectu extremorum. Et eadem cognitio reflexa est cognita vt quod, & etiam vt quo; ergo similiter.

53 Resp. transeat antec, & nego conseq. Iam supra dixi, ly *omne nomen*, *omnis vox* esse simul subiectum in essendo, & in repræsentando vt *quo*, & vt *quod*, idem quo admisi in cognitione reflexa; ast vero, cum in Blictiri non detur tendentia intentionalis in se ipsum, vel connexio, sicut habent ly *omnis vox*, & *cognitio reflexa*; ratione cuius erat constituendum in ratione subiecti vt *quo*, scilicet esse repręsentatiui subiecti vt *quod*, non participat talem denominationem; ast vero vbicatio, vnio, &c. habent quid quid requiritur, vt sint vbicata, & vnita vt *quo*, & vt *quod*.

54 Obj. 11. contra 2. conclus. In hac propositione *Petrus est homo*, ly *Petrus* est subiectum, & non aliud subintellectum; ergo in hac *Blictiri est vox*, ly *Blictiri* erit subiectum, & non vox sub intellecta.

55 Resp. Quod *Petrus* est signum ad placitum ex se subiecti obiectivi, vnde non est aliud sub intelligendum: ast vero Blictiri se significare

care nequit; vnde, vt detur subiectum formale in illa propositione, sub intelligenda est *hæc vox*.

56 Obj. 12. In hac propositione *Blictiri est vox non significativa ad placitum*, nequit subaudiri vt subiectum formale *hæc vox*; ergo. Prob. antec. Illud est subiectum formale in illa propositione, de quo verificatur prędicatum, scilicet non esse significativam ad placitum; sed de ly *hæc vox* non verificatur, non esse significativum ad placitum; cum sit significativum ad placitum omnis vocis; ergo solum verificatur de Blictiri.

57 Resp. nego antec. ad probationem distinguo maiorem: De quo verificatur vt *quo*, concedo: de quo verificatur *vt quod*, nego. Solutio claret ex definitione vtriusque subiecti formalis, & obiectivi. Subiectum obiectivum est, de quo prędicatum debet verificari vt quod, ideo que de Blictiri, quod est subiectum obiectivum illius propositionis verificatur vt quod, non esse vocem significativam ad placitum. Subiectum formale est, de quo verificatur vt quo, id est, de quo verificatur, esse repræsentativum illius, de quo verificatur prædicatum, ideo que de illo subaudito, scilicet *hæc vox*, verificatur repræsentare Blictiri, cui competit re ipsa prædicatum non significativi ad placitum. Hoc patet in quacumque prędicatione. Dū dico *Petrus est homo*, de Petro, vt est subiectum formale, non verificatur esse hominem, sed solum repræsentare Petrum obiectivum, de quo reipsa verificatur.

58 Obj. 13. Vnum contrarium non ponitur loco alterius, v.g. calor summus loco frigoris; ergo neque ly *hæc vox* loco Blictiri; cum ly *hæc vox* sit significatiua, & Blictiri non sit significativum.

59 Resp. Transf. antec. Frigus enim, & calor opponuntur in ordine ad coexistendum in eodem subiecto, & nego conseq. & suppositum, quod ly *hæc vox* ponatur loco Blictiri; solum enim ponitur loco subiecti mentalis, licet repręsentet ipsum Blictiri, quod se habet vt subiectum obiectivum. Non enim repugnat, vocem significativam repræsentare vt obiectum vocem non significativam. Sicut non repugnat, quod vox, quæ est quoddam accidens repræsentet vt obiectum substantiam.

60 Obj. 14. Subiectum formale debet determinate significare subiectum obiectivum; sed ly *hæc vox* non significat determinatè subiectum obiectum *Blictiri*, sed indeterminatè quamlibet vocem; ergo.

61 Resp. Quod vi illius adiectivi *hæc*, quod quidem demostrativum est, determinatè significatur subiectum obiectivum, nequit que applicari cuilibet voci; sicut licet homo sit ex se indifferens ad significandum omnem hominem, cum additur, dicitur que *hic homo est Petrus*, ratione illius adiectiui demostratiui *hic* determinate significat Petrum: & per verba consecrationis *hoc est corpus*: *hic est sanguis*: ly corpus, & ly sanguis ratione demostrationis *hoc*, *&* *hic* non quodcumque corpus, & quem que sanguinem, sed determinate corpus, & sanguis Christi significantur.

62 Obj. 15. Subiectum formale vocale debet esse vox, sed ly *hæc vox* sub intellectum non est vox; ergo. Prob. mi. Uox est, quod ore profertur; sed ly *hæc vox* ore non profertur; alias non esset subauditum, sed expręssum; ergo.

63 Resp. dist. minorem. Non est vox prolata, concedo; subintellecta, nego; & etiam nego suppositum quod ly *Blictiri est vox* sit integra propositio vocalis, nisi intelligatur

tur subaudita *hæc vox*, ita enim careret subiecto formali. Unde illa propositio est figurata, indiget que ad eius plenam compositionem, quod supleatur *hæc vox*, & quia iam censetur subintellecta, vocamus vnam propositionem illam *Blictiri est vox*. Hinc inferes; non esse voluntarie additam talem vocem, quia alias propositio maneret trunca.

64. Obj. 16. Uoces conceptæ supponunt pro conceptibus; sed in nostro casu vox concepta est *Blictiri*, & non *hæc vox* subintellecta; ergo *Blictiri*, & non *hæc vox* supponet pro subiecto mentali erit subiectum vocale.

65 Resp. dist. mai. Si significent idem, quod conceptus, concedo: si non significet, nego: & dist. mino. Vox concepta est Blictiri, & significat, quod conceptus, nego; & non significat, concedo. Vnde cum vox *Blictiri* nequeat se ipsam significare, nequit supponi pro conceptu reprę̄ntante illam, vt subiectum obiectivum, & necessaria est ly *hæc vox*.

66 Obj. 17. Quoties termini obiectivi sint distincti, distinctis vocibus debent significari, si aliunde eadem vox non sit vtrique imposita; sed *Blictiri* obiectivum, & *hæc vox* obiectiua sunt distincti termini obiectiui, & aliunde vna, eadem que vox non est vtrique imposita; ergo distinctis vocibus debent significari; sed hæc vox obiectiua significatur per ly *hæc vox*; ergo ly *Blictiri* obiectivum per illam vocem *Blictiri* significari debet.

67 Resp. concedo maio. Et nego min. Nam ly *hæc vox* obiectiua est ipsum met obiectivum *Blictiri*, vt iam manet probatum.

68 Obj. 18. & replic. in Resp. primi, & secundi argumenti. In hac propositione, quæ vera est *Blictiri non est vox subintellecta*, *sed expræssa* prædicatum nequit verificari de ly *hæc vox*, nam ly *hæc vox* illic non est expræssa, sed suo intellecta; ergo.

69 Resp. dist. antec. nequit verificari vt *quod*, concedo; vt quo, nego. Vide ibi dicta, & hic eodem modo loquere

70 Hinc inferes, literas non esse terminos propositionis formalis, sed obiectivæ. Vnde cum Aristoteles vsus fuit illa propositione *A non est B* brevitatis gratia egit, & ita debet intelligi *Litera A non est litera B*.

71. Dico 3 Si permittatur, *Blictiri* se significare, est terminus formalis in hac propositione *Blictiri est vox*. Hęc conclusio est contra ingeniosum Recentem, qui licet nobiscum consentiat in superioribus, in hac ei consentire non possum.

72. Prob. In hac propositione *Blictiri* est extremum constitutivum totius logicalis, vt patet, est etiam subiectum formale, cum sit repræsentatio subiecti obiectiui, vt supponitur. Supponit pro subiecto mentali, si quidem facit illud, quod subiectum mentale, nempe repręsentat subiectum obiectivum: ergo.

73. Sed objiciet Modernus. Vt vox sit terminus, prout aliquid significat, non sufficit, quod illud significet vt cumque, scilicet vt terminum, sed requiritur, quod illud significet vt obiectum, de quo verificationis; sed Blictiri licet se naturaliter significaret, non tamen vt obiectum, de quo verificationis; ergo. Prob. Min. Quod vox naturaliter significat, semper, & eodem modo naturaliter significat, quamvis ad aliud significandum instituatur; sed Blictiri se non ita significat; nam si institueretur ad significandum parietem in hac propositione v.g. *Blictiri est paries*, se non significaret vt obiectum, de quo verificationis; aliás esset propositio falsa, cum Blictiri vocale

 non

non sit paries; ergo.

74. Argumentum destruit idem, quod supponitur. Supponitur, Blictiri respicere ob obiectum se ipsum, & idem intendit destruere, sed nec consequitur. Resp. Conc. Maio. & nego Min. Ad probationem dist. Maiorem. Semper, & eodem modo significat in actu primo, & etiam in actu secundo, si non impediatur; concedo: necessariò in actu secundo, cum aliunde impeditur, nego: Non ex eo quod impediatur per voluntariam impositionem novæ significationis tali voci *Blictiri*, ideoque in illa propositione *Blictiri est paries* non se ipsam quoad exercitium significet, bene infertur se ipsam non respicere vt obiectum de quo verificationis in alia propositione in qua se ipsam significet v.g *Blictiri est vox.* Ex hoc enim solum infertur; exercitium significationis dependere ab hominum arbitrio, vt iam dixi: Ibi dicta vide, & præcludes aliam huius Moderni instantiam.

75. Poterat tamen instare sic. Eo quod fumus naturaliter significat ignem, nunquam potest ex voluntate hominum impediri, vt significet ignem; ergo si voces naturaliter se significarent, nunquam possent non se significare ex hominum arbitrio.

76. Resp. instantia melius explicari conclusio. Fumus potest vsurpari ad placitum in signum aduentus hostium, tunc prout significans aduentum hostium exercet ne munus significationis naturalis? Nequiquam, & tamen non dependet á voluntate hominum, quod ignis sit significativus; ergo licet illa vox *Blictiri* in casu posito vt exercens voluntariam significationem parietis non se significet; ac tamen ex hoc non infertur; significationem naturalem sui ipsius esse arbitrariam.

SECTIO IV.

QVID SIT VERITAS, ET quibus actibus conveniat?

77. Triplex est veritas. Transcendentalis prima, seu in essendo, quæ est proprietas entis, ideoque etiam falsæ propositioni conveniens, quæ dicitur vera propositio hac veritate transcendentali. Secunda in significando; hæc omni signo respectu sui significati convenit, ideoque etiam propositioni falsę. Tertia in cognoscendo, quæ dicitur veritas formalis, & propria, de quia loquimur; hanc que esse conformitatem cum suo obiecto fere extra dubium est inter Doctores. Unde falsitas est disconformitas actus cum suo obiecto.

78. Rogas. Vtrum apprehensionibus veritas conueniat? Resp. apprehensioni tam complexæ, quam incomplexę conuenire veritatem formalem. Prob. esse aliquem actum formaliter verum est esse conformem cum suo obiecto; sed omni apprehensioni, tam complexæ, quam incomplexæ conuenit esse conformem cum suo obiecto; ergo & esse formaliter veram. Maior est certa. Prob. Min. Omnis apprehensio, vel repræsentat aliquid reale, vel fictum? Si aliquid reale, ergo est vera, quia vere aliquid reale repręsentat. Si aliquid fictum? Ergo etiam est vera, cum illud repræsentet sicuti est in se.

79. *Dico* tamen, nullam apprehensionem, siue complexam, siue incomplexam esse formaliter falsam.

80 Prob. quoad primam partem, in qua convenio cum P. Arriaga, P. Hurt. P. Ouie. P. Peina. & alijs. Nulla apprehensio incomplexa potest esse suo obiecto disconformis; ergo neque formaliter falsa. Prob. antec. Quia si aliqua esset obiecto disconformis, maxime apprehensio impossibilis v.g. chimeræ; sed hęc non est suo obiecto disconformis; ergo. Prob. Hæc apprehensio *homo* non est suo obiecto disconformis, neque falsa, quia repræsentat obiectum reale possibile; ergo neque *chimæra*, quia repræsentat obiectum reale impossibile.

81 Quoad apprehensiones complexas, in quibus ab Authoribus supra citatis dissentior. Prob. 1. Quia ideo iuxta illos apprehensio incomplexa chimæræ non est falsa, quia repręsentat obiectum reale impossibile, quin illi conferat aliquod prædicatum repugnans; sed etiam apprehensio complexa v. g. *homo irrationalis* repræsentat aliquod obiectum reale impossibile, quin illi conferat aliquod prædicatum repugnans; ergo. Prob. 2. ideo per vos hæc apprehensio complexa *homo rationalis* non est falsa, quia repræsentat obiectum possibile reale, sicuti est in se; sed hęc *homo irrationalis* repręsentat obiectum impossibile reale sicuti est in se; ergo.

82 Nota tamen cum Arriga, iuxta communem modum loquendi in apprehensionibus veritatem non dari, quia per veritatem communiter intelligitur id, quo scire dicimur; sicut per falsitatem id, quo fallimur.

83 Obj. 1. cum Bonespei. tract. 7. qui tenet omnem apprehensionem esse falsitatis capacem. Si quis volens aurum apprehendere, apprehendat auricalcum, decipitur; ergo habet falsam apprehensionem.

84 Resp. ex argumento solum sequi, subiectum hoc non consequi suum intentum, quod est aurum apprehendere, non vero habere falsam apprehensionem; nam illa apprehensio vere auricalcum apprehenderet, sicuti est in se.

85 Obj. 2. Si apprehendat aurum existere, & durante hac apprehensione, aurum desinat esse, erit absque dubio falsa illa apprehensio; ergo.

86 Resp. rogando, vel per talem actum auro tribuitur existentia, & iam non erit apprehensio, sed iudicium? Vel non tribuitur, sed quasi separatim ab auro existentia concipitur? Et tunc, siue duret, siue non duret, existente, vel dextructo auro, manet eodem modo vera talis apprehensio.

87 Obj. 3. Veritas, & falsitas opponuntur; ergo si apprehensio est capax veritatis, etiam & falsitatis capax erit.

88 Resp. concedo antec. & nego conseq. ex argumento enim solum infertur, quod intellectus, qui est subiectum actus veri, & falsi, vtriusque actus sit capax; non vero, quod eadem apprehensio sit capax veritatis, & falsitatis; aliàs idem actum iudicij verus esset capax falsitatis, quia veritas, & falsitas opponuntur.

89 Obj. 4. Ad veritatem requiritur affirmatio, vel negatio; sed neque apprehensio complexa, aut incomplexa est capax affirmationis, vel negationis; ergo. Confir. Ad actum falsum requiritur affirmatio, vel negatio; ergo & ad actum verum; quia contrariorum eadem est conditio.

90. Resp. nego Maio. Ad actum enim verum solum requiritur conformitas illius cum obiecto; cum tamen vt probatum manet detur conformitas sine affirmatione, vel negatione, inde est, quod sine affirmatione vel negatione detur veritas. Ad confirm. respondeo concedendo Antec. & negando conseq. Quia sine affimatione, vel negatione nequit dari disconformitas,

mitas, ideoque nec actus falsus. Ad illud nempe, quod contrariorum eadem sit conditio, respondeo; in pluribus contraria eandem habere conditionem, in pluribus autem neutiquam: hic tamen ob rationes à nobis allegatas eandem conditionem habere nequeunt.

SECTIO V.

VTRVM OMNIS PROPOSITIO sit determinatè vera, vel falsa?

91. SVppono 1. propositionem posse fieri, vel in materia contingenti, quæ scilicet non habeat determinatam connexionem cum suo obiecto, vt *Petrus est albus. Ioannes est doctus*: vel in materia necessaria, quę scilicet cum subiecto determinatam habeat connexionem, vt *Petrus est homo.* secundo possunt esse de pręterito, vt *Petrus vixit*; de præsenti, vt *Petrus viuit*, de futuro, vt *Petrus viuet.*

92. Suppono 2. Omnem propositionem de præterito, & de pręsenti in quacumque materia, siue contingenti, siue necessaria, esse determinatè veram, vel falsam; quod patet, nam propositio de præsenti est vera, quia res est; & falsa, quia res non est. Propositio de præterito est vera, quia res fuit; & falsa quia res non fuit; sed quęlibet es vel est, vel non est; vel fuit, vel non fuit determinatè; ergo quælibet propositio de præsenti, & præterito in quacumque materia est determinatè vera, vel falsa.

93. Suppono 3. propositiones de futuro in materia necessaria esse determinatè veras, quia hæ sunt propositiones contradictoriæ *Petrus est homo: Petrus non est homo*; ergo vna ex eis debet esse determinatè vera; cum hæc sit contradictoriorum conditio. Hinc inferes, totam disputationem reduci ad propositiones de futuro in materia contingenti.

94. Suppono 4. Futurum, vel est absolutum, cum scilicet affirmatur aliquid faciendum sine vlla conditione, vt *Petrus cras peccabit*, vel conditionatum; quando scilicet sub aliqua conditione faciendum aliquid asseritur, vt *Si Petrus responderit vocationi Diuinæ, saluabitur.* In vtroque futuro datur specialis difficultas; ideoque de vtroque separatim agemus.

SVBSECTIO I.

AN PROPOSITIONES DE futuro contingenti absoluto sint determinatè vera.

95. ARistoteles, quem secutus est Tullius, vt libero hominis arbitrio provideret, negauit Deū cognoscere certò propositiones contingentes dependentes à libera voluntate, de quibus S. Augustinus, lib. 5. de Ciuitate *Dei* asserit; vt homines faceret liberos, eos fecisse sacrilegos. Quapropter de fide, immò & lumine naturę certum est, Deum certo cognoscere quælibet futura contingentia.

96 PP. Molina, Fonseca, Valentia, & alij apud P. Arriagam Disp. 14. Logicæ. sect. 5. subsect. 5. n. 119. cum Thomistis communiter Aureolo, Ricardo, Caietano, & alijs tenent; propositiones de futuro contingenti non esse determinate veras, vel falsas. Sed iudico cum eodem Arriagá; (quid quid sit de Thomistis) nostros Doctores tantum negasse, eas propositiones esse determinate veras quoad nos, hoc est, nos non cognoscere determinate, an sint veræ, vel falsę; quod certissimum est.

Co-

97. Communior omnium Doctorum societatis, & Scotistarum, & aliorum sententia est; propositiones de futuro contigenti esse determinatè veras, vel falsas.

98 Prob. 1. Quodlibet est, vel non est? Ergo vel obiectum erit sicut per propositionem affirmatur, & sic erit determinate vera; vel non erit, & sicerit propositio determinate falsa. Explicatur: vel Petrus est cras peccaturus, vel non? In hoc enim non datur medium, nec quid oppositum libertati, ergo hodie hęc propositio *Petrus cras peccabit* est determinatè vera, vel falsa: si peccaverit, erit determinate vera; si non peccaverit, erit determinate falsa.

99 Confirm: vel peccatum Petri nunc est determinate futurum, vel non est determinate futurum? Si nunc est determinatè futurum? Ergo affirmare nunc eius futuritionem, erit determinate verum. Si non est determinate futurum, ergo eius futuritionem nunc affirmare, erit determinate falsum.

100 Prob. 2. Deus certo scit has veritates futuras; cum plures de facto reuelaverit. Sic reuelauit peccatum Antichristi, trinam negationem Diui Petri, traditionem Iudæ, &c. Ergo omnes cognitiones de futuro contingenti sunt determinate verę, vel falsæ. Prob. conseq. Omnes cognitiones nostræ de futuro contingenti, vel affirmant id, quod *Deus* cognoscit eventurum, vel negant? Si affirmant id, quod *Deus* cognoscit euenturum, sunt determinate veræ, vt pote conformes infallibili cognitioni: & si negant, sunt determinate falsæ; vt pote infallibili veritati disconformes; ergo.

101 Confirm. Deus habet modo cognitionem de peccato futuro Petri, qua dicit, *Petrus peccabit*, quę iuxta omnes est determinate vera. Supponamus; me nunc dicere etiam *Petrus peccabit*; absque dubio hæc etiam determinate erit vera; cum hęc idem affirmet, quod cognitio Diuina: tum sic; sed nullam propositionem de futuro possumus dicere, quin habeat Deus aliam similem; vel non similem; quia de omni futuro dicit Deus erit, vel non erit; ergo omnes nostræ propositiones de futuro erunt determinate veræ, vel falsæ: Si habeat *Deus* similem, erunt veræ, si habeat dissimilem, erunt falsæ.

102 Obj. 1. fundamentum Aristotelis ad negandum, Deum determinate cognoscere futura contingentia. Si *Deus* determinate cognosceret hodie, Petrum cras peccaturum, Petrum cras peccare esset necessarium, & infallibile. Prob. Scientia Diuina est necessaria, & infallibilis; ergo eius obiectum; ergo si Deus dicit hodie, *Petrus cras peccabit*, cras nequit Petrus non peccare; vel poterit scientia Diuina frustrari, quod impossibile est; ergo.

103. Confirm. Propositio de futuro contingenti est determinatè vera; ergo est necessario vera, ergo eius obiectum erit necessarium, sed est contingens; ergo propositio determinatè vera non est.

104. Resp. Nego assumptum. Ad prob. distin. Anteced. Erit necessarium absolutè, & intrinsecè, nego; ex suppositione, & consequenter, concedo, & primam conseq. & nego secundam quoad vtrumque cornu. Sed vt solutionem percipias, scire debes; dari duplicem necessitatem, vnam antecedentem & absolutam, & aliam consequentem, & ex suppositione: antecedens est, quæ oritur á causa, vel principio, vel conditione se tenente ex parte principij, illud ve complente, pręcedente necessario effectum. Sic amoris beatifici necessitas est absoluta, & antecedens, quia

oritur ex visione beata ad amorem, necessario præcedente, tenente que se ex parte principij. Necessitas consequens est, quæ consequitur rem ipsam, seu effectum, quæ licet absolutè possit esse, vel non esse, tamen ex suppositione, quod sit, nequit non esse. Sic liberum est mihi sedere, vel non sedere, possum que pro meo libito ex vtroque quod libuerit, eligere, & tamen ex suppositione, quod sedeam, nequeo non sedere. Necessitas prima antecedens libertatem tollit. Necessitas secunda consequens nullatenus libertati lædit.

105. Hinc ad argumentum. Vt Deus determinatè sciat scientia infallibili: *Petrus cras peccabit*, sufficit; futuritionem Peccati Petri, quæ est talis scientię obiectum, esse infallibilem, & necessariam necessitate consequenti, & ex suppositione, quod Petrus libere se determinaverit ad peccandum; si enim Petrus, vt potuit, non se determinasset ad peccandum, certe Deus non præsciret, illum peccaturum. Vnde hæc propositio est vera: *Ideo videt Deus Petrum cras peccaturum; quia se determinabit ad cras peccandum*; non è contra; scientia enim Diuina, vtpotè speculatiua, suum obiectum supponit, hæc autem necessitas consequens creatę liberti nō officit, cum potius ab exercitio ipsius libertatis oriatur.

106. Ad confir. Concedo Antec. & dist. conseq. Ergo necessario erit vera, id est, non supponens libertatem, & contingentiam absolutam, nego: supponens libertatem, & absolutam contingentiam, concedo: & similiter dist. secundum conseq. Erit necessarium absolutè, & antecedenter; nego; ex suppositione, & consequenter, concedo. Unde absolutè est continges, ex suppositione est necessarium; cum autem scientia Diuina illud non respiciat antecedenter, & absolutè, sed ex suppositione, & consequenter, nu... est, quod eius infallibilitas componatur optimè cum libertate.

107. Replic. Scientia *Diuina* de peccato crastino existit hodie, existit ab Æterno, peccatum vero cras existet; ergo scientia pręcedit peccatum; ergo est suppositio antecedens, & non consequens.

108. Resp. Cond. Antec. & dist. primum conseq. Ergo scientia præcedit peccatum, præcedentia temporis, cōcedo; præcedentia naturæ, nego. Certum est scientiā Dei precedere tempore peccatum, non tamen præcedit præcedentia naturæ, & dependentiæ; hoc est, neque est causa, nec requisitum tenens se ex parte causę, vnde non tollit libertatem, nam præcedentia temporis omnino materialiter se habet respectu operationis, & libertatis ipsius. Dummodo enim positis omnibus requisitis, possit aliqua operatio poni, vel non poni; quid quid sit de his, quæ tempore præcendunt; semper manet libera: imo licet scientia Dei tempore præcendat operationem, est posterior poterioritate dependentiæ respectu illius; cum verum sit; ideo Deum præuidere operationem, quia volūtas creata talem operationem ponere decreuit, non è contra.

109 Instabis. Ergo scientia Dei pendet á nobis, & Deus talem scientiam non haberet, si nos non pecaremus.

110 Resp. Dist. conseq. Si per dependentiam scientię *Dei* á nobis intelligatur, nos aliquem influxum habere in talem scientiam, nego conseq. Si intelligatur ita se habere scientiam Dei, vt si nos non peccaremus, talis scientia non daretur, concedo conseq. Hanc enim quasi determinationem scientię *Diuinæ*, quæ in nobis residet, dependentiam ipsius scientiæ á nobis appellamus, non quia habeamus aliquem influxum in eam, sed quia ita spectat operationem, vt pote obiectum speculabile ipsius, vt prius sit operatio, quam existat scientia operationis; hinc

111. Inferes; scientiam visionis nihil ponere in rebus, sed respectu earum se habere tanquam si non esset, v. g. tanquam speculum in quo delineatur motus obiectorum, vel tanquam vigil, qui ex turri eminenti videt in planitie hos currere, illos cadere, illos stare. & c. Quid enim speculum ponit in motibus? Quid vigil in hominum actionibus? Certe nihil, sed tantum eas, quæ ponuntur, repręsentat; ita scientia visionis operationes, quæ ab homine ponuntur, videt, & ea, quæ non ponuntur, non cognoscit.

112 Obj. 2. Accedente tempore crastino, pro quo *Petrus* peccaturus dicitur; rogo, vel potest non peccare pro suo libito, vel tenetur peccare? Si secundum? Ergo non est liber. Si primum? Demus, non peccare; en propositio illa *Petrus cras peccabit*, erit vera, vt supponimus, & simul falsa, quia de facto non peccauit.

113 Argumentum magna æquivocatione laborare affirmat. P. Arriaga. Ad eius solutionem nota. Petrus indifferens est ad peccandum, vel non peccandum divisiue, non vero ad peccandum, & non peccandum simul. Unde propositio Petrus cras peccabit, nequit esse vera, & falsa simul, licet possit esse, vel vera, vel falsa: cum dicimus, esse determinate veram, supponimus determinationem ipsius Petri, & supposita Petri determinatione ad peccandum, nequit iam non peccare, nec falsificare illam. Vnde ex suppositione, quod sit vera, nequit esse falsa, quin hoc officiat libertati; cum sit suppositio consequens.

114 Obj. Tertiò Futurum non est ab Æterno; sed quod non est, non scitur determinate: ergo cognitio Diuina de futuro non habet ab Æterno determinatam veritatem.

115 Retorqueo. Ergo nec cognitio Diuina de pręterito habet determinatam veritatem. Prob. quia quod non est, non scitur: sed nunc non est præteritum: ergo nec scitur determinate.

116 Resp. Dist. maio. Futurum non est ab Æterno existens, concedo: futurum, nego: & dist. min. sed quod non est non scitur, quod non est, vel futurum, vel præteritum, vel existens, concedo: quod non est existens, nego. Licet futurum ab Æterno non existat actualiter, tamen ab Æterno est futurum, & hoc esse, quod habet ab Æterno, sufficiens est, vt ab Æterno terminet actualem cognitionem Diuinam, sicut præteritum nunc non existit, & hoc esse pręteritum, quod nunc habet sufficit, vt nunc terminet cognitionem actualem.

117. Objic. 4. Veritas non est magis determinata, quam eius obiectum; sed futurum contingens, quod est obiectum propositionis, determinatum nō est: ergo neque veritas determinata erit. Prob. Min. Futurum est contingens, & indifferens: ergo non est determinatum, sed determinandum, & consequenter veritas ad illud terminata non erit determinata, sed determinanda.

118. Resp. Cum P. Arriaga, duplicem dari determinationem, vnam provenientem ab ipsa existentia effectus, quæ est suppositio consequens, nō officiēs libertati; aliam provenientē ab aliqua causa determinēte, quæ libertati oppponitur. Vt veritas sit determinata nō requiritur quod obiectū sit determinatum determinatione se tenente ex parte alicuius causę determinantis, sed suf-

sufficit,quod sit determinatum determinatione proveniente ab ipso effectu, quæ determinatio non tollit,quod obiectum sit absolutè contingens , & indifferens. Vnde licet obiectum veritatis ad futurum terminatæ sit contingens absolute , ipsa tamen veritas erit determinata,& nō determinanda:quod enim affirmat,non est,peccatum Petri esse determinatum,sed præsciisse esse determinandum.

SVBSECTIO II.

AN PROPOSITIONES DE *futuro contingenti conditionato sint determinatè veræ?*

119. Dico de futuro conditionato contingenti,quia dantur alię propositiones de futuro conditionato necessario , in quibus á conditione ad effectum datur connexio necessaria,vt in hac,*si Petrus currit, movetur*,& de his non datur quæstio;certum namque est determinata gaudere veritate. Loquimur enim de alijs , in quibus inter conditionem , & effectum non datur necessaria connexio , vt in hac , *si Petrus vocetur à Deo tali auxilio consentiet.*

120. Prima sententia Thomistarum omnium asserit;has propositiones determinata non gaudere veritate. Ideo scientiam mediam ad ea cognoscenda negant.

121. Secunda sententia Iesuadum omnium sequentium omnes Magistros Suarez. Vasquez. Molina, & Valentia affirmat;eas propositiones determinatam habere veritatem, eas que scientiam Mediam in Deo appellant. Quęstio potius ad Theologos , quam ad logicos spectat , sed vt nihil in nostra logica,quod in alijs inveneris , desiderare possis , quæ necessaria, vt præsentem materiam intelligas , & defendas breuiter pertingam.

122. Prob. 1. *Deus* habet scientiam infallibilem de his futuris liberis conditionatis;ergo Dei propositiones circa ea habebunt determinatam veritatem; ergo propositiones nostræ, quę propositionibus *Divinis* fuerint conformes etiam determinata gaudebunt veritate. Maior á Nostris Doctoribus, præcipuè Suarez defenditur. in opuscul. lib. 2. de Præsci. *Dei* á cap. 1. Vasquez p. p. disp.6. contr. 2. & alijs pluribus Sacrę paginę locis. Interim vnum , vel alterum afferam; primus, & præcipuus sit ex Math. cap. 11. vbi Christus Dominus contra Corosain , & Bethsaida loquutus ait , *væ tibi Corosain , væ tibi Bethsaida , quia si in Tiro , & Sidone , factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te , olim in cilicio , & cinere pænitentiam egissent* , quibus verbis ostendit Christus, se scire determinate Tiros, & Sydones conuertendos sub conditione, quod vocati fuissent. Secundus sit Ezech. 3. Vbi Deus ad Ezechielem sic: *Non ad populum profundi sermonis tu mitteris, & si ad illos mittereris audirent te.*

123 Si tamen cum aliquibus Adversarijs respondeas: Deum id asseruisse , non quia certo metaphysice id sciret , sed probabiliter , & coniecturaliter.

124 Contra: Ergo *Deo* non cōceditur plusquam Diabolo , immo & homini conceditur ; hi enim , & coniecturaliter , & probabiliter circa futura conditionata libera possunt discurrere. Contra 2. Verbum ambiguum , & probabile *forsan* Deo indignum est. Constat , tum è primo rerum aspectu , tum ex D. Hieron. in cap. 2. Ezech. & in 22. Ieremiæ,bene docente,quod si aliquando eo *Deus* vtitur , hoc est nostro loquendi affectu, & stilo. Tertio. Ergo cognitiones diuinæ aliqua incertitudine inficiuntur ; quod indignum est.

125 Prob. 2. Hæ sunt propositiones contradictoriæ: *Si Petrus vocetur , consentiet : Si Petrus vocetur non consenti* & ergo vna ex illis debet esse determinate vera , & altera determinate falsa.

126 Confirm. 1. Adueniente instanti,in quo ponatur vocatio Diuina, Petrus vel consentiet , vel non consentiet? Non enim datur medium, quia quodlibet est, vel non est ; ergo antequam adueniat instans,erit determinate verum , vel determinate falsum dicere , *si vocetur in tali instanti consentiet* , si consentiat erit determinate verum , si non consentiat determinate falsum.

127 Confir. 2. Hæc propositio Christi Domini ad D. Petrum , *ter me negabis*,fuit determinate vera ; ergo si aliquis tunc diceret , *si Petrus viuat hac nocte , ter negabit suum Magistrum*, etiam erit determinate vera ; implicat enim esse veram determinate affirmationem absolutam obiecti , & non esse etiam determinate veram affirmationem ipsius sub aliqua conditione.

128 Obj. 1. Vt vera sit conditionalis propositio requiritur talis cōnexio inter conditionem , & effectum, vt posita conditione effectus necessario sequatur ; sed ita non se habent propositiones de futuro conditionato libero : positâ namque vocatione Diuina , non sequitur necessario consensus ; alias non esset liber ; ergo non habent determinatam veritatem. Maior prob. In hac propositione ; *si Turca dormit , Petrus scribet*,non datur determinata veritas , quia posita Turcę dormitione, non sequitur necessario, Petrum scribere.

129 Resp. maiorem , in qua totum argumentum fundatur,esse omnino falsam , & eius probationem. Vnde ad hoc , vt aliqua conditionalis propositio sit vera , nec requiritur necessario tanta connexio , vt posita conditione necessario sequatur effectus , nec sufficit nulla connexio. Requiritur enim aliqualis connexio, vel dispositionis , vel excitationis voluntatis ad effectum , vel comprincipij aliquo modo influentis in illum, qualis datur inter vocationem Diuinam , & determinationem liberam Petri. Hinc colligitur disparitas inter propositionem conditionalem hypotheticam,& propositionem causalem,& etiam propositionem disparatam. Propositio causalis requirit necessariam connexionem,ita vt necessario per modum communem effectus inferatur, vt patet in hac, *Ideo Petrus sentit , quia est animal*, valet *sentit*;ergo est *animal*. Non se habent ita propositiones conditionales,non enim valet *Petrus vocatur ; ergo consentiet*,potest enim non consentire; aliás omnes propositiones conditionales in materia contingenti essent determinate falsæ,& argumentum non probaret nec esse determinate veras,nec determinate falsas , sed ad summum esse determinate falsas,quod nec probat.

130. Propositiones disparatæ, qualis est illa : *si Turca dormit, Petrus scribet*, nulla connexione gaudet inter conditionem , & effectum, quæ enim connexio datur inter dormitionem Turcæ, & scribere Petri,nec dispositionis,nec comprincipij,&c. Vnde falsę omnino sunt. Nota tamen , si propositiones disparatæ in sensu copulatiuo accipiantur,ita *Dum Turca dormit, Petrus scribit* , vel posse esse veras, vel falsas. Si vero accipiantur in sensu conditionali,esse determinate falsas.

131. Obj.2. Argumentum desumptum á læsione libertatis creaturæ; si propositiones conditionales essent determinatê veræ. Resp. tales propositio-

tione,& prævisiones Diuinas esse suppositiones consequentes ad liberum voluntatis vsum. Vide dicta n. 103. huius sectionis.

132. Obj 3. Licet á re actu non existente possim denominari prior, & posterior, talis res ad minimum debet esse præterita, vel futura; ergo similiter, vt actus denominetur verus determinate, licet non requiratur necessario obiectum existens, ad minimum, vel præteritum, vel futurum, vel extitisse, vel extiturum requiritur; sed sepè effectus liber conditionatus extiturus nó est; ergo nec propositionem conditionalem denominabit determinate veram.

133. Resp. assignando maximam disparitatem inter denominationem *prioris, & posterioris*, & denominationem *veri*, & *falsi*; quare licet denominationes prioris, & posterioris requirant existẽtiam absolutam, præteritam, vel futuram, non vero denominationes veri, & falsi. In esse possibili Petrus, & Paulus indifferenter omnino se habent ad ex standum prius, vel posterius; potest enim Petrus esse Pater Pauli, ac proinde prior; & etiam Paulus potest esse Pater Petri, & consequenter prior Petro. Unde vt Petrus dicatur determinate prior, vel posterior Paulo, vltra possibilitatem requirit aliquam existentiam sui, & Petri, vel præteritam, vel futuram absolute, ratione cuius, vel sit determinate prior, vel determinate posterior. At vero vt actus dicatur determinate verus, non requiritur, quod obiectum existat, extiterit, vel extiturum sit absolute, sed sufficit, quod se habeat, sicut per actum asseritur, vel repræsentatur; sed per actum conditionate futurum non asseritur effectum existere, nec extitisse, nec absolute extiturum; sed tantum extiturum sub tali conditione; ergo dummodo sub tali conditione extiturus sit, erit propositio determinate vera. Sic Tirij, & Sidones nec conversi fuerant, nec, conuertendi erant in posterum, & vera determinate fuit propositio Christi Dñi. Sic Ezechiel nec missus fuit, neque mittendus erat ad Gentes profundi sermonis, & vera determinatè fuit Spiritus Sancti propositio, *& si ad illos mittereris audirent te.* Hinc constat, nullam dari propositionem, quæ non sit, vel determinate vera, vel determinate falsa.

SECTIO VI.

VTRVM IDEM ACTVS POSSIT esse simul verus, & falsus?

134 AFfirmant P. Valentia, P. Ripalda. Cardin. Lugo disp. 4. defi. num. 103. Linze Disp. 11. num. 87. Quiros, Oviedo. Complut. *Disp.* 45. sect. 1. n. 2.

135. Negant Eximius Doctor Disp. 9. Metaphy: sect, 1. num, 23. P. Arriaga, P. Hurtado, & omnes fere *D*ialectici.

136 Nota, quæstionem esse pure de nomine, in qua quo ad rem idem dicunt, & dicere tenentur omnes. Duplici conclusione rem componam.

137 Prima conclusio. Idem numero actus respectu diuersorum obiectorum, in ea disparatè tendens potest esse simul verus, & falsus.

138 Prob. 1. Veritas est conformitas, & falsitas difformitas actus cum obiecto; sed potest idem numero actus esse conformis vni obiecto, & disconformis alteri; ergo si in plura obiecta disparate tendat, poterit idem numero actus esse simul verus, & falsus. Maior est certa. Prob. minor. Hic actus *Petrus currit, Ioannes loquitur*, si re ipsa Petrus currat, & Ioannes non loquatur, vni obiecto erit conformis, & alteri disconformis; sed potest Petrus currere, & Ioannes non loqui, dum talis actus elicitur; ergo poterit idem numero actus esse conformis, & disconformis duplici obiecto, in quod disparate tendit.

139 Confir. 1. Angelus, in probabili sententia, eodem actu potest plura intuitiue, plura vero abstractiue respicere; ergo circa ea, quæ videt intuitiue actus necessario erit verus; circa ea vero, quæ videt abstractive poterit esse verus, & falsus.

140 Confir. 2. Idem actus potest esse clarus, & obscurus respectu diversorum. Item, in probabili sententia, potest esse simul scientię, fidei, & opinionis; ergo idem numero actus poterit esse simul verus, & falsus respectu diuersorum obiectorum.

141 Confir. 3. Ad hominem contra aliquos, qui tenent, apprehensiones posse esse falsas, casu scilicet quo, intendens apprehendere aurum, apprehenderet aurichalcum, ea eadem apprehensio, meo videri, evidenter est simul vera, & falsa; vera respectu sui obiecti, nempe aurichalci, & falsa respectu obiecti intenti ab apprehendente, nempe auri; ergo.

142. Secunda conclusio. Idem numero actus respectu vnius obiecti, vel respectu plurium, si in ea disparate non tendat, nequit esse simul verus, & falsus.

143 Prob. Quoad primá partem. Idem actus nequit esse conformis, & disconformis, æqualis, & inæqualis eidem entitati; sed veritas est conformitas, & ęqualitas, & falsitas disconformitas, & inæqualitas actus; ergo nequit idem actus esse simul verus, & falsus respectu eiusdem obiecti. Hinc probatur quoad secundam partem. Licet obiecta sint plura, dummo actus in ea disparate non tendat, idem obiectum constituunt, & se habent per modum vnius respectu actus; sed respectu eiusdem obiecti nequit actus esse conformis, & disconformis, æqualis, & inæqualis; ergo.

144. Obj. 1. contra 1. concl. Ergo hic actus *Omnes homines currunt*, si currat aliquis, & aliquis non currat erit simul verus, & falsus; cum in plura obiecta terminetur.

145. Resp. Nego conseq. Quia etsi hic actus terminetur ad plures homines, non tamen ad plura obiecta, cum ad ea non terminetur disparitate, sed potius omnes respiciat per modum vnius collectionis, de qua affirmat; currere: vnde aliquo non currente, talis actus redditur disconformis obiecto, ac proinde talis actus erit falsus tan um. Exemplo res clarescet. Comparetur lignum palmare duobus alijs lignis, è quibus vnum habeat palmum, & aliud duos palmos, si comparetur illis disiunctim, & separatim sumptis, certe vni, nempe palmari est æquale, & alteri nempe bipalmari est inæquale; at vero si ea duo ligna per modum vnius apponantur, certe est illis inæquale, quia tunc non faciunt duas mensuras, sed vnam: ita in nostro casu.

146. Obj. 2. Talis actus est disconformis suo obiecto adæquato; ergo est simpliciter falsus, & nullo modo verus.

147. Resp. Nego suppositum Anteced. quod talis actus habeat vnum obiectum adæquatum, non enim habet vnum, sed plura obiecta ita plura, vt nec per modum vnius sumantur, sed omnino disparate se habeant, sicut omnino disparate se haberent duæ illæ mensurę, vna palmaris, & alia bipalmaris, cum comparantur alteri palmari, quin ex illis duabus vna mensura resultet, nam si resultaret vna mensura, & ex illis duobus obiectis consequenter

ter vnum obiectum, esset extra casum primæ conclusionis, & iuxta secundam discurrere liceret. Vt autem scias, quando plura faciant vnum obiectum respectu actus, & non se habeant respectu illius disparate, attendi debet, non coniunctio obiectorum à parte rei, sed modus tendendi actus.

148. Obiic. 3. Hęc propositio *Petrus currit, & Ioannes loquitur*, loquente Ioanne, & Petro non currente esset tantum falsa, & nullatenus vera; ergo hæc *Petrus currit, Ioannes loquitur* eodem modo erit tantum falsa, si Petrus non currat: vel assigna disparitatem.

149. Resp. Assignando disparitatem. Quia prima propositio hypothetica vi copulę & vtrumque obiectum coniungit, & vtramque actionem, & cursum Petri, & loquelam Ioannis attingit non disparate, sed per modum vnius: at vero secunda propositio non est hypothetica, vocari tamen potest mista, vel virtualiter duplex cathegorematica, cum sit ęquivalenter duplex. Vnde sicut si Paulus eliceret hunc actum, *Petrus currit*, qui esset verus; & Franciscus hunc *Ioannes loquitur*, qui esset falsus, tales actus in ea obiecta disparate tenderent: ita in ea obiecta disparate tenderet hic actus, *Petrus currit, Ioannes loquitur* ab eodem Francisco elicitus; & hic actus illis æquivaleret in tendentia; ergo similiter illis æquivaleret in veritate, & falsitate.

150. Obj. 4. *Bonum ex integra causa; malum ex quocumque deffectu*; ergo quæcumque difformitas actus sufficiet, vt sit falsus, non vero quæcumque conformitas, vt sit verus, hęc enim debet esse totalis. Prob. Quia conformitas est æqualitas, ęqualitas enim dum non est totalis, non est ęqualitas, sed inæqualitas; sed æqualitas talis actus non est totalis; ergo neque æqualitas.

151 Resp. Quod si proloquium illud valeret in actibus etiam respectu distinctorum obiectorum, vt deterius induerent, nequiret idem actus esse simul clarus, & obscurus, sed esset obscurus tantum, nec scientię opinionis que, sed opinionis tantum. Vnde licet plura, dũ idem obiectum constituunt, vealeat proloquium, vt ex non conformitate cum aliquibus, vel cum aliquo disconformis, & nullo modo conformis denominetur actus, non vero cum obiecta sunt distincta.

152 Hinc inferes, veritatem esse æqualitatem respectu obiecti, cui conformatur, non vero respectu alterius, cui non conformatur. Unde idem actus est conformis, & disconformis respectu distinctorum obiectorum, sicut eadem mensura palmaris æqualis, & inęqualis respectu distinctorum; æqualis respectu vnius mensuræ palmaris, & inęqualis respectu bipalmaris.

153 Obj. 5. Contradictoria illius propositionis veræ, & falsæ simul, vel esset vera, vel falsa? Si vera? ergo duplex contradictoria simul vera. Si falsa? ergo duplex contradictoria simul falsa. Vel assigna contradictoriam illius.

154 Propositio illa *Petrus currit, Ioannes loquitur* hanc habet pro contradictoria *Petrus non currit, Ioannes non loquitur*. Hæc nec esset vera tantum, nec falsa tantum, sed etiam simul vera, & falsa. Ea parte, qua prima est vera, hæc secunda est falsa; & ea parte, qua prima est falsa, hæc secunda est vera. Non assigno pro contradictoria hanc; *nec Petrus currit, nec Ioannes loquitur*, quia particula *nec* negat duo per modum vnius, sicut particula & annectit etiam in vnum; vnde hæc vltima propositio, *nec Petrus currit, nec Ioannes loquitur*, est tantum falsa licet Ioannes non loquatur, eo quod Petrus currat; negat namq. vtrum-

vtrumque, quod falsum est. Prima vero *Petrus non currit, Ioannes non loquitur* non negat vtrumque, sed negat vnum, & alterum disparate, non per modum vnius obiecti exclusi.

SECTIO III.

VTRUM VERITAS, ET FALsitas actuum consistat in indivisibili?

155 HOC est, vtrum veritas, & falsitas possit augeri? Clarius: vtrum sicut datur vna similitudo, & vna dissimiliudo maior aliá, detur etiam vna veritas, vna ve falsitas aliá maior?

156 Suppono 1. vnam veritatem posse esse magis necessariam aliá; & similiter de falsitate discurre; quia magis necessaria veritas est; Deum esse Trinum, & vnum, quam Petrum currere; & in creatis magis necessaria est veritas, Petrum esse hominem, quam esse album. Ratio est; quia magis necessarium est id, quod magis distat á contigentia; sed magis distat á contingentia, Deum esse Trinum, & Petrum esse hominem, quam Petrum currere, & esse album; potuit namque Petrus, nec currere, nec esse albus; ac proinde potuerunt illę propositiones esse falsæ; ergo.

157. Suppono 2. Vnam veritatem posse esse perfectiorem altera, eo quod actus sit perfectior ex obiecto perfectiori; vt veritas actus, quo Deus asserit esse Trinum, multo perfectior est veritate, qua Petrus asserit, se esse hominem

158. Dico 1. Vna veritas nequit esse maior aliá in ratione veritatis formaliter, ac proinde in indivisibili consistit. Ita Eximius Noster Doctor. P. Hurtado, P. Arriaga. d. 14. sect. 3. n. 84. Compot. d. 45. sect. 6. n. 4.

159. Prob. Essentia veritatis stat in eo, quod actus repræsentet obiectum sicuti est in se; sed vnus actus verus nõ repręsentat obiectum magis sicuti est in se, quam alius; ergo. Prob. Min. Repræsentare obiectum sicuti est in se, consistit in indibisibili: nam si aliquid demas, addas ve, iam non repręsentatur obiectum sicuti est, & actus est falsus.

160. Confir. 1. Si duæ lineæ sint omnino rectæ, licet vna excedat aliam in materia, nequit esse magis recta, quã alia; sed veritas est linea recta intentionalis excludens omnem curvitatem, ergo vna veritas nequit esse maior alia.

161. Confir. 2. Ueritas se habet vt æqualitas; sed æqualitas non admittit magis, & minus; nam si addas, demas ve, iam non manet æqualitas; ergo & veritas.

162. Dico 2. Cum eisdem PP. Arriaga, & Oviedo contra Compt. Linze, & Hurtad. Si obiectum actus sit divisibile, falsitas maior, vel minor esse potest, v.g. magis falsus erit actus, qui dixerit, *hi centum homines currunt*, currente tantum vno, quam actus idem affirmans, currentibus nonaginta novẽ.

163. Prob. Ueritas se habet sicut ęqualitas; & falsitas sicut inæqualitas, sed licet æqualitas consistat in indivisibili, inæqualitas tamen magis, & minus accipit; sic magis inæqualis est virgę palmari linea tripalmaris, quam bipalmaris. Item ea propositio magis distat á vero, quæ minus adæquatur veritati; sed prima propositio minus adæquatur veritati; ergo magis distat á vero, & consequenter est magis falsa.

164. Confir. Licet si attingatur punctum indivisibile centri, nequeat magis, vel minus attingi, potest tamen magis, vel minus distari, & aberrari á cen-

centro, ergo licet veritas, quia indiuisibilis est, magis, & minus non accipiat, falsitas, quæ est à puncto veritatis distans, poterit magis, & minus accipere.

165. *Dico* tertiò cum PP. Arriaga, & Compton. Falsitas nequit esse maior aliá, si sit circa indiuisibile obiectum. V.g. actus hic, *Petrus non existit*, existente Petro, non est magis falsus formaliter, quam hic, *Deus non existit*.

166. Prob. Nam, cum vtrumque obiectum in indiuisibili consistat, vterque actus æque aberrat á vero; & cum vterque actus totaliter disconformetur cum obiecto, non magis disconformatur vnus, quam alius; sed falsitas in disconformitate consistit; ergo neque est magis falsus vnus, quam alius.

167 Obj. 1. cum P. Arriaga, num. 91. conta 1. conclus. Per nos idem actus potest esse simul verus, & falsus, si plura obiecta disparate respiciat; ergo veritas in indiuisibili non consistit. Prob. conseq. Per nos vt propositio sit vera non requiritur, quod totum obiectum existat, sicut per ipsam repræsentatur, sed sufficit, quod existat pars aliqua obiecti; ergo si aliqua pars obiecti sufficit, vt propositio sit vera, quo maior fuerit pars obiecti existens, maior erit veritas, ac proinde maior veritas erit dicere, *hi centum homines currunt*, currentibus nonaginta nouem, quam currentibus Viginti, & maior currentibus viginti, quam currentibus decem; ergo.

18 Resp. concedo antec. & nego consequent. Ad probat. dico maiorem veritatem materialiter esse dicere; hi centum homines currunt, currentibus nonaginta uovem, quam currentibus viginti; hoc est; materiam vnius veritatis esse maiorem, quam materiam alterius, non vero esse maiorem formaliter in esse veritatis: nec ex eo quod eadem propositio possit esse simul vera, & falsa, sequitur posse esse magis veram; nam vt sit simul vera, & falsa, duplex obiectum disparatum ponitur, è quibus vni potest conformari, & disconformari alteri, non vero potest vni, & eidem obiecto conformari magis, & minus, esse que magis, & minus æqualis illi; conformitas enim actus cum illo obiecto, ratione cuius verus dicitur, consistit in indiuisibili, licet simul sit disconformis alteri obiecto, ratione cuius dicitur falsus. Sic licet eadem linea palmaris sit simul æqualis, & inæqualis; æqualis respectu lineæ palmaris, & inæqualis respectu lineæ bipalmaris, at respectu lineæ palmaris nequit esse magis, vel minus æqualis, sed eius æqualitas in indiuisibili consistit.

169. Vnde illa propositio nobis obiecta: per nos vt propositio sit vera non requiritur, quod totum obiectum existat sicut per ipsam repræsentatur: ita distinguenda est; quod totum obiectum verificatiuum, nego; quod totum obiectum falsificatiuum, concedo; & nego suppositum, quod obiectum verificatiuum possit dici pars obiecti, nam pars est conrrelatiua compartis in ordine ad constituendum vnum totum, cum autem ex obiectis actus positi á nobis, tanquam simul veri, & falsi, nequeat vnum obiectum resultare, cum supponantur omnino disparata, inde est, quod nequeant dici partes alicuius obiecti, quod vnum obiectum dicatur, sunt namque non vnum, sed plura obiecta, alias si per modum vnius se haberent, propositio esset tantum falsa; vt diximus sect. anteced.

170. Obj. 2. Hæc propositio *homo est animal rationale* magis repræsentat hominem sicuti est in se, quam hæc *homo est animal*; ergo est magis vera.

171 Resp. *Dist.* antec. Magis repræsentat hominem sicuti est in se, id est, magis adæquate, concedo; magis vere, nego: Nam tam verum est, hominem esse animal, quam esse animal rationale, licet hæc secunda veritas ad plura se extendat, & hominem maiori adæquatione attingat.

172. Obj. 3. contra 2. concl. Per nos falsitas accipit magis, & minus; ergo & veritas. Prob. conseq. Ideo falsitas accipit magis, & minus, quia hic actus *hi centum homines currunt* est magis falsus currentibus decem tantum, quam currentibus nonaginta nouem, cum plus disconformetur; ergo hic actus *mille homines currunt*, *currentibus* totidem, erit magis verus, quam hic *duo homines currunt*, eisdem currentibus; cum primus plus conformetur, quam secundus.

173 Resp. veritatem consistere, non inquacumque conformitate, sed inconformitate cum suo obiecto; sed actus dicens *mille homines currunt* non est magis conformis cum suo obiecto, quam actus dicens duo homines currunt; ergo non est magis verus. Licet enim obiectum primi actus sit maius materialiter, & veritas cum pluribus conformetur, non ideo magis conformatur cum suo obiecto, quam secundus actus cum suo. At vero falsitas in disconformitate, & in inæqualitate consistit, et eo ipso quod actus disconformis, et inæqualis sit pluribus obiecti partibus, magis disconformis, et inæqualis est obiecto, magis que aberrat ab eo.

174 Obj. 4. Tam non est Limæ, qui est Romæ, quam qui est Callai; & tam distat ab hoc gimnatio qui est in foro, quam qui est in Ecclesiá. Item, qui verum non dicit, tam absolute non dicit verum, si in vno, ac si in pluribus deficiat. In super carentia obiecti sicut repræsentatur, falsitatem constituit; sed carentia non accipit magis, & minus; ergo nec falsitas.

175 Resp. Disting. primas propositiones. Iam non est Limę, & c. Tam non est in hoc gimnatio, &c. Tam absolute non dicit verum essentialiter metaphysice, cócedo; integraliter, seu intensiuè, nego. Certum est, totam essentiam metaphysicam non essendi Limę, & sic de reliquis, habere tam qui est Romæ, quam qui est Callai, sed non habere tantam distantiam; etiam qui aberrat in vno, totam essentiam metaphysicam mendacij contrahere, sed minús mendacij dicere, quam qui in pluribus deficit. Sic tam est albedo essentialiter albedo vt vnum, quam albedo vt octo, non tamen est tam intensa albedo: Tam est inæqualis quantitas bipalmaris semipalmari, quam palmari, & tamen maior est vna inęqualitas, quam alia; ergo similiter licet tam falsitas sit essentialiter metaphysice defectio in vno, quam in pluribus, erit tamen vna maior, & intensior falsitas, quam alia. Ad illud de carentia idem dic; carentiam essentialiter non accipere magis, & minus, carentiam vero integraliter, & intensiue magis, & minus accipere.

SECTIO VIII.

AN VERITAS SIT INtrinseca, & essentialis cognitionis?

176. PRima sententia affirmat; esse adęquatè intrinsecam, & essentialem actibus. Ita Aureolus,

lus. Gran. controv. de Actibus humanis. tract. 9. d. 4. n. 6. Smising. Linzeus. problem. lib. 10. tract. 1. n. 44. Hurtado d. 9. de Anima sect. 3. sub. 4. & 5.

177. Secunda sententia negat. Ita S. Thomas 1. p. Quæst. 14. art. 15. ad 3. Eximius Noster Doctor. P. Vasquez. Molina. Rubius. Arriaga. Compton. Oviedo. Quiroz. Alphonsus. S. Cruz. Ioannis, & Spinula: hi tamen duo vltimi, aliqui que cum eis, licet hoc teneant in actibus probabilibus, & incretis, in actibus tamen metaphysice certis, & evidentibus, quales sunt actus scientiæ, & supernaturales fidei, &c. tenent veritatem intrinsecam, & essentialem.

178. Conclusio. Ueritas est denominatio partim intrinseca, & partim extrinseca actui. Intrinseca, quatenus dicit ipsam repræsentationem, affirmationem scilicet, & negationem: Extrinseca, quatenus dicit ipsum obiectum eo modo existens, quo per propositionem affirmatur, si sit vera; vel aliter ac est affirmatum, si sit falsa.

179. Prob. 1. Aristotelis authorit. c. 1. de substantia dicentis. *Ab eo quo res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*; sed quod res sit, vel non sit, est actui extrinsecum; ergo ab aliquo extrinseco, obiecto nempe sumitur veritas, vel falsitas propositionis.

180. Confir. Posito hoc actu *Petrus currit*, si Petrus re ipsa currat, erit verus; si non currat erit falsus; ergo à cursu Petri, qui est talis actus obiectum, denominatur verus. Tum aliter; ergo talis actus est indifferens ad veritatem, vel falsitatem, iuxta indifferentiam cursus, sed nihil est indifferens ad id, quod adæquatè secum identificatur; ergo veritas, & falsitas non identificantur cum actibus adæquate.

184. Prob. 2. Ueritas est quædam similitudo, & falsitas quędam dissimilitudo actus cum obiecto; sed per nos, & iuxta plures ex Adversarijs, similitudo est quædam denominatio partim extrinseca, resultans scilicet ex fundamento, & termino; ergo similiter veritas, & falsitas. Ratio á priori est. Quia propositionem esse veram, nihil aliud est, quam ipsam affirmar cursum Petri v.g. & hunc dari á parte rei, & propositionem esse falsam nihil aliud est, quam ipsam affirmari cursum Petri, & hunc non dari à parte rei; sed hoc dicit duo, & propositionem, & obiectum vt est in se, vel aliter ac est in se repręsentatum; ergo veritas, & falsitas in vtroque consistit.

182. Confir. ad hominem ex Arriaga. Vt probent Adversarij, propositionem de futuro esse determinate veram; ita arguunt: *Deus vidit, me affirmare cursum futurum, & videt ipsum cursum futurum; ergo videt propositionem esse veram.* En iam supponunt, veritatem non aliter cognosci, quam cognoscendo ea duo; ergo in illis consistit. Si enim in sola entitate actus veritas sisteret, frustra requireretur cognosci á Deo ipsum futurum; nam solo actu cognito cognosceretur ordo transcendentalis, in quo iuxta ipsos veritas consistit.

183 Confir. 2. Posita repræsentatione actus v.g. cursus Petri, & posito cursu Petri, ablato quocumque respectu intrinseco, propositio illa vera formaliter intelligitur; ergo eius veritas in vtroque consistit.

184. Pręcipua nostræ conclusionis probatio ex impugnatione contrarię desumitur communiter, morem sequar. Ait enim Hurt. & contrarij; cognitionem ita esse cum obiecto connexam, vt nec Divinitus possit poni hæc numero propositio *Petrus currit*, quæ essentialiter est vera, Petro non currente; vnde ly *Petrus currit* falsa non currente Petro, esse essentialiter diversam á prima, licet illi similem.

185. Contra 1. Hæc alligatio propositionum est omnino voluntaria. Quis vnquam excogitare potest ex duabus propositionibus idem, & eodem modo respicientibus v. g. *Petrus currit Petrus currit* vnam esse essentialiter veram, & alteram esse essentialiter falsam, & inter se essentialiter distinctas?

186. Contra 2. Ponamus per possibile, vel impossibile, quod currente Petro ex illis duabus propositionibus vna essentialiter vera, et altera essentialiter falsa, eliciatur falsa *Petrus currit*, et quod ex negatiuis similiter vna vera, et alia falsa, eliciatur vera *Petrus non currit*; ergo Petro currente propositio negans illum currere esset vera, et affirmans illum currere esset falsa.

187. Contra 3. Pone eam propositionem affirmatiuam essentialiter falsam *Petrus currit*. Pone item negatiuam essentialiter item falsam, *Petrus non currit*, Rogo hæ duæ propositiones *Petrus currit Petrus non currit*, vel sunt cõtradictoriæ, vel non? Si primum? Ergo duplex cõtradictoriũ est simul falsum. Si secundum? Ergo evertitur contradictoriorum definitio; cum duæ propositiones, ex quibus vna affirmat, et alia negat idem prędicatum de eodem subiecto, omnibus seruatis, non opponuntur contradictorie.

188. Si dicas, eas propositiones idem obiectum non habere, quia vera habet pro obiecto cursum possibilem, falsam vero cursum impossibilem, & fictitium. Contra erit. Ergo propositiones contradictoriæ idem obiectum non habent. Patet. Cursus possibilis, & impossibilis, verus, & fictitius idem non sunt; sed ex propositionibus contradictorijs vna debet esse falsa, & ideo per vos respicere obiectum impossibile, & alia vera, ac proinde respicere obiectum possibile; ergo respicere obiectum distinctum. Vide contra hanc solutionem dicta tract. de Ente rationis sect. 1.

189. Denique ex absurdo, quod ex ea sequeretur, impugnatur contraria sententia. Nam Angelus futura contingentia posset naturaliter cognoscere, quia posset, vel à me forte elici, vel ab ipso Angelo hic actus *Petrus cras peccabit*. Si tunc supra illum reflecteret, illum intuitiue, & comprehensiue attingeret; ergo cognosceret quid quid est de eius essentia, esse scilicet verum, vel falsum, & consequenter sciret certo, vtrum Petrus sit cras peccaturus, vel non peccaturus.

190. Nec valet dici tunc Angelum futura non cognoscere, quia illi ad futura cognoscenda non debetur concursus; Nam Adversarij sibi ipsis opponuntur; cum ex vna parte Angelo negent concursum ad cognoscenda futura, & ex aliá illi concedant pricipium proximum ea cognoscendi, nempe penetratio actus essentialiter veri, vel falsi. Si enim hoc principium cognoscit evidenter, etiam infertur, ipsum futurum cognoscere. Nec Angelo intuitiua illorum actuum cognitio negari rationaliter potest; ergo.

SVBSECTIO UNICA.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

191 OBj. 1. Propositionem repræsentare cursum verum, qui de facto datur, est propositionem esse veram; sed repræsentare cursum verum, qui de facto datur, est propositioni adæquate intrinsecum, & essentiale; ergo & veritas.

292 Resp. concedo maio. Et nego minor. Nam licet propositioni sit intrinsecum, & essentiale repręsentare cursum, illi tamen est extrinsecum,

& accidentale, quod cursus actualiter existat, vel non existat; sed veritas stat non solum in repræsentatione cursus; potest enim cursus ræpræsentari per actum falsum, sed in repræsentatione cursus, et in ipso cursu existente, seu repræsentato sicuti est in se; ergo veritas non est actui adequate intrinseca.

293 Replic. 1. Propositioni est intrinsecum, et essentiale repręsentare cursum verum, et reale; ergo et repræsentare cursum existentem vt talem. Prob. conseq. solus cursus existens est verus, et realis, cursus vero non existens est cursus fictitius; ergo si propositioni est intrinsecum repræsentare cursum verum, etiam erit intrinsecum repræsentare cursum existentem.

194. Resp. Concedo antec. et nego conseq. Ad probat. nego antecéd. Nam cursus possibilis non est actualiter existens, et est cursus verus, et realis: vnde licet propositioni sit essentiale repræsentare cursum realem, illi tamen accidentale est, quod talis cursus realis existat, sicut per ipsam asseritur, quod requiritur necessario, vt propositio sit vera. Falsa enim, per nos, vt diximus tract. de Ente rationis non respicit cursum fictum, sed eundem cursum realem, quem respicit vera, & tamen quia ipse cursus non existit sicut per ipsam repræsentatur, est falsa; ergo vltra repræsentationem cursus realis, quę est propositioni essentialis aliquid aliud est veritas, quod ipsi essentiale non est.

195 Replic. 2. Actus in ratione veri non magis dependet ab obiecto, quam in ratione repræsentationis; sed in esse repræsentationis nihil sibi extrinsecum habet; ergo nec in esse veri.

196 Resp. Nego maior. Nam tota ratio repræsentationis præscindit á conformitate, vel disconformitate cum obiecto, & saluatur in respicentia tendente ad obiectum, quæ actui est adęquate intrinseca; ast vero veritas vltra respicentiam dicit conformitatem, seu obiectum ita se habere, sicuti repræsentatur, quod est actui extrinsecum, & accidentale; sicut imagini Cæsaris essentiale est repræsentare hanc figuram, ast vero quod hęc figura ita se habeat, ac repręsentatur est imagini accidentale; sed hoc includit conformitas, & omnis veritas est conformitas; ergo veritas aliter dependet ab obiecto, ac repręsentatio; nam repræsentatio dependet ab illo, vt ab obiecto, veritas vt à constitutiuo.

197 Obj. 2. Actus, qui respicit hominem possibilem, non respiceret illum si redderetur impossibilis; ergo actus, qui respicit cursum existentem non respiceret illum, si redderetur non existens; ergo idem actus *Petrus currit* non est indifferens ad esse verum respiciens cursum existentem, & ad esse falsum cursum non existentem respiciens.

198. PP. Arriaga, & Oviedo negant antec. asserentes; cognitionem non referri transcendentaliter ad obiectum. Tu vero cum P. Comptono, & Alijs illud concede, & simul relationem transcendentalem; nam si obiectum redderetur impossibile, etiam cognitio, quæ est tendentia in illud, impossibilis redderetur. Possibile enim, & impossibile realiter distinguntur, ideo quę nequit esse indifferens ad attingendum possibile, vel impossibile, nec reddito obiecto possibili impossibili, eadem permanere potest: at possibile, & existens realiter non distinguntur; vnde ille actus *Petrus currit* indifferens est ex se ad respiciendum cursum possibilem tantum, & sic ad esse falsum; vel existentem, & sic ad esse verum, cum siue existat, siue non existat cursus affirmatus idem cursus est.

199 Obj. 3. Omnis propositio affirmans cursum v. g. Petri respicit illum ex suppositione, quod sit; sed ex suppositione, quod sit, essentialiter est; ergo omnis propositio affirmans respicit obiectum vt existens essentialiter.

200 Resp. maiorem esse omnino falsam; solum enim respicit obiectum, vt obiectum affirmatum est, non vt existens; sed licet respiciat illud vt obiectum affirmatum, potest esse falsa, si non existat; ergo talis propositio non est essentialiter vera.

201 Obj. 4. Omnis propositio, vel intrinsece, & essentialiter repræsentat obiectum sicuti est in se, vel intrinsece, & essentialiter non repræsentat obiectum, sicuti est in se; vel per suam essentiam assimilatur obiecto, vel non assimilatur; sed si primum, est essentialiter vera, si secundum, est essentialiter falsa; ergo.

202. Confir. Nulla propositio potest esse indifferens vt sit conformis, vel disconformis obiecto; ergo nec vt sit vera, vel falsa. Prob. antecedens. Nulla propopositio potest esse indifferens vt mutet obiectum; cũ sit imago ipsius; aliás iam non esset eadem, sicut nec eadem imago; sed si esset indifferens, vt sit conformis, vel disconformis, esset indifferens, vt mutaret obiectum; nam si esset conformis, haberet pro obiecto cursum reale, si disconformis cursum fictum.

203 Resp. Omnem propositionem ex se, & essentialiter solum habere hoc, quod est, repręsentare obiectum, & esse illi inadæquate, & quasi fundamentaliter similem; at vero ipsam ex se neque repræsentare obiectum, sicuti est in se, nec aliter ac est in se, neque esse similem, neque esse dissimilem. Nam repręsentare obiectum sicuti est in se, vel aliter ac est in se, dicit simul, & repræsentationem, & ipsum obiectum ita se habens, vel ita non se habens, sicut repræsentatur; sed propositio ex se, & essentialiter solum dicit repræsentationem, & pręscindit ab, eo quod obiectum ita, vel aliter se habeat; ergo ex se, & essentialiter nec repræsentat obiectum, sicuti est in se, nec aliter ac est in se. Patet doctrina in denominatione similis. Per vos, hæc albedo ex se, & essentialiter non dicitur similis adæquatè alteri albedini, nec tantum licet inferre; *Ergo ex se & essentialiter est alteri dissimilis*; nulla alia ratione, nisi quia tam similitudo, quam dissimilitudo ex vtraq; albedine resultat; ergo cum conformitas, vel disconformitas ex repræsentatione, & obiecto, ita vel aliter se habente resultet, non licebit inferre: repræsentatio ex se non est conformis adæquate; ergo ex se est disconformis: quia nec est conformis, nec disconformis: dicitur tamen ex se non esse conformem, neque esse similem; non tamen ideo est falsa ex se, quia falsitas non stat in non similitudine, sed in dissimilitudine. Sicut animal ex se, neque est rationale, nec irrationale.

204. Ad confir. Nego Anteced. Ad probationem concedo Maior, & nego Minor. Ad implicitam probationem iam supra respondi, obiectum illius propositionis *Petrus currit* esse cursum verum, & realem, siue propositio sit conformis, siue sit disconformis. Si sit conformis cursus vt est in se repræsentatus, si sit disconformis repręsentatus aliter ac est in se.

205. Obj. 5. Si veritas includeret obiectum, sequeretur 1. hunc actum verum *Deus est Æternus* elicitum á creatura esse Diuinum, cum Deum includat. Secundo veritatem Diuinam, qua me-

me cognoscit *Deus* existentem, non esse perfectiorem veritate creata, qua ego *Deum* existentem cognosco, cum vtraque veritas eisdem gaudeat veritatis constitutivis. 3. Si actus circa Deum esset falsus, v.g. *Deus non est Omnipotens* habebit falsitatem infinitam. 4. hic actus falsus esset perfectior, quam quilibet alius verus ad creaturam terminatus; cum constitueretur ex *Deo* in esse falsi.

206. Resp. Dist. sequelam primi inconuenientis. Sequeretur, hunc actum esse *Diuinum*, id est, terminatum ad Deum vt obiectum, & per ipsum in esse veri constitutum, concede: id est, elicitum á Deo, nega. Ideo absolutè non est dicendus Diuinus, quia hæc denominatio solum convenit actibus à Deo elicitis, vt á principio, non actibus elicitis á creaturis, & terminatis tantum ad *Deum* vt ad obiectum. Ad secundum inconveniens respondeo cũ P. Arriaga n. 44. veritatem creatam terminatam ad Deum concretiue sumptam æque perfectam esse, ac veritatem Divinam ob rationem argumenti; at vero secundum quod dicunt in recto, nempe secundum repræsentationem infinite perfectiorem esse veritatem Diuinam veritate creata. Idem evenit in similitudine mei ad Deum, æque perfecta concretiue ac similitudo Dei ad me, cum vtraque Deo, & me constet.

207. Ad tertium inconueniens etiam distingue, illud habebit falsitatem infinitam, id est, terminaretur ad obiectum infinitum, eo quod constitueretur, concedo; aliter, nego. In his ergo, & similibus denominationibus communi vsui loquendi maximè attendendum est. Non enim dicitur falsitas infinita, neque similitudo infinita: sicut nec actus liber creatus, licet per concursum Dei indifferentem in esse liberi constituatur dicitur infinitus, nec denique actus in esse praui per prohibitionem Diuinam infinitam constitui dicitur infinitus. Ad quartum respondetur, talem actum falsum esse perfectiorem materialiter actu vero, id est, constituitur in esse falsi ex obiecto perfectiori illo, per quod in esse veri constitueretur actus terminatus ad ens creatũ, non vero in existimatione morali esset formaliter perfectior, sicut licet actus pravus per prohibitionem Diuinam in esse pravi constituatur, non ideo in extimatione morali censetur formaliter perfectior actu honesto temperantiæ alterius que virtutis moralis, quę ex *Deo* non constituuntur. Tunc enim in illis actibus se habet omnino materialiter infinitudo Dei; cum eos non constituat ea intensione, vt eos dignificet.

208. Obj. 6. Amor Dei circa creaturas non constituitur in ratione boni formaliter per ipsas creaturas, sed per se ipsum; ergo nec actus verus constituitur in esse veri per obiectum, sed per se ipsum. Confir. Bonitas actus voluntatis non constituitur per obiectum; ergo neque veritas actus intellectus. Id enim quod est veritas, & falsitas in intellectu, est bonitas, & malitia in actibus voluntatis.

209. Resp. Bonitatem moralem actus voluntatis, & amoris Dei circa creaturas non constitui ex obiectis; nam circa obiectum malum potest dari actus bonus, vt odium peccati, immò & voluntas homicidij, si homicidium invincibili ignorantia bonum iudicaretur; sicut ê contra potest dari actus malus circa obiectum bonum, vt odium Dei; immò & auditio Sacri, si ignoranter iudicaretur mala; cum ergo ex conformitate cum obiecto bonitas moralis actuum voluntatis non sumatur, & ex tali conformitate sumatur veritas actuum intellectus nulla in hoc paritas datur. Sumitur ergo bonitas moralis per conformitatem

tatem cum regula rectæ rationis, ideo que per talem regulam constituitur. Scio P. Coninc 1. p. disp. 3. dub. 3. & P. Amicum ibidem dis. 13. n. 8. defendere tales actus voluntatis per obiecta in esse morali constitui.

210. Obj. 7. Veritas est perfectio actum, & falsitas imperfectio: ergo est illis intrinseca; perfectio namque, & imperfectio rei semper est illi intrinseca.

211. Resp. dist. anteced. Veritas adæquatê sumpta est perfectio intrinseca; nego: inadęquatè sumpta, concedo. Id est quoad repręsentationem dicit perfectionem intrinsecam, non vero quoad conformitatem, vnde intrinsece non est perfectior actus verus actu falso, cum esse verum, vel falsum sit extrinsecum actui: sicut esse similem nõ est perfectio intrinseca albedini, sed solum extrinseca.

212. Obj. 8. Propositiones de futuro sunt actualiter veræ; sed obiectum earum non est actualiter, cum sit futurum, ergo per illud veritas non constituitur; quia constitutum actuale exigit actualiter constitutiva.

213. Resp. Concedo Maior, & dist. Minor. Obiectum earum non est actualiter futurum, nego: existens, concedo. Ad veritatem actualem solum requiritur, quod obiectum sit eo modo, quo per propositionem affirmatur, cum enim per propositionem de futuro non affirmetur futurum vt existens, sed vt futurum, inde est, quod sufficiat eius actualis futuritio, vt propositiones sint actualiter veræ. Sic dicitur domus hæc actualiter antiqua, & in esse talis per tempus prete-ritum constituitur. Sic nos dicimus actualiter priores Antichristo futuro, posteriores actualiter Adamo præterito, quia in his, & similibus denominationibus actualibus solum significatur, & requiritur existentia actualis recti, non obliqui, licet in alijs denominationibus, in quibus datur vnio physica inter subiectum, & formam, vt in denominatione calidi, albi, & c. Existentia actualis, & exercita vtriusque partis requiratur.

214 Obj. 9. Propositiones necessariæ, quæ dicuntur Æternę veritatis, vt *homo est animal rationale: Deus existit*. Item actus scientiæ Divinæ, & fidei supernaturalis essentialiter petunt, vt obiecta sint eo modo, quo ab ipsis repręsentantur, nullam indifferentiam habent ad falsitatem; ergo sunt essentialiter verę.

215. Totum concedunt Linze, Ioannis, Spinula, immò & P. Comptonus admittit in his propositionibus, quibus falsitas repugnat, esse veritatem intrinsecam, licet sit extrinseca propositionibus in materia contigenti. Tu vero cum P. Arriaga in omnibus eodem modo discurre, distinguens inter propositiones necessario veras, & intrinsecè veras, non enim quodcumque necessarium est intrinsecum. Sic creatura necessario est coexistens Deo, similis illi, ad minus in ratione substantiæ, subdita, cognita á *Deo*, &c. Et tamen omnes hę denominationes non sunt illi adæquate intrinsecæ, sed partim extrinsecæ; vbi nota cum P. Compt. sect. 5. num. 1. dari duplicem veritatem; formalem, quæ est conformitas actus cum obiecto; & radicalem, quę est exigentia intrinseca, & essentialis propositioni, vt obiectum sit sicut per ipsam enunciatur. P. Linze hanc exigentiam, & connexionem vocat *veritatem ad quam* (verba sunt Arriagæ num. 57) Ego autem, & alij plures nolumus vocare veritatem, sed exigentiam veritatis, quod aliud Longe est. Hæc veritas radicalis, seu exigentia veritatis conuenit actibus in materia necessaria intrin-

trinſece, & eſſentialiter, & ratione huius illius falſitas repugnat, non ratione veritatis formalis, quæ ſicut actibus in materia contingenti eſt extrinſeca, ita & his extrinſeca erit.

216 Obj. 10. Verba conſecrationis cauſant corpus Chriſti vt vera; ergo per ipſum vt vera non conſtituuntur; alias ipſe Chriſtus ſe ipſum cauſaret; ſed eſt obiectum verificativum illorum; ergo eorum veritas ex obiecto non conſtituitur.

217 Quæſtio hæc pertinet ad Euchariſtiam; vtrum ſcilicet verba conſecrationis cauſent corpus Chriſti Domini vt vera? Reſp. 1. cum Exim. D. tertia parte diſp. 5. ipſum Chriſtum ſe cauſare per aliam actionem. Reſp. 2. facilius cum P. Compt. Diſp. 8. de Euchariſtiá; ſect. 3. verba conſecrationis vt radicaliter vera cauſare corpus Chriſti Dñi, per quod non conſtituuntur in eſſe formaliter vera. Ex inſtitutione enim Chriſti Domini habent vim reddendi ſe ipſa forma formaliter vera.

218 Obj. 11. Si obiectum eſſet pars veritatis, vel falſitatis, ipſum obiectum diceretur eſſe etiam verum, vel falſum. 2. Deus diceretur pars erroris, cum eſt obiectum huius actus *Deus non eſt Trinus*. 3. Cum obiectum ſit menſura veritatis, ſi eſſet pars illius, pars eſſet mēſura totius, & ęqualis toti.

219 Reſp. Nego ſequelam. Sic Filius eſt pars denominationis Patris iuxta plures, & è contra, & tamen, nec Filius dicitur Pater, nec Pater Filius: ſic creatura partialiter conſtituit in *D*eo denominationem Domini, & creatoris, & ipſa nec Dominus, nec creatos dicitur. Ratio eſt, quia hę denominationes ſolum recto vt *quod* conveniunt, non obliquo, ideoque ſolum actui, non vero obiecto. Ad ſecundum concede, *D*eum dici partem obiectivam erroris, hoc eſt, obiectum erroris. In quo ſit inconveniens? Vel dic; hanc denominationem erroris actui ſolum attribui; vnde cum Deus non ſit pars actus, nec parsr erroris. Ad tertiũ reſpondeo, obiectum non eſſe menſuram veritatis formalis, & adæquatæ, cum ipſam conſtituat, ſed veritatis fundamentalis, & inadæquatę, nempe repræſentationis actus, cuius non eſt pars.

220. Obj. 12. Actus verus, & falſus differunt ſpecie; nam actus verus natura ſua eſt perfectior falſo, perficit namque intellectum, falſus vero illum inficit; ergo veritas illi eſt intrinſeca. Nihil enim differt ab alio ſpecie per aliquid ſibi extrinſecum, vt per ſe patet.

221. Reſp. Quod ſi loquamur de actibus ad eſſentias rerum terminatis, hi eſſentialiter differunt ab actu falſo, non ratione veritatis formalis, ſed ratione exigentiæ eſſentialis, quam habent, vt obiectum aliter non ſe habeat, ac per ipſos repræſentatur, & hi abſolute dicuntur perfectiores actu falſo. Si tamen loquamur de actibus terminatis ad contingentem materiam reſpondeo; nullo modo diſtiugui ſpecifice inter ſe ratione ſui; cum hęc repræſentatio ſit indifferens ad veritatem, vel falſitatem. Nec veritas, aut falſitas formalis perficiunt, vel inficiunt intrinſece illum; cum ſit extra illum. Dicitur tamen actus verus melior falſo, non in ſe, ſed occaſionaliter, hoc eſt, quod actus verus plerumque boni alicuius, falſus vero mali ſit occaſio,

222. Replic. Ergo ſi actus falſus non eſt formaliter imperfectus, non eſt vnde probemus Deo actum falſum repugnare.

223. Rſep. Deo non repugnare actum falſum, eo quod in ſe ſit intrinſeca, & formalis imperfectio, ſed quia eſt arguitive imperfectio, hoc eſt, arguit in eliciente ignorantiam obiectorum, & fallibilitatem. Sic Deum eſſe

crea-

creatorem Angeli, & illius *D*ominum actualem non eſt intrinſeca perfectio Dei, cum conſtituatur ex aliquo extrinſeco, eſſet tamen Deus imperfectus ſi Angelus exiſteret, & á *D*eo non eſſet creatus, vel *D*eus non eſſet illius *D*ominus, quia hoc argueret defectum alicuius perfectionis *D*eo intrinſecæ.

224. Obj. 13. Si propoſitio conſtitueretur per obiectum in eſſe veræ, hæc propoſitio vera *Petrus currit*, currente Petro nullo modo diſtingueretur ab hac propoſitione falſa *Petrus currit*, Petro non currente; cum eadem haberet conſtitutiva, nempe repræſentationem, & curſum Petri; ergo propoſitiones veræ, & falſæ nullo modo diſtinguntur inter ſe.

225. Reſp. propoſitiones veras, & falſas non diſtingui eſſentialiter inter ſe, ſed ſolum accidentaliter, ſicut Petrus albus diſtingueretur á ſe ipſo non albo; nam ſicut Petrus eſt indifferens ad albedinem, & eius carentiam, ita actus ad veritatem. & falſitatem.

226 Replic. Petrus albus reduplicative vt albus differt eſſentialiter á ſe ipſo vt non albo; ergo ſaltem actus verus, vt verus redupplicatiue differt eſſentialiter ab actu falſo; ſed iuxta hucuſque dicta, nec ita reduplicatiuè diſtinguntur: ergo. Prob. minor. Actus ille vt falſus reduplicatiue ſolum conſtituitur ex repræſentatione, & obiecto, nempe curſu Petri; ſed ex eadem reprçſentatione, & eodem curſu conſtituitur vt verus; ergo adhuc reduplicatiue vt falſus á vero differt eſſentialiter.

227. Reſp. Concedo. Antec. & conſeq, & nego minor. Ad prob. dico, actum illum vt verum conſtitui ex curſu Petri re ipſa exiſtente vt exiſtente; vt falſus conſtitueretur ex eodem curſu re ipſa non exiſtente, ſeu vt inuoluente carentiam exiſtentię actualis; cum ergo curſus vt exiſtens actualiter diſtinguatur eſſentialiter á ſe ipſo vt carente exiſtentia actuali, licet ſpecificative curſus exiſtens ſolum accidentaliter á non exiſtente diſtinguatur. Inde eſt, quod propoſitio vera vt vera á falſa vt falſa eſſentialiter diſtinguatur; licet ſpecificatiue ſumpta ſolum accidentaliter diſtingueretur.

228 Sed inſtas. Sed propoſitio illa falſa *Petrus currit*, Petro non currente nequit in eſſe falſæ conſtitui per carentiam exiſtentiæ curſus; ergo ruit ſolutio. Prob. minor. Propoſitio in eſſe falſæ, ſicut in eſſe verę, ſolum conſtituitur per obiectum ipſius; ſed carentia exiſtentiæ curſus non eſt obiectum illius propoſitionis, cum potius ſit ipſe curſus actualis; ergo per illam carentiam non conſtitur propoſitio in eſſe falſæ.

229 Reſp. Quod licet ex parte obiecti idem attingeret, ſiue eſſet verâ, ſiue falſa ſit illa propoſitio, cum vtraque attingeret curſum Petri, quem eodem modo affirmatiuo reprçſentat; attamen cum carentia actualis exiſtentiæ ſit circunſtantia cogniti curſus, licet ipſa non cognoſcatur nomen obiecti obtinet, conſtituit que propoſitionem in eſſe falſæ. Sic volitio comedendi carnes die veneris, etiã ſi no velit earum prohibitionem; cum vitietur à prohibitione Diuina, ab ipſo obiecto vitiari cenſetur, eo quod prohibitio ſit circunſtantia illius obiecti, in quod fertur voluntas, nempe eſſus carnis; ergo ſimiliter.

230 Sed dices. Circunſtantia obiectiua, vt vitiet actum, debet eſſe cognita. Patet in prohibitione, quæ ſi non cognoſceretur, eſſum carnis non vitiaret; ſed carentia curſus nullatenus cognoſcitur per illum actum *Petrus currit*; ergo non eſt circunſtantia vitians, ſeu falſificans actum.

Reſp.

231 Resp. circunstantiam obiectivam vitiantem moraliter actũ, illum que è bono malum reddentem, qualiter se habet prohibitio respectu esus carnis, quem è bono malum moraliter reddit, necessario debere cognosci; at vero circunstantiam vitiantem formaliter, & intentionaliter actum, qualiter se habet carentia cursus respectu actus, quem falsum constituit, non debere cognosci, certum est.

232 Obj. 14. Actus reflexus supra se ipsum, ita *Ego sum cognotio* esset verus; sed in esse talis non constitueretur per quid sibi extrinsecum; ergo Prob. min. Constitueretur per obiectum, sed obiectum non est sibi extrinsecum, cum sit ipsemet actus; ergo.

233. Resp. Hic nos non loqui de actibus reflexis, vt ex contextu totius quæstionis constat, in quibus non est dubium, veritatem non addere quid ipsis extrinsecum, nõ eo quod sint veri, seu ex conceptu veri vt sic, sed ex eo, quod sint tales actus veri reflexi, seu ex conceptu talis veritatis.

234. Obj. 15. Actus verus terminatus ad ens rationis, & negativum vniuocè convenit cum actu vero terminato ad ens reale, & positivum; ergo vel non constituuntur in ratione veri per obiecta, vel dantur conceptus supra transcendentes; implicat enim constituta vniuocè convenire, & constitutiva non convenire; sed constitutiva talium actuum sunt ens reale, & rationis, ens positivum, & negativum; ergo.

235. Resp. Argumentum nullum esse si stemus nostræ sententiæ de constitutione entis rationis per entia realia, & entia negativa cum positivis identificentur; vel si admittantur supra transcendentes: sed his negatis respondetur, tales actus terminatos ad ens rationis, & negativum non convenire vniuocè cum terminatis ad entia positiva, & realia, ob rationem argumenti, quod totum ruit.

236. Objic. denique. Sequeretur, veritatem esse partem falsitatis, sic esset obiectum alicuius actus falsi, & falsitatem partem veritatis, si esset similiter obiectum alicuius actus veri, quod dissonare videtur. Resp. concedo totum, quod solum dissonare poterit illi, qui sensum propositionum non percipiat.

SECTIO IX.

VTRVM IDEM NVMERO actus posit transire de vero in falsum?

237. PRimà sententia affirmat. Ita Caiet. Capreol. Palacios Ocham. Gregor. P. Suar. P. Salmer. P. Amic. P. Ualenc. Conimbr. & alij apud P. Lynz. lib. 1. Item P. Quiroz q. 19. n. 3. & P. Isquier. d. 3. n. 96.

238. Secunda sententia negat. Ita S. Thom. & Aristot. apud P. Santac. n. 1143. P. Hurt. P. Arriag. Complur. Spinula. Ponz. d. 19. logic. n. 21. & plurimi apud ipsum.

239. Noto 1. Quęstionem locum non habere in sententia asserente, veritatem esse intrinsecam, & essentialem actibus, in qua sicut homo in brutum transire nequit, ita neque actus falsus in verum. In nostra ergo sententia, veritatem extrinsecam actibus statuente, non parum celebris est.

240. Noto 2. Quod cum tota actuum mutatio solum posit ab obiecto provenire, propositiones veras, vel falsas, quorum obiectum mutuari nequit, certum etiam est, nec ipsas mutari posse. Vnde tota quęstio ad propositiones in materia contingenti debolvitur.

Noto

241 Noto 3. Hic supponi iudicium humanum, quod de facto datur, posse per aliquod successivum tempus durare; nam si vnico instanti tantum duret, quęstio erit inutilis.

242 Prob. 1. hæc secunda sententia. Nullus actus intellectus etiam in materia contingenti potest mutare suum obiectum; sed vt transiret de vero in falsum necessario suum obiectum deberet mutare; ergo. Prob. maior. Actus intellectus essent aliter est imago, & repræsentatio sui obiecti; ergo hic actus est imago huius obiecti, sicut hæc vnio nexus horum extremorum, & hęc actio productio huius termini, sed hæc vnio nequit esse nexus aliorum extremorum, nec hæc actio productio alterius termini; ergo nec imago huius obiecti potest esse alterius imago. Eo enim ipso iam non esset eadem, sed alia imago. Maior est certa, quia eo ipso, quod non mutet, sed habeat idem obiectum; si semel illud sicuti est inse, ac proinde vere repręsentavit, semper, & per semper vere repræsentare illud, necesse erit.

243 Prob. 2. Ratione apriori. Si aliqua propositio posset de vera in falsam transire, maxime hæc in materia contingenti: *Petrus currit*; sed hæc nequit in falsam transire; ergo. Prob. 1. Ea propositio, vel affirmat; Petrum currere in instanti *A*, vel in instanti *A. B.* & *C.* & reliquis vnius horæ v. g. Uel in instanti *A*, vel *B*? Si primum? Ergo vel Petrus currit in tali instanti, vel non? Si currit? Semper est vera propositio, siue currat, siue non currat in reliquis instantibus. Si non currit? Semper erit falsa propositio, etiam si Petrus in reliquis instantibus currat. Rursus affirmat Petrum currere in instantibus *A. B*, & *C*, & reliquis vnius horæ. Si in omnibus currit: propositio semper erit vera. Si in aliquo non currit, erit falsa. Denique si affirmat Petrum currere in instanti *A*, vel *B*, aut alio indeterminatè, vel currit in aliquo instanti, vel in nullo currit? Si secundum? Propositio semper erit falsa. Si primum? Semper erit vera Nam veritas propositionis disiunctivæ in vno solum saluatur; ergo de primo ad vltimum nulla datur propositio, quæ semel vera, possit transire in falsam.

SVBSECTIO I.

OBIICIVNTVR ALIQVI MODI, quibus contraria sententia defendi potest.

244 OBj. 1. Illa propositio *Petrus currit*, & sic de alijs prescindit ab vllo tempore, & solum significat cursum. Unde si per duplex instans duret propositio, & in primo currat Petrus, & non currat in secundo; in primo est vera propositio, cum conformetur suo obiecto; in secundo vero erit falsa, cum disconformetur ei.

245 Sed contra. 1. Quia iuxta Aristotelem, omne iudicium includit aliquod verbum, verbum autem, iuxta ipsum Aristotelem, aliquod tempus determinatum significat, vel pręsens, vel pręteritum, vel futurum. Insuper propositio de verbo præterito, & futuro, sine alia nota temporis significat tempus determinate præteritum, vt *Petrus scripsit*, & futurum, vt *Petrus scribet*; ergo similiter propositio de verbo præsenti tempus determinate præsens sine indigentia alterius notæ significabit; ergo illa propositio *Petrus currit* determinate significat, Petrum currere in instanti

Yyyyyy

in præsenti *A*, quo ipsa fuit elicita. Vnde reddit nostra ratio probandi; vel Petrus in illo instanti currit vel non? Si primum semper est vera propositio, & si non currat in instanti *B* sequenti, & ipsa tunc duret, quia in quocumque tempore verum est dicere; *Petrus currit*, si semel fuit verum. Sic quotannis, die Natiuitatis dicitur: *Hodie natus est Salvator mundi*, & in Martyrologio dicitur etiam *In Bethleem Iudæ nascitur*, de præsenti, quia quod semel fuit verum, semper verum permanet: & illa propositio adhuc in secundo instanti, vel mille post annos, si duret, vel eadem reproducatur supponit pro illo instanti suæ veritatis.

246. Replic. Uerbum potest absolui á tempore; ergo & á tempore prȩscindere. Prob. Anteced. In hac propositione *homo est animal*, vbi ly *est* nullum tempus significat.

247. Resp. In his propositionibus in materia necessaria Verbum *est* sumitur substantivè, & facit sensum conditionatum omne tempus indeterminatè significantem, ita *si homo existat erit animal rationale.* Demus ergo talem propositionem *Petrus currit* nullum tempus significare; ergo quocumque tempore ponatur cursus, erit vera, & si nullo tempore ponitur erit falsa. Ac proinde, si ponatur 1. instanti cursus, iam propositio vera est, siue currat, siue non currat in secundo, & reliquis instantibus, in quo ipsa durat, & durare possit. Sensus enim illius erit. Petrus aliquo tempore currit, sed primum instans est aliquod tempus; ergo cursus primi instantis cursum verificat.

248. Obj. 2. Si hic actus verus *Petrus currit*, eo quod Petrus currat cum elicitur, à Deo post vnam vnam horam reproducatur, iam tunc erit falsus; cum Petrus tunc non currat.

249. Resp. Quod, vel talis propositio mutat obiectum, cum reproducitur, ac proinde non est eadem; cum non sit eadem imago, neque eadem repræsentatio, vel non mutat? Si cum reproducitur habet pro obiecto instans illud suæ reproductionis, certè erit falsa, sed quia mutat obiectum; nam cum primo producitur habet pro obiecto instans *A* suȩ primæ productionis; & cum reproducitur instans *B* suæ reproductionis, iam non erit eadem. Si cum reproducitur, obiectum non mutat? Tunc habebit pro obiecto instans primum, quod semel habuit, & semper erit vera ob rationem supra dictam, quia post tot annos verum est dicere die vigesima quinta Decembris *Hodie natus est Salvator mundi. Hodie salus mundi credentibus apparuit.*

250. Replic. Sensus illius propositionis *Petrus currit est Petrus nunc currit*, ergo cum reproducitur falsa redditur, cum Petrus tunc non currat.

251. Resp. Admittendo in illo sensu, propositionem esse veram; quia licet cum reproducitur Petrus nonn currat, & ipsa dicat nunc currere, ly *nunc* supponit non pro *nunc*, sed pro *tunc*, hoc est, affirmat; Petrum currere in illo instanti, in quo fuit verum currere, quod habuit pro obiecto, aliás si affirmaret *nunc* pro *nunc*, seu in secundo instanti reproductionis currere, iam mutaret obiectum, & consequenter non esset eadem propositio, & repræsentatio.

252. Obj. 3. Propositio illa significat instans sibi coexistens; sed dum primo producitur coexistit instanti *A*, in quo Petrus currit, & cum reproducitur instanti *B* in quo Petrus non currit; ergo transit de vera in falsam. Sic cognitio dicens *hoc ovum*, eadem immutata manet, si loco vnius, aliud ponatur simile ovum; ergo si loco instantis *A* simile instans *B* supponatur, eadem immutata manebit propositio, respiciens instans sibi coexistens tantum.

Con-

253. Confir. Triplici exemplo. Primum sit. Lex obligans habitatores Limæ ad soluendum tributum v. g. quȩ non obligat Petrum, cum promulgatur, quia Limæ non est, ast cum Limam venit, obligat illum immutata manens. Secundum. Hæc propositio. *Omnes qui sunt in foro currunt*, iam Petrum non comprȩhendit dum non est in foro; iam illum dum forum ingreditur comprehendit. Tertium. Actus contritionis est voluntas saltim virtualis confessionis; cum sit voluntas omnium eorum, quæ necessaria sunt ad salutem. Si tamen Deus, vt potest, tolleret præceptum confessionis, maneret immutatus idem actus contritionis, & non maneret voluntas confessionis. Ratio est, quia contritio, lex, & illa propositio non respiciunt determinate confessionem, & Petrum in particulari, sed quatenus participant rationem, quasi communem rei necessariæ ad salutem, ciuibus Limanis, & ingredientibus in forum; sed illa propositio *Petrus currit* non significat in particulari instans *A*, vel *B*, sed instans sibi coexistens; ergo omne instans, quod rationem sibi coexistentis participauerit comprehenditur sub illa, & licet primo instanti verificetur de illo, & non respiciat secundum, secundo instanti illud respiciet, quin talis actus mutetur.

254. Hoc argumentum probabilem facit contrariam sententiam. Resp. Quod illa propositio tripliciter tantum potest tempus significare, vel significare, vel significat indeterminate; Petrum currere aliquo tempore sibi coexistenti, & sic siue primo, siue secundo instanti currat, dummodo currat, semper erit vera; vel significat, Petrum currere in instanti determinato *A*, & sic, etsi non currat in istanti *B* erit vera; vel denique significat, Petrum currere collectiue in omni instanti sibi coexistenti, & sic erit falsa; cum in secundo non currat. Ad exemplum ovi dic, falsissimum esse, eandem esse cognitionem, vel visionem, si loco vnius aliud sufficiatur. Tum, quia visio non solum terminatur ad ovum specifice sumptum, sed ad hoc ovum individualiter; ergo est imago, & repræsentatio huius indiuidualitis ovi; ergo nequit eadem visio, & imago permanere, si aliud sufficiatur. Tum quia species impressa concurrens loco obiecti ad productionem visionis, cum sit semen huius ovi, nequit concurrere ad visionem alterius ovi, cuius non est semen. Variatur absque dubio visio, sed insensibiliter propter similitudinem visionis, sicut variatur fluvius lene fluens.

255. Ad exempla omnia respondeo; esse actus vniuersales, qu si conditionatos, lex enim obligat quoscumque homines, si adsint Limæ, licet in præsenti ab ea absint. Propositio illa respicit omnes homines sub conditione, quod sint in foro, licet in eo de facto non sint. Contritio similiter respicit omnia quæ Deus necessaria præceperit ad salutem, non tamen respicit determinate ex se potius confessionem, quam eius negationem, dicitur tamen iam confessionem respicere per denominationem extrinsecam dependenter á voluntate Dei, que de facto, iam ad salutem confessionem præcipit. Cõstat ergo ex nullo exemplorum probari posse, eundem actum posse iam vnum, iam aliud obiectum respicere.

256 Dices. Etiam hæc proppsitio: *Petrus currit*, est conditionata, & sensus illius est: *Petrus currit in instanti A, si præsens sit, in instanti B si præsens sit, &c.* Ergo cum omnis propositio conditionalis, purificata conditione transeat in absolutam, præsente instanti *A* illud absolute significat, & evadit propositio vera; postea, præsente instanti *B*, illud, &

non

non *A* significat, & propositio redditur falsa.

257 In primis: Illam propositionem *Petrus currit* non esse conditionatam, certum est; quid enim magis absolutum esse potest, quam *currit*, Aliás nulla erit propositio, quę conditionalis non possit prolibito fingi. Insuper. Etiam si sit conditionalis, de vera in falsam transire nequit, & reddit nostrum dilemma. Talis conditionalis, aut significat, Petrum currere in aliquo instanti determinato, si hoc existat, & in eo Petrus currit, vel non? Si primum? Semper est vera. Si secundum? Semper falsa. Si significat currere in omni instanti, vel in omnibus sub conditione, quod ipsi coexistant, & præsentia sint, & tunc si in aliquo eorum non currat, & si currat in reliquis, falsa erit propositio semper; nunquam tamen vera.

258 Obj. 4. Hæc propositio *conversio Petri futura est*, similiter hæc *Christus nascetur*, si eliciantur prima vna hora ante conuersionem Petri, & secunda vna hora item ante Christi natiuitatem, sunt veræ. Si vero vsque ad vltimum horæ continuentur in quo, & Petrus conuertitur, & Christus nascitur, vtraque redditur falsa, nam falsum est asserere conuertionem, & natiuitatem præsentes esse futuras.

259 Resp. Falsum esse asserere in instanti natiuitatis, & conuersionis eas esse futuras pro tunc, seu pro illo instanti, in quo fiunt præsentes, sed verissimum est, tunc asserere esse futuras, non pro tunc, sed pro illo instanti, in quo eliciti fuerunt illæ propositiones, quod vna hora antecessit ad conversionem, & nativitatem, quod cum semel fuerit obiectum earum propositionum semper illud respiciunt, & pro eodem supponunt, alias mutabuntur, si obiectum muten.

SVBSECT. II.

ALIJS RESPONDETVR argumentis.

260. OBjic. 5. Propositio potest transire de simili prędicamentaliter suo obiecto, in non similem; ergo de vera in falsam. Prob. conseq. Sicut veritas est conformitas intentionalis actu cum obiecto, ita similitudo est conformitas physica; ergo.

261. Resp. Assignando maximam disparitatem inter veritatem, & similitudinem. Similitudo consistit in coexistentia fundamenti, & termini, vnde cum possit fundamentum permanere dextructo termino, potest eadem propositio transire de simili in non similem. At veritas consistit in conformitate actus cum obiecto in repræsentando, quę quidem conformitas in repræsentando non requirit obiectum existens, sed siue existat actualiter, siue extiterit, siue exiturum sit, siue denique sit impossibile, siue mere possibile, dummodo repræsentetur sicuti est in se, saluatur conformitas intentionalis, actus que, qui semel conformis fuit, impossibile quod eidem obiecto, vel sit disconformis, vel non sit conformis.

262 Obj. 6. Si veritas huius propositionis *Petrus existit* non posset mutari, Petrus non posset non existere, ac proinde nec destrui; alias si posset non existere posset propositio affirmans illum existere esse falsa. Vnde iam in Deo impossibilitas dextructionis non esset quid speciale.

263 Resp. argumentum æquiuoco laborare. Aliud namque est impossibile esse, quod si Petrus extitit aliquando

quando nequeat non extitisse, & aliud, quod si Petrus semel extitit nequeat in posterum non durare, ac proinde nequeat destrui; sicut aliud est quod Petrus ex suppositione quod amet, nequeat non amare, & aliud quod nequeat cessare ab amore. Primum est verum, quod infertur ex eo quod dicamus; propositionem illam *Petrus existit* non posse in falsam mutari. Nam si semel fuit verum dicere *Petrus existit*, nequit vnquam non esse verum Petrum extitisse, neque Deus potest facere, quod id, quod semel fuit, non fuerit. Secundum est falsum, & nullatenus infertur; Potest enim Deus Petrum nunc existentem, verificantem que illam propositionem, postea destruere, quin talis destructio illam falsificet; non enim affirmat, Petrum existere tunc, licet tunc affirmet, Petrum existere. Deus enim ita necessario existit, vt neque potuerit non existere, neque destrui in posterum possit, & hoc est Dei proprium.

264 Obj. 7. Appetitus innatus potest in vno instanti satiari, & in altero non satiari, in vno violentari, & in altero non violentari; vt patet in materia prima, cuius appetitus cum forma satiatur, & si Diuinitus priuaretur forma non esset satiatus; ergo idem actus poterit in vno instanti esse verus, & in altero falsus.

265 Resp. Satietatem appetitus exigere actualem possessionem boni, v. g. Materiam exigere actualem existentiam formæ, vnde cum hac Diuinitus priuari possit, potest eius appetitus de satiato in non satiatum transire. Nec satietas in repræsentatione consistit, nec denique terminus satietatis est obiectum appetitus, sed terminus physicus; at veritas neque requirit actualem existentiam obiecti, vt vidimus, consistit saltem partialiter in repræsentatione, quę non esset eadem si transiret in falsam, ac denique obiectum non est pure terminus physicus, sed quoddam imaginatum, & ablato eodem imaginato, imaginem auferri necesse est.

266 Obj. 8. Per nos idem actus potest esse simul verus, & falsus respectu distinctorum obiectorum; ergo poterit transire de vero in falsum. Prob. conseq. Si ab hoc actu *Petrus currit, Ioannes loquitur*, Petro currente, & non loquente Ioanne, simul vero, & falso, auferretur ly *Petrus currit*, iam manet falsus tantum; sed antea erat verus; ergo transiret de vero in falsum.

267. Resp. Concedo antec. & nego conseq. Ad prob. Concedo Maior. & nego suppositum, quod maneret idem actus, nam antea erat virtualiter duplex, & iam est vnus tantum: antea cursum Petri habebat pro obiecto, & iam illum non habet; antea erat imago, & repræsentatio cursus Petri, & loquelæ Ioannis, postea solum loquelæ Ioannis, & non cursus Petri; ergo non manet idem.

268. Obj. 9. Per nos diuisio actus in verum, & falsum non est generis in species, sed subiecti in accidentia; ergo sicut Petrus est indifferens ad esse album, vel nigrum, ita actus ad esse verum, vel falsum. Item; ergo sicut Petrus potest transire de albo in nigrum, idem actus potest transire de vero in falsum.

269. Resp. Concedo antec. & primam conseq. nego tamen secundam, & paritatem. Nam licet hic actus *Petrus currit* indifferens sit ad esse verum, si obiectum existat, vt ab ipso repræsentatur; & esse falsum, si non existat; nunquam tamen est indifferens ad esse repræsentationem huius, vel alterius obiecti, cum esse repręsentationem huius obiecti sit essentia actus, sicut esse vnio-

vnionem horum extremorum est essentia vnionis *A* v. g. ergo vt propositio semel vera mutetur, vel debet mutare obiectum, ac proinde transire de repræsentatione huius obiecti ad repræsentationem alterius, quod est impossibile, vel ipsum obiectum debet aliter se habere, ac per propositionem repræsentatur; sed licet absolutè posit aliter se habere, & per consequens facere, quod propositio nunquam fuerit vera; attamen supposito, quod ita se habeat, & quod propositio semel vera sit, impossibile est, quod ita non se habeat: nam id, quod est licet possit non esse, ex suppositione quod sit, necessario est; ergo impossibile est, quod propositio semel vera transeat in falsam, licet absolutè sit indifferens ad esse veram, vel falsam.

270. Obj. 10. Si Petro non currente produceretur primo hic actus *Petrus currit*, esset falsus; ergo si similis actus *Petrus currit* tunc reproduceretur, esset etiam falsus, licet in sua prima productione fuerit verus, eo quod tunc cucurrerit Petrus. Prob. conseq. quia vterque actus est eiusdem speciei, & solum indiuidualiter distinctus; immò idem numero actus est indifferens, vt producatur, Petro currente, vel non currēte.

271. Resp. Nego conseq. Quia licet talis actus reproducatur Petro nō currente, non affirmat, Petrum tunc currere, sed currere in illo instanti suæ primæ productionis, quo vere cucurrit, quod que verum est; secundus vero actus est falsus, quia affirmat, Petrum tunc currere, cum ipse tunc non currat, vterque tamen in se est eiusdem speciei, immò vterque potuit primo, & secundo produci, esse falsus, vel verus; at ex suppositione, quod sit verus, nequit in falsum transire, ac proinde vt verus distinguitur specifice ab actu falso.

272. Obj. 11. Potest eadem propositio trāsire de affirmatione in nō affirmationem; immò in negationem eiusdem; ergo et de vera in falsam. Consequentia videtur á paritate legitima, quia æque repugnat, eundem actum esse affirmationem, & negationem eiusdem termini, ac esse repræsentationem, & non repræsentationem eiusdem obiecti. Antec. Prob. in visione beata, quæ iuxta meliorem Theologiam suam durationem repræsentet; ea eadem visio dum durat in instanti *A*, affirmat, se illi coexistere, & instanti *A* Lapso; veniente instanti *B* non affirmat, se illi coexistere, immo & negat; nam cum sit falsum in instanti *B* instans *A* coexistere, nequit affirmare, immo negare necesse est, in actu, cui falsitas repugnat, qualis est visio.

273 Confirm. Visio in instanti *A* nequit affimare se coextitisse illi; quia cum non sit præterita falsum assereret, id in instanti *B* id affirmat; ergo transit de non affirmante ad affirmantem.

274 Si stemus Doctrinæ Card. Lugo Disp. 19. de Incarn. sec. 1. num. 10. cui fauent Alderete Tract. 1. de Incarn. Insuper Isqui. in Pharo Disp. 2. Quæst. 4. & Alij: asserentes; visionem beatam, sicut, & alios actus intellectus, & voluntatis esse successiuos, & pro instanti, vtpote á duratione indistinctos, mutari, nullum est argumentum. Iam enim non esset eadem visio, sed distincta, quæ affirmaret, se durare in primo, & postea, se non durare in primo, sed in secundo instanti. Sed admisso, quod sit eadem visio; Respondeo. Idem in primo, & in secundo instanti affirmare, & negare. Nam in instanti *B* affirmat se coexistere instanti *A* sed non pro instanti *B*, & idem affirmat in instanti *A*, & sic de reliquis instantibus. Ad Confir. dico. In instanti *A* Visionem affirmare, se illi coe-

coextitisse pro instanti *B*, quod eodem modo in instanti *B* affirmat, & quod verum est in instanti *A*.

275. Obj. 12. Si intellectio consistat in sola qualitate hæc cognitio in me esset vera: *Roma distat à me*; pone illam in Petro Romæ degente, En iam esset falsa; cum á Petro Roma non distet.

276. Adhuc admisso, quod in qualitate consisteret intellectio, si ad denominationem intelligentis requiramus actionem cum Acutiis. Doctore ob hoc, & plura alia argumenta, hoc nullam vim haberet. Sed admissa sententia P. Arriagæ concedentis talem qualitatem, sine vlla actione, posse subiectum intelligens denominare; respōdeo; talem qualitatem positam in intellectu Petri degentis Romæ cum sit eadem, ac ea, quæ est in meo intellectu Limæ degente eundem effectum formalem causare in vtroque, & idem affirmare, nempe Romam esse distantem à me, & hoc Petrus per illam cognoscere, & affirmaret; non vero se esse distantem á Roma; aliás mutaret obiectum, & transiret á repræsentatione mei distantis ad repræsentationem Petri distantis. Si vis alias solutiones Theologicas, consule P. Quiroz disp. 59.

277. Objic. 17. Propositio vocalis potest transire de vera in falsam ob mutationem physicam obiecti, quin ipsa illo modo mutetur; ergo similiter mentalis.

278. Resp. Concedo Antec. & nego consq. Quia hę voces *Petrus currit* non significant, Petrum currere in hoc instanti potius quàm in alio, sicut nec potius Petrum Ferdinandez currentem, quàm Petrum de Castro non currentem. Vnde Angelus videns hęc verba scripta, nec videt quem Petrum, vel quem cursum significent. Item, cum significatio vocum sit ad libitum hominum, possunt eędem voces nunc significare actionem currendi, & esse veras per cursum, postea vero quietem sedendi, & per ipsummet cursum falsificari. Aliter euenit in repræsentatione vitali, vt per se patet. Nota voces, cum successivæ sint, & permanere nequeant, mutari etiam nequeunt naturaliter, sed vel semel veræ, vel semel falsæ erunt. Si tamen ipsæmet á Deo reproducantur, mutari queunt ob rationes supra dictas.

(.)

TRACT

TRACT. VII.

DE PRIORI ANALYSI;

SEV RESOLVTIONE.

DVOBVS libris, quos Analiticorum, seu de resolutione (*Analyscis* enim idem est grece, ac latine *resolutio*) appellat Aristoteles, agit de examine, & structura syllogismorum. Nos autem per aliquas sectiones eas quæstiones de quibus hic agi solet á *Doctoribus* breviter tempori cedentes, tractabimus.

SECTIO I.

QVID SIT SYLLOGISMVS, ET an in sola conclusione consistat?

2 SYLLOGISMVS ita definitur ab Aristotele *Oratio, in qua quibusdam positis aliquid quidpiam sequi, necesse est.* Clarius á nobis tract. 3. Sumularum Disp. Unica sect. 1. ita definitur: syllogismus est *modus sciendi, in quo ex duabus propositionibus tertia alia infertur.* Vnde tres propositiones requirit, vel formaliter, vel æquivalenter, è quibus duæ primæ appellantur præmissę; tertia, quę nota *ergo*, *vel igitur* insignitur, vocatur conclusio.

3 Hinc inferes contra Nominales, & aliquos Scotistas; ad syllogismum formalem requiri realem distinctionem inter præmissas, & conclusionem; cum inuoluat connexionem, & dependentiam realem conclusionis á præmissis, & consequenter in *Deo*, vbi talis distinctio actuum repugnat, non dari formalem discursum, seu syllogismum.

4 His solis duabus propositionibus pręmissis stare totam essentiam syllogismi, indicat Albertus Magnus. In sola conclusitione consistere tenent PP. Compt. Spinula Et Santa Cruz num. 1164. In omnibus propositionibus consistere adęquatè, defendunt probabilitùs PP. Arriaga. Hurtado, & Ioannis.

5 Prob. 1. Quia discursus est quasi cursus ab vno ad aliud; ergo sicut cursus corporeus plures motus requirit, ita syllogismus plures propositiones. Constat 2. ex definitione Aristotelis, in qua & id, quod sequitur, & ea, è quibus sequuntur includit. Prob. 3 Ex Sanctò Thomá 2. Physicorum tex. 31. vbi ait; præmissas se habere vt materiam, conclusionem vero vt formam; ergo sicut compositum essentialiter resultat ex materia, & forma, ita syllogimus ex conclusione, & pręmissis.

6 Obj. 1. Quod est posterius non constituit, quod est prius, vt patet in risibili, quod rationale non constituit; sed conclusio est posterior, & præmissæ priores, ergo.

7. Consequentia, quæ deberet inferri, esset hęc: ergo conclusio nō constituit præmissas quod certissimum est, sicut quod præmissę non constituant conclusionem; Ex præmissis tamen præcedentibus, & ex cōclusione subsequenti syllogismus totus componitur, sicut compositum ex materia præcedenti, & ex forma materiali subsequenti; quia licet pręmissę præcedant conclusionem, constituunt syllogismum.

8. Obj. 2. Syllogismus facit scire; sed conclusio est scire, seu scientia; ergo fit á syllogismo, & ab eo distinguitur, sicut effectus a causa. Resp. dist. Maior. facit scire efficienter, nego: formaliter, concedo. Vnde totus syllogismus præmissis, & conclusione constans se ipso facit scire, seu denominat intellectum scientem.

9. Obj. 3. Si syllogismus consisteret in tribus propositionibus darentur quatuor modi sciendi, scilicet definitio, diuisio, argumentatio, & conclusio, quæ vt distincta á præmissis est ignoti manifestatiua; ergo.

10. Resp. Conclusionem vt separatam á præmissis, & similiter præmissas á conclusione separatas esse quædam particularia iudicia ad secundam speciem modi sciendi pertinentia. Vnde conclusio non constituit quartum modum sciendi, sed simul cum præmissis tertium modum constituit.

11. Pro hac, & alijs opinionibus á me defensandis, ne in consequentiæ arguar; Nota, quod cum ego cractatu de Ente rationis disp. 2. sect. vltima defendi, hunc discursum *Omnis homo est arbor; sed Petrus est homo; ergo Petrus est arbor* vt formaliter discursum ens rationis non efficere, loquutus fui iuxta probabilia principia á varijs Doctoribus defensata, quibus suppositis, faciliter potest defendi: non tamen fui loquutus iuxta principia ame absolutè defendenda, v.g. Tunc dixi, discursum formaliter consistere in sola conclusione, quod ab Authoribus supra citatis defenditur, licet ego nunc contrarium teneam.

SECTIO II.

AN PRÆMISSÆ EFFECTIVE, VEL directiuè concurrant ad conclusionem?

12 QVOD concurrant pręmissæ ad conclusionę, certissimum est; conclusio enim ab eis essentialiter dependet. Quæstio ergo pręsens est, vtrum concurrant in genere causę formalis, illuminando scilicet intellectum, & illi obiectum proponendo, sicut cognitio obiecti concurrit ad amorem? An concurrant influendo physice per modum comprincipij cum ipso intellectu sicut concurrunt habitus, & species impræssa?

13 Nota, quæstionem non agere de præmissis obiectivis, sed solum de formalibus respectu conclusionis formalis. Certum enim est, vt ipsi fatentur Thomistæ; pręmissas obiectiuas in conclusionem formalem non influere.

14 Prima sententia tenet; præmissas effectiue concurrere. Ita Thomistę, Rubius, Conimbric. & P. Quiroz *Disp.* 26. Dè syllogismo sect. 5. num. 29. Maior. Linc. & apud ipsum Or-

Ortiz.Prad.& Parr. l. 4.quest.1.art. 1. num.5.

15. Secunda sententia, solum directiue concurrere, affirmat. Ita reliqui omnes Phylosophi apud Olea. d. 121.n.6.

16 Prob. 1. Nulla est necessitas statuendi hunc concursum effectiuū; cum sufficiat illuminatiuus, & intellectus specie impressa completa sit principium adæquatum sufficiēter productiuum; ergo hic non est multiplicandus. Antecedens ex solutione argumentorum constabit, Consequenti recte infertur.

17 Prob. 2. Nullus actus intentionalis influit effectiue formaliter in actum, sed solum illuminatiue; sed præmissæ, & conclusio sunt actus intentionales; ergo præmissę non effectiue, sed solum illuminatiue influunt in conclusionem. Maior constat ab inductione. Sic concurrunt apprehensio ad iudicium, cognitio ad amorem, regulæ Logicales ad actus, intentio finis ad electionem mediorum; immo & gratiæ auxiliantès ad actus supernaturales. Minor est certa consequentia á paritate infertur.

18. Confir. Sicut requiruntur premissæ ad conclusionem, requiritur cognitio ad amorem; sed cognitio non influit physice in amorem, nulla aliá ratione, nisi quia cum sit actus intentionalis, sufficit, quod illuminet voluntatem proponendo illi obiectum amádum; ergo cum præmissæ sint actus intentionales, physice non influent in conclusionem, sed solum illuminatiue, proponendo scilicet. & applicando obiectum, vt intellectus cõclusionem efficiat.

19 Obj. 1. In conclusione relucet triplex formalitas *cognitionis, imaginis, & illationis*; sed prima efficienter correspondet intellectui, secunda speciei impressę; ergo tertia efficienter correspondet præmissis; cum nulli alteri principio correspondere possit.

20 Resp. Intellectui etiam efficienter correspondere formalitatem illationis, sicut formalitatem cognitionis, quia sicut intellectus est cognoscitivus, ita & discursivus, & illativus; sed quia est cognoscitivus, illi per vos correspondet formalitas cognitionis; ergo quia est discursivus illi etiam formalitas illationis correspondebit.

21 Obj. 2. Premissę constituunt intellectum potentem in actu primo proximo producere conclusionem; ergo cum eo effectiue concurrunt. Prob. anteced. Intellectus sine præmissis nequit conclusionem elicere, & eis positis nequit eam non elicere; ergo. Confir. Variatis præmissis, variatur conclusio, ita vt si sint veræ, vera sit, si sint falsæ, falsa sit; ergo.

22 Resp. dist. antec. Constituunt per modum principij efficientis; nego: per modum principij determinantis, & proponentis obiectum; concede. Sic voluntas constituitur potens amare per cognitionem, quin cognitio pgysice influat in amorem. Itellectus potens iudicare per apprehensionem, quin apprehensio physice influat in iudicium; ergo. Ad Confirmationem. *D*ist. antec. Variatis præmissis, variatur conclusio, ex præscissa variatione premissarum, nego: eo quod variatis præmissis necessario variantur motiua conclusionis, concedo. Sic cum præmissæ proponant intellectui motiva conclusionis. variatis præmissis, variantur etiam motiva. Si vero possent motiua non variari, etiam si præmissæ variarentur, non variaretur conclusio; hoc vero non arguit effectivum influxum. Sic variata cognitione, variaretur affectus voluntaris; si ponatur cognitio bonitatis elicitur amor; si cognitio malitiæ, elicitur odium; si cognitio boni absentis desiderium; si cognitio boni præsentis gaudium; quin cognitio influ it in amorem effectiue.

23. Obj. 3. Species impressa concurrit effectiuè ad conclusionem; ergo & premissæ. Prob.conseq. Species impressa effectiuè concurrit, quia determinat intellectum ad hanc potius cognitionem, quam ad aliam; sed etiam premissæ determinant intellectum ad hanc potius conclusionem, quam ad aliam; ergo.

24. Confir. Magis dependet conclusio á præmissis, quam ab habitu; nam sine habitu potest elici, non tamen sine premissis; sed ab habitu efficienter prouenit; ergo similiter â præmissis.

25. Resp. Concedo Antec. & nego conseq. Ad prob. dist. Maior. Species effectiue concurrit, quia determinat præscissè, nego: quia determinat, & quia aliunde capax non est alterius concursus; concedo. Omne determinatiuum habet aliquem influxum; cum enim neque species impressa, neque habitus, vtpotè qualitates mortuę, possint habere influxum directivum, & illuminativum, necesse est inferre, habere influxum. Ast cum premissæ habeant directivum influxum, vtpotè actus formaliter repræsentatiui, & hic sufficiat, vt intellectus in conclusionem erumpta, alium influxum, vtpotè omnino otiosum, illis non concedimus. Idem dic de habitu, & doctrinam confirma in cognitione ita ad amorem necessaria, vt iuxta communiorem, & fere certam sententiam nec Diuinitus potest dari sine illa, quæ solum directive influit, etiam si habitus voluntatis minus necessarius influeret effectiue.

26. Obj.4. Saltem ad primam conclusionem, cum obiectum conclusionis ignoratur, ac proinde non datur species illius in intellectu, premissæ concurrent effective. Prob. Quia concurrunt loco obiecti, & intimè præsentes sunt intellectui; ergo.

27. Resp. Nego assumptum, vel quia cum obiectum præmissarum sit idem realiter cum obiecto conclusionis eadem specie premissarum obiecti vtitur intellectus ad conclusionem eliciendam. Sic aliqui cum P. Oviedo asserunt; species apprehensionum ad iudicium effective concurrere; cum & apprehensionum, & iudicij idem sit obiectum realiter. Nec dicas ad novam, veritatem conclusionis adquirendam novam speciem requiri, quia hæc iam antea præcessit in præmissis, licet illatiue, seu modo illativo in conclusione adquiratur, ad quod non requiritur noua species. Ita P. Arriaga, & P. Compt. Uel quia intellectus ad plures actus solum eget determinatiuo formali, seu illuminativo, & non speciei; vt cum producit vnam cognitionem determinatus per aliam obiectum repræsentantem, licet ad alios per species determinetur, & ita se habent conclusiones. Sic Hurtado.

28. Replic. 1. Species præmissarum effectiue influunt in conclusionem; ergo etiam ipsæ præmissæ. Confir.1. Præmissę habent vim productivam physicè suarum specierum; ergo & conclusionis. Confir.2. Non solum species obiecti premissarum, verum species efficienter productę á præmissis efficienter producunt conclusionem; ergo & ipsæ præmissæ potiori iure producent efficienter conclusionem. Tum quia quod est causa causæ est causa causati. Tum quia quod semen & substitutum efficit, radix, & persona principalis efficere poterit; sed species est semen, & substitutum, & præmissæ sunt radix, & quasi persona principalis; ergo.

29. Resp. Trans. Antec. & nego conseq. ob rationem supra dictam. Resp. ad primam confirm. Conced. anteced. & nego conseq. quia ad hoc nulla

nulla datur necessitas; cum sufficiat illuminativus influxus præmissarum ad eliciendam conclusionem. Deinde minus est producere speciem, quam conclusionem. Sic omnis actus tam intellectus, quam voluntatis speciem sui producunt effectiue, non tamen alios actus. Ad secundam confir. resp. Nego Anteced. Quia species effective influentes in conclusionem non producuntur effective á præmissis formalibus, sed à præmissis obiectiuis. Sed adhuc admisso antecedenti, nego conseq. Ad probationem dico in aliquibus verum esse, quod causa causę habet vim productiuam effectus causæ causatę. Sic obiectum est causa speciei causantis cognitionem, & simul habet vim productivam cognitionis, & solum ex defectu intimę præsentiæ eam non causat. Et in morali existimatione caus. causę censetur causa causati. Sic causa ignis est causa incendij, & quod efficit substitutum efficere potest persona principalis, vt quid quid prorex efficit Rex efficere potest: at in omnibus præcipue in physicis falsum est. Sic cognitio Petri effective producit speciem rememoratiuam ipsius, quæ ad á Petri cognitionem effective producit: & tamen vna cognitio aliam effective producere nequit. Et ratio est, quia non quid quid producere potest effectum produc. re potest eius causa. Sic intellectus, & voluntas cognitionem, & amorem producunt, & nequeunt producere habitus, qui á cognitione, & amore producuntur.

30. Replic. 2. Specialiter. Si intellectus compleretur per species præmissarum in esse productivi conclusionis, non esset discursivus: ergo. Prob. Antec. Sequeretur quod propositio Minor foret indivisibiliter conclusio, & cognosceret totum, quod erat per conclusionem cognoscendum: sed hoc totam rationem discursus everteret; iam enim vnum ex alio non inferetur; ergo. Prob. Maior. Posita causa necessaria completa, & cum omnibus requisitis necessarijs operatur quantum potest; ergo cum intellectus sic causa necessaria, si compleretur per speciem præmissarum in esse potentis elicere conclusionem, cum elicuit Minorem etiam per indiuisibilem actum repræsentaret tam minorem, quam conclusionem obiectivam; ergo

31 Resp. Nego anteced. Ad probat. Nego maior. Ad eius probat. dist. anteced. operaretur quantum potest diuisibiliter, concedo; indiuisibiliter necessario; nego. De ratione causę necessariæ est operari quantum potest, sed non necessario indiuisibiliter: patet in igne operante calorem vt octo, quia est causa necessaria, sed non indiuisibiliter, nam calor vt octo plures gradus caloris habet. Sic intellectus specie præmissarum completus operatur & pręmissas, & conclusionem vtpote causa necessaria, at vero cum minor habeat aliquem influxum in conclusionem non efficit minorem, & conclusionem indiuisibiliter, sed minorem cum aliqua saltem naturæ prioritate respectu conclusionis.

32 Obj. 5. Possibiles sunt præmissæ physice influentes in conclusionem; ergo hæ, quę defacto dantur, ita se habent. Prob. conseq. Ideo hę, quæ de facto dantur, physice non influunt, quia intellectus cum specie impressa est sufficienter causa conclusionis effectiua; sed etiam de possibili intellectus esset specie impressa informatus, ac proinde causa sufficiens, & tamen præmissæ effectiue concurrent; ergo licet intellectus de facto ita se habeat, præmissæ effectiue influent.

33 Resp. Admitto antecedens, & nego conseq. Ad Prob. concedo maiorem, & minorem, & nego conseq. quia superfluitas, quę sufficiens est ad negandum plura de facto, non obstat ad concedendum ea de possibili. Sic plures de facto negant, duplicem causam totalem producere eundem numero effectum, eo quod sufficienter producatur ab vna tantum, & de possibili adhuc naturaliter hoc concedunt.

34. Resp. 2. verius, & facilius. Nego anteced. Nam quod naturaliter est superfluum, naturaliter est impossibile, & sicut contradictio arguit impossibilitatem essentialem, ita superfluitas impossibilitatem naturalem; sed talis concursus effectivus præmissarum est naturaliter superfluus; ergo.

SECTIO III.

AN PRÆMISSÆ EXISTERE debeant in intellectu in eodem instanti, quo infertur conclusio?

35. PRima sententia tenet, bene posse existere præmissas, & conclusionem in eodem instanti; attamen hoc non esse necessarium. Ita Exim. Doctor. Conimbric. & Quiroz disp. 32. de syllogismo sect. 5 n. 31.

36. Secunda sententia affirmat, in eodem instanti debere necessario concurrere. Ita P. Oviedo, & P. Arriaga disp. 14. sect. 5. n. 54. & Olea d. 121 n. 2.

37. Prob. 1. Causa debet existere in eodem instanti, in quo effectus producitur; sed pręmissæ sunt causæ conclusionis, vel efficientes, vel directivæ, iuxta varias sententias; ergo. Confir. exemplo aliarum causarum sic ignis extinctus in instanti *A* nequit in instanti *B*. alium ignem producere; quod autem precesserit in instanti antecedenti est omnino extrinsecum, & accidentale, vt in instanti sequenti aliquid efficiat: ergo similiter præmissæ existentes in instanti *A*, in instanti *B* conclusionem non poterunt inferre.

38. Prob. 2. Præmissæ proponunt intellectui motivum determinativum ad conclusionem; ergo coexistere debent in eodem instanti, in quo elicitur conclusio. Prob. conseq. In eodem instanti, in quo elicitur amor á voluntate debet existere cognitio obiecti amati, nulla alia ratione, nisi quia cognitio proponit voluntati obiectum formale motivum, bonitatem scilicet obiecti; sed pręmissæ proponunt intellectui obiectum formale motivum conclusionis, nempe identitatem extremorum cum tertio ergo.

39. Obj 1. Ad inferendam conclusionem sufficit, vel species impressa præmissarum, vel recordatio earum, vel habitus ab illis relictus, vel sola apprehensio identitatis extremorum, ergo sufficiet quod in instanti antecedenti, extiterint præmissæ.

40. Resp. Non sufficere speciem impressam, quia licet hæc sit virtualis obiecti repræsentatio, hoc est, habeat virtutem effectiuam repręsentationis formalis, non tamen est repręsentatio formalis, ac proinde neque formaliter illuminat intellectum, neque illum determinat proponendo obiectum motivum. Sic ad amorem Petri species impressa ipsius non sufficit, sed requiritur cognitio formalis. Non sufficit recordatio, quia recordatio non est cognitio clara identitatis extremorum cum tertio; Alias si esset clara cognitio, iam non esset mera recordatio, sed ipsæ præmissæ formaliter. Non sufficit habitus relictus, quia & si producat illuminationem, ipse tamen non illuminat. Nec sufficit appr. hensio identitatis extremorum cum tertio, quia vt intellectus inferat identitatem extremorum inter se, certus, & certificatus debet esse de identitate extremorum cum tertio, quam certitudinem per solam

apprehensionem habere nequit.

41. Obj. 2. Postquam deduximus ex his præmissis: *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo* hanc conclusionem *ergo Petrus est animal* sæpè repetimus *Petrus est animal*, ergo manet & conservatur in intellectu conclusio.

42. Resp. Talem actum sæpe repetitum non existentibus præmissis nō esse conclusionem formaliter, sed materialiter, hoc est, terminari ad idem obiectum materiale conclusionis, sed esse diversum actum; cum non habeat idem motivum, nempe identitatem hominis cum animali, & Petri cum homine.

43. Obj 3. Non minus se habet vt motivum conclusionis identitas extremorum cum tertio, quam se habet vt motivum actus fidei authoritas Diuina revelans; sed plures actus fidei elicimus, quin meminerimus authritatis Divinæ revelantis, v. g. cum sine vlla reflexione Symbolum Apostolorum recitamus; ergo similiter plures conclusiones, quin identitatis extremorum cum tertio recordemur, ac proinde quin præmissę in eodem instanti existant.

44 Resp. Admittendo paritatem, ex qua potius confirmatur conclusio. Nullus enim actus fidei dari potest, quin attingat vt motivum authoritatem Diuinam reuelantem, ac proinde quin detur cognitio talis aucthoritatis; licet enim aliquando distracta mente quis dicat *Credo in vnum Deum*; idem valet ac dicere; affirmo Deum esse vnum, quia ipse revelat. Si autem ita non se habeat actus, & credat motus vel ratione naturali, vel aucthoritate humana, non erit actus fidei Diuinæ. Ita cum aliquis, etiam si aliquomodo non attendens videatur, cum dicit *Petrus est animal*, re ipsa præmissę in eo existunt; nam ille actus valet, ac si diceret *Petrus est animal, quia est homo, & homo est animal*, sin auctum ita se habeat, non erit conclusio.

SECTIO IV.

VTRVM PER ASSENSVM CONclusionis attingatur obiectum præmissarum?

45 INQVIRIT præsens quęstio, An conclusio, quę ex duplici præmissa inferri debet attingat non solum suum peculiare obiectum, v. g. identitatem extremorum inter se, sed etiam obiectum præmissarum, identitatem nempe extremorum cum tertio v. g. An hæc conclusio *ergo Petrus est animal* deducta ab hac duplici præmissa: *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo*, non solum attingat identitatem *Petri* cum *animali*, sed etiam identitatem *hominis* cum *animali*, & *animalis* cum *homine*; ita vt idem sit dicere *ergo Petrus est animal*, ac dicere, *ergo Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal*.

46 Prima sententia negat, conclusionem attingere obiectum præmissarum. Ita Eximius D. Acutiss. Doct. Hurt. Ponc. Ioannis. Spinula, & complutenses *Disp.* 47. sect. 4. n. 7.

47 Secunda sententia affirmat. Ita Caietano, Ferrara, Ocam, & Alij apud P. Arriagam, quos ipse sequitur Disp. 16. sect. 2. num. 51. P. Ouiedo, P. Quiroz, & Alij Recentes communiter. Item N. Olea disput. 125. num. 2.

48 Dico. Omnis conclusio attingit vt obiectum *Quo* intrinsecum motivum obiectum præmissarum.

49 Prob. 1. Cum P. Arriaga, & ad hominem contra aliquos ex Aduersarijs, qui iudicant, licet non necessario, posse tamen conclusionem attingere obiectum præmissarum. Posito assensu

sensu pręmissarum intellectui proponitur euidenter, non solum identitas extremorum inter se, quæ est obiectum conclusionis, sed etiam motivum, & ratio talis identitatis, quę est identitas extremorum cum tertio; ergo necessario debet intellectus assentiri non solum veritati conclusionis, sed etiam motiuo talis veritatis. Prob. conseq. Intellectus est potentia necessaria, semperque efficiens quantum potest; ergo cum æque illi proponatur connexio extremorum inter se, & ratio huius connexionis, nempe extremorum cum tertio, æque debet assentiri & veritati, & motivo veritatis.

50 Prob. 2. Electio medij attingit finem, non solum vt obiectum extrinsece, sed intrinsece motivum, v. g. electio potionis amaræ sanitatem, quia potionem eligit propter sanitatem. Actus quo ex fide credo Mysterium Incarnationis vltra ipsam Incarnationem attingit vt obiectum intrinsece motivum, authoritatem *Diuinam* reuelantem, quia Mysterio credit propter reuelationem; sed similiter intellectus assentitur obiecto conclusionis propter pręmissarum obiectum, hoc est, *Petrum esse animal, quia omnis homo est Animal, & Petrus est homo*; ergo similiter conclusio non solum attingit suum obiectum terminativum, sed etiam obiectum præmissarum vt sui motivum.

51 Nec valet dicere cum P. Compt. medium non habere in se bonitatem, nisi relatiuam in ordine ad finem, ac proinde finem attingi per amorem medij; at vero obiectum cōclusionis ex se habere sufficientem veritatem, ideo que posse independenter á præmissis assensum terminare.

52 Quia contra erit. Bonitas medij, sicut & veritas obiecti conclusionis, dupliciter potest considerari, vel absolute, & specificative, vel respectiue, & reduplicatiue: sic potest aliquis eligere potum aquæ frigidæ, vel quia est bona secundum se, vel quia est bona ad sanitatem: cum sumitur quia est bona secundum se, non attingitur bonitas sanitatis; cum autem sumitur, quia est bona ad sanitatem, sanitas attingitur vt obiectum; ergo similiter hæc *Petrus est animal*, si hæc propositio sumatur absolute, & specificatiue, solum veritatem, & connexionem Petri cum animali attinget; Si tamen respectiue sumatur vt conclusio est, non solum veritatem ipsius, sed etiam veritatem obiecti pręmissarum, vt motivum attinget. Confir. Sicut bonitas medij vt medij est bonitas relatiua, & propter finem, ita veritas consequentiæ vt talis est veritas relatiua, & propter præmissas, in hoc enim distinguitur veritas consequentis, á veritate consequentiæ; ergo sicut electio medij vt talis attingit intrinsece finem, ita assensus consequētiæ attingit intrinsece præmissarum obiectum.

53 Prob. 3. Omnis conclusio vt talis nota illationis *ergo* insignitur; sed talis nota illationis est relatiua ad obiectum pręmissarum vt motivum; idem enim significat *ergo*, ac *hinc sequitur, seu ex hac illatione colligitur*; ergo attingit illud, vnde sequitur, seu ex quo colligitur, nempe præmissarum obiectum.

54 Confir. 1. Li *ergo* constituit conclusionem in esse conclusionis; sed ly *ergo* non significat obiectum terminativum conclusionis pręcisè, quia sine vllo tale obiectum significaretur; ergo significat, motivum illius assensus esse obiectum præmissarum.

55. Confir. 2. Discursus equivalet propositioni causali: ly *Est homo, ergo est animal*, idem ac *est homo, quia est animal*; ergo sicut per ly *quia* attingitur mo-

motivum intrinsecum propositionis, ita per ly *ergo*.

SVBSECTIO VNICA.

RESPONDETVR ARGVmentis.

56. OBjic. 1. Cum Spinula. Si actus attingens identitatem extremorum inter se propter identitatem extremorum cum tertio esset conclusio, in Deo daretur discursus formalis, contra eius infinitam Sapientiam; cum in Deo possit dari hic actus *Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal*.

57. Argumentum omnes comprehendit: nam discursus iuxta omnes est cognitio identitatis extremorum inter se cum dependentia aliqua ab identitate extremorum cum tertio; sed hanc habet Deus; ergo. Resp pro omnibus. Ideo in Deo non dari discursum formalem, quia hic requirit distinctionem realem actuum, quę in Deo reperiri nequit; & etiam quod in pręmissis implicite, & confuse cognoscatur obiectum conclusionis, cognitio autem implicita, & confusa Deo penitus repugnat, ideoque ille actus in Deo non est discursus formalis.

58. Obj. 2. Id attingitur essentialiter per actum, quod per illum cognoscitur, sed quod per illum actum cognoscitur, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod* tangitur; ergo vel obiectum pręmissarum tangitur vt *quod* per conclusionem, vel non tangitur essentialiter.

59. Resp. Dist. Maiorem. Quod per illum cognoscitur implicite, vel explicite, concedo; explicite necessario, nego maiorem; & Dist. minorem: sed quod per illum cognoscitur, non solum vt *quo*, sed vt *quod* tangitur, quod cognoscitur explicite, concedo; quod tantum cognoscitur implicite, nego. Duplici modo tangitur essentialiter obiectum, vel implicite, vel explicite: Tunc tangitur, vt *quod*, cum explicite cognoscitur, vel amatur; cum verò non cognoscitur, nec amatur explicite, sed vt ratio formalis seu motivum amandi, aut assentien, tandigitur tantum vt *quo*, sed proprie, & essentialiter tangitur. Sic odium peccati propter Deũ, vtpote actus Theologicus attingit Deum vt *quo*, non vt quod, quia non est obiectum explicitum. Sic Deus amat pænam propter pæccatum, quin peccatum vt *quod*, sed solum vt quo, attingat. Sic cognoscibilitas per quãcumque cognitionem, non vt *quod*, sed vt *quo* attingitur. Sic ergo conclusio attingit obiectum pręmissarum, non vt *quod*, sed vt *quo*, & vt motivum assentiend. suo obiecto terminativo, seu vt quod.

60. Obj. 3. Cum Comptono. Si staret nostra conclusio sequeretur, quod ex his præmissis: *Omne sensibile est vivens, Equus est sensibilis*, inferremus hanc conclusionem; *ergo Equus est vivens quia est sensibilis, & omne sensibile est vivens*; quod est contra experientiam. Tum, quia nec in conceptibus, nec in vocibus id vnquam experimur. Tum, quia positis præmissis necessario, & facile infertur conclusio; difficulter tamen si esset necessaria illa repetitio. Tum denique, quia iam medium præmissarum ingrederetur conclusionem, contra Aristotelis mentem.

61. Resp. Concedo sequelam. Nam licet explicite ita conclusio non deducatur, implicite tamen ita deducitur. Hinc ad primam probationem, dic, hoc nec in vocibus, nec in conceptibus explicite experiri, implicite in conceptibus ita evenit, & in vocibus hoc significatur per notam allationis *ergo*. Ad secundam probat. dico, quod cum talis implicita reflexio sit necessaria, facillime vtiq̃, & sine vlla difficultate evenit. Ad tertiam respondeo Aristotelem tantum prohibuisse medium præmissarum explicite ab ingressu in obiectum conclusionis, non vero ab ingressu implicito; cum hic sit necessarius ob rationes nostræ probationis.

62. Obj. 4. ex eodem. Syllogisgus vocalis hanc reflexionem vocibus non exprimit; ergo nec illam habet syllogismus mentalis. Antec. constat ex ipsa experientia. conseq. Prob. 1. quia syllogismus vocalis est imago, & expressio mentalis; ergo si imago fidelis hoc non exprimit, in imaginato seu prototypo non erit. 2. quia si in mente medium præmissarum conclusionem ingreditur, ad quid tanta cura, ne in vocibus ingrediatur, cum voces sint tantum imago actuum? Tertiò syllogismus vocalis est veluti exemplar, ad cuius similitudinem debet formari mentalis; ergo si exemplar non habet medium in conclusione, nec illud debet habere terminus assimilationis.

63. Resp. Concedo antec. & dist. conseq. Ergo neque illam habet syllogismus mentalis, implicite, nego: explicite, concedo. Et hinc ad primam prob. dico; syllogismum vocale esse imaginem expressam eorum, quæ expresse, & implicite attinguntur per actum, & imaginem implicitam eorum, quæ implicite attinguntur; cum ergo obiectum terminativum, nempe connexio extremorum inter se expresse attingatur â conclusione, & implicite vt, quo obiectum præmissarum, inde est quod in conclusione vocali obiectum explicitum explicite contineatur, & obiectum implicitum implicite in nota illationis *ergo*; Ideo q̃ est perfecta imago syllogismi mentalis. Hinc ad 3. Prob. respondeo; quod licet admittamus; syllogismum vocalem esse exemplar mentalis, vterque assimilatur; nam eo modo quo in syllogismo mentali implicite continetur ista reflexio, ita implicite se habet in syllogismo vocali. Ad 4. Prob. dico curam esse in excludendo medium præmissarum á conclusione vocali, quia necessaria non est vocum multiplicatio; cum in nota *ergo* sufficienter talis inuoluatur reflexio, & ab authoritate Phylosophi hoc asserentis.

64. Obj. 5. cum eodem. Sequeretur, hanc propositionem: *Christus est homo*, & sic de alijs, quæ de fide certæ sunt, esse aliquando falsas, cum possit ex vna falsa præmissa deduci; vt si quis diceret: *Omnis substantia est homo; sed Christus est substantia; ergo est homo*: immo numquam verificari posset hoc principium *ex falso aliquando verum*, semper enim esset falsum hoc motivum.

65. Resp. talem propositionem vt consequentiam formaliter non esse de fide, sed falsam, nam vt conclusio formalis ita se habet *Christus est homo, quia est substantia, & omnis substantia est homo*, quod absolutè falsum est; ast vt consequentiam materialiter talem, vel potius vt consequens esse veram, & de fide. Cum dicimus *ex falso aliquando verum*, intelligedum, non de veritate consequentię, sed de veritate consequentis; vt videre est in syllogismo iam posito.

66. Obj. 6. Si conclusio attingeret obiectum præmissarum, iam conclusio, & pręmissæ non essent actus diuersi, cum habeant idem obiectum.

67. Resp. eos actus diuersificari ex diuerso modo tendendi in idem obiectum. Sicut apprehensio non pura à iudicio diuersificatur; nam pramissæ immediate, & ratione sui essentiuntur obiecto, & propter identitatem cum tertio; at conclusio immediate illa-

illatiue, & propter identitatem cum tertio, ei assentiuntur.

68 Obj. 7. Iam essent otiosę præmissæ ad discursum; nam si ad aliquid deseruirent, maxime ad attingendam identitatem extremorum cum tertio; sed hoc totum prętat sola conclusio; ergo.

69 Resp. Nego anteced. Ad implicitam probationem dist. Si ad aliquid deseruirent mexime ad attingendam identitatem extremorum cum tertio, presuppositiue, & dispositiue, qualiter requiritur vt intellectus totali securitate conclusionem eliciat, concedo: aliter, nego. Unde prę missæ requiruntur per modum dispositionū, & actuum applicantium obiectum intellectui, scilicet identitatem duorum extremorum cum tertio, vt intellectus certificetur ad assentiendum identitati eorum extremorum inter se. Sic licet apprehensio attingat idem obiectum, ac iudicium, illa non est otiosa, cum sit dispositio.

70 Obj. 8. Si intellectus assentiretur obiecto conclusionis præcedentibus pręmissis, & non propter ipsas præmissas, vel omnino distractus, vel quasi pręmissarum oblitus, ille assensus esset vera conclusio; ergo ad hanc non requiritur obiecti præmissarum Attingentia.

71 Resp. Casum esse imppossibilem, nam cum intellectus sit potentia necessaria proportionata veritati conclusionis, & rationi, seu motiuo talis veritatis, necessario debet & veritati, & rationi illius assentiri; nec ita potest distrahi, vt existentibus tunc pręmissis, earum obliuiscatur, vel eis non attendat; sed si hoc eueniret, scilicet intellectum assentiri obiecto conclusionis, quin obiectum præmissarum attingeret, vel ita distractus, vt illo motus non assentiretur, sed veritate propria ipsius colusionis, obiecti, illa non esset formaliter conclusio ob rationes nostrę probationis.

72. Objic. 9. In hoc syllisgo *quid quid Deus revelat est verum, sed Deus revelat Mysterium Incarnationis; ergo est verum*, conclusio non attingit obiectum præmissorum; ergo. Probatur anteced. Si illud attingeret haberet pro obiecto motiuo revelationem Dei propositam per pręmissas, ac proinde conclusio esset de fide; sed hic actus vtpotè discursiuus nequit esse de fide, cum eius assensus in connexione obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum nitatur; ergo.

73. Resp. Nego antec. Eius probationis Maiorem concedunt PP. Hurtado, Ripalda, Arriaga disp. 15. de fide. sect. 5. & negant Minorem. Negant Maiorem, & concedunt Minorem Exi. Doct. Card. Lugo. disp. 7. de Fide. sect. 13 §. 2. Turrianus: Vtrumque probabile, nihil contra nos, & cum ad Theologos pertineat, vtrumque ad eos remitto.

74. Obj. 10. Eademmet numero conclusio potest ex varijs præmissis inferri; ergo hæc non involuit obiectum pręmissarum vt motivum, non enim ex diversis motivis potest idem actus produci.

75. Resp. Dist. antec. Eadem conclusio materialis, transeat; eadem conclusio formalis, nego. Hoc est, circa idem obiectum potest elici aliquis actus, qui videatur idem ac alius, attamen vt conclusio formaliter, pręcisê mutatis præmissis, actus diversi erunt, cum obiecta motiva diversificentur. Sic hi actus diversi sunt, *Credo Christum esse hominem, quia est animal rationale, Credo Christum esse hominem, quia Deus illud revelat.* Solum ex diuersitate motivorum.

76. Obj. 11. Ratio conclusionis salvatur si pręmissæ præcedant in intellectu, quin necessarium sit per conclusionem attingi; ergo. Prob. antec. Lux est conditio, vt color appareat, quo apparente ei assensum tribuit intellectus, quin lucem attingat per talem assensum; ergo similiter præmissæ conditio erunt, vt obiectum conclusionis appareat, quo apparenter ei tribuit intellectus assensum, quin obiectum præmissarum attingat.

77. Resp. Assignando disparitatem inter lucem, & præmissas. Lux enim vt color videatur, est pura conditio extrinseca: vnde quin attingatur lux, potest calor videri; ast obiectum præmissarum non est conditio extrinseca, sed motivum intrinsecum assensus conclusionis, ac proinde nequit hic non attingere præmissarum obiectum.

78. Obj. 12. Si per assensum conclusionis attingeretur præmissarum obiectum habitus, seu specie reliqua ex conclusione non potest efficere actum repræsentantem obiectum conclusionis, quin simul reprę sentaret obiectum pręmissarum; Habitus namque, & species nequeunt producere, nisi actus similes illis á quibus geniti fuerunt; sed hoc opponitur experientię, sæpé enim recordamur obiecti conclusionis, & non præmissarum, sicut semel cognito Deo ex creaturis, postea solius Dei sine creaturis recordamur; ergo.

79. Resp. Ex doctrina Sapientissimi P. Leonardi de Peñafiel, cui favere videtur P. Hurtado disp. 6. de Fide §. 27. Ex quacumque veritate completa duplicem gigni habitum, & speciem; aliam inconnexam vniuscuiusque obiecti, & aliam complexam, & connexam vtriusque: Hoc ipsa constat experientia; sæpe enim habetur simul notitia mortis Petri, & Francisci, & transacto tempore meminimus mortis vel vtriusque, vel alterius vtrius. Item dum memoriter aliquid dicimus, si sequentis periodi obliviscamur, antecedens iterum repetimus, vsque dum illius recordamur, quia scilicet datur species connexa vtriusque periodi, & species inconnexa; & ratio est, quia cum vnumquodque obiectum duplicem habeat cognoscibilitatem, & ratione sui, & simul ratione alterius, duplicem similiter speciem in intellectu relinquit cum complexe attingitur. Nunc ad rem nostram. Ita cum obiectum conclusionis sit ex se cognoscibile si etiam cognoscibile propter pręmissarum obiectum, dum ita per conclusionem formalem attingitur, duplicem gignit habitum, & speciem; & quia recordamur illius simul cum obiecto præmissarum, & quia recordamur illius tantum, & solitarie sumpti.

SECTIO V.

VTRUM POSITO ASSENSU præmissarum necessitetur intellectus ad assensum conclusionis?

80. Duplex est necessitas, sicut & libertas, quoad speciem, & quoad exercitium prima versatur inter actus contrarios, amorem scilicet, & odium, assensum, & dissensum. Secunda inter contradictorios, amorem scilicet, & carentiam, seu omissionem amoris; assensum, & non assensum. Tunc potentia est libera quoad speciē, quando ita indifferens est ad amorem, vel odiū, vt pro suo libito vnum, vel aliud possit elicere; vnde tunc quoad speciem erit necessitata, cum ita elicit amorem, vt non possit elicere odium. Tunc potentia est libera quoad exercitium cum pro suo libito potest elicere amorem, aut cesare ab amore. Vnde tunc quoad exercitium necessitata erit, cum ita elicit amorem, vt nequeat amorem nō elicere. Rogatur nunc, vtrum posito assensu præmissarum ita necessitetur in-

intellectus ad assensum conclusionis, vt nequeat illi dissentiri? Secundo ita vt nequeat illi non assentiri?

81. Dico 1. Posito assensu præmissarũ necessitatur intellectus quoad speciem ad assensum conclusionis, ita vt posito tali assensu, nequeat intellectus dissentiri conclusioni: Vnde si aliquem actum eliciat, hic debet esse assensus, & non dissensus, & hoc adhuc Diuinitus. Ita præter vnum Linze tract. 4. c. 8. omnes Doctores.

82. Prob. Voluntas adhuc Diuinitus nequit odisse obiectum, quod repræsentatur vt bonum tantum, & non vt malum; ergo nec intellectus dissentiri obiecto, quod proponitur vt verum tantum, & non vt falsum. Antecedens est certum. Conseq. tenet á paritate rationis; tunc sic; sed proposito assẽsu premissarũ proponitur intellectui obiectum conclusionis, vt evidenter verũ, & nullo modo falsũ, ergo. Prob. minor. Proponũtur intellectui extrema identificata vni tertio, sed eo ipso illi vt evidenter verum proponitur, ea extrema identificari interse, iuxta illud principium lumine naturæ notum in creatis: *quæ identificantur vni tertio, identificantur inter se.* ergo.

83. Cõfir. Si proposito assensu premissarum posset intellectus dissentiri conclusioni, posset iudicare idem simul esse, & non esse, verum que esset duplex contradictorium; ergo. Prob. sequela. Si posito assensu harum præmissarum: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo* posset intellectus dissentiri huic conclusioni: *ergo Petrus est animal*, iudicaret simul Petrum esse animal, & non esse animal. Patet conseq. Iudicaret non esse animal, cum neget illam consequentiam: aliunde iudicaret esse animal, cum iudicet esse hominem, vt patet ex minori, & omnem hominem esse animal, vt patet ex maiori; ergo.

84. Dico 2. Posito assensu præmissarum, necessitatur intellectus etiam quoad exercitum ad assensum conclusionis: ita vt posito tali assensu nequeat cessare ab assensu, seu non assentiri conclusioni. Ita P. Hurtado, P. Arriaga, P. Compton, M. Linc. 2. part. l. 4. quest. 1. art. 2. num. 8 Oïea d. 122. num. 3. & Alij communiter contra P. Linze, & P. Quiroz Disp. 32. sect. 2. Rhodes. Telles. Olcin. n. 3001. & Alios.

85. Prob. Potentia necessaria positis omnibus requisitis ad operandum, nequit non operari, vt patet in igne aproximato, in causa vltimo disposita, & c; sed intellectus est potentia necessaria, & posito assensu premissarum habet omnia requisita ad conclusionem eliciendam; ergo illam elicit necessario.

86. Obj 1. Contra Primam conclusionem. Si contineretur identitas extremorum inter se in identitate extremorum cum tertio, ita contineretur in vnitate Dei Trinitas ipsius; sed potest Gentilis assentiri vnitati Dei, & dissentiri Trinitati; ergo & assentiri identitati extremorum cum tertio, & dissentiri eorum identitati inter se.

87. Resp. Assignando maximam disparitatem. Nam cum Gentilis assentitur vnicitati Dei, non proponitur illi vt manifeste vera Trinitas, & vt manifeste falsa non Trinitas; vnde potest vnicitati assentiri, & dissentiri Trinitati; ast cum assentitur quis duabus premissis, seu identati extremorum cum tertio, statim proponitur vt manifeste verum conclusionis obiectum: identitas scilicet extremorum inter se; & non identitas seu separatio extremorum interse vt manifeste falsa; ac proinde collato assensu præmissis, nequit conferri dissensus conclusioni; licet dato assensu vnicitati, possit Trinitati dissentiri.

88 Obj. 2. Sæpe evenit in scholis, concessa maiori, & minori in forma negari consequentiam, & ei dissenteri; ergo.

89 Resp. Hoc prouenire ex obscura penetratione identitatis cum tertio, eo scilicet quod non bene percaleantur præmissæ, aut vltima significatio, vel materia syllogimi ignoretur. Si vero clare percipiatur identitas extremorum cum tertio, impossibilis est dissensus respectu identitatis eorum inter se. Loquor de intellectu bene disposito; nam si alias sit impeditus, vt intellectus amentis, aut rustici, per accidens ex defectu penetrationis principij illius, *quæ sunt eadem vni tertio, & c.* poterit concessa maiori, & minori, negare consequentiam; sed vt optime aduertit Arriaga, de hoc non loquitur.

90 Obj. 3. contra 2. conclusionem. Posito assensu præmissarum potest á voluntate impediri assensus conclusionis, quia licentia voluntatis ad illam diciendam est vnum ex requisitis; sed hæc potest non poni a voluntate, etiam posito assensu prẽmissarum; ergo potest impediri á voluntate.

91 Confirm. Posito assensu præmissarum, nequit non excitari apprehensio identitatis extremorum interse; at vero si assensus subsequatur apprehensionem, esset imperio voluntatis; ergo ab hac potest impediri.

92 Resp. Nego, posse assensum conclusionis impediri â voluntate, & consequenter voluntatem esse vnum ex requisitis ad assentiendum obiecto clare, & evidenter proposito. Unde nec á voluntatis arbitrio dependere potest talis assensus; cum hæc dependentia nulla ratione, aut experientia probari possit. Quis vnquam excogitare potest, quod postquam aliquis cognovit Petrum esse mortuum, & eundem esse Regem, egeat imperio voluntatis ad deducendum, Regem esse mortuum? Potest ne voluntas dicere intellectui, cum illi proponitur euidenter aliquod obiectum, ne credas illi? vel si potentia visiua sit recte disposita, & obiectum sit præsens imperare oculis ne videant? certe non potest. Ergo cum posito assensu præmissarum, euidenter proponatur obiectum neqait voluntas impedire pro suo libito assensum. Item illa licentia voluntatis, quę est requisitum, vt intellectus assentiatur obiecto conclusionis, vel est libera, vel necessaria? Nequit esse libera; tum ob rationes proximè dictas; tum, quia voluntas non debet esse potentior in alienos, quam in proprios actus; sed posita intentione efficaci finis, nequit electionem mediorum suspendere; ergo neque posito assensu præmissarum poterit assensum conclusionis impedire. Si talis licencia est necessaria? Habeo intentum; ergo posito assensu præmissarum, nequit non elici assensus conclusionis.

93. Ad confir. resp. Eo modo, quo est necessaria apprehensio evidens obiecti conclusionis, est necessaria, & independens á voluntatis arbitrio assensus. Nam obiectum etiam obscure propositum necessitat intellectum ad apprehensionem; ergo obiectum clare propositum ad apprehensionem, & assensum. Patet consequentia; in hoc enim obiectum clare propositum, ab obiecto obscure proposito distinguitur, quod hoc non excitat necessario apprehensionem, sed quasi liberum relinquit intellectum ad assensum, vel dissensum, & ideo eget determinatione voluntatis; at obiectum clare propositum ad vtrumque necessitat.

94 Obj. 4. Saltem cum præmissæ

 solum-

solum probabiliter repræsentant identitatem extremorum cum tertio, cum consequenter solum probabiliter proponatur identitas extremorum inter se, non necessitabitur intellectus quoad exercitium.

95. Resp. Nego assumptum. Aliud enim est, quod possit intellectus præmissis non assentiri, ac proinde nec consequentiæ; aliud, quod postquam semel assentitus fuit præmissis, possit consequentię non assentiri. Primum verum est, & proprium materiæ probabilis, seu præmissarum probabilium Secundum neutiquam: ęque namque tenetur intellectus conclusioni assentiri posito assensu pręmissarum, siue materia sit probabilis, siue sit certa, & evidens. In hoc enim distinguitur syllogismus, cuius præmissæ sunt mere probabiles, ab eo, cuius præmissæ sunt evidentes, quod præmissis probabilibus potest intellectus assentiri, vel dissentiri, evidentibus tamen nequit non assentiri.

96. Ast semel posito earum assensu in ordine ad necessitatem intellectus erga consequentiam æque se habet vterque syllogismus, sicut licet voluntas abosolutè possit non amare obiectũ sibi propositũ, in quo distinguitur á potentia visiva v.g. ast ex suppositione, quod se determinet ad amandum, ęque nequit obiectum non amare, ac potentia visiva obiectum propositum non videre.

97. Obj. 5. Si Deus has duas præmissas infunderet intellectui. *quid quid Deus revelat, est verum; sed Deus revelat in hoc instanti A, me non elicere tres propositiones*; tunc intellectus conclusionem non eliceret; ergo posito assensu præmissarum non semper tenetur conclusioni assentiri.

98. Resp. Admittendo casum, quem aliquis negat, sed nescio, quo fundamento. Deus enim potest revelare, quod potest facere; sed Deus potest facere, quod ego in tali instanti tres propositiones non eliciam, negando concursum ad tertiam; ergo. Hinc dico, de potentia absoluta, posse intellectum ex negatione concursus Dei suspendi in elicienda conclusione. Nos in secunda conclusione loquimur de potentia ordinaria, & de potentia alias non impedita ex defectu alicuius principij, qualiter se haberet casu posito, licet in prima adhuc de potentia absoluta loquamur ob rationem supra ponderatam.

99. Obj. 6. In hoc syllogismo *omne bonum est assequendum, sed erogare eleemosynam est bonum; ergo est assequendum*, consequentia non est necessaria, cum non omnes eleemosynam erogent; ergo.

100. Resp. Dist. Antec. Consequentia non est necessaria, speculativè, nego; practice, concedo. Hoc est, quod attinet ad intellectum est necessarium; quod attinet ad executionem est omnino liberum dependensque a voluntate, quæ sæpe in deterius contra mentem inclinatur.

101. Obj. 7. Potentia locomotiva est necessaria; sed subditur voluntatis imperio; ergo licet conclusio sit necessaria a voluntatis imperio subjiciendi, est.

102. Resp. Nego conseq. Quia potentia est incompleta, & per actum voluntatis completur, vt constat ex ipsa experientia; sæpe enim positis omnibus requisitis ex parte ipsius, solum ex defectu voluntatis imperij, ipsa non movetur, contrarium constat in intellectu potentia ex se completa, & tamen *in rebus, in quibus cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari certum est*. Verba sunt Sancti Protoparentis Nostri Ignatij in aurea Epistola de obedientia.

Obj.

103. Objic. 8. Ad actus necessarios non datur habitus; sed ad conclusionem datur habitus; ergo conclusio non est necessaria.

104. Resp. Maior communiter negatur, quia ad actus scientificos necessarios datur scientia habitualis, similiter in potentia loco motiua datur habitus saltandi, immò & in potentia visiua, non vt determinet, sed vt potentia in repetione actiuum minus fatigetur. Sotus, & Hurtado negant Minorem. De hoc in tractatu de Anima.

105. Obj 9 Non magis necessitat assensus pręmissarum ad assensum conclusionis, quam species obiecti præsentis ad visionem intuitivam ipsius; sed adhuc posita specie indiuidua obiecti ab nimiam attentionem ad aliud potest homo obiectum non videre, vt de D. Bernardo per integrum diem prope lacum ambulante, quin illum videret, vera refert historia; ergo.

106. Resp. Ob defectum attentionis posse obiectum pręsens non videri, vt in exemplo D. Bernardi alterius meditantis, & ad lacum proximum nullatenus attendentis constat; ast posito præmissarum assensu impossibilis est distractio, seu non attentio ad obiectum conclusionis. Nam cum identitas extremorũ inter se idẽtitate extremorũ cũ medio cõnectatur, semel posito assensu extremorũ cum tertio, nequit cohiberi aut impediri viuax apprehensio extremorum inter se, quæ necessitet ad sui assensum.

107. Obj. 10. Ex eisdem præmissis possunt inferri diuersæ conclusiones v.g. &c. duadus vniuersalibus affirmativis, iã vniuersalis affirmatiua, & directa in *Barbara*, iam particularis affirmatiua, & indirecta in *Baralipton*; ergo vt vna potius eliciatur, quam alia voluntatis requiritur imperium; ergo si hoc deficiat, nulla elicienda erit.

108. Resp. 1. Nego vltimam consequentiam. Sic licet necessarium sit voluntatis imperium, vt aliquis hoc potius, quam illo loco sit, nequit tamen nullibi esse. Item licet posita efficaci intentione finis, si detur duplex medium, huius potius, quam illius electio á voluntate dependeat; nequit tamen voluntas cessare ab alicuius electione.

109. Resp. 2. Tunc vnamquẽque cõclusionem tam directam, quam indirectam fore eliciendam; cum enim quis assentitur his pręmissis *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo* æque assentitur huic, *ergo Petrus est animal*, ac isti; *ergo aliquod animal est Petrus*. Sic potentia visiua plura obiecta simul respicit, si simul proponantur sufficienter.

110. Resp. 3. Tunc intellectum teneri elicere eam conclusionem, cuius clariorem, & intentiorem habet speciem.

111 Obj. 11. Voluntas non necessitatur ad bonum particulare creatum; ergo nec intellectus ad verum creatum.

112 Resp. nego conseq. quia voluntas est potentia omnino libera, non ita intellectus, qui á vero rapitur. Item voluntas posita intentione finis necessitatur ad bonum particulare creatum eligendum; ergo similiter posito assensu præmissarum necessitabitur intellectus ad verum particulare creatum.

113 Obj. 12. Ex P. Quir. Non minus est connexus assensus pręmissarum cum assensu conclusionis, quam assensus vnius contradictorij cum dissensu alterius contradictorij oppositi; sed ex assensu vnius contradictorij nõ infertur dissensus formalis alterius contradictorij oppositi, ergo neque ex assensu præmissarum assensus formalis conclusionis.

114 Resp. Latam esse inter dissensum contradictorij, & pręmissarum disparitatem. Nam licet assensus con-

contradictorij virtualiter contineat dissensum contradictorij, non tamen ex se ordinatur ad illud, vnde illum formaliter non infert; ast præmisse non solum continent virtualiter conclusionem, sed ex se ordinantur ad illam inferendam, vnde illam formaliter inferunt, & in hoc distinguitur propositio absolute sumpta á propositione sumpta, vt præmissa, & compræmissa. In hac enim propositione *omnis homo est animal* absolute sumpta virtualiter continetur hæc *Petrus est animal*, illam que formaliter non infert; ast sumpta, vt præmissa, coniuncta que cum hac, *sed Petrus est homo* non solum virtualiter cotinet illam propositionẽ; sed ad illam inferendam ordinatur, & hinc est, quod illam formaliter inferat.

115 Obj. 13. Ex P. Linc. Sola evidens obiecti propositio intellectum necessitat ad assensum: sed præmissæ non proponunt evidenter obiectum conclusionis, sed solum virtualiter, & confuse: ergo.

116 Resp. dist. Mino. non proponunt evidenter obiectum conclusionis, perse ipsas immediatè, concedo; per speciem ab ipsis necessario excitatam; nego. Prẽmissæ non proponunt euidenter, & clare obiectum *quod* conclusionis, sed solum virtualiter, & confusè; at eis positis, ita euidens obiecti conclusionis species excitatur, vt nequeat ei intellectus non assentiri, ideo que intellectum necessitari diximus.

117 Rogas. An cognitio de bonitate illationis præcedere debeat ad assensum conclusionis? Resp. 1. Non requiritur reflexa cognitio de bonitate illationis formalis. Sic tract. 1. Proœmalium num. 705. dixi Logicam reflexionem non esse necessariã simpliciter ad perfectam scientiam, ipsa enim conclusio se ipsa reddit intellectum securum sine vlla reflexione de illius existentiá.

118 Resp. 2. Requiritur prævia apprehensio cognoscens bonitatem illationis obiectiuę, seu connexionis obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum: primo, quia quid quid per iudicium affirmatur debet apprehensive præcedere; sed per conclusionem non solum affirmatur obiectum, sed etiam connexio ipsius cum obiecto præmissarum, seu obiectum connexum. Ly namque *ergo* idem significat, ac hinc sequitur, quod connexionem vnius cum alio denotat; ergo. Secundo, quia etiam posita intentione finis vt eligatur medium, debet præcedere apprehensio connexionis medij cum fine; ergo posito assensu præmissarum, vt ponatur essensus conclusionis, debet præcedere apprehensio, & illa connexionis, & illationis obiecti conclusionis ex præmissarum obiecto.

TRACT. VIII.

DE PRIORI ANALYSI;

DE DEMOSTRATIONE SCILICET, ET EIVS CONTRARIJS.

1 DEmóstrationi opponi fidem, opinionem, & fallaciam certum est. De his omnibus breviter agemus in hoc vltimo nostræ Logicæ tractatu.

DISPUTATIO I.

DE DEMONSTRATIONE,

SECTIO I.

DEFINITIO, ET DIVISIO demonstrationis.

2 VArie definivit demonstrationem Aristoteles; ex eo sic cum communi demonstrationem definio: *Est syllogismus constans præmissis certis, & evidentibus. Est syllogismus evidens.* Per ly *syllogismus* convenit cum topico, sophystico, & Theologico. Per ly *euidens* ab omnibus secernitur. Nam in ly *euidens* includitur omnimoda certitudo, qua caret topicus; veritas, quam non habet sophysticus; & claritas, quam non participat Theologicus.

3 *Demonstratio* est duplex: prima est propter *quid*, seu *á priori*: secunda est *quia*, seu á *posteriori*. Demonstratio propter quid est, syllogismus deducens effectum á causa necessaria, vel quasi causa, quæ ita se habeat ratione nostra; vt cum probo existentiam lucis á solis existentia, & existentia risibilis ab existentia rationalis. *Demonstratio* *quia* est quæ demonstrat causam per suum effectum, vel quasi effectum; vt cum probo existentiam *Dei* ab existentia creaturarum, existentiam rationalis ab existentia risibilis.

4 Rogas 1. Vtrum hęc diuisio demonstrationis sit adæquata? Negant aliqui; quia demonstratio definiti per definitionem, vt: *est animal rationale; ergo est homo*, neque est effectus à causa, nec causæ ab obiectu. Affirmant communiter cum P. Arriaga, & P. Comp-

Comprono intelligendo per demonstrationem, *quia*, quamcumque demonstrationem, quæ non fuerit á causa, & reducendo demonstrationem definiti á definitione ad demonstrationem propter quid, cum prædicata essentialia, quibus constat definitio sint quasi causæ intrinsece, & metaphysice definiti. Hoc secundum probabilius iudico.

SECTIO II.

VTRVM PREMISSÆ DEMONSTRATIONIS debeant esse certiores, veriores, & evidentiores conclusione?

5 TRIA debent habere pręmissæ cuiuslibet demõstrationis, veritatem, certitudinem, & euidentiam; veritas est conformitas actus cum obiecto, ita vt hoc, sicuti est, in se repręsentetur. Certitudo est firma adhæsio actus ad obiectum sine vlla formidine de opposito. Evidentia est claritas quædam cognitionis ex modo tendendi, qua obiectum ita manifeste proponitur intellectui, vt ab eo negari non possit.

6 Certitudo est duplex, adhæsiva, & inhęsiua; adhæsiua est, quæ oritur, vel ex motiuo necessario, vel ex modo tendendi, vt certitudo de ex stentia lucis cum comcipitur, vel de principio hoc *quodlibet est, vel non est*. Inhęsiva est connoxio quædam entitatiua actus cum obiecto, ratione cuius impossibile est, quod obiectum aliter se habeat, ac per actum repręsentatur. Hæc est propria actuũ supernaturalium. Hinc docent Exim. Doct. d.6. de fide sect.5. P.Gran. P. Ripal. P. Arriaga, hunc actum *Christus est Deus* excedere in certitudine inhæsiua certitudinem actuum ęternæ veritatis v.g. quæ sunt eadem vni tertio, &c. Nota: hic non loquimur de certitudine inhæsiua, certum enim est, quod si vna præmissa sit de fide, non vero conclusio, illa erit conclusione certior, & è contra si conclusio sit de fide, non vero vna expræmissis, quod conclusio erit certior hac certitudine.

7. Dico 1. Præmissę nequeunt esse veriores conclusione, nec è contra. Hęc conclusio manet probata, & etiam agitata tract.6 sect. 7. Ubi tenui veritatem in indiuisibili consistere; vide ibi dicta.

8. Dico 2. Si pręmissę sint inęquales in certitudine, & evidentia, quæ fuerit certior, & evidentior alia, erit certior, & evidentior conclusione.

9. Prob. Conclusio sequitur debiliorem partem; ergo ex minori certitudine vnius præmissæ, minor certitudo in conclusionem derivabitur. Ratio est; quia veritas, & certitudo conclusionis essentialiter dependet á præmissis; ergo nequit esse magis certa, quam fuerit vtraque præmissa.

10. Confir. Conclusio deducta ex vna præmissa evidenti, & altera probabili, probabilis tantum evadit; ergo conclusio deducta ex vna præmissa certiori, & alia minus certa, minus certam evadere, necesse erit.

11. *Dico* 3. Si præmissæ sint ęquales in certitudine, & evidentia inter se, non sunt certiores, & evidentiores conclusione; sed hæc est æque certa, & evidens, ac illa. Ita P. Hurt. d.11. logicæ, sect.3. P. Oviedo, & Recentes communiter. Contra Thomistas, Scotistas. Conim Compt. Tell. Rod. & Alios asserentes; pręmissas cecertiores, & evidentiores conclusione.

12. Prob. Omnis certitudo, & evidentia adhęsiua actuum oritur ex motiuo assentiendi; ergo actus habentes idem motivum, æqualem omnino certitudinem, & evidentiam habebunt. Sic hic actus *Petrus est animal, Ioannes est animal* sunt ęquales in certitudine, & evidentia, quia gaudent eodem motivo, nempe quod *omnis* homo sit animal. Similiter omnes actus fidei æquali gaudent certitudine, quia eodem motivo, nempe authoritate Diuina revelante vtuntur: tunc sic, sed per nos, conclusio idem motivum habet, ac præmissæ; obiectum enim formale motivum conclusionis est identitas extremorum cum tertio, quæ quidem est obiectum motivum pręmissarum; ergo.

13. Ratio á priori est; quia cum certitudo sit adhærentia intellectus ad obiectum, eodem modo adhæret intellectus, quo determinatur á motivo; á motivo ergo æqualiter determinabitur; ergo.

14. Confir. 1. Naturali lumine ductus cognoscit intellectus, quod ea, quę identificantur vni tertio, etiam identificantur inter se; ergo nequit certius assentiri identitati extremorum cum tertio, quam identitati eorum inter se; sicut non possum certius asserere *hominem esse compositum*, quam *constare partibus*; cum evidentissime sciam, compositum, vt tale partibus essentialiter componi

15. Confir. 2. Identitas extremorum cum tertio est formalissime identitas eorum inter se; si enim intellectus inter illas identitates non distinguit, quomodo circa vnam habebit maiorem, & circa aliam minorem certitudinem?

SVBSECT. VNICA.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

16. OBjic. 1. contra 2. concl. Conclusio Theologica, quæ sequitur ex vna pręmissa de fide, & alia naturali, est certior pręmissa naturali; ergo non sequitur debiliorem partem; ergo etiam si præmissæ sint inæquales, non ideo pręmissa certior alia erit certior conclusione.

17. P. Tannerus concedit, conclusionem Theologicam esse certiorem præmissa naturali, contra quem nostra ratione probandi munitus arguit P. Arriaga; impossibile enim est, quod conclusio hæc *Christus est animal* orta ex hac duplici pręmissa *Omnis homo est animal; sed Christus est homo*, sit certior propositione maiori naturali; cum certitudo ipsius essentialiter dependeat á certitudine illius. Si enim omnis homo non esset animal, certum non esset, Christum esse animal eo quod sit homo.

18 Resp. Nego anteced. absolutè. Nam, vel conclusio Theologica est supernaturalis? Ut tenet Gilius, & Fasolus, quos sequitur Ripalda *D.* 55. de ente supern. num. 41. Vel non? Vt tenet comunis sententia. Si primum? Ad summum conclusio Theologica erit certior inhæsive, non vero adhæsive. Si secundum? Nec adhæsive erit certior.

19. Obj. 2. contra 3. conclus. In hoc syllogismo *Christus est homo; sed homo constat anima immortali; ergo Christus constat anima imortali*, conclusio non est æquè certa, ac pręmissæ, etiam si habeat idem motivum, ac ipsę; ergo. Prob. anteced. Præmissæ sunt de fide, conclusio non est de fide, sed naturalis; ergo.

20 P. Arria. D. 15. de fide sect.4. & Alij tenent; conclusionem deductam ex duplici præmissa de fide etiam esse de fide; vnde erit æque certa, ac pręmissæ. Card. de Lugo, & alij communiter tenent, esse naturalem. In horum sententia.

21 Resp. conclusionem illam esse ęque certam adhæsiue, ex motivo sci-

scilicet, ac præmissæ, licet non sit æque certa inhæsiue, ratione scilicet supernaturalitatis, vi cuius præmissæ essentialiter exigunt, quod obiectum aliter nō se habeat, ac per ipsa repræsentatur. Quod autem actus naturalis possit esse æque certus adhæsiue, ac supernaturalis, probat Arriaga; tum quia nequit esse magis certus hic actus fidei *Christus est*, quam hic actus naturalis, á quo dependet, *quodlibet est, vel non est*. Nec actus naturalis, quo hæreticus diceret *Deus est Trinus, quia ipse revelavit*, ac supernaturalis, quo Catholicus idem diceret; cum vterque idem habeat obiectum.

22. Nota, quod sicut potest dari præmissa certior inhæsiue conclusione, ita & conclusio certior inhæsiue præmissa. Nam in sententia. P. Arriaga, P. Ripal. P. Granado, & Aliorum potest Deus circa quodvis obiectum naturale supernaturalem actum infundere; ac proinde positis his duabus præmissis naturalibus *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo*, potest infundere hanc conclusionem, *ergo Petrus est animal*, quę sit supernaturalis, ac consequenter certior inhæsiue præmissis.

23. Obj. 3. Conclusio accipit certitudinem á præmissis; ergo præmissę certiores sunt conclusione; quia iuxta Aristotelem *propter quod vnum quoque tale, & illud magis*.

24. Responsio argumenti ab acceptione, & explicatione huius proloquij dependet, quod quidem in omnibus fere causis falsum est. Sic homo est propter Deum vt causam efficientem, & tamen Deus non est magis homo. Homo est propter animam, vt causam formalem, & anima non est magis homo. Cathedra est propter lignum vt causam materialem, & lignum non est magis cathedra. Ad summum enim locum habet in causa finali, & amore medij, vt medium est. Sic cum eligitur potio amara propter sanitatem, magis amatur sanitas, quam potio.

25 Replic. ex Arriaga. In causis motiuis locum habet axioma; sed præmissæ sunt causæ motivę conclusionis; ergo magis assentior eis, quam conclusioni, & consequenter erunt magis certæ. Prob. maior. Ideo in causa finali locum habet axioma, quia amor finis mouet ad amorem mediorum, ideoque magis amatur finis, quam amantur media; sed assensus premissarum movet ad assensum conclusionis; ergo magis mouent præmissæ, quam conclusio; ergo magis certæ sunt.

26 Confir. ex Aristotele dicente; conclusionem esse ex notioribus; ergo præmissæ, ex quibus est conclusio, notiores sunt conclusione.

27 Resp. nec in causis motiuis proloquium esse vniuersaliter verum; sic Deus amat Iustos propter gratiam, & non amat magis gratiam, quam iustos. Homines amore gratitudinis amant Deum propter beneficia, & non amant magis beneficia, quam Deum. Item credunt Mysterio Incarnationis v. g. propter revelationem, & non credunt magis revelationi, quam Mysterio. Etsi vniuersaliter in omni causa motiua valeret axioma, ac proinde in præmissis erga conclusionem, sequeretur; conclusionem ex duplici præmissa de fide deductam non esse de fide; contra ipsum Arriaga. Nam fides Diuina non accipit magis, & minus in certitudine, & veritas de qua essem minus certus, veritas scilicet conclusionis, per fidem Diuinam nullatenus crederetur.

28 Hinc colliges: Non ideo præscisse finem magis amari, quam medium, quia mouet ad amorem mediorum, sed quia medium, vt medium est, vel nullam habet amabilitatem, nisi in ordine ad finem, vt patet in potione amara, vel non absolute, aut hic, & nunc tantam amabilitatem, ac finis; ast obiectum conclusionis capacitatem habet terminandi tam certum assensum, quam habent obiectum præmissarum.

29 Hinc ad Confirm. dic, Aristotelem appellasse præmissas notiores conclusione, id est, per se notas, & á priori indemostrabiles, qualiter se habent prima principia, de quibus loquitur, & qualiter non se habet conclusio à priori demonstrabilis per præmissas, non vero significasse, esse absolute certiores, & evidentiores intellectui, cum habeant idem motivum, in quo tota certitudo fundatur.

30 Obj. 4. ex Arriaga. Omnis propositio immediata evidentior est, quam propositio mediata; sed conclusio est propositio mediata, & prēmissæ immediata; ergo.

31. Argumentum vniuersaliter non probat, quia potest vna præmissa ex alijs deduci, v. g. *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo; ergo est animal; sed omne animal est vivens sensibile; ergo Petrus est vivens sensibile*; ergo saltem in hoc casu, cum tam conclusio vltima, quam prēmissa subsumpta sit mediata, non erit euidentior conclusione.

32. Resp. Nego maior. Quia possunt dari propositiones immediatæ, immò & per se notę, quæ non sint evidentes, sed obscuræ, & mere probabiles, vt tenet Cardin. de Lugo d. 1. de fide n. 116 P. Hurr. P. Ripalda, & ipse Arriaga d. 3 de fide sect. 4. Primum patet in assensu fidei Diuinæ propter ipsam, & non propter aliud motivum: en assensus, immediatus, & obscurus. Secundum etiam patet. Quia conclusiones probabiles in aliquibus probabilibus præmissis nitiitur; ergo ne aveamus in infinitum, tandem deveniendum est ad aliquas præmissas probabiles, quibus ratione aliarum non assentiatur intellectus: en propositiones immediatæ, & per se notæ, & merè probabiles. Item hæc conclusio mediata *Ergo homo est risibilis* deducta ex his præmissis *Omne admirativum est risibile; sed homo est admirativus*, certior & evidentior est hac propositione immediatá, & per se nota *nunc existit lux*; quia prima gaudet certitudine metaphysica; secunda vero solum certitudine physica: in prima nequit inveniri falsitas; secunda capax est falsitatis, si oculi fallantur, sicut in visione colorum oculi falluntur. Constet ergo, evidentiam tantum delumi ex motivo claro, propter quod intellectus obiecto assentitur, siue assensus sit immediatus, vel mediatus; cum enim idem sit præmissarum, ac conclusionis motivum eandem contrahent evidentiam.

33. Obj. 5. Quod magis accedit ad fontem alicuius perfectionis, participat magis de tali perfectioone; sic lumen cœlorum clarius est lumine sublunarium, quia magis accedit ad solem; sed præmissæ magis accedunt ad prima principia, quæ sunt fontes certitudinis, & evidentiæ, quam conclusio; ergo.

34. Confir. Infallibilitas plus afficit præmissas, quam cō clusionem; illas scilicet immediatè, hanc mediatè, cum huius infallibilitas à præmissis sumatur; ergo plus accipiunt infallibilitatis prēmissæ, quam conclusio. Hoc illustrat P. Compton exemplo sanctitatis Diuinæ, quæ magis Sanctum reddit Deum, quia immediate, & per identitatem illum afficit, quam humanitatem, quam media vnione sanctificat.

35. Resp. Dist. maior. Si perfectio sit in linea assensus, & quæ magis accedunt, & discedunt habeant idem motivum, nego: si sit in alia linea, transeat. Totus fons perfectionis infallibilitatis, & evidentię in assensu est motivum; cum autem idem sit conclusionis,

sionis, ac præmissarum motivum, æque participant certitudinem, & evidentiam, licet conclusio á præmissis eam accipiat. Sic licet Filius Æternus habeat totum esse á Patre, & Spiritus Sanctus á Patre, & Filio, quia participant eandem Divinitatem, quæ fons est totius perfectionis, æque perfecti sunt. Hinc lata patet disparitas ad lucem. Non est enim lux eadem in intēsione, quę illuminat sphęram, ac quæ orbem sublunarem illuminat; nam cum sol vniformiter difformiter illuminet, magis illuminat quæ proximiora sunt. Ast idem est motivum, & eadem claritate propositum conclusionis, & præmissarum; ergo æque certa erit conclusio.

36. Ad confirm. Resp. Quod licet infallibilitas á præmissis derivetur in conclusionem; cum tam præmissæ, quam conclusio eam capacitatem habeant, idem motivum eodem modo applicatum, æque infallibilis erit, ac præmissæ. Hinc disparitas ad sanctitatem; hæc enim non participatur æqualiter á Deo, & ab humanitate, nec hæc habet ęqualem capacitatem, ac Deus in ordine ad denominationem sancti.

37 Obj. 6. Medium manifestandi rem, certius, & euidentius debet esse re manifestata; sic definitio clarior est definito, quia est definiti manifestatio; alias notum per æque notum manifestaretur, quod repugnat; sed conclusio per pręmissas manifestatur; ergo hę notiores, & certiores debent esse conclusione.

38 Confirm. Quo aliqua propositio á paucioribus dependet, minori que eget indagine, eo clarior, & certior est; sed præmissæ à nullo dependent, nulla que eget indagine: conclusio vero dependet ab ipsis pręmissis, egetque disputatione per ipsas efformata: ergo.

39 Resp. Dist. maiorem. Si res manifestata induat claritatem medij manifestandi, & ab eo inferatur, nego: si aliter se habeat, transeat. Sic si definitum, seu cognitio definiti supponat, & inferatur ex definitione, æquè clara est ac ipsa definitio: cum æqua claritate proponatur ab intellectu definitio actu repręsentante definitionem, ac repræsentantè definitum, aut illatum ex definitione, seu indutum claritate definitionis. Cum ergo conclusio, licet ex præmissis eius obiectum manifestetur, inferatur ex præmissis, & eas essentialiter supponat, æque clara est ac ipsæ pręmissæ, licet alias, si ex eis non inferretur, non gauderet æquali certitudine, sed minori, cum non haberet aquale motivum, & hoc tantum sibi vult cum absolute dicitur; pręmissas esse notiores conclusione; syllogismum esse deductionem minus noti ex notioribus, scilicet obiectum conclusionis absolute esse minus notum obiecto præmissarum, pręmissas que ordinari ad ipsius manifestationem, at vero vt obiectum conclusionis est formaliter, nec minus notum, nec minus certum est, cum iam indutum sit certitudine, & claritate præmissarum.

40 Ad confir. respondeo, conclusionem, vt conclusio est, non esse minus certam, nec minus evidentem præmissis, cum induat certitudinem, & euidentiam earum pręmissarum, licet egeat indagine, & disputatione, ex quo solum infertur absolute, & materialiter obiectum conclusionis non esse tam certum, ac obiectum præmissarum.

41 Obj. 4. Præmissæ, & conclusio specie differunt; ergo sunt inæquales, nam species sunt iuxta Philosophum sicut numeri; ergo sicut numeri sunt inæquales, ita & species. Confir. 1. Habent diuersum modum tendendi: præmissæ independentes, conclusio essen-

tialiter dependens á præmissis; ergo minus certa. Confir. 2. Omnis causa ęquiuoca est perfectior effectu; sed præmissæ sunt causa æquiuocæ cōclusionis; ergo.

42 Resp. Concedo antec. nego conseq. Diuersitas specifica licet arguat dissimilitudinem, non arguit inæqualitatem. Sic relationes Diuinæ diuersæ sunt specifice inter se, non vero inæquales in perfectione. Vnde cum Aristoteles asserit, species esse sicut numeros, loquitur de eo, quod communiter accidit, vel quia sicut numeri faciunt differre, ita & species. Ad 1. Conf. respondeo, neque diuersitatem in modo tendendi, neque dependentiam conclusionis á præmissis, & præmissarum á conclusione arguere maiorem certitudinem, & claritatem in præmissis. Sic intellectio in via dependet essentialiter á phantasmate, & tamen est certior, clarior, & evidentior phantasmate. Ad 2. Confir. respondeo, causam dici æquiuocam eo quod sit dissimilis effectui, non eo quod sit perfectior. Sic calor est causa ęquiuoca ignis, & tamē est minus perfectus igne.

43 Obj. 8. ex Arriaga probante in actibus naturalibus, in quibus potest augeri, & minui certitudo, certiorē esse quamlibet præmissam seorsim sumptam ipsa conclusione. Quælibet præmissa vni tantum assentitur veritati, conclusio vero triplici veritati, scilicet sui proprij obiecti, veritati Maioris, & veritati Minoris; ergo quælibet pręmissa certior est cōclusione. Prob. conseq. Firmius adhæret intellectus vni veritati, quam triplici, quia vna veritas minus fallibilis est, quā triplex; cum habeat vnicum tantum caput, vi cuius posit deficere, & triplex veritas á triplici capite deficere posit.

44. Resp. Æqua firmitate adhærere intellectum vni, quam triplici veritati, cum triplex veritas per modum vnius, & sub vnico motivo proponatur, sicut proponitur obiectum conclusionis. Non enim minus firmiter assentior, Petrum esse hominem, quia omne individuum humanū est homo, quam, Petrum esse hominem. Item ita certo, & firmiter assero, Petrum currere, cum illum currentem video, ac Petrum, Paulum, & Joannem currere, cum similiter eos simul currentes conspicio, nam motivum vtriusque assensus est idem, nempe quia ita video; neque ex eo quod á pluribus capitibus posit vna veritas, quam alia deficere, ideo erit minus certus intellectus de vna, quam de alia, cum ad vnam, & ad aliam idem motivum assentiendi habeat.

45. Objic. 9. Ex P. Olsina, qui n. 2953. eodem fundamento, quo P. Arriaga probat, præmissam esse certiorem conclusione, probat ipse conclusionem esse certiorem præmissis; quod argumētum pro eodem assumpto excogitatum ab ingenioso moderno legeram apud Sapientissimum Magistrum. Argumentum ita se habet. Ille actus est certior, qui ex pluribus capitibus certitudinem habet: sed conclusio ex pluribus capitibus habet certitudinem, quam pręmissę; ergo. Prob. Maior. Id alio perfectius censetur, quod ex pluribus capitibus perfectionem accipit; ergo similiter. Prob. Minor. Conclusio haurit certitudinem ab obiecto duplicis præmissæ, item á suo proprio obiecto, nempe connexione seu illatione obiectiva, quę non est motivum præmissarum; ergo á pluribus capitibus certitudinem accipit conclusio, quam pręmissæ; ergo certior erit.

46. Resp. Maiorem absolutè esse falsissimam, nam potest ab vno tantū capite accipere aliquem actum talem certitudinem, vt excedat alios actus á mille capitibus certitudinem haurientes. Sic vna solum authoritas vnius An-

Angeli plus certitudinis conferret actui, quam mille hominum authoritates; & vna solum Exim. Doctoris authoritas, plus quam duo millia hominum. Sic in motivis claris, & evidentibus cōtingere potest; & probatur in principijs per se notis, quæ certiora sunt, quam plures cognitiones aliæ evidentes, & eo ipso, quod sint per se nota pauciores habent rationes probandi, seu pauciora motiva habet intellectus, vt eis assentiatur, quam vt assentiatur cognitionibus alijs evidentibus, immò & probabilibus; ergo non ex eo quod á pluribus capitibus acciperet conclusio certitudinem quam pręmissæ recte infertur; certiorem esse præmisis.

47. Insuper falsum est conclusionem â pluribus capitibus certitudinem accipere, obiectum namque motivum conclusionis est illatio obiectiua, non est aliquod speciale motivum distinctum ab obiecto præmissarum, sed idem met obiectum præmissarom, vt connexum cum obiecto terminativo conclusionis. Sic P. Arriaga d. 15. de fide, sect. 5. probat connexionem inter motivum formale, & obiectum terminativum materiale non esse aliquod speciale motivum, sed vnum motivum constituere cum obiecto formali. Ita cum credo Trinitati propter authoritatem Diuinam reuelantem, non credo propter authoritatem Diuinam vt cumque, sed propter authoritatem vt connexam cum Mysterio, resultante motivo adæquato ex reuelatione, & conexione. Vnde conclusio non habet aliquod motivum speciale ab obiecto pręmissarum distincto, sed ipsummet vt connexum cum obiecto terminativo conclusionis, seu quod idem est, illatio obiectiua est obiectum adæquatum motivum ipsius.

48 Obj. 10. Præmissæ possunt esse ęque certæ, ac conclusio; ergo & minus certę, cum eadem ratio datur pro vtroque. Confir. Pręmissæ, & conclusio se habent sicut actus imperans, & imperatus, sed potest actus bonus imperari ab actu malo; ergo & conclusio certa à præmissis minus certis, immo & falsis.

49 Resp. concedo antec. & nego conseq. Nam tota conclusionis, vt conclusio est, certitudo á præmissarum certitudine dependet, quomodo ergo minor certitudo maiorem certitudinem pariet? Sic in physicis, licet causa principalis possit esse æque perfecta, ac effectus, nequit tamen esse minus perfecta; ergo simimiliter in præmissis, quæ sunt causæ conclusionis. Ad Confir. dic: actum imperantem, & imperatum habere distincta obiecta, quorum vnum potest esse bonum, & alterum malum, ideo que potest actus malus bonum imperare, at conclusio, & pręmisæ idem obiectum realiter habent, idem que motivum: ergo ex præmissis falsis, falsam consequentiam inferri necesse erit.

SECTIO III.

DE SCIENTIA EFFECTV DEmonstrationis.

50. SCientia latê sumpta pro toto syllogismo evidenti sumitur. Stricte sumpta est conclusio evidens ex præmisis evidentibus deducta. Dividitur in actualem, & habitualem: actualis iuxta Aristotelem *est cognitio rei per causam, & quod illius est causa, & quæ aliter se habere non potest.* Clarius, & brevius *est cognitio certa & evidens habita per demonstrationem.* Scientia habitualis est habitus adquisitus per demonstrationem, seu facilitas quædam orta ex repetitione actuum scientię actualis; vnde talis habitus non est formaliter scientia, sed effective talis. De hoc sufficienter in Procemialibus.

Di-

51 Dividitur in practicam, speculativam, & mixtam, qualis per nos est logica. Item in subalternam, & subalternatam: subalterna est, quæ continet aliam sub se, vt Metaphysica logicam: subalternata est quæ continetur sub alia, vt logica su Metaphysica. De subalternatione, specificatione, & vnitate scientiarum agam in Metapyhsica.

52. Rogas: de quibus dari possit scientia? Primo dari potest scientia de singularibus, vt patet in syllogismis expositorijs. Secundo de contingentibus, quæ & si contingētia sint, habent connexionem prædicotorum essentialium; sic Philosophia naturalis, qua agit de creaturis in sua existentia contingentibus. & Philosophia moralis, quæ agit de actibus liberis voluntatis sunt scientia. Tertio de entibus per accidens, sic Arithmetica agit de numero, Politica de Republica, Militaris de exercitu, Philosophia de mundo, quæ omnia sunt entia per accidens.

DISPVTATIO II.

DE SYLOGISMO PROBABILI; SEV in libros Topicorum.

53 POST syllogismum analiticum, seu demostrationem, syllogismus Topicus, seu probabilis recto ordine sequitur. Octo libros instituit Aristoteles, quos Topicorum appellat, in quibus modos, & materiam probrbiliter arguendi Dilectitis præbet, qui ad certa, & determinata loca, quæ græce *topica* vocantur, & latine argumentorum sedes, facili metodo reduxit; de quibus quia Rethoricus docui, & aliqui ex præsentibus á me Rethorici didiscistis, nunc agere otiosum erit.

SECTIO VNICA.

QVID SIT OPINIO, DVBIVM, suspicio, & fides?

54 OPINIO latè sumitur pro quauis cognitione non certa, sic etiam errori, & fidei humanæ competit. Stricte sumpta sic definitur: *Assensus ad determinatum obiectum propter motivum in se probabile.* Hoc est naturalem, & mere probabilem cōnexionem prædicati cū subiecto. Differt adubitatione, & suspicione, quia per has non fertur intellectus ad obiectum determinatum, sed dubius hæret, vt constabit ex definitione ipsarum.

55 Dubitatio *est iudicium persuadens neutram partem contradictionis.* Sufficienter ostenditur per rationes adductas. Differt ab opinione, quia nullam determinationem dicit.

36 Suspicio est *coniectura, qua opinamur hoc, aut illud fieri, quin determinemur ad obiectum*; & in hoc differt ab opinione.

57 Formido *est actus, quo reflectens supra iudicium probabile dubitat an fallatur, nec ne.* Aliqui iudicant, formidinem esse de essentia opinionis. Iudico, opinionem non excludere formidinem, cum nullam dicat certitudinem, non tamen dicere essentialiter formidinem formalem. Non enim est necessarium, vt omnes, qui probile iuditium habent actualiter reflexe dubitēt. Aliqui ita tenaciter suas amplectuntur opiniones, vt de eis nec dubitent. De essentia tamen opinionis est formido radicalis, quę sita est in eo, quod intellectus vi talis opinionis maneat dubius circa veritatem cognitam, si aliunde certitudinem non habeat.

58 Nota, duas propositiones con-

Gggggg tradic-

tradictorias posse esse simul probabiles, si pro vtraque parte se se offerant rationes; vnde tota probabilitas non est in ipsis rebus, sed in intellectu ita, vel ita iudicante; quælibet enim res, vel est, vel non est determinate á parte rei. Inde ad amplectendam vnam partem contradictorij pia affectio voluntatis ad illam potius, quam ad aliam inclinans necessario requiritur.

59 Opinio alia est probabilis, improbabilis alia. Probabilis, alia est ab intrinseco, quæ scilicet fundatur rationibus probabilibus assensum probabilem ellicientibus. Alia est ab extrinseco probabilis; quæ licet rationibus careat, authoritate sapientum, prudentumque munitur. Improbabilis est, quæ tam rationibus, quam authoritate est destituta, & appellatur temeraria.

60. Fides *est cognitio non evidens nitens authoritate dicentis.* Differt á sciẽtia, quia scientia est evidens, & fides nõ evidens; ab onione, quia motivum fidei non est ratio, sed authoritas; á suspicione, & dubitatione, quia fides est assensus ad determinatum obiectum. Duplex est fides; naturalis, & supernaturalis: naturalis nititur authoritate hominis, vel Angeli, qui cum falsitatis sint capaces, fidei infallibilitatem non communicant. Sepernaturalis est, quæ nititur authoritate Dei revelantis, quę cũ non possit fallere, nec falli, infallibilitatem confert.

DISPUTATIO III.

IN LIBROS ELENCOrum, seu de Syllogismo sophystico.

61. IN his duobus libris Elencorum egit Philosophus de syllogismo sophystico, seu fallaci, qui græcè *elencus*, dicitur. Elencum diuisit in syllogismum psegdographum, & sophysticum proprie dictum; psegdographus est, qui latius, quam par est, vsurpat principia alicuius scientię, vt incautos decipiat; hic etiam appellatur *paralogismus*, sophysticus, qui etiam dicitur *litigiosus, & tentativus*, est qui ex apparenter probabilibus, etiam servata apparenter forma syllogistica, conclusionem infert.

62. Ad duplex genus omnis fallacia reducitur. Primum est fallacia dictionis. Secundum fallacia extra dictionem. In primo genere sex claudun- tur species, seu modi fallendi, in omnibus exemplar apponamus, vt alia similia vitentur. Primus modus provenit ab ęquivoco, cum eadem vox plura significat, v.g. *Canis latrat; sed stella est canis; ergo stella latrat.* Distinguo maiorem. Canis terrestris, concedo; cęlestis, nego.

63. Secundus provenit ab amphybologia, cum eadem phrasis multa significat v.g. *Quod est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; sed hæc logica est Aristotelis; ergo possidetur ab Aristotele.* Dist. maio. Quod est Aristotelis, vt Domini, concedo; vt inventoris, nego; & sic dist. minor.

64. Tertius est compositionis, cum á

á sensu composito arguitur ad divisum v.g. *Stantem sedere est impossibile; sed Petrus stat; ergo Petrum sedere est impossibile.* Dist. maior. In sensu composito stationis, concedo, in sensu diviso, nego.

65. Quartus est diuisionis, cum á sensu diuiso arguitur ad compositum, v.g. *homo peccat; sed iustus est homo; ergo iustus peccat.* Dist. maior. Homo peccat in sensu composito gratię, nego; in sensu diuiso; concedo.

66. Quintus provenit ab accentu; cum eadem iuxta varios syllabarum accentus varia significat v. g. Quod *Edis, comedis; sed edis librum; ergo comedis librum.* Dist. maior. Si ly *Edis* sumatur pro eodem, ac *manducas*, cum prima á brevi, concedo; si per eodem, ac si in lucem emittis cum prima e longa, nego.

67. Sexta provenit á conditionum similitudine v.g. *Qui manducat vuas in vite, manducat coacte; sed tu manducas vuas invite; ergo manducas coacté.* Dist. maior. Si ly *in vite* sit adverbium, concedo; Si sit nomen supposita præpositione *In*, nego.

In 2. fallaciæ genere, scilicet extradictionem septem clauduntur species. Prima cum tribuitur subiecto, quod proprium est accidentis; v.g. *Petrus est animal; sed animal est genus; ergo Petrus est genus.* Dist. maior. Petrus est animal, primo inteutionaliter sumptum, concedo; secundo intentionaliter sumptum, nego; & sic distingue minor.

68 Secunda est, quando variatur suppositio; vt *Alexander est Logicus; sed Alexander est Magnus; ergo Alexander est Magnus Logicus.* Dist. maior. ita ut ly *Magnus* cadat supra Alexandrum, concedo; ita vt cadat supra Logicum, nego.

69 Tertia est ab ignorantia sophysmatis, cum scilicet admissa vna propositione contra omnia infertur, v.g. *Per te, Petrus non currit velociter; ergo non currit.* Nego conseq. absolute.

70 Quarta est petition s principij, cum scilicet probatur idem per idem, & eandem conclusionem negatam rursus adducimus in probationem, v. g. Si postquam aliquis negavit, cęlum esse rotundum; probaretur, quia est sphęricum.

71 Quinta consequentis: cum non servata lege ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis v. g. *Si equus est homo est animal, ergo si non est homo, non est animal.* Nego conseq.

72 Sexta, cum non causę, tanquam causæ tribuitur effectus v g. *Qui habet pecuniam, habet avaritiam, sed tu habes pecuniam, ergo habes avaritiam.* Nego absolute maior.

73 Septima provenit a simultanea plurium interrogatione, qui vnica responsione satisfieri nequit, v. g. Si aliquis simul rogaret *ist ne Petrus homo? Et Ioannes equus?* Si affirmative respondeas, falleris, si negative, devias á veritate. Cum diuisione responde Petrus est homo, & Ioannes non est equus.

74. Duplicem modum evitandi has fallacias assignat Aristoteles. Primum; ad vnã fallaciam aliam pro solutione exhibendo, non enim ęquivocum grauiori solutione dignum est. Secundum; distinguendo propositiones si fallacia sit in rebus; vel si sit informa, concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, iuxta regulas formæ syllogistica: & Logicę satis.

75 Optimis á vibus incepi, optimis desino. Spiritus Santi Paschate incepi, Natiuitatis Paschate desino. *Ego sum alpha, & omega, initium, & finis,* ait *Dominus.* Initium, & finis, huius operis *Deus* est. Vidit Iacob in somnis scalam, Angelos ascendentes, & descendentes, Dominum innixum scalæ. Dominum non solum in summo, verum

rum etiam, in infimo ſcalæ gradu extitiſſe graves auſpicantur interpretes, vt aſcenſus á *Deo* principium, & in Deo finem acciperet. Per gradus metaphyſicos Logicæ á *Deo*, & in *Deum* vos aſcendentes conſpicio, certe Angelos apellare non erubeſcam, me & ſi fatigatum Iacobum ſomniantem erubeſcerem compellare, ſi Iacobi ſomnium ſcalę gradus meditationem non audierim interpretari. Pervigil pro vobis extiti, pro me pervigiles extitiſtis. Uigilãtes ſervos beatos vocat Chriſtus *Beati ſunt ſervi illi*; & quare vigilantes Beati? *Et ſi venerit in ſecunda, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit*, quia duplici vigilia vigilantes invenit (liceat dicere) vigilia Spiritus Sancti, qua Summulis finem impoſui; vigilia item Nativitatis, qua logicæ finem impono, vos vigilantes, hoc eſt, ſtudioſos invenit Dominus; Beati ergo eritis.

76. Sed cur Spiritus Sanctus initium, Uerbum Divinum noſtræ logicę finis? Myſterio non caret. Nam quod amor incipit Divinus, Sapientia perficit. Finitur in ſcientia, quod incipitur in charitate. Spiritus ille docuit vos omnem logicæ veritatem, & huc uſque ad ſcientiam perduxit. Sileat ergo ſermocinalis ſcientia, dum ſermo Dei inſonat in Orbe. Ipſe vos erudiet: *Apparuit enim gratia Salvatoris noſtri erudiens nos*; hoc eſt, (ait Bernardus) *apparuit ad eruditionem: dum bifrontes Iani toto Orbe in pace compoſito claudunt ur fores, multiformis Logicæ* claudantur portæ. Sit noſtræ Logicæ natalis dies ipſa Domini Natalis. Erit die Vigeſima Tertia Decembris Anno 1684. Domini.

†
IHS

PRO ALIQVIBVS argumentis pertinentibus ad quæſtionem de conſtitutivo relationis predicamentalis.

OBIj. 1. Tota relatio ſaluatur ſine actu intellectus. Prob. A relatione 1. & 2. generis præſcindibilis eſt conceptus *habitudinis*, ſeu reſpectus vnius ad aliud; ſed hic reſpectus ſaluaretur ſine actu intellectus: ergo. Prob. mai. Vtraque relatio conuenit ſimpliciter in hoc, quod eſt dicere reſpectum, ſeu habitudinem ad aliud; ſed a conuenientibus ſimpliciter pręſcindibilis eſt ratio, in qua conveniunt: vt videre eſt in animali reſpectu hominis, & Bruti: ergo. Prob. nunc prima maior. Ratio præſciſſa non involuit differentiam, á qua præſcinditur; alias non eſſet præſciſſa; ſed ille reſpectus præſcinditur ab actu intellectus, vt ab vna ex differentijs: ergo. Tunc ſic: ſed tota eſſentia relationis, iuxta propriam ipſius definitionem ſaluatur in reſpectu, ſeu habitudine ad aliud: ergo tota ſaluatur ſine actu intellectus.

2. Argumentum militat etiã contra omnes illos, qui relationem 1. generis ponunt in coexiſtentia fundamẽti, & termini; & relationem 2. generis, in actione, vel aliquomodo variant in conſtitutione relationum. Nam ab illis poſſet præſcindi conceptus *habitudinis*, & c. qui pręſcinderet, vt á differentijs ab actione, & á coexiſtentia fundamẽti, & termini: ergo in illo conceptu præſciſſo ſaluaretur tota eſſentia relationis ſine actione, & c. Reſp. Nego primam propoſitionem: ad eius probationem, nego mai. ſi loquamur de pręciſione ſimpliciter. Eodem modo, ac á cane terreſtri, & marino, nequit præſcindi ratio canis. A vita phyſica, & intentionali, iuxta Arriaga, & iam communiorem Sententiam ratio vitæ, nec ab inſtrumento naturali, & obedientiali ratio inſtrumenti. Nam, ſicut hæ entitates ęquivocè tantum conueniunt in ratione canis, in ratione vitę, & cauſæ inſtrumentalis; ita relatio 1. & 2. generis in ratione relationis: vox enim eſt communis. Ratio vero ſignificata, eſt omnino diuerſa in relationibus 1. generis actum comparantem vnum ad aliud. In relationibus 2. generis actionem, ſed actio, & actus intellectus ſunt conceptus primo diuerſi: ergo. Et ideo Ariſtot. monitum ſuadens ęquiuoca prius eſſe diuidenda, poſtea definienda, ſequutus prius diuiſſi relationem, poſtea vero vnam quamque definiui. Et hęc eſt diſparitas inter relationem, & animal. Animali enim ex parte obiecti in homine, & bruto eadẽ prædicata reſpondent viuens ſenſibile, namque non ita relationi.

3. Replic. Sed, ſicut animali reſpondet in homine, & bruto viuens ſenſibile, quin involvat rationale, aut irrationale; ita relationi reſpondet in relatione 1. & 2. generis, habitudo vnius ad aliud, quin involuat actum intellectus, aut actionem: ergo.

4. Reſp. Habitudinem, ſeu reſpectum vnius ad aliud, eſſe puras voces, quæ ſignificant idem, ac relatio; & hoc inquirimus, quid ſignificetur ex parte obiecti, per hanc vocem: *Habitudo ſeu reſpectus vnius ad aliud*? De qua Nemo

dubitat, relationem significare; alias satis responderent omnes, dicentes: Relationem consistere in habitudine, seu respectu vnius ad aliud, & nihil amplius inquirerent, sed omnes aliquid amplius inquirunt, & respõdēt. Thomistę, v.g. per hunc respectum significari ex parte obiecti accidens aliquod intrinsecé superadditum: Nostri communiter, significari coexistentiam fundamenti, termini, &c. Ergo signum est, quod ly, *Habitudo, seu respectus vnius ad aliud* est vox, & non conceptus obiectivus correspondens. Exemplo res clarescet. Rogatur; Quid sit causa instrumentalis? Communiter respondetur: Quæ indiget elevatione, ita vt ideo instrumentum naturale, calor v.g. respectu ignis, sit causa instrumentalis, quia indiget elevatione, & instrumentum obedientiale, Angelus, v.g. respectu Formicæ, ideo, quia indiget elevatione. Vlterius inquiritur; in vtroque instrumento est ne vnivoca ratio instrumenti? Communiter respondetur, negativè. Nam licet in vtroque eadem elevationis indigentia videatur reperiri; non tamen idem conceptus obiectivus significatus per talem indigentiam, quę tantum est vox, idemque causa instrumentalis significat, cui in Angelo correspondet defectus virtutis connaturalis, & in calore defectus perfectionis: idem evenit in relatione, & habitudine, seu respectu, cui in relatione 1. generis correspondent actus intellectus, & in relatione secunda actio.

5. Obijc. 2. Ideo, per nos, non datur relatio 1. generis á parte rei independenter ab operatione intellectus; quia relatio 1. generis dicit rectum, & obliquum, quæ non dantur, nisi per operationem intellectus, & quoadmodum concipiendi: ergo nec dantur concreta accidentalia á parte rei, cum omnia dicant in recto subiectum, & formam in obliquo. Nec materia prima, v.g. erit causa intrinseca compositi á parte rei, cum iuxta ferè omnes ipsa in recto dicens formam in obliquo sit causa; non vero, si tamen ipsa, quam forma, & vnio ponantur in recto. Insuper, ergo nec relatio 2. generis consistet in actione, nec dabitur á parte rei, cum non minus includat rectum, & obliquũ quam relatio 1. generis.

6. Argumentum saltem quoad primam, & secundam consequentiam videtur probare, á parte rei dari recta, & obliqua, quemadmodum á parte rei dantur concreta accidentalia, & causas intrinsecas compositi, quod, quam falsum sit, vel ipsis terminis patet. Quomodo enim á parte rei datur res posita in nominativo, aliovè casu? Sic impugnat Arriaga, Trac. de Trinit. d. 45. s. 3. n. 22. Acutissimum Doctorem asserentem, Principium *Quo* in Divinis consistere in intellectione connotata in obliquo relatione, cuius hęc sunt verba: Noto, quod sæpe dixi, in rebus ipsis non esse obliquum, nec rectum, sed hoc esse tantum ex modo nostro concipiendi, & explicandi vnum in nominativo, alterum in alio casu, re autem ipsa, vtrumque esse partem totius. Sic, licet album dicat in recto subiectum, & in obliquo albedinem, declaratur enim sic *Album est subiectum habens albedinem:* At re ipsa albedo tam est pars illius totius, quam ipsum subiectum. Ex quo contra Vasquium concludit. Vel relatio importata in obliquo est pars principij *Quo*, & iam coincidit in communem sententiam, vel non est pars, sed tantum conditio, & coincidit in sententiam Scoti. Hinc informa

7. Resp. Dist. causalem, quia relatio 1. generis dicit rectum, & obliquũ, tam quoad esse, quam quoad explicari, & cognosci; concedo. Quoad cognosci, & explicari tantum: Nego, & nego primam consequentiam, eiusque implicitam probationem dist. Cum involvant

recta,

recta, & obliqua quoad cognosci, & explicari tantum; conc. Quoad esse, & constitui; nego. Communiter dicimus; vt notat Arriaga; concreta accidentalia dicere in recto subiectum, & in obliquo formam: ideoque album dicitur subiectum habens albedinem; sed hoc non est; quia re ipsa ita se habeant; nam re ipsa æque constituitur album ex subiecto, ac ex albedine, & ęquè est pars illius concreti subiectum, quam albedo; sed quia ita explicatur, & concipitur ab hominibus in ordine ad prædicationes; ideo verum est dicere: Album est dulce; hacque doctrina ductus teneo, quod si genus sumatur constitutiuè, & quoad se, æquè prædicabiliter dicit naturam, quam secundam intentionem. Si vero sumatur quoad prędicationes, vti debet sumi in eius definitione, dicit naturam in recto, & secundam intentionem in obliquo. Unde concreta accidentalia dantur á parte rei, quoad esse, & constitui. Et ideo quoad esse, & constitui, non gaudent rectis, & obliquis. Non vero dantur quoad cognosci, & explicari; nã quoad cognosci, & explicari, dicunt recta, & obliqua.

8. Et hæc eadem est solutio secundæ consequentiæ; adhuc admisso, quod dentur causæ intrinsecæ compositi, & quod materia, & forma sint verę causæ intrinsecæ compositi, quod à me negatur. Dico, recta illa, & obliqua solum esse quoad explicari, & cognosci modum, quo materia, & forma causant compositum, quin se ipsas causent; re tamen ipsa ita non esse, sed hoc modo explicandi, significamus materiam, & formam constituere compositum, ratione cuius constitutionis causæ intrinsecę appellantur.

9. Ad 3. consequentiam, & ad implicitam probationem, illam distingue; cũ nõ minus includat rectũ, & obliquum, quã relatio 1. generis. Non minus quoad explicari, & quoad cognosci; concedo: Non minus quoad esse: nego. Sicut concreta accidentalia, solum quoad explicari, & cognosci, dicunt recta, & obliqua: non vero quoad esse, quia á parte rei habent proprium esse, supra quod cadit talis explicatio, & cognitio. Ita relatio 2. generis solum quoad cognosci, & explicari dicit rectum, & obliquum. Nam á parte rei habet supra quod cadat explicatio; supra actionem nempe, in qua consistit relatio, & de qua verificatur illa explicatio, esse scilicet respectum vnius in recto ad aliud in obliquo; sicut de entitate parietis, et albedine verificatur, esse album, seu subiectum habens albedinem. Attamen relatio 1. generis consistit in ipsomet cognosci, seu explicari, dicente vnum in recto, et aliud in obliquo; cum non habeat á parte rei, supra quod cadat talis explicatio; nec enim cadere potest supra fundamentum, de quo nequit verificari, quod sit respectus vnius in recto, ad aliud in obliquo, neque de termino, neque de ratione fundandi ob eamdem rationem, neque de complexo; nam complexum non refertur ad se; et si recurras ad recta, et obliqua, iam incidis in meam impugnationem: ergo tota relatio primi generis in actu referente, et dicente rectum, et obliquum quoad esse consistit; non vero relatio 2. generis.

10. Replic. Ergo non omnis relatio, dicit rectum, et obliquum. Resp. Dist. Consequens: quoad esse; conc. Quoad explicari, & cognosci; nego. Relatio 1. generis, dicit rectum, & obliquum tam quoad esse, quam quoad explicari. Relatio vero 2. generis, solum quoad explicari hoc dicit, cum fundamento tamen in re tali, explicationi correspondente. Actio namque re ipsa physicè, nec dicit fundamentum in recto, nec terminũ in obliquo: nec ideo denotat fundamentum

Pa-

Patrem, & terminum Filium; quia illud dicit in recto, & hûc in obliquo; sed quia egreditur ab illo vt a principio, & recipitur in hoc vt in termino, & actio generatiua viuentium fundamentum à *Quo* egreditur, denominat Patrem, & terminum, ad *Quem* terminatur Filium.

11 Obj. 3. Per nos á parte rei datur simile formaliter; ergo & relatum prędicamentale formaliter. Prob. conseq. Simile formaliter est relatum propriè, & formaliter; sed per nos à parte rei datur simile formaliter: ergo Prob. mai. effectus formaliter est relatus transendentaliter ad causam: ergo, & simile formaliter relatus, formaliter ad consimile. Prob. consequentia: Ideo effectus est relatus transcendentaliter ad causam; quia reddita impossibili causa, redderetur impossibilis effectus, & quia effectus nequit concipi nec definiri nisi in ordine ad causam; sed si redderetur impossibile consimile, simile redderetur impossibile, & simile neque concipi, neque definiri potest, nisi in ordine ad consimille; ergo.

12 Resp. Conc. antec. & nego consequentiam Ad probationem, nego mai. ad prob. conc. antec, & nego conseq. ad prob. dist, mai: quoad primam partem (de secunda vero, postea) Quia, reddita impossibili causa, redderetur impossibilis effectus, mediatè; concedo, immediatè, nego: minorem etiam ita dist. reddito impossibili consimili, redderetur impossibile simile: immediatè; conc. mediatè; nego. Dupliciter potest aliquid reddi impossibile, red dito impossibili alio, vel medatè, vel immediaté. Tunc redditur mediatè tãtum impossibile, quando illud aliud non est constitutivum, sed terminus, alicuius tamen prædicati constitutivi, quod per consequentiam, reddito alio impossibili, ipsum etiam impossibile redditur, v. g, si redderetur impossibilis intellectio, intellectus redderetur impossibilis, non immediatè; quia intellectio non est constitutiua intellectus; redderetur tamen mediatè impossibilis; quia est terminus virtutis intellectiuæ, quæ virtus est constitutiua intellectus, & redderetur impossibilis, reddita impossibili intellectione. Tunc redditur aliquid immediate impossibile, ratione alterius, quando hoc elterum est constitutivum illius, v. g, reddito impossibili rationali, redderetur homo immediatè impossibilis; quia rationale est hominis constitutivum. Hac certissima distinctione supposita. Dico, ex eo quod aliquid reddatur impossibile primo modo, mediatè, scilicet, alio reddito impossibili, infertur, dicere relationem ad aliud; cum autem effectus mediatè tantum redderetur impossibilis, reddita impossibili causa; eo scilicet, quia reddita impossibili causa, redderetur impossibilis producibilitas, quæ est effectus constitutiua. Inde est, quod effectus transcendentaliter referatur ad causam.

13 At vero, ex eo quod aliquid reddatur impossibile secundo modo, immediatè nempe, non debet inferri, vnum referri ad aliud; sed vnum constitui per aliud. Sic homo non refertur ad rationale, sed constituitur ex rationali. Tunc sic: sed simile vt tale constituitur per consimile; & consequenter, reddito impossibili consimili, simile redderetur impossibile, non mediatè, sed immediatè; ergo simile formaliter nec est relatum formaliter, nec dicit relationem ad consimile. Minor subsumpta in codice satis probata manet. Simile namque formaliter, nil aliud est, quam duplex entitas habens eamdem qualitatem, iuxta Aristotelis definitionem, v. g, Petrum esse similem Ioanni in esse albi, nil aliud est, nisi vtrumque habre albedinem, sicut Pe-

Petrum esse coexistentem Ioanni, nil aliud, quam vtrumque existere simul.

14 Vlterius hoc declaratur exêpl binarij. Sicut ablato Petro aufertur binarium hominum, quod resultabat ex ipso Petro, & Paulo, non ex defectu alicuius termini, ad quem binarium referatur; nam binarium ad aliud non refertur, sed ex defectu alicuius constitutiui. Ita, ablato consimili, non manet simile; non ex defectu termini, nam simile, licet sonet relationem, re ipsa relevativum non est, nec ad aliud refertur, sed ex defectu alicuius constitutiui. Nam sicut binarium hominum nil aliud est, quam duplex homo: ita simile, nil aliud est, quam duplex entitas habens eamdem qualitatem.

15 Replic. tamen: de Petro non prædicatur esse binarium, nec de materia, esse hominem; quia Petrus est tantum partiale constitutivum binarij; & materia hominis; & totum de parte prædicari nequit, sed de Petro prędicatur, verè esse similem: ergo simile ex Petro, & Paulo non constituitur, nec est tantum partiale constitutivum illius.

16. Resp. Dist. mai. *De* Petro non prædicatur esse binarium, nec de materia esse hominem, quia sunt partialia constitutiva, & c. præscisse, nego, & quia alias tales propositiones, nullum haberent sensum congruum, & verum; conc. Si tamen vlterius dicas, ideo nõ habere sensum congruum, & verum, quia sunt partialia constitutiva, & totum nequit congruê prædicari de partibus, nego; sed quia iuxta communem intelligentiam non datur propositio verè, & congruè illis æquivalens, per quam explicetur. At vero hæc datur, dum de Petro dicitur, esse similem Ioanni. Nam idem est dicere: Petrus est similis Ioanni in esse albi. Ac Petrus, & Ioannes sunt albi, vel Petrus habet albedinem, qualem Ioannes habet. Quę quidem propositiones exponentes congruum, & verissimum sensum habent, quin nostræ doctrinæ opponantur.

17. Nunc ad secundam partem causalis ita se habentis: Inde inferimus, effectum referri transcendentaliter ad causam, quia nec definiri, nec concipi potest, nisi in ordine ad causam, sed simile nec definiri, nec concipi potest, nisi in ordine ad consimile: ergo. Resp. dist. mai. Quia, nec concipi, nec definiri potest, nisi in ordine ad causam, vt ad terminum extrinsecum; concedo, vt ad partiale constitutivum, nego, & dist. min. Sed simile nequit concipi, nec definiri nisi in ordine ad consimile, vt ad terminum extrinsecum; nego: vt ad partiale constitutivum; concedo: Sicut homo nequit definiri, nec concipi, nisi in ordine ad rationale, quod non est terminus extrinsecus, sed hominis constitutivum. Si tamen vis conc. mai. & neg. min. Aliud enim est, vnum non posse concipi, nec definiri sine alio, quod denotat constitutionem, & ita se habet simile respectu consimilis, & aliud, vnum non posse definiri, nec cõcipi, nisi in ordine ad aliud, quod denotat, ly aliud se habere vt terminus extrinsecus: & ita se habet effectus respectu causæ, non tamen simile respectu consimilis. Sic homo non dicitur definiri in ordine ad rationale, sed per rationale. Dicitur tamen definiri in ordine ad sensationes, & ratiocinationes, à quibus distinguitur, quasque respicit vt terminum extrinsecum.

18. Obj. 4. Ideo per nos sine actu intellectus nequit dari relatio, quia neque fundamentum, neque terminus, neque ratio fundandi participant conceptum respectiui, potiusque sunt entitates absolutę; sed licet nulla ex partibus sit respectiva, potest totum esse respectivum. Ergo. Prob. min. Ideo ex partibus ab-

absolutis,totum respectivum resultare non posset,quia respectivum,& absolutum opponuntur, sed etiam si opponantur, potest resultare: ergo. Prob. min.duplici exemplo: primo. Multo magis opponitur bonum & malum, quam absolutum, & respectivum. Secundo,item multo magis opponitur nõ repugnans existere,& repugnans existere,quam absolutum, & respectivum, sed ex rebus moraliter bonis, adminus non malis;potest resultare totum malum;vt videre est in essu carnis die veneris,quod est totum malum moraliter,& resultat ex prohibitione, libertate,& concursu Dei,quæ sunt partes bonæ. Item ex partibus realibus, per nos, & non repugnantibus existere, resultat ens rationis,& repugnans existere: ergo ex partibus absolutis poterit totum respectivum resultare.

19. Hoc argumentum ex verisima doctrina falsissimam infert consequentiam, & ex ea eodem modo quodcumque delirium probari potest,v.g.Potest aliquis probare ex humanitate, & Personalitate creata resultare suppositum Divinum,sicut resultat ex humanitate,& Personalitate Divina,hoc modo. Ideo ex humanitate, & Personalitate creata non resultaret suppositum Divinum;quia nulla pars constitutiva talis suppositi est Diuina,nec humanitas, nec Personalitas(aliter in Christo, cuius Personalitas est Divina) & repugnat ex partibus vndequaque creatis totum Divinum resultare; sed non repugnat:ergo. Prob.min. Multo magis opponuntur bonum,& malum, repugnans,et non repugnans, quam humanum,et Divinum;sed ex partibus vndequaque bonis,& non repugnantibus, resultat totum malum, et repugnans: ergo.Videas tuum argumentum.

20. Resp.tamen,conc. mai.et nego min. Ad probationem item conc.mai. et nego min. Ad huius probationem, dist.mai.Multo magis opponuntur bonum,et malum,repugnans, et non repugnans,quam absolutum ,et respectivum;quoad alia;conc. quoad hoc; nego. Nam,licet bonum,et malum opponantur contrariè,et repugnans, et non repugnans contradictorie, et absolutum, et respectivum nec contrariè,nec contradictorie opponantur, attamen quoad hoc,nempe vt ex eis resultet totum,cui communicentur denominationes distinctę á denominationibus partium, multo magis opponuntur absolutum,et respectivum, quam bonum, et malum;repugnans, et nõ repugnans. Ratio est;quia vt probat argumentum, ex partibus bonis, potest resultare totum malum, et ex partibus non repugnantibus,totum repugnans. At vero ex partibus absolutis, totum respectivum resultare nequit. Patet evidenter: Si totum, quod resultaret ex fundamento,termino, et ratione fundandi esset respectivum,diceretque habitudinem;vel diceret habitudinem ad aliud; et hoc non, alias iam non se haberet t vtotum, sed vt pars,& fundamentum ad aliam relatioaem:vel diceret habitudinem ad se; & hoc minus: alias á se ipso distingueretur.Nil enim ad se ipsum refertur: vel totum resultans æquè ex fundamento, termino, & ratione fundandi, vt exerceat munus relationis, diceret fundamentum in recto, & terminum in obliquo: & hoc (præterquam quod est chymerieum, nec percipio quomodo se habeat) iam est recurrere ad recta, & obliqua, quæ solum dantur penes varias intellectus considerationes, ac proinde in nostram incidere sententiam.

21 Ex quo manifesta apparet disparitas, & probatio nostrę conclusionis clarescit. Toti namque resultanti ex partibus bonis, nempe comestioni carnis die veneris, competit definitio entis

entis mali moraliter, esse scilicet quid factum contra legem Dei, vel dissonum dictamini rationis. Toti etiam resultanti ex entibus non repugnantibus, homine nempe, equo, & cognitione fingente competit etiam definitio entis repugnantis esse, scilicet repugnans existere á parte rei: At vero toti resultanti ex partibus absolutis,nõ competit definitio relationis, vt iam probauimus, neque ratione partium, neque ratione totius: ergo recurrendum est ad intellectum pro relatione quęrenda, cum non detur á parte rei, & hoc solum sibi vult nostra probatio.

22. Nota primo, argumentum solum probare, dari totum heterogeneum; cui conueniant denominationes partibus non conuenientes. Sic composito couvenit denominatio *totius*, quæ partibus seorsim sumptis non conuenit, immo & contrarię denominationibus toti conuenientibus; vt patet in ipsis nobis obiectis. Sic homini, equo, & cognitioni seorsim convenit esse entia realia, & toti,ex eis resultanti competit esse ens rationis. Hæc extra dubium est. Ast hæc denominatio *respectui* non est huius conditionis. Debet enim exerceri inter partes, nempe fundamentum, & terminum. Totum enim ad quem terminum respectivum diceretur? Nec ad se, nec ad aliud; vt iam manet probatum. Ergo. Nota secundo, argumentum nec contra conclusionem, nec contra rationem probandi facere. Non contra conclnsionem; vt ex se patet; non contra rationem probandi; quia ratio probandi non est vniversalis,ita: Nequit competere toti vlla denominatio, quæ partibus seorsim sumptis non competat.Nec ita:Nequeunt toti competere denominationes oppsitæ eis, quæ partibus conueniunt. Contra quas solum fæcit argumentum, sed ita particulariter, & quasi á paritate: Non minus repugnat ex duobus physicè absolutis, fieri vnũ respectivum, quam ex duobus albis fieri vnum nigrum. Non enim minus distant respectivum, & absolutum, quam album, & nigrum.

23. Si tamen vis á prima propositione in nihilum redigere argumentum.Dist. mai. Ideo sine actu intellectus nequit dari relatio; quia neque fundamentum,neque terminus, neque ratio fundandi participant conceptus respectivi,præcisè; nego; et quia, nec toti resultanti potest talis conceptus adaptari; conc. Si tamen instetur ita. Ideo toti resultanti nequit talis conceptus adaptari, quia partes omnes sunt absolutæ; nego causalem. Sed quia toti definitio respectus adaptari, & convenire nequit; vt patet ex dictis.

24. Rogo 1. Quid dicendum de denominatione *Prælati*, seu plus *dilecti*; quę datur in Beata Uirgine, v. g. prę Divo Petro vi amoris Dei? Dico, esse relationem prædicamentalem 3. generis,quæ consistit in illo amore voluntatis Divinę, cui convenit relationis definitio. Nam eo ipso, quod sit prælatio Virginis ad Divum Petrum,est habitudo vnius ad aliud.

25 Rogo. 2. Quid de denominationibus *Domini*, *& serui*; *superioris*, *& inferioris*; *Regis*, *& Bassalli*, *mariti*, *& Vxoris*; & de alijs huiuscemodi? Dico; has esse denominationes formaliter relativas pertinentes ad secundum genus, idcoque consistentes inactione vel quasi actione morali. Prima inter seruum, & *Dominum* consistit in *Dominio*.secunda inter superiotem, & inferiorem; & 3. inter Regem, & Bassallum,consistunt in voluntaria traditione inferioris ad superiorem, & Bassalorum ergaRegem.Quarta inter Maritum, & Vxorem in mutua vtriusque traditione.

26 Rogo. 3. Quid de denominatio-

tione *vniti* physice, & moraliter? Dico, pertinere etiam ad secundum genus, & esse relatiuas formaliter. Relatio vniti physicè, consistit in ipsa vnione physica, quæ est quasi actio, ad minus causalitas, qua partes vnitæ causant totum ex eis resultans. Relatio vniti moraliter, si sit per amorem, est idem, ac relatio amantis, & amati; et consistit in ipso amore, videtur que ad tertium genus relationis pertinere. Relatio *Amati*, consistit in mutuo amore, seu amatione, et redamatione Nec ex hoc infertur, dari duplicem relationem, licet componatur ex duplici amore; quia vnius tantum mutuus amor est. Vnde vinca relatio resultans partialiter ex duplici amore.

27. Rogo 4. Quid de denominationibus *prioris*, & *posterioris* tempore, *antiquioris*, & *iunioris*: *Prioris*, & *Posterioris* dignitate, *Dextri*, & *sinistri coexistentis*, &c? Dico. Has non esse denominationes relatiuas secundum esse, & formaliter; sed solum secundum dici, & explicari, & ad summum fundamentaliter, sicut denominationes *similis*, *Æqualis*, *Maioris*, & c. Nam hęc denominatio *Prior tempore alio* constituitur ex entitate priori, ex tempore antecedenti, & consequenti; sed hęc sunt entitates absolutę, quin reperiatur aliqua, quæ possit exercere munus habitudinis, seu respectus; ego. Idem dico de Priori dignitate includente ipsas dignitates, quæ non sunt respectus. *Dextrum* similiter, & sinistrum constituuntur ex duplici entitate, & duplici vbicatione ita, vel ita collocata; Coexistens ex duplici existentia simultanea, sed in his omnibus nil respectiuum reperitur; ergo.

†

INDEX

TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET SVBSECTIONVM QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Sub- Sect.

Sect.

FINIS.